PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI

AB ÆVO APOSTOLICO AD INNOCENTII III TEMPORA

FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA; DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA; OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA; INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA; CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA; OPERIBUS CUM DUBIIS, TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA; DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA; ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM, IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT, UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR: CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES SECUNDA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A GREGORIO MAGNO AD INNOCENTIUM III.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

Bibliothecæ Cleri universæ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIA BINA EDITIONE TYPIS MANDATA EST, ALIA NEMPE LATINA, ALIA GRÆCO-LATINA. — VENEUNT MILLE FRANCIS DUCENTA VOLUMINA EDITIONIS LATINÆ; OCTINGENTIS ET MILLE TRECENTA GRÆCO-LATINÆ. — MERE LATINA UNIVERSOS AUCTORES TUM OCCIDENTALES, TUM ORIENTALES EQUIDEM AMPLECTITUR; HI AUTEM, IN EA, SOLA VERSIONE LATINA DONANTUR.

PATROLOGIÆ TOMUS CLXXIV.

VEN. GODEFRIDUS ABBAS ADMONTENSIS. HARIULFUS ABBAS ALDENBURGENSIS. LISIARDUS TURONENSIS CLERICUS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM
SEU PETIT-MONTROUGE

1854

ELENCHUS

AUCTORUM ET OPERUM QUI IN HOC TOMO CLXXIV CONTINENTUR

GODEFRIDUS ABBAS ADMONTENSIS.

HARIULFUS ABBAS ALDENBURGENSIS.

APPENDIX.

LISIARDUS CLERICUS TURONENSIS.

Ex typis MIGNE

SÆCULUM XII

VEN. GODEFRIDI

ABBATIS ADMONTENSIS

OPERA OMNIA

EX MSS. CODD. ADMONTENSIBUS

EDIDIT

R. P. BERNARDUS PEZIUS

BENEDICTINUS ET BIBLIOTHECARIUS MELLICENSIS

(Augustæ Vindel. et Græcii 1725 fol.)

ACCESSERE

HARIULFI ALDENBURGENSIS, LISIARDI TURONENSIS

SCRIPTA QUÆ SUPERSUNT

ACCURANTE J.-P. MIGNE

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE

TOMUS UNICUS

VENIT 9 FRANCIS GALLICIS

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J. P. MIGNE EDITOREM
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM
SEU PETIT-MONTROUGE

1854

REVERENDISSIMO, ILLUSTRISSIMO AC EXCELLENTISSIMO

D. D.

DOMINICO PASSIONEO

ARCHIEPISCOPO EPHESINO,

SS. DD. NN.

INNOCENTII XIII ET BENEDICTI XIII.

PP. MM

AD AMPLISSIMAM GRAVISSIMAMQUE HELVETIORUM REMPUBLICAM

LEGATO APOSTOLICO,

Fide in Apostolicam Sedem, morum sanctitate, animi robore, maximarum rerum usu, doctrina, eruditione ac eloquentia incomparabili,

HAS

VENERABILIS GODEFRIDI,

Weingarttensis primum, dein Admontensis Archimandritæ, Magni quondam, Germaniæ Magistri,

HOMILIAS,

Ob collata dudum amplissima in hoc sacratius studiorum genus beneficia et auxilia, grati animi causa

D. D.

P. B. P.

DISSERTATIO

DE VITA ET SCRIPTIS VEN. GODEFRIDI.

I. Celeberrimum Benedictinum Styriæ monasterium Admontense jam inde a sæculo Christi undecimo, cujus anno septuagesimo quarto a sanctissimo Salzburgensi archiepiscopo Gebehardo, teste chronographo veteri Admontensi (1) *constitutum et dedicatum* est, usque ad hæc ipsa tempora magnorum religione atque doctrina virorum seminarium fuit. Id quod, si loci hujus ac instituti ratio peteretur, liquido demonstratu facillimum ac pronissimum foret. Verum de uno nobis hic Godefrido, ejus nominis primo abbate, qui si reliquos omnes non doctrina, certe rerum gloriose sanctissimeque gestarum amplitudine superavit, et cujus præstantissimas homilias post sexcentos demum annos nunc primum publici juris facimus, disserendum est.

II. Originem magni hujus viri reticent quidem veteres et coævi scriptores, quod equidem ego sciam. Verum Gabriel Bucelinus, eruditus cœnobita inclyti monasterii Weingartlensis (2) eum *dynastam de Venningen* facit. Quocirca tanto majorem fidem commeretur, quanto perspectiores ei fuerunt veteres chartæ ac tabulæ monasterii sui, cui, ut mox videbimus, Godefridus abbatis nomine aliquot annis præfuit. Fratrem habuit Irimbertum, celebrem illum divinarum Scripturarum explanatorem, suumque post Liutholdum et Rudolfum in abbatia Admontensi successorem, de cujus vita et scriptis vide quæ alibi (3) late prolixeque disputavimus. Monasticen, secundum Regulam B. Benedicti et consuetudines Hirsaugienses, properante ad finem sæculo Christi undecimo, professus est in famigeratissimo quondam monasterio S. Georgii in Silva Hercynia, ex quo iisdem fere temporibus vitæ sanctimonia et doctrinæ laude longe clarissimi plures viri prodierunt. Porro quantos Godefridus sub eorum oculos, tum in virtutis, tum in divinarum cognitionum studio progressus fecerit, egregia ejus acta, quorum fama omnem Germaniam implevit, post paulo declararunt.

III. Ejus religione, prudentia et eruditione capti cœnobitæ Weingartlenses, cum post abbatem (4) *Chunonem, dapiferum de Waldpurg, comitem a Thann, sub quo magnus principum, comitum et baronum numerus, et octo minimum ex sola comitum de Thann familia in Vineis floruere*, de deligendo successore cogitarent, neminem, cui loci sui regimen crederent, Godefrido digniorem repererunt. Annum, in quem ea Godefridi in abbatem Weingartlensem designatio et creatio præcise inciderit, non notat Bucelinus, satis habens observasse eum *claruisse anno Christi* 1130. Nec ex eo certius ampliusve quid habemus quot annos Weingartlense cœnobium sua pietate et doctrina illustraverit. Sed quidquid de hoc sit, Godefridi præfecturam Weingartlensem ultra annum 1138 non processisse, ex eo constat quod ad hunc eumdem annum jam *Prior* Monasterii S. Ceorgii, quo ex monasterio Weingartlensi recesserat, a chronographo Admontensi appelletur. Agens enim de ejus in abbatem Admontensem electione, citato loco ita diserte scribit : *Domnus Gotfridus, prior S. Georgii, in abbatem Admuntensem electus, Chunradi archiepiscopi nuntiis et litteris expetitus, et ad nos deductus est.* Chronographo Admontensi consonat biographus S. Gebehardi archiep. Salzburg, cœnobita itidem Admontensis apud Henricum Canisium (5). *Igitur*, inquit, *præfato Patre nostro Wolvoldo, post multos tandem monasticæ religionis fructus, feliciter ex hac luce Kalendis Novembris subtracto anno Incarnationis Domini* 1137, *regiminis vero sui anno* XXIII, *communi fratres electione dominum Gotfridum, priorem monasterii ante S. Georgii, sibi in abbatem elegerunt, et per monachos nostros Odalricum præfatum et Witilonem pro ipso a congregatione directos, per dominum Theodwinum, Sanctæ Rufinæ cardinalem, episcopum illum impetrarunt.*

IV. Porro mox ut Godefridus Admontensis monasterii regimen capessivit, incredibile est quantum commodi, lucis et gloriæ illico ei Ecclesiæ accesserit. Rem omnem exsequitur biographus S. Gebehardi, cujus verba, ut ut longiuscula, tanto libentius referimus, quanto illius temporibus vicinior atque adeo fide dignior est. Sic autem narrat : *Hic ergo pastoris nomen factis solerter adimplens, gregi sibi commisso diligenter invigilavit intantum, ut divino munere illiusque providentia, nec non et sæpe dicti, piæ memoriæ domini, Chunradi archiepiscopi opera et laboribus, quasi novum denuo initium accipiens locus, tum variis modis, tum principaliter famæ gloria, observantiarum rigore, oblationibus seu donationibus fidelium, nobilissima monachorum atque sororum multitudine, nescio an super omnia Germaniarum monasteria non invaluerit. Denique inter cætera ipsius Patris Gotfridi egregie gestorum monimenta, et magnorum monasterii*

(1) Tom. II Script. Rer. Austr., col. 180 et seq.
(2) Part. I Germ. Sac., p. 93.
(3) T. II Thes. Anecd. Novis. Præf. in p. II.
(4) Germ. Sac. P. I, p. 93.
(5) Tom. VI Antiq. Lect. p. 1243.

proficuorum suo tempore emolumenta, privilegia Romanæ sedis a duobus apostolicis, Innocentio et Lucio, obtinuit, apostolicæ videlicet tuitionis, sed et beatorum pontificum Gebehardi et Thyemonis, et ipsius domini Chunradi traditionum perpetuæ confirmationis. Subdit deinde vetus hic auctor quorum precipue opera, studio et pietate in efficiendo perficiendoque tam egregio ac arduo facinore usus fuerit Godefridus. *Incitabant,* inquit, *et cooperabantur tunc temporis ad studium religionis quidam spiritualis vitæ boni æmulatores, qui fama sua et exemplo plures alios attrahebant. Rabanus prior supradictus, et quatuor illi, quorum supra mentionem fecimus, illiterati* (*conversi* seu *laici*), scilicet *Odalricus de Elsendorf, Odalricus Longus, Maganus et Witilo quidam religiosus, sed et Wernherus secundi prioris et armarii functus officio, qui postea Brulense cœnobium strenue rexit, Perchtoldus, cœnobii Sancti Emmerammi postmodum abbas. Sed et alii plures, qui ob meritorum insignia diversis sunt postea prælati cœnobiis. Tredecim namque abbates illo in tempore de nostro sunt monasterio ad alia cœnobia assumpti. Præter hos et aliæ apud nos religiosæ personæ tunc enituerunt : Odalricus sacerdos et sacrista, Perchtoldus scriba egregius, qui librorum multitudinem non parvam monasterio nostro propria manu descripsit, Lampertus quoque scriptor solertissimus, sed et Gotschalcus, tam sub Gotfrido Patre quam sub trium subsequentium abbatum magisterio præcentor, idemque scriptor egregius ; Salmannus etiam plebani curam administrans. Item tres illiterati, sæculo quondam nobiles : Reginherus videlicet, qui cum conjuge sua æque nobili, et filio Leutoldo, bonæ indolis puero, postea monasterii nostri abbate, ad conversionem veniens, prædia non minima nobis contulit. Arbo de Byberch, Wernhardus de Urle, Isinricus quoque, qui cellarii functus officio, providentia tam sui quam aliorum religiosorum fratrum cooperantium, res monasterii plurimum melioravit. Tunc etiam Heinricus de Nazawe, ministerialis S. Rudberti, cum uxore et quatuor filiis ad conversionem veniens, prædia et beneficia, quæ plurima possederat, monasterio cum manu domini archiepiscopi Chunradi obtulit.* Hactenus Vitæ scriptor S. Gebehardi de schola veluti et gymnasio quodam sanctitatis et doctrinæ, quod præsidente Godefrido Admontii florebat.

V. Cæterum ad tredecim illos abbates, quos ad aliorum monasteriorum administrationem ex Admontio Godefrido abbate assumptos fuisse mox allatus anonymus tradit, quod attinet, præter jam nominatos, etiam sequentes ex veteribus Admontensibus monumentis nobis innotescunt. Reinbertus, Reginbertus, seu Reimbertus, Admontii primum (6) *prior, postea monasterii S. Petri* Salzburgensis *abbas, indeque in episcopum Brixinensem provectus.* Otto, itidem ex Admontensi priore abbas *Mulstadiensis.* Dietmarus, *patruus Ekberti senioris comitis de Putene abbas apud Ozziach,* seu Ossiach, *claruit.* Engilschalcus abbas Benedicto-Buranus in Bavaria. Sunt qui putent hunc Engilschalcum unum eumdemque esse atque Engilschalcum, qui Sigiboldo primo Mellicensi abbati in regimine successit. Verum hos vehementer falli ipsa temporum ratio demonstrat. Equidem Engilschalcum Mellicensis, suum monasterium ab anno 1116 usque ad 1121 rexit, quo Godefridus, cujus tamen beneficio Engilschalcum acceperit *Mellicium*, Admontensis abbatiæ regimen nondum adire potuit. Irimbertus, frater Godefridi, ad abbatiam S. Michaelis Bambergensis evocatus, de quo plures et utrique perhonorificas Eberhardi Bambergensis et Conradi Pataviensis episcoporum epistolas Jac. Gretserus, eruditus soc. Jesu theologus, in Appendice (7) ad divos Bambergenses publicavit. Joannes monasterio Gottwicensi præfectus, de quo ita Chronicon vetus Admontense ad annum 1157 : *Domnus Joannes ex Admuntensi monacho fit abbas Chotwicensis.* Isinricus abbas Biburgensis, cujus in eodem Chronico his verbis fit mentio : Anno 1169, *Domnus Isinricus abbas Biburch eligitur.* Non erat quidem amplius in vivis eo anno Godefridus, merito tamen ac jure Isinricus iis accensetur, qui a Godefrido ad aliorum monasteriorum præfecturas dimissi sunt, ut qui ab ipso diuturna institutione ac ductu ita formatus fuerit, ut eo tandem munere ac loco dignus judicaretur. Addit his nonnemo Hartmannum et Ambrosium, hunc Fuldensem illum Campidonensem abbates. Verum de his Admontio delectis, altum apud veteres juxta ac recentiores scriptores silentium.

VI. Neque vero ea Godefridi merita de solis virorum cœnobiis erant. Sacros etiam parthenones, si quos a veteri sanctiori disciplina descivisse comperiret, emissis ex Admontensi suo Parthenone virginibus et magistris in viam reducere allaborabat. Quo in genere eximia fuit doctissima illa *Regilendis,* seu *Regilla,* de qua hæc Admontense Chronicon ad annum 1156 commemorat (8). *Bargense,* id est Bergense, prope Neoburgum ad Danubium, *monasterium per Admuntenses instituitur sub domna Regilla abbatissa.* Fuit hæc ipsa Regilindis, quæ ex ore Irimberti, divinas Scripturas explanantis, tota pendere ejusque dicta in litteras Latine referre consueverat. Cujus rei perenne monumentum exstat in Commentario Irimberti in lib. Judic., cap. XIX. Nec prætermittendus hic insignis locus ejusdem Irimberti est, ubi (9) de sacris virginum Admontensium studiis ita loquitur : *Ante annos autem aliquot, quia historiam De concubina, quæ in duodecim partes est secta, nec non historiam Ruth sororibus Admuntensibus disserueram, duæ ex ipsis studii sui impenderunt diligentiam ad conservandam interpretationis meæ memoriam. Ideoque huic opu-*

(6) Tom. IV Antiq. Lect., p. 1243.
(7) Pag. 486.
(8) Tom. II Script. Rer. Austr., col. 188.
(9) Prologi Comment. in lib. Jud., tom. IV, Thes. Anecd. Novis.

sculo annectere duxi earumdem historiarum, sicut ab ipsis sororibus digesta est, explanatiunculam. Alibi de vita et moribus sanctimonialium Admontensium, quæ Godefrido abbate florebant, hæc idem Irimbertus ad posteros transmisit : *Toto anni tempore, æstate vel hieme, ad sonum campanæ, ad vigilias matutinas cum fratribus surgunt, ordinemque vigiliarum toto tempore hiemali usque in diem extendunt. Idem jejunium, idem silentium cum fratribus per anni circulum agunt. Nulla earum lineis vestibus utitur, nisi solæ infantulæ, si quæ inter eas nutriuntur. Capitulum suum inter se quotidie habent, magistra vel ejus vicaria præsidente. Et in festis diebus, cum abbas ad eas non poterit venire, sunt inter eas personæ ad verbum exhortationis faciendum dispositæ. Valde quippe sunt litteratæ, et in scientia sacræ Scripturæ mirabiliter exercitatæ. Cum enim post primum introitum nunquam de monasterio egrediantur, nisi vel mortuæ efferantur, vel vivæ forsitan in aliud monasterium transponantur, ubi simili custodia muniuntur; cumque nihil unquam de mundi vanitatibus videant, raro aliquid de sæcularibus audiant, cur non scientiam cœlestium mysteriorum habeant, quæ ab omni communione mundanorum gaudiorum jejunant? Cumque nobilissimorum principum filiæ, et aliæ præclaris ortæ natalibus inter eas consistant, magnæ inter se humilitatis conflictu ad invicem dimicant, quia valde detestabilis haberetur, si qua inter eas alicujus elationis vel jactantiæ nota respergeretur.* Hæc Irimbertus, cujus opusculum integrum De Vita virginum Admontensium in Bibliotheca Ascetica (10) edidimus.

VII. Atque hæc facies parthenonis Admontensis Godefrido abbate fuit, cum in illum Sophia, Belæ Hungarorum regis filia, deserto regio sponso secessit. Id his verbis a biographo S. Gebehardi (11) narratur : *Per idem tempus, anno videlicet 1200, Sophia, Hungarorum regis Belæ filia, a filio Chunradi regis Romanorum desponsata, et regaliter ipsi cum inæstimabili pecunia transmissa, mundo quod suum est diligente, scilicet bona temporalia, et fidem et veritatem negligente, prædicta regina secus quam regiam dignitatem decuit habita, regnum cœleste pro terrestri commutavit. Consilio namque et auxilio comitissæ Ratisponensis Liukardis, Admuntense monasterium expetiit, et cum sacris Dei virginibus humillima conversione et conversatione cœlibem vitam deinceps duxit. Nonnulli etiam principum seu comitum, sed et plures nobilium, filias suas Deo ibidem sub regulari scrvituras institutione offerentes, cœnobium ipsum cunctis pene, ut superius diximus, in Germania sanctimonialium monasteriis celebrius reddiderunt.*

VIII. Ita secundis rebus dum uteretur Godefridus, vehemens derepente se Admontio tempestas infudit, quæ omne monasterium, tanta hactenus industria servatum et auctum, una nocte funditus evertit. Annus volvebatur 1152, cum v Idus Martii, omnes monachorum ædes, antequam luceret, lugubre ac atrox incendium absumpsit. Ejus stragis historiam Irimbertus in supra laudato opusculo in hunc modum describit : *Cum matutinorum solemnitas pervigili intentione et distincta psalmodiæ compositione in choro celebraretur, ego, et frater qui mihi ad scribendum adjutor fuerat deputatus, in capella S. Mariæ matutinalibus expletis laudibus cursum ejusdem Dominæ nostræ usque ad lectionem decantaveramus, cum ecce clamorem servi cujusdam audientes obstupescimus, quia in Admontensi loco nocturno tempore aliquem perturbationis strepitum audire non consuevimus. Ille secundo exclamavit, iteratoque clamore mali alicujus suspectos nos esse fecit. De capella concite eximus, et nihil quidem videntes, strepitum magnum circa domum infirmorum audivimus. Servus enim, qui exclamaverat, domum infirmorum calefaciebat. Sed eo negligentius agente ventus vehemens, utique a regione deserti irruens, eamdem domum exterius invaserat, et flamma jam insuperabiliter mira celeritate vento impellente excreverat. Curro in monasterium. Psalmum : « Quid gloriaris in malitia, » jam in choro psallebant distincta valde melodia. Fero invisa signa, foris jam conflagrare incendia. Excurrunt primi fratres exteriores, quos omnes fere inveni sollicite in orationibus stantes. Sic enim moris eis est psalmodiæ nocturnæ invigilare, ne contingat eos, continue sedentes, somni tepore marcescere. Flamma supra modum excrescens a domo infirmorum capellam Sanctæ Mariæ cœpit acriter laniare, quia pro incendii magnitudine et venti nimietate nullus poterat in periculo subvenire. Luctus omnium oritur, et Matutini fratrum interrumpuntur. Sorores accepto a me signo in secundi Nocturni initio deponunt Matutinos, et in supplicationem litaniæ cum incomparabili lacrymarum effusione se prosternunt. Flamma ex una parte monasterium occupat, ex alia in claustrum se dilatat, cui vix simile in eis montanis partibus inveniri poterat, quia sumptibus beatæ memoriæ domini Chuonradi archiepiscopi ex pretiosissimo marmore constructum fuerat, eisdemque sumptibus pretiosæ columnæ monasterii eminebant. Dominus abbas videns incendium excrescere, omnesque monasterii officinas irrevocabiliter occupare, ad monasterium sororum transit, quia nec illud jam posse evadere pertimescit. Aliquandiu ergo pro foribus Ecclesiæ residens, et flammas vento impellente ultra modum excrescere conspiciens, sororesque in monasterio posse (esse) diffidens, priorem sollicitius inquiri rogat, cui ejusdem monasterii claves commiserat. Sed cum inveniri non posset (quippe cum omnibus de monasterio egressis, et in tenebris noctis, ubi iste esset, ille nesciret), strepitu flammarum*

(10) Tom. VIII.

(11) Tom. VI Antiq. Lect. H. Canis, p. 1245.

et terrore volantium scintillarum abbas permotus, seras monasterii sororum effringi fecit, eisque exeundi licentiam dedit, si periculum incendii declinari non possit. Quem cum domna Agnes, filia comitis Ottonis, fratris episcopi Ratisponensis, lacrymabiliter inquireret quorsum ire deberent, lacrymabiliter et ipse respondit: Quocunque vos miseratio summi Patris duxerit, etc.

IX. Quin tragœdia hæc pectus Godefridi disciderit, nemo facile dubitaverit. Ast longe acrius diversi hominum sensus, ut assolet, et judicia virum sanctum excruciarunt. Nec id omnino dissimulat Irimbertus, qui tragicam suam narrationem hac demum apologia concludit: *Diversi forsitan diversa loquuntur, et cum inscrutabilia esse Dei judicia Apostolus protestetur, ipsi divinorum judiciorum scrutatores esse moliuntur. Proinde negligentiam vel superbiam tantæ desolationis forsitan non verentur asserere causam, et super divinæ castigationis plagam suarum linguarum addunt percussuram. Cæterum si quis spiritualis propositi conscius et amator, ante incendii excidium, illius monasterii statum vidisset, quantus in divino servitio fervor diu noctuque flagraret, quanta inter se invicem continentia et humilitate decertarent, hoc profecto de eis judicium dare non dubitaret, quod adversum se Leviathan suscitassent, et instar beati Job tentatoris manibus non ad condemnationem, sed ad probationem traditi fuissent. Quid alii sentiant, nescio. Ego unum scio, quia qui prius continentiæ operam dabant et humilitati, cincti flagello Dei magis magisque in continentiæ et humilitatis decore sunt compositi, quoniam, juxta Apostoli testimonium, « diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* (Rom. VIII). » Hæc Irimbertus, testis oculatus et auctor gravis. Quantæ vero cunque acerbitatis hæc afflictio fuerit, tam effusa in Godefridum exstitit fautorum munificentia, ut intra unius fere anni spatium universa propemodum res Admontensis restituta fuerit.

X. His primo jure loco accenseas S. Eberhardum, qui cum Godefridi potissimum opera Conrado I, in archiepiscopatu Salzburgensi suffectus fuisset, nunquam deinceps destitit gratum suum erga monasterium Admontense animum demonstrare. Locuples omnium testis est scriptor Vitæ S. Gebehardi, qui postquam obitum Conradi ejusque de Admontensi monasterio merita, sane amplissima, retulisset, hæc de Eberhardo subjungit (12). *Defuncto beatæ recordationis domino Chunrado archiepiscopo, clerus et populus Salzburgensis Ecclesiæ, divina, ut non ambiguum est, inspiratione, et præcipue interventu domini Gotfridi abbatis Admuntensis, unanimi electione et voto, dominum Eberhardum Biburgensem abbatem in archiepiscopum elegerunt, anno Incarnationis Domini 1148 sub Chunrado rege, anno regni ejus decimo. Hic ergo Eberhardus, dilectus Deo et hominibus, ex nobilibus et religiosis parentibus oriundus, prius Canonicus Babinbergensis, postmodum monachus Pruvingensis, indeque in abbatem Biburgensem fuerat assumptus. Quod etiam cœnobium ipse et sui germani, auxilio et cooperatione felicis memoriæ Ottonis Babinbergensis episcopi fundaverant. Divina itaque gratia et virtutum suffragantibus meritis, archiepiscopus ordinatus gregi sibi commisso, non solum verbo eruditionis, sed et exemplo sanctissimæ conversationis studuit præesse... Hic præ cæteris episcopii sui locis et ecclesiis Admuntense cœnobium, prædecessorum suorum more, familiarius diligebat, fovebat et amplificabat. Cui etiam incendio miserabiliter collapso annuatim, quousque repararetur, triginta libras argenti impendebat, et de redditibus suis plusquam sedecim marcarum æstimatione, paterne subveniebat. Possessiones quoque ejusdem monasterii suis donationibus, et præcipue decimarum collationibus, large adauxit, et privilegiis communivit.*

XI. Eberhardo non minus in Admontense monasterium munificentia quam archiepiscopali dignitate anno 1164, successit Conradus II S. Leopoldi Austriæ marchionis filius, *vir sane regio genere, scientia quoque et morum probitate nobilissimus*, ut auctor est biographus S. Gebehardi, qui etiam tradit Conradum *tribulationum pressuris illum circumquaque quatientibus, in Admuntense monasterium sese continue, privatim et familiariter recepisse, ibique a tumultibus sæcularibus quantumcunque respirasse. Cui etiam loco*, inquit, *tam consilio quam omnimodo auxilio in dies succurrere, ac promotioni ejus intendere non desistebat. Ad sustentationem quoque pauperum, quotidie supervenientium, decimas nonnullas Hospitali est largitus.* Silentio prætereo minoris nominis benefactores Godefridum de Wietting, et ejus conjugem Adelam, Fridericum comitem, advocatum Ratisponensem, Bertholdum Comitem de Andechs, Wichardum nobilem de Truna, Guntherum de Hochenwart, aliosque plurimos, quorum traditiones, donationes et beneficia, monasterio Admontensi sub Godefrido abbate facta, videre licet in codice diplomatico Admontensi (13).

XII. Erat prætereа Godefridus apud plerosque sui sæculi viros doctos in maxima doctrinæ ac eruditionis opinione, incredibileque est quantum ponderis ei parti accederet, in quam se ille dedisset. Eum maximi semper fecit eruditissimus ille Babenbergensis episcopus Eberhardus, cujus dogmaticas *De Gloria et honore Filii hominis* epistolas adversus Gerhohum ex codice Admontensi proxime evulgabimus. Ei celeberrimus hic ipse Gerhohus, præpositus Reicherspergensis *Prologum* suum *Galeatum* ut vocat, in psalmorum explanationem, seu libellum adversus duas sui temporis hæreses inscripsit, « *ubi placet, approbandum*, » inquit ipse Gerhohus, *atque ubi rationabiliter displicet, emendandum.* » Eum denique S.

(12) Ant. Lect., pag. 1245.

(13) Tom. III Thes. Anecd. Novis.

Eberhardus archiepiscopus Salzburgensis dignissimum censuit, cujus consilio, æquitate ac prudentia præcipue in gravi illa controversia dirimenda, quæ inter Othonem I, episcopum Frisingensem, et Hartwicum episcopum Ratisbonensem de utriusque episcopatus finibus exorta erat, anno 1137 uteretur. Exstat ejus rei luculentum testimonium in Historia Frisingensi, nuper a clarissimo eruditissimo P. Carolo Meichelbeckio, Benedictino Benedicto-Burano solidissime scripta et publicata, pag. 331, ubi tamen erratum typographicum irrepsit, dum in transactionis tabula pro *Godefrido*, seu *Gotfrido*, Gotehardus reperitur.

XIII. Obitum magni hujus abbatis monumenta Admontensia consignant anno Dominicæ Incarnationis 1165 VII Kal. Julii. Chronicon vetus Admontense, tomo II Scriptorum Rerum Austr. a R. fratre novissime vulgatum: *Anno 1165, felicis memoriæ Gotfridus abbas obiit: pro quo domnus Liutoldus ejus nutritus et professus eligitur.* Excerpta ex duobus Necrologiis Admont. (14) ad VII Kal. Julii: *Golefridus abbas nostræ congregationis, fundator istius cœnobii.* Sed omnium optime Scriptor Vitæ S. Gebehardi apud H. Canisium tom. VI Antiq. Lect. *Hujus* (Conradi II archiepiscopi Salzburgens.) *pontificatus anno secundo, qui ab Incarnatione Domini* 1165, *reverendus abbas Admuntensis Gotfridus, vir magnæ in Ecclesia Christi gloriæ et auctoritatis, ac multorum Pater monasteriorum, post multiplices fructus, quos Domino, et in propria conversatione, et in aliorum copiosa ædificatione fructificaverat, anno regiminis sui* XXVIII, *in bona senectute* VII *Kal. Julii diem clausit extremum, et lacrymosa filiorum et filiarum suarum querimonia, in festo Sanctorum apostolorum Petri et Pauli, debita veneratione corpus ejus terræ est commendatum.*

XIV. Reliquit Godefridus suis posteris illustria, non solum industriæ ac sanctimoniæ, sed etiam ingenii sui monumenta, hos ipsos, videlicet quos præ manibus et oculis habes, tomos duos Homiliarum in dies Dominicos et solemnitates sanctorum, ordine quo in Catholica Ecclesia ejus ævo celebrabantur. Eæ quatuor membraneis majoris formæ voluminibus, coæva ac elegantissima manu exaratis, comprehensæ, cum non nisi doctis quibusdam ac piis viris intra privatos parietes hactenus profuissent, ad me tandem benignissimo nutu reverendissimi, perillustris ac amplissimi D. domini Antonii, genuini dignitate ac opere Godefridi successoris, ac omnium solidorum studiorum prolixissimi fautoris, curaque et opera admodum reverendi, clari et eruditissimi D. Patris Sigismundi Munich, ejusdem celeberrimi asceterii subprioris et bibliothecarii perlatæ sunt. Quas mox ut delibavi, collaudantibus mea consilia etiam aliis doctis viris, illico typis commendare decrevi. Institutum meum insigniter promoverunt plures e sodalibus meis, laborum scilicet patientes et communis commodi studiosi, qui se ad exscribenda illa volumina statim accinxerunt. Nec singulari laude fraudandus hic est admodum R. P. Benedictus Wainer, cœnobita et senior monasterii Seisensteinensis ord. Cist., civis meus, qui Godefridianæ doctrinæ dulcedine ita captus fuit, ut homo sexaginta tres circiter annos jam natus, tremente ac palpitante licet manu, majorem prioris tomi partem prælo aptaverit. Verum non vidit bonus ille senex laboris sui, sane religiosi, fructum, biennio fere adhinc ad superos, ut equidem amanter spero, profectus.

XV. In codicibus Admontensibus homiliæ magnam partem sine ullo ordine perscriptæ sunt, quas nos lectoris commodo ita ordinavimus, ut eæ, quas certis Ecclesiastici anni diebus dictas fuisse ipsa res loqueretur, iisdem exhiberentur, reliquis omnibus in Appendicem rejectis. Diebus Dominicis plures persæpe dantur homiliæ, non in idem semper Evangelium, sed vel in Epistolas, in Missa legi solitas, vel in lectiones, quæ primo loco in nocturno officio recitari consueverunt. In omnibus vero his sibi omnino similis Godefridus est. Allegoriam videlicet vel Tropologiam aut Anagogen nullibi non sectatur, in eam partem se maxime vertens, quam ad emendandos perficiendosque cœnobitarum mores accommodatissimam existimat. Hinc ad obtinendos et excitandos teneriores animi motus, quos *compunctionem et introversionem, spiritusque unctionem* recentiores appellant, omnes fere divinarum Scripturarum figuras et sententias inflectit, forte nonnunquam violentius quam locus ferat. In inculcanda criminum expiatione et confessione perpetuus est, satisque apparet virum sanctum fuisse penitus persuasum, sine limpida ac integra peccatorum confessione nihil sancti, nihil solidi, nihilve consummati a religiosis exspectandum esse. In morum tradenda doctrina eam sibi legem statuit, ut nec nimium rigidus ac severus, nec nimium remissus et connivens esset. *Ubicunque verba Domini,* inquit (15), *in tanta districtione et severitate resonant, ut vix aut nullatenus impleri valeant, ibi pondus verborum ejus justa ratione temperandum est. Ubi vero tanta mansuetudine et dulcedine redundant, ut quique infirmi et desides ex mansuetudine verborum ejus, levitate morum proni fiant ad malum, ibi necesse est, ut aliquo districtionis temperamento condiantur.* De Gratia ac de gratuita prædestinatione ad gloriam passim apud Godefridum reperias sententias, *quas,* postea *laudabiliter docuit, et quas ab ipsis SS. doctoribus Augustino et Thoma se hausisse, et verbo Dei summorumque pontificum et conciliorum decretis, et Patrum dictis consonas esse schola* Thomistica *commendabili studio gloriatur,* ut re ac nomine sanctissimus sapientissimusque pontifex Benedictus XIII in litteris *ad universos*

(14) Tom. III Thes. Anecd. Novis., col. 204.

(15) Hom. in Dom. VI. Pent.

fratres ordinis Prædicatorum professores adversus calumnias doctrinæ SS Augustini et Thomæ intentatas, anno 1724. VI *Novemb*. gravissime scripsit.

XVI. Unum tantum vellem ab homiliis Godefridi abesse, affirmationem scilicet peccati originalis, a quo exempta non fuerit sanctissima Dei Genitrix semperque Virgo Maria. Id quod tanto majus mirum nulli non videri possit, quanto ferventius materni ac virginei honoris studium in omnibus de Maria homiliis Godefridi elucet. Verum qui meminerit piam de immaculata conceptione sanctæ Dei Genitricis sententiam longe post Godefridi ævum ad illud robur invaluisse, ut salvis Romanorum pontificum decretis eam nemini liceat impugnare, simulque cogitaverit quid D. Bernardo Claræ-Vallensi in epistola ad Lugdunenses in hoc ipso argumento licuerit, ad opinionem Godefridi non admodum hærebit. Quod si vir, Deiparæ tantopere devotus, tot doctissimorum hominum, qui nunc piam de immaculata Dei Genitricis conceptione sententiam egregie tuentur, cohortes videre potuisset, sine dubio in alia omnia, quam quæ scripsit, manibus, ut aiunt, pedibusque abiisset! Atque hoc ipsum in causa fuit, cur ad omnia loca, in quibus a pia sententia recessit, notulas in margine adjecerim, lectoresque ad præsentem dissertationem remiserim. Nimirum cupiebam hac ratione omnem offendiculi occasionem præcidere iis præsertim, qui singulas prope syllabas et apices editorum a me opusculorum aucupantur, ut ex iis ecclesiasticis scriptoribus odium, mihique invidiam et calumniam concilient ac struant. Sed quam belle ejusmodi homines de Catholica Ecclesia mereantur, aliis dijudicandum relinquo. Certe si soli nobis in lucem efferendi sint veteres ecclesiastici scriptores, in quibus nullus nævus insit, de universis prope a secundo jam sæculo Patribus actum et conclamatum erit. Ecquis enim ex iis omnibus est, qui rebus adhuc obscuris, et nec Ecclesiæ judicio nec doctorum consensu definitis, non in aliqua subtiliori quæstione humanum quid passus fuerit? Inepti igitur et barbari sunt, quotquot oculos in unum duntaxat vel alterum veteris cujuspiam scriptoris nævum defigunt, neglectisque reliquis omnibus, quæ una affert, egregiis dictis, universim non nisi carceres sempiternos vel rogum inclamant. Cæterum iniquus in me omnino fuerit quisquis crediderit omnia a me pro certis ac sanis haberi apud veteres quos edo scriptores ad quæ nulla ad oram observatio e vestigio ascripta est. Relinquenda in iis multa sunt judicio lectorum, quædam autem vel ad primum conspectum, cujusmodi aut quo loco habenda sint, nulli non nisi vehementer rudi ac indocto patent. Atque ad hæc lectoris animum advertere quid aliud foret quam otio et bonis chartis abuti, insuperque erudito nostro sæculo ignorantiam exprobrare? Ad meam porro fidem quod attinet, ea cum bono Deo nulla alia hucusque fuit nec erit, quam ea ipsa, quam adolescentulus adhuc me semper retenturum juratus promisi, scilicet quam sancta Romana et apostolica Ecclesia tenet, quamque sancta Tridentina synodus Christi fidelibus exposuit. Ab hac fide quidquid discrepat, seu id apud veteres seu apud recentiores exstet ex animo detestor; quidquid vero cum illa congruit, sive ab antiquis sive a novis scriptoribus traditum sit, tota mente complector. Sed de his satis. Ad alia nunc enarranda Godefridi nostri opuscula accedo

XVII. Præter publicatas hic homilias edidit Godefridus etiam *opusculum De benedictionibus Jacob Patriarchæ*, quibus in extremis constitutus futuram filiorum sortem descripsit. Exstat illud in Appendice, ex iisdem codicibus depromptum, ex quibus homiliæ exscriptæ sunt, videturque auctor id pro concione ad discipulos suos dixisse. Ejusdem certissime Godefridi est *liber De* X *oneribus in quædam capita Isaiæ*, ex meris homiliis conflatus, quem in Thesauro Anecdotorum (16) sub nomine Irimberti exhibui. Errandi occasionem ibidem in Dissert. Isagogica, pag. XVI, videre potes. Sed quia nunc mihi exploratissimum est, etiam omnes illas homilias, quibus hic liber in codice Admontensi permistus est, non ad Irimbertum, sed ad Godefridum pertinere, opusculum hoc genuino suo auctori, licet ejus nomen haud præferat, restituendum est. In quodam codice Tegernseensi reperimus etiam *epistolam* Godefridi ad O. quondam monachum suum, quem rogat, ut sibi *Josephi opus, excidium Jerosolymorum, et celebratum Romæ Vespasiani et Titi triumphum* aliosque melioris notæ libros exscribendos mittat. Hanc in tomo V, vel VI, Thesauri evulgabimus. Etsi enim non desint, qui veteres hujusmodi lacinias, stylo præsertim duriori pertextas, luce indignas existiment, nobis tamen pro amplificanda magnorum in Ecclesia Catholica virorum gloria et memoria laborantibus longe aliud videtur. Finio dissertatiunculam, eamque verbis eruditi et in hoc studiorum genere versatissimi Jacobi Gretseri concludo (17). *Tu, mi lector, non ad verba, sed ad rem attende. Verba vilia sunt, sed quæ sub verbis latent, grandia. Putamen esui non est, sed dulcis nucleus. Hæretici, nominatim Illyricus in Catalogo, et qui posteris annis catalogum Illyrici duplo, si non triplo aut quadruplo duxerunt, quidquid rhythmorum et versiculorum in quibuscunque angulis contra Catholicos et papam reperiunt, id studiosissime in publicum extrudunt, eoque ipso sunt satis elegantes et concinni rhythmi, quod papam, clericos, monachos, moniales ritusque Ecclesiæ perstringunt, vellicant et lacerant. Cur nos simili diligentia non promeremus in lucem, quæ olim pro gloria sanctorum a melioribus quam eloquentioribus hominibus exarata sunt?*

(16) Tom. II, p. I.

(17) Observ. in Div. Eystet. lib. II, p. 316.

VEN. GODEFRIDI

ABBATIS ADMONTENSIS

HOMILIÆ DOMINICALES.

1 HOMILIA I.

IN DOMINICAM I ADVENTUS PRIMA.

Cum appropinquaret Dominus Jerosolymis, et venisset Bethphage ad montem Oliveti (*Matth.* XXI).

De lectione evangelica, quæ in prima Dominica Adventus Domini legitur, in qua Dominus in asina Jerosolymam venisse, et a turbis populorum cum ramis palmarum susceptus fuisse perhibetur, plurimi mirantur, et mirari possunt, cur modo legatur, cum secundum litteram præsenti tempori hæc lectio nullatenus convenire videatur. Verum quia verba Domini, quod sunt verba Evangelii, sicut ipse ait, *spiritus et vita sunt* (*Joan.* VI, 63), secundum legis præceptum, *subtracta pelle hostiæ artus in frustra concidamus* (*Lev.* I, 7), id est seposita littera sensum spiritalem in verbis sacris requiramus, B et forte inveniemus, quod quotidiano ad fideles suos adventui Domini non incongrue aptare valeamus. Ut enim breviter lectionis evangelicæ summam tangamus, in asina fidelis cujusque anima designatur, quæ in morte cujusque Domino adducitur, et ab ipso, in ea sedente, in cœlestem Jerusalem, id est in æternam requiem introducitur, ubi a sanctorum angelorum multitudine obviam veniente, cum gaudiis et canticis quasi cum palmis solemniter excipitur. Quod ut manifestius in lectione evangelica cognoscere valeamus, textum ejusdem attentius relegamus, et pro posse nostro, adjuvante gratia Dei, diligentius discutiamus.

2 *Cum appropinquaret Dominus Jerosolymis, et venisset Bethphage ad montem Oliveti.* Desideratissimum hoc tempus Dominici Adventus, ad quod omnes sancti ab initio suspirabant, ea de causa annue celebratur, tum ut memoriæ Dominicæ Nativitatis de cordibus hominum non deleatur, tum ut ad memoriam terribilis ejus adventus, qui quotidie nobis appropinquat, revocetur, quando, jubente Domino, beati quilibet de hac convalle lacrymarum perducuntur ad patriam, et in regionem claritatis sempiternæ. Quanto enim sollicitius iste ejus adventus, qui factus est ad homines, honoratur et observatur, tanto iste adventus tolerabilior erit, quia quanto beatior in extremis suis beata quælibet inventa fuerit anima, tanto majoris gloriæ percipiet cumulum, sicuti, quantum mihi videtur, tota præsentis hujus Evangelii lectio prosequitur, quæ idcirco in isto Do- A mini adventu legitur, quia quotidianum mortis adventum, qui omnibus nobis imminet, enuntiare videtur.

Per *Jerusalem*, quæ interpretatur *visio pacis*, beata quælibet congregatio justorum accipitur, quæ ideo *Jerusalem* nomine censetur, quia, licet peregrinetur in terris, habet tamen in se *visionem pacis*, dum illuc suspenditur desideriis, ubi est *visio sempiternæ pacis*. Huic *Jerusalem Dominus appropinquat*, cum per ægritudinis molestiam alicui in ea mortem esse vicinam denuntiat. *Venit Bethphage*, quod dicitur *domus maxillæ*, 3 dum adveniente morte salvandus quisque peccata sua aperit in confessione. *Ad montem Oliveti*. Per oleum, quod cunctis supernatat liquoribus, misericordia Dei designatur, B quæ superexcellit universa opera ejus. *Ad hunc montem Oliveti*, ad hunc montem misericordiæ in hora mortis recurrit homo omnis, ut cœlestis medicus oleum misericordiæ suis infundat vulneribus, misericordiam superexaltet judicio, quia de proprio merito parum se aut nihil habere dijudicat, quo salvari et redimi queat. Sequitur :

Tunc misit duos discipulos dicens eis : Ite in castellum quod contra vos est. Duo discipuli sunt, ut æstimo, infirmitas corporis, et dolor mortis. His bene et congrue dicitur : *Ite in castellum quod contra vos est*, quia ex natura carnis *contraria* est homini infirmitas corporis, et dolor mortis. Unde Dominus ad Petrum : *Cum senueris, extendes manus* C *tuas, et alius te cinget, et ducet quo non vis* (*Joan.* XXI, 18). Venientibus his discipulis *asina alligata* invenitur, et *pullus cum ea*. *Asina alligata* caro est, ut æstimo, depressa infirmitate, *pullus cum ea* est spiritus hominis constitutus in anxietate. *Solvite*, inquit Dominus, *et adducite mihi*. Ac si dicat : Solvatur et separetur jussu meo anima a corpore, et soluta corpore adducatur *mihi* ; aliena manus non contingat eam, sed adducatur *mihi* plasmatori et remuneratori suo.

Et si quis aliquid dixerit vobis, dicite : Quia Dominus his opus habet. Contradictores isti sunt, ut æstimo, spiritus maligni, qui in hora mortis multis et diversis se ingerunt contradictionibus ; falsis quoque criminationibus hoc efficere, si possent, elaborant, ne ad præmium homo perveniat. Vult ex cœli per nuntios suos, sanctos videlicet angelos.

animam justi duci ad se tanquam cognitam, tanquam domesticam suam. Vult e diverso diabolus cum suis hanc ad inferos et mortem præcipitare perpetuam.

Sed inter hæc dum a malignis spiritibus hæc et illa objiciuntur: *Dicite*, inquit, *quia Dominus his opus habet*. Ac si dicatur: Ille, qui absolute est *Dominus* omnium, hujus animæ et corporis *Dominus* esse voluit, ideoque *opus* **4** *habet*, ut quibus *Dominus* esse voluit in labore et servitio eorum, sit *Dominus* in quiete et præmio. *Et confestim dimittet eos*. *Confestim dimittitur*, quia de quocunque ista veraciter dici possunt, antiquo hosti, ne prævaleat adversus eum, in hora mortis potestas tollitur. Sequitur:

Hoc totum factum est, ut impleretur quod dictum est per prophetam dicentem: Dicite filiæ Sion: Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super pullum asinæ filium subjugalis. Quid est *hoc totum* quod *factum est?* Certe cum beata quælibet anima ad remuneratoris sui pervenerit præsentiam, ibi *totum factum est*, quia ibi *totum* impletum est, *quod* per ora *prophetarum*, id est doctorum et prædicatorum, de Christo in præsenti vita *dictum est* ei aut promissum. Ibi *filiæ Sion*, speculatrici illi animæ, quæ ad speculandum Deum anhelabat, in veritate dicetur: *Ecce rex tuus venit tibi mansuetus.* Nam etsi nunc ad corda suorum *mansuetus veniat*, quasi raptim venit et recedit. Cum vero resolutio corporis et animæ facta fuerit, tunc pleniter cum mansuetudine et dulcedine totus *veniet*, veniens non recedet, sed sedet sibi super asinam et pullum, quia spiritum in resolutione, corpus in resurrectione possidebit, et adimplebit.

Euntes autem discipuli fecerunt, sicut præceperat illis Jesus. Eunt discipuli, cum diutina infirmitas corporis dolorem adducit mortis. *Vestimenta discipulorum* super et asinam pullum imponuntur, cum diversis passionibus caro conteritur et affligitur. *Vestimentum* enim unius discipuli est, ut mihi videtur, dolor corporis; *vestimentum* alterius discipuli est ipsa dissolutio et timor mortis, quæ hominem ducunt ad Jesum. *Super* quæ *vestimenta*, discipuli *Dominum faciunt sedere*, quia dum per labores dolorum exterius, per timorem mortis interius duplicia pro omnibus peccatis suis de manu Domini receperit, per hanc diutinam purgationem et emundationem Dominum habere meretur sessorem, cujus claritatis consortium facie ad faciem possidebit in perpetuum. Sed in hora exitus beatæ animæ, quanto studio et sollicitudine fidelium in terris procuretur, quali tripudio **5** et gloria in cœlestibus suscipiatur, quantum mihi videtur, innuitur, cum subjungitur.

Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via, alii cædebant ramos de arboribus, et sternebant in via. Plurima turba est, ut puto, conventus spiritalium hominum, qui ideo *turba* dicuntur *plurima*, propter diversa et plura quæ inter eos sunt diversorum merita. Hujus turbæ *vestimenta* omnia

A existimo esse officia et commemorationes, quæ in exsequiis mortuorum per eos aguntur, scilicet missarum solemnia, oblatio sancta ad altare, vigiliæ, eleemosynæ, psalmorum continuatio, flagella, aliaque, quæ pro requie defuncti Deo Patri exhibentur et immolantur. Hæc vestimenta *in via sternuntur*, dum in hora mortis cujuslibet beatæ animæ fraterna ei dilectione occurritur precibus, et lacrymis succurritur. *Via*, inquam, illa, qua de corpore proficiscitur, *vestimentis sternitur*, dum angelorum, archangelorum omniumque sanctorum Dei ad subveniendum ei pietas imploratur, ut exclusis adversariis libera transeat in viam pacis. Itaque dum plurima turba, infirmior scilicet pars corporis Christi quæ adhuc in terris peregrinatur, sic et, sic fecerit,
B id est, dum homo hominem, cinis cinerem Domino Deo commendaverit, quid in supernis agatur, innuitur, ut arbitror, in eo quod ait evangelista: *Alii autem cædebant ramos de arboribus, et sternebant in via.* Alii isti firmiores et fortiores qui *cædunt ramos de arboribus*, sunt, ut puto, sancti angeli, qui speciali quadam exsultatione tripudiant et congratulantur in conventibus suis de beatarum assumptione animarum. In adventu enim sanctæ cujuslibet ac Deo dilectæ animæ totus cœlestis militiæ exercitus in obviam ruit, suscipiunt eam cum gaudio, omnia quæ gloriose hic gessit, gloriose et magnifice enumerant et enarrant Domino. Ibi *cædunt ramos de arboribus, et sternunt in via.*

C Libet intueri qui sunt *arborum rami*, quæ *via* per quam sternuntur. Quantum mihi videtur, possumus per *ramos*, Dei et hominis, Jesu Christi utramque naturam, divinam videlicet et humanam intelligere; per *arbores* de quibus rami isti prodeunt, Deum Patrem **6** et incorruptam ejusdem unigeniti Filii Dei Matrem, per *viam* illum, qui de se ipso dicit: *Ego sum via* (*Joan.* XIV, 6). Et non incongrue per *ramos* divina et humana natura potest accipi, quia sicut ramus salva et integra arbore exit, sic Deus Pater ante omnia sæcula, salva Deitate ramum, id est coæternum et consubstantialem sibi Filium genuit, et quem sic æternaliter ex se edidit, in fine sæculorum de arbore florida et fructifera, perpetua virgine Maria, salvo pudoris signaculo, nasci voluit.
D Qui enim sine matre Unigenitus erat Dei Patris in cœlis, sine patre primogenitus fieri dignatus est Virginis matris in terris. Hanc divinam et humanam naturam *cædunt*, id est discernunt sancti angeli, *de arboribus*, quia laudant Filium Dei pro sui confirmatione, laudant filium Virginis pro animarum liberatione, eosdemque ramos *in via sternunt*, dum totum divinæ et humanæ naturæ ascribunt. Sequitur:

Turbæ autem, quæ præcedebant et quæ sequebantur, clamabant dicentes: Benedictus, qui venit in nomine Domini. Turbæ quæ præcedunt, legiones sunt, ut arbitror angelorum, et sanctorum, in exitu sanctæ animæ advenientium, cum magno apparatu eam suscipientium. *Turbæ quæ sequuntur* multitudo est fidelium in terris concurrentium. Hæ omnes *cla-*

mant unanimiter dicentes : *Hosanna filio David.* Isti deorsum clamant *Hosanna*, id est Salvifica, o Domine, hanc animam, tu qui propter nimiam hominum dilectionem *filius David* fieri dignatus es. Illi in supernis advenienti concinunt et occurrunt dicentes : *Benedictus, qui venit in nomine Domini.* Vel ideo dant laudem filio David, quia dulciter recolunt, quomodo pœnitentem eum susceperit, et sicut quondam David, sic quoque beatæ illi animæ pro admissis veniam dare non despexerit. Dant jucundam benedictionis laudem dicentes : *Benedictus, qui venit in nomine Domini*, id est benedictus sit ille solus, *qui venit in nomine Domini*, quia ejus benedictione et gratia fiunt et facta sunt in te hæc omnia, cujus honor et imperium manet per infinita sæcula sæculorum.

Hæc est sacrosanctæ evangelicæ lectionis series, quam adjuvante Spiritus 7 sancti gratia, quantum potuimus, exponendo transcurrimus; quæ idcirco singulis annis in Adventu Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi legitur, ut per hoc admoniti et expergefacti, hunc, de quo jam diximus, adventum Domini ad animam, in quo evocata ex hujus vitæ ergastulo occurrere habet Salvatori suo, semper præ oculis habeamus, quales tunc inveniamur, sollicite nunc provideamus. Ad hoc etenim admonet nos apostolus Paulus in Lectione hodierna qua dicit : *Abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis, sicut in die honeste ambulemus, non in commessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis, non in contentione et æmulatione* (*Rom.* XIII, 12). Debemus 8 itaque per abstinentiam carnem macerare, debemus castitate corporis ac mentis Deo appropinquare, debemus in dilectione Dei et proximi fervere. Si enim hoc modo abjectis operibus tenebrarum et induti arma lucis, in hoc, quem annuo tempore recolimus, adventu Domini animas nostras castigaverimus; in illo ultimo ejus adventu, quando e corpore evocabimur, læti ei et expediti occurremus, atque in illa æternæ beatitudinis gloria, quæ est sine defectu et miseria, recepti, æternaliter cum ipso regnabimus. Quod ipse præstare dignetur, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA II.

IN EAMDEM DOMINICAM SECUNDA.

Cum appropinquaret Jesus Jerosolymis, et venisset Bethphage ad montem Oliveti, tunc misit duos discipulos, dicens eis : Ite in castellum quod contra vos est, et statim invenietis asinam alligatam, et pullum cum ea (*Matth.* XXI).

Tota hujus evangelicæ lectionis series plena dulcedinis, profunda mysteriis mirum in modum, non parva spiritalis vitæ et doctrinæ existit materies, in qua non solum præsentialis et visibilis Domini adventus animadvertitur, quo semel tunc Jerosolymis advenisse legitur, sed potius invisibilis ille et mirificus, quo quotidie nunc mundis corde familiarius, A nunc sordidis et immundis, ut mundiores efficiat, aptius et dulcius. Quidquid enim foris sonuerit, totum propinquare dignatur frequenintra nos actitari sentimus, si vivificantem in littera spiritum sequi velimus.

Cum appropinquaret Jesus Jerosolymis. Jerusalem, quæ *visio pacis* dicitur, non illam temporalem, sed quæ sursum est, liberam, nostram designat matrem, quæ sedes est et fundamentum perpetuitatis, ubi ipse, *qui fecit utraque unum* (*Ephes.* II, 14), hæredibus suis visionem mansuræ præparavit pacis. Cui nimirum *Jerusalem*, visioni scilicet pacis, anima recte comparatur intellectualis, quæ in regione dissimilitudinis æmulatur pro modulo suo astantes vultui Conditoris, gemens et suspirans his conformari bene vivendo, quibus adhuc interesse non B valet Regem in decore suo videndo.

Non prius autem, sed ex tunc *Jerusalem* dici et esse incipiet, *cum Dominus* noster Jesus Christus, salutaris, inquam, noster, occulta inspiratione huic dignatur *appropinquare*, quam secreto sui consilio ad vitam complacuit æternam prædestinare, ut, quæ aliquando abjectarum erat abjectissima, fiat dilectarum dilectissima, quæ prius aversatrix, sit morum et disciplinæ cœlestis laudabilis imitatrix. Adunata quippe digne Deo famulantium conventui, abnegat se ipsam tollens crucem Christi, conversationisque ejus vestigia sequi concupiscit, et quo actionum itinere pergendum sit, studiosius addiscit. Ad quæ digne perficienda loca hic nominatim C expressa spiritaliter sunt expetenda. Unde consequenter Evangelista inquit :

9 *Et venisset Bethphage ad montem Oliveti.* Bethphage *domus maxillæ* interpretatur, quæ domus erat sacerdotum, ubi continuo vocem Domino persolvebant laudis et confessionis. Beata etenim et fidelis anima, quæ relictis omnibus illum, cujus viæ pulchræ sunt, sequi proposuerit, primo *Bethphage* veniat, *domum maxillæ* adeat, et quod pio corde concepit, pio ore adaperiat, mordentem adhuc conscientiam et præteritæ arguentem vanitatis et prævaricationis salubriter in vocem humilis et puræ emittat confessionis. Quæ mox pœnitentiæ *lacrymis* rigata de spe indulgentiæ, et salutis ultra non diffidens, *ad montem* D *Oliveti*, ad montem uberem et pinguem, ad Filium olei recurrat, ad largam benedictionem Dei suspensa, de oleo misericordiæ et miserationis aliquantulum sibi dari flagitare jam præsumat. Quid namque per oleum, quod omnibus supernatat liquoribus, nisi miserationes Domini designantur, quæ sunt super omnia opera ejus? (*Psal.* CXLIV, 9.)

Sed notandum quia sicut est misericordia Dei magna, suavis, nunquam sufficiens, sic est et misericordia Dei modica, temporalis et deficiens. Cum enim Dominus temporalis vitæ dignanter administrat subsidia, modica quidem hæc dicitur misericordia, quamvis sit necessaria. De qua misericordia per prophetam dicitur : *Mise-*

ricordia vestra quasi nubes matutina, et quasi ros mane pertransiens (*Ose.* VI, 5). Transeunt enim omnia hæc quasi nubes matutina, transeunt, nec subsistunt, et ideo minus fortasse quærenda sunt. Magna autem Dei misericordia est mons, inquam, magnus et excelsus, cum indignis et peccatoribus misereri non obliviscitur Deus, sed reficit oleo misericordiæ, ungit unctione gratiæ, impinguat et saginat; et quanto eo tribuente oleum istud plus esuritur, tanto ad querendum mens amplius accenditur. Cujus olei pinguedinem, cujus misericordiæ magnitudinem David sibi tribui exorat dicens: *Miserere*, inquit, *mei*, *Deus*, *secundum magnam misericordiam tuam* (*Psal.* L, 1) Quo vero ordine hæc initiari, quo studio perfici debeant, consequentia mox insinuant:

Tunc misit duos discipulos, dicens eis: Ite in castellum quod contra vos est Quinam sunt hi *duo discipuli*, nisi fideles quidam animæ internuntii, timor **10** scilicet et amor? Timor, dum dolore peccata judiciique terrore salvandus quisque compungitur; amor, dum solo dulci affectu totus ille desiderabilis ambitur et quæritur. Timor quippe initialis est adducens pœnitentiam: amor vero est, qui foras misso timore exquisitas Deo animas in virtutum corroborat perfectione. Hinc est quod in septem Spiritus sancti donis primus ponitur gradus timoris, quo tristis recordatio delictorum animum perturbat et excruciat peccatoris; ultimus vero gradus sapientiæ, qui est amoris, quo jam fervidus amator per singulos virtutum gradus exercitatus, solummodo vacare habet ad intuenda beneficia Conditoris. Hi vero *discipuli*, duo videlicet motus animi quo mitti debeant, quidve utilitatis missi conferant, mittens ipse Dominus innuit dicens eis:

Ite in castellum quod contra vos est, et statim invenietis asinam alligatam, et pullum cum ea. Dum omnipotens Deus opere mirifico cuncta crearet ex nihilo, tandem ex terræ limo tantæ dignitatis et felicitatis hominem creavit in paradiso, ut, si magis beate vivere quam peccare elegisset, dignum Conditoris sui habitaculum sine fine esse debuisset, quemadmodum nos futuros quandoque credimus, cum totos nos possederit ille, qui erit omnia in omnibus. At nunc peccatis obnoxii, Adæ vetusti criminibus involuti, jam non sumus ad quod feliciter conditi fuimus; et dum ad nos intra nos redimus, multa nos contraria, multa prorsus abjecta et indigna contra timorem et amorem Dei egisse cernimus, *asinam* nostram *alligatam et pullum cum ea* invenimus. Quid namque per *asinam*, nisi infatuatam et stultam accipimus animam? Quæ bene *asinæ* similis dicitur, quia, dum solius Dei notitiam habere contempsit, animali vitæ inserviens stulta manet et insensibilis. Cujus decoris gloriam commutatam in ignominiam David inspiciens, ita testatur dicens: *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis*

A *insipientibus, et similis factus est illis* (*Psal.* XLVIII, 13)

Sed et notandum quod eadem *asina* nostra nequaquam libera est aut expedita, sed duris vinculorum nexibus *alligata* et irretita. Quibus, rogo, vinculis, quibusve funiculis? Utique scelerum et criminum, quæ longum valde et perplexum **11** faciunt funiculum. His peccatorum se constrictum funibus David gemebundis testatur vocibus: *Funes*, inquit, *peccatorum circumplexi sunt me* (*Psal.* CXVIII, 61).

Et pullum cum ea. Per *pullum* spiritus intelligi valet rationalis, qui dum terrena magis quam spiritalia appetere concupiscit, impressam quodammodo similitudinem imaginis Dei amittit. Sed

B inter has cæcitatis tenebras, inter has vitæ miserias nunquid in finem repellet Dominus? Sane quia adjutor est in opportunitatibus, in tribulatione, nequaquam despicit quos condidit, sed solvi et adduci sibi ut pius et misericors præcipit.

Solvite, inquit, *et adducite mihi.* Ac si patenter Veritas dicat: Vos, qui aliquando morte captivi duris delictorum catenis vincti fuistis, timoris mei constricti memoria, ad percipiendam spem indulgentiæ condigna vos *solvite* pœnitentia. *Adducite* vero vosmet per amorem, ut jam non timidi sitis pro evadendis gehennæ tormentis, sed inæstimabili dulcedine mea satiati sollicite laborare non pigeat pro acquirendis æternis. Quid est autem, quod *solvi et adduci* jubeat *sibi*, *solvite*,

C inquiens, *et adducite mihi*, nisi quod illi qui operatur omnia in omnibus, ipsi qui solvit compeditos et erigit elisos, gratiarum actio est impendenda, nullis nostris meritis, si qua fuerint merita, nobis sunt a nobis imputanda soli auctori et largitori debita laus et gloria reddenda, juxta quod Psalmista ait: *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam?* Sed antequam hæc in nobis adimpleantur, quantæ tentationes, quantæve adversitates oriantur, aperte in consequentibus declaratur. Sequitur:

Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite: Quia Dominus his opus habet. Quicunque sæculo huic aliquando renuntiare decreverunt, norunt melius

D quam sermo proferat ullus, quantas tentationes, quantasve contradictiones suggestione malignorum spirituum, vel pravorum hominum sustinuerint, quoties bonum velle immutaverint, quoties bonæ actionis iter arripere, quoties timidi et vecordes subterfugere disposuerint. Hinc David, ne subdola sæcularium lingua bonæ voluntatis et actionis aversatrix **12** fieret aliquando maligna, Dominum exorat dicens: *Domine, libera animam meam a labiis iniquis, et a lingua dolosa* (*Psal.* CXIX, 2). Sed inter has duntaxat contradictiones, dum quisque ad sanctæ conversationis habitum pervenerit, nunquid jam in tuto positus tentationum jacula evadere poterit? Minime, sed patitur et sustinet innumera tentatoris prælia, audit multimoda contradictionum

verba, quæ tumultuosa cogitationum ingerit turba. Unde Salomon cautum quemlibet et sollicitum reddere cupiens ita admonet dicens: *Fili mi, accedens ad servitutem Dei, sta in timore, et præpara animam tuam ad tentationem* (*Eccli.* II, 1). Nempe si intente consideremus, bifaria tentatione impugnamur, quæ aut adversitatis emergit dejectione, aut prosperitatis oboritur elatione. Has consuetudinarias tentationum species Salomon exprimit, cum dicit: *Aversio parvulorum interficiet eos, et prosperitas stultorum perdet eos* (*Prov.* I, 32). Cum enim minus quis perfectus in Domino tenuissimis injuriarum motibus affligitur, ea parte ad deteriora labitur; cum vero prospera succedunt suis hæc tribuens meritis supra cæteros extollitur. Quo vero pacto, quibusve modis his tentationum molestiis obviare valeamus, ipsam Dei Patris Sapientiam, pauca de multis differentem, audiamus. Dicit enim:

Et si quis aliquid vobis dixerit, dicite: Quia Dominus his opus habet. Hic sapiens noster Christus, cujus sapientiæ non est numerus, verbis innotuit paucis. Cujus sicut laus est secundum nomen ejus, sic sermo et doctrina illius plena sunt veritatis et laudis. *Verbum* enim, ut Isaias ait, *abbreviatum facit Dominus in terra* (*Isa.* X, 23; *Rom.*, IX, 28), breve quidem numero verborum, sed in se continens pondus vitæ et salutis. Quid est ergo dicere: *Dominus his opus habet*, nisi quod justi, quibus omnia cooperantur in bonum, non solum gaudere, sed et gratias agere inter adversitatum persecutiones consueverunt, et dignos se conteri flagellis Domini asserunt dicentes: *His Dominus opus habet? Dominus*, inquiunt, qui operatur salutem in medio terræ, qui novit omnia, antequam fiant, *opus habet* adversitatum nos molestiis conterere, quorum mens inquieta et actio incomposita nil nisi opera carnis noverat agere. *Opus habet*, ut in conspectu hominum ad nihilum redigamur, **13** quasi despecti et conculcati, qui nos aliquid esse, cum nihil essemus, æstimabamus inflati. Hæc si inter adversa, quid putamus inter prospera et tranquilla mens dicet humilis et benigna? *Opus*, inquit, *Domini* est; si quid bonæ actionis, si quid scientiæ habeo, totum illi ascribo, totum illi debeo a quo totum est quod habeo. Cum ergo inter prospera et adversa inviolabilem et inconvulsam animi constantiam et æqualitatem, Deo propitio, tenere experimus, *confestim* dimissi liberi et soluti auctorem vitæ adire poterimus. *Et confestim dimittet eos. Confestim* enim *dimittimur*, si humiliamur in prosperis. *Confestim* enim *dimittimur*, si sic humilitate erigamur, ne quando deficiamus in adversis. Sequitur:

Hoc totum factum est, ut impleretur quod dictum est per prophetam dicentem: Dicite filiæ Sion. Hoc totum factum est; totum, inquam, quod audivimus, certa experientia, quam verum sit novimus, impletumque fidelis prædicantium prophetia, qui *filiæ Sion* parati sunt annuntiare desuper venientis Regis gloriam. Quid ergo prophetant filiæ Sion constitutæ in æternitatis speculatione? *Ecce*, inquiunt, *Rex tuus venit tibi mansuetus*. *Ecce*, sine mora *Rex tuus veniet tibi mansuetus*, veniet non iniquus, Rex regum veniet, inquam, tanta mansuetudine et dulcedine, ut liceat tibi contemplando introire in gaudium Domini tui, et dulcia secreta illius rimari. Non veniet vacuus, cujus plenitudine te optas infundi, et talis dabitur occasio præsumendi, ut etiam, quantum fas est, adhuc in carne posita mortali, quæ sit notitia vitæ æternæ, possis perscrutari. Cujus agnitionis et dilectionis beatitudinem manifestat Dominus loquens ad Patrem: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* XVII, 3). Quomodo ergo veniet tibi? *Sedens super asinam, et pullum filium subjugalis*. Libenter quippe inhabitat, si sedem et mansionem dignam præsentiæ majestatis suæ inveniat: quam non ad horam vel interdum visitare (*non enim est, qui se abscondat a calore ejus* [*Psal.* XVIII, 7), sed familiari et continua mansione dignatur inhabitare, sicut quodam loco ait: *Veniemus et mansionem apud* **14** *eum faciemus* (*Joan.* XIV, 23). Super *asinam* ergo *et pullum Dominus sedet*, cum spiritum et animam nostram inhabitando possidet, abolitamque pridem in se similitudinem imaginis Dei recipiunt, et carne mentis domino subjugata, sine ulla perturbatione hæc invicem ad exercendum boni operis robur sese erigunt. Unde bene subjungitur:

Euntes autem discipuli fecerunt, sicut præceperat illis Jesus, et adduxerunt asinam et pullum, et imposuerunt vestimenta sua super eos, et eum desuper sedere fecerunt. Quid namque per *discipulos* nisi timorem et amorem, ut prædiximus, accipere possumus? Electi etenim quilibet post agnita bonitatis Dei magnalia nequaquam torpori succumbunt, vel negligentiæ, sed timoris et amoris Dei gratia adjuti indefessis virtutum gradibus satagunt proficere. *Adducunt* etiam *asinam et pullum*, imponentes nihilominus *vestimenta sua*, cum optimis induti et ornati moribus sedem Christo suis præparant in cordibus. Anima etenim justi, ut scriptum est, sedes est Sapientiæ. Et ideo quam nudam et non vestitam virtutum procinctu invenerit, nequaquam formosus et decorus in deliciis insidere poterit.

Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via, alii autem cædebant ramos de arboribus, et sternebant in via. Videamus cur dicatur non tantum *turba*, sed *plurima turba* stravisse vestimenta sua in via. Videamus, quæ præcedens sit, quæ subsequens; qui prior agat, quid subsequens clamans innotescat. *Plurima* ergo *turba* est, dum timore vehementi nonnunquam corda electorum nimia perturbatione præteritorum affliguntur memoria peccatorum, et dum ad se semper redeunt, pro levi etiam excessu graviter semetipsos affligunt, et dum commoti et perturbati mente didicerint quomodo aliquando vitisse

debuerint, dolent se vel ad momentum boni alicujus A præterisse incrementum. Hæc profecto *plurima* cogitationum *turba vestimenta sua prosternit in via*: quia nimirum inclinata et humiliata vestem sanctificationis et pietatis accipit, qua induta et ornata viam Domino ad cor suum dirigit. Sed quia plerumque inter turbidos cogitationum **15** motus præveniente amoris gratia alii nonnunquam succedunt cogitatus, recte subjungitur:

Alii autem cædebant ramos de arboribus, et sternebant in via. Ramos quippe de arboribus cædunt, dum intra domum mentis colligunt, quidquid in exemplis sanctorum præcedentium, quidquid in moribus laudabiliter adhuc in carne viventium imitabile conspiciunt. Arbores etenim qui sunt, nisi quælibet dignæ Deo animæ eminentes et præstantes in B virtutum culmine? Nonne arbor gemina ubertate, castitatis et humilitatis, florida et fructifera perpetua virgo dignoscitur Maria? Nonne arbor humilitatis fastigio præeminens Baptista Joannes, cunctique fuerunt beatitudinis jam ejus participes? De quibus dum ita sanctitatis ramos excerpere laborant, ut et ipsi per omnia humiliari et castimoniam, sine qua Deum nemo videbit, obtinere studeant, jucundos arborum fructus cædunt, quibus auctori vitæ inambulanti in illis et inhabitanti viam delectabilem faciunt.

Turbæ autem, quæ præcedebant et quæ sequebantur, clamabant dicentes: Hosanna filio David. Benedictus, qui venit in nomine Domini. Turbæ quæ præcedunt et sequuntur, ut sæpenumero dictum est, C cogitationes sunt, quæ de gemino timoris et amoris fomite nascuntur. Quæ sicut varia intra se distant qualitate, sic vario **16** Regi Sabaoth clamore videntur obviare. Quem enim peccatricis conscientiæ memoria remordet, quem ultricis flammæ pœna deterret, voce, imo devotione magna filio David clamat *Hosanna.* Nam peccati vulnere sauciatus, interno languore pressus et humiliatus, pro acquirendo munere veniæ et salutis, ejus, cujus natura bonitas est, clamore valido obnixe implorat gratiam Salvatoris, ut qui per viscera pietatis suæ delinquentem, imo pœnitentem aliquando David non despexit, eodem pietatis respectu veniam suis dare non dedignetur commissis.

At turba sequentium cogitationum, videlicet non D accusantium, sed defendentium, quæ de laqueis expedita vitiorum tota intentione, quæ sursum sunt, perscrutari consuevit et investigare, non salvantem a peccatis requirit, sed dominanti et potentissime in se regnanti virtutum Domino hoc exsultationis clamore et jubilo occurrit, *Benedictus*, inquiens, *qui venit in nomine Domini.* Quoties, inquam, felix anima in peregrinationis hujus exsilio Deum suscipit pie et misericorditer se visitantem, dat jucundam benedictionis laudem, donec in æternitatis gaudio, non utique lacrymis tunc acquisitum, aut aliqua mentis et corporis contritione ascitum, sed firma perennitatis sorte semper inpræsentiarum habere liceat dilectum, cui honor et imperium per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA III.

IN EAMDEM DOMINICAM TERTIA.

Cum appropinquaret Jesus Jerosolymis, et venisset Bethphage ad montem Oliveti, tunc misit duos discipulos, dicens eis: Ite in castellum quod contra vos est, et statim invenietis asinam alligatam, et pullum cum ea, solvite et adducite mihi (*Matth.* XXI)

Lectio sancti Evangelii, quæ pro consequentia litteræ in die Palmarum convenienter recitatur, pro eminentia allegoriæ, in littera reconditæ, in prima Dominica Adventus Domini non inconvenienter replicatur. Dei enim Filius *Jerosolymis appropinquat,* cum suæ redemptionis mysterium, cum Patre et sancto Spiritu ante tempora dispositum, in fine temporum ad reparationem supernæ Jerusalem dispensat. *Bethphage* ergo *venit,* cum in diversis præfigurationibus patriarcharum et prophetarum illud suæ redemptionis mysterium mundo edicit. Bethphage enim *domus buccæ* interpretatur, quo nomine panis angelorum ab homine quandoque manducandus esse designatur. Bethphage **17** *ad montem Oliveti* esse scribitur, per quem eminentia miserationis illius exprimitur, qua ipse Filius Dei de summis cœlorum ad ima terrarum deponitur. Unde Psalmista loquitur: *Miserationes ejus super omnia opera ejus* (*Psal.* CXLIV, 9). Cum ergo Ierosolymis appropinquasset, cum Bethphage ad montem Oliveti venisset, tunc *misit duos discipulos dicens eis: Ite in castellum quod contra vos est.* Quia discipuli a discendo dicuntur, recte per *duos discipulos* lex naturalis et lex scripta exprimuntur, quæ ambæ per illuminationem sancti Spiritus de mysterio futuræ redemptionis mirabiliter instituuntur, dum a montibus æternis, miris et innumeris modis ipse præfiguratur, qui in carne veniens mundi lucem se esse protestatur. Quos nimirum *duos discipulos* ipse *mittit,* qui suæ incarnationis mysterio cunctas patriarcharum et prophetarum præfigurationes peragit. Proinde eis *dicit,* dum per institutionem sancti Spiritus et legem naturalem et legem scriptam ad futuræ suæ redemptionis ministerium imbuit. *Ite,* inquit, in diversis præfigurationibus, *in castellum quod contra vos est,* scilicet quod vestro aspectui est oppositum et expositum, in illud munitissimum et sacratissimum sancti spiritus templum, in illum Virginis matris hortum conclusum, fontem signatum. Hoc enim *castellum* tam legi naturali quam scriptæ legi fuit oppositum, qui istud virginitatis amygdalum ab initio sæculi patriarcharum et prophetarum exspectationi fuit expositum. Unde ipse in carne positus discipulis suis loquitur Dei filius: *Multi reges et prophetæ voluerunt videre quæ videtis, et non viderunt; et audire quæ auditis, et non audierunt* (*Luc.* X, 24).

Et statim, cum in diversis præfigurationibus ire cœperitis, cum castellum vobis oppositum intraveritis, *statim invenietis* mundi redemptionem, quam

quæritis. Quæ autem est redemptio ista? *Asina alligata et pullus cum ea. Asina alligata* est caro sanctissima, Verbo Dei in utero Virginis incomprehensibili et indicibili unionis vinculo associata. *Pullus cum ea* est rationalis anima, a Verbo Dei in carne assumpta, sicut in fide dicitur Catholica (18) : *Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali et humana carne subsistens.* De hac *asina* **18** vel *pullo* Jacob patriarcha loquitur, cum Christum de tribu Judæ quandoque nasciturum in spiritu contuetur : *Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium : ligans ad vineam asinam suam et ad vitem, o fili mi, pullum suum* (*Gen.* XLIX, 10). Hinc ipse, de quo loquimur, discipulis suis in cœna loquitur : *Ego sum vitis vera, et Pater meus agricola est* (*Joan.* XV, 1). Et item : *Ego sum vitis, vos palmites* (*Ibid*, 5.). Recte autem per *asinam*, quæ oneriferum esse animal non ignoratur, caro Christi sanctissima figuratur, quæ ad emundationem nostrorum peccatorum multiplicium pondere laborum voluntarie oneratur, sicut de eo Isaias propheta protestatur : *Vere languores nostros ipse abstulit, et iniquitates nostras ipse portavit* (*Isa.* LIII, 4). Hinc ipse per Psalmistam dicit, dum suæ passionis nimietatem describit : *Super dorsum meum fabricaverunt peccatores* (*Psal.* CXXXVIII, 3). Recte etiam per *pullum*, in quo juventutis eminent insignia, sanctissima Christi intelligitur anima, quæ singulari sua innocentia a cunctis fidelibus animabus totius vetustatis detergens contagia, antiquæ libertatis quasi juventutis reddit eis insignia. Proinde ipse Dei Filius *discipulis suis dicit*, dum et legi naturali et legi scriptæ suæ redemptionis testimonium indicit : *Solvite et adducite mihi.* Clavibus vestrarum præfigurationum *solvite* mysterium a sæculis absconditum, *et adducite mihi*, ad gloriam nominis mei testimonium perhibentes futuræ meæ redemptionis.

Et si quis vobis aliquid dixerit : scilicet si mundus, qui in maligno est positus, quia infidelitati est deditus, fidei et prædicationis vestræ testimonio contradixerit, vos *dicite*, vos, inquam, consecretales mei, signis et scriptis vestris edicite *quia Dominus his opus habet*, quia Filius Dei Creator temporis in plenitudine temporis homo fieri necesse habet, ut sua humanitate humanum genus a morte liberet. *Et confestim eos dimittet*, scilicet corde credens ad justitiam, et ore confitens ad salutem, divinitati et humanitati Filii Dei debita se veneratione subjiciet. Verbum enim illud *dimissionis* frequens est in scriptura Testamenti Novi ac Veteris, habens testimonium divinitatis Christi et humanitatis. Hinc **19** Jephte filia patri suo loquitur : *Dimitte me, ut duobus mensibus montes circumeam* (*Jud.* XI, 37). Per *Jephte* qui *aperiens* dicitur, Christus Dominus exprimitur, cujus sanguine latroni vel cunctis fidelibus paradisus aperitur. Per *filiam Jephte* humanitas Christi designatur, quam ille suæ divinitatis procura-

A tione, ubi pater filiam lugetur. Dicit ergo filia patri, loquitur humanitas Christi Deo Patri : *Hoc solum mihi præsta quod deprecor*, in quo et tuæ dilectionis et meæ subjectionis fructum, humanæ redemptionis effectum, consequor, *dimitte me*, divinitatem et humanitatem meam mundo hac innotescere. *Et duobus mensibus montes circumeam*, ut in consummatione duorum Testamentorum, in salvatione duorum populorum, in salvatione animæ et corporis, in dilectione Dei et proximi, in activa et contemplativa vita (horum enim omnium typus duobus includitur mensibus) *montes circumeam*, ut Patriarcharum et Prophetarum præfigurationes redemptionis meæ mysterio compleam. Sic David in typo Christi Michol loquitur, per quam Synagoga accipitur : *Dimitte me*, verum Deum, verumque hominem me confitere, *alioquin*
B *interficiam te* (*I Reg.* XIX, 17) : quia merito perfidiæ, æternæ morti tradam te. Sic David in typo Christi Jonathæ loquitur, per quem ordo propheticus designatur : *Dimitte me*, scilicet divinitatem meam et humanitatem tua prædicatione contestare, *ut in Bethlehem celeriter eam* (*I Reg.* XX, 6), ut in Ecclesia gentium locum fidei et sedem quietis habere valeam. Sequitur :

Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur, quod dictum est per prophetam dicentem : Dicite filiæ Sion : Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, et sedens super asinam et pullum, filium subjugalis. Factum est totum hoc, quod mundum salvavit *totum*, *ut adimpleretur* in plenitudine temporum, *quod* in primor-
C dio sæculi *per prophetam* fuerat præsignatum. Quisnam iste propheta fuit, qui et naturali legi, et legi scriptæ redemptionis futuræ mysterium præcinuit? Utique ille protoplastus [protoplastes] qui in paradiso positus, et a somno expergefactus, uti futurorum præscius, femineæ creationis opus his laudibus est prosecutus : *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea. Hæc vocabitur* **20** *virago, quia de viro sumpta est. Propter hoc relinquet homo patrem suum et matrem suam, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una* (*Gen.* II, 4, 5). Dum enim hos prophetiæ cantus Adam in paradiso edidit, quasi fidelibus, de sua carne generandis in sæculo, ista intulit : Vos, patriarchæ, sub naturali lege positi, vos, prophetæ, legi scriptæ appositi, dicite vestris vatici-
D niis, vestris scriptis filiæ cœlestis Jerusalem, quæ est mater omnium fidelium, Ecclesiæ gentium in terris suspiranti Dei filium, qui erit exspectatio et salvatio gentium : *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus*, gloriosus ille Dei Filius, humilis homo factus, et in silentio mundum ingressus, sicut Gedeon ille, qui dum homines civitatis suæ timuit pro eo, quod aram Baal ex præcepto Dei destruere debuit, assumptis decem servis suis per diem facere noluit, sed *omnia nocte complevit* (*Jud.* VI, 27). *Gedeon* ergo *circumiens in utero* dicitur, per quem Christus Dominus exprimitur, qui suæ majestatis ambitu cuncta complectitur, sed ipse pro redemptione humani ge-

(18) Id est Symbolo Athanasii.

neris utero Virginis Matris includitur. Gedeon aram Baal destruit, cum Filius Dei factus homo vetustatem cæremoniarum carnalium subruit. Gedeon decem viros de servis suis assumit, cum filius Dei animam rationalem et humanam carnem suæ divinitati in personæ unitate conjungit. Quinque sunt enim sensus hominis exterioris, quinque sunt nihilominus sensus hominis interioris. Qui quasi decem viri per decem lineas figurantur, quibus sol horologio Achaz retrorsum revertitur. Horologio enim regis *Achaz*, qui *apprehendens Deum* dicitur (*Isa.* XXXVIII, 8), mysterium incarnationis Christi exprimitur, quo velut in horologio temporum cursus, electorum et reproborum status distinguitur, sicut Simeon beatæ Virgini loquitur : *Ecce, positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel, et in signum, cui contradicitur* (*Luc.* II, 34). Gedeon timet domum patris sui, quia exhorret Christus perfidiam Judaici populi. Timet homines civitatis illius, quæ tota dedita est delectationi mundi vel carnis. Non vult facere per diem, quia factus homo non vult suam innotescere (19) majestatem. *Si enim*, inquit Apostolus, *cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent* (*I Cor.* II, 8). Gedeon omnia nocte complet, **21** quia Filius Dei in assumptæ humanitatis et humilitatis proposito quasi sub noctis silentio redemptionem mundi explet; *sedens super asinam*, divinitate sua regens carnem assumptam, *et pullum filium subjugalis* animam rationalem, quæ vita fuit carnis sumptæ per obedientiam Patris. Sequitur :

Euntes autem discipuli fecerunt sicut præcepit illis Jesus, et adduxerunt asinam et pullum, et imposuerunt super eos vestimenta sua, et eum desuper sedere fecerunt. Discipuli eunt; quia lex naturalis et scripta suis temporibus prodeunt. *Sicut præcepit illis Jesus faciunt*; quia dispensationi Filii Dei ad redemptionem mundi suis præfigurationibus, suis prædicationibus deserviunt. *Asinum et pullum adducunt*, cum verum Dei Filium, verum quandoque Virginis filium futurum, et animatum corpus in utero Matris assumpturum esse, suis testimoniis astruunt. *Imponunt super eos vestimenta sua*, dum humanitati Redemptoris suarum præfigurationum vel prædicationum adaptant ornamenta. *Eum desuper sedere faciunt*, cum omnes patriarchæ et prophetæ vel omnes fideles legis naturalis et legis scriptæ Dei Filium in carne venire continuis suspiriis et lacrymis exposcunt.

Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via, alii autem cædebant ramos de arboribus, et sternebant in via. Plurima turba est virtutum et gratiarum multitudo innumera. Quæ *vestimenta sua in via sternunt*, cum sui decoris insignia in eum, qui dixit : *Ego sum via et veritas et vita* (*Joan.* XIV, 6), congerunt. Quidquid enim virtutum vel gratiarum ab initio usque in finem sæculi potuit esse, vel poterit in toto corpore fidelium, ab ipso u i capite unguentum

A in barbam profluit, quod in oram vestimenti defluit. *Alii autem cædebant ramos de arboribus, et sternebant in via.* Quinam sunt isti *alii*, nisi spiritus administratorii, in ministerium salutis ad nos de cœlis missi ? Qui jure *alii* vocantur, quia a nobis, in hujus exsilii carcere damnatis, æternæ beatitudinis, immortalitatis, sublimitatis dissimilitudine alienatur. Qui *ramos de arboribus cædunt, et in via sternunt*, dum ad **22** ejus honorem, quem suum Creatorem esse recognoscunt, quem hominis causa de cœlis ad terras descendisse conspiciunt, de illis æternarum scientiarum arboribus, in cœlesti regno florentibus, ejus fidelibus innumeras et odoriferas divinorum sensuum jucunditates suggerunt. Hinc Apostolus *in ipso omnes thesauros sapientiæ et scientiæ absconditos*
B asserit (*Coloss.* II, 3), quos ipse suis electis usque in finem sæculi misericorditer distribuit. Sequitur :

Turbæ autem, quæ præcedebant et quæ sequebantur, clamabant dicentes : Hosanna filio David. Benedictus qui venit in nomine Domini ! Turbæ, quæ præcedebant, non immerito sancti angeli dici possunt, qui et creationis dignitate, et beatitudinis immutabilitate homines antecedunt. *Turbæ, quæ sequuntur*, electorum hominum reliquiæ intelliguntur, qui quasi præcedentium vestigia a longe subsequuntur, dum innumeris hujus vitæ laboribus et difficultatibus in sanctorum angelorum consortium quandoque transferuntur. Vel *turbæ præcedentes* sunt Veteris Testamenti Patres ac fideles; *turbæ* autem *sequentes* sunt
C Novi Testamenti Patres ac fideles. Sive ergo sancti Angeli, sive homines electi, vel Patres ac fideles utriusque testamenti, *clamant* gloriam et misericordiam venientis in carne Filii Dei, *clamant* angeli Christo in Bethlehem nato : *Gloria in altissimis Deo* (*Luc.* II, 14) : dicunt homines electi ab initio usque in finem sæculi gratiarum actiones Christo Redemptori. Vel clamant in præsenti, *dicunt* in futuro tam sancti angeli quam homines electi : *Hosanna Filio David. Benedictus, qui venit in nomine Domini.* Benedictio incarnato, claritas nato, sapientia baptizato, gratiarum actio morienti, honor resurgenti, virtus ascendenti, fortitudo juste cuncta judicanti, tibi, Creatori nostro, invictissimi Filio. *Benedictus*, qui nos æterna benedictione sanctificasti, dum maledictionem primi
D parentis tuo sanguine expiasti, *qui in nomine Domini venisti*, dum creaturam tuam ab hoste maligno liberasti, et tibi vero Domino eam dedicasti, tibi cum Patre Deo et Spiritu sancto laus et gloria per infinita sæculorum sæcula. Amen.

23 HOMILIA IV.

IN EAMDEM DOMINICAM I ADVENTUS QUARTA.

Vox dilecti mei pulsantis : Aperi mihi, soror mea, amica mea, columba mea, etc. (*Cant.* V.)

Adventus Domini Salvatoris, qui jam per orbem terrarum celebri congratulatione a fidelibus recolitur, tempus est gratiæ et salutis, ad quod omnes antiqui Patres et prophetæ ardenti semper desiderio

(19) Id est notam facere.

suspirabant, et ad quam percipiendam gratiam in carne permanere magno dolore, lacrymis et gemitibus optabant. Qui profecto, si voti compotes facti fuissent, non dubium quin ad suscipiendum digne adventum Domini et Salvatoris nostri summo se studio præparassent : Quia pene nulli ex his videre vel audire eum in carne meruerunt, adventum ejus a longe salutabant, et quotquot Spiritu Dei illuminati futura prævidere poterant, salutis gratiam, quæ per ipsum et beatam genitricem ejus mundo eventura erat, ubique suis sermonibus commendabant.

Ex quibus unus sapientissimus Salomon ad laudem et honorem ejusdem Dominæ nostræ Mariæ quemdam librum edidit, videlicet *Cantica canticorum*, qui licet ad sanctam Ecclesiam et ad unamquamque fidelem animam referri valeat, specialiter tamen ei convenit, per quam salus mundi credentibus apparuit. Nam sicut ista solemnitas specialiter est Domini nostri Jesu Christi, ita et specialiter est ejusdem genitricis suæ, cum qua ipse Dominus et Redemptor salutem humani generis operari voluit. In hoc igitur libro bis scriptum invenimus : *Vox dilecti mei, vox dilecti mei*. Primo quidem simpliciter ponitur : *Vox dilecti mei*. Secundo autem subjunctum est : *Vox dilecti mei pulsantis;* quod a mysterio non vacat, quia per illud primum, quod sine adjectione positum est : *Vox dilecti mei*, possumus intelligere desiderium sanctorum Patrum et prophetarum, qui omne, quod vaticinando locuti sunt, vel figuraliter agebant, *vox* quædam desiderii eorum erat, qua venturum ad terras Dominum vocabant et pronuntiabant. Cum autem ipse Dominus noster Jesus Christus desideriis **24** illorum satisfacere disposuit, impletum est quod sequitur : *Vox dilecti mei pulsantis*. Nam qui pulsat, manu utique pulsat, et quodammodo Dominus manu *pulsavit*, cum id quod ipsi longe desideraverant, carnem assumendo opere adimplevit.

Volens itaque Deus, ut diximus, perdito homini nascendo subvenire dilectam genitricem suam, quam ad hoc opus redemptionis humanæ expiendum elegerat et assumpserat, mox allocutus est, ut sequens littera insinuat. *Aperi*, inquit, *mihi, soror mea*. In his verbis si diligentius intueamur, quædam series Evangelii annuntiationis et incarnationis Dominicæ obscuro intexta est sermone : et licet dissonantia sit verborum, mystico tamen sensu concordat verbis Evangelistæ dicentis : *Missus est angelus Gabriel ad virginem desponsatam viro, cui nomen Joseph* (*Luc*. I, 26). Cui et dixit : *Ecce concipies in utero, et paries filium* (*ibid*., 31). Ad hanc ergo cœlestem legationem, ut aurem cordis inclinet, nec quasi incredula de oraculo dubitet, ipse, qui per angelum suum ei loquebatur, his admonet verbis : *Aperi*, inquit, *mihi*. Ac si diceret : *Aperi mihi* per fidem, nec de verbis meis dubites, quia bene tecum fieri potest, ut concipiendo et pariendo filium genus humanum salvetur per benedictum fructum tui ven-

A tris. Et quare fidem accommodare debeat, aperte in consequentibus declarat.

Soror, inquit, *mea*. Et cur *sororem* nominat? Duobus quippe patribus, Abrahæ videlicet et David, promissus est Dei Filius ex semine eorum nasciturus. Nam cum idem Abraham, præcepto Domini obediens, unicum ei filium immolare non dubitaret, hæc obedientia in tantum Deo complacuit ut Unigenitum suum illi dare juramento firmaret (*Gen*. XXII). Hinc ergo domina nostra Maria merito admonetur ut verbis Domini indubitanter credat, quia *soror*, imo filia est Abrahæ, et veram de progenie ejus originem duxit, ex quo semine **25** ipse Dominus, ut promiserat, nasci debuit. Adhuc etiam aliis eam nominibus appellat, quæ meritis ipsius apte conve-
B niunt.

Amica, inquit, *mea, columba mea, immaculata mea*. *Amica* Dei erat per fidem, quia credidit angelo annuntianti quod ad redemptionem humani generis conceptura esset et paritura Filium Dei. Fuit etiam *columba* per simplicitatem. Nam quod ipsa ad hoc a Deo electa est, ut ex ea salus mundi adveniret, cum hoc nihil aliud quæsivit nisi honorem Dei et salvationem hominum. Quod et Evangelium aperte indicat, ubi dixisse fertur ad Angelum : *Ecce*, inquit, *ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum* (*Luc*. II, 38). Quædam enim duplicitas fuisset in ea, et quodammodo *columba* non esset sine felle, si ex hoc propriam laudem vel honorem requisisset. *Immaculata* quoque erat per vi-
C tæ puritatem. Et vere immaculata corde et corpore, per quam macula, quæ omni humano generi ex vitio primi parentis inhæsit, purgari et aboleri debuit. Hæc ergo nomina, imo virtutum insignia si non habuisset, nequaquam habitaculum divinitatis fieri potuisset. Sed quia his perfecte adornata fuit, digna habita est accipere plenitudinem gratiæ, de qua subinfertur :

Quia caput meum plenum est rore. Per *caput* Christi divinitas ejus intelligenda est, quæ nunquam major vel minor existens, in se semper ab initio incommutabili pietate abundavit, sed non sic, ut hæc misericordia usque ad nos perveniret, et hominem perditum de pœnali ditione liberaret. Et
D quare dicitur *caput plenum?* Sicut enim vas refertum aqua tunc superabundanter *plenum* dicimus, cum infusa aqua foras effluit, sic revera, quando venit tempus, de quo Apostolus ait : *Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege* (*Gal*. IV, 4); et unde Psalmista : *Tu exsurgens*, inquit, *Domine, misereberis Sion, quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus* (Psal. CI, 14); tunc æterna illa divinitas in tantum quodammodo *plena* facta est miserationis et gratiæ, ut ultra se intus cohibere nollet, nec posset, nisi foras egrediens super terram efflueret, quæ primo utero Virginis se infudit, quemadmodum ingressus angelus **26** ad eam dixit : *Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus* (*Luc*. II, 28).

Ac si diceret: Dominus, cœli inhabitator jam *plenus* est gratia ad salvandos homines, et plenitudine hujus gratiæ jam tuus virginalis adimpletur uterus, quia ipse ex te nasciturus est. Nec prætereundum quod *caput plenum* dicitur rore; nam ros de cœlo super terram cadit. Et profecto hæc ineffabilis gratia non ex hominibus, sed desuper venit. Et quia beata Maria verum Deum et hominem concepit et peperit, congrue subinfertur:

Et cincinni mei guttis noctium. Cincinni dicuntur crines complexi et conjuncti. Et bene per *cincinnos* possumus accipere conjunctionem illam divinæ et humanæ naturæ, quæ facta est intra uterum intemeratæ Virginis Mariæ. Qualiter autem humana natura unita sit divinitati, nullus unquam mortalium scire aut investigare potuit vel poterit, nec mysterium hoc ipsa conscientia Virginis novit, sed et per *cincinnos*, qui etiam torti dicuntur crines, aliud potest intelligi, torta videlicet et retorta membra assumpti hominis. Nam idem Dominus noster Jesus Christus in laboribus multis et passionibus omnes dies vitæ suæ peregit, et ad ultimum cruci appensus clavisque confixus, morte turpissima damnatus est, qualiter nec sceleratissimus quisquam fur aut latro morte mulctari solet. Hi ergo *cincinni*, per quos intelleximus humanitatem Christi, *pleni* dicuntur *guttis noctium*. Et quid per *guttis noctium*, nisi purgatio exprimi valet peccatorum? *Gutta* enim ubi distillat, locum lavat et mundat. Et profecto aliquibus *guttis* purgari debet quicunque ad æternam salutem pervenire contendit.

Videamus autem, qualiter primum per *guttas* facta sit purgatio dilectorum. *Guttæ* sanguinis Christi, quæ de sauciissimo latere ejus pendentis in cruce profluebant, totius humani generis peccata purgabant et diluebant. Sunt etiam *guttæ* baptismatis, quibus dum homo abluitur, ab omni originali sive actuali peccato mundus efficitur. Qui vero rursus peccatis inquinatus, innocentiam, quam in baptismo acceperat, amiserit, *guttis* lacrymarum, quas ex pœnitenti corde producunt oculi, denuo baptizari necesse habet et emundari. Beata ergo Dei genitrix **27** Maria post gloriosa inauditæ salutationis alloquia, post tantæ promissionis mysteria, quod plenitudinem gratiæ percipiendo, de qua præfati sumus, concipere deberet et parere filium, ipsa divinæ dispensationis ignara, sed propriæ castitatis conscia, quid dicat audiamus:

Exspoliavi me tunica mea, quomodo induar illa? Per hanc *tunicam* carnalem significari credimus concupiscentiam, quæ in primis parentibus præfigurata est, quemadmodum in Genesi scriptum legimus: *Fecit Dominus Deus Adæ et uxori ejus tunicas pelliceas et induit eos* (*Gen.* III, 21). Ambo quidem ita creati erant, ut in paradiso voluptatis degentes, et angelicam vitam pariter ducentes, absque omni carnali concupiscentia filios procrearent. A Sed cum a diabolo persuasi inobedientes facti sunt mandato Domini, mox ejecti de paradiso induti sunt tunicis pelliceis, ut in conceptione procreandæ sobolis carnali fœdarentur concupiscentia, et in omni posteritate eorum hæc carnalis concupiscentia ita perdurav t, ut præter solum Filium Virginis non sit homo super terram qui sine concupiscentia carnis concipiatur. Hac igitur *tunica*, carnali videlicet concupiscentia, *exspoliaverat se* perpetua virgo Maria.

Et bene dicitur, *exspoliavi*. Qui enim alium spoliat, aufert ei quod suum esse debuerat. Sic et beata Maria se ipsam spoliando, quamdam, ut ita dicam, violentiam sibimetipsi intulit, et quodammodo vim faciendo corpori suo, proprio illud jure B privavit. Suum utique fuit carnali concupiscentia delectari, quia in ipsa etiam concupiscentia, ut cæteri homines, concepta erat. Sed quod lege originalis criminis (20) suum esse debuit, mortificando membra sua cum vitiis et concupiscentiis omnino a se alienum fecit. Credere enim possumus, licet in Evangelio minime scriptum reperiamus, quod continua abstinentia multisque laboribus virgineum corpus suum castigaret, ne quando carnalis concupiscentiæ vitium sibi appropinquaret. Sicut autem a carne sua omnem carnalem etiam concupiscentiam amputaverat, ita eamdem a corde penitus excluserat, quemadmodum ipsa sequentibus declarat verbis:

Lavi, inquit, *pedes meos, quomodo inquinabo illos?* C Per *pedes* interioris hominis affectus accipimus, quos **28** eadem incorrupta Virgo ita ab omni sorde *lavit* et emundavit, ut nec delectatio quidem carnalis concupiscentiæ virgineum cor illius aliquando tangeret. Quod ergo dicit: *Exspoliavi me tunica mea, quomodo induar illa? lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* quamvis dissonet in littera, spiritali tamen sensu concordat verbis Evangelii, ubi divinum ei partum annuntianti angelo respondisse fertur: *Quomodo*, inquit, *fiet istud, quoniam virum non cognosco* (*Luc.* I, 34). Quod idem est ac si dicat: Ego quidem omnia quæ carnis sunt, a carne et spiritu meo abscidi, et æterno incorruptionis sponso immaculatam me corde et corpore custodire deliberavi. Sed ut amore generandæ prolis D maritali copulæ jungar, et per hoc propositum meum violans, inquinamenta carnis ac spiritus, quæ abjeci, experiar spontanea voluntate, nunquam consentiam, sed quia cœleste adhuc mysterium ignoro, modum conceptionis a te requiro. Tu insinua *quomodo*, quo ordine debeat fieri ut virgo contra naturam concipiens pariam sine admistione virili. *Et respondens angelus dixit ei: Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi* (*ibid.*, 35). In quibus nimirum verbis mox factum est quod subjungitur:

Dilectus meus misit manum suam per foramen, et venter meus intremuit ad tactum ejus. Hoc in loco

(20) De hac Godefridi opinione, quæ vulgo apud veteres obtinuit, nunc autem fere antiquata et expugnata est, vide dissertationem nostram præviam in hoc opus.

latenti mysterio prænotata est Trinitas sancta, quæ A tota operata est in una carne Virginis ad concipiendum et pariendum Filium Dei pro redemptione humani generis. Per *dilectum* utique accipere possumus Deum Patrem, per *manum* ejus consubstantialem ejus Filium, per *foramen* autem Spiritum sanctum. *Dilectus* ergo iste, videlicet Pater omnipotens, *misit manum suam*, id est Unigenitum suum, quando hunc pro salute nostra incarnari constituit. Et quo misit manum suam? *per foramen*. Hæc æterni incarnatio Filii Dei facta est *per foramen*, id est per Spiritum sanctum. Nam eodem superveniente in Virginem et virtute sua eam obumbrante, ipsum Unigenitum Patris concepit et peperit. Nec indignum videatur quod per *foramen* Spiritum sanctum designari diximus; nam quemadmodum per maceriam, quæ integra existit, nullum **29** lucis patet vestigium, nisi perforata fuerit, sic quodammodo inter nos et Deum quidam paries obfirmatus erat, ut nullus mortalium Deum, qui lucem habitat inaccessibilem, videre posset. Solutus est autem iste paries cum, cooperante gratia Spiritus sancti, Filius Dei carnem assumens visibilis factus est, ut homo ei appropinquare, eumque videre posset. Quem verum Deum et hominem beata mater illius concipiens in hanc vocem prorupit dicens :

Et venter meus intremuit ad tactum ejus. Cum mulier infantem concipit, non quidem protinus sentit se concepisse, usque dum ipse infans post aliquantulum temporis vivere incipit, et plerumque ex C motu animati corporis uterus matris contremiscit. Non sic, inquam, Dominum nostrum Jesum Christum beata Virgo Maria concepit. Nam ut audivit ab angelo : *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi*, mox verum Deum et hominem cum corpore et anima concepit, ut statim in ipsa hora proclamare posset : *Et venter meus intremuit ad tactum ejus.* Merito utique *contremuit*, quæ tantæ majestatis Dominum intra angustum ventris sui cubile concluserat, quemadmodum et Ecclesia in laudem ejus decantat : *Quia quem cœli capere non poterant, tuo gremio contulisti.* De quo novo et inaudito miraculo Jeremias propheta admirans longe ante prædixerat : *Ecce Dominus novum faciet in terra : Femina circumdabit virum* (*Jer.* 31, 21). Hanc ergo D Dei Genitricem Spiritus sanctus superveniens ab omni originali peccato (21) liberam reddidit, et ab omni actuali peccato, si quod illud erat, emundavit, sicut ipsa manifeste innuens ait :

Surrexi, ut aperirem dilecto meo. Surrexi, inquam, corpore et anima ab omni originali sive actuali peccato libera. Nec propter me hoc factum est, quasi ego virtutum meritis alios præcellens tali munere sublimari digna sim, sed *ut aperirem dilecto meo*, hoc est, ut porta illi fierem, per quam cum carne ex me sumpta transiret ad hominem

30 *Manus meæ distillaverunt myrrham, digiti mei pleni myrrha probatissima.* Per *manus* beatæ Mariæ opera ejus accipere possumus; per *myrrham* vero mortificatio carnis intelligitur. Et revera *manus ejus distillaverunt myrrham*, quia et si macula alicujus peccati illi inhæsit, antequam Filium Dei conciperet, ita virtute Spiritus sancti in ea mortificatum est, ut, postquam ipsum Salvatorem mundi concepit et peperit, nulla deinceps contagione peccati tangi posset. *Et digiti mei pleni myrrha probatissima.* Per *digitos* ejus virtutem discretionis illius intelligere possumus. Magna enim discretione opera Dei ab operibus suis distinxit, ut videlicet magnifica opera, quæ Deus cum illa operatus est, nullis propriis meritis, nec castitati, nec humilitati suæ, sed divinæ solummodo ascriberet gratiæ. Sequitur :

Pessulum ostii mei aperui dilecto meo, at ille de- B *clinaverat atque transierat.* Per *pessulum* integritas ejus, per *ostium* vero fides illius intelligi valet. Dicit ergo : *Pessulum ostii mei aperui dilecto meo*, quod idem est, ac si dicat : Per fidem veram *aperui dilecto meo*, non diffidens de promissionibus ejus; *aperui* utique illi soli, ut quemadmodum ipse voluit, ex me nasceretur, me integra permanente, nec amittente sigillum virginitatis. *At ille declinaverat.* Multum profecto idem Redemptor noster *declinaverat*, multum de excelsa et supereminenti divinitate sua se ipsum exinanivit, cum natus Virgine in angusto præsepio positus est, cujus majestatem nec immensitas cœli, nec latitudo terræ capere potest. *Atque transierat.* Cum hac nimirum profundæ humilitatis inclinatione *transiit* mundum, *transiit* universa peccata, *transiit* mortem, *transiit* principem mortis diabolum. Per hoc autem, quod ipse sic *transiit* etiam nobis, si eum sequi volumus, omnia peccata et vitia *transire* dedit, et ut per felicem hunc transitum deposito carnis onere, beato fine quandoque pervenire valeamus ad eum. Quod ipse præstare dignetur, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen!

31 HOMILIA V.

IN EAMDEM DOMINICAM QUINTA.

Ecce dies venient, dicit Dominus, et suscitabo David germen justum, et regnabit rex, et sapiens erit, et faciet judicium et justitiam in terra. Et hoc est nomen quod vocabunt eum : Dominus justus noster (*Jer.* XXIII).

Sacrosanctum tempus Dominici Adventus, quod modo celebramus, ideo annue Ecclesia speciali recolit observatione, quia tempus istud tempus est gratiæ et misericordiæ, in quo ipse qui in æternitate sua sine tempore fuit, in fine temporis pro hominibus homo temporalis fieri voluit. Istud enim est tempus illud jucundum et desiderabile quod omnes optabant et desiderabant, qui Spiritu Dei illuminati, venturum ad terras Filium Dei oculo præsagi cordis prævidebant.

Ex his electis Domini prophetis unus erat Jeremias propheta, qui salutem et gratiam, quæ per Incarnationem Filii Dei ventura erat temporibus novissimis, obscuris his prænuntiavit verbis : *Ecce*,

(21) Vide quæ in similem locum paulo ante notavi ad. not. 20.

dies venient, dicit Dominus. Potest per *dies* istos totum illud tempus accipi, in quo ipse æternitatis *dies* pro nobis incarnatus cum hominibus voluit conversari. Tempus enim illud quod ante adventum hujus diei erat, non dies, sed nox vocari poterat quia nullus tam justus fuit et sanctus, qui ad veram lucem patriæ cœlestis pervenire posset; sed post terminum præsentis vitæ, ut ita dicamus, ad terram descendebant tenebrosam et opertam mortis caligine.

Possumus etiam per hos *dies* ipsos patriarchas et prophetas accipere, qui ante adventum Christi sedentibus in regione umbræ mortis lumen administrabant suæ prædicationis, dum verbis et ænigmatibus diem illum affirmabant affuturum, per quem illuminandum et sanandum totum erat genus humanum.

Istis ergo diebus bene convenit illud quod sequitur : *Dicit Dominus.* Quia per illos vere locutus est Dominus; et consilium, quod pro humana reparatione Deus Pater iniit, illis et per illos nobis mysticis verbis prænuntiavit; quemadmodum in consequentibus dicit :

32 *Et suscitabo David germen justum. Germen* cujusque fructus, cum primum de terra nascitur, res est et exigua et fragilis, sed tamen initium et spes inde exoritur fructus sequentis. Et quid rectius per *germen* hoc accipere possumus, quam ipsum Filium Dei, qui propter nos semetipsum exinanivit formam accipiens servi? Quasi parvulum *germen* fuit in conceptione, quia, quem cœlum et terra non poterant comprehendere, ita parvum se ipsum fecit, quod in utero teneræ Virginis comprehendi potuit. Parvulum quodammodo *germen* fuit in nativitate, quia, qui cœlorum thronos continet, qui terram palmo concludit, natus de matre Virgine in humili præsepio reclinari voluit. Parvulum etiam *germen* in tota vita sua fuit, quia in diebus carnis suæ non quasi Dominus omnium, sed humilis et despectus; et quasi novissimus virorum coram oculis hominum apparuit. Sed tamen in isto parvulo *germine*, in isto vero Deo et homine initium et spes erat fructus sequentis, quia ipse erat vera salus totius humani generis.

Et notandum quod non simpliciter ait *germen*, sed cum additamento *germen justum*. Et bene; nam non solum justus, sed etiam ipsa justitia fuit, omnes justificans, sine quo nullus justus unquam fuit, est, vel esse poterit. Vel ideo *germen justum*, quia omnis homo in peccatis concipitur et nascitur; ipse vero solus sine peccato conceptus est et natus, et ideo a peccatis liber erat solus.

Et hoc *germen justum*, germen dicitur *David*, qui, ut notum est, dicitur *manu fortis*, sive *aspectu desiderabilis*. Ipse enim licet humilis, despectus, et ut homo fragilis mundo apparuerit; vere tamen *manu fortis*, imo fortissimus spirituum fuit, qui fortem illum armatum ex ea parte qua humilis fuit, fortem **33** superveniens superavit, regnumque illius destruxit. Est etiam *aspectu desiderabilis*. Nam licet in forma servi apparens, quasi absconditus fuerit aspectus ejus, ipse tamen speciosus forma præ filiis hominum, ipse Rex virtutum et gloriæ, in quem etiam angeli desiderant prospicere. Hoc ergo germen justum, ita parvulum exortum, hoc est ita humiliter veniens in mundum qualiter in diebus carnis suæ vixerit, verbis sequentibus intelligi poterit.

Et regnabit rex et sapiens erit. Cum sit ipse Rex regum, et Dominus dominantium, regendo et gubernando cuncta, quæ in cœlo sunt et in terra, in humanitate tamen, quam pro nobis assumpsit, specialiter sibimet ipsi *Rex* fuit; quia regnum illud nobile, sensus ejus, dico, quos habere voluit in sua humanitate, tanta divinitatis suæ virtute regebat, quod nec tenui quidem macula vel in cogitatione, verbo, aut opere tangi poterat. De sapientia vero illius quid dicamus, cujus sapientiæ non est numerus? Ipse quidem Dei virtus est et Dei sapientia, cui verissime dicitur : *Omnia in sapientia fecisti* (*Psal.* CIII, 24); qui omnia, quæ sapientiæ suæ magnitudine condidit, sapienti dispositione gubernat et regit. Hic etiam qui in primo adventu suo, non ut judicaret, sed ut salvaret mundum, humilis venit et mansuetus, quam districtus judex in extremo adveniat examine, unicuique secundum opera sua reddere, ordo sequentis litteræ videtur insinuare :

Et faciet judicium, et justitiam in terra. Faciet enim *judicium* in reprobis, æternis eos deputans suppliciis; *faciet justitiam* in salvandis, sublimes eos faciendo gloria regni cœlestis. Et hoc *in terra*, in illa nimirum carne humana, quam assumpsit de terreni corporis nostri substantia. Nam licet in majestate sua venturus sit, mundum tamen in forma servi, quam assumpsit, judicabit, ipso attestante, qui ait : *Pater non judicat quemquam, sed judicium omne dedit Filio* (*Joan.* V, 22).

Post generale ergo illud judicium, in quo unusquisque accipiet secundum suum meritum, videntes electi mirabilem justitiam Domini sui, nomen ejus, per quod salvati sunt, sine fine collaudabunt cantantes voce unanimi : *Dominus justus noster.* Quandiu in hujus mortalitatis **34** ærumna sumus abyssum judiciorum Dei cognoscere et investigare nequaquam possumus. Ibi deposito velamine mortalitatis perfecte cognoscemus judicium et justitiam nostri Redemptoris, quod justo valde judicio reprobos damnaverit, quodque secundum multitudinem misericordiæ suæ electos præmiis glorificaverit regni cœlestis.

Hæc vero omnia, quæ vel pati, vel operari in assumpta pro nobis voluit humanitate, adhuc operari non dedignatur cum unoquolibet salvando homine, quem de tenebris ignorantiæ Dei et sui ad lucem venire facit perfectæ scientiæ et veræ fidei. *Ecce dies venient, dicit Dominus.* Ut enim homo liberari possit de nocte sæculi, opus habet ut ille splendor Patris æterni cor ejus accendat gratia luminis sui, et ille, cujus *dicere* ipsius est facere, invisibili lingua loqui in corde ejus incipiat, et quid vitandum

quidve illi sit faciendum, occulta inspiratione doceat eum et instruat. Unde et apte mox sequitur :

Et suscitabo David germen justum. Per *germen*, quod in primis ortu suo exiguum est et fragile, bonam hominis voluntatem possumus accipere, quæ tunc tenera est et fragilis, cum adhuc effectum non habet boni operis. Sed sicut in *germine* initium et spes datur fructus sequentis, sic in bona voluntate hominis initium quoddam monstratur perfectæ quandoque conversationis. Ut autem ad fructum bonorum operum perveniat, necesse est ut verus ille *David*, vere *manu fortis*, manu eum teneat, erigat et sustentet suæ virtutis, et de bona voluntate in bonam eum provehat operationem, quatenus de virtute in virtutem proficiens, illud, quod sequens ratio denuntiat, summopere implere valeat.

Et regnabit rex, et sapiens erit. Cum *rex* dicatur a *regendo*, ille non incongrue *rex* appellari valet, qui regnum suum, corpus dico et animam, sensus suos interiores et exteriores sub tali districtionis disciplina coercet, ut nulla vitiorum contagia iniqua dominatione regnare in suo permittat corpore et anima. Quicunque tali regimine regnum disponit et ordinat corporis et animæ suæ, hic nonnunquam ad eminentioris vitæ sustolletur gloriam, ad illam nimirum quæ desursum est veram sapientiam. Incipit **35** enim sapere et intelligere quod dudum quasi insipidum respuebat et abominabile; incipit etiam, in præsenti prægustare vita, quanta sit illius dulcedinis abundantia, quam post hoc exsilium omnibus electis suis æterna divini Patris præparavit sapientia.

Hujus æternæ beatitudinis delectatus gloria, hujus inæstimabilis dulcedinis animatus gratia, juxta quod hic sequitur, *faciet judicium et justitiam in terra*, fit sibimet judex districtus, subtiliter discutiens cogitationes suas et actus, et quidquid per illicitas cogitationes, verba vel opera deliquisse se meminit, digno pœnitentiæ fructu corrigere contendit, puniens hoc in præsenti in semetipso, pro quo puniendum se metuit in futuro. *Faciet* etiam *justitiam in terra*, in terreno corpore suo. Nam ubi inquinatum terrenis se actibus meminerit, hoc operibus justitiæ satisfaciendo abolere non desinit. Quicunque tali ordine, ut prædiximus, in præsenti vita processerit, cum quandoque ad intima perpetuo felicitatis gaudia transierit, quanta gloria et honore suscipiatur, patenter innuitur, cum continuo subjungitur :

Et hoc est nomen quod vocabunt eum : Dominus justus noster. Qui sunt illi qui ereptum de imperio mortis hominem tanta extollentes laudis reverentia, hujusmodi nominis venerantur gloria? Illi nimirum spiritus angelici, qui indesinenter perfruentes visione omnipotentis Dei, commorantem in pulvere mortis hominem, tantam admirantur promeruisse beatitudinem. *Dominus*, inquiunt, *justus noster.*

Pensandum nobis est, charissimi, quam inæsti- A mabilis sit dignitatis gloria, quod beata illa spirituum cœlestium agmina, a corporeæ corruptionis labe prorsus aliena, assumptum hominem de carcere mortis, ereptum de carnalis vitæ sordibus **36** innumeris, non solum suæ dignitati assimilandum judicant, sed excellentioris meriti dignum, *Dominum* suum vocant. Et quare hoc? Nimirum quia humanam naturam in ipso capite omnium electorum immortalem jam factam conspiciunt, et idcirco quodlibet membrum ipsius Capitis magnificando venerantur et diligunt. Mirantur quoque et mirando magnificant, quod homo terra et cinis, hoc in fragili corpore suis obtinuerit meritis, quod ipsi corruptionis et fragilitatis inscii ex sola habent gratuita bonitate Dei. Ibi etiam vere adimplebitur, B quod congruenti hic ordine subjungitur.

In diebus illis salvabitur Juda, et Israel habitabit confidenter. Per Judam, qui *confitens* dicitur, homo ille non incongrue exprimitur, qui vias suas Domino revelat in confessione et pœnitudine præcedentium delictorum, vel in confessione divini nominis laudabilem se exhibuerit magnificis virtutum meritis. Hic talis confessor divini nominis vere *salvabitur in diebus illis*, accipiens hoc in præmio, quod *Israel* sonat in vocabulo. *Israel* namque *vir videns Deum* dicitur. Et omnis, qui in præsenti vita Deum confessus fuerit per laudabilis vitæ merita, cum ille dies æternitatis illuxerit, beata visione Conditoris sui sine fine gaudebit. Ibi etiam *habitabit confidenter*, qui quandiu in hac multiplici mortali- C tatis miseria sumus, liberi ac sine timore esse non possumus. Ibi perfecta libertate donabimur, ubi nullum ulterius cum spiritalibus nequitiis bellum habebimus, ubi nec carnis voluptas, nec mundi ultra impetet adversitas, sed perennis in visione omnipotentis Dei erit solemnitas. Ad quæ gaudia nos perducat qui cum Deo Patre et Spiritu sancto per infinita sæculorum sæcula vivit et regnat. Amen.

37 HOMILIA VI

IN DOMINICAM I. ADVENTUS SEXTA.

Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes (*Isa.* II).

Dominus Deus noster, qui multis modis humanæ D saluti providit [*cod.* prævidit], quædam præcipua in anno tempora constituit, in quibus se studiosius, et cautius homo ab illicitis quibusque custodiat, et corporis sui negligentiam emendans, magis in spiritalis studii opere semetipsum exerceat. Ex quibus etiam est tempus hoc festivum quod colimus, quod Domini nuncupatur Adventus.

Nostrum quidem esset, qui spiritali censemur nomine, omni tempore ad adventum Domini pendula exspectatione paratos esse, nunquam visitationis ejus gratiæ ingratos existere. Sed quia hoc non est humanæ possibilitatis, ut mens ita ad Deum suspensa permanere valeat omnibus momentis, idcirco saltem hoc tempore, quod, ut diximus, Adventus Domini dicitur, vigiles et solliciti circa opus salutis

nostræ existamus, ut, cum venerit, imparati ab eo A non inveniamur.

Hoc tempus acceptabile et omni plenum dulcedine, ut aliquando adveniret, antiqui Patres Christi in carne præsentiam præstolantes desiderabant, ad hoc diu noctuque medullitus suspirabant. Tantum namque eis desiderium accenderat nativitatis hujus promissio, quod se continere non possent quin in desiderio animæ de promissionis hujus prophetarent gaudio, cupientes tantæ suavitatis non fraudari participio. Et multi perfecti, qui tunc temporis erant, verbis inde non prophetabant, sed tamen nihilominus suspensos ad hanc promissionem vultus ac flagrans desiderium habebant. Et licet spiritu prophetiæ repleti optime scirent quod eos illa saluberrima et desiderantissima nativitas hic non inveniret, B nobis tamen, quibus reservata est gratia hujus exhibitio, unde prophetabant, nobis utique scripta sua relinquebant, ad nostræ salutis usum verba sua proferebant, quemadmodum Paulus apostolus indicat: *Quæcunque*, **38** ait, *scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt* (*Rom.* XV, 4). Unde et quidam eorum qui Christum in carne venturum prævidebant, in lætitia cordis sui aiebat: *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini.* His *diebus novissimis*, de quibus dicebat, tempus in quo Salvator incarnandus erat significabat. In his *novissimis diebus*, diebus utique salutis et gaudii, in quibus Deus homo voluit fieri, nos sumus, nos, inquam, qui in fine temporum existimus, sicut præfatus Apostolus ait: *Nos sumus, in quos fines sæcu-* C *lorum devenerunt* (*I Cor.* X, 11). Recte ergo dicitur, *diebus*, quia antiquæ umbra noctis in lucem transiit veritatis, ita videlicet quod nunc oculis nostris opus redemptionis nostræ aspicimus, quod tunc occultis et obscuris prophetarum prædicebatur verbis, et præfigurabatur ænigmatibus.

Satis convenienter, sicut præfati sumus, *novissimis diebus* dicitur, quia in hoc tempore pleno gratiæ, figura jam præterita, res illuxit, umbra repulsa, lux veritatis ascendit. *Erit*, inquit, *in novissimis diebus præparatus mons domus Domini.* Per *montem* hoc in loco excelsa et supereminentissima divinitas; per *domum* autem *Domini* Christi intelligi valet humanitas. Et recte, imo verissime humanitas Christi *domus Domini* nuncupatur; quia in ea, juxta verba D Apostoli, *inhabitabat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (*Colos.* II, 9). Nunc ergo in consequentibus audiamus ubi nobis hic *mons Domini* sit præparatus:

In vertice, inquit, *montium.* Per verticem, qui omni corporis parti supereminet, domina nostra, perpetua virgo Maria intelligi valet. Vertex namque montium eadem beata Dei Genitrix dicitur, quia illa privilegio humilitatis suæ et munditiæ cunctos ab initio sanctos, qui propter excellentissima virtutum merita montium figurari possunt nomine, præcellit præter ipsum solum filium quem genuit. Plenitudo namque multiformis **39** gratiæ Dei, de qua omnes accepimus, tota in ea est effusa, quia nimirum ita decuit, ut speciali dulcedine amoris pretiosa plenæ gratiæ charismata, quæ cæteris dispertiuntur sanctis et electis, simul ei infunderentur, in qua et per quam præ cunctis mortalibus, tanta ac talia operari dignatus est Dei Filius. In hac ergo, quam *verticem montium* diximus, ille nobilissimus *mons domus Domini*, Deus videlicet et homo nobis constat *præparatus*.

Qualiter ergo nobis præparatus est? Tota vita ejus, tota, inquam, illius in hoc mundo conversatio humanæ salutis exstitit præparatio. Quandiu Deus et homo inter homines conversatus est, ad hoc præparatus est, ut nos, qui ad divinitatis ejus celsitudinem attingere non potuimus, per incarnationis ejus humilitatem ei appropinquare possemus, et illius participatione salvi essemus. Et licet in cunctis diebus carnis suæ nobis præparatus sit, maxime tamen tempore quo bibere pro nobis dignatus est calicem passionis. Et hoc quodammodo consummatio exstitit præparationis, dum justus pro injustis, innocens pro peccatoribus mortem pertulit crucis. Vere nobis præparabatur, quando corpus ejus flagellatum atque laceratum in ligno crucis est extentum. Ibi nimirum nobis, ut ita dicam, excoctus est et assatus, quemadmodum in commemoratione passionis ejus de eo canimus (22): *Cujus sacrum corpusculum in ara crucis torridum.* Sic nobis per tormentum passionis præparatus est, quod nunc in Ecclesia carne ejus pascimur, et sanguine potamus. Sicut enim inter homines, ubi divites, sive etiam pauperes sunt comesturi, dum cibus apponendus non est coctus, vel assatus, solet dici: Non est præparatum; vel etiam, si ita est, dicitur: Omnia parata sunt; ita nos de cibo nostro, pane scilicet angelorum spiritaliter loquimur, quod ipse in igne passionis confrixus et assatus, nobis præparatus sit, ut ipso in nostram utilitatem uti valeamus, carne videlicet et sanguine ejus vescamur. Et hoc sit stipendium militiæ nostræ, quo sustentemur in via hac, ne deficiamus.

Sic sic nobis, qui in *novissimis diebus* sumus, hic *mons domus Domini præparatus* est, non autem ita, ut antiquis Patribus, licet et ipsi eumdem in carne **40** venturum exspectarent, et ea, quæ nos illi Christo credimus facta, illi adhuc quandoque perficienda, digna fide sperarent. Abel namque, protomartyr a fratre, pro innocentia occisus occubuit. Noe justus in generatione sua Domino placuit. Abraham et David nihilominus a Domino dilecti promissionem, jam exhibitæ gratiæ promeruerunt, et multi alii illis temporibus in sanctitate et justitia Domino placuerunt. Nec tamen illis omnibus ita, sicut nobis, præparatus est Dei Filius, quia ante corpore excesserunt universi, quam hæc

(22) Hymnus *Ad cœnam agni candidi*, ad vesp. Dom. prim. post Pascha, sive *Quasimodo.*

in Christo præparatio deberet consummari. Adhuc A in laude hujus nobilissimi montis domus Domini, apte subjungitur:

Et elevabitur, super colles. Collis namque, sicut liquet, planæ terræ aliquantulum supereminet. Unde etiam per colles ii figurari possunt qui bona conversatione, et spiritalis vitæ studio alios terrena sapientes excellunt. Et quod hoc, sicut dicimus, sano intellectu sentiri possit, insinuat Psalmista, ubi ait: *Suscipiant montes pacem populo, et colles justitiam* (*Psal.* LXXI, 3). Quid convenientius, montium nomine, quam patriarchas, prophetas, apostolos possumus intelligere? Ipsi namque montes erant excelsi, quia præ cæteris mortalibus virtutum meritis pollebant, et cœlesti desiderio inflammati, terrena cuncta respuebant. Illis nimirum montibus B pacem populo suscipientibus, id est præceptum Domini verbo et exemplo prædicantibus, tales etiam in Ecclesia oriri cœperunt, qui *colles* existerent, qui videlicet se a terra, id est de communi vita hominum scientia et dilectione Dei sublevarent. Super omnes hos *elevatus* est hic *mons domus Domini*, Redemptor scilicet humani generis, quia nullus sanctorum illi potuit unquam vel poterit adæquari.

Est et aliud quid quod per hoc *elevare* intelligi potest. Proprie namque dicitur Christi elevatio ejus in cruce exaltatio. Cur hoc elevatio, cum magis dici valeat humiliatio? Quæ altitudo in tanta humilitate? Quid excelsum in tanto contemptu? Nunquam sic hominibus despectus apparuit, sicut tunc, cum ignominiam crucis pertulit. Sed vere, si recte attendamus, fuit C elevatio; quia tunc primum nobilem ex hoste cepit triumphum. in cruce pendens suspendit mortem æternam **41**, ligno confixus defixit mundum perpetuæ morti affixum; homo in patibulo extensus omnia traxit ad seipsum. Quæ elevatio longe ante in Isaiæ designata est præsagio: *Factus est*, inquit, *principatus super humerum ejus* (*Isa.* IX, 46). Quid principatum, nisi crucis nuncupat lignum? factus est principatus super humerum Domini Jesu, quando super se impositam sibi crucem portavit, et ipse in ea confixus occubuit, in qua dum mortem corporis suscepit, omnium fidelium animarum mortem peremit. Unde et ipsa crux non solummodo tormentum, verum etiam principatus ejus exstitit, quia per eam D principem tenebrarum potenter debellavit, et se fortissimi Dei filium, ac totius fortitudinis et omnium virtutum principem ostendit, dum ei hominem, quem captivum tenuit, mirabili potestate abstulit. Nato igitur Christo in carne, ante crucis victoriam diabolus nihilominus potestatem suam in omnes homines exercuerat, sed postquam moriens in cruce Christus occubuit, tyrannidem sui in cunctis electis perdidit.

Dicatur ergo recte: *Et elevabitur super colles.* Sicut in sensu præcedenti, collium nomine, sanctos quosque figurari posse diximus propter virtutum eminentiam, ita nunc quoque per *colles* malignos spiritus accipere possumus propter superbiam. Super hos hic mons domus Domini per verticem passionis suæ mirabili elevatus est potentia, et ablata eorum tyrannide ipse suæ dominatur creaturæ.

Possumus etiam per sæpe dictam elevationem resurrectionem ejus intelligere et ascensionem.

Post hanc nimirum elevationem consequenter subjungitur: *Et fluent ad eum omnes gentes.* Non sine certi causa mysterii propheta maluit dicere *fluent*, quam *venient ad eum omnes gentes.* Prævidebat enim in spiritu (quod nunc est in sancta Ecclesia) sacramentum baptismatis, sine quo nullus ad Deum accessus, nullus regni cœlorum valet esse introitus. Omnes itaque dum nascimur, licet Christianis parentibus editi simus, *gentes* vocamur et sumus, antequam *fluere* hoc in nobis perficiatur, id est unusquisque nostrum per aquam lavacri renascatur. In qua regeneratione pompis diaboli renuntiamus et operibus, **42** ut deinceps in novitate vitæ ambulemus. Sed dum peccando iterum professionis hujus executores recusamus existere, nihilominus coram Deo gentium censemur nomine. Unde etiam et aliud *fluere* propheta hic innuit, quo post prioris baptismi ablutionem iterum gentili errore involutos, id est peccatis obnoxios, ad Christum et ad innocentiam vitæ redire nos convenit. Post prævaricationem namque professionis nostræ in priori baptismo, iterum fluendo ad Deum redimus, dum pollutam peccatis conscientiam lacrymis baptizando renovare studemus. Nulla procul dubio spes ad montem domus Domini, id est ad Christum, veniendi cuiquam exstat, nisi his duobus baptizandi modis ad eum *fluat*.

Nunc ea quæ dicta sunt breviter recapitulemus et quomodo hæc eadem in aliis Scripturæ locis præfigurata sint videamus. Iste namque propheta dicit: *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini.* Canimus quoque, ubi divinæ laudis præconium in Antiphonario incipimus, quod alius quidam prævidens, Deum humanam naturam assumpturum ait: *Aspiciens a longe, ecce video Dei potentiam venientem et nebulam totam terram tegentem.* Quod enim ibi *mons*, hic manifestius *potentia Dei* nuncupatur. Quod illic per *domum Domini*, hic per *nebulam* significatur. Per *montem* significari posse diximus divinitatem Christi; per *domum Domini* humanitatem ejusdem Redemptoris nostri. Hoc idem aliis verbis exprimit iste qui ait: *Ecce video Dei potentiam venientem et nebulam totam terram tegentem.* Prævidit namque in spiritu omnem in eo divinitatis esse plenitudinem qui nostræ salutis causa assumpturus erat hominem. *Et nebulam*, inquit, *totam terram tegentem.* Per nebulam, sicut diximus, carnem Christi intelligere possumus. Hæc nebula, humana scilicet in Christo natura, talis ac tanta exstitit, quod *totam terram*, id est omnem culpam, quam de contagione terrena homo contraxerat, tegere et abolere potuit. Sic namque humana divinitas et divina humanitas homini nunc per compassionem jungitur, ut totam terram contegat, id est ut nub-

lum, licet terrenis actionibus nimis oppressum, a gratia remissionis excludat, si tantum mores 43
corrigendo semetipsum recognoscat.

Possumus vertere hæc eadem verba, ad *verticem montium*, per quem intelligi posse diximus dominam nostram, perpetuam virginem Mariam. Per *nebulam*, quæ obumbrat, Spiritum sanctum intelligi nil obstat. Denique et angelus dixit ad Mariam : *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi* (*Luc.* I, 35). Ipsa namque nobilis illa terra erat quam totam nebula ista tegebat, et circumquaque obumbravit, ne eam, quæ hæreditaria peccati originalis (23) labe processerat, actualis culpæ macula cogitatione, verbo vel opere tangeret, sed totum sanctum esset habitaculum, in quo Deus totis novem mensibus habitaret, ut tota omnino munda esset materia de qua Filius Dei incorruptibiliter claritatis suæ corpus assumeret.

Ad hoc verum virginalis uteri tabernaculum, cui nullum peccati accedere potuit flagellum, nos, qui innumeris peccatorum sauciamur flagellis, appropinquare studeamus bonorum operum meritis, quatenus ipsa plena pietate et misericordia, sua nos defensione muniat in hujus sæculi tempestate et miseria, et cum ipse, quem propitiationem pro peccatis nostris vera virgo et mater peperit, in secundo adventu ad judicandum vivos et mortuos venerit, misericordiam superexaltet judicio, ut ipsius intercessione gloriosa regni cœlestis consequamur gaudia. Quod ipse præstare dignetur Dominus noster Jesus Christus, qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per infinita sæcula sæculorum. Amen !

44 HOMILIA VII.

IN DOMINICAM II ADVENTUS PRIMA.

Erunt signa in sole, et luna et stellis, et in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris et fluctuum, arescentibus hominibus præ timore et exspectatione, quæ superveniet universo orbi (*Luc.* XXI).

Quia magnus valde et terribilis dies extremi superveniet examinis, misericors ac miserator Dominus ipsum nobis diem signis prænuntiavit evidentibus : *Erunt*, inquiens, *signa in sole, et luna et stellis.* Signa, quæ ventura nobis ipsa prædixit Veritas, magna ex parte contigisse nostra jam meminit ætas. Sed aliud quiddam magnum valde et eminens per hæc nobis *signa* innuit quæ *in sole, luna et stellis* ventura prædixit. Nomine quippe *solis*, seipsum *sol justitiæ* designat, qui omnem hominem in hunc mundum venientem illuminat. In ipso etenim sole, humani scilicet generis Redemptore, *signa* novæ facta sunt admirationis, dum obediens usque ad mortem factus est pro nobis. *Signa* hæc, inquam, magnæ et admirandæ salutis vulnera crucifixi et lanceati sunt Redemptoris, quando appensus in patibulo crucis cornua clavorum prætendit in manibus suis. His profecto signis quasi Solis percussa spiculo mors absorpta est in victoria. Unde satis

A congruo ordine signa *in luna et stellis* sunt continuo. Nam qui! hoc in loco per *lunam* rectius quam sponsam Agni, sanctam videlicet Ecclesiam, accipimus? Quid vero per *stellas* nisi apostolici splendoris intelligenda est claritas ? Luna etenim cum per semetipsam splendorem non habeat, sol quodammodo radio eam suæ claritatis illustrat. Sic nimirum Sol ille, qui nescit occasum, desiderantissimo vultus sui lumine tenebras totius illustravit Ecclesiæ. Sed quia elevandus erat Sol ille, et lunam stare oportuit in ordine suo, talibus eam stellis adornare voluit, quæ in medio nationis pravæ lucentes retrahere aliquando splendorem suum nescirent, et quarum illuminatione ad lucem veram, quæ Christus est, quamplurimi pervenirent. Per has enim stellas, ut

B prædictum est, sancti intelligendi sunt apostoli, quos ipsa Lux lucem appellavit mundi. Horum dum in fines orbis terræ exiit prædicatio, facta sunt signa et prodigia magna in populo.

45 *Et in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris et fluctuum.* Postquam enim prædicatione apostolica exortum est lumen in tenebris, cœpit salubris fieri pressura gentium in terris. Nam hi, qui prius terrena tantum sapiebant, ea, quæ sursum sunt, sapere cupientes, exterminare in semetipsis et comprimere iniquas vitiorum moliuntur gentes. Unde et gravis mox tempestatis inundatio impellit animum *præ confusione sonitus maris et fluctuum.* Fit enim confusus in animo clamoris sonitus perversis se cogitationibus hinc inde inge-

C rentibus. Et quia humana ad hoc non sufficit virtus, ut hos marinæ tempestatis compescere valeat fluctus, solus ille, cui similis in fortibus non est, motum fluctuum ejus mitigare poterit, quemadmodum ait : *Tu dominaris potestati maris, motum autem fluctuum ejus tu mitigas* (*Psal.* LXXXVIII, 10). Sed quia fluctus hujusmodi *mitigari* ex parte, non funditus tolli dixerat, audiamus quid de exspectatione eorum evangelista subjungat :

Arescentibus hominibus præ timore et exspectatione, quæ superveniet universo orbi. Dum enim fideles quique intumescentes super se fluctus conspiciunt, dum alios aliis vicissim succedere sentiunt, non immerito gravi timoris exspectatione trepidant, timen-

D tes ne quando descendentes usque ad abyssos anima eorum in malis tabescat. Est et aliud, quod in hac valeat exspectatione intelligi quæ superventura est universo orbi. Superventura namque exspectatio ultimæ animadversionis bonos et malos diversis arescere facit modis. Timent siquidem perversi, et timendo arescunt ; nam perituros se cum mundo pereunte recognoscunt. Sed cum peccata peccatis adjiciunt, illic timore, ubi non est timor, trepidant. Est et in bonis alius quodammodo timor, melior, inquam, et saluti vicinior ; est, inquam in ipsis timor sanctus Domini, cujus laudatio manet in sæculum sæculi. Timent quidem offendere quem timendo diligunt, et diligendo semper quæ placita sunt,

(23) Vid. not. 20.

illi faciunt. Sed quia nescit homo, utrum amore A dignus sit, an odio, timore sancto arescentes omnia sua verentur opera, semperque in anima divina sibi proponunt judicia. Hoc spiritu timoris vas illud Domini desiderabile ad summum **46** usque repletum erat, Paulus videlicet apostolus, qui dicebat : *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo* (*I Cor.* IX, 27). Qui cum tantus esset ac talis, ut licet adhuc in carne positus, secretis interesse mereretur cœlestibus, maluit tamen humiliter sentiendo timere, quam altum quid præsumendo de semetipso sapere. Hunc etiam spiritum timoris David sanctus humiliter a Domino expostulat dicens : *Confige timore tuo carnes meas* (*Psal.* CXVIII, 120). Configi ergo timore Domini omnes in se delectationes carnis sensusque interioris desiderat hominis, ut quasi clavis confi- B xus contra omnia vitiorum delectamenta fortis perseveret et immobilis. *Nam et virtutes cœlorum movebuntur.* Per virtutes namque cœlorum chori intelligendi sunt angelorum, quos ita sibi incommutabilis illa æternitatis coadunavit charitas, ut nulla unquam in ipsis peccandi oriri possit voluntas. Unde et altius intueri libet qua ratione ipsi angelorum ordines movendi sint. Moventur quidem non pro se, sed pro nobis, affectu videlicet piæ compassionis, quibus præter solam divinæ contemplationis speciem nil esse desiderabilius creditur quam ut de reparatione nostra numerus eorum adimpleatur. Sunt et in hac vita nonnulli qui tam sublimi virtutum culmine aliis præesse videntur, ut æstimatione multorum quasi C *virtutes cœlorum* habeantur. Sed quia ventosa adulantium favore delectantur, laboris sui mercedem in præsenti consequuntur. Hi nimirum in adventu districti moventur judicis, quando impinguare caput eorum oleum non poterit peccatoris.

Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna et majestate. Venientem namque Filium hominis omnis caro videbit, sed simile videntium gaudium non erit. *Videbunt* igitur electi, ut sine fine gaudeant ; *videbunt* et reprobi, ut confundantur et pereant. Nam subito tollentur impii, ne videant gloriam Dei. De hac manifesta tremendi judicis visione David sanctus prophetica intonat voce : *Deus manifeste veniet, Deus noster, et non silebit* (*Psal.* XLIX, 2). *Deus*, inquam, universorum per di- D vinitatis suæ potentiam ; Deus autem *noster* per susceptam fragilitatis nostræ substantiam. Ipse vero Deus noster, cui judicium omne Pater in **47** manus dedit, *manifeste* quandoque adveniens *non silebit*.

Sed sciendum est quia non sicut homo cum homine mutuos nobiscum sermones conferet, sed alius timendus valde interrogandi et respondendi modus erit. Sedens namque in sede majestatis suæ palam nobis sua ostendet vulnera, per quæ omnis caro propria judicabitur conscientia. Nam qualiter hac in vita his vulneribus recte vivendo responderit, testimonium sibimetipsi omnis tunc homo perhibet. Quibus enim in præsenti verbum crucis scandalum est atque stultitia, tunc sine misericordia judicio condemnantur et justitia. Qui autem mortificationem Jesu circumferens in corpore suo Christi se passionibus configuravit, absque omnis timoris periculo securus et gaudens obviam crucifixo ibit Domino. Unde ipse Filius hominis diligentibus se consequenter promittit dicens :

His fieri incipientibus respicite et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra. Quid est ergo, quod reductis post tergum oculis jubentur *respicere*, nisi ut videntes opera sua certam accipiant spem confidentiæ? Quibus respectis *levare* etiam jubentur *capita*, id est cum spe et gaudio exhilarare corda. Nam mox in gloria apparente Domino repromissa illis appropinquabit redemptio.

Pro confirmanda autem omnium quæ prædicta sunt certitudine, congruam mox proponit similitudinem ficulneæ. *Videte*, inquit, *ficulneam et omnes arbores.* Quidnam hæc *ficulnea*, nisi diu sterilis intelligenda est Synagoga ? Hæc est, inquam, infructuosa illa ficus cujus sterilitati maledixit Dominus, quia nullum in ea fructum bonæ operationis reperit, dum fame misericordiæ salutem illius esuriens quæsivit. Sed ecce venient dies, quando in fine mundi excusso frigore infidelitatis, quasi tempore æstivo, fructum afferet fidei et charitatis, juxta quod per Psalmistam dicitur : *Convertentur ad vesperam, et famem patientur ut canes, et circuibunt civitatem* (*Psal.* LVIII, 7). **48** In fine quidem mundi quasi ad vesperam Judæi convertentur, et famem sitimque audiendi verbum Dei ut canes patientur. Quibus pane fidei solidoque Scripturarum cibo satiatis, dum alios nondum credentes incorporare membris Ecclesiæ cupiunt, ipsam civitatem Ecclesiæ prædicando et docendo circuibunt, et quasi continuis latratibus vocem prædicationis suæ ubique terrarum resonant, quibus e somno mortis dormientes in peccatis excitant. Hæc omnia, quam indubitanter credi debeant, ipsa mox Veritas certa ratione confirmat :

Amen dico vobis, *non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant.* Quæ *generatio* hic rectius intelligenda est, nisi generatio rectorum, quorum semen dirigetur in sæcula sæculorum, quia propitiante Deo in ipso etiam termino mundi non deerunt inquirentes, quæ beneplacita sunt illi? Sed ne aliqua in corde audientium resideret dubietas, iterum affirmando ipsa subintulit Veritas : *Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* Non hoc utique ita intelligendum est, quasi hæc elementa post finem sæculi ad nihilum redigantur, sed quia igne purificante in meliorem statum renovantur. Cœlum enim hoc æreum, cujus nunc splendorem varius immutare videtur transcursus nubium, quanta tunc solis, lunæ et stellarum claritate splendescat, vox prophetica manifeste declarat : *Erit*, inquiens, *lux lunæ sicut lux solis, et lux solis sicut lux septem dierum* (*Isai.* XXX, 26). Et si elementis insensibilibus tanta erit species claritatis, qualis esse splendor poterit ad dexteram Dei collocatis? Tunc enim electi quique configurati corpori claritatis Christi fulgebunt sicut

sol in virtute cœlesti. Nos ergo ut ad hanc claritatis A visionem pervenire valeamus, filii lucis et filii diei hac in vita esse studeamus, ipso præstante et adjuvante qui lux vera et beatitudo omnium est beatorum, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum, Amen

49 HOMILIA VIII.

IN EAMDEM DOMINICAM ADVENTUS SECUNDA.

Erunt signa in sole, et luna, et stellis, et in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris et fluctuum, arescentibus hominibus præ timore et exspectatione, quæ superveniet universo orbi (*Luc.* XXI).

Requisitus a discipulis Dominus de fine mundi hujus, sicut præsens evangelicæ lectionis ordo insinuat, de cunctis ejusdem mundi elementis signa quædam dedit futuri examinis de cœlo in sole, luna et stellis, de terris pressuram gentium, de mari B confusionem sonitus ejusdem maris et fluctuum, ut dum fieri ista cernerent, diem adventus ejus non longe abesse crederent. Quod autem adjecit : *Arescentibus hominibus præ timore et exspectatione, quæ superveniet universo orbi*, ostendit horrendum illud et terribile ultimi examinis periculum, in quo non solum illi qui de terra sunt, homines videlicet, qui digna tremore et pavore commiserunt, sed et ipsi sancti angeli, qui nunquam a Deo et æternæ tranquillitatis requie separabuntur, ex ipsa humani generis miseria, quam tunc videbunt, movebuntur et pavebunt. Ait ergo Dominus : *Nam virtutes cœlorum movebuntur*. Sed quare *movebuntur?* Non utique pro se, sed pro nobis pavebunt, dum justissimum indeclinabilis Dei æquitatis judicium tam districte C omni humano generi imminere videbunt, ubi cunctorum conscientiæ rimantur, ubi non solum opera, sed et cogitationes hominum examinantur. Unde subinfertur : *Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna et majestate.* Potestatis ac majestatis venientis in nube Filii Dei virtutem tanto tunc districtius quisque super se sentiet, quanto nunc pietati et patientiæ ipsius ingratum se exhibet. Quæ autem electos Dei spes inter hæc maneat, sequentibus verbis manifestat :

His autem, inquit, *fieri incipientibus, respicite et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.* Secundum verba beati Gregorii (24) *levare capita*, id est exhilarare corda jubentur, quia D sicut ingruentibus districti **50** judicii Dei terroribus æterna reproborum appropinquat damnatio, sic damnatio reprobis appropinquat, æterna electorum Dei salvatio. Ut autem manifestius ejusdem diei Domini tempus scirent, et scientes providerent, dixit illis similitudinem : *Videte ficulneam, et omnes arbores. Cum producunt jam ex se fructum, scitis quia prope est æstas.* Per *ficulneam* Synagogam accipimus, per *omnes arbores* multitudinem gentium intelligimus. Fructus ficulneæ est futura in fine mundi conversio Synagogæ. Vel ficulneæ fructus est, ut aiunt quidam, nasciturus ex Judæis caput omnium iniquorum Antichristus. Cum enim producto ex se germine iniquitatis et nequitiæ, quod est Antichristus, sterilis nunc in fide Christi Judæa ad Deum conversa fructus fidei, fructus dico justitiæ et veritatis, producere credendo et eamdem fidem prædicando cœperit, et multitudo gentium introierit, certum est quod prope sit *æstas*. quod ille proximus sit qui sublatis impiis, ne videant gloriam Dei, suos cohæredes introducturus sit in serenissimam illam tranquillitatem cœlestis requiei.

Hæc sunt verba unigeniti Filii Dei, quibus tunc ad prænoscendum per præcedentia mundi terminum signa districti judicii ejus adventum præparabat. His nihilominus verbis nos et universos qui vere discipuli ejus sunt et esse volunt, docet et informat, quomodo fieri in nobis signa debeant, ut dum vel in præsenti vita ad visitandum, vel post præsentem vitam ad judicandum nos advenerit, sine timore cum lætitia et exsultatione a nobis suscipi possit.

Erunt signa, inquit, *in sole, luna et stellis*. Per tria hæc solem, lunam et stellas, totum hominem accipere possumus. Est enim in nobis aliquid quod ad solem referatur, est aliquid quod lunæ comparetur, est quod stellis præfiguretur. Hoc etiam evidentius Apostolus **51** exprimit, ubi dicit : *Deus pacis sanctificet vos per omnia, ut integer spiritus vester, et anima et corpus in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur* (I *Thess.* V, 23). Per *solem* namque non incongrue intelligimus spiritum hominis, per *lunam* animam sive mentem hominis, per *stellas* corpus sive corporeos sensus hominis. *Signa* autem, quæ ad prævidendum et evadendum districtum futuri examinis judicium *in* hujusmodi *sole, luna et stellis* fieri et esse debent, signa sunt sacræ Scripturæ, quæ signat nobis et exprimit et æternæ salvationis interminabilem gloriam, et æternæ damnationis interminabilem dolorem et miseriam. Esse debent *signa* hæc *in sole*, ut vitalem spiritus nostri sensum assidua sacræ Scripturæ vegetemus meditatione. Esse debent *signa* hæc *in luna et stellis*, ut anima nostra, quæ est *luna*, sacræ Scripturæ documentis intendamus, et corporeos sensus nostros, qui *stellæ* sunt, in audiendo, legendo et docendo sacram Scripturam exercere non pigeat.

Factis in sole, luna et stellis hujusmodi signis, fit etiam *in terris pressura gentium*, quod est pressura vitiorum, quia ex lectionis meditationisque frequentia fit paulatim in terris, in terrenis membris hominis, peccatorum continentia. Nam etsi exterminare ad liquidum easdem gentes non poterit, comprimit eas tamen suæque ditioni ita subjicit, ut superari ab eis non possit. Quod autem subjunxit : *Præ confusione sonitus maris et fluctuum*, transeunter non est animadvertendum. Etenim per *mare* mundus significatur, *fluctuum* autem nomine fluctivaga carnalium voluptatum desideria possumus accipere. Quæ duo mundi videlicet memoria et carnalis concupiscentia, cum in corde hominis conve-

(24) S. Gregor. XL, Hom. In Evang. l. I, hom. 1, tom. LXXVI Patrologiæ.

niunt et se invicem confundunt, exitiabilem ibi *sonitum* reddunt. Necesse est itaque homini salvando maris et fluctuum præmeditatio, hoc est, antequam confusus et permistus in corde hominis amor sæculi carnalibus desideriis lethaliter sonare incipiat, mentemque hominis quasi quibusdam fluctibus abripiat, per lectionis frequentiam, quod sunt *signa in sole, luna et stellis*, per peccatorum continentiam, quod est *pressura gentium in terris*, semetipsum homo præmuniat. Quia vero et lectionis frequentia, et peccatorum **52** continentia stare diu non poterit, nisi fulciatur et roboretur carnis abstinentia, subjunxit post hæc æterna Sapientia :

Arescentibus hominibus præ timore et exspectatione, quæ superveniet universo orbi. Duo sunt, quæ supervenient universo orbi, salvatio justorum et B damnatio reproborum. *Arescunt homines præ timore et exspectatione*, dum propter futura mala quorum timore terrentur, et futura bona quorum exspectatione consolantur, cibis, potibus, somno, jocis cæterisque quibus caro delectatur, minus indulgentes, semetipsos nunc arefaciunt et extenuant, quatenus postea in æternæ beatitudinis amœnitate per Christum in Christo revirescentes sine fine gaudeant. Sed et in præsentis vitæ hujus tædio laboris sui non fraudantur præmio, quemadmodum mystice innuitur, cum mox a Domino subinfertur : *Nam virtutes cœlorum movebuntur.* In virtutibus cœlorum duas præcipue virtutes in homine, humilitatem videlicet et charitatem, convenienter possumus accipere, *Moventur virtutes cœlorum*, quando per veram hu- C militatem geminamque Dei et proximi charitatem quæ ex præcedentium laborum studiis, Scripturarum videlicet frequentia, peccatorum continentia carnis abstinentia acquiritur, ad internam visitationis et dulcedinis divinæ gratiam homo movetur et provehitur. Motum hunc virtutum Propheta in se sentiebat, cum dicebat : *Humiliabam in jejunio animam meam, et oratio mea in sinum meum convertetur* (*Psal.* XXXIV, 13). Humiliata per jejunium cæterasque carnis afflictiones anima, oratio hominis in sinum suum convertitur, quando sic orat exterius quod fructum orationis, gustum videlicet divini amoris, capit et sapit interius.

Motis hoc modo virtutibus cœlorum apte subjun- D gitur : *Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna et majestate.* Venit in nube Filius hominis, homo factus pro homine, Unigenitus Patris, quando per gratiam spiritus sancti, quam nubes significat, cor hominis visitat, ad amoris sui dulcedinem compunctionis lacrymis irrigat. *Cum potestate magna* venit, quando eum quem visitat, ad resistendum vitiis fortem et potentem efficit; *et majestate*, quando post prædictas laborum **53** afflictiones Spiritus sui dulcedine eum reficit. Sequitur :

His autem fieri incipientibus respicite et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra. Non dixit : *His factis*, sed : *His fieri incipientibus*, A ut majorem per hoc consolationem daret de se præsumentibus, quia omnia ista spiritalium laborum exercitia non solum, dum consummantur, sed dum inchoantur, æternam hominis redemptionem operantur. Nec prætereundum quod ait : *Respicite.* Est enim quasi dicat : Si difficile et asperum videtur nunc per temporalia laborum certamina repromissa vobis redemptionis quærere gaudia, ad transactæ vitæ tempora cordis oculum reducite, considerantes quomodo nihil sit quod vixistis, quid vobis contulerit tempus quod in voluptatibus mollitieque corporis transegistis. Ad hanc etiam, quam desideratis, venientis in nube Filii hominis insatiabilem suavitatem et lætitiam, ad hanc, dico, *levate capita vestra*, ad hanc dirigite mentis vestræ intentiones et desi- B deria; *quoniam appropinquat redemptio vestra.* Ibi vere redimemini non solum a peccatis et vitiis, sed etiam alleviabimini a præsenti corruptione animæ et corporis. Quomodo autem salvandus quisque observare debeat in se tempus hujus redemptionis, hujus gratiæ, docet nos Dominus sequenti similitudine :

Videte, inquit, *ficulneam, et omnes arbores.* Quod superius in luna, hoc hic in *ficulnea*, animam videlicet hominis; quod ibi in stellis, hoc hic in *arboribus*, sensus videlicet hominis accipere possumus. Nec injuste per *ficulneam* anima significatur; habet enim aliquid in se quod apte ad animam referatur, duplex videlicet fructus, quem gignit, qui et duplicem aliquem fructum animæ figuraliter exprimit. Nec injuste; primo enim mittit grossos suos, immaturos fructus et amaros, deinde profert ficus, quæ sunt fructus suavis et maturus. Sic et anima. Nam cum prona sit omnis ætas in malum ab adolescentia sua, omnis pene anima primo profert fructum malum, fructum amarum, quod sunt peccata et vitia; deinde ubi divinæ visitationis gratia rigari cœperit, profert fructum suavitatis, fructum videlicet justitiæ et veritatis. Quid est autem quod *ficulneam* jubemur *videre*, nisi quod **54** omnimoda circumspectionis custodia animæ nostræ debemus imminere, ne aut ex cogitationibus, desideriis hujus sæculi, aut voluptatibus aliquid ei insideat, quod ab interna venientis in nube Filii hominis visione oculum mentis retardare valeat? Hinc, ait Salomon : *Omni custodia serva cor tuum* (*Prov.* IV, 23)

Sed et non minori instantia, non minori vigilantia exteriores sensus nostros, quos per *arbores* significari diximus, ad proferendos Deo fructus justitiæ observare debemus. Aliter enim ad æstivam illam et jucundam divini caloris et amoris serenitatem non perveniemus, de qua dicit Dominus in consequentibus : *Cum producunt jam ex se fructum, scitis quoniam prope est æstas.* Quis est fructus iste? Fructus utique ille de quo dicit Apostolus : *Fructus autem spiritus pax, gaudium, benignitas, cœteraque his similia* (*Gal.* v, 22). Hujusmodi fructum cum producere per gratiam Dei cœperimus, certum est quod prope sit *æstas*, fervida et serena divinæ visi-

tationis claritas. Subjunxit ergo Dominus et ait : *Ita et vos cum videritis hæc fieri, scitote quoniam prope est regnum Dei.* Cum fieri in nobis hæc ita viderimus, quod et anima nostra bonis intenta est sensibus, et corpus nostrum bonis instat actibus, hæc est certitudo quædam, qua certificamur regni Dei, quod hic per splendorem visitantis gratiæ ipsius in homine inchoatur, et in futura vita gloriosius perficitur et consummatur. Sequitur :

Amen dico vobis, non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant. Generatio hæc generatio est sanctæ Ecclesiæ, quæ *non præteribit, donec hæc omnia fiant.* Item *generatio hæc* quæ *non præteribit,* generatio bonorum operum, generatio sanctarum virtutum intelligi poterit. Sed quomodo dicit : *Non præteribit?* Quod præteritum est, jam non est, et quod jam non esse videtur, quasi periisse æstimatur. Consolatur igitur Dominus verbis his electos suos, ne deficiant in laboribus, quia quidquid studii vel laboris aut in Scripturis sanctæque meditationis frequentia, aut in peccatorum continentia, aut in carnis abstinentia propter Deum impenderent, etsi jam non est, si ab illorum oculis idcirco periit, quia præteriit, nunquam peribit a memoria Dei, nunquam peribit a præsentia Dei, *donec omnia fiant,* hoc est **55** donec eousque hominem perducat, quod *virtutes cœlorum* in eo *movebuntur*, quod venientem in nube Filium hominis cum potestate magna, ut prædictum est, et majestate videre merebitur.

Quia vero durum, ut est, et difficile videtur continuis laboribus corpus attenuare et affligere, jugi custodia mentem ad interiora stringere, monet nos Dominus, ut quid simus, quid fieri debeamus, semper præ oculis habeamus. *Cœlum*, inquit, *et terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* Per *cœlum et terram* spiritum hominis et corpus convenienter accipere possumus. *Cœlum et terra transeunt*, quando resoluto per mortem corpore spiritus hominis sursum rapitur, et caro in pulverem terræ redigitur. Et est, quasi dicat Dominus : Quia transituri estis, et in hujus mortalitatis corruptibilitate stare et durare non potestis, satagite, quandiu nunc statis, ut per transeuntis vitæ labores ad stabiles et sine fine mansuras regni mei pervenire possitis promissiones. *Cœlum* enim *et terra,* spiritus utique et corpus vestrum soluta per mortem *transibunt*; *verba autem mea non transibunt.* Implebuntur vobis in præsenti vita ad consolationem sive justificationem, implebuntur vobis in futura vita ad corporum et animarum glorificationem.

Hæc sunt sacratissima evangelicæ lectionis mysteria, quibus instruxit nos æterna Dei Sapientia, quibus signis, quibusve laboribus et meritis prævenire debeamus diem ultimæ animadversionis. Sed ipse qui docuit, quid faciamus, adjuvet, ut perficiamus, quatenus signis sacræ ipsius Scripturæ sic insigniri mereamur, sic in nobis vitiorum gentes comprimamus, sic per carnis abstinentiam Deo

A placeamus, ut venientem eum in nube cum potestate magna et majestate non trepidi, sed securi videntes, cum impiis non damnemur, sed cum sanctis et electis omnibus in æterna beatitudine æternaliter glorificemur. Quod ipse præstare dignetur Dominus noster Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

56 HOMILIA IX.

IN EAMDEM DOMINICAM TERTIA

In anno, quo ingressus est Tharthan in Azotum, cum misisset eum Sargon, rex Assyriorum, et pugnasset contra Azotum, et cepisset eam : in tempore illo locutus est Dominus in manu Isaiæ, filii Amos dicens : Vade et solve saccum de lumbis tuis, et calceamenta tua tolle de pedibus tuis. Et fecit sic, vadens nudus et discalceatus (*Isa.* XX).

B

Verba hæc, si juxta litteram tantummodo intellexerimus, parum, aut etiam nihil utilitatis ex eis consequi poterimus. Verum quia verba sunt Spiritus sancti, spiritalem in eis intellectum quærere studeamus; qualiter sacrosanctum Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi adventum spiritaliter exprimant, ipso adjuvante et donante videamus. Ad hoc enim hortatur nos Apostolus in Lectione hodierna qua dicit : *Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam, et consolationem Scripturarum spem habeamus* (*Rom.* xv, 4). Quid est : *Per patientiam et consolationem Scripturarum spem habere*? Homo, qui ex anima et corpore

C

constat, ita a Deo creatus est, ut nunquam aut raro esse valeat quin aut ex diabolo, aut ex se ipso, vel ab aliis etiam hominibus aliquid adversitatis vel molestiæ, nunc in anima, nunc in corpore sustineat. Ergo omnia quæ scripta sunt, ad doctrinam nobis scripta sunt, ut qui præsentem vitam transire sine tentationum adversitatibus non possumus, ad sacram Scripturam assidue curramus, ex ea patientiam discamus, in ea et ex ea ad relevandum mortalitatis nostræ tædium consolationem quæramus. Patientia enim et consolatio Scripturarum animat nos ad spem et corroborat, ut de divinæ pietatis misericordia nunquam diffidere valeamus.

Nunc igitur, quia docuit nos hoc Apostolus, sequamur doctrinam illius; in prophetica hac quæ nobis

D

proposita est **57** Scriptura, consolationem nostram quæramus; quid ad adventum Domini nostri Jesu Christi, per quem æternæ nobis consolatio vitæ reddita est, pertineat spiritaliter, discutiendo videamus. *Littera* enim, ut idem ait Apostolus, *occidit*, *spiritus autem vivificat* (*II Cor.* III, 6). Relinquentes igitur litteram occidentem, et sequentes spiritum vivificantem, primum interpretationes nominum distinguamus. In his enim est maxima vis spiritalis intellectus.

In anno, inquit, *quod ingressus est Tharthan in Azotum, cum misisset eum Sargon, rex Assyriorum.* Tharthan interpretatur *turrem dedit*, Azotus *ignis incendii*, Sargon *princeps horti*. In Azoto potest intel-

ligi humana natura, quæ cœpit in Adam; quæ satis convenienter *Azotus*, id est *ignis incendii* nominari poterat, quando misera Eva concupiscentia vetiti pomi, quasi valido quodam igne succensa, sic æstuare cœperat, quod cavere nec voluit nec valuit, quin ad interdictam arborem manum mitteret, comederet et ad comedendum animum viri inclinaret. Sed quando hoc, vel quomodo factum est? *In anno* utique, *quo ingressus est Tarthan in Azotum*. In anno isto possumus accipere totum tempus præsentis vitæ, quod tunc incœpit, quando primus homo creatus est. Ante creatum quidem hominem nec tempora, nec anni fuerunt; cum creato homine creata sunt simul et tempora, totumque illud tempus a primo homine usque ad novissimum est quasi unus annus currens paribus diebus ac mensibus. In hoc denique *ingressus est* quodammodo *Tharthan in Azotum*.

Nomine suo Tharthan, qui interpretatur, sicut præmissum est, *turrem dedit*, altitudinem superbiæ et elationis apte exprimit, per quam iidem primi parentes nostri in anno, id est in tempore, quo nobiliter creati, miserabiliter seducti sunt atque prostrati, cum misera mulier ad vocem serpentis, imo diaboli in serpente loquentis, sed et dicentis: *Eritis sicut dii, scientes bonum et malum*, incaute intumuit honore suo et dignitate ad quam Deus eam condidit, non contenta, scire cupiens quod scire non licuit, similis Deo fieri voluit. Ista sane cæca mentis elatio erat, sicut dictum est, Thartban ille, nuntius videlicet diaboli, **58** quem Azotum misit, per quem primum mulierem igne incendii sui, id est concupiscentia vetiti pomi inflammavit. Postea per eam nobilem illud protoplastum Adam elisit et supplantavit. Ipse enim auctor et incentor tanti sceleris fuit, sicut sequens mox littera de illo subjungit.

Cum misisset, inquit, *eum Sargon rex Assyriorum*. Nomine *Sargon*, qui interpretatur, sicut diximus, *princeps horti*, apte diabolus valet intelligi; hortus vero, cujus fructus sicut cito crescit, sic etiam citius transit et deficit, instabile hoc sæculum, sive instabiles et transitorias sæculi voluptates et delicias non incongrue exprimit, quarum princeps jure diabolus nominatur. Per eas enim incautas hominum mentes capit et decipit. Ipse etiam dicitur et est *rex Assyriorum*. Assyrii, qui interpretantur *dirigentes*, significare possunt universos homines Deo creatori suo humiliter subesse nolentes, qui juxta voluptates et desideria carnis suæ se ipsos dirigunt, et ab aliis sub humili propter Deum obedientia dirigi nolunt. Iste *Sargon, rex Assyriorum, cum misisset Tharthan in Azotum, et pugnasset contra Azotum, et cepisset eam*, hoc est cum primum contra nobilem illam creaturam per turrem elationis et superbiæ pugnasset, *et cepisset eam*, igneque, id est concupiscentia ligni vetiti succensam prostravisset, *in tempore illo locutus est Dominus in manu Isaiæ filii Amos dicens: Vade et solve saccum de lumbis tuis, et calceamenta de pedibus tuis*. In Amos, qui interpretatur *robustus*, Deus omnipotens, qui fortitudine et potentia divinitatis suæ omnia sustinet, omnia complet, satis convenienter intelligi valet. In *Isaia* filio Amos, unigenitus Dei Filius non indigne est accipiendus. *Sermo* ille, quem *in manu* ejus locutus est Dominus, præceptum illud et obedientia illa fuit, quam Deus Pater ei communicato cum eodem Filio, et Spiritu sancto consilio dedit, quando eum ad reparandum et restaurandum nobile opus suum, totum videlicet genus humanum, quod in Adam perierat, hominem fieri constituit.

Vade, inquit, *et solve saccum de lumbis tuis*. Ex lumbis carnalis procedit generatio. Et apte per lumbos Isaiæ, **59** per lumbos Domini nostri Jesu Christi, patres ejus, patriarchas videlicet et prophetas, de quorum semine nasci secundum carnem voluit, possumus intelligere. Saccus, qui lumbis illis imminebat originalis culpa criminis erat. Saccum istum omnes ab Adam usque ad Christum nimis laboriose portabant, quia licet sancte et juste in hoc sæculo viverent, omnes tamen post mortem infernum hæreditabant. Tandem in fine sæculorum respiciens Dominus afflictionem populi sui, Unigenitum suum misit in mundum, dicens quodammodo ad eum: *Vade*. Ac si diceret: Grave originalis peccati delictum, quo totum genus humanum constrictum tenetur, nequaquam nisi per te solvetur. Tu illud portabis, tu eas, quas meruit, pœnas solves. Solus tu pro omnibus mihi satisfacies. Sed quia in divinitatis tuæ potentia, qua coæqualis mihi es et consubstantialis, fieri hoc non valet, necesse est ut vadas. *Vade* de æternitate divinitatis ad temporalitatem humanæ mutabilitatis, *vade* humanæ formam naturæ assumendo, *tolle saccum de lumbis tuis*, eos de quibus et pro quibus nasciturus es, nodo veteris piaculi morte tua expediendo.

Et calceamenta tua tolle de pedibus tuis. Si per lumbos Christi patriarchas et prophetas intelligendos diximus, de quorum semine nasci voluit, per pedes ejus sanctos apostolos non incongrue accipimus, qui pro certo pedes ejus fuerunt, quia prædicando eum fidemque ejus constanter docendo, quasi per totum mundum portaverunt. De istis pedibus suis tulit quodammodo *calceamenta*, quando abolito in sanguine suo originali crimine, quod per saccum intelleximus, etiam post mortem, resurrectionem et ascensionem suam novo et inaudito sancti Spiritus charismate delibutos et imbutos ab actualibus nihilominus peccatis, quæ per calceamenta, quæ ex mortuis fiunt animalibus, apte intelliguntur, expiavit et emundavit. Nam postquam tanta gratia sua Spiritus sanctus eos replevit et inebriavit, parum aut nihil, sicut credere possumus, de actualibus peccatis ultra eis adhærere potuit.

Hos Domini pedes notat alibi sacra Scriptura ubi dicit: *Egredietur diabolus ante pedes ejus* (*Habac.* III, 5) et recte hoc sanctis apostolis congruit, quia euntibus **60** illis per universum mundum et prædicantibus subsistere ante eos diabolus non potuit, familiaria infidelium corda, ex prædicatione so-

rum calore fidei succensa et inflammata, diutius inhabitare non potuit. Præmisso etenim Patris præcepto, quod dedit Unigenito suo ad restaurandum genus humanum, quid jam fecerit Filius propheta ostendit, cum protinus ex persona ejus subjungit et dicit:

Et fecit sic, *vadens nudus*[1], *et discalceatus. Fecit sic*, hoc est obedivit Patri humanitatis nostræ miserias in se suscipiendo, quemadmodum dicit Apostolus: *Exinanivit seipsum formam servi accipiens* (*Philipp.* II, 7).

Nec transeunter animadvertendum est quod dicit: *Vadens*. Qui vadit, de loco ad locum transit. Et recte verbum hoc, *vadens*, mutabilitatem humanitatis nostræ quam suscipere in se Unigenitus Dei venerat ostendit. Ille enim qui secundum divinitatis suæ substantiam lumen habitans inaccessibile, nec moveri, nec mutari, nec videri poterat, in assumpta propter nos humanitatis forma mobilis, mutabilis atque visibilis fieri voluit. Ille, de quo scriptum est: *Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient* (*Psal.* CI, 28), qui nullum accidens habuit in divinitate, utpote nunquam minor, nunquam major, nunquam senior, nunquam junior, hic propter nos, quasi *vadens* factus est. *Vadens*, inquam, de sinu Patris in uterum matris, *vadens* de Virgine nascendo, *vadens* infantilis jura ætatis sub Virgine matre sustinendo. Sicque singulos ætatum gradus transiit, donec in robur virilis ætatis surrexit. Sic *vadens* erat propter homines, *vadens* tamen non sicut cæteri homines. *Vadens* utique *nudus, et discalceatus: nudus* a peccato originali, *discalceatus* ab omni peccato actuali.

Et dixit Dominus: Sicut ambulavit servus meus Isaias nudus, et discalceatus, trium annorum signum et portentum erit super Ægyptum et super Æthiopiam, sic minabit rex Assyriorum captivitatem Ægypti, et transmigrationem Æthiopiæ, juvenum et senum, nudam et discalceatam, discoopertis natibus ignominiam Ægypti. Trium annorum numero, tria tempora intelligenda æstimo. Tempus utique ante **61** legem, tempus sub lege, tempus sub gratia; per Ægyptum et Æthiopiam, gentilem plebem atque Judeam. Venit Unigenitus Dei adventu suo visitare et consolari, non solum eos quos tempus gratiæ hic invenerat, sed et illos quos tempus ante legem, et sub lege, cum recta fide et spe ad infernum transmiserat.

Nec sine causa quidem addidit: *Signum et portentum erit super Ægyptum et super Æthiopiam.* Signum sæpe in sacra Scriptura accipitur in bono, portentum in malo. *Signum* erat gentibus, *portentum* erat Judæis. Signum erat fidelibus et salvandis, portentum erat infidelibus et damnandis. Quia quotquot ex gentibus sive Judæis humilem ejus in carne adventum humiliter credendo et recte vivendo susceperunt, his *signum* erat æternæ salvationis. Qui autem reprobaverunt eum non credendo, vel qui susceperunt, et non recte vivendo a vera fide erraverunt, et ita inventi sunt, his *portentum* erat æternæ damnationis

Per *regem* autem *Assyriorum*, de quo subjungitur: A *Sic minabit rex Assyriorum captivitatem Ægypti et transmigrationem Æthiopiæ*, apte diabolum, hostem antiquum possumus accipere; qui utique rex est et Dominus omnium, se non secundum Deum, sed secundum voluptates et concupiscentias carnis dirigentium; Assyrii enim interpretantur *dirigentes.* Captivitas autem Ægypti est multitudo gentilis populi, transmigratio Æthiopiæ multitudo Judaicæ plebis. Nec incongrue. Ægyptus enim interpretatur *angustans tribulatio*, Æthiopia *tenebræ*, sive *caligines*. Et bene quidem plebs gentilis captivitate Ægypti notatur; plebs Judaici populi per transmigrationem Æthiopiæ figuratur. Gentilem enim populum quasi sub jugo et potestate sua diabolus tribulabat et angustabat, et quasi captivum tenuit, quia ad quæcun- B que flagitia voluit, eum, utpote Dei et Creatoris sui prorsus ignarum, potenter inclinavit. Populus vero Judaicus caligine superbiæ et perfidiæ contenebratus, quasi sponte a Deo transmigravit; quia Unigenitum Dei, quem ex lege et prophetis venturum in carne audierat, hunc jam venientem et viam vitæ doctrinis et exemplis ostendentem reprobavit, **62** hunc Deum et Salvatorem credere noluit. Sic plane populo illi transmigranti, et in hac transmigratione persistenti adventus Christi, quasi portentum erat æternæ damnationis. Populo autem gentili, qui per fidei et baptismatis sacramentum captivitatem diaboli erupit, erat adventus Christi signum æternæ salvationis.

Quod autem post captivitatem Ægypti et transmi- C grationem Æthiopiæ subjunctum est, *juvenum et senum*, eosdem duos populos æstimo intelligendos *Senior* quodammodo erat populus Judaicus, quia prior electus; populus vero gentium erat quodammodo *junior*, quia in electione posterior. Hos etiam aliunde notat Scriptura, quæ dicit: *Major serviet minori* (*Gen.* XXV, 23) Sed sicut Judæos et gentes, omnes utique credentes, et rectæ fidei recta opera jungentes Christus venit salvare, sic hic, qui semper quietus erat in divinitate, nudus ab originali, discalceatus ab omni peccato actuali, ambulare, hoc est laborare, patiendo, moriendo in assumpta propter nos humanitate dignatus est. Sic diabolus, qui sicut fortis armatus custodiebat atrium suum, D qui in pace possederat totum genus humanum, magis post adventum, quam ante adventum Christi furit et insanit, minans et impugnans non modo captivitatem Ægypti et transmigrationem Æthiopiæ, *juvenum et senum*, hoc est non solum gentes et Judæos, sed et *nudam et discalceatam*, id est multitudinem eorum qui, ab originali et actuali peccato per baptismum liberati, vel post violatum baptisma per pœnitentiam et satisfactionem purificati sunt et emundati.

Sed quomodo *minat eos discoopertis natibus*, *ignominiam Ægypti?* Hoc est impudicitia et turpitudine carnis carnaliumque voluptatum, quod est *ignominia Ægypti*. Per hanc et ad hanc *ignominiam Ægypti minat*, et usque ad finem sæculi minare non

cessat non modo gentes, et Judæos et malos Christia- A nos, qui secundum carnem carnisque concupiscentias libenter vivunt, sed et illos qui voluptatibus sæculi renuntiaverunt, qui vigiliis, jejuniis cæterisque piis laboribus carnem suam propter Deum mortificantes in puritate cordis et castitate corporis placere Deo satagunt, dum eis aut ea quæ aliquando egerunt turpiter **63** ingerit, aut ea quæ nunquam fecerunt, nec etiam cogitaverunt, nunc cogitanda, nunc facienda suggerit. Sic minat modo gentes et Judæos, malos et bonos. In fine tandem sæculi, quando florere incipiet ficulnea et omnes arbores, quando plenitudo gentium introierit, et omnis Israel salvus erit, tunc demum implebitur. Quod hic subinfertur.

Et timebunt et confundentur ab Æthiopia spe sua, et ab Ægypto gloria sua. In fine, inquam, sæculi, quando Judæa, quæ in tenebris et caligine infidelitatis suæ nunc jacet repudiata et repulsa, ad Christum et fidem Christi colligetur, et gentilitas, quæ necdum Deo credidit, plenarie per eam convertetur, sicut de eis dictum est per prophetam dicentem : *Convertentur ad vesperam, et famem patientur ut canes, et circuibunt civitatem* (*Psal.* LVIII, 7). Tunc princeps ille dæmonum, omnesque satellites ejus, maligni utique spiritus, tandem *timebunt*, *et confundentur ab Æthiopia spe sua*, id est a Synagoga, quam nunquam se amittere sperabant. *Et ab Ægypto gloria sua*, hoc est a Gentilitate, de cujus perditione semper se coram principe suo gloriaturos et gavisuros æstimabant.

Et dicet habitator insulæ hujus in die illa. Nomine insulæ carnalis concupiscentia, sive ipse homo carnaliter vivens, et concupiscentias carnis diligens, convenienter potest intelligi. *Habitator insulæ hujus*, habitator, inquam, cujusque hominis, in concupiscentia carnis jacentis, malignus spiritus quilibet, qui ad flagitia eum instigat et accendit, non incongrue est accipiendus. *In die illa* plenariæ conversionis Judæorum et gentium, erit, ut credibile est, vox ista malignorum spirituum de salute electorum plangentium atque dolentium.

Ecce, inquiunt, *hæc erat spes nostra*, *ad quos confugimus in auxilium*, *ut liberaret nos a facie regis Assyriorum.* Ecce isti de quorum fide et conversione D subito perterriti sumus et confundimur, illi profecto sunt quos auxilio nobis et liberationi esse putavimus a facie regis Assyriorum, pro quibus honorandos nos coram principe nostro speravimus. Jam plenarie conversi sunt, jam **64** omnes crediderunt Christo, quos æterno nobiscum deputandos æstimavimus supplicio.

Et quomodo effugere poterimus nos? Ad quos confugiemus, quia jam eos amisimus, quos sub potestate nostra semper habuimus? Quod dicuntæ *Quomodo effugere poterimus nos?* per hoc ostenditur nobis quod et alibi in Scripturis sanctis invenimus, quia dæmones illi qui in decipiendis hominibus minus prævalent, majoribus opprobriis et suppliciis coram principe suo cruciantur. Qui vero agiliores in deceptione hominum sunt, majori honore coram principe suo magnificantur.

Sed quia adventum Domini celebramus, recte secundum hunc, quem præmisimus, mysterii intellectum, verba lectionis hujus eidem Dominico Adventui congruunt. Non illi dico adventui, quando terribiliter veniet ad judicandum, sed illi in quo misericorditer venit ad salvandum. Iste ejus adventus suavis, benignus erat et amabilis, ille gravis erit, districtus erit et terribilis, juxta prophetiam David dicentis : *Ignis in conspectu ejus exardescet, et in circuitu ejus tempestas valida. Advocabit cœlum desursum, et terram discernere populum suum* (*Psal.* XLIX, 2). Iste ejus adventus factus est in misericor- B dia, ille ejus adventus erit in sola justitia. Hunc primum ejus adventum, in quo salvati et liberati sumus, singulis annis hymnis et laudibus et obsequiis, quibus possumus, veneramur, et venerari debemus, ut districtionem et severitatem secundi ejus adventus misericorditer evadere mereamur. Nunc enim extensus in ligno crucis quasi apertas nobis ostendit manus suas ad suscipiendum pœnitentes, nunc dilatata habet brachia, ut colligat et astringat sibi omnes ad misericordiam suam confugientes. Sub hæc ejus brachia confugiamus et ingeramus nos sanctissimis ejus manibus, ne futura illa districti judicii tempestas nos cum impiis abripiat et absorbeat, sed cum justis et salvan- C dis in sinum misericordiæ suæ ipse nos colligat qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

65 HOMILIA X.

IN DOMINICAM III ADVENTUS PRIMA.

Cum audisset Joannes in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi : Tu es qui venturus es, an alium exspectamus? (*Matth.* XXI.)

Tertia ista Dominica Adventus Dominici, in qua beatus Joannes Baptista pro invicta assertione veritatis in vinculis fuisse narratur, ideoque fortitudo ejus a Domino ad turbas ita commemoratur, quod nec *arundo vento agitata*, nec *homo mollibus vestitus. Arundo vento agitata*, esse non debemus. Necesse enim est ut inter prospera et adversa sic statum mentis nostræ solidemus, ne aut vento elationis extra nos rapiamur, aut vento detractionis perturbati infra nos dejiciamur, sed humiles in prosperis, patientes in adversis, invisibilem Conditoris adventum inconcussa mentis tranquillitate præstolemur.

Admonemur etiam, ne simus *homo mollibus vestitus*, hoc est ne propter mollitiem carnis carnaliumque desideriorum voluptatem nosmetipsos negligamus, duris et asperis præsentis vitæ laboribus libenter nos propter Deum subjiciamus. Unde etiam æstimo jejunium Quatuor Temporum idcirco in hanc tertiam Adventus Domini septimanam esse positum, ut qui aliis temporibus minus caute, minus sollicite viximus, nunc saltem ad promerendam et suscipiendam advenientis in carne Filii Dei cla-

ritatem, carnis mollitiem fugiamus per abstinentiam et continentiam, per omnimodam bonorum operum diligentiam infatigabiliter nos exercere studeamus.

Ad hoc denique excitat nos, et instruit hodierna sancti Evangelii lectio, quæ dicit : *Cum audisset Joannes in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis ait illi : Tu es, qui venturus es, an alium exspectamus?* Per *Joannem*, qui *Dei gratia*, vel *in quo est Dei gratia*, interpretatur, homo ille non incongrue accipi poterit quem gratia Christi internæ dulcedinis visitatione prævenerit. Sed quoniam mens humana, terrena adhuc inhabitatione aggravata, in his quæ vix aliquantulum prælibando **66** degustaverit, permanere diu nequaquam poterit, recte Joannes *in vinculis* esse describitur, cum subtracta solitæ visitationis gratia cor hominis induratur. Sic plane quasi quibusdam irretitus nexibus *audit* tantum, sive ab humana voce exterius, sive divina inspiratione interius, *opera Christi*, quæ pro humana salute nascendo, moriendo, resurgendo et ascendendo operatus est in medio terræ. *Audit* etiam, id est perpendit interna cordis consideratione *opera Christi*, opera videlicet miserationis et gratiæ quod plerosque in peccatis obligatos gratuita pietate non dedignatur salvare.

Hac ergo animatus spe, licet interius vinculis illaqueatus, ad internam contemplationem pro voto se non valeat erigere, *mittit* tamen *discipulos* quasi nuntios intimi doloris, exteriorem videlicet exhibitionem bonæ operationis, quemadmodum mox innuit ordo evangelicæ lectionis : *Mittens duos de discipulis suis ait illi.* In eo namque, quod *duos* de discipulis misisse eum asserit, patet profecto quod plures discipulos habuerit. Sed quid hoc loco *duorum discipulorum* nomine nisi fidem et spem aptissime valemus intelligere? Quos nimirum discipulos necesse habet ad Deum dirigere homo quilibet dura cordis astrictus obligatione. *Mittit* procul dubio fidem, cum, licet gravi interius oppressus sit doloris pondere, exterius tamen a bono nequaquam cessat opere. *Mittit* etiam spem, cum det bona opera, quæ agit, solam solummodo æternæ retributionis gloriam, aut amissam internæ visitationis recipere quærit gratiam. Tertius vero nuntius, charitas videlicet quæ est gratia Dei, ideo nequaquam ab eo poterit mitti quia vinculata quodammodo jacet in homine interiori, sed his duobus utens nuntiis dolorem suum inspectori cordium his intimat verbis :

Tu es qui venturus es, an alium exspectamus? Tu es, inquit, *qui venturus* **67** *es* in cor meum, ea scilicet dulcedinis gratia qua dudum visitare me dignata est pietatis tuæ clementia. Quod si dedignaris, *Exspecto alium* valde forsitan mihi contrarium

Et respondens Jesus dixit illis. Respondere Dei est, dum occulta inspirationis gratia sensibus hominis piæ admonitionis dat consilia. *Euntes*, inquit, *renuntiate Joanni quæ audistis et vidistis.* Ac si aperte dicat : *Euntes* per bonæ devotionis deside-

A rium, *euntes* per inceptum bonæ actionis studium *renuntiate Joanni quæ audistis* per intellectum, *et vidistis* per experimentum. Renuntiare siquidem Joanni est hominem ad memoriam reducere, quomodo spiritali aliquando intelligentia cognoverit quæque secreta Scripturarum mysteria, et quantam dulcedinis abundantiam expertus sit per internæ visitationis gratiam. Sequitur :

Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur. Et beatus qui non fuerit scandalizatus in me. Cæci quodammodo sensus hominis sunt, cum terrenæ tantummodo vanitatis imaginibus intendentes, ea quæ lucis sunt videre non possunt. *Vident* autem, cum Deo præveniente et conversionem inspi-
B rante fugata terrenæ occupationis nebula, pro nihilo ducunt terrena omnia. *Claudi* vero *ambulant*, quando hi qui aliquando a semitis claudicabant justitiæ, per dignam quandoque operationem rectas incipiunt semitas incedere. *Leprosi mundantur*, cum hi videlicet qui ob vitiorum contagionem quasi *leprosi* in interiori homine erant, postmodum per puram confessionem veram recipere merentur emundationem. *Surdi audiunt*, dum hi qui prius ad sanæ prædicationis doctrinam aures audiendi non habebant, revelata postmodum cordis aure salubriter his quæ dicuntur valent intendere. *Mortui resurgunt*, dum hi procul dubio qui aliquando sarcina peccatorum gravati morte animæ erant mortui, postmodum divina præventi miseratione per veram
C peccati cognitionem, mortificando in se vitia, justitiæ laudabiliter incipiunt vivere. *Pauperes evangelizantur*, quia qui sic per peccati cognitionem ad veram perveniunt cordis humiliationem, **68** recte *evangelizari* dicuntur. Nam pro certo totum ad profectum eis perveniet salutis quidquid extrinsecus ab ore perceperint evangelizantis. *Et beatus, qui non fuerit scandalizatus in me.* Scandalizare est occasionem peccandi præbere. Quis vero scandalizari unquam in Domino potuit aut poterit, qui sicut a peccatis liber est solus, ita etiam naturaliter est summe bonus? Sed si hæc eadem ejus verba subtili fuerint consideratione inquisita, evidenti patebit indicio, quis sit qui scandalizetur in eo. Quisquis enim his Domini beneficiis quæ prædiximus, nullas
D reddendo gratiarum actiones exstiterit ingratus, et propriis meritis ascribendo magis in se gloriari voluerit quam in Domino, hic revera scandalizatus dicitur in eo.

Hic ergo æterna et summa Bonitas homini cuilibet in tali, ut diximus, cordis duritia posito innuit, unde tam graviter vinculatus sit. Quod idem est ac si aperte dicat : Quia subtracta visitationis meæ gratia diræ nunc afflictionis in interiori homine te coarctant vincula, sollicita intentione perpende unde districtionem promerueris obligationis tantæ. Per illuminantem siquidem spiritus mei gratiam *cæcos* aliquando sensus tuos lucem cognoscere feci veram, *claudis* vero ejusdem sensibus bonæ opera-

tionis fortitudinem, *leprosis* veram munditiæ integritatem, *surdis* auditum contuli salubrem, *mortuos* vero in peccatis veram dando peccati cognitionem resuscitavi a vitiis, et sic demum *pauperes*, id est vero feci humiles. Sed quia hæc omnia, quæ divinitus tibi erant collata, extollendo te super te, virtuti ascripsisti propriæ, quodammodo in me scandalizatus, dura nunc mentis constrictione es gravatus. Cum vero Deus hæc omnia in corde hominis occulta inspirationis loquitur gratia, fit profecto quod hic subdidit evangelista :

Illis autem abeuntibus cœpit Jesus dicere ad turbas de Joanne. Illis, inquit, *abeuntibus*, id est discipulis supra memoratis, in bonæ operationis exercitio et piæ devotionis desiderio perseverantibus, *dicere incipit Jesus de Joanne ad turbas*, ad turbatos videlicet hominis sensus. Dicere autem Dei est ipsius facere, cum per secretam visitationem hominem cognoscere facit, quantam **69** spiritalium donorum gratiam amiserit, et quantam calamitatis miseriam invenerit. Et notandum, quod non ait evangelista *dixit*, sed, *dicere cœpit*, quia nimirum postquam interna Redemptoris gratia ad cor prævenerit, tunc demum attendere seipsum homo poterit, et secum tractat in cordis amaritudine, quod prius male dulce erat et delectabile, juxta quod hic commemorant verba lectionis evangelicæ :

Quid existis in desertum videre? Arundinem vento agitatam? Per *desertum* namque nonnullis locis Scripturarum præsens accipitur sæculum, eo videlicet quia a dignæ operationis fructu quodammodo videtur esse vacuum. *In* quod *desertum* tunc homo *exire* dicitur, cum laxata mentis custodia male libere vagatur circa terrena. Dum vero in se reversus perpendere incipit, quale detrimentum animæ suæ ita exeundo fecerit, gemebunda cordis voce sensus suos ita redarguit : *Quid existis*, inquit, *in desertum videre?* Ac si dicat : O miseri et miserabiles sensus mei interiores, quid commodi, quid utilitatis *in deserto* hoc consecuti estis in quod toties circumvagando *existis?* Quem, inquam, fructum in his nunc habetis in quibus male intenta cogitatione nonnunquam delectati estis? Nullum enim profectum, nullam omnino hæc omnia aliam contulerunt gratiam nisi *arundinem*, animam videlicet ab omni spirituali gratia aridam. *Arundinem*, inquam, *vento agitatam*, animam nimirum ventosa instabilitate inquietam. *Vento* siquidem *agitata* non incongrue illa dicitur anima quæ in prosperis vento extollitur elationis, in adversis vero turbine dejicitur iræ et indignationis. Cum vero homo interior ita circa terrenas vanitates vagando *exit* et distenditur, consequens est etiam ut his delectatus miserabiliter rursus exeat, quemadmodum sequens verborum ordo denuntiat :

Sed quid existis videre? Hominem mollibus vestitum? Vestiri siquidem *mollibus* est corpus corruptibile desideriis fovere carnalibus. *Mollibus*, inquam, *vestiri* tunc homo dicitur, cum ea quæ inaniter cogitando intus in mente conceperit, male suaviter delectando fovere in se ac nutrire appetit. Quale vero animæ periculum ita exiens subeat, **70** lectio evangelica congruo mox ordine commemorat. *Ecce*, inquit, *qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt*. Hoc loco regum nomine male dominantes vitiorum potestates debemus accipere. Quicunque ergo carnalibus desideriis dediti delectationibus suis nequaquam volunt reniti, hi nimirum non unum, sed plures in se male dominantes habent reges, quia pro certo servi sunt tot dominorum quot in se regnare permittunt jura vitiorum.

Notandum vero quam convenienti ordine tres exitus exprimuntur in hac evangelica lectione. Primus siquidem exitus fit cogitando, sequens vero delectando, tertius autem operando, quemadmodum sequitur : *Sed quid existis videre? prophetam? Etiam dico vobis, plusquam prophetam*. Cum enim tali modo, ut prædiximus, miserabiliter homo cogitationibus exierit, et delectationibus, fit plerumque ut deterius tertia vice rursus *exeat*, id est ut illicita perpetrare operibus incipiat, quæ mala prius consuetudine cogitando et delectando, secreto cordis loco volvebat. Sed salvandus quisque dum in se reversus semetipsum attendere incipit, fit non solum *propheta*, sed etiam *plusquam propheta*. *Propheta* namque fit, cum mala futuræ damnationis, quæ pro perpetratis pravæ actionis operibus subire debeat, flebili cordis oculo prævidendo sibimetipsi prophetat. Tunc vero *plusquam propheta* fit, dum judicium Dei præveniendo per districtam satisfactionem ipse per se hoc in præsenti punit, pro quo in futuro examine puniendum se esse recognoscit. Sic, sic dum exitiales exitus suos hoc modo in se quisque recognoscit, et crebra lamentatione plangit, quod ita misere et miserabiliter cogitando, delectando et operando exierit, fit profecto quod evangelista subdidit.

Hic est enim de quo scriptum est : Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Hoc loco nomine *angeli* dulcedo spiritalis gratiæ apte valet figurari. Per *faciem* vero, qua homo quilibet agnoscitur, recte notitia Dei accipitur. *Angelus* ergo *ante faciem* hominis *mittitur*, quia cum spiritalis gratia suaviter cor hominis visitando prævenerit, tunc veraciter et se et Deum cognoscere poterit. **71** *Præparat* etiam *viam*, quia pleniter hominem instruit, quomodo in via veritatis ambulans Auctori suo viam ad cor parare possit.

Sed notandum quod non ait : *Hic est de quo dictum est*, sed, *de quo scriptum est*. Omne enim quod dicitur, transit; quod autem scribitur fixum permanet. Si quis igitur tali, ut diximus, ordine profecerit, et calamitatis suæ miseriam pœnitendo recognoverit, de hoc nimirum non dictum, sed *scriptum est*, quod *angelus* hic præparans viam *ante faciem* ejus mittatur, quia videlicet, quantum possibile est in hoc mutabilitatis tempore, gratiæ spiritalis dulcedinem manentem habet in se.

Hæc de lectione evangelica, prout Domino donante potuimus, disseruimus; nunc de lectione et officio ejusdem Dominicæ ad ædificationem audientium pauca subjungamus. Prima Dominica Adventus Domini populo gentium specialiter assignatur, quia in hoc adventu Ecclesiam de Gentibus specialiter vocasse dignoscitur. Secunda Dominica, in qua cantatur: *Populus Sion*, populum specialiter notat Judæorum, quod et ipsi, licet loco secundo, post gentes in adventu Domini spem salutis habere debeant. Hodierna autem Dominica ad utrumque populum spectare sana fide et intellectu credi potest. Sed ut de gentibus et Judæis adhuc aliquid nobis utilius audiamus, Judæos in Ecclesia innocentes, gentes pœnitentes dicamus. Hic sane duobus ordinibus totum consistit Ecclesiæ corpus, quod quotidie proficit, et augmentatur in pœnitentibus per pœnitentiæ medicamentum, et in innocentibus lætatur et gloriatur per quotidianum virtutum profectum. Hos omnes admonet Paulus in officio hodierno dicens: *Gaudete in Domino semper, iterum dico: Gaudete.* Tanquam si dicat ad eos, qui medicamento pœnitentiæ sanati sunt: O vos, quos Deus sua gratia per pœnitentiam a peccatorum sordibus eripuit, *gaudete in Domino*, non propriis, quod estis, meritis ascribendo, sed simpliciter ipsius dono attribuendo. Sed et vos *gaudete*, qui capitalibus criminibus non estis depravati, *gaudete in Domino*, non in vobis, bona vestra ipsius clementia vobis concessa conservate, et propter vestras virtutes vobis impares nolite despicere. Potens enim est hodie in peccatis jacentes **72** uno momento per pœnitentiæ satisfactionem ad magnam perducere bonorum operum perfectionem. Sequitur:

Modestia vestra nota sit omnibus hominibus. Modestia dicitur non solum corporis castitas, qua homo ab illicitis actibus sese abstinet, sed et hoc *modestia* vocatur, qua totam vitam suam tam in prosperis quam in adversis bona quadam mensura ita moderatur, ut si gaudet, non superflue gaudeat; aut si tristatur, supra modum non contristetur, sed in utroque congruentem modum aut temperantiam Dei munere fortiter teneat. Quæ *modestia nota* debet esse *omnibus hominibus*. Liquet, quod unius hominis bona actio *omnibus hominibus* non possit esse *nota*, sed est quasi dicat: Talis sit in omnibus vitæ vestræ modus et temperantia, ut omnes, in quorum medio conversamini, de bona vestra conversatione boni profectus percipiant exempla. Cur autem hanc modestiam habere debeamus, aperte denuntiat, dum subjungit:

Dominus prope est. Dominus, quem nihil latere potest, *prope* vos *est*, semper et ubique vobis præsens est, omnia opera vestra contemplatur, et considerat: et ideo tales vos exhibete, ut possitis oculis majestatis ejus digne complacere. Vel ideo ait *Dominum esse prope*; quia sacratissimum imminet tempus Dominicæ Incarnationis, in quo corda et

A corpora nostra, præ cæteris diebus, in bonis actibus sollicitius exercere debemus.

Nihil solliciti sitis. Sollicitudo vocatur quæque superflua cura. Ille sollicitatur qui terrenis et transitoriis rebus implicatur. Ab hac superflua cura animum debemus revocare, quia præsentibus et caducis præter necessaria non oportet inhærere. *Sed in omni*, inquit, *oratione, obsecratione et gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum.* Dignitas orationis tribus consistit modis. Tunc *oramus*, quando pro adipiscenda peccatorum nostrorum indulgentia Dei misericordiam imploramus. Tunc *obsecramus*, cum pro necessaria virtutum acquisitione assiduis precum singultibus Deo supplicamus. *Gratiarum* vero *actiones* persolvimus, cum concessa

B nobis dona in vera humilitate custodimus. *In hac oratione, obsecratione, ac gratiarum actione petitiones* nostræ *innotescunt apud Deum*, quia si in **73** tempore orationis cor per multa distentum non recesserit a nobis, imo vox oris concordet labiis cordis, tunc vere a Domino audiri merebimur, et petitionis nostræ effectum consequemur. Ad hoc etiam admonet nos et hortatur in Lectione hodierna beatus Apostolus, cum dicit: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei* (*I Cor.* IV). Oportet namque ut in omnibus quæ agimus, tales nosmetipsos exhibeamus, ut et intus Deo placeamus, et foris proximo non displiceamus, ut dum factis et dictis aut honori Dei, aut ædificationi proximi intendimus, veros nos Christi mini-

C stros esse comprobemus. Si quis autem nobis contradixerit, si quis **74** blasphemaverit, si quis nos præjudicaverit, parvipendere et patienter sustinere debemus pro Domino, dicentes cum Paulo: *Mihi autem pro minimo est ut a vobis judicer, aut ab humano die, sed neque meipsum judico* (*I Cor.*, III). Non enim humanis criminationibus cedere, neque humanis favoribus nosmetipsos debemus credere, quatenus dum soli illi placere contendimus, a quo subsistimus, ipsum et in præsenti vita gubernatorem, et in futura vita remuneratorem habere mereamur Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

D

HOMILIA XI.

IN EAMDEM DOMINICAM SECUNDA

Et factum est in quarto decimo anno regis Ezechiæ ascendit Sennacherib rex Assyriorum super omnes civitates Juda munitas, et cepit eas (*Isa.* XXXVI.)

Quoties in prophetis, sive ipsis prophetarum Domini dictis, verbum istud, *et factum est*, invenimus: magnum aliquid et memorabile insinuari non ambigimus. Ergo *factum* hoc quod in principio præsentis hujus historiæ magnus propheta Domini Isaias posuit, magnum divinæ miserationis opus mystice insinuat, quod misericors Dominus misericorditer operatur cum peccatoribus. Ezechias enim *fortitudo Domini* sive *apprehendens Dominum* in-

terpretatur. Et bene Ezechias appellari homo peccator poterit, quando sublevante eum Domino atque confortante relinquere peccata deliberat, quatenus eum quem fugavit, quem peccando a se alienavit, per spiritalis vitæ meritum revocare et *apprehendere* utcunque valeat. Hoc autem quando vel qualiter fiat, mysticus *quarti decimi* numerus *anni* mystice insinuat, qui cum perfectus sit, ad perfectionem quatuor Evangeliorum, sive ad observantiam decem præceptorum, sive ad excellentiam quatuor cardinalium virtutum apte nos transmittit. *Regnare* enim quasi in *quarto decimo anno* Ezechias dicitur, quando secundum sacram Evangelii doctrinam vitam moresque suos regere et disponere, quando in observantia decem præceptorum se ipsum exercere, quando in omni virtutum profectu laudabiliter procedere nititur. Hoc sane cum magnum et memorabile divinæ pietatis opus sit, recte subsequenti historiæ verbum istud, *et factum est*, præponi et præscribi debuit. Sed videamus quid sequitur.

Ascendit Sennacherib rex Assyriorum super omnes civitates Juda munitas, et cepit eas. Sennacherib, qui interpretatur *tollens deserta*, diabolum significat, qui deserta a Deo corda suæ ditioni subdit et vindicat. Qui *ascendit super omnes civitates Juda munitas*, per quas accipere possumus universos homines confessionem Dei in se habentes, confessionem, inquam, quam in baptismo susceperunt, ubi renuntiantes diabolo et pompis ejus soli Deo vivere devoverunt. Qui bene *civitates munitæ* dicuntur: quia magna et summa est munitio data in baptismate peccatorum remissione Christi insigniri signaculo. Sed omnes, qui hanc fidei confessionem, hujus signaculi munitionem bonis et perfectis operibus non condecorant post baptisma neque conservant, escensum Sennacherib regis Assyriorum super se provocant, qui illos, licet baptismatis gratia munitos, capit, quando corrupto per peccata fidei signaculo suo eos mancipare incipit dominio. **75** Hoc modo super eos, qui in sæculo sunt, et seculariter vivunt, *ascendit* et regnat. Nec tamen persequi eos obliviscitur, qui in Jerusalem habitant, qui Ezechiam merito et nomine imitantes, ad perpetuæ pacis visionem corde et animo festinant. Unde mox subjungitur: *Et misit rex Assyriorum Rapsacen de Lachis in Jerusalem ad regem Ezechiam in manu gravi, et stetit in aquæductu piscinæ superioris in via agri fullonis.* Sennacherib diabolum, ut diximus, significans, rex est Assyriorum, hominum videlicet illorum qui, secundum propriam suam voluntatem seipsos dirigentes, dirigi ab aliis per obedientiam aspernantur: Assyrii enim *dirigentes* interpretantur. *Mittit* ergo *Sennacherib* legatum suum *in Jerusalem*, in sanctam videlicet quamlibet conversationem, ubi homines illi congregati sunt et congregantur, qui pacem sibi a peccatis divina adjuvante misericordia facere conantur. Jerusalem *visio pacis* interpretatur. Sed quis iste legatus, vel quale nomen ejus? *Rapsaces* A videlicet *de Lachis*. Nomine *Rapsacis*, qui *princeps deosculans*, sive *multus in osculo* interpretatur, spiritus carnalis concupiscentiæ non incongrue significatur, qui recte nomen *principis deosculantis* sortitur, quia carnalis amorem concupiscentiæ, qui per *osculum* intelligi poterit, in corde hominis suscitat et accendit. Dicitur etiam *multus in osculo*, quia multæ et innumerabiles suggestiones ejus sunt, quæ miserum hominem ad carnalium delectationes voluptatum instigant et illiciunt. Venit autem *de Lachis*, quod interpretatur *interest*, vel *sibimet vir*, quæ interpretatio nominis bene eidem Rapsaci, maligno scilicet spiritui congruit. *Interest* enim ipse inter hominem et Deum, homini videlicet ad Deum tendenti suo quasi interesse viam impe- B diens. Est etiam *sibimet vir*, quia magna et quasi virili quadam fortitudine hominem impugnat et opprimit, sicut sequens littera manifeste declarat, cum dicit:

In manu gravi. Gravis revera manus ejus est; quia nullus hominum sine prævalido Dei adjutorio resistere ei potest, quia quem vigilantem flectere ad vitia non poterit, vel dormientem immundis immissionibus suis inquietare non metuit. Quid tamen sit, quo gravis **76** hæc manus ejus comprimatur et superetur, subjecta tandem littera apte nobis insinuare videtur:

Et stetit, inquit, *in aquæductu piscinæ superioris in via agri fullonis*. Per *piscinam superiorem* cordis C accipere possumus compunctionem, quæ bene piscina superior dicitur, quando aut ex desiderio cœlestium bonorum oritur. *Aquæductus* autem *piscinæ superioris* non incongrue significat assiduitatem compunctionis. Quæ si *in via agri fullonis* fuerit, invisibilis *Rapsaces* transire in Jerusalem, perficere, inquam, in homine malignam voluntatem suam non poterit. Nomine *fullonis*, qui nigra et sordida vestimenta labore suo pulchra et candida efficit, Deus omnipotens, Pater misericordiarum jure intelligitur, qui cor et corpus hominis deforme et immundum ex contracta multiformis labe criminis per supernæ respectum miserationis, in statum reformat pristinæ pulchritudinis atque decoris. Hujus *ager fullonis* merito tum homo dicitur, cum more sagacis D agricolæ exteriores corporis sensus, oculos videlicet, pedes atque manus in bonis operibus exercere, interiores vero sacris verbi Dei meditationibus atque retractationibus jugiter excolere nititur. Talibus profecto operibus hanc apud Deum gratiam homo promeretur, ut *aquæductum illum piscinæ superioris*, de quo paulo ante diximus, *in via*, id est in promptu habere valeat, qui prædictum Rapsacen in Jerusalem transire, hoc est qui cum animæ ad æternæ pacis visionem tendenti nocere et prævalere prohibeat. Assiduitate enim compunctionis diabolus devictus prosternitur, homo contra ignitas ejus sagittas magis et magis convalescit et confortatur, quemadmodum ex sequentibus verbis manifestius significatur:

Et egressus est, inquit Scriptura, *ad eum Eliacim filius Helciæ, qui erat super domum, et Sobna scriba, et Joe filius Asaph a commentariis.* Tres viri isti Eliacim, Sobna atque Joe unum hominem significant, hominem videlicet illum, qui per boni laboris exercitium sanctæque meditationis studium, nobilis fullonis illius, de quo præmisimus, ager effectus, atque per dulcem et desiderabilem aquæductum, assiduæ scilicet compunctionis meritum, a pristinæ conversationis **77** sordibus divinitus ablutus est et emundatus. Eliacim enim *resurgens Dominus* interpretatur, quod nomen apte illi congruit, qui in novitate vitæ resurgens dominari peccatis et vitiis promeruit. Sic, sic resurgendo et dominando *filius Helciæ*, filius inquam, *omnipotentis Dei* fit, quem nomine suo *Helcias* convenienter exprimit. Helcias quidem *Deus Dominus* interpretatur. Fit etiam *Sobna scriba*, quod *sedens* vel *revertens* dicitur, quando a via iniquitatis aversus totoque corde et corpore ad Deum reversus, secundum sanam sacræ Scripturæ doctrinam quiete et humiliter graditur coram Deo et hominibus. Fit nimirum *scriba*, quando divina præcepta cordi suo diligenter præscribit, ut custodiat; fit *sedens*, quando in omni proficit humilitate, ut humili Deo complaceat; fit *revertens*, quando ab exterioribus et caducis rebus se ipsum retrahit atque constringit, ut toto cordis desiderio transire in Deum valeat. Sicque et *Joe*, quod interpretatur *frater hic*, sive *frater Domini*, vel *factura fratris*, merito appellari potest, quando Dei omnipotentis, cujus servus est per conditionem, *frater* fit per bonam et laudabilem conversationem. Est nihilominus *factura fratris* die noctuque renovando in anima sua formam divinæ similitudinis atque imaginis. Talis autem et tanta gratia, quod nonnisi per humilem obedientiam et voluntariam adipisci valeat, manifeste ex eo colligitur, quod jam dictus Joe, *filius Asaph a commentariis fuisse* describitur. Nomine enim Asaph, qui *congregans* interpretatur, bonus quilibet ac timens Deum doctor et magister non immerito figuratur, qui *a commentariis*, id est, sacræ Scripturæ expositionibus sollicite colligit et congregat, unde in se et in filio, bono scilicet subdito, renovare imaginem Dei valeat. Omnis ergo, qui *Eliacim* in novitate vitæ resurgendo, qui *Sobna* in vera humilitate proficiendo, qui *Joe* facturam fratris, id est imaginem Dei pro viribus suis in se reformando, qui *filius Asaph* in humili subjectione obediendo appellari meruerit, hic audenter egredi et pugnare contra invisibilem Rapsacen poterit, quia divino præmunitus auxilio nequaquam ei succumbere habebit. Sed quanto altius **78** homo in spiritali conversatione, in gloriosa virtutum operatione ascenderit, tanto durius tentationum stimulis impugnatur, ut sequentibus verbis suis sæpe dictus Rapsaces declarat, cum dicit:

Dicite Ezechiæ: Hæc dicit rex magnus, rex Assyriorum: Quæ est ista fiducia, qua confidis, aut quo consilio vel fortitudine rebellare disponis? Super quem A *habes fiduciam, quia recessisti a me?* Rex magnus, rex Assyriorum diabolus est, sicut præmisimus, caput omnium iniquorum, qui cum viderit hominem beatum, per Ezechiam designatum, a se recessisse, cum aliter supplantare eum non poterit, carnalis malitiæ et fragilitatis miseriam ei improperat, et dicit: *Quæ est ista fiducia, qua confidis, aut quo consilio vel fortitudine rebellare disponis, quia recessisti a me?* Ac si dicat: Cum in comparatione miræ meæ fortitudinis pulvis exiguus et cinis esse proberis, *qua fiducia vel cujus consilio a me recessisti, vel* cujus *fortitudine* mihi, quem nec carnis infirmitas deprimit, nec dormiendi, edendi sive bibendi necessitas aliquando retardat vel impedit, resistere decrevisti? *Ecce, confidis super baculum arundineum confractum* B *istum, super Ægyptum.* Ægyptus, quæ *tenebræ*, sive *coangustans tribulatio* interpretata sonat, spiritalem quamlibet conversationem hoc in loco non incongrue significat, quæ oculis insipientium et sæcularium hominum tenebrosa valde videtur, quia stultum nimis et absurdum judicant mundum relinquere, carnem carnisque desideria spernere et abjicere. Sed et recte eadem sancta conversatio *coangustans* dicitur *tribulatio*, quia habitatores et dilectores suos, quos per veram hic pœnitentiam *tribulat* et per dignam Deoque placitam satisfactionem *coangustat*, post temporalem tristitiam ad interminabilem æternæ jucunditatis gloriam transmittit et lætitiam. Hoc sane cum hostem antiquum non lateat, circuit die noctuque, et elaborat, ut si omnino hominem a bono proposi- C to suo avertere non valeat, saltem laborem, quem facit, infructuosum et inutilem sibi faciat. *Ecce*, inquit, *confidis super baculum arundineum confractum*. In baculo, quo homo cæditur, districta spiritalis vitæ disciplina convenienter **79** exprimitur, quæ bene *baculus arundineus confractus* appellari poterit, quia a peccatorum pinguedine corpus hominis salubriter arefacit atque confringit. De hac ariditate atque confractione dolens inimicus, per prædictum legatum suum homini loquitur intrinsecus: Ecce, inquiens, *confidis super baculum arundineum confractum.* Ac dicat: Ecce, quia in tenebris conversationis hujus spiritalis abscondisti te, relicta temporalis luce voluptatis, ecce quia tibimetipsi non parcis per crebra je- D junia corpus arefaciendo, per difficilem vigiliarum assiduitatem confringendo, manum meam effugere te posse arbitraris? Nequaquam ita erit, nequaquam vanus iste labor tibi in prosperum cedet. Baculo enim isti arundineo *qui innixus fuerit, intrabit in manum ejus, et perforabit eam.* Ac si dicat: Jejunia tua, vigiliæ et flagella, quibus temetipsum affligis, vana sunt, quia ad nihilum proderunt, nisi quod vires, omnemque corporis tui fortitudinem evacuant et auferunt.

Sic Pharao rex Ægypti omnibus qui confidunt in eo. Per *Pharaonem regem Ægypti* quilibet homo in spiritali vita spiritaliter vivens convenienter designatur, qui dum persequendo peccata regere mores actusque suos secundum voluntatem Dei incipit, et *Pharao et rex* congrue appellari poterit. Pharao enim

persequens, vel *exterminans*, sive *dissipans* interpretatur. Hæc nomina bene conveniunt homini ad perfectionem tendenti, qui vitia, ut diximus, in seipso persequitur, regnumque diaboli dissipare in anima sua et exterminare nititur. Ut autem et *Pharao et rex Ægypti* esse desinat, prædictus Rapsaces in hunc modum invisibiliter eum alloquendo provocat : *Sic Pharao omnibus qui confidunt in eo*. Ac si dicat : Quicunque adeo crudeliter contra se ipsum insurrexerit, quicunque absque misericordia carnem suam tractaverit, sic, quemadmodum dixi, conteretur et confringetur, ac sibi cæterisque omnibus inutilis efficietur. Talibus verbis maledictus Rapsaces in auribus humani cordis loquitur, quando tepescente spiritalis fervoris constantia talem homini cogitationem immittit, ut turbatus in semetipso titubare incipiat, ut nisi spiritalis propositi rigor relaxetur, subsistere se aut perficere posse, **80** quæ laudabiliter cœperat, plerumque diffidat. Si quis vero tantæ probitatis tantæque virtutis est, ut spem suam ponens in Domino, omnes præsentis vitæ labores respectu cœlestis patriæ despiciens, prima hac tentatione superari non valeat, huic alio adhuc modo callide se ingerendo obviat dicens :

Quod si responderis : In Domino Deo nostro confidimus, nonne ipse est, cujus abstulit Ezechias excelsa et altaria, et dixit Judæ et Jerusalem : Coram altari isto adorabitis ? Sed quid sunt ista diaboli verba, nisi quod homo, qui radicatus et fundatus in Domino est, cum nullo corporis labore devictus prædictæ tentationi cesserit, sed viriliter agens, omnia se posse in Domino tentanti inimico responderit, magnitudinem peccatorum suorum idem ei inimicus objicit, si vel desperatione fatigatum a statu rectitudinis dejicere eum possit? *Confidis*, inquit, *in Domino ?* Nonne tu, qui modo factus es *Ezechias*, atque apprehendisse Dominum et in fortitudine ejus Domino meo resistere te posse existimas, nonne tu, inquam, es qui *abstulisti excelsa ejus et altaria ?* Sed quæ, rogo, sunt *excelsa Domini et altaria?* Si subtiliter attendimus, habet in nobis Dominus quædam *excelsa*, quædam, ut ita dicam, excelsiora, quædam excelsissima. Magnum profecto *excelsum* fuit, quod ad imaginem et similitudinem suam ex nihilo nos creavit; excelsius autem illud dicere possumus, quod per regenerationis lavacrum et remissionem peccatorum abolitam in nobis imaginem et similitudinem suam reformavit. Excelsissimum vero non incongrue illud dicimus, quod sensum et intellectum discernendi bonum et malum ex dono gratiæ ipsius accepimus. Nihil enim nobis creari et recreari profuisset, nisi per mentis intellectum illuminatos, per peccati cognitionem et pœnitentiam, saltem post lapsum, reformari licuisset. Hæc Domini excelsa, excelsiora et excelsissima in seipso homo aufert et destruit, quando Deum Creatorem suum et Recreatorem, Dominum suum atque Redemptorem obliviscitur, et peccatorum voragini scienter ac voluntarie involvitur. Post hæc etiam *altaria* Domini aufert, quando ei nullam

A digne satisfactionis oblationem pro commissis suis offert. Objicit ergo hostis malignus **81** converso homini. *excelsa*, inquiens, *et altaria Domini abstulisti*, quia cumulata in te divinæ miserationis dona per innumerabiles luxuriosæ vitæ illecebras in anima et corpore tuo depravasti et dissipasti, et super hæc omnia nulla, quæ tantis sceleribus congrueret, emendationis atque satisfactionis hostia Dominum tibi reconciliasti. Et nunc *dicis Judæ et Jerusalem*, animæ videlicet et corpori tuo : *Si coram altari isto adoraveritis*, si in sancta hac conversatione vere humiliati fueritis, omnes pristinas transgressiones et excessus diluere coram Deo valebitis. Sed tali hac cogitatione fallis teipsum ac decipis, quia indignus Deo Creatori tuo, nostro, ut peccator desperatus, jure

B manciparis dominio.

Trade igitur te nunc domino meo regi Assyriorum, et dabo tibi duo millia equorum, nec poteris ex te præbere ascensores eorum. Equorum nomine, sicut plerumque in Scripturis sanctis legimus, luxuriam carnis non incongrue accipimus, Propheta testante, qui dicit : *Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus* (*Psal.* XXXI, 9). Numerus vero *duorum millium equorum*, qui ex perfecto constat, et perfectum significat, plenam et perfectam mentis et corporis voluptatem exprimit, quam idem spiritus immunditiæ, et totius incentor malitiæ et nequitiæ, suggestionibus suis promittit et immittit. *Trade*, inquit, *te domino meo regi Assyriorum*, crudelem corporalis

C rigorem abstinentiæ relaxando, excussoque servili jugo obedientiæ, quo deprimeris, noli supervacuo labore consumi, quia cum tener et mollis nimiumque delicatus sis, perficere quod cœpisti non poteris. *Dabo* ergo *tibi duo millia equorum*, quia carnales concupiscentias, quas nunc propter assiduam cordis corporisque contritionem abominaris, dulces tibi faciam et delectabiles. Cumque delectatione earum consensu et desiderio exhilaratus intrinsecus eris, ad explenda etiam opera iniquitatis exterius in carne auxilio meo non carebis. Est enim quasi unum *mille equorum* concepta in corde delectatio sive voluntas malefaciendi, *secundum* autem *mille* subministrata a diabolo facultas male cupita perficiendi.

Quod autem subjungitur : *Nec poteris ex te præ-*

D *bere ascensores eorum*, **82** importunitatem nobis diabolicæ suggestionis insinuat, qua primo hominem a concepto divinitus mentis fervore ad incuriam et teporem, a pio spiritalis exercitio laboris ad negligentiam et transgressionem præceptorum Dei revocat. *Non poteris ex te præbere ascensores eorum*. Quasi dicat : Patet profecto attestante proprii corporis fragilitate, quia in intolerabilibus et continuis istis tribulationibus subsistere vel persistere non poteris. Oportet ergo ut corpus tuum mitius tractare studeas, quatenus cum ad id quod desidero, tandem aliquando te perduxero, suppeditantibus viribus corporis, cum aliqua dulcedine et delectamento ea quæ carnis sunt explere possis.

Et quomodo sustinebis faciem judicis unius loci ex

servis Domini mei minoribus? Per *faciem judicis unius ex servis* diaboli *minoribus* minores ac leviores quasque tentationes intelligere possumus. Dicit itaque nequam spiritus, dicit, inquam, ejus instinctu homo sibimetipsi intrinsecus : Melius est ut parcendo mihi carni satisfaciam, quam ut sic inaniter consumptus nec corpore nec spiritu proficiam. Nam cum toto corde ad Deum confugerim, et in sancta hac conversatione, et in sacrosancta Dei doctrina sanctorumque angelorum pia custodia maximam spem et fiduciam habuerim, factus sum sicut in principio, cum non dominaretur mei Dominus; quia miserationum ejus per omnia, ut videor, indignus, nec minimis diaboli resistere valeo tentationibus. Hujus cogitationis immissione dum profanus Rapsaces hominem intrinsecus turbaverit, majoribus contra eum tentationum jaculis insurgit dicens :

Quod si confidis in Ægypto, in quadrigis et in equitibus, et nunc nunquid sine Domino ascendi ad terram istam, ut disperderem eam? In *Ægypto*, sicut præmisimus, quælibet spiritalis vita, in *quadrigis* sive quatuor cardinales virtutes sive quatuor Evangelia non incongrue sunt accipienda. In *equitibus* vero nobilissimus sanctorum cœtus Angelorum intelligi poterit, propheta testante, qui dicit : *Qui ascendes super equos tuos, et quadrigæ tuæ salvatio* (*Habac.* III, 8). Sunt quidem sancti angeli quasi fortissimi equites, quia misero et inermi homini die noctuque assistunt, eumque, ne ignitis **83** diaboli sagittis succumbens intereat, pia sollicitudine conservant, protegunt atque muniunt. In *Ægypto*, in quadrigis et equitibus bene homo confidere dicitur, quando evangelicæ fluenta doctrinæ sitibundo pectore hauriens, et dulci sanctorum custodiæ angelorum omnibus se horis sollicite committens, in spiritali vita justa præcepta Domini viriliter progreditur. Ab hac spiritalis fervoris constantia, ut hostis antiquus eum avertere valeat, hujusmodi verbis jugiter eum intrinsecus inquietat : *Quod si confidis in Ægypto, in quadrigis et in equitibus; et nunc nunquid sine Domino ascendi ad terram istam, ut disperderem eam?* Ac si dicat : Quod si tu in sancta hac conversatione indefesse laborando in Dei fortitudine sanctorumque angelorum ejus protectione et munimine posse te mihi resistere confidis, nunquid et me sine Domino ad seducendum te, et istam intentionem tuam disperdendam, et ad nihilum redigendam venisse credis? Habeo et ego Dominum, qui dixit mihi: *Ascende super terram istam, et disperde eam.* Qui cum fortis sit, et me tantæ fortitudinis nuntium miserit, tu qui terra es et cinis, potestati meæ resistere non poteris.

Et dixit Eliacim et Sobna et Joe ad Rapsacen : Loquere ad servos tuos Syra lingua; intelligimus enim. Quid est dicere ad eos qui *servi tui* sunt? Qui carni carnisque voluptatibus dediti tibi immundo spiritui servire elegerunt. *Syra*, id est *sublimi*, *lingua loquere.* Nobis enim, qui servi sumus Altissimi, qui spe melioris vitæ temporalia cuncta despicientes in sanctitate et justitia Deo nostro servire decrevimus, ipso nos protegente non prævalebis. *Intelligimus enim* divinæ cognitionis luce collustrati, quid sis et quid loquaris, quia falsus es et falsa loqueris; immundus es, et nihil præter immunditias et nequitias audientibus te suggeris. *Ne loquaris ad nos Judaice in auribus populi, qui est super murum. Ad nos*, qui supra firmam altitudinem sanctæ et justæ spiritalis hujus conversationis stamus, *ad nos*, inquam, qui in superiori nostro, quod est spiritus noster, nihil præter Deum quærimus vel desideramus, *Judaice*, hoc est more tibi **84** *confitentium*, *non loquaris.* Verba enim tua non recipiemus, sed soli illi, qui solus super omnes est, qui te et Dominum tuum sub pedibus nostris conterere potest, semper obediemus. Tanta animi virtute atque constantia, dum a perfecto quolibet homine et probato, per Eliacim et Sobna et Joe, ut diximus, designato repelli, se suasque suggestiones hostis malignus intellexerit, absentat se callide et subtrahit, non ut tentare desinat, sed ut minus providum, minus pro semeptiso sollicitum facilius eum supplantare valeat. Unde sequitur :

Et dixit ad eos Rapsaces : Nunquid ad Dominum tuum, et ad te misit me Dominus meus, ut loquerer omnia verba ista, et non potius ad viros, qui sedent super murum, ut comedant stercora sua, et bibant urinam pedum suorum vobiscum? Ac si dicat : Non ad te et Dominum tuum missus sum ; scio enim quia nec in carne, nec in spiritu prævalere tibi possum. Sed sunt, qui nequaquam legationi meæ contradicunt, *viri* scilicet, *qui sedent super murum*, qui vobiscum ingredientes et egredientes formam virorum exteriori tantum habitu prætendunt, intus autem effeminati omnique virili constantia privati *sedentes* quodammodo sunt, quia nihil præter ea, quæ carnis sunt, sapiunt, quærunt aut concupiscunt. Ad eos, qui hujusmodi sunt, missum me fateor, *ut comedant stercora sua, et bibant urinam pedum suorum vobiscum.* Per *stercora* sordida et immunda carnis peccata merito intelligi possunt, qui coram Deo et angelis ejus, sanctisque omnibus sordidum nimis fetorem emittunt, qui æternæ castitati et munditiæ, quæ Deus est, hominem abominabilem efficit, si per veram pœnitentiam et dignam satisfactionem sordium suarum maculas abluere citius et diluere neglexerit. In *pedibus* autem lubrici cordis sensus et affectus, in *urina pedum* incestas cogitationes de incestis motibus et affectibus cordis profluentes intelligere possumus. *Stercora* sua miser homo *comedit*, quando fetentia transactæ vitæ scelera suaviter et delectabiliter in semetipso recolit, non ut defleat vel pœniteat, sed quia eadem repetere, vel similia secundum succendentis se intrinsecus maligni hostis consilium valet admittere, vel **85** saltem transacta delectabiliter retractando, carnis concupiscentiis utcunque valeat satisfacere. *Urinam* vero *pedum suorum bibit*, quando immundis cogitationibus, ex malis affectibus et desideriis emanantibus, sitim malæ delectationis magis ac magis in semetipso accendere

satagit. Ubicunque hujusmodi homines sunt, super hos malignus ille hostis lætabundam clamoris sui vocem exaltat, per quam ad aperta iniquitatis opera mox eos provocat et impellit. Unde ex persona illius mox subjungitur :

Et stetit Rapsaces, et clamavit Judaice voce magna, et dixit : Audite verba regis magni, regis Assyriorum. Hæc enim dicit rex Assyriorum : Facite mecum benedictionem, et egredimini ad me, et comedite unusquisque vineam suam, et unusquisque ficum suam, et bibite unusquisque aquam cisternæ suæ, donec veniam, et tollam vos ad terram, quæ est ut terra nostra, terram frumenti et vini, terram panum et vinearum. Potest in *vinea* hominis designari anima, in *ficu* corpus, in *aqua cisternæ* fluxi cogitationum malarum affectus et effectus. Quod ad egrediendum faciendumque B secum *benedictionem* ille, qui *multus est in osculo*, populum super murum sedentem, hominem, inquam, in spirituali vita negligenter et inutiliter incedentem, tantis verborum circumventionibus provocat, nihil aliud nobis insinuat, nisi quod eos, quos per pravæ delectationis assensum intrinsecus ceperit, hos etiam ad aperta flagitia ab ipso professionis suæ statu et habitu, sicut corde, ita et corpore ejicere et propellere satagit. *Facite*, ait, *mecum benedictionem*, hoc est ea quæ bene dico, quæ utiliter vobis suggero intrinsecus, vos mecum exterioribus perficite actibus. Sed plerumque miser homo nunc ex importuna inimici suggestione, nunc ex maledulci carnis superatus delectatione, egredi ad satisfaciendum desideriis **86** C suis deliberat, et tamen aut loci, aut temporis difficultate præpeditus perficere non valet quæ desiderat. Sed hostis malignus mox in hunc ei modum obviat : *Unusquisque*, inquit, *vineam et ficum suam comedat, et aquam cisternæ suæ bibat.* Quia per *vineam* animam designari diximus, per vinum, quod ex vinea nascitur, carnalem amorem non inconvenienter accipere possumus ; fructus vero, qui ex *ficu*, quod est corpus, nascuntur, illiciti corporis actus non incongrue accipiuntur. Hortatur itaque Rapsaces quosque ad se per consensum egredientes, ut *unusquisque vineam et ficum suam comedat*, hoc est, ut unusquisque in seipso et carnalis delectatione amoris animam suam pascat interim ac nutriat, et exteriori corporis actu et habitu solus ipse in seipso desideriis suis D inservire studeat, *donec veniam*, inquit, *et tollam vos ad terram, quæ est ut terra vestra, terram frumenti et vini, terram panum et vinearum.* Venit malignus spiritus, ut hominem ad terram, quæ est ut terra ejus, tollat, quando eum homini simili sibi, ea quæ de terra sunt et ad terram tendunt æque diligenti adjungit et associat. Qui bene non simpliciter *terra*, sed *terra frumenti* nominari poterit, quia ex mutua illa confœderatione per diabolicam suggestionem comportata, *frumentum*, hoc est quasi quemdam mentis suæ fructum miser homo miserabiliter recipit. Vocatur nihilominus *terra vini*, quando quidquid terreni amoris et carnalis dulcedinis est, ei, qui solus antea *vineam et ficum suam comederat*, pro A appetitu libidinis suæ ardenter subministrat. Post hæc terra frumenti et vini *terra panum et vinearum* non immerito appellatur, quando ex assidua peccatorum consuetudine illectus ac depravatus magis ac magis et corde et corpore iniquitati condelectatur.

87 HOMILIA XII.

IN DOMINICAM IV ADVENTUS PRIMA.

Miserunt Judæi ab Jerosolymis sacerdotes et levitas ad Joannem, ut interrogarent eum : Tu quis es? (Joan. IV.)

Tres istæ Dominicæ, quas ab Adventu Domini celebravimus, licet speciali quadam mysteriorum et cœlestis doctrinæ excellentia emineant, hodierna tamen Dominica tanto est excellentior, quanto Nativitati Domini et Redemptoris nostri Christi est propior. Quæ cum tota spiritalis sit, spiritales solummodo homines respicit, qui abalienati huic sæculo ad hoc elaborant ut Nativitatem Christi, quam foris celebrant, in semetipsis intus sentiant. Unde necesse est ut spiritalis quisque, qui spiritaliter de corde suo Christum parere desiderat, quid nobis Dominica ista præscribat, quid nos doceat, sollicite attendere, studiose adimplere studeat. Sed antequam ad expositionem ejus manum mittamus, quam juste, quam convenienter quatuor istis Dominicis quatuor cardinales virtutes aptari possint, videamus.

Ad primam namque Dominicam, in qua legitur asina adducta ad Dominum, congrue refertur prudentia. Asina enim anima est bestialis, quæ quidem imprudens est per se, sed prudens quodammodo fit, dum Deum possessorem habere meruerit. Secundæ vero Dominicæ, in qua præmissis signis in sole, luna et stellis additur : *Arescentibus hominibus præ timore et exspectatione, quæ superveniet universo orbi*, congruit temperantia. Nam dum homo per carnis abstinentiam a peccatis et vitiis semetipsum temperat, hoc est arescere quodammodo ab his in quibus prius pinguescebat. Ad tertiam vero Dominicam, in qua beatus Joannes Baptista laudatur a Domino, quod nec arundo vento agitata, nec homo mollibus vestitus fuerit, congrue tertia virtus, quæ est fortitudo, referri poterit. Necesse est enim homini illi qui prudens, qui temperans est, ut etiam fortis sit, discat arundo vento **88** agitata non esse, ut nec vento elationis extra se rapiatur, nec vento detractionis infra se dejiciatur. Post hæc venit quarta Dominica, cui recte assignatur quarta virtus, quæ est justitia. Justitia autem est unicuique tribuere quod suum est. Dum enim homo, qui prudens, qui temperans, qui fortis est, non sibiipsi, sed ei, a quo accepit, omnipotenti Deo et prudentiam et temperantiam, et fortitudinem suam humiliter attribuit, hæc vera et consummata justitia est. Hæc autem virtus, virtus utique humilitatis, cum proxima sit Christo, quartæ huic Dominicæ, quæ proxima est Nativitati Christi, recte congruit, quia hominem vere Christo proximum facit. Sit prudens, sit temperans, sit fortis, bene facit, placet Christo. Sed nisi his tribus quartum accedat, ut et justus

sit, hoc est : ut humilis sit, Christo proximus non A fit. Quia igitur nihil est, quod in homine ita diligat Deus sicut humilitatem; nihil est quod in homine ita impugnet diabolus sicut humilitatem. Hoc etenim hodierna sancti Evangelii lectio apte pronuntiat, quæ varias et multiplices illas tentationum vicissitudines, quibus impugnant spiritus immundi hominem ad veram justitiam, quæ vera est humilitas, tendentem insinuat.

Judæi enim illi qui miserunt ab Jerosolymis sacerdotes et levitas ad Joannem, maligni spiritus sunt, qui ad decipiendum hominem salvari cupientem, qui figuratur per *Joannem*, qui interpretatur, *in quo est gratia Dei*, omni tempore perfidiæ suæ laqueos tendunt. Nam quem non possunt in carnalibus tentare vitiis, ab ipsis, quæ agit, bonis materiam sumunt B seductionis. Hoc notat nobis verbum illud : *Miserunt ab Jerosolymis*. Jerosolyma namque interpretatur *visio pacis*, qua figuratur spiritalis vita, in qua laborat homo ad pacis et **89** æternæ visionis gaudia. Sed quid miserunt ab Jerosolymis? *Sacerdotes et levitas*. *Sacerdotes* exprimunt puras et assiduas orationes, quas beatus homo die ac nocte ad Deum transmittit. *Levitæ* sanctas exprimunt operationes, quibus incessanter exercet se, ut omnipotenti Deo possit placere. Maligni etenim spiritus *sacerdotes et levitas mittunt*, quando ex ipsis virtutibus, quæ sunt in homine, materiam et occasionem tentandi sumunt, ut illud culpæ fiat quod saluti esse debuerat, ut impugnatores et tentatores nostri esse incipiant, qui protectores nostri esse debuerant. Hoc C est mittere Judæos ab Jerosolymis sacerdotes et levitas ad Joannem.

Quare? *Ut interrogarent eum*, hoc est, ut tentarent eum. Procedens de virtutibus et virtuosis actibus tentatio est, quam immittunt maligni spiritus homini, mentis elatio, ut saltem per superbiam prosternant, quem per vitia carnis superare non possunt. Unde dicunt : *Tu quis es?* Ac si dicant : Qualis homo! quanto abundas bono! Subest tibi prudentia, non deest temperantia, vales in fortitudine, quia duras perseveranter in tua rectitudine. Contra hanc malignorum spirituum legationem quid homo agere debeat, suo nos exemplo beatus Joannes informat.

Et confessus est, inquit evangelista, *et non negavit*. D *Et confessus est, quia non sum ego Christus*. Bis positum est : *Et confessus est, et confessus est*, quia et gemina esse debet confessio, per quam evacuari et superari debet ista mentis elatio Necesse enim est, ut si verbum istud : *Tu quis es?* ex legatione, hoc est ex immissione et suggestione dæmonum auribus cordis illius ita insonuit, quod delectatus est in illo et jucundatus, in humilitate, pœnitentia et contritione, *confiteatur* Deo in oratione, *confiteatur* prælato in confessione, ut interna illa, qua peccare Domino non erubuit, culpa elationis per verecundiam diluatur et confusionem humilis confessionis. Si homo hoc humiliter fecerit implevit verbum illud, quod succedit : *Et non negavit*. Quid ista sit negatio, ostendit nobis beatus Job in libro suo. *Si vidi solem*, inquit, *cum fulgeret, et lunam* **90** *incedentem clare, et lætatum est in abscondito cor meum, et osculatus sum manum meam ore meo, quæ est iniquitas maxima, et negatio contra Altissimum* (*Job*, XXXI, 26). Qui laudat et extollit, et magnificat se ipsum ex operibus suis, quod est *osculari manum suam ore suo*, hæc est *iniquitas maxima, et negatio contra Altissimum*. Inique enim agit, qui, quod Dei est, non Deo, sed sibi attribuit, quia dum in eo quod accepit, sciri se et laudari appetit, negat illum, a quo accepit. Ille vero *non negat*, qui ex accepta donorum Dei gratia non se, sed Deum laudat et magnificat. Ait ergo evangelista :

Et confessus est : Quia non sum ego Christus. Et interrogaverunt eum : Quid ergo? Elias es tu? Et dixit : Non sum. Propheta es tu? Et respondit : Non. De tribus Joannes interrogatur, quia et tria sunt, de quibus spiritalis homo per superbiam a diabolo tentatur. Tentat eum per suos ministros, malignos spiritus, de unctione sive de interna dulcedine cordis, quod est *Christus*. Christus enim dicitur *unctus*. Tentat eum de corporalis exercitationis fervore, quod est *Elias*. Tentat eum de prælatione, quod est *propheta*. De unctione tentant eum maligni spiritus, quando suggestionibus suis levant eum in se supra se, ut dum ex visitatione Altissimi internæ dulcedinis gratia suaviter intrinsecus reficitur, supra cæteros homines, qui quasi inferiores sibi in hac gratia videntur, incipiat se erigere. Huic tentationi humilitas debet opponi. Hoc docet nos humilitas Joannis dicentis : *Quia non sum ego Christus*. Ac si dicat : Si quando internæ unctionis dulcedine virtus Altissimi intus tetigit me, hoc ego *non sum*, quia ex meo esse illud habere non possum, sed illius donum et gratia est qui dare, cum voluerit, et auferre potest. Sic respondente, sic elationis vitio per humilitatem contradicente, denuo aggrediuntur, alio tentationis genere præcipitare moliuntur. Sequitur ergo :

Et interrogaverunt eum : Quid ergo? Elias es tu? Ac si dicant : Si Christum esse te negas, constat quia esse te *Eliam* negare non valeas. Sicut enim ille zelo zelatus pro Domino **91** quadringentos viros veritatis adversarios occidit (*III Reg* XVIII); sic ejus tu exemplo laborasti, quia bonis operibus insistendo, quidquid displicere Deo credebas, boni zeli fervore et in te, et in aliis exsecrando constanter resecare studebas. Sed et hoc elationis vitium facile comprimit, si respondet : *Non sum*. *Non sum* debet respondere credens et confitens, quia nihil per se valet, nec in zelando mala nec in operando bona.

Devictis duabus his tentationibus tertia tandem succedit dicentium : *Propheta es tu? Prophetam* eum esse affirmant, dum prælatione et magisterio intrinsecus eum sollicitant, quia dum per cordis unctionem sæpius a Deo intus visitatur, dum per

continuum corporalis exercitationis fervorem extrinsecus in Deo confortatur, difficile est ut non subrepat desiderium prælationis. Unde dicunt : *Propheta es tu?* Quasi dicant : Expertus interiora, non ignarus circa exteriora, potestatem regiminis posses habere, aliorum utilitati et saluti satis utiliter posses providere. Sed qui imitator est Joannis, etiam ab hoc vitio humiliter excusat se dicendo : *Non*. Dicere *Non*, est ad prælationis officium inutilem se prorsus judicare et indignum, eligens magis in humilitate propter Deum subesse, quam superbe contra Deum desiderare præesse. Sed quia tales sunt maligni spiritus, quod victi non confunduntur, sed ex ipsa sui repulsione magis ad tentandum hominem accenduntur, recte adhuc subditur :

Dixerunt ergo ei : Quis es? Ut responsum demus his qui miserunt nos. Quid dicis de te ipso? Per istud *responsum* peccatorum accipere possumus consensum. Nam si ad consensum illum inclinarent, lætum utique *responsum* his *qui miserunt* eos darent. Quandiu enim consensus devitatur, *responsum* ab immundis spiritibus non reportatur. Nam, etsi ad plenum actum peccati hominem non possunt flectere, sufficeret eis, si vel per consensum a statu suæ rectitudinis eum possent dejicere. Sed tam diversos illorum laqueos humilitas sola transilit, sicut sequens ordo verborum mystico innuit :

92 *Ego*, inquit Joannes, *vox clamantis in deserto : Dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias propheta. Vox* nihil efficit per se, quia non est a se, sed ab homine, et dum vult homo ut sonet, sonat; dum vero vult, continet eam, ne audiri valeat. Quidquid homo valet, quidquid boni habet sive intus ex dulcedine cordis, sive extra ex merito bonæ actionis, quasi *vox* quædam est, *vox*, inquam, est illius, *qui clamat in deserto*, omnipotentis Dei qui sua pietate hoc operatur in homine illo, cujus cor vere *desertum* est ab hoc mundo. Et quia sicut in potestate hominis est vocem emittere et comprimere, sic etiam in potestate Dei est pietatis suæ dona pro beneplacito suo conferre homini et auferre, humiliatus in semetipso recte dicit beatus homo : *Ego vox clamantis in deserto*. Ac si respondeat malignis spiritibus, ad elationis jactantiam se instigantibus : Si quid bonum est in me, non est ex me; et ideo nec mihi attribuere debeo, sed illi, a quo habeo, cujus *vox ego sum*, sine quo nihil possum; qui operatur misericordiam suam in me, cum voluerit, qui subtrahit eam mihi, cum omnipotentiæ ejus placuerit. Ipse est qui *in deserto*, in desertis ab hoc mundo cordibus *clamat : Dirigite viam Domini*, *sicut dixit Isaias propheta*. Isaias interpretatur *salus*. Salus mea, inquit, est Christus, cujus *viam*, ut ad cor meum venire valeat, per humilitatem debeo *dirigere*, non per elationis fastum, sicut vos spiritus maligni suggeritis, a corde meo repellere. Sequitur :

Et qui missi fuerant, erant ex Pharisæis. Pharisæi dicuntur *divisi*. Recte maligni spiritus di- A *visi* dicuntur, quia omnis eorum labor ad hoc solum tendit, ut dividant hominem a Deo, et subdant diabolo, dividant a virtutibus, subjugant vitiis et criminibus. Subjungunt ergo et dicunt : *Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque propheta?* Hæc ergo eorum interrogatio est, sicut prædiximus, indefessa illorum tentatio. Tentant adhuc, si forte ex aliqua parte eum Domino subtrahere valeant, et quem elationis vitio non valent supplantare, vel ab ipso **93** rigoris sui fervore quasi inutiliter laborantem student revocare. *Quid ergo*, inquiunt, *baptizas?* Ac si dicant : Quid tantis lacrymis et suspiriis temetipsum affligendo conteris, cum *neque Christus*, *neque Elias*, *neque propheta* tu sis? Quid lacrymæ tuæ tibi conferunt, B cum nec unctum Dei esse te præsumas, neque fortem in operatione dicas, neque dignum prælatione credas?

Respondit eis Joannes dicens : Ego baptizo in aqua; medius autem vestrum stetit quem vos nescitis. Responsum istud responsum est hominis pœnitentis, reatus sui culpam humiliter agnoscentis. Et est, quasi dicat : Merito quidem delicta mea lacrymis lavo; quia multiplices excessus mei nisi per multiplices lacrymas et gemitus non possunt aboleri. Non enim, sicut vos inimici salutis mihi misero suggeritis, ex pœnitentia mea humanæ laudis favorem vel alicujus dignitatis quæro, aut quærere debeo honorem, sed ad hoc solum tendo, si forte per C omnipotentis Dei clementiam peccatorum meorum consequi merear indulgentiam. Nam miser ego homo ille, quem vos modo *nescitis*, quem quasi justum et innocentem levare nitimini supra se, *medius vestrum steti* per superbiam cordis mei, dum consensi vobis, ad quæcunque mihi suggessistis, nunc ad inanem prosperitatis lætitiam, nunc ad adversitatis impatientiam, nunc ad luxuriam et malitiam, nunc universam vitiorum nequitiam. Hinc futurum omnipotentis Dei judicium et æternæ damnationis pertimesco supplicium. Quare? Quia qui *ante me factus est, post me venturus est, cujus non sum dignus, ut solvam corrigiam ejus calceamenti*. Vereor utique, ut homo ille, qui antea eram, cum tot et tantis vitiorum nequitiis subjacebam, venturus sum D ante Deum in die judicii, accepturus dignam meritis meis sententiam æterni supplicii.

Sed unde timor iste mihi incumbit? Quia *non sum dignus, ut solvam corrigiam ejus calceamenti*. Tot enim annis, quibus in hac vita spiritali omnipotenti Deo servio, nullis laboribus meis ad hoc pertingere valeo, ut *dignus* sim. **94** qui carnalia et mortalia vitia ex homine illo, qui prius eram, mihi cohærentia solvere a me, et superare in me possim. Unde quia timor iste angit me, oportet me flendo nunc ad et gemendo districtum omnipotentis Dei judicium præoccupare, si forte dignus inveniar, quem saltem in illa die sua miseratione Deus dignetur salvare. Hæc sunt evangelicæ lectionis documenta, quibus armatur et instruitur spiritalis homo adver-

sus momentanea malignorum spirituum tentamenta, quia in spiritali vita pugna hæc non rara, sed quotidiana sit, finis Evangelii ostendit :

Hæc, inquit evangelista, *facta sunt in Bethania trans Jordanem, ubi erat Joannes baptizans*. Bethania *domus obedientiæ* interpretatur, qua spiritalis vita recte figuratur; per *Jordanem*, qui *descensus* dicitur, humilitas exprimitur. Nec sine causa positum est : *In Bethania trans Jordanem*, qui in spiritali vita sunt, etsi quandoque per superbiæ tumorem humilitatis virtutem transeunt, quod significat verbum illud, *trans Jordanem*, per pœnitentiæ tamen satisfactionem ad se intra se redeunt lavantes lacrymis maculas criminis, sicut consequenter subinfertur de ipsis : *Ubi erat Joannes baptizans*; quia dum fonte lacrymarum quotidie in semetipsis emundantur, quasi baptizati in Christo renovantur.

Igitur quia audivimus quod ista omnia non in sæculo, sed *in Bethania*, in spiritali vita facta esse, et quotidie fieri memorantur, necesse est ut spiritalis quisque provido cordis oculo vigilanter atque sollicite circumspiciat, quomodo periculosos laqueos, subtilissimas malignorum spirituum, quas audivimus, tentationes evadere valeat, qui semper et ubique nobis insidiantur, nusquam nos deserunt, deceptionis et perditionis laqueos inevitabiles ubique nobis obtendunt. Quibus quia virtute nostra resistere non valemus, ejus qui scit et valet, et potestatem habet, omnipotentis utique Dei auxilium in oratione hodierna invocamus dicentes :

(25) *Excita, Domine, potentiam tuam, et veni, et magna nobis virtute succurre, ut per auxilium gratiæ tuæ, quod nostra peccata præpediunt, indulgentia*
95 *tuæ propitiationis acceleret.*

Magna hæc virtus, magna est humilitas, quæ et virtus Christi nominatur attestante Apostolo, qui ait : *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi* (*II Cor.* XII, 9). Ipsa est virtus illa magna, quæ Unigenitum Dei de cœlis ad terras traxit in uterum Virginis, ipsa attestante in cantico suo ac dicente : *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ* (*Luc.* I, 48). Ipsa cœlos solidat, ipsa terras innovat. Hanc virtutem qui non habuerunt, de cœlo ceciderunt. Ipse enim diabolus licet omni sapientia et scientia gloriosus exstiterit, tamen quia humilitatem non habuit, stare in cœlo non potuit, sed cum suis dejectus factus est omnium infimus. Hanc autem virtutem qui habuerunt, in sua gloria cum Deo permanserunt, sancti videlicet angeli, qui ita solidati sunt per eam in ipso, quod nunquam separari possunt ab ipso. Hac magna virtute ut contra magnas et multimodas spirituum malignorum fraudes dignetur succurrere nobis, necesse est ut cordis et corporis voce ad Deum clamemus dicentes : *Excita, Domine, potentiam tuam, et veni, et magna nobis virtute succurre*. Nam cum ipse unigenitus Dei sua humilitate superbiam diaboli contriverit (ex ea namque parte qua humilis

(25) Oratio ad missam hujus Dominicæ.

A fieri voluit, potentior illo superveniens regnum illius destruxit), nihil est quod ita eum prosternat sicut humilitas, nihil est quod tentationibus ita prævaleat sicut humilitas.

Hanc etiam humilitatis virtutem insinuat nobis Introitus Missæ, quo dicimus : *Memento nostri, Domine, in beneplacito populi tui* (*Psal.* CV, 4). Hæc est vox hominis spiritalis, humili corde ad Deum clamantis. Et est quasi dicat : Sum, Domine, populus tuus, quia populo tuo, populo tibi servienti, quantum ex tua gratia valeo, habitu et actu communico. Sed quæso, *memento* mei, ut sim *in beneplacito populi tui;* ut sim populus tibi beneplacens, ex cunctis operibus meis nihil extra te quærens. Et quia fieri hoc non poterit, si tua

B nos misericordia non prævenerit, *visita nos in salutari tuo* (*ibid.*), suavissimam dulcedinis tuæ gratiam nobis infundendo, *ad videndum in bonitate*
96 *electorum tuorum* (*ibid.*), ut splendore gratiæ tuæ illuminati ea, quæ tuæ placent bonitati, quæ tuæ displicent æquitati, ita videamus et cognoscamus, ut in bonitate illa, qua electi tui tibi serviunt, bona sectantes, mala declinantes, *in lætitia gentis tuæ* (*ibid.*) associari tibi mereamur in æternæ beatitudinis requie, *ut lauderis cum hæreditate tua* (*ibid.*), sanctis videlicet angelis tuis et justis animabus, qui hæreditas tua sunt, quia tu in eis, et ipsæ in te sine fine manebunt. In hujus vitæ miseria non est stabilis et perfecta laus tua, sed cum *in lætitia gentis tuæ* pervenerimus, cum hære-

C ditati tuæ in numero sanctorum angelorum, omniumque redemptorum tuorum associati fuerimus, ibi vere laudaberis, ibi sine fine æternaliter gloriaberis.

Huic autem hæreditati Dei, quia admitti non poterimus, nisi adventus Dei visitatione a peccatis et vitiis hic emundari meruerimus, recte subjungimus Alleluia, dicentes : *Veni, Domine, et noli tardare, relaxa facinora plebis tuæ*. Sed quia adventum Dei nulla alia promeretur virtus, si desit humilitas, recte Offertorium, quod sequitur Evangelium, illi, quæ sola pro cunctis mortalibus humilitatis virtute fundata et repleta erat, beatissimæ Dei genitrici Mariæ attribuimus dicentes : *Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum*. Ut per hoc admoneamur,

D quia subtilissimas diabolicæ tentationis versutias, quas evangelica nobis præscribit auctoritas, sola humilitate superare valeamus, sola humilitate ad laudandum Deum cum hæreditate sua, ad communicandum et participandum æternæ beatitudinis incommutabilitatem cum angelicis spiritibus et electis omnibus conscendere debeamus. Unde, ut per ejus interventum, quæ propter incomparabile humilitatis meritum verbum Dei de se genuit incarnatum, ad veram justitiam, ad veram humilitatem, quæ est vera et consummata justitia, proficere valeamus, per quam devictis callidi tentatoris insidiis in hæreditate Dei quandoque ascribi mereamur, præstet nobis ipse auctor humilitatis Jesus Christus

Dominus noster, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

97 HOMILIA XIII.

IN DOMINICAM INFRA OCTAVAM NATIVITATIS DOMINI PRIMA.

Erant Joseph et Maria mater Jesu admirantes super his quæ dicebantur (*Luc.* II).

Quoniam adventus Salvatoris salvandis omnibus certissima exstitit causa salutis, curandum est omnibus ad æternæ hæreditatis sortem pertingentibus, ne transeunter animadvertant, si quid de Redemtore nostro vel parentibus ejus Evangelii scripta commemorant. Ait ergo evangelista : *Erant pater et mater Jesu admirantes*. Intueri libet quidnam quatuor hæ personæ significent, Joseph scilicet et Maria, Simeon et Anna, quorum nomina in præsenti Evangelio sunt posita.

Joseph et Maria quemlibet fidelium designat, *Simeon* ordinem prælatorum, qui verbo et exemplo bene noverunt præesse, *Anna* vero divinam signat gratiam, qua electorum suorum corda dulciter Dominus consuevit inv sere. Sed et per *Joseph et Mariam* corpus et anima nostra non inconvenienter accipi potest, per *Joseph* corpus, per *Mariam* anima. Nam sicut *Joseph* custos et servus fuit perpetuæ Virginis, dulcibus eam frequentando obsequiis, sic nimirum corpus nostrum operum bonorum exercitatione opem conferre debet matri nostræ, id est animæ, quatenus Dei Filium in sui cordis thalamo concipere queat et parere. Quod nimirum corpus tanto et sollicitius superiori suo, id est animæ deservit, quanto hoc subjectum sibi aptius regit.

Admirantur ergo *super his quæ dicebantur*. Quidquid per experientiam scitur, non est in admiratione ; sed quod nescitur, in magna admirantis est inquisitione. Sic nimirum mens electorum, quæ digne *mater* Christi nuncupatur, dum humanitatis ejus opera mira suavitate plena contemplatur, ad inquirendam inexquisitam divinitatis ejus potentiam validius accensa sublevatur. Sed dum incomprehensibilem, sicut est, comprehendere non valet, semper unde *admiretur* habet. Unde licet inquirendo non perveniat, ipsum, quem præ omnibus amat, fastidire nescit, sed de die in diem perscrutando et investigando de thesauris scientiæ ejus et divin tatis utcunque percipere concupiscit, quia vis amoris multiplicat intentionem inquisitionis. Pius autem Dominus, cujus miserationes super quærentem se animam non deficiunt, ad relevandum dilectæ suæ tædium cognitionis et consolationis suæ per verba prædicatorum subministrare non desinit subsidium, sicut in consequentibus sermo refert evangelicus :

98 *Et benedixit illis Simeon*. Quid per *Simeon*, qui *tristitiam audiens* interpretatur, nisi doctorum ordo designatur, qui verbo exhortationis gementium subditorum cordibus gratiam divinæ infundunt benedictionis. Illorum enim *benedicere* est desiderantem et æstuantem animam internæ refectionis pabulo sustentare et reficere. Cum ergo benedicunt, quidnam dicant et cui dicant audiamus. Sequitur :

Et dixit ad Mariam matrem ejus. Hic, quod convenienter per matrem Domini anima fidelis accipienda sit, innuitur, quia prædicatio doctorum ad fidelis animæ instructionem principaliter dirigitur, quatenus ipsa et suo superiori, Deo videlicet, recte subesse, et suo inferiori, corpori scilicet, recte præesse doceatur. Debent ergo prædicatores insinuare, quod ad cognoscendam veritatem non nisi humilitatis gressibus Deo valeant appropinquare, dicendo : *Ecce hic positus est in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel*. Stabat Dominus, cum invisibiliter apud se in requie secreti cœlestis absconsus, cor uptionis nostræ deformia nondum suscepit ; sedit autem, cum a potestatis suæ celsitudine descendens ad infirmitatis nostræ onera suscipienda devenit ; depositus est vero vehementer, cum captus in peccatis nostris crucis ignominiam sustinuit. Quis enim in hujus mundi exsilio sic est depositus sicut amator hominum benignissimus ? A summo quippe cœlorum progrediens ita se usque ad terram humiliavit, ut in toto mundo, ejus sub ditione posito, non haberet ubi caput reclinaret, et qui sine æstimatione magnus est et immensus, usque ad passionem crucis humilis factus est et parvus. Quæ nimirum humilitatis vestigia dum imitanda proponunt mentibus electorum, fit utique *ruina et resurrectio multorum*.

In consideratione namque tanti Creatoris nil de se, quam abjecta, incipiunt sentire, et per hæc humilitatis fundamenta superbiæ et elationis feliciter in eis fiunt detrimenta. Fit et *resurrectio multorum in Israel*, illorum qui ut veri Israelitæ cœlestis verbi tonitruo resuscitati, mente merentur erigi in sublime. Et notandum quod non ait *omnium*, sed *multorum in Israel*. *Non* enim, ut Apostolus ait, *omnes, qui ex Israel sunt*, *hi sunt Israelitæ* (*Rom.* IX, 6), sed revera ille fluminis impetus per ora prædicatorum emanans, cum voluerit, **99** civitatem Dei lætificat, et interdum non omnium, sed quorum vult, corda visitando ad vitam resuscitat. Ipsum igitur mortis et vitæ Dominum in signum, cui contradicatur, insinuant positum.

Ecce, inquiunt, *hic positus est in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel*, *et in signum cui contradicatur*. *Signum* Christi crux est Dominica, in qua pro humano genere morti se obtulit, qua scilicet morte suos ad vitam reformari voluit. Hinc est quod ejusdem Redemptoris imago, ut inter cæteras agnosci valeat, *crucis* prænotatur *signo*. Quod profecto signum familiarius beata quæque anima amplectitur, crebro ei in fletibus et lacrymis blanditur, qui altius internam ejus tangit memoriam, quod tantum pro sua redemptione gustavit amaritudinis ille, qui auctor est æternæ dulcedinis. Crux Christi *signum* est plenæ mortificationis, quam sancta mens circumferre et portare debet. Et sicut mors exteriores corporis sensus ab omni interficit appetitu,

sic necesse esset, ut commortua Christo anima mortificare in se studeat omnem peccati actum et consensum. Crucem itaque Christi, id est passionem Dominicam considerans, in ipsa et per ipsam discit recta opera quæ faciat, studens ut illum imitetur a quo est, ne passionem Redemptoris sine fructu redemptionis audiat, sed ad hæc opera digna et necessaria adjungat. Sed revera tam assiduæ, tamque perfectæ mortificationis *signo* ab omni sexu, ab omni ætate *contradicitur*, quia, quandiu in hujus vitæ exsilio vivitur, nullus tantæ perfectionis erit, qui inter ipsa vota pia, et desideria quantulacunque peccati non effugiat contagia. Attamen fastidire non debent prædicatores assiduis hanc insinuare exhortationibus, quemadmodum declaratur in consequentibus :

Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. Per gladium hic validæ prædicationis virtus exprimitur, quo quisque, ut a culpa moriatur, feliciter occiditur. Hic *gladius* qualiter *animam* dividat, et *pertranseat*, Paulus insinuat : *Vivus est*, inquit, *sermo Dei et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens usque ad divisionem animæ, compagum quoque et medullarum, et discretor cogitationum et intentionum* (*Hebr.* IV, 12). Dum cœlestis verbi gladius omne quod **100** in nobis carnaliter sapit, interimit, profecto *ex multis cordibus cogitationes revelantur*, quia non solum quid in opere perversum, vel in sermone otiosum, sed etiam quid in cogitatione sordidum lateat, subtilius pensatur. Sequitur :

Et erat Anna prophetissa, filia Phanuel, de tribu Aser. Anna, quæ *gratiam Dei* resonat, internam cordis dulcedinem potest significare, quam suis misericorditer electis, pii amoris gladio vulneratis, Dominus omnipotens consuevit inspirare. Hæc non incongrue dicitur esse *prophetissa*, quia ipsis justorum cordibus de futuri examinis suppliciis, et de percipiendæ quandoque beatitudinis ineffabilibus novit prophetare deliciis. Nec prætereundum quod et eadem Anna *Phanuelis* describitur fuisse *filia*. Phanuel namque interpretatur *facies Dei*. Et quid per *faciem Dei* nisi Conditoris nostri notitia valet exprimi? Quæ profecto notitia Dei dum legendo, orando, meditando quæritur, ex ipsius inquisitionis sedulitate divini amoris gratia nonnunquam generatur. Sed quia non omnibus generatur, sed perpaucis a Deo electis istiusmodi virtutis meritum tribuitur, apte etiam *de tribu Aser* descendisse Anna refertur. Aser quippe interpretatur *beatus*. Talis etenim significatio nominis nonnisi electis congruit, quos specialiter *beatos* cœlestis misericordiæ donum efficit. Beata denique et nimium beata tribu et sorte, generatione videlicet cœlesti, hi descendunt, qui et per Scripturæ sacræ studium, per orationis instantiam, per meditationis assiduæ vigilantiam Deum in notitia habere didicerunt, et ob hoc dulcem contemplationis gratiam gustare meruerunt. Quod vero eadem donorum Dei magnalia paulatim et per incrementa temporum operari in homine Spiritus sancti soleat gratia, evangelista subjungit, qui laudabilem hujus Annæ vitam describit.

Hæc, inquit, *processerat in diebus multis*. Procedit enim beata anima quasi *in diebus multis*, dum etiam rebus adhuc dedita terrenis, bonæ actionis tramitem arripere proponit et deliberat, et quod minus adhuc valet ex initio, tandem aliquando, ut incipiatur et perficiatur, crebro cordis præoptat desiderio. Et quia voluntas est infecunda, si non opera subsequantur justa et munda, recte *vixisse cum viro suo septem annis* describitur *a virginitate sua*. **101** *Vixit* enim *annis septem*, omnibus scilicet diebus vitæ, quæ septem dierum volvitur circulis, quasi infecunda et sterilis *cum viro suo*, id est quandiu actibus hujus sæculi est occupata, spiritalem sobolem virtutum Deo gignere non potest, dum per abrenuntiationem mundi sponso suo Jesu Christo necdum est copulata. Sed dum per prævenientem Dei gratiam terrena omnia mente et habitu perfecte deseruerit, ut vere viduata et destituta omnibus mundi illecebris, solius sponsi Jesu Christi incipit anhelare desideriis. Unde recte subjungitur :

Et hæc vidua erat usque ad annos octoginta quatuor. Quod per *viduam* fidelis anima accipiatur, Job veridicus innuit, qui cujuslibet iniqui opera describens dicit : *Pavit sterilem, quæ non parit, et viduæ non benefecit* (*Job* XXIV, 21). Perversorum quippe est sterilem pascere, id est, carnem a bonis actibus infecundam pravis delectationibus nutrire. Sed viduæ non benefaciunt, quia quid victuræ in æternum animæ proficiat, non attendunt. Beata ergo et fidelis anima, quæ ad solum cœlestem sponsum tendit, est quasi desolata in hoc mundo *vidua*, et dum Patris Unigenitum, sibi quoque in dilectione unum per omnia et unicum, dilectam cernit animam pro ovibus suis posuisse, nunquam poterit consolationem admittere, donec mereatur videre regnantis gloriam, cujus toties in exsilio crucis aspicit ignominiam. Quæ bene *octoginta quatuor annos vidua* fuisse perhibetur, quia numerus iste nequaquam a mysterio vacare videtur. Septies enim duodecim octoginta quatuor faciunt, quo duodenario et quaternario numero apostolica et evangelica doctrina clarescit, per quam nunc in præsenti fidelis animæ suspirantis et gementis in exsilio relevatur tædium, et, ne quando veritatis lumen amittat, lucidum et præclarum, certissimum Scripturarum habebit ducatum. Sed dum ad annos æternitatis pervenerit, omnia dilectionis testimonia, quæ ex evangelica et apostolica doctrina percepit, per septiformem gratiam Spiritus sancti verius et perfectius manifesta, digne facie ad faciem videbit, videndo obtinebit.

Sed quæ, rogo, tam sancta et beata erit anima, quæ agnita summæ deitatis visione, tanta inveniet præmia reposita? Nimirum quæ talis est ut hæc vidua, quæ *non discedebat de templo, serviens jejuniis et obsecrationibus Domino die ac* **102** *nocte*. Quale est *templum* istud nisi de quo Apostolus : *Templum Dei sanctum est, quod estis vos?* (*I Cor.* III, 17.)

Templum itaque Dei mens sancta est et immaculata ubi Pontifex summus ingrediens locum sanctificationis quærit, et ut mundis corde appareat, integritatis et munditiæ candorem exigit. De quo templo sparsus immundis cogitationibus discedit, virtutumque splendoribus adornatum non reddit, qui venientem cum Patre Filium et mansionem facere volentem, iniquis operibus repellit. Debet enim immundum nihil admitti, ubi mira dignatio Regis locum habere dignatur gratissimæ sedis. *Servit*, etiam, *nocte ac die, jejuniis* instans *et obsecrationibus*, qui non solum corporalibus cibis abstinet, sed (quod potissimum et gratissimum est) Deo ita corporali parcimoniæ studet, ut a vitiis et culpa sollicitius jejunet. Orat autem et obsecrat sine intermissione, qui opera sua ita provide agit et circumspecte, ut merito quasi fervens et munda oratio coram Deo dici valeat et esse. Quod autem non remissa et instabilis, sed in finem perseverans servitus nostra debeat esse, insinuat, cum *die ac nocte* in templo dicitur deservisse. Quid per *noctem* nisi adversitas, quid per *diem* nisi prosperitas solet designari? Dignum quippe est, ut dilectam animam nec adversitas frangat, nec prosperitas ultra modum extollat, sed in adversis et prosperis, in sanctitate et justitia debitæ venerationis non omittat obsequia.

Item alio modo ad Christum possunt eadem verba referri. *Hæc processerat*, inquit, *in diebus multis, et vixerat cum viro suo annis septem a virginitate sua.* Per *dies multos* multi sancti valent intelligi, Abel videlicet, Noe, Sem, et Japhet, Abraham, David, et alii perplures, in quibus omnibus per virtutum merita *Anna processerat*, id est profectum quemdam fecerat gratia Dei, sed non pro legitimo viro his utebatur, quia legitimus et singularis vir ejus Dominus noster Jesus Christus erat, cum quo quasi *septem annis vixerat*, hoc est in quo plenitudo septiformis gratiæ sancti Spiritus requievit. Sed hoc totum fuit *a virginitate sua*, id est ex incorruptione sua, quoniam nulla prorsus corruptio neque in eo, neque in ea aliquando est inventa. Incorrupta quidem gratia illa erat, eo quod nullo tempore vel momento minor aut imperfectior in illo est inventa. **103** Incorruptus etiam ille, quia nulla peccati macula eamdem in se corrupit gratiam. *Et hæc vidua erat usque ad annos octoginta quatuor, quæ non discedebat de templo, jejuniis et obsecrationibus serviens Domino die ac nocte.* Mortuo denique Christo in cruce quasi *vidua* facta erat et est *usque ad annos octoginta quatuor*, id est quandiu præsens et mutabile hoc sæculum volvitur, quia nullum in hac mortali vita talem et tantum virum invenire potuit vel poterit, in quo tam stabilem et firmam mansionem habere possit. Sed et eadem gratia Domino ascendente tandiu *vidua* fuit, quia nihil in apostolis operabatur, donec misso de cœlis Spiritu sancto octo beatitudinum et quatuor Evangeliorum sacramenta per universum mundum per eos prædicari cœperunt. Quæ *nunquam de templo recedit*, quia donec præsens sæculum consistit, in electis et cum electis, qui *templum Dei* sunt, perseverabit, qui *die ac nocte serviunt Domino jejuniis et obsecrationibus*, jejunando, id est a malis abstinendo, obsecrando, id est bonis operibus insistendo. Sequitur :

Et hæc ipsa hora superveniens, confitebatur Domino, et loquebatur omnibus qui exspectabant redemptionem Jerusalem [al. *Israel*]. Quid est ergo quod *hac hora*, qua benedixit Simeon Joseph et Mariam, Anna *superveniens confitebatur Domino, et loquebatur omnibus qui exspectabant redemptionem Jerusalem*, nisi quod electi, dum prædicationum stimulis compunguntur, veniunt in superius suum, id est animam suam, et tanto reprehensibiles se omnibus confitentur, quanto majoris gratiæ lumen per prædicatorum ora percipere merentur? Quo enim ingrediente Deo mens dulcius tangitur, tanto salubrius de præteritis peccatis compungitur, itaque ipsa in secreto suavis compunctio quædam laudabilis peccatorum confessio. Quod vero minime infertur quidnam dixerit, vel confessa sit, ideo utique fit, quia nimirum mens sancta, quæ se in spiritalibus occultat, et terrena mente sublimi conculcat, quid inter lacrymas sublevata nonnunquam de Deo senserit, explicare et effari nequaquam digne poterit.

Et ut perfecerunt omnia quæ scripta sunt in lege Domini, reversi sunt in Galilæam in civitatem suam Nazareth. **104** Cum per donum sancti Spiritus inundans Scripturæ scientia cujuslibet capientis mentem infusione sua exhilaret, nullus tamen est qui in hujus peregrinationis exsilio perfecta vitæ observantia custodiat, quæ de Deo sentit. Attamen *omnia* legis mandata dicitur perfecisse, qui bonæ voluntatis desiderium, etiamsi opera desint, nunquam convincitur amisisse. Hic procul dubio per hujus vitæ metam revertitur *in civitatem suam Galilæam*, ubi perfecta transmigratione facta sine reprehensionis macula aspicit, cujus dulcedini et dilectioni nihil in hoc mundo præposuit. Habitabit quoque in *Nazareth*, ubi singularis ille flos munditiæ mundis corde et corpore in divinitatis apparebit pulchritudine. Non enim introibit in eam aliquid coinquinatum, sed mundi et candidi ante virginalem floris munditiam incedunt, ubi familiarius assistentes, aspicientem læti videbunt. Ibi perfecte in nobis adimplebitur, quod mox subsequitur :

Puer autem crescebat, et confortabatur plenus sapientia. Crescit et confortatur in electis ipsa summæ puritatis purissima innocentia, ubi ipse Christus justitia nostra erit et sapientia, qui multam multitudinem dulcedinis suæ dabit in se sperantibus, quam non in mensura, sed in plenitudine habebimus *Et gratia Dei cum ipso.* Dabit quippe hæc omnia sola omnipotentis Dei bonitas gratuita, ubi pro certo majus erit præmium, quam ullius exigat meritum, ubi præmium nostrum solummodo erit, cujus imperium sine fine permanebit.

Item alio modo : *Puer autem crescebat, et confor-*

tabatur plenus sapientia, et gratia Dei erat cum illo. Quandiu præsentis vitæ laboribus subsistimus, *crescit* in nobis quodammodo Deus, donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi; *crescit*, inquam, in bonis et prosperis, *confortatur* in malis et adversis; *plenus sapientia*, quia sapor divinæ dulcedinis, facit hominem crescere in virtutibus, *et gratia Dei*, id est humilitas vera, patientiam necessariam exhibebit in adversis. Ad quam humilitatem pervenire mereamur præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

105 HOMILIA XIV.

IN DOMINICAM INFRA OCTAVAM EPIPHANIÆ PRIMA.

Cum factus esset Jesus annorum duodecim, ascendentibus illis in Jerosolymam secundum consuetudinem diei festi, consummatisque diebus, cum redirent, remansit puer Jesus in Jerusalem, et non cognoverunt parentes ejus (*Luc.* II).

Quia Dominus ac Redemptor noster, qui est splendor et imago paternæ gloriæ, propter hoc semetipsum exinanivit formam servi accipiens, ut multos regni sui faceret cohæredes, cuncta etiam quæ in assumpta humanitate gessit, eisdem regni sui cohæredibus sequenda et imitanda proposuit. Unde diligenti intentione studio animadvertere nos oportet ea, quæ præsens sancti Evangelii lectio de eodem Filio Dei nobis refert.

Cum factus esset Jesus annorum duodecim. Dominicus iste in Jerosolymam ascensus evidenter nos admonet et instruit, qualiter ascendere spiritaliter nos oporteat virtutum gradibus. *Jerusalem* enim, quæ interpretatur *visio pacis*, typum gerit illius Jerusalem cœlestis, in qua nunc electorum animæ, de corpore mortis hujus liberatæ, abundantia perfruuntur æternæ pacis et plenæ securitatis. Ad cujus nimirum æternæ civitatis beatam visionem electi quilibet, in corpore adhuc peregrinantes, mentis intentione crebro nunc ascendunt, quia dum se exsules in hoc mundo esse recognoscunt et ingemiscunt, per assiduæ orationis studium et continuæ meditationis exercitium, quantum in hoc mutabilitatis tempore est possibile, prægustare contendunt quæ sint gaudia cœlestis patriæ.

Est etiam adhuc alia *Jerosolyma*, civitas beata, et Deo dilecta, sancta videlicet et fidelis quælibet anima, quæ tunc vere *visio pacis* dici poterit, cum terrenis omnibus postpositis, sola quæ sursum sunt sapit, et tanto clarius Conditoris sui speciem contemplatur, quanto minus a tumultu terrenæ vanitatis reverberatur. Ad hujus vero tam arduæ dignitatis fastigium non facili, sed gravi **106** admodum labore ascenditur. Nam necesse est ut cuncta secularium rerum desideria, omnes carnales vitæ illecebras ab animo suo semoveant, qui claritati divinæ appropinquare desiderant. Sed quando homo infirmus et fragilis dignus a Domino judicabitur munere tantæ sublimitatis? Tunc revera cum per virtutum profectum spiritaliter pervenerit ad ætatem *duodecim annorum*. Per numerum hunc duodenarium perfectionem vitæ accipere possumus, sicut etiam per numerum septenarium septiformem sancti Spiritus gratiam intelligimus. Nam sicut ex tribus et quatuor septenarii numeri summa consistit, sic nimirum, si vel tria per quatuor, seu quatuor per tria multiplicamus, duodenarii numeri perfectionem invenimus. Unde, sicut præfati sumus, hoc duodenario numero congrue satis donorum cœlestium plenitudo et spiritalis vitæ accipi potest perfectio. Quicunque ergo per speculativæ mentis gratiam ascendere desiderant in Jerosolymam, sollicite sibimetipsis provideant, ut numeri istius summam consequi valeant, id est ut virtutum muneribus radicati et fundati, ac piis insistentes operibus hoc implere studeant, quod hic dicitur in consequentibus:

Secundum consuetudinem diei festi. Diem festum agere, est turbis inutilium cogitationum semotis mentem informare ad requiem disciplinæ spiritalis, vacare ab operibus noxiis, cohiberi a quibusque superfluis. Nam expeditum valde et liberum decet esse animum, qui eum desiderat videre, cujus munditia nec tenuissima quidem tangi unquam potuit macula. Felices admodum sunt, qui omnem vitam suam *secundum* hanc *consuetudinem diei festi* instituunt, qui **107** omne, quod in sæculo quasi delectabile et jucundum esse videtur, mente et corpore despiciunt, et quandiu corpus, quod aggravat animam, portant, ad lævigandum exsilii sui tædium solam solius Conditoris internam visitationem habere desiderant. Qui enim peregrinari se dolent a Domino, pro magno consolationis habent beneficio, si eum, quem necdum oculo ad oculum valent videre, saltem intueri liceat quasi per speculum et in ænigmate.

Sed sciendum est quod sunt nonnulli, qui licet meditantes in lege Domini ascendere spiritaliter videantur in Jerosolymam, nequaquam tamen gustum intimæ suavitatis, convivium et delicias habere merentur divinæ contemplationis. Et econtra sunt nonnulli, quos ita vigor validi amoris ultra se, ut ita dicam, rapit ad contemplandam speciem æterni Conditoris, ut quasi ad Deum præsentes, corpori se quodammodo sentiant absentes. De his profecto recte potest dici quod celebrent in Jerosolymis gaudia solemnis diei, quibus ita interna aperitur suavitas, ut recte cum Propheta valeant dicere: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine!* (*Psal.* XXX, 20). Sed quantumvis homo quilibet beatus in spiritu mentis suæ semper tendere studeat sursum, quandiu tamen corpus, quod corrumpitur, portat, quandiu, inquam, caro, quæ de pulvere sumpta est, mentem sauciat et premit, incorruptionis auctori diu inhærere non poterit. Unde recte dicitur in consequentibus:

Consummatisque diebus, cum redirent. Transactis festis diebus *redire*, est post internæ quietis gaudia ad exercenda corporeæ necessitatis relabi negotia. Flebilis iste reditus gravis valde est in hac lacryma-

rum valle gementibus. Grave, inquam, est, multumque miserabile post gaudia ad miserias, post lucem redire ad tenebras, post degustatam patriæ cœlestis dulcedinem ad flebilem peregrinationis reverti amaritudinem. Quem tamen reditum electi quoque ad propriæ salutis trahunt profectum, quia non ad veteris vitæ vitia, sed ad pii laboris, et Deo placitæ operationis recurrunt exercitia, ut videlicet **108** per corporalem exercitationem recipere mereantur desideratæ visitationis consolationem. Nobis ergo de Jerosolyma, id est de visione pacis hoc modo redeuntibus, is quem, ut ita dicam, non relinquentes relinquimus, ubi remaneat, evangelista declarat in consequentibus :

Remansit, inquit, *puer Jesus in Jerusalem*. Nobis enim, ut diximus, ad nostra redeuntibus, in Jerosolyma *remanet* Dominus, quia apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio, nusquam manere poterit nisi in Jerosolymis, in civitate Dei viventis, in visione æternæ pacis. Sequitur :

Et non cognoverunt parentes ejus. In figura parentum Domini anima nostra et corpus non incongrue valet accipi, in beata videlicet Maria, quæ filium Dei genuit, anima intelligi potest ; per Joseph vero, qui ejusdem Virginis custos fuit, corpus figurari valet. Et bene beata virgo Maria, quæ salva virginitate Salvatorem nostrum genuit, animam quamlibet beatam exprimit, quæ Spiritu sancto imprægnata Filium Dei in se concipit ; Joseph vero qui ad exteriores indigentias curam ejusdem habuit Virginis, corpus nostrum apte figurat, quod eidem animæ Deum gignenti piis laboribus sedulum ferre obsequium non cessat. Isti ergo Domini *parentes*, cuncti nimirum fide et veritate Domino servientes, cognitum quodammodo non habent, quo dilectus divertat, quia quamvis tempore orationis dulciter eum astrinxerint amplexibus interni amoris, attamen quandiu in corpore sunt, quo misericordiæ respectu ad eos veniat, quandiu maneat, quam subito pertranseat, scire et investigare nequaquam poterunt. Unde in alio sancti Evangelii loco dicitur : *Spiritus, ubi vult, spirat ; et vocem ejus audis, et nescis unde veniat, aut quo vadat* (*Joan.* III, 8). Sentiunt quidem tactum quemdam, ut ita dicam, supernæ visitationis, sed unde hæc divinæ inspirationis clementia veniat, vel quo ab eis transiens divertat, gravata adhuc mens eorum tenebris humanæ miseriæ ad liquidum non valet considerare.

109 *Existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei*. Quid est quod de Jerosolyma redeuntes, post internam scilicet quietem ad exteriores actus sese tendentes, Jesum *in comitatu* habere æstimant, nisi quia abundantiam suavitatis ejus, quam hora contemplationis prægustare meruerunt, incessanter recolendo secum ruminant ? Quia enim anima eorum cœlesti desiderio inflammata spiritalibus semper inhiat deliciis, intra contemplationis gaudia intus se subsistere credunt etiam tunc, quan-

A do foris aliquid agunt, quia dum ad memoriam reducunt hoc, quod in hora orationis perceperunt, magis magisque sancti amoris desiderio inardescunt. De quibus nimirum recte potest dici quod *iter* agant *diei*, quia iter noctis agere, id est opus peccati exercere, summopere refugiunt hi qui Jesum æterni Patris splendorem sui itineris ducem elegerunt. Sed quia, quandiu in hac vita vivitur, quandiu homo mortalis vitæ miseriis, et ingruentibus tentationum tenebris deprimitur, stabile nequaquam esse poterit gaudium, quo felix anima in Deo pascitur. Unde electi quilibet, quorum animus semel igne divini amoris veraciter est inflammatus, dum internæ visitationis lumen exstingui in se sentiunt, nequaquam in sui torporis frigore diu remanere B possunt. Proinde considerantes præcedentium vitam sanctorum, quos simili amoris fervore inflammatos noverunt, sollicite verba eorum et scripta perscrutantes invigilant, si aliquod lumen internum in verbis eorum invenire valeant, quemadmodum verba sequentia declarant :

Et requirebant eum inter cognatos et notos. Cognati Salvatoris nostri non incongrue dici possunt Patres Veteris Testamenti, de quorum genere veram dignatus est ipse carnis originem ducere. *Notos* vero illius novæ legis ministros accipimus, qui perfectioris vitæ studio et majoris scientiæ dono excellentius præ cæteris sanctis sublimari meruerunt ab ipso virtutum Domino. *Inter* istos ergo *cognatos* Domini C *et notos* anxie et vigilanter dilectum *requirimus*, quando verba et scripta Patrum præcedentium avida mentis intentione rimamur, ut aliquid inde mens nostra colligat, per quod ad compunctionis lacrymas **110** excitari valeat. Sed fit nonnunquam ut mens indurata, dum in se manet frigida, nullum de verbis cœlestibus calorem concipiat, quia dum ab ipso suavitatis auctore intus non tangitur, frustra et sine dulcedine sonat quidquid foras de Deo dicitur. In hac vero miserabili desolatione, in hac intolerabili spiritus anxietate positi electi, quid faciendum sit eis, vel quo se vertant, quibus triste videtur et amarum omne gaudium, quod est præter ipsum, evangelista admonet verbis sequentibus :

Et non invenientes, inquit, *regressi sunt in Jeru*-D *salem quærentes* [al. *requirentes*] *eum*. Si enim ad contemplandam speciem nostri Conditoris Patrum præcedentium non sufficiunt scripta, repeti debet *Jerosolyma*, quia redire nos oportet ad nos intra nos, et diligenter scrutari vias et actus nostros, ne ob aliquam morum enormitatem, carnis aut mentis levitatem, dilectus hic præsentiam subtraxerit visionis suæ. Et si in aliquo negligentiæ nostræ reatum deprehenderimus, continuis pœnitentiæ lamentis abstergamus, excoquat fervens unda lacrymarum, quod impurum et sordidum reddidit rubigo vitiorum. Sic, sic salubri nobis mœrore confectis, sic ferventi pœnitentiæ flamma purgatis apparebit tandem dilectus, qui ideo se subtrahit, ut quæratur ; quæri vult, ut inveniatur ; cum labore invenitur, ut

amore ardentiori teneatur. Nam protinus sequitur :

Et factum est, post triduum invenerunt illum in templo sedentem in medio doctorum. Tridui iter digne peragimus, quando verborum, cogitationum et operum contagiones per dignos pœnitentiæ fructus abluimus. *Sedentem*, inquit, *in medio doctorum, audientem illos et interrogantem eos. In medio doctorum sedere Dominum* conspicimus, quando per divinam misericordiam irrigata cordis nostri ariditate a sanctis doctoribus salubris doctrinæ fluenta, ipsum, inquam, verum scientiæ fontem, ad ædificationem nostram sitibundo pectore haurimus. Qui etiam *audire doctores et interrogare* dicitur : quia per eum nos audientes pariter et interrogantes efficimur. Cum enim invisibilis ejus unctio, quæ est perfecta cordis compunctio, intrinsecus nos docere cœperit, tanta latitudine sensum adaperit, **111** ut profunda Scripturarum mysteria, quæ clausa prius et latentia vix auditu capiebat, subtiliter sapere et investigare mens nostra valeat. Altiora quippe, et subtiliora de absconditis Scripturæ mysteriis virtus nobis compunctionis intimat, quam ulla doctorum diligentia edocere nos valeat. Sequitur :

Stupebant omnes qui audiebant eum super prudentia et responsis ejus. Pavent omnes sensus nostri pro tam incognita suavitate saporis divini ; ipsi nos, qui illuminamur, intra nos miramur pro insolita affluentis prudentiæ novitate, quæ post imbrem compunctionis ab ipso Patre luminum dabitur nobis. In hoc visitationis tempore, in hac magnifica illuminatione verissime implebitur quod continuo hic subinfertur :

Et dixit mater ejus ad eum : Fili ! Quid fecisti nobis sic? Per *matrem* Domini, sicut superius præfati sumus, animam cujuslibet electi accipere possumus, quæ tunc recte *mater Domini* dicitur, cum Verbi Dei perceptione gravidatur. Quæ beata Genitrix, cum dilectum diu multoque labore quæsitum tandem invenerit, arctius eum amoris amplexibus astringens, blandientis simul et dolentis affectu his eum frequenter alloquitur verbis : *Fili, quid fecisti nobis sic?* Ac si dicat : Quod te filium nominare audeo, non meis meritis, sed tuæ ineffabili clementiæ ascribo, qui cum sis dignissimus, indignissime mira pietatis dignatione fieri non dedignatus es *filius. Quid fecisti nobis sic?* Cur, inquam, dilecte mi, multitudo viscerum tuorum super me tandiu continuerunt se, ut grave pondus peregrinationis meæ aliquantulum non sublevaret præsentia visionis tuæ, in cujus visione spes æternæ datur vitæ, cujus quoque absentia calamitas est et miseria ?

Ecce pater tuus et ego [cod. *ecce ego et pater tuus*] *dolentes quærebamus te.* Corpus, inquam, meum, quod ad tuam visitationem promerendam sui ministerii mihi adhibuit officium, jugi exercitatione consumptum pene defecit, ego etiam exsul et peregrina te fontem vivum sitiens miserabiliter areo in siti mea, quia cum diu quæsita tui vultus gaudia non sublevant cordis interiora, per se subsistere non valet fragilitas humana. Tuo siquidem amore sic violenter ardeo, ut vita præsens sit oneri, nihil jucundum **112** sit extra te, quia vera jucunditas non est præter te. Cum ergo sic flebili cordis voce beata anima dolorem suum pronuntiaverit in conspectu pietatis divinæ, quæ et qualia ab eo accipiat responsa, verba demonstrant mox sequentia :

Quid est quod me quærebatis? Nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse? Ac si aperte dicat : Cum ego habitator cordium nusquam requiescam nisi in cordibus humilium, quid est quod me in alieno quæritis, et non in proprio? *Domus* siquidem *Patris mei* thalamus est pectoris vestri, quem si mundum mihi et immaculatum semper vigilans observaret animus, me procul dubio habitatorem haberet perpetuum; quia *deliciæ meæ esse cum filiis hominum* (*Prov.* VIII, 31). Sed verbum istud mens humana non capit, quæ seipsam necdum perfecte recognoscit, nec per vitæ observantiam veram custodire valet innocentiam. Unde recte mox sequitur :

Et ipsi non intellexerunt verbum, quod locutus est ad eos. Quia enim in iniquitatibus concepti sumus et nati, quandiu corpus, quod corrumpitur, portamus, peccatis ex integro carere nunquam valebimus. Quapropter quoties ad peccati contagionem, quamlibet tenuem et exiguam, relabimur, auctorem munditiæ a cordis nostri mansione expellimus. Sed solus sine peccato Deus humanæ fragilitatis cognitor benignissimus, quia in hac mortali carne perfectæ innocentiæ meritum nos conspicit non posse retinere, ipse, qui condidit naturam, benignus adjuvat infirmitatem nostram. Quod bene sequenti narratione evangelista videtur indicare :

Et descendit, inquit, *cum illis, et venit Nazareth.* Cum enim per ingenitam sibi bonitatem mortalis vitæ miseriam pensat, ut humana infirmitas ad divinam virtutem accessum aliquem habere valeat, ab illa inaccessibili celsitudine sua majestas summa se inclinat. Attamen ipse universorum Conditor cum nostris miseriis compatiendo sic descendit, non alias quam *in Nazareth*, quæ *flos munditiæ* dicitur, divertit. Neque enim singularis ille *flos munditiæ* nisi in solo mundi pectoris hospitio requiescere poterit; nec est alia domus majestati ejus condigna nisi mens illibata florens in innocentia et munditia. Quale vero, vel **113** quantum sit retributionis pretium, quod mundis corde ab ipso munditiæ auctore in præmio dabitur, verbis sequentibus declarabitur :

Et erat subditus illis. Tunc enim pia Conditoris majestas voluntati nostræ quodammodo dignatur subesse, quando desiderii nostri compotes effecti, diu cum lacrymis quæsita intima pascimur suavitate Dei. Hinc est quod Jacob Dominum in figura angeli legitur vicisse, et ad id quod volebat, violenter insistendo perduxisse. Sic etiam nobis, in spiritali certamine perseverantibus et quasi vim divinæ majestati inferentibus, quodammodo lassata et delectabiliter fatigata benignitas Dei, victa quando-

que cedit, dum, ut dictum est, opportune, importune quærentibus et pulsantibus abundanter saporem cœlestium gaudiorum infundit. Felix anima, beata admodum conscientia, quæ suo Dominatori taliter meruerit dominari! Sed unde ei, quæso, tantæ virtutis gloria, ut subesse illi dignetur majestas summa? Ex eo revera quod hic subjungit lectio evangelica :

Et mater ejus conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo. Quia enim divina eloquia *conferens in corde suo* alta recondit memoria, jure in tempore necessitatis eum familiariter subditum habet, cujus verba tanta familiaritate, tali devotione apud se recondere studet. Cum ergo talibus virtutum profectibus tales nosmetipsos exhibuerimus, ut æternæ suavitatis cibo refici digni simus jam in nobis implebitur, quod de Auctore nostro in consequentibus dicitur :

Puer Jesus proficiebat ætate, et sapientia, et gratia apud Deum et homines. Ætate dicitur *proficere*, qui puerilem ætatem morum transcendit gravitate, cui nec inconstantia animi, nec dissolutio actionis et habitus facile valet subripere. Hæc ætatis progressio, **114** hæc maturitatis perfectio in nobis quandoque fiet, cooperante Domino, ut in cunctis quæ agimus, loquimur et cogitamus, nil vanitatis se immisceat, sed sanctæ et Deo placitæ gravitatis vultus appareat. *Et sapientia*, inquit. Prudentia exteriorum accipitur scientia, quæ ad eos solummodo pertinet qui his quæ mundi sunt, inhærent et student. *Sapientia* vero sapor est intimus, quo ea quæ Dei sunt, vel ad animæ pertinent salutem, sapimus et intelligimus. In sapientia ergo proficiendi nobis datur gratia, ut qui sæcularis vitæ desideria calcamus, quæ sint cœlestis vitæ gaudia, etiam adhuc in carne viventes, aliquantulum sapiamus.

Et gratia apud Deum et homines. Gratia proficimus *apud Deum*, dum propter laudabilis vitæ meritum gratuita nos bonitate prævenire dignatur in benedictionibus dulcedinis. Frequenter enim sine proprii laboris industria gratuita nos prævenit bonitate orationis hora, ut spiritualibus affluens deliciis bene noster dicere valeat spiritus, quia *parasti in dulcedine tua pauperi, Deus* (*Psal.* LXVII, 11).

Vel *Jesus proficiebat ætate* in progressu temporis, *sapientia* in augmento cognitionis, *gratia* in incremento virtutis. *Apud Deum et homines*, apud Deum in conscientia, *apud homines* in fama ; apud Deum ut remuneretur, apud homines ut glorificetur. Quia igitur qua sedulitate quærendus, quo sudore inveniendus, quibus amoris vinculis tenendus sit dilectus dilecti filius, jam ex parte cognovimus, curemus summopere ea morum suavitate eidem suavitatis auctori servire, ut paululum hic gustata ejus suavitas perfecte quandoque perspecta, plena nobis fiat bonorum omnium satietas, quod ipse præstare dignetur Dominus noster Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen

115 HOMILIA XV.

IN EAMDEM DOMINICAM SECUNDA.

Cum factus esset Jesus annorum duodecim, ascendentibus illis in Jerosolymam secundum consuetudinem diei festi, consummatisque diebus, cum redirent, remansit puer Jesus in Jerusalem, et non cognoverunt parentes ejus (*Luc.* II).

In *annis duodecim* ætatis Domini Jesu, qui in præsenti Evangelio nobis sunt conscripti, fides intelligi potest sanctæ Trinitatis, sive mysterium quatuor Evangeliorum Filii Dei, quibus instruimur et ducimur ad fidem Christi. Sive enim quatuor tria, sive ter quatuor numerentur, *duodecim* nihilominus inveniuntur. Dominus ergo *Jesus* tunc *factus annorum duodecim* recte dicitur, quando fidem sanctæ Trinitatis mundo prædicavit et evangelicæ perfectionem veritatis sæculo declaravit. Mox novam legem, nova edicta eo prædicante, Judæi facibus invidiæ et odii succensi ad hoc usque exarserunt, ut Auctorem vitæ morti traderent, sicut mox dicitur in consequentibus :

Ascendentibus illis in Jerosolymam. Jerosolyma ista *pacis visio* dicta carnem et corpus significat Dominicum, ab omni peccati sorde alienum, in quod nil manavit de lege peccati, quod pacem illam pacatissimam perturbare potuisset. In nullo denique hominum talis unquam pax potuit, vel poterit reperiri qualis fuit in Mediatore nostro, quia ipse solus sine peccato conceptus et natus absque peccati aspergine in cogitatione, verbo et opere permansit immaculatus. Et ita fuit ipse secundum assumptum nomen *Jerosolyma*, id est *visio pacis*.

Sed videamus nunc quinam illi fuerint, qui in hanc Jerosolymam ascenderunt, quia non aperte describitur, sed suppresse hic ponitur. *Ascendentibus* inquit, *illis in Jerosolymam.* Sicut ergo in cæteris Evangelii locis habemus, ubi non expresse, sed indefinite ponitur *illis*, ibi plerumque sive bonos sive malos angelos intelligimus, sic et in præsenti loco malignos spiritus intelligere possumus. Hi maligni spiritus perversis suggestionibus, et suasionibus suis usque ad hoc Judæos suscitaverunt et inflammaverunt, ut per superbiam et crudelitatem suam *ascenderent* super Christum. Quod tunc profecto **116** fecerunt, quando manus in eum injecerunt, et morti tradentes auctorem salutis crucifixerunt. Sed hunc ascensum permisit Deus Pater fieri in Filium suum, hunc ascensum permisit Deus Filius fieri in carnem suam, ut sequeretur dies festus ille, de quo dicitur in consequentibus :

Secundum consuetudinem diei festi. Dies festus iste significat communem vitam sanctamque conversationem, quæ post mortem Christi et ascensionem in primitiva cœpit Ecclesia, sicut in Actibus apostolorum legimus : *Multitudinis credentium erat cor unum, et anima una, nec quisquam suum aliquid dicebat, sed erant illis omnia communia* (*Act.* IV, 32). Festus dies iste, communis videlicet vita ante Christi adventum rarus fuit in Ecclesia, sed post Christi

passionem versus est in *consuetudinem*. Rarum denique fuit, ut omnibus sæculi divitiis, imo negotiis postpositis Dominum solum sequerentur fideles. Sed *dies* iste *festus* tunc primum cœpit in apostolis, deinde in martyribus, exin in confessoribus, modo Deo opitu ante *dies festus* iste usque ad nos pervenit, et multipliciter in Ecclesia excrevit. Sequitur :

Consummatisque diebus cum redirent. Dies isti, de quibus hic dicitur, dies nativitatis, passionis, sepulturæ, resurrectionis, et ascensionis Christi fuerunt, qui non immerito *dies* nuncupari meruerunt, quia non solum tenebras hujus sæculi fugaverunt, verum etiam cœlum, terram tartarumque luce sua penetraverunt. His *diebus* salutis et redemptionis nostræ *consummatis* Judæi *redierunt* in sua, ad suam plane, malitiam ad pristinam duritiam, quia noluerunt credere in Filium Dei Dominum nostrum Jesum Christum. Nam teste Evangelio ipso in cruce occumbente propter malitiam suam rogaverunt Pilatum præsidem, ut juberet custodire sepulcrum, ne forte discipuli corpus auferrent. Sed dum certissime cognovissent eum, quem crucifixerunt, a mortuis resurrexisse, dederunt pecuniam militibus, **117** ut diffamarent verbum hoc, quoniam illis dormientibus discipuli ejus furto eum abstulissent.

Illis ergo sic, ut prædiximus, in suam crudelitatem et malitiam redeuntibus, ubi, quæso, *remansit* Dominus Jesus? *Remansit*, inquit evangelista, *puer Jesus in Jerusalem*. *Remansit* ergo et remanet puer Jesus *in Jerusalem*, hoc est in Ecclesia. Et bene dicit : *Puer Jesus*, quia pueri est timere dominum et magistrum suum. Tandiu quippe *puer* est *Jesus* in præsenti Ecclesia, quæ corpus ipsius est, quandiu sub timore hic vivit, quandiu sub tutoribus et actoribus hic agitur, usquequo ad sanctum illum timorem perveniat, de quo per Psalmistam dicitur : *Timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi* (*Psal.* XVIII, 10). Timor iste sanctus est amor de timore incipiens, in amorem desinens, qui in æterna vita durabit in electis nunquam terminandus, nunquam finiendus. Sequitur :

Et non cognoverunt parentes ejus. Quinam sunt *parentes* pueri Jesu nisi Judæi, de quorum stirpe descendit, de quorum carne caro factus processit? Nam domina nostra perpetua virgo Maria mater ejusdem Redemptoris ex omni parentela sua fuit Judæa, tam ex iniquis quam ex justis parentibus progenita, sicut et in genealogia ejusdem generationis conscribitur : *Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham* (*Matth.* I, 1). Unde de nobilitate ejusdem seminis se descendisse Judæi gloriabantur dicentes ad Dominum : *Semen Abrahæ sumus, et nemini servivimus unquam* (*Joan.* VIII, 33). Et beata illa mulier Samaritana, cum qua sedens super puteum loquebatur : *Pater noster Abraham*, ait, *dedit nobis puteum istum* (*Joan.* IV, 12). Isti itaque Domini *parentes*, Judæi nimirum ex Abrahæ semine prodeuntes, *non cognoverunt*, nec cognoscere volunt, quod

A ipse Dominus Jesus in Ecclesia sua remanserit. Sed quid faciunt?

Existimantes illum esse in comitatu, venerunt iter diei, et requirebant inter cognatos et notos. Existimant igitur Judæi, non quod eos præcesserit Dominus, sed quod adhuc *comitari* eos debeat, qui jam præcesserunt. Autumant siquidem Christum in carne venturum, adhuc hominem futurum, terrenamque et temporalem **118** gloriam eis daturum et cum eis habiturum. *Venerunt iter diei, et requirebant eum inter cognatos et notos*. *Iter unius diei* modo peragunt Judæi, quia idola quidem non adorant, sed solum Deum Patrem, solum Deum Creatorem suum colunt et venerantur. Ad secundum autem diem, Deum Filium, de quo per prophetam dicitur :
B *Nuntiate de die in diem salutare ejus* (*Psal.* XCV, 2), ad hunc diem minime perveniunt, quia in Deum Filium, in Deum Redemptorem credere nolunt.

Agunt profecto et alio modo *iter unius diei*, quia honorem tantummodo et prosperitatem præsentis sæculi cupiunt adipisci, quam et plerumque merentur consequi; æternam autem felicitatem, et futuræ jucunditatis prosperitatem nec requirunt, nec quærere sciunt. Sic *itinere unius diei* venientes *requirunt* eum *inter cognatos et notos*, qui nimirum cognati patriarchæ fuerunt, de quorum stirpe et cognatione natus est. *Noti* autem sancti sunt prophetæ, quorum multam notitiam se Judæi habere gloriantur secundum litteram; nostram autem notitiam vel scientiam, quæ secundum
C spiritum est, contemnunt, et pro nihilo ducunt. Unde et sequitur :

Et non invenientes regressi sunt in Jerusalem requirentes eum. Quandiu enim quærunt in patriarchis et prophetis, non inveniunt eum, donec ad Ecclesiam Catholicam redeant, ibique eum reperiant, sicut in præsenti loco dicitur : *Regressi sunt in Jerusalem requirentes eum*. Præsenti ergo tempore ad fidem et unitatem sanctæ Ecclesiæ Judæi regrediuntur, quamvis pauci numero, sed circa finem mundi plenarie omnis eorum multitudo regredietur, quemadmodum per Psalmistam dicitur : *Convertentur ad vesperam, et famem patientur ut canes* (*Psal.* LVIII, 7). Isaias quoque propheta eorum fidem et conversionem prævidens dicebat : *Si fuerit numerus filiorum Israel quasi arena, quæ est in littore maris,*
D *reliquiæ salvæ fient* (*Isa.* X, 22). De hac ipsa eorum conversione Paulus quoque apostolus ait : *Cum plenitudo gentium introierit, tunc omnis Israel salvus erit* (*Rom.* XI, 25). Sequitur :

119 *Et post triduum invenerunt eum in templo sedentem in medio doctorum audientem et interrogantem eos. Stupebant autem omnes qui audiebant eum super prudentia et responsis ejus*. In hoc triduo, de quo modo audivimus, possunt intelligi tria tempora, quæ fuerunt ante legem, sub lege, sub gratia. Post hoc triduum, post hæc tria tempora, sive post cognitionem sanctæ Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti factum istud magnum fiet, quod Judæi perfecte conversi ad Dominum, ipsum quærentes

in templo, id est in ecclesia invenient. *Sedentem*, inquit, *in medio doctorum*. Sedere judicantis est. *Sedentem* itaque Dominum Jesum, id est judicantem invenient, quando cognoscent quod ipse est qui judicaturus est omne genus humanum, judex vivorum et mortuorum. Et bene dicit: *Sedentem in medio doctorum*. Nam inter Patres et doctores Novi ac Veteris Testamenti medius residet Jesus, quia quem Moyses et cæteri prophetæ ante Christi nativitatem in carne venturum prædixerunt et docuerunt ipsum doctores Novi Testamenti venisse credunt, confitentur, testificantur.

Sed videamus nunc quali operi intentum, quomodo inter doctores sedentem nuntiant? *Audientem*, inquit, *et interrogantem eos*. Licet sensus iste allegoricus sit, tamen et redolet moralitatem, ipsaque allegoriarum mysteria non carent moralitatis dulcedine. *Audit* Dominus doctores, quando diligenter attendit, quomodo, vel quali studio unusquisque prælatus et magister subditos suos doceat, utrum de terrenis, an de cœlestibus sermo exhortationis ejus procedat utrum hoc quod voce prædicat, vitæ suæ exemplis destruat an hoc quod verbis alios monet et exhortatur, ipse in vita sua bene et perfecte conversando operibus adimpleat. Ita audiendo doctores *interrogat* quodammodo etiam auditores, quomodo hoc quod ex verbis Domini auditu perceperint, in secreto cordis recondiderint? *Interrogat* rursus, dum districte examinat, cur peccaverint? *Interrogat* iterum, dum vult scire qualiter tempus vitæ sibi indultum consumpserint, quomodo singula quæque momenta transegerint. Post hunc auditum, post hanc interrogationem satis congrue sequitur sermo evangelicus :

120 *Stupebant autem omnes qui audiebant eum super prudentia et responsis ejus*. Stupor est mentis abalienatio, qua mens hominis vel timore vel amore extra se ducitur. Hæc, quæ prædiximus, audientem hominem stupidum faciunt, quod tam providus est Dominus ad audiendum, tam districtus et subtilis ad interrogandum. Omnis, qui sanum habet intellectum, his auditis obstupescit quod tanta ac talis est providentia et prudentia Dei, qui tam provide audit, qualiter a doctoribus et magistris nostris verbo prædicationis instruamur, tam diligenter considerat qualiter doctrinæ eorum moribus et vita nostra respondeamus. Quisquis ergo rectum sapit, hoc verbi Dei tonitruo audito a terrenis desideriis alienum se efficit, et si in aliquibus delictis mentem prius occupaverat, summo studet desiderio hæc funditus auferre de corde proprio, statimque formidine compellente ad cor suum reducitur. *Stupet* revera et *super responsis* Domini, dum audit quoniam Omnipotens cuncta hominum opera tam districte, tam minute discutit, nihilque indiscussum transire permittit, sed bonis respondet pro meritis suis, malis autem justa retributione respondet pro peccatis suis. *Nulla* denique, ut beatus Gregorius ait, *momenta temporis transeunt sine statu retributionis*. Unde bene subjungitur :

Et videntes admirati sunt. Et quia breviter ad moralem sensum excessum fecimus, jam ad allegoriam redeamus, et quomodo hæc quoque in Judæis adimpleantur, videamus. *Invenerunt eum*, inquit, *in templo sedentem in medio doctorum, audientem et interrogantem eos*. Judæi itaque, cum, ut prædiximus, ad fidem sanctæ Ecclesiæ confugerint, inveniunt Jesum *audientem doctores et interrogantem eos*. Prædicationis nempe verbo pulsati et excitati ad hoc tandem evigilant, ut pensent quam caute omnipotens Deus prædicatorum suorum verba audiat, quam bonorum operum redhibitionem post verba prædicantium ab eis exigat, et requirat. Audiunt quoque eum *interrogantem*, cum vim supernæ districtionis audiunt, quam districte singula hominum opera discutit, quam justam mercedem bonis et malis retribuit. Unde bene subditur : *Stupebant autem omnes qui audiebant* **121** *eum super prudentia et responsis ejus. Stupent super prudentia et providentia ejus*, quia, dum providam Dei circumspectionem audiunt, obstupescunt, et a terrenis desideriis mente alienari concupiscunt. *Stupent* nimirum *et super responsis ejus*, dum ex Veteris et Novi Testamenti paginis considerant, quam districtus in judicio veniat, quam subtiliter singulorum merita discutiat, quam juste singulorum meritis respondeat. *Et hæc videntes* nimis *admirabuntur*. *Admirabuntur* sane judiciorum Dei investigabilem et inscrutabilem abyssum, quare primum gentibus repulsis Judæos vocaverit, postea Judæis repulsis gentes assumpserit, tandemque in fine mundi ad se convertendos utrosque elegerit. Et quia hæc ratione investigare non possunt, *videntes admirabuntur*.

Et dixit mater ejus ad eum : Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce, ego et pater tuus dolentes quærebamus te. In matre Jesu Synagoga est designata, quæ circa finem sæculi est convertenda. Quæ, cum ad perfectam fidei cognitionem pervenerit, omniaque in Christo fuisse adimpleta, quæ olim de ipso fuerant prophetata, cordis oculo perspexerit, graviter dolebit quod gentibus illuminatis ipsa et omnes patres ejus ita sint excæcati, nec tamen comprehendere poterit quo Dei judicio peractum sit, et ideo contrito valde spiritu dicet ad Dominum : *Fili, quid fecisti nobis sic ?* Ac si dicat : O dilecte fili, qui de progenie nostra carnis materiam assumere voluisti, cur tandiu multitudinem viscerum et miserationum tuarum super nos continuisti? *Quid nobis sic fecisti*, quod in tanta mentis cæcitate nos demisisti, in tanta cordis duritia tot tempora, tot ætates nos manere permisisti? *Ecce ego et pater tuus dolentes quærebamus te. Ecce ego* mater tua Synagoga, *et pater tuus* populus Judaicus *dolentes quærebamus te*. Dolor quidem, qui nobis ex tuo justo judicio accidit, nimis est intolerabilis. Dolemus nosmetipsos in hac derelictos cæcitate, tandiu Deo rebelles exstitisse; dolemus sane et pro patribus nostris, quos scimus

in hac cæcitatis miseria ad inferos descendisse, et æternæ damnationis sententiam de manu justi judicis suscepisse. Hæc verba sunt Judæorum graviter **122** cæcitatem suam dolentium, quibus interpellant dilectum filium suum de carne sua progenitum.

Magnus revera erit dolor et gemitus ista considerantibus, et occultum Dei judicium comprehendere non valentibus. Hunc divinorum judiciorum abyssum Paulus apostolus intuens comprehendere non potuit, quo Dei judicio actum sit ut gentibus in incredulitate dimissis populus Israeliticus a Deo primum eligeretur, postmodum autem, justitia et misericordia operante, populus gentium Judæis reprobatis ad fidem Christi assumeretur. Itaque in hac consideratione sua deficiens tandem exclamavit dicens : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei; quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ illius!* (*Rom.* II, 33.) Igitur Judæis, ut prædiximus, sic graviter dolentibus, sic amare pœnitentibus, tandem respondet Dominus :

Quid est quod me quærebatis? nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse? Ac si dicat : Me quidem, ut dicitis, *dolentes quærebatis* sed quia in Ecclesia, ubi ego remansi, ubi quærere debuistis, non juste quæsistis, me procul dubio invenire digni non fuistis. *Me* sane *in his quæ Patris mei sunt, oportet esse*, in beatis scilicet animabus, quæ sunt in Ecclesia, qui revera domus Patris mei sunt.

Et ipsi non intellexerunt verbum quod locutus est ad eos. Verbum plerumque in sacra Scriptura refertur ad divinitatem, caro ad humanitatem. Unde beatus Joannes in Evangelio ait : *Verbum caro factum est* (*Joan* I, 14). Quandiu in perfidia sua Judæi persistunt, *verbum* istud *non intelligunt*, quia Verbum Dei Christum incarnatum non credunt, quem tamen quandoque incarnandum olim per Moysen Dominus locutus fuerat, et per ora omnium prophetarum suorum. Sequitur :

Et descendit cum illis, et venit Nazareth, et erat subditus illis. Tunc nimirum *cum illis descendit*, quando ad cor eorum dignatur venire, eosque illuminans visitat et accendit in amore suo. *Venit* quoque cum illis *Nazareth* quia munditia fidei et sinceritate perfectæ dilectionis eorum jucundabitur et delectabitur. *Eritque subditus illis*, quia **123** inter illos, et cum ipsis remanebit, talisque erit finis Ecclesiæ, quale principium, et tantus fervor et dilectio erga Deum erit in fine Ecclesiæ, qualis fuisse noscitur in primitiva Ecclesia. Unde bene subditur :

Et mater ejus conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo. Mater Domini jam sæpe dicta est Synagoga, quæ circa finem sæculi conversa, fidei calore in amore Domini fortiter succensa, *conservabit omnia verba* tam Novi quam Veteris Testamenti *in corde suo*. Conversi denique, juxta Psalmistam, *ad vesperam famem patientur ut canes, et circuibunt civitatem* (*Psal.* LVIII, 7). Tanta siquidem fidei devotione, tanta animi constantia requirent Dominum, ut etiam in requirendo eum famem patiantur, famem utique fidei, famem justitiæ, famem veritatis. Circuibunt quoque civitatem, sanctam videlicet Ecclesiam, ut ubicunque infideles inveniant, eos verbo prædicationis suæ ad fidem convertant, et quoscunque in dilectione Dei pigros, et desides perspexerint, hos ad amorem Dei suis exhortationibus excitent et inflamment. Erunt denique prædicatores tam egregii, tamque perfecti, utpote multa scientia tam Novi quam Veteris Testamenti referti, ut sapientiores et perfectiores **124** prædicatores in sancta Ecclesia non fuerint, ex quo verbum Dei annuntiari cœpit. Tunc perspicient oculo fidei, quomodo duo illi cherubin respiciant oraculum versis vultibus in propitiatorium. Plenissime enim cognoscent, quoniam tota sacra Scriptura, tam Novi, quam Veteris Testamenti, ad solum respicit Christum. Illo profecto in tempore adimplebitur quod protinus hic subinfertur :

Et Jesus proficiebat sapientia et ætate et gratia apud Deum et homines. In Ecclesia, quæ modo in præsenti est, Dominus Jesus esse videtur quasi puer, quia adhuc timore agitur. Sed in illa Ecclesia, perfectissime ad Deum conversa, quæ in fine sæculi erit futura, Jesus quemdam profectum faciet. *Proficiet* enim *sapientia* in augmento cognitionis, *ætate* in maturitate perfectionis, *gratia* in æternitate remunerationis : *apud Deum*, quia Deus est qui hunc profectum operatur; *apud homines*, quia hunc profectum Deus in hominibus et cum hominibus operatur. Ad quem profectum perducat nos Dominus noster Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen!

HOMILIA XVI.

IN DOMINICAM II POST EPIPHANIAM PRIMA.

Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, et erat mater Jesu ibi : Vocatus est autem Jesus et discipuli ejus ad nuptias (*Joan.* II).

Per sacri hujus textum Evangelii, in quo nobis initium commendatur signorum Domini et Salvatoris nostri, memorabile illud et salubre initium præfiguratur quo salvandus quisque primum ad æternæ salutis gaudia initiatur. Nuptiæ corporales sicut nusquam fieri possunt, nisi ubi sponsus et sponsa præsto sunt, ita etiam sine eisdem personis, sponso videlicet Deo, et sponsa, fideli anima, spiritalium nequaquam nuptiarum celebrari poterunt gaudia. Locus vero, in quo festiva earumdem nuptiarum præparari solent convivia, est electa quorumlibet Deo militantium congregatio, in qua tales, Deo cooperante, inveniuntur qui digne pro meritis æterni Regis thalamo admittuntur. Qualis autem beata hæc anima esse debeat, quæ sponsa sponsi immortalis dici et esse desiderat, per hoc evidenter edocetur, quod eædem nuptiæ *in Cana Galilææ* fuisse descri-

buntur *Cana* enim *zelus*, Galilæa *transmigratio* interpretatur.

125 Sed notandum quia multi sunt *in Cana* qui tamen non sunt *in Galilæa*, et econtra quamplures *in Galilæa* esse videntur qui *in Cana* locum mansionis habere non merentur. Illi nimirum, quasi in *Cana* sunt, et non *in Galilæa*, qui, ut inter sæculares fieri solet, adulterio, vel homicidio, seu alio gravi quolibet crimine perpetrato, suscepta ad tempus pœnitentia, eadem quæ commiserunt, quasi *zelantes*, insequuntur, sed peracto satisfactionis tempore pristinis scelerum erroribus implicantur. Tales quidem, quia zelantes sunt, sed non perseverantes, pœnitentes sunt, non convertentes, in æterni Regis thalamo nuptiali nequaquam merentur collocari. Sed econtra multi *in Galilæam*, sed non *in Cana* veniunt, illi videlicet, qui noxias pristinæ conversationis vias deserentes ad spiritalis vitæ delicias confugiunt. Sed dum solam peccatorum transmigrationem ad perpetuæ salutis perfectionem sibi sufficere arbitrantur, ad insequenda retroactæ bestialis vitæ crimina nullo spiritali fervore, nullo stabili, prout dignum esset, pœnitentiæ zelo inflammantur. Isti sane, cum sint *transmigrantes*, sed non *zelantes*, convertentes, sed non ferventes, simili modo a cœlestis Sponsi excluduntur convivio. Eapropter ille solus vere commoratur *in Cana Galilææ*, qui laudabilem de vitiis ad virtutes transitum faciens, ea quæ inique se gessisse recolit, digno spiritalis constantiæ fervore non ad horam neque ad tempus, sed semper infatigabiliter insequendo punire non negligit. Beata vere et Deo dilecta anima quæ hoc modo nuptiis divinis dignam se præbuerit! Nam quantæ beatitudinis, quantæ dignitatis coram oculis divinæ majestatis sit, verbis sequentibus evangelista aperit evidentius :

Et erat, inquit, *mater Jesu ibi*. *Mater Jesu* eadem est quæ et sponsa, fidelis scilicet anima, sponsa amando, *mater* vero eumdem, quem amat, Jesum de spiritali cordis sui utero spiritaliter generando. Sed unde ei, qui est pulvis exiguus, tanta de corde suo generandi genitorem sui virtus, nisi quia teste evangelista *ibi*, id est *in Cana Galilææ* erat? Esse namque *in Cana Galilææ* est et zelando et transmigrando stabili constantia in nuptiis Domini permanere.

126 Sed et in matre Domini bonum aliquem prælatum, sine quo spiritales nuptiæ non perficiuntur, possumus accipere, qui sponsum sponsæ, Christum videlicet, fideli animæ commendare et innotescere, et sponsam quomodo eumdem sponsum suum Christum diligere et ad amplexus ejus pertingere debeat vita et doctrina sua debet instruere.

Vocatus est autem et Jesus et discipuli ejus ad nuptias. *Vocandus* quidem ei est Dominus sanctis desideriis et castis cogitationibus, quatenus per occultam visitationis suæ gratiam veniens nuptialem sibi amorem tribuat, per quem omnes sensus suos, quos sub *discipulorum* nomine accipimus, præceptis suis plenius instituat, ut noverit, qualem oculis et manibus, ori et auribus adhibere debeat custodiam, ne quid per hæc illicitum agens sui contrahat sponsi et amatoris offensam. Sed quia impossibile est ut in primordio conversionis vel ad perfectam sumet custodiam vel ad optatam divinæ cognitionis dulcedinem quis pertingere possit, consequenter evangelista subjungit :

Et deficiente vino dixit Mater Jesu ad eum : Vinum non habent. Possumus per *vinum* aut fervorem amoris, aut gratiam devotionis, quæ ex cognitione Dei surgunt in homine, non inconvenienter accipere. Igitur *mater Jesu*, bonus scilicet prælatus vel fidelis anima defectum vini conqueruntur, dum aut prælatus pro defectu spiritalis fervoris, quem videt in subditis, aut ipsa anima pro sui torporis ignavia humiliter Domino supplicat. Sed pius et misericors Dominus animam in hujusmodi supplicationis clamore humiliter perseverantem nequaquam quasi non audiendo despicit, sed quid sibi istiusmodi defectum pariat, et quibus eum modis declinare valeat, invisibili responsionis suæ verbo familiariter ei innotescit :

Quid mihi, inquit, *et tibi est, mulier ? Nondum venit hora mea*. Dum dicit hæc matri suæ Jesus, quasi matrem suam eam non cognoscat evidenter nobis insinuat quod anima illa quæ in spiritalibus nuptiis posita est, omnem a se carnalem affectum repellere debeat, ne, dum sollicitat eam carnalium cura parentum, minus sollicita sit circa spiritale exercitium. Quandiu enim in mundo sumus, **127** constat, nos debitores esse parentibus. Postquam autem nosmetipsos reliquimus, ab eorum etiam sollicitudine liberi esse debemus. Nec pretereundum quod dicit : *Mulier! nondum venit hora mea*. Per mulierem, quæ a mollitie dicta est, levitas mentis accipi potest, quam nisi anima a se abjiciat, et repellat, *non venit hora* Jesu, non est, inquam, tempus, ut nuptialibus dulcedinis suæ gaudiis eam admittere debeat. Quod dum fidelis anima desiderio sponsi sui affecta ex ipsius visitationis et inspirationis gratia intus senserit, ad majorem spiritalis constantiam fervoris viriliter semetipsam accingit, quemadmodum figuraliter evangelista ostendit, cum dicit :

Et ait mater Jesu ministris : Quodcunque vobis dixerit facite. *Ministri* isti sunt omnes sensus sui, quos tunc sollicite ad se intra se convocans stringit, ut ad id quod desiderat, ministerio eorum pariter et auxilio pertingere valeat. *Quodcunque*, inquit *dixerit vobis, facite*. Ac si dicat : Multa quidem de Deo audivi, sed mea, imo et vestra impediente desidia nequaquam opere adimplere curavi. Nunc ergo, *quodcunque dixerit vobis, facite*. Quodcunque præceperit Dominus, operibus efficaciter adimplete, quoniam hanc divinæ dulcedinis gratiam, quam quærimus, non nisi piæ operationis annisu consequi poterimus Sequitur :

Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ secundum purificationem Judæorum. Per *sex hydrias* istas observantias possumus accipere, quas ad purificanda confitentium corda sancti Patres instituere

et omnes illas, ni fallor, hic possumus invenire.

Prima siquidem *hydria* continentia est castitatis, qua diluitur quidquid ante luxuria inquinavit.

Secunda vero jejunium est ut quod maculaverat crapula, nunc abstinentia mundet.

Per segnitiem quoque et otiositatem, quæ inimica est animæ, multas contraximus sordes, contra Dei sententiam in sudore vultus alieni, non nostri pane vescentes. Propter hoc quoque tertia hydria nobis apponitur, ut sordes illæ in labore manuum diluantur.

Sic et per somnolentiam, cæteraque noctium et tenebrarum opera multa deliquimus **128** : ideo quoque quarta hydria vigiliarum observantia ponitur, ut nocte surgentes ad confitendum Domino non bonas noctes præteriti temporis redimamus.

Jam vero de lingua quis nesciat, quam multum inquinaverit nos per vaniloquia et mendacia, per detractiones et adulationes, per verba malitiæ, et jactantiæ? Pro his omnibus necessaria est hydria quinta, silentium scilicet, custos religionis, et in quo est fortitudo nostra.

Sexta quoque hydria disciplina est, qua non nostro arbitrio, sed alieno vivimus, ut deleatur, quidquid indisciplinate vivendo deliquimus. *Lapidea* sunt hæc, dura sunt sed necesse habemus in his lavari, nisi forte volumus propter fœditates nostras accipere a Domino libellum repudii. Attamen in eo quod dicuntur *lapideæ*, non solum duritia, sed multo melius soliditas potest intelligi, quoniam non lavant hæc, nisi firma stabilitate permanserint.

Nec prætereundum quod ait : *Capientes singulæ metretas binas vel ternas*. Possumus enim in *binis metretis* duplicem timorem accipere, unum, quo timet homo æternaliter damnari; alterum, quo timet vita æterna privari; tertia vero metreta tertius amor multo probabilior, quo timet gratia quotidiana, gratia scilicet interna fraudari. Quisquis igitur hoc timore repletus fuerit, profecto binis metretas ternas addidit.

Sed et alio modo per *sex hydrias* istas sex mundi ætates non incongrue designantur, quibus etiam sex nostræ ætates, infantia scilicet et pueritia, adolescentia et juventus, senectus atque decrepita ætas convenienter comparantur. In prima sæculi ætate primum hominem Deus posuit in paradisum, nunquam, si ei obediens exstitisset, moriturum. Sed quia Dei præcepta non custodivit, sibi omnique posteritati suæ perpetuæ mortis miseriam conquisivit. Huic primæ ætati prima nostra ætas, quæ infantia dicitur, recte valet assimilari, in qua tunc Deus hominem quasi in paradisum ponit, dum eum ab originali crimine per baptisma absolutum æternæ saluti restituit. Sed quia nemo est qui in hac dignitate persistat, quin exemplo Adæ etiam post baptisma præceptum Domini transgrediatur, recte prima hæc hydria hydria transgressionis nuncupatur.

129 In secunda ætate Noe sanctus arcam, quam ex præcepto Domini ædificavit, aquas diluvii evasurus A intravit, per hoc nobis significans ut omnis, qui ex hac prima, quam diximus, transgressionis hydria biberet ad secundam secundæ ætatis hydriam manum mittat, arcam Domini, sanctæ scilicet conversationis locum adeat, in quo quidquid extra arcam deliquit, mundanti lacrymarum diluvio diluere possit. Et hæc secunda hydria non incongrue hydria conversionis est dicenda. In qua nimirum conversione, si humiliter pœnitendo processerit, ad tertiam tertiæ ætatis hydriam, quæ ab Abraham incipit, tandem opitulante Deo pervenire valebit, qui Deo humiliter obediendo, dum unicum ei filium suum immolare voluit, voce divina prohibitus, non filium, sed arietem mactavit.

B Et hæc tertia hydria hydria perfectionis dicatur, quia nulla perfectio major, et Deo acceptabilior esse poterit, quam cum homo carnem suam, quæ per arietem accipitur, carnisque concupiscentias mortificando contemnere, et spiritu per bona opera vivificato solis cœlestibus cœperit intendere.

Huic sane quarta quartæ ætatis hydria satis digne satisque juste apponetur, in qua David sanctus pro magnæ humilitatis suæ reverentia, regali, Deo disponente, sublimatus est potentia. Hydria hæc quarta, hydria dici potest prælationis, de qua tunc Deus homini taliter proficienti propinat, dum pro laudabilis vitæ merito ad exemplum aliorum magisterialis eum honore dignitatis sublimat.

C Sed, si in prælatione sua perfecte et secundum Dei voluntatem vixerit, continuo necesse est ut quinta quintæ ætatis hydria succedat, hydria scilicet tribulationis, quæ recte accipi potest per eam quæ in quinta ætate facta est transmigrationem Babylonis. Per Babylonem enim, quæ *confusio* dicitur, præsentis mundi tribulatio designatur, quam bonus nonnunquam prælatus incidere, et pati cogitur pro sanctorum corporum, nec non et castarum amore **130** animarum, quas regendas tam corporalibus quam spiritalibus a Deo rebus suscepit providendas.

Attamen si patienter egerit, si in laboribus pro Deo susceptis viriliter perseveraverit, in sexta tandem ætate, quæ ab adventu Domini incipit, de sexta etiam hydria lætus potabitur, cum post laboriosum D hujus vitæ terminum æternæ remunerationis gloria coronabitur. Sed ad hanc sextam hydriam, quam dicere possumus hydriam liberationis sive remunerationis, nemo pervenire poterit, nisi qui sex suimet ipsius hydrias, sex, inquam, de quibus supra memoravimus, ætates suas vigilanti cordis oculo intuetur et discutit. Ad hoc enim sanctus evangelista suis nos verbis admonet, et hortatur, qui easdem, de quibus nunc agitur, hydrias, *secundum purificationem Judæorum positas* fuisse testatur.

Primum namque considerandum est homini qualiter in singulis suis ætatibus vixerit, quas omnipotens Deus sibi ad hoc posuit, id est concessit, ut viveret in eis *secundum purificationem Judæorum*, secundum exemplum, inquam, eorum qui per ve-

ram confessionem et sanctæ operationis meritum A hac in vita purificati nunc gaudent in cœlestibus, in æterni Regis thalamo immortaliter collocati. Hoc nimirum dum homo sollicite in semetipso agere incipit, omnes hydrias suas non aliud quam *lapideas* fuisse invenit. Lapis quippe durus est et frigidus. Videt namque quam duro, quam frigido corde omnes dies suos transegerit, quod nec malum propter timorem Domini declinare, nec bonum quod faciendum erat, pro amore ipsius operari curaverit. Videt etiam quomodo omnes hydriæ suæ tantummodo capientes erant *singulæ binas vel ternas metretas*, quando universas vias suas diligenter intuendo nihil in seipso invenit, nisi quod in singulis ætatibus suis, tum dictis tum factis, tum etiam cogitationibus iniquis, quod sunt *quasi binæ vel* B *ternæ metretæ*, Divinæ per omnia voluntati contrarius exstitit. Huic namque quid faciendum sit continuo Dominus in sequentibus subjungit :

131 *Implete*, inquit, *hydrias aqua*. Sicut in præcedentibus per *vinum* cognitio Dei, ita etiam hic per *aquam* cognitio hominis potest intelligi. *Implere* ergo *hydrias aqua* est in cunctis actionibus suis perfecte seipsum cognoscere, et pro singulis peccatorum excessibus dignos Deo pœnitentiæ fructus offerre. Quicunque ergo huic divinæ pietatis præcepto, imo et consilio acquiescunt, facile ad ea quæ sequuntur consurgere poterunt.

Et impleverunt usque ad summum. Implent quoque hydrias suas *usque ad summum* qui divina il- C lustratione illuminati non solum opera, sed voluntatem peccatorum et desideria, insuper etiam tempus et locum in quo peccaverint et quoties eadem peccata admiserint, sollicite sibimetipsis præscribunt. Sed, quia non sufficit interna cognitio, nisi etiam vera et perfecta oris sequatur confessio, continuo Dominus subintulit :

Haurite nunc, et ferte architriclino. Architriclinus iste bonum quemlibet prælatum significat, qui bene architriclinus quasi princeps triclinii appellatur, eo quod tribus illis in congregatione ordinibus, innocentibus scilicet et pœnitentibus et perfectis præsideat. Innocentibus, inquam, qui a primævo ætatis flore innocenter vivendo soli Deo adhæserunt : pœnitentibus, qui quanto longius a Deo peccando re- D cesserant, tanto humilius divinæ se pietati per pœnitentiam subdiderunt; perfectis, qui et innocentes et pœnitentes, tanto suavius Deum diligunt, quanto familiarius internam ejus dulcedinem degustare meruerunt. Hi omnes delectabile Domino in semetipsis triclinium præparant : quia anima et spiritu et corpore ipsi soli placere laborant.

Vel ideo eum Dominus *architriclini* nomine honorat, quia ipse in omnibus dictis et factis, nec non et cogitationibus suis solius Dei oculis placere laborat. *Haurite*, inquit, *et ferte architriclino*. Ac si dicat : Quidquid pestiferum latet intrinsecus, per veram cognitionem et pœnitentiam *haurite* ex occulto pectoris imo, et perfectæ confessionis manibus huic quem vobis præfeci *ferte architriclino*. Mox ergo, **132** ut hæc intrinsecus homini Deus invisibiliter loquitur, fit mirum in modum, quod in sequentibus dicitur : *Et tulerunt*. Delectabile quidem architriclino poculum ferunt, dum ex ipsa cordis sui abysso veraciter confitendo exhauriunt, quæ diu peccando inluderunt.

Ut autem gustavit architriclinus aquam vinum factam. Bene quidem et congrue dicitur : *Ut autem gustavit architriclinus*, cum timenti Deum prælato suavis admodum et delectabilis [res] sit, dum in humili et vere pœnitenti corde subditorum *aquam vinum factam* intelligit, hoc est, dum ex vera et perfecta cognitione sui, etiam cognitione Dei divinitus eos illuminatos intrinsecus animadvertit. *Et non sciebat*, inquit evangelista, *unde esset. Ministri autem sciebant, qui hauriebant* [Ita cod.] *aquam*. Norunt quidem *ministri*, humiles scilicet subjecti, quantis suis laboribus hæc obtinuerint, qua custodia cordis, quo exercitio corporis hanc apud Deum gratiam promeruerint. Prælatus vero, cum scire non valeat, an subditus solius Dei timore et amore faciat, quod facit, *vocat* illum *sponsum*, hujusmodi verbis alloquens eum :

Omnis homo primum bonum vinum ponit. Hæc sane verba sunt paternæ exhortationis, quibus benignus doctor bene proficientem discipulum ad majorem spiritalis [vitæ] provocat perfectionem [*Cod.* spiritalis provocat perfectionis]. *Vocat* itaque eum *sponsum*, dum voluntariam, qua seipsum Deo conjunxit, sponsionem jugiter ei præponit admonens et exhortans, quatenus semper proficiendo in melius recordetur, quali ad Deum constantia venerit, quanta cordis corporisque humilitate militaturum se Deo spoponderit. *Omnis*, inquit, *homo primum bonum vinum ponit*. Ac si dicat : Mos quippe est multorum, spiritalis arma militiæ arripientium, *primum bonum vinum ponere*, hoc est bono boni fervoris studio in primordio conversionis suæ viriliter semetipsos accingere ; sed *cum inebriati fuerint homines, tunc id quod deterius est*.

133 Inebriari quidem homines non bona ebrietate dicuntur, dum viam mandatorum Dei læto corde currere cupientes, aut diaboli insidiis, aut proximorum injuriis, sive etiam proprii infirmitate corporis pulsati afficiuntur. Sed, dum tentationibus suis resistere nolunt, aut nesciunt, plerumque id *quod deterius est*, faciunt. Quid namque *deterius* esse poterit quam laudabilem primi fervoris zelum postponere et tentationibus male consentiendo succumbere ?

Tu autem servasti vinum bonum usque adhuc. Tu, inquam, qui propria teste conscientia *bonum vinum* adeo usque adhuc intra te continuisti, quod nihil unquam boni de corde aut corpore tuo in obsequium laudis divinæ protulisti, nequaquam horum tibi exemplo vivendum censeas, sed constanter per omnia incedendo in timore et amore Dei, sollicite temetipsum cohibendo, quemadmodum cœpisti, sem-

per de bono in melius proficere studeas. Sequitur:

Hoc initium signorum fecit Jesus in Cana Galilææ, et manifestavit gloriam suam. Signum quippe illud dicere solemus, quando aut cæcos ad lumen, aut mortuos ad vitam redire videmus. Sed multo verius illud dici potest signum, quando per internum divinæ illuminationis splendorem quis a cæcitate cordis illuminatus mortem animæ suæ cognoscere, et per bona semetipsum opera vivificando ad vitam veram, quæ Christus est, meretur **134** resurgere. Illud nimirum initium conversionis recte *initium signorum* Christi appellatur, quia ipse solus illud *in Cana Galilææ*, hoc est et in *zelante et transmigrante* anima operatur. Cui etiam *gloriam suam*, gloriam videlicet remissionis tunc *manifestavit*, cum eam a peccatorum labe mundatam misericorditer justificavit. Post gloriam itaque justificationis continuo sequitur virtus perfectionis, unde et dicitur:

Et crediderunt in eum discipuli ejus. Credunt itaque discipuli in Deum, quando beata anima, cum cunctis sensibus divinæ subjecta disciplinæ, sic totum cordis sui in Deum transfundit affectum ut nil præter Deum diligat, totum quod facit pro solius Dei honore et amore facere incipiat. Ad hanc virtutem perfectionis perducat nos omnipotens Dominus, quatenus justificati a peccatis omnibus sic eum in præsenti vita diligamus ut illuc ad eum pervenire mereamur, ubi nunquam ab ejus dilectionis integritate evellamur, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum eodem Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

135 HOMILIA XVII.

IN DOMINICAM III POST EPIPHANIAM PRIMA.

Cum autem descendisset Jesus de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ, et ecce leprosus veniens adorabat eum dicens: Domine, si vis, potes me mundare (*Matth.* VIII).

Dominus ac Redemptor noster Jesus Christus perditum ab initio genus humanum salvare cupiens *descendit de monte*, quando descendens de excelso divinitatis suæ ad ima se nostræ mortalitatis inclinavit, quando ut hominem redimeret, quem creavit, nostræ in se formam humanitatis suscipere non dubitavit. Per *turbas multas*, quæ post hunc ejus descensum eum *sequebantur*, turbæ fidelium, turbæ sanctæ Ecclesiæ designantur: quia quem primo sola Judæa postmodum collecta ad fidem Christi multitudo gentium sequebatur, quæ propter prærogativam dilectionis, qua a Deo diligitur, *turba multa* non incongrue nominatur.

Duo ægri illi, qui tunc ad eum venerunt, duos populos, populum utique gentium et populum Judæorum, figuraliter expresserunt. Nec injuste per *leprosum* populus gentium, idolorum cultura fœdatus, figuratur; per *paralyticum* vero, qui in lecto jacebat, populus Judæorum, qui vivens in desideriis et secundum desideria carnis, solam rerum temporalium prosperitatem quæsivit, dilexit et exspectavit: qui tunc quidem ex parte salvatus est, sed postea, hoc est in fine mundi, quando plenitudo gentium introierit, plenius atque perfectius salvandus erit. Ut enim duo isti ægri sanarentur, hoc est ut gentes et Judæi per fidem ejus ab æternæ damnationis ægritudine liberarentur, propter hoc Unigenitus Dei de sinu æterni Patris in hujus mortalitatis nostræ miseria descendit, propter hoc quidquid doloris erat et miseriæ, præter solum peccatum, in assumpta pro nobis humanitate degustare voluit.

Sed et in *leproso* isto, qui in campo sanatus est, homo sæcularis intelligi potest, cui utique ostendere se sacerdotibus **136** et offerre munus quod præcepit Moyses præcipitur, quia per confessionem et satisfactionem debet sanari. Per *paralyticum* vero, qui jacet in lecto, hominem spiritalem non inconvenienter intelligendum æstimo, qui quasi paralysi dissolutus tabescit, quando a fervore Dei intus deficit et tepescit.

Sed et in his duobus specialiter unumquemque hominem accipere possumus, quem mundat per gratiam suam Dominus ab exterioribus peccatis et interioribus. Vitia enim carnis, quæ corpore homo exterius contrahit, sunt quasi lepra quædam, quia carnem polluunt. Vitia vero mentis, quæ per tepiditatem et ignaviam cordis contrahuntur, quasi paralysis quædam sunt, per quam homo interior dissolvitur, et a Deo suo deficit. His breviter præmissis primo et modum curationis leprosi, et verba pensemus quibus vere homo peccator instruitur, quo ordine venire ad Deum debeat, qualiter optatæ gratiam sanitatis, indulgentiam videlicet peccatorum suorum consequi valeat.

Et ecce, inquit evangelista, *leprosus veniens adorabat eum dicens: Domine, si vis, potes me mundare*. *Leprosus* ad Deum *venit*, quando pollutus peccatis et vitiis peccator peccatorum suorum contagia recognoscere incipit. Abire enim a Deo est seipsum non cognoscere, sed dum magnitudinem peccatorum suorum perfecte considerat, et ob hoc perfecte coram Deo semetipsum incipit humiliare, hoc est vere *venire et adorare*. Nec prætereundum quod ait: *Et ecce. Ecce*, adverbium demonstrativum est, et mystice hoc nobis verbo demonstratur quod propter hoc solum unigenitus Dei Filius, Dominus et Salvator noster Jesus Christus *de monte*, hoc est de celsitudine divinitatis suæ, ad ima mortalitatis **137** nostræ descenderit, ut leprosus sanaretur, ut per adventum ejus in carne homo peccator liberaretur. Istud *ecce* adhuc durat, quia ex eo tempore quo homo fieri dignatus est pro homine, non erat tempus quo peccantibus et humiliter peccata sua cognoscentibus via salutis et gratiæ non patuerit. Sed et usque in finem mundi istud *ecce* protelatur, quia qui venit ad redimendum, semper paratus est et erit ad ignoscendum. Hinc quid leprosus iste dixerit, audiamus:

Domine, inquit, *si vis, potes me mundare.* Oratio ista oratio est hominis vere pœnitentis, et in vera humilitate seipsum cognoscentis. Et est quasi dicat: Domine, qui fecisti et redemisti me, potestatem tuam cognosco. Scio quia *potes mundare*. Quantacunque

sit lepra vitiorum meorum, non tibi impossibile est sanare me. Non de potestate, sed de voluntate tua dubito, quia, dum enormitatem scelerum meorum considero, ne velis nec velle debeas mundare me et sanare pertimesco. *Potes, Domine, si vis*; si vero non vis, rectum judicium tuum : non te, sed meipsum reprehendo. Iniquitates enim meæ fecerunt; scelera et delicta mea, ut merito velle non debeas, misericordiæ tuæ obsistunt. Ergo, quia omnipotentiam majestatis tuæ cognosco et credo, solum voluntatem tuam quæro, quia, *si tantummodo vis*, potestati tuæ iniquitas mea cedit, sola voluntate tua lepra et colluvio scelerum meorum expiari valebit. Hanc humilem leprosi, humilem peccatoris sui precem Deus omnipotens non despicit, sed cum pius et misericors sit, pie et misericorditer audit et exaudit, quemadmodum consequenter evangelista subjungit :

Et extendens, inquit, *manum, tetigit eum, dicens : Volo, mundare*. Manus Domini non extenta, sed intenta quodammodo est, quando permittit hominem post concupiscentias suas ire, voluptatibus et desideriis carnis suæ servire. *Manum* vero *extendit* quando gratiam illam, ad quam ab æterno hominem præscivit et prædestinavit, per operationem suam exterius in homine ostendit, hoc est quando virtutem continendi homini tribuit, quod est initium salutis æternæ, quæ hic inchoatur, et in futura vita perficietur. *Tangit eum*, **138** quando per timorem suum visitat eum, quod peccata sua timere, et in peccatis suis sibimetipsi incipit displicere, ut qui prius homo incontinens, homo peccator, homo carnalis erat, homo continens, homo justus, homo castus esse incipiat. Hæc namque justa voluntas hominis facit ut voluntati hominis suam voluntatem Deus subjiciat. Respondet ergo, et dicit : *Volo, mundare*. Ac si dicat : Quia de possibilitate mea non dubitasti, sed solam voluntatem meam ad sanandam et curandam lepram criminum tuorum sufficere credidisti, *volo* quod vis, *mundare* quod vis.

Et confestim mundata est lepra ejus. Et bene dicit, *confestim*, quia mox, ut bonam voluntatem homini tribuit, hoc est cum tactum timore suo continentem eum facit, *lepra ejus mundatur*, ab omni criminum contagio invisibiliter intrinsecus expiatur. Hanc divinæ virtutis operationem sentiebat in se, qui dicebat : *Dixi : Confitebor adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei* (*Psal.* XXXI, 5). Et alius propheta : *Quacunque*, inquit, *hora conversus ingemueris*, *salvus eris* (*Ezech.* XXXIII, 12). Quia vero interna hæc gratia, invisibilis ista mundatio ad plenam et perfectam salutem non sufficit, nisi mundatio exterior, mundatio utique corporis accedat, hoc est nisi eodem corpore quo peccata commisit, Deo amare pœnitendo satisfaciat, recte, post mundatam lepram, subjunxit Jesus, et ait :

Vide, nemini dixeris. *Vide*, inquit, diligenter teipsum attendendo, *vide* in vera te humilitate custodiendo, *vide* ne gratiam, quæ in te facta est, sic aliA quando *dicas*, ut tuis eam meritis attribuas, vel ascribas. *Sed vade, et ostende te sacerdoti, et offer munus quod præcepit Moyses in testimonium illis*. *Vade*, inquam, per coeptam mentis devotionem, *ostende te sacerdoti* per veram confessionem, *offer munus* per humilem corporis satisfactionem. Et bene adjecit : *Quod præcepit Moyses in testimonium illis*. Quia, dum veram et perfectam confessionem eodem corpore quo peccavit, constanter et incessanter laborando, Deo satisfacere pro peccatis suis non pigritatur, hoc est vere munus secundum præceptum Moysi, secundum sacræ legis doctrinam oblatum, **139** quod est evidens secuturæ in æterna vita salvationis ejus *testimonium*. Sequitur :

Cum autem introisset Capharnaum, accessit ad
B *eum centurio, rogans et dicens*. Per *Capharnaum*, quod *villa consolationis* interpretatur, spiritalis quælibet conversatio apte figuratur, in qua, si recte homo vixerit, *consolationem* vitæ æternæ invenire poterit. *Capharnaum* Dominus *introit*, quando hominem, quem salvare disposuit, spiritalis vitæ conversationem introire facit. Quidquid enim boni homo fecerit, illius merito personæ assignatur, qui illud per suam misericordiam in eo operatur.

Nec vacat a mysterio quod post introitum Domini in Capharnaum *accessit ad eum centurio*. *Centurio* dicitur, qui centum militibus præest. Nec injuste per centenarium numerum, qui perfectus est, perfectio intelligi potest. Per spiritalis vitæ propositum,
C quod significat *Capharnaum*, accessus quidam fit homini ad Deum. Nam, qui male vivendo, crimina criminibus adjiciendo, longe ab eo recesserat, per spiritalis vitæ laborem quotidie ei approximat. Fit etiam *centurio*, quando dono gratiæ ipsius ad illam perfectionem profecerit, quod sicut corpore, sic etiam mente propter Deum derelinquit secundum evangelicum Domini præceptum, quo dicit : *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et sequere me* (*Matth.* XIX, 21). Sic, sic dum relictis omnibus ad solum illud quod est super omnia, internæ videlicet dulcedinis Dei gratiam tendit, nec tamen nunc corporis, nec mentis fragilitate obsistente pro voto suo comprehendit, quasi in hæc verba humiliter supplicando prorumpit :

D *Domine, puer meus jacet paralyticus in domo, et male torquetur*. Ac si dicat : Nosti, Domine, quia te solum super omnia diligo, ad internam illam dulcedinis tuæ gratiam, qua diligentem refovere consuevisti animam, sitibundus anhelo. Sed *puer meus*, sensus et affectus meus, quia non virilis, sed puerilis est, *jacet paralyticus in domo*, jacet debilitatus et afflictus in corpore meo. Nunc enim debilitas carnis, nunc **140** tepiditas cordis detinet me, quod consurgere nequeo ad te. Nec hoc solummodo doleo, quod tuæ divinæ dulcedinis gratia careo, sed, quia succedentium sibi in corde meo noxiarum multitudo cogitationum quasi quædam paralysis intus debilitat et dissolvit me, quod subsistere non valeo in te. Hæc est tortura, qua *male torquetur* anima mea. Hæc

sane oratio, oratio est hominis non carnalis, sed spiritalis, orationi præcedenti tanto sublimior, quanto Deo, utpote tota spiritalis, est vicinior, quæ etiam nunquam sine effectu præterit, quemadmodum consequenter evangelista ostendit, cum subjungit :

Et ait illi Jesus : Ego veniam, et curabo eum. Dicere Jesu est facere Jesu. *Dicit*, quando animæ desiderium suum tribuit. Quid dicit? *Ego veniam. Venit*, dum desideranti se animæ per visitantem dulcedinis suæ gratiam se ostendit, ut, dum hic petitionis suæ effectum promeretur, gratiæ futuræ beatitudinis, quam non momentanee, sed continue, non transeunter, sed æternaliter cum ipso habitura erit, certificetur, testante apostolo Paulo, qui dicit : *Qui dedit nobis pignus Spiritus* (*II Cor.* I, 22). Brevis enim illa supernæ visitationis gratia, quæ raptim hic degustatur, pignus quoddam est gratiæ illius, quæ in futura vita homini sine fine reservatur. Hoc enim ostendit nobis Dominus, cum non præsentialiter dicit : *Ego venio*, sed : *Ego veniam, et curabo eum.* Est enim quasi dicat : Cum mortalis vitæ miserias transieris, cum deposito carnis onere ex angustiis laboriosi hujus certaminis liberandus eris, *ego veniam* per divinitatis meæ potentiam, *ego te curabo*, quia ab omni quam nunc pateris infirmitate mentis et corporis per memetipsum te sanabo. Ex hac ineffabili divinæ collocutionis affabilitate, quæ non corporis, sed cordis aure percipitur, ipse etiam homo cognoscere incipit quod ita sit quod ad plenam gratiæ Dei dulcedinem in hac vita nunquam pervenire possit. Unde respondet, et dicit :

141 *Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus.* Ac si dicat : Indignus sum, Domine, quandiu *tectum* porto miseræ hujus mortalitatis et ignorantiæ, ut te, sicuti es, possim cognoscere, in te, in quo solo requies mea est, valeam, sicut desidero, requiescere. *Sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus. Dic tantum verbo*, dic, obsecro, qui es Verbum Patris, ut submoto tecto ignorantiæ hujus et mutabilitatis videre merear excellentiam divinæ tuæ majestatis. Nam ibi perfecte *sanabitur puer meus*, ubi tu ipse spiritus animæ meæ et corporis sanitas eris, qui sine corruptione mutabilitatis in electis tuis sine fine manebis. Hujus, Domine, pietatis et gratiæ indigno mihi peccatori tuo spem dedisti in multis et magnis miserationibus tuis, quas in me ostendisti.

Nam et ego homo sum sub potestate, habens sub me milites, et dico huic : Vade, et vadit ; et alii [Cod. *alio*] : *Veni, et venit ; et servo meo : Fac hoc, et facit. Sum* quidem *homo*, non qualis aliquando eram, quando sine te et contra te vivebam, sed homo *sub potestate*, homo causa tui amoris portans jugum obedientiæ, jugum spiritalis observantiæ et districtionis; *Habens sub me milites*, quia sensus meos et affectus, qui aliquando supra me erant, dum adversum me et adversus salutem animæ meæ militabant, jam dono gratiæ tuæ ita sub me habeo quod ingerentes se cordi meo cogitationes noxias et inutiles,

A vel etiam prava desideria et illicita, tua virtute recusare et repellere valeo. *Et alii dico : Veni, et venit*, quia cogitationibus vanis, desideriis malis cedentibus, spiritalibus ex tuæ largitatis munere delectari valeo sensibus. *Et dico servo meo : Fac hoc, et facit*, quia corpus meum mihi subjicio, et in servitutem redigo, ne libertate noxia torpeat, sed per bona opera exercere se non pigeat. Hæc sunt dona, Christe, gratiæ tuæ, de quibus meritis meis nihil attribuo, sed totum quod in me placitum voluntati tuæ sentio, prævenienti et subsequenti gratiæ humiliter ascribo.

Audiens autem Jesus miratus est, et sequentibus se dixit : Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel. Mirari Jesum est approbare et diligere

B Jesum. *Audiens* inquit, **142** *miratus est.* Ipse enim auctor et magister humilitatis, verba, quæ de vere humili corde prodeunt, libenter audit, speciali benignitate approbat, et diligit, quemadmodum manifestat evangelista, cum subjungit : *Et sequentibus se dixit.* Quinam sunt *sequentes* Dominum nisi multitudo sanctorum angelorum et electorum hominum? His omnibus commendat humilem suum Dominus. *Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel.* Per *Israel*, qui interpretatur *vir videns Deum*, apostatas angelos intelligere possumus, qui, quoniam ad videndam æternaliter faciem Dei creati fuerunt, *Israel* non inconvenienter nominari possunt. Et est quasi dicat : Hanc incomparabilem fidei virtutem,

C quam mihi homo iste ex fragili conditus materia exhibet et persolvit, qui in tam profunda cordis humilitate meæ potestati, se submittit, ut quidquid unquam virtutis proprii corporis laboribus acquisivit, non sibi, sed nomini et gratiæ meæ totum attribuat, hanc inquam, *fidem non inveni in Israel*, in angelis meis, qui ingratos se mihi exhibuerunt, dum supra id quod facti sunt, contra me se extulerunt. Primus angelus meus, perfectus in decore a me creatus, contra me se extulit : *Ponam*, inquiens, *super astra cœli solium meum, similis ero Altissimo* (*Isa.* XIV, 14). Homo iste totus subjectus voluntati meæ se humiliat, me exaltat.

Amen dico vobis quod multi venient ab oriente et occidente, et recumbent cum Abraham, Isaac et Ja-

D *cob in regno cœlorum. Multi* isti, qui *ab oriente et occidente veniunt*, electi intelligendi sunt, qui bene *multi* possunt dici, quia magni et honorabiles sunt in conspectu Dei. Hi ergo, qui *ab oriente et occidente veniunt*, id est in quibus lumen gratiæ Dei oritur, et eadem adjuvante gratia peccata et vitia occidunt, *recumbent cum Abraham, Isaac et Jacob in regno cœlorum*, quia cum fide, spe et charitate, quæ trium horum patriarcharum nominibus designari videntur, cœlestis regni hæredes efficientur. *Filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores.* Eosdem ergo per *filios regni*, quos et per Israel, malignos videlicet spiritus accipimus, qui ideo *filii regni* dicuntur, quia ad hoc creati erant, ut, si in humilitate et subjectione Dei **143** perstitissent, sine fine regni Dei

incolæ esse debuissent. Qui, sicut modo in tenebras ejecti sunt interiores, quod videlicet ad lucem cognitionis et dilectionis Dei nunquam redire volunt, ita etiam in extremo magni judicii die *in tenebras exteriores ejicientur*, ubi æternæ damnationi subjacebunt, et in igne inexstinguibili perpetuo cruciandi erunt. Post expressam damnationem superborum spirituum, quæ sit remuneratio humilium electorum, mystice designatur, cum protinus subinfertur :

Dixit autem Jesus centurioni : Vade, et sicut credidisti, fiat tibi. Hæc sunt verba consolationis et gratiæ, quæ electus quisque, qui hic viriliter certaverit, in hora mortis suæ audire meretur a Deo. *Vade*, inquit, ac si dicat : *Vade*, egredere de instabilitate mortalitatis hujus miseræ, a convalle plorationis, ingredere in locum exsultationis et lætitiæ : *Et sicut credidisti, fiat tibi.* Totum quod de mea sperasti pietate mecum in mea æternaliter habebis æternitate. Post dulcem hanc divinæ invitationis vocem, cum ex hujus vitæ miseriis homo beatus exemptus fuerit, vere et perfecte implebitur quod subjunctum est :

Et sanatus est puer ex illa hora. Ex illa enim *hora*, qua electus quisque corpus corruptionis hujus deposuerit assumptus in æternæ claritatis lumen spiritus, quod est *puer* ejus, perpetua quadam sanitate a Deo in Deo ita stabilietur quod nunquam mutabitur, nunquam corrumpetur. Ad hujus sanitatis perpetuitatem perducat nos, qui infirmus factus est propter nos, Jesus Christus Dominus noster, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

144 HOMILIA XVIII.

IN DOMINICAM IV POST EPIPHANIAM PRIMA.

Ascendente Jesu in naviculam, secuti sunt eum discipuli ejus, et ecce motus magnus factus est in mari (*Matth.* VIII).

Quia in singulis quibusque Evangeliorum verbis mysticum superabundare sensum evangelista prævidit, *naviculam* potius quam *navim* in præsenti ponere voluit, per quam humilis quæque accipitur anima, quæ in oculis suis parva quodammodo existit et despecta. Ad hanc secundum verborum qualitatem Jesum *descendere* convenientius nobis dici videretur quam *ascendere*, cujus gratia ab arce Patris desuper descendit in cor hominis. Sed pulchre satis hoc loco Jesus *ascendere* dicitur, qui in subjecta sibi per bonam voluntatem anima varias virtutum ascensiones ponere quandoque dignabitur. Quo facto revera *eum discipuli*, id est sensus hominis *sequuntur*, dum divini timoris disciplina constricti a terrenis ad cœlestia diriguntur. Et recte per *discipulos*, qui a discendo sunt dicti sensus accipi possunt humani, quoniam post felicem prædictæ ascensionis gradum tam ad intelligendum quam ad audiendum verbum Dei capax admodum efficitur, qui prius nec fructuose audire, nec dulciter intelligere aliquid horum poterat. Sed quid hæc beatitudinis conferant, evangelista continuo commemorat :

Et ecce motus magnus factus est in mari. Per mare quoque amaricatum cor potest accipi, non ira nec odio, sive aliis quibuslibet vitiis amaricatum, sed quod dulcis quodammodo amaritudo pœnitentiæ reddit amarum. Nam, dum quis vero pœnitens quæque sua ad memoriam revocat peccata, *magnus* iste *motus* in corde suo efficitur, dum non ex parte, sed totus intra se per compunctionem cordis commovetur. Hunc ergo felicem et magnum motum nullus efficere poterit in corde hominis, nisi ille solus magnus Dominus et laudabilis. In qua commotione navicula operitur fluctibus, ut dicitur in consequentibus :

145 *Ita ut navicula operiretur fluctibus.* Per *fluctus* istos inundantes designantur lachrymæ vere pœnitentis animæ, quæ non frigido, sed ferventissimo cordis profluunt affectu, et acceptabiles admodum a divino suscipiuntur conspectu. Hos ergo fluctus Jonas propheta super se transisse agnovit, dum pro inobedientiæ culpa pœnitentiæ ductus hujusmodi verba protulit : *Fluctus tui super me transierunt, et ego dixi : Expulsus sum ab oculis tuis* (*Jon.* II, 4.) Sic et nos, qui offensam Domini divina transgrediendo præcepta plerumque incurrimus, frequenter oportet dicere hæc verba, juxta exemplum prophetæ istius : *Fluctus tui super me transierunt, et ego dixi : Expulsus sum ab oculis tuis.* Quod est dicere : Super me, id est in superius meum, videlicet animam, fluctus tui, fluctus scilicet compunctionis transierunt, qui expulsum me ab oculis tuis jam perfecte quodammodo agnoscere fecerunt. Nam nullus, expulsionem, imo et miseriam sui tam recte tamque clare intueri poterit, sicut in illa visitationis hora, dum hos super se fluctus transire promeruerit.

Sicut etiam, quod *operitur*, non videtur, sic nimirum peccata nostra licet omnia divinæ majestati nuda sint et aperta, his tamen lacrymarum fluctibus abluta, quasi incognita apud illum erunt et operta. Unde per David dicitur : *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata.* (*Psal.* XXXI, 1). Quoniam originale peccatum nequaquam proprio reatu incurrimus, sed ex parentum natura contraximus, sine laboris nostri exercitio divina solummodo præveniente gratia remissum est in baptismo. At vero, dum ad maturam ætatem pervenimus, quia votum baptismi nostra, proh dolor! voluntate peccatis serviendo irritum fecimus, dignum est, ut unusquisque nostrum peccata, quæ proprio arbitrio commisit, proprii etiam corporis labore per puram confessionem et dignam satisfactionem incessanter tegere contendat, et æquo moderaminis pondere tanta defleat amaritudine, quanta hæc eadem se perpetrasse recordatur male dulci carnis delectatione. His igitur, quantum possibile est, jugiter insistenti nequaquam in consummatione vitæ Dominus peccatum imputabit, quoniam quemadmodum qui materiali pro 146 Christo gladio succumbit, ab omni peccatorum sorde certissime per sanguinem ablutus liber cœlum ingreditur, sic ri-

mirum et iste cujus caro hoc modo cum vitiis et concupiscentiis crucifigitur, sine dubio martyrum magnifica gloria perpetualiter, ut dignum est, in cœlis coronabitur. Sequitur :

Ipse vero dormiebat. Quicunque his quæ prælibavimus, vigilanter insistere laborant, et pia eadem laboris opera profunda cordis humilitate custodiunt, in ipsorum revera cordibus *dormire*, id est suaviter requiescere dignatur Dominus, ut per prophetam suum ipse pronuntiat dicens : *Super quem requiescam nisi super humilem et quietum et trementem sermones meos?* (*Isa.* LXVI, 2.) Nunc autem quia, sicut mali peccatum peccato adjicientes semper pejores efficiuntur, sic etiam electi de bono in melius quotidie proficientes meliores redduntur, ut per Joannem dicitur : *Qui in sordibus est sordescat adhuc, et qui sanctus est sanctificetur adhuc.* (*Apoc.* XXII, 11.) Recte nunc evangelista hæc subjungit verba :

Et accesserunt, et suscitaverunt eum. Quinam accedentes ad Jesum discipuli, nisi, quemadmodum in primordio lectionis prænotavimus, sensus sunt nostri, qui post dinumerata hæc omnia magna ad Jesum confirmationis accedunt constantia? Quia, sicut per mala desideria ab illo receditur sic nimirum per bona ad ipsum feliciter acceditur. Quapropter nos ad eum per pia et sancta desideria, imo per bonam *accedere* oportet voluntatem, et per laudabilem *suscitare* operationem, per assiduam pulsare orationem dicentes : *Domine, salva nos, perimus.* Ac si dicamus : *Domine, salva nos,* id est firmiter in nobis conserva magnum motum istum, delectabiles lacrymarum fluctus, suavissimam dormitionem tuam quia tam fragili circumdamur corpore, tam instabili fluctuamus corde, ut, nisi ex tua hæc in nobis salventur gratia, citius ex nostra peribunt procul dubio inconstantia. Et aliter : *Domine, salva nos, perimus,* quia, etsi aliquid boni fecerimus, tantæ imperfectionis esse cognoscimus, ut proinde salutem animarum minime consequi mereamur, nisi de tua specialiter pietatis providentia salvemur.

147. *Et dicit eis : Quid timidi estis modicæ fidei?* Ac si dicat : Ideo *timidi estis* quia *modicæ fidei* estis. Si modicæ fidei non essetis, timere necesse non haberetis. Nunc ergo quid modica sit fides, videamus. Trifariam enim fidei divisionem Dominum in Evangelio notasse legimus, minimam videlicet, et modicam, et magnam. Pro minima quippe fide discipulos suos quasi admonendo redarguit, dum hujuscemodi verbis alloquens eos ait : *Nolite solliciti esse dicentes : Quid manducabimus, aut quid bibemus?* (*Matth.* VI, 32.) Pro modica vero fide Petrum supra mare ambulantem, sed valido irruente vento titubantem, increpavit dicens : *Modicæ fidei, quare dubitasti?* (*Matth.* XIV, 21.) Magnam etenim fidem in muliere Chananæa laudavit, quæ pro diutina Dominicæ repulsionis tolerantia tandem ab ipso audire promeruit : *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi, sicut vis* (*Matth.* XV, 28).

Minimam vero fidem sæculares quique habere dicuntur, quibus arduum nimis et omnino impossibile esse videtur solitam carnis voluptatem aliquando postponere, et laborem districtioris vitæ pro redemptione animarum assumere : qui licet in Deum quodammodo credant, minimam tamen, ut diximus, fidem habere se operibus omnino affirmant. At vero qui spiritalis vitæ culmen aggrediuntur, omnes pene pariter prædictam Petri fidem, id est modicam habere comprobantur, quia dum in primordio conversionis magna animi constantia adversa quæque patienter tolerare proponunt, subito aliquibus tentationum ventis irruentibus, quemadmodum Petrus in mari titubando mergi cœpit, sic et isti a proposita mentis stabilitate declinare incipiunt. Ad hæc vero si qua gratia tam divina quam humana accedit, statim inconsiderate cor extollitur, et sic de prosperis inanescunt, de adversis tepescunt, ita ut in his quæ Dei sunt, quasi expertes et frigidi remaneant, in his quæ ad proximum pertinent, amari et crudeles existant. Magna ergo fides est nec prosperis extolli, nec adversis frangi.

Sed quinam sunt qui magnam hanc fidem teneant, ut nec prosperis extollantur, nec adversis dejiciantur? Quis ad hæc idoneus? Quis sapiens custodiet **148** hæc? Paucorum vero est ista virtus. Sed licet nos infirmi et instabiles nullo modo ad hæc idonei simus, tamen aliqui Deo adjuvante sunt qui tantæ perfectionis existunt, ut hæc custodiendo nec prosperis extollantur, nec adversis frangantur. Quicunque est ergo qui tantæ ac talis beatitudinis dignus efficitur, huic, quantum in hac corruptionis vita fieri valet, omnis procul dubio salus, omnis benedictio, prout vult, eveniet quemadmodum prædictæ mulieri Chananæ ipse auctor ait pietatis : *Fiat tibi sicut vis.* Sed quod tamen inter hæc omnia, licet magna nimis et miranda, nullus perfectam in hac vita consequi salutem possit, manifeste evangelista innuit, qui magnam valde et memorabile illud tunc futuræ resurrectionis subjungit, dicens :

Tunc surgens imperavit ventis et mari, et facta est tranquillitas magna. Tunc, id est transito ac finito hoc mortalitatis tempore salvati quique potenter ventis et mari poterunt imperare. Per *mare* quippe cor nostrum intelligimus, per ventos septem dona Spiritus sancti accipiuntur. In universali namque mortuorum resurrectione dum electi perfecte ad vitam æternam resurgunt tam anima quam corpore, imperatoria eis potestas traditur, quia sicut proprium est imperatorum ut quod verbo imperant, protinus opere impleatur, sic et isti magna virtutis potentia pro desiderio suo donis utuntur Spiritus sancti, quod nullo unquam labore obtinere poterant in hac vita positi. His itaque adeptis *magna* revera fiet *tranquillitas* mentis et corporis quia, licet perfecti tranquillitatem cum Christo plerumque in hoc sæculo habeant, *magna* tamen hæc eadam nequaquam dici poterit, quam multiformis tentationum varietas toties interrumpit. In æterna enim vita

magna nimis et admiranda fiet *tranquillitas*, ubi nec corporis fragilitas, nec hostis antiqui ulterius nocere poterit perversitas. Unde protinus evangelista subjungit :

Porro homines mirati sunt dicentes : Qualis est hic, quia ventis imperat et mari, et obediunt ei? Magna autem tunc et ineffabili laudis admiratione dicunt : Quantus et *qualis est hic*, **149** quam suavis, quam desiderabilis, de cujus dulcedinis magnitudine in mortali adhuc constituti carne, sæpe sæpius audivimus, sed nunquam talia qualia nunc oculis mentis et corporis, ipso propitiante, perspeximus. Cui *venti et mare obediunt*, *mare* scilicet cor nostrum, *venti* dona Spiritus sancti nam cor nostrum donis Spiritus sancti repletum perenniter obediet ei. Ad hanc veram et stabilem vitæ securitatem perducat nos Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XIX.

IN DOMINICA V POST EPIPHANIAM PRIMA.

De quinque spiritualibus ætatibus animæ.

In quinque Dominicis, quas ab illo tempore ex quo, qui æternus erat, pro nobis temporalis fieri dignatus est, celebravimus, quinque ætates, infantiam, pueritiam, adolescentiam vel juventutem, senectutem, decrepitam ætatem satis congrue possumus accipere. In Deitate quippe sua Christus ætatem non habuit, sed æternitatem. Ex quo autem, qui æternus erat, descendit a divinitate sua ad humanitatem vel temporalitatem, cœpit cum humanitate habere ætatem, ut nos ab humanitate faceret ascendere ad divinitatis suæ æternitatem. Qui licet ad senectutem, et decrepitam ætatem non pervenerit, in ea tamen natura apparuit, in qua ei ad has ætates pervenire possibile esset. Sed quia per easdem quinque ætates unusquisque nostrum proficit in corpore, vellemus, si Deo donante possemus, ad spiritales interioris hominis ætates referre, quibus coram Deo, ut eo digni inveniamur, debemus proficere.

Primam ætatem, quod est *infantia*, nominare possumus notitiam Dei, quam efficit in anima bonum illud quod est doctrina Dei. *Secundam ætatem*, quod est *pueritia*, nominare possumus obedientiam mandatorum Dei, quam perficit timor Dei. *Tertiam ætatem*, quæ dicitur *adolescentia* vel *juventus*, verbi Dei prædicationem appellamus, quam parit bonum illud quod est amor Dei et proximi. *Quartam ætatem* **150** quæ vocatur *senectus*, perfectam carnis et cordis munditiam, quam generat et producit bonorum operum exercitatio. *Quintam*, quod est *decrepita ætas*, nominare possumus plenam de mundo victoriam et cœlestis vitæ gloriam, quam format et efficit in nobis vera vitæ perfectio. His quinque laudabilibus, et probatis animæ ætatibus singula possumus aptare Evangelia et officia, in quibus ejusdem sensus elucet mysterium et congruentia.

A Pulchre autem, ut æstimo, *prima ætas* animæ dicitur notitia Dei, quia dum homo adhuc est in ignorantia Dei et sui, est quodammodo quasi in *infantiæ* ætate. Accedente autem doctrina Dei accedit et notitia Dei. Si enim doctrinæ bonum non accesserit, etiam notitiæ Dei et sui donum procul aberit. Ad hunc sensum ducit nos officium : *Dum medium silentium tenerent omnia, et nox in suo cursu iter haberet, omnipotens Sermo tuus, Domine, de cœlis a regalibus sedibus venit* (*Sap.* XVIII, 14). Quid est enim : *Dum medium silentium tenerent omnia*, nisi quod quasi in prima ætate infantiæ homo est in silentio, dum est in ignorantia? Et hæc ignorantia tandiu perseverat, donec *omnipotens Sermo a regalibus sedibus veniat. Regales sedes* bene dici possunt B corda bonorum prælatorum, quorum *omnipotenti Sermone*, qui *de cœlis venit*, corda eorum visitantur, et a pristina cæcitate liberantur. **151** Respondent, et concordant ad hæc verba sancti Evangelii : *Erant pater et mater Jesu admirantes super his quæ dicebantur, et benedixit illis Simeon. Simeon* enim significare potest prælatum, qui tunc benedicit, quando bonam et sanam exhortationis doctrinam emittit, qua audita, et cor penetrante et illustrante bene, anima electa et ad vitam prædestinata incipit valde admirari super his quæ dicuntur. Quia vero, sicut diximus, notitia Dei per doctrinam prælatorum accedit, recte et congrue docet Oratio quomodo prælati pro teneriori et infirmiori ætate infantum suo- C rum debeant orare. Et bene et optime pro infantibus suis orant. *Infans* enim dicitur quasi *non fans*, quia non potest fari, et ideo quia infantes eorum nequeunt orare, studiose et assidue pro eis debent Deum Patrem implorare his verbis, dicendo : *Omnipotens sempiterne Deus, dirige actus nostros in beneplacito tuo, ut in nomine dilecti Filii tui mereamur bonis operibus abundare.* Quod idem est, ac si Deo Patri dicant : O Domine, qui nos ad hoc assumpsisti et elegisti, ut infantibus nostris, id est subditis nostris prospiciamus, dirige actus nostros in beneplacito tuo, ut tibi soli, non hominibus, placeant actus nostri, quatenus in nomine dilecti Filii tui, nos et subditi nostri, mereamur bonis operibus abundare, nos propter te illos docendo, illi pro D amore tuo audiendo, nos et obaudiendo.

Post hanc primam ætatem animæ *secunda ætas* animæ, quam obedientiam mandatorum Dei nominavimus, sequitur. Quam secundum ætatem efficit, et inchoat timor Dei. Ex doctrina enim Dei instructus et informatus donum timoris accipit, per quod timere Deum, et pœnas gehennæ præcavere, ac mortis horam attendere et expavescere incipit. Et ex hoc timore laudabili nascitur consequenter pervigil obedientia mandatorum Dei. Huic ætati recte Evangelium aptari potest : *Cum factus esset Jesus annorum duodecim.* Ubi de illo qui factus est nobis forma et speculum vivendi, dicitur quia *descendit cum eis, et erat subditus illis.* Quibus? Utique parentibus suis, quibus subdi et obedire adhuc puer non

refugit. Respicit ad hunc sensum missæ officium, A ubi ille, **152** qui de timore Dei transit ad obedientiam mandatorum Dei, sic canit dicens : *In excelso throno vidi sedere virum, quem adorat multitudo angelorum psallentes in unum : Ecce, cujus imperii nomen est in æternum.* Puerorum est timere semper magistrum suum, quasi in excelso throno sedentem videre. Et ex hac comparatione electus quisque Dominum suum et Magistrum semper propter obedientiam mandatorum Dei debet pavere et timere. *Quem adorat*, hoc est quem veneratur *multitudo angelorum*, id est bonorum subditorum, *psallentes in unum*, scilicet unanimi concordia orantes, quatenus ita præsentis regiminis teneat imperium, ut quandoque nomen imperii ejus maneat in æternum. Ad hanc ætatem respicit Oratio, ubi post acceptam notitiam B et obedientiam mandatorum Dei, quæ nascitur ex timore Dei, non modo infantes, sed pueros suos paratos obedire mandatis Dei, prælati Domino Deo committunt, in Oratione sua dicentes : *Vota quæsumus, Domine, supplicantis populi cœlesti dono prosequere, ut et quæ agenda sunt videant, et ad implenda quæ viderint convalescant.* Ac si ad Dominum dicant : O Domine, quia pueri nostri vota sua tibi jam offerunt, tu tibi supplicantes cœlesti dono prosequere, ut et quæ agenda sunt videant, hoc est ut mandata tua cognoscant, et eadem quæ cognoverint, obediendo tibi fideliter et certatim, fac ut adimplere et perficere satagant.

Post has duas ætates *tertia ætas*, quod est *adolescentia* vel *juventus*, quam nos verbi Dei prædica- C tionem nominavimus, sequitur, quam bene et pulchre virtus illa, quod est amor Dei et proximi, efficit in anima et operatur. Qui enim notitiam Dei et obedientiam mandatorum Dei habuerit, pulchre ad tertiam ætatem, quod est adolescentia vel juventus, tendit quia sicut in adolescentia homo habilis est nuptiis, sic transcursis his duabus ætatibus homo aptus est, qui verbi Dei dispensationem accipere debeat. Qua verbi Dei prædicatione accepta necesse est ut virtus illa, quod est amor Dei et proximi, illum comitetur. Quia si verbi Dei prædicatio aliquem in subditis fructum ferat et faciat, dignum est ut hunc fructum solius Dei amor consolidet et perficiat, quia in verbi Dei **153** prædi- D catione nihil prælatus quærere vel desiderare debet, nisi solius Dei amorem et subditorum suorum ædificationem et salutem. Quia igitur in juventute et adolescentia aptus est homo nuptiis, congrue huic ætati Evangelium : *Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ*, in quo de nuptiis tractatur, aptari potest. In spiritalibus quippe nuptiis, quæ per carnales designantur, spiritalis sponsus est prælatus, sponsa vero ejus congregatio sibi commissa, quam ei in verbi Dei prædicatione Christus desponsavit, et subarrhavit. Et quoniam valde congruit, et valde necessarium est, ut inter prælatum et subditum assidua pax, jugis dilectio perseveret, apte in Oratione dicimus : *Omnipotens sempiterne Deus, qui cœlestia simul et terrena moderaris, supplicationes populi tui clementer exaudi, et pacem tuam nostris concede temporibus.* Quid sunt *cœlestia*, quæve *terrena*, quæ Deus omnipotens moderatur? *Cœlestia* sunt, ut arbitror, prælati; *terrena* subditi. Vel *cœlestia* superna et cœlestia illa prædicatorum verba; *terrena* vero bona illa opera quæ per cœlestia verba prælatorum oriuntur et nascuntur in cordibus subditorum. Petimus itaque ut ille, qui moderatur cœlestia et terrena *pacem suam nostris concedat temporibus*, id est ut inter prælatum et subditos pacem et concordiam faciat, quia etsi aliud quid inter eos emerserit, citius corrigetur, citius Deo adjuvante declinabitur, si tantum pax et dilectio continua inter eos habeatur. Nec discordat ab hoc sensu officium missæ : *Omnis terra adoret te, Deus, et psallat tibi, psalmum dicat nomini tuo, Domine. Omnis terra* quivis prælatus est et subditus, qui singuli Deum adorantes, nomini tuo altissimo gloriam dicent, et laudem dabunt. Quod vero additur in Graduali : *Misit Dominus verbum suum, et sanavit eos*, quid est nisi quod Dominus *verbum suum mittit*, quando ora prædicatorum ad sananda subditorum corda per verba exhortationis aperit? Quo verbo emisso bene sequitur versus : *Confiteantur Domino misericordiæ ejus, et mirabilia ejus filiis hominum.* Quid est enim Domino confiteri, nisi post emissa prædicationis verba, bona et laudabilia operari?

154 Has tres ætates *quarta ætas*, quæ *senectus* vocatur, subsequitur, per quam pulchra illa et laudabilis ætas animæ, quod est perfecta carnis et cordis munditia accipitur. Hanc pulchram et laudabilem animæ ætatem virtus illa, quæ est bonorum operum exercitatio, parit et perficit. Quæ carnis et cordis munditia mystice in sequenti Evangelio : *Cum descendisset Jesus de monte*, denotatur, ubi leprosus mundatur, et paralyticus curatur. Carnis etenim immunditia non injuste immunditiæ lepræ comparatur, a qua liberatur homo, dum in corpore mundatur a malis operibus, et in corde a noxiis, vanis et superfluis cogitationibus, quod est paralysis, sanatur. Unde ut ab hac duplici cordis et corporis infirmitate liberemur, et cum bonorum operum exercitatione ad perfectam carnis et cordis perveniamus munditiam, superni adjutorii opem imploramus, dicentes : *Omnipotens sempiterne Deus, infirmitatem nostram propitius respice, atque ad protegendum nos dexteram tuæ majestatis extende.* Et satis digne Deum omnipotentem petimus, ut infirmitatem nostram respiciat quia hujus lepræ infirmitas, id est malorum operum immunditia, et paralysis, id est noxiarum cogitationum superfluitas, nunquam a nobis fugatur, nisi ille nos propitius respiciat, atque ad protegendum ab his dexteram majestatis suæ extendat.

Quarta autem hac ætate feliciter transcursa *quinta ætas*, quod est *decrepita*, ponitur. Per quam ætatem ætas animæ, quam nos plenam de mundo victoriam et cœlestis vitæ introitum nominavimus, accipi po-

test. Hanc prædicabilem ætatem efficit et perficit vitæ perfectio, et in hac ætate motus omnes sedantur; ventis et mari surgens Dominus imperat, fitque tranquillitas magna. In morte denique beatorum motus omnes vitiorum sedantur, venti contrarii tentationum, surgente et jubente Domino, fugantur, et quicunque per has ætates animæ eo quo diximus ordine profecerit, plenam post hanc vitam de mundo victoriam capiet, et in cœlestibus gloriam perpetuo possidebit. Et quia hora mortis terribilis est et metuenda, ubi durus cum malignis hostibus conflictus est habendus, satis terribiliter Oratio sonat, in qua, ut ab horrore et fallaciis immundorum **155** spirituum liberemur, sic oramus dicentes: *Deus, qui nos in tantis periculis constitutos pro humana scis fragilitate non posse subsistere, da nobis salutem mentis et corporis, ut ea quæ pro peccatis nostris patimur, te adjuvante vincamus.* Oramus denique ut pœna et acerbitas timoris, quæ tunc in morte imminet, fiat causa purgationis nostræ, ut examinati et purgati per imminentem mortis timorem, liberi et securi perveniamus ad supernæ pacis visionem. Ac si dicamus: O Domine, quia *in tantis tunc periculis constitutos pro humana scis fragilitate non posse subsistere*, tu qui summe bonus es, *da nobis salutem mentis et corporis, ut ea quæ pro peccatis nostris patimur*, ita *te adjuvante vincamus*, quatenus cœlestis vitæ introitum mereamur. Igitur quoniam omnes electi in fine mortis et post exitum vitæ sedatis vitiorum motibus, quiescentibus tentationum ventis, plenam de mundo victoriam capere, et in cœlestibus gloriam perennem possidere debent, bene et congrue angelorum exsultatio, quæ de electorum fit remuneratione, in tota hodierni officii excellentia denotatur, ubi in Introitu cantatur: *Adorate Deum omnes angeli ejus, audivit et lætata est Sion, et exsultaverunt filiæ Judæ.* Nostra quippe redemptio angelorum est adoratio et exsultatio. Non enim solummodo pro sua confirmatione, qua eos Deus Pater, ne peccare possent, stabilivit et roboravit, laudant et adorant Deum, sed propterea dulcius et devotius quodammodo Deum adorant et glorificant, quod nos concives suos receperunt, et ad eamdem gloriam, quam ipsi habent, nos pervenisse vident. In hac autem angelorum adoratione, et congratulatione quid factura est electorum multitudo? Sequitur: *Audivit, et lætata est Sion.* Audita enim admirabili angelorum exsultatione et laude, quam de illorum habent salvatione et redemptione, *Sion* illa sancta, id est multitudo sanctorum Deum speculantium lætatur et congratulatur. Sed et *filiæ Judæ* ibi exsultabunt, omnes dico illi qui nunc per bonam confessionem fidei Deo se proximos in hoc mundo fecerunt.

Sed notandum quid sit quod officium istud ad duo Evangelia canitur. **156** Primo ad illud, ubi descendente Jesu de monte leprosus mundatur, et centurionis servus curatur; deinde iterum ad illud, quando ascendit in naviculam, et motus magnus

A factus est in mari, ubi ipse demum surgens imperat ventis et mari, factaque est tranquillitas magna. Videtur mihi quia Dominicam quartam ad quartam ætatem animæ, quod est perfecta carnis et cordis munditia, pertinere diximus, quod homo ille qui ad perfectam carnis et cordis munditiam pervenerit, ibi canat in spe quod nondum accepit in re. Semper enim debemus habere in spe quod recepturi sumus quandoque in re. Nam si prius non habuerimus in spe, nunquam accipiemus in re. In quarta itaque ætate animæ, perfecta scilicet carnis et cordis munditia, nunc officium istud cantamus in spe; cum autem quinta ætas animæ, quod est plena de mundo victoria et cœlestis vitæ gloria advenerit, tunc vere missam hanc cantabimus in re, quia per-
B cipietur in re quod modo habemus in spe. Ibi qualis prælatorum et subditorum peccatorum, sed conversorum, futura sit gloria, post Introitum Gradualis denuntiant verba: *Timebunt gentes nomen tuum, Domine, et omnes reges terræ gloriam tuam.* In *regibus* prælati, per *gentes* subditi, sive per *gentes* peccatores, qui aliquando gentiliter vixerunt, et per pœnitentiam salvati sunt, per *reges*, qui seipsos in hoc mundo bene regere noverunt, possunt accipi. Hi omnes *nomen Domini*, non servili, sed filialis dilectionis timore in cœlestis vitæ gloria *timebunt.*

Et quoniam hic in præsenti vita, *Sion* id est multitudinem sanctorum *Dominus ædificavit* per verbi sui prædicationem, et sanctarum virtutum opera-
C tionem, bene sequitur versus: *Quoniam ædificavit Dominus Sion, et videbitur in majestate sua*, quia ibi ab omnibus videbitur in majestate sua. Erit illic laus et jubilatio in sempiterna sæcula, quemadmodum sequens innuit Alleluia: *Laudate*, inquiens, *Deum omnes angeli ejus, laudate eum omnes virtutes ejus.* Laudant quippe eum *angeli ejus*, laudant et *virtutes ejus*, sanctæ videlicet electorum animæ, quæ non sua, sed sola illius virtute tantæ beatitudinis consortes fieri meruerunt. Quorum gloriam superna **157** illa angelorum agmina intuentes quid, rogo, aliud agent quam quod Offertorii sequentia habent? *Dextera*, inquiunt, *Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me: non moriar, sed vivam, et nar-*
D *rabo opera Domini.* Intuentes etenim sanctorum opera Dominum Deum et meriti auctorem, et præmii datorem laudibus attollunt ei, qui fecit virtutem, totum ascribunt dicentes: *Dextera Domini fecit virtutem.* Sed felix illa sanctorum multitudo humilia de se sentiens quasi suis respondet concivibus, sicut subjungitur: *Dextera Domini exaltavit me.* Ac si dicant: Non nostri operis magnificentia ad tanta nos honoris et gloriæ provexit insignia, sed sola omnipotentis *Dei dextera nos exaltavit*, quæ totum exhibuit, quidquid in opere fecimus magnum, quidquid in remuneratione accepimus dignum, et ideo per sæcula viventes non nostra, sed illius opera narrabimus.

In his omnibus, in hac divini timoris excellentia

vere implebuntur verba Communionis, quæ sequuntur: *Mirabantur omnes de his quæ procedebant de ore Dei.* Quænam sunt, quæ ibi *procedunt de ore Dei.* Mira sunt, dulcia sunt, ineffabilia sunt. Nonne, cum procedit de ore ejus vox illa dulcis: *Venite,* inquiens, *benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est a Patre meo,* non mirabuntur? Mirantur plane quia percipient majora, perspicient excellentiora, quam hic eis per sacra eloquia sunt annuntiata. Sed et tunc de his quæ procedunt de ore Dei, mirantur, cum in omnem plenitudinem scientiæ Dei introducti, arcana verba, quæ non licet homini loqui, de ore Dei audire merentur, et tunc bene transcursis et consummatis quinque ætatibus animæ ab humanitate ascendunt ad divinitatis æternitatem. Ad quæ bona nos perducat, qui vivit, et regnat per infinita sæcula sæculorum. Amen!

158 HOMILIA XX.

IN DOMINICAM SEPTUAGESIMÆ PRIMA.

Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam (*Matth.* XX).

In hac lectione evangelica tres vocatorum ordines æterna Dei distinguit sapientia, quorum primus est innocentium, ultimus pœnitentium, medius vero obedientium. Sed qualiter prima innocentium fiat vocatio ex præsentis hujus lectionis videamus exordio.

Simile est, inquit evangelista, *regnum cœlorum homini patrifamilias.* Regni cœlorum nomine hoc in loco fidelem quamlibet animam possumus accipere, quam summus ille *Paterfamilias,* Deus scilicet et homo similem quodammodo sibi efficit, quando hæc quæ sequuntur, invisibiliter in ea operari incipit.

Qui exiit, inquit evangelista, *primo mane conducere operarios in vineam suam.* Possumus in *primo mane* infantiam sive pueritiam hominis accipere. *Exire* itaque quasi in *primo mane* Dominus dicitur, quando in ipsis puerilibus annis hominem, huic mundo sublatum, ad se *in vineam suam* colligit, ne mundana conversatione commaculetur, sed ut in spiritali vita, quæ per *vineam* accipitur, innocenti Deo innocenter et simpliciter adhæreat et famuletur. Sed notandum quid sit *conducere operarios in vineam.* Omnipotens itaque majestas, cui nec voluntas salvandi peccatores deest, nec potestas, vult ipsum quem salvat hominem, in salvando habere cooperatorem, non quod ipse per se quod vult perficere nequeat, sed ut meritum spontanea sibi mente cooperantis gloriosius remunerare valeat. Eapropter istud *conducere* Dei et hominis est commune. Nam ipsius est nos misericorditer prævenire, nostrum vero prævenienti devote obedire. Sed quia isti qui in **159** *primo mane* vocantur, infantes scilicet et pueri, ipsa puerili ætate præpediente, hac voluntaria devotione cooperari Deo nesciunt, sed totum quod cum eis agitur, quasi nescientibus illis et nolentibus agitur, recte illis convenit, quod in sequentibus dicitur:

Conventione autem facta ex denario diurno misit eos in vineam. Quædam itaque disjunctio inter Deum A et hominem est ab initio, propter originale videlicet peccatum, pro quo omnis homo tandiu a Creatore suo separatur, donec per Spiritum sanctum in baptismate regenerari mereatur. Ibi sane originali abolito crimine *ex denario diurno* vera et familiaris inter Deum et hominem fit conventio. In *denario* quippe, in quo imago regis describitur, recepta per innocentiam imago Dei non incongrue exprimitur. Quæ digne satis et juste *diurnus denarius* potest appellari quia quandiu homo in peccatis est, quasi in nocturnis tenebris dicitur versari. Exutus vero in baptismate a peccatorum nocte, mox ut hunc, quem diximus, *diurnum denarium* acceperit, mox, inquam, ut ad veram imaginem Dei per innocentiam redierit, quasi in die manere dicitur, et in die tali, a quo quidB quid boni, quidquid æternæ salutis est, inchoatur et perficitur. Hæc est revera jucunda et desiderabilis illa Dei et hominum *conventio,* qua facta continuo *in vineam* Domini *mittuntur* quando aut per fidem, quam in baptismate professi sunt, sanctæ Ecclesiæ incorporantur, aut etiam in ipsa adhuc puerili ætate per manus parentum sanctæ et spiritalis vitæ locum perpetuo militaturi Domino inducuntur. Sed præmisso primo vocatorum ordine, quod sunt innocentes, videamus etiam, qualiter continuo subjungatur vocatio illorum quos diximus obedientes.

Et egressus circa horam tertiam. In *hora tertia* adolescentia hominis est accipienda. Quæ cum semper prona sit in malum, secundum hunc Domini egressum omnino habet necessarium. Nam qualem gratiæ C et salutis fructum ex hac secunda ejus egressione salvandi quique consequantur, ex sequenti verborum ordine declaratur quo dicitur: *Vidit alios stantes otiosos in foro, et illis dixit.* Videre Dei est misereri Dei, dicere ejus est vocare ipsius. *Videt* namque illos, et **160** videndo miseretur, quia *alios* per peccati crimen factos conspicit, quam ipse eos per baptismi sacramenta fecerit. *Videt* etiam eos *stantes in foro, otiosos,* videlicet ab omni opere bono. Per *forum* etenim, in quo quæque carni delectabilia coemuntur, carnalia non incongrue desideria exprimuntur. Sed quia, teste Scriptura, *in desideriis est omnis otiosus* (*Prov.* XXI, 25), recte qui *circa horam tertiam* vocantur, stare *in foro* memorantur quia elaD ta cordis cervice contra Deum erecti, sub potenti manu ejus neque volunt neque sciunt humiliari. Sed pius tamen et misericors Dominus nequaquam quasi despiciendo eos præterit, sed quos occulto miserationis suæ oculo videre dignatur, hos etiam per internæ inspirationis suæ vocat gratiam: *Ite et vos,* inquiens, *in vineam meam.* Sed quia durum valde est et difficile ut carnem suam carnisque voluptates homo despiciat, et divinæ corde et corpore servituti se subjiciat, futurum laborem per subsequentis præmii lenire dignatus est promissionem. *Quod justum fuerit,* inquit, *dabo vobis.* Ac si dicat: Si sponte venitis, si voluntaria cordis devotione vocanti obeditis, *quod justum fuerit, dabo vobis.* Sed quid est *justum* istud, quod æterna veritas his mediis, scilicet obe-

dientibus, dandum promittit, cum in prima et in ultima vocatione nil de subsecutura præmii justitia adjecerit? Illi sane, qui in primo mane et in undecima hora in spiritalis conversationis vineam vocantur, quodammodo nulla sui justitia, sed quasi sola bonitate et misericordia Dei salvantur, cum primi, id est innocentes, non propriæ voluntatis arbitrio, sed ex parentum præcepto vineam Domini intraverint, ultimi vero quasi ad decrepitam usque ætatem in peccatis perseverantes peccare tandem desierint, cum peccare amplius nequiverint. Eapropter quod his duobus per misericordiam, istis mediis quodammodo datur per justitiam. Nam justitia illorum apud Altissimum est voluntaria confessio peccatorum. Hanc nimirum spontaneam propriæ voluntatis deliberationem, quia super omnia in operario suo Dominus quærit et diligit, recte vocationi horum læta hujusmodi promissionis verba subjunxit : *Quod justum fuerit, dabo vobis.* Ac si dicat : Mea, imo et vestra hoc exigit **161** justitia, vos, qui respectu meæ dulcedinis dulcia præsentis vitæ gaudia sponte reliquistis, et in præsenti consolatione mea sublevari, et in futuro æternaliter mecum gloriari. Sic, sic cœlestis ille Paterfamilias dum invisibili inspirationis suæ lingua hominem intrinsecus alloquitur, fit miro modo, quod in sequentibus dicitur : *Illi autem abierunt. Abeunt* quidem, quando de carnali vita ad spiritalem transeunt, dum læto corde et corpore soli Deo in sancta conversatione operari incipiunt.

Iterum autem exiit circa sextam et horam nonam, et fecit similiter. Dominico isto *circa sextam et horam nonam* exitu laudabilis ille et salubris peccatorum exitus designatur, quem in provectioribus adhuc ætatibus, juventute scilicet et senectute, quas per *sextam et nonam* accipimus, idem misericors Dominus misericorditer operatur. Sed licet evangelista taceat, quibus verbis, aut quo in loco hæc facta sit vocatio, ex eo tamen, quod *similiter* eum fecisse asserit, dubium non est quin istos, sicut et priores, *stantes in foro* invenerit. Et hæc satis convenienter ad eos referri poterunt, qui in juventute aut senectute sua in vineam Domini vocantur, cum et illi absque dubio spiritaliter in eodem foro stare videantur. Stare quidem illorum in foro est, eodem forensi carnalium desideriorum strepitu inquietari, utpote qui ab ipsius adolescentiæ temporibus usque ad decrepitam ætatem perdurans tam nolentes quam volentes impugnare videtur. Attamen qui sponte sua de hoc eodem foro exeunt, sive in juvenili sive in senili sint ætate, eadem remunerationis gratia, quam superioribus pollicetur, pius et misericors Dominus nequaquam eos privabit. Sunt autem nonnulli, qui nec ipso senili ætate voci vocantis Domini obsequuntur, sed tanto securius peccata peccatis adjiciunt, quanto diutius male vivendo, Deo et sibimetipsis inutiles exstiterunt. Horum tamen quam plurimos benignus amator hominum perire non patitur, sed quasi et ipsorum in vinea sua operam desiderans eos vocat, quatenus per hoc salvandi illos occasionem invenire valeat. Unde et sequitur :

162 *Circa undecimam exiit, et invenit alios stantes, et dicit illis : Quid hic statis tota die otiosi?* Per *undecimam horam*, in qua decrepita ætas hominis intelligitur, illi non incongrue videntur exprimi, qui gravia quæque et morti obnoxia crimina commiserunt, et in illis per malam consuetudinem quasi decrepiti facti omne virile robur mentis amiserunt. Sed tunc quasi *circa undecimam horam* misericorditer Dominus *exit*, dum eis qui taliter, ut diximus, in peccatis inveterati sunt, per occultæ miserationis suæ gratiam tribuit, ut semetipsos recognoscentes tandemque finem vitiis et concupiscentiis imponentes, feliciter ex eis exeant, et postposito lethali otio ad eum, a quo *stando*, hoc est superbe vivendo recesserant, per humilem pœnitentiæ satisfactionem redire non differant. Mox igitur, ut hoc modo Dominus in eis et ipsi in Domino exierint, subsequentis Dominicæ increpationis verba utiliter audire poterunt : *Quid hic statis tota die otiosi?* Hoc sane quasi tunc homini Deus dicit, cum ipse homo per aspirantem Dei gratiam tactus dolore intrinsecus, omnes dies suos et annos in amaritudine animæ suæ recogitare incipit, quia tunc revera auribus æterni Judicis frequenter hæc eadem verba gemebunda cordis voce ingerit : *Quid hic statis tota die otiosi?* Ac si humiliter confitendo soli Domino dicat : Fateor, Domine, et non nego, me miserum cum singulis sensibus meis *tota die*, toto, inquam, tempore vitæ meæ contra te male superbiendo hic stetisse.

Hic namque quasi pro præsenti ponitur, et ideo in eodem verbo præsentium delectatio rerum non inconvenienter accipitur. Et quid aliud veri pœnitentes plangunt ac deflent, nisi quod *tota die hic otiosi steterint*, quod in cunctis actibus suis temporalia potius quam futura gaudia quæsierint? Verum, inquiunt, verum est, Domine, quia lethali carnalium hactenus voluptatum otio dediti, nullum debitum tibi, Creatori nostro, impendere curavimus obsequium. Sed unde, miserator Domine, unde nobis tam inaudita delectatio carnalis illecebræ? Eo pro certo quia *nemo nos conduxit. Nemo*, inquam, id est non **163** homo nos conduxit, quia non humanæ carnis infirmitas, sed incomparabilis elati cordis malignitas ad tot et tanta flagitia nos perduxit. Neque enim humano peccato cecidimus, sed diabolica superbia seducti sumus. Nam humanum fuit peccasse, diabolicum est hucusque in peccatis nos perseverasse. Sic quoque illis stantibus, sic in auribus æternæ misericordiæ miserias suas jugiter recensentibus, tandem voce Dominica dicitur eis intrinsecus :

Ite et vos in vineam. Ire itaque eos *in vineam* jubet, dum tam perfectam carnalium desideriorum abrenuntiationem illis inspirat, ut pro scelere habeant, si quando vel cogitatione ad ea redire debeant. Sed quid est hoc, quod hi novissimi, de quibus jam diximus, ad culturam vineæ Domini vocantur, et tamen non dicitur, quale expendendi in ea

laboris præmium consequantur? Nihil verius, ut æstimo, per hoc nobis innuitur, quam quod in cordibus vere humilium et humiliter pœnitentium adhuc invisibiliter agitur, qui cum modis omnibus, quibus potuerint, divinam sibi clementiam reconciliare laborarint, nil tamen de futura laborum suorum remuneratione cogitant, pro magno ducentes, si pœnales inferni cruciatus miserante Deo tandem evadere valeant. Talis nimirum est ultimus ordo vocatorum, ordo scilicet pœnitentium, qui cum duobus supradictis innocentium, videlicet et obedientium ordinibus adjunctus fuerit, electa vinea Domini Sabaoth digne appellari poterit, in qua dulcia divini vini quotidie miscentur pocula, quæ cœlesti Patrifamilias dulcia haustu videntur et delectabilia. Verumtamen quod nulla vinea Dei tam electa, nulla, inquam, congregatio justorum inveniatur tam perfecta quin interdum mane, interdum etiam sero patiatur, manifeste sequentibus sancti Evangelii verbis declaratur :

Cum autem sero factum esset, dixit Dominus vineæ procuratori suo : Voca operarios. Mane quippe electi Dei habent, quandiu per exercitationem justitiæ in spiritalis lumine fervoris inconcusse manent. Sed **164** dulce illud mane quasi in vesperam vertitur, dum lumen rectitudinis umbra tentationis sequitur. Has itaque variæ mutationis vices Moyses innuit, ubi dicit : *Factumque est vespere et mane dies unus* (*Gen.* I, 5). In hujus sane mutabilitatis dispendio tandiu omnis humana ingemiscit conditio, donec, summum illud mane oriatur, in quo, fugata omni mortalitatis umbra, visurum seipsum lucis auctorem Psalmista gloriatur : *Mane*, inquiens, *astabo tibi et videbo* (*Psal.* V, 4).

Sed interim tamen, dum illud mane differtur, nequaquam suos miserator Dominus sic in hujus mortalitatis derelinquit caligine, quin septiformis Spiritus sui plerumque eos illustret et consoletur lumine. Ipse est enim Dominicæ *procurator* vineæ, ipse est, cujus inspiratione laborantes in ea operarii Domini vocantur, cujus igne peccatorum vespere depulso jam jamque lassi suaviter intrinsecus recreantur.

Possumus etiam per eumdem supradictum Domini *procuratorem* bonum quemlibet super vineam Domini constitutum accipere prædicatorem, per quem operarios suos Dominus jubet vocari, hoc est, assiduo prædicationis ejus verbo ad instantiam divini operis sollicite exhortari. *Voca*, inquit, *operarios, et redde illis mercedem.* Ac si dicat : Cernis ferventem solem justitiæ in tuorum cordibus subditorum occubuisse, cernis eos a fervore divinæ charitatis ad umbram interni frigoris decidisse ?

Sed *voca* eos, clama, inquam, ne cesses, quatenus assiduo prædicationis tuæ et exhortationis clamore expergefacti intrinsecus recalescant, et ad requirendam mercedem suam, mea videlicet dulcedinis gratiam, quam amiserunt, solito more suo, te vocante, inardescant. Nam per hoc quod dicit : *Redde illis mercedem*, satis ostendit quod eamdem aliquando

A mercedem habuerint, sed jam ex torpore subrepentis negligentiæ habere desierint.

Quo autem modo, vel quo ordine jam dicta vocatio ad corda subditorum fieri debeat, idem Dominus vineæ **165** dilecto procuratori suo sequentia verba insinuat : *Incipiens*, inquit, *a novissimis usque ad primos.* Debet sane Dominici gregis procurator *a novissimis*, id est a peccatis incipere debet, inquam, in subjectis sibi personis, primum peccata et vitia constanter damnando increpare, et sic *usque ad primos* hoc est ad virtutum exhortationem ascendendo, ad amissam divini fervoris constantiam incessanter eos provocare. Tali siquidem ordine doctrinæ suæ verba, eo moderante, spiritalis tandem merces illa Dominicæ cultoribus vineæ reddetur, quæ in sequenB tibus spiritaliter designari videtur.

Cum autem venissent, inquit evangelista, *qui circa undecimam horam venerant. Venit* quippe homo, cum seipsum invenit. Et recte, *qui circa undecimam horam venerant*, humiles scilicet et pœnitentes, quasi tunc venire dicuntur, dum corde et corpore cœlestibus intenti doctrinis, ex verbo Dei, quod audiunt, recte semetipsos cognoscendo intrinsecus inveniunt. Sic nimirum a se apud se inventi, dum nil præter peccata se habere conspiciunt, divina superveniente misericordia, *singulos*, de quibus evangelista dicit, *denarios accipiunt. Et acceperunt*, inquit, *singulos denarios.* Sed quid est quod dicitur : *Acceperunt singulos denarios ?* cum juxta communem locutionis modum convenientius posset dici : C *Acceperunt singuli denarium. Singulos* itaque *denarios accipere* est singula peccata cognoscere, et pro singulis peccatis pœnitentiam agere, et per veram pœnitentiam ad veram redire innocentiam, quod est imago Dei.

Venientes autem primi arbitrati sunt quod plus essent accepturi. Primi quoque, id est innocentes, cum conversos peccatores tantam ex auditu verbi Dei compunctionis gratiam accepisse conspiciunt, veniunt et ipsi, æstimantes quod *plus* illis sint accepturi. *Plus* istud quod illi primi ex melliflua prædicatoris doctrina se accepturos esse credunt, est suavissima compunctio amoris, cui longe minor, longe inferior est laboriosa compunctio timoris. D Semper enim desiderantes, semper ad hoc sunt spectantes, si inter verba exhortationis **166** aliquid tale de cœlestibus audire mereantur, unde in amorem cœlestium gaudiorum animus eorum validius inardescat et præsens mundus et concupiscentia ejus magis ac magis in cordibus eorum arescat. Sed plerumque contingit ut, dum irriguum superius accipere desiderant, vix ultimum irriguum inferius consequi valeant. Nam, dum desiderabili compunctione, ex solo appetitu supernorum emanante, irrigari cupiunt, vix interdum lacrymas, quibus quotidiano defleant excessus, inveniunt. Unde et sequitur : *Acceperunt autem et ipsi singulos denarios.* Accipiunt sane illi *singulos denarios* sicut et novissimi, dum singulas suas negligentias cognoscentes tandem in lacrymas

erumpunt, tantoque fiunt humiliores, quanto ad consequendum quod desiderant se vident infirmiores. Unde sequitur :

Et accipientes murmurabant adversus patremfamilias dicentes : Hi novissimi una hora fecerunt, et pares illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei et æstus? Murmur dicitur illud, cum homo aliquid molestiæ vel indignationis in occulto patitur cordis, quod apertis non audet, aut non valet proferre verbis. Et recte per hoc tale murmur occultus dolor cordis accipitur, quo isti primi post agnitam stabilem pœnitentium in timore Dei constantiam intrinsecus afflicti cruciantur, non quod illis pro collata divinitus misericordia invideant, sed quia ex sui torporis et negligentiæ reatu internæ dulcedinis sapore se privatos esse considerant. *Hi novissimi*, inquiunt, *una hora fecerunt, et pares nobis illos fecisti? Pares nobis*, Domine, *illos fecisti* in donis. Nam quod habemus nos per innocentiam, illi quasi unius hora momenti per humilem, te donante, consecuti sunt pœnitentiam. Et juste, Domine, nostram et illorum judicasti causam. Nam sunt *novissimi*, novi scilicet per pœnitentiam, *novissimi* autem per humilitatem. Nos vero sumus, *qui portavimus pondus diei et æstus*, quia nec in prosperis humiles, nec in adversis fuimus patientes. Sive enim prosperitas arrideret, sive adversitas immineret, totum grave pondus animarum nostrarum erat, quia miserabiliter, ne ad te levarentur, deprimebat.

167 *Et respondit uni eorum et dixit : Amice, non facio tibi injuriam. Nonne ex denario convenisti mecum? Tolle quod tuum est, et vade.* Cuncti qui cœleste colloquium requirunt, quandiu multa cogitantes multi sunt et multiplices, *unum* quod medullitus ambiunt, divinitatis verbum non capiunt. At si eorum intentio tota fuerit unita cum Domino, jam *uni eorum* spiritui suaviter Conditoris sermo blanditur : *Amice*, inquiens, *non facio tibi injuriam. Amice*, quem familiaris instantia obsequii adeo notum, quem vitæ et conversationis integritate sic habeo probatum, ut tam justitiæ quam misericordiæ meæ censura exigat a me *amici* nomine honorare te, *non tibi injuriam facio*, nec quidquam ex his, quæ tibi debentur, subtraho. Ego enim, cujus omnia in fide sunt opera, te, in cujus admodum mihi complacuit amicitia, *denario ex quo mecum convenisti* non privabo, quia quæsitæ compunctionis donum nunc, prout expedit, interdum, prout tui votum expetit, misericorditer præstabo. At si in munere optas fieri ditior, utpote qui in obsequio exstiteris devotior, *tolle quod tuum est, et vade*. Ac si dicat : Quidquid aut in virtutibus mentis, aut virtuosis operibus corporis vales, non *tuum* est, sed meum. Ex me enim habes quidquid habes. Sed si ad illud meum aliquid de tuo admiscuisti, hoc est si ex eo quod in te gratia mea operata est, tuis viribus, tuæ laudi aliquid attribuisti, *tolle tuum*, dimitte meum, aufer abs te funditus quidquid elationis inanis tibi gloriæ indidit appetitus ; quod habes ex

A me, mihi soli humiliter attribue, et vade de virtute in virtutem proficiens, de bonis ad optima progrediens, ut is qui puritatis fons, incorruptionis est summa, jam tibi confirmato per omnia sibi nil subtrahendum censeat de dulcedine sua.

Volo autem et huic novissimo dare sicut et tibi. Aut non licet mihi quod volo facere? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Volo, inquam, extremo huic et humili idem pietatis beneficium, camdem visitationis intimæ gratiam præstare quam et tibi. Dives enim sum et locuples, utpote cœlum et terram adimplens. Et totum **168** mihi *quod volo licet* facere quia subest, cum voluero, posse. Sed infimus tuæ mortalitatis oculus ad plenum nequit scrutari quam sint inæstimabiles meæ bonitatis thesauri, B ut qui justis bona data dare consueverim pro eorum justitiæ merito, eadem minus dignis præstare maluerim pro solo miserationis meæ debito. *Nequam* hic *oculus* non pro malo vel duplici, sed potius pro infirmo est accipiendus, qui consilia Altissimi providere nequeat, et comprehendere ea ex ratione nesciat. Pia enim Conditoris majestas nequaquam eum malitiæ vel duplicitatis arguit, quem veraciter amici nomine honorare decreverit. Sequitur :

Sic erunt novissimi primi, et primi novissimi. Revera conspectis primorum meritis *novissimi* fiunt *primi*, dum eos, quorum innocentiam venerantur, pro posse imitari satagunt, et ad omne veritatis opus C etiam ultra vires horum se consideratione extendunt. Sic et *primi* novissimorum intuitu extremi fiunt et humillimi, dum sagaciter pensant, quanto pondere æstimet divinitas etiam exiguum, quod de novissimorum laboribus offert humilitas, et tantum in his pretiosior est humilitatis devotio, quantum et copiosior pii laboris exercitatio. Hac consideratione mutua, hac imitatione vicaria *erunt novissimi primi, et primi novissimi*, sic in utrisque partibus perfectionis accrescit cumulus. Sed terribile est valde, quod in hujus conclusione dicitur parabolæ :

Multi sunt vocati, pauci vero electi. Multi quidem *sunt*, qui sæculi actibus renuntiantes fiunt novissimi, id est per contritionem spiritus humillimi ; plures etiam, qui in bono proposito degentes pro- D bata conversatione videntur primi. Tales *vocati* admodum plures *sunt et multi*. Sed quia ad hoc electionis meritum assurgant, ut simul in utroque perfecti appareant, videlicet ut si quos propositi fervor exhibuit primos, profunda etiam cordis humilitas exhibeat novissimos, vel quos peccati memor conscientia reddidit novissimos, superexcrescens bonæ operationis cumulus efficiat primos, tales *electi pauci* sunt et rari.

169 Sed quia certissimum constat totum donari electis, siquid est optimum in thesauris gloriæ et immortalitatis, omni provideamus annisu, ut remunerationis sors in electorum numero quandoque excipiat nos. Et sic per boni operis instantiam curemus primorum meritis inseri, ut per intimæ humi-

litatis studium præcipue nitamur novissimis etiam conformes fieri. Quod ipse præstare dignetur qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXI.

IN EAMDEM DOMINICAM SECUNDA.

Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam (*Matth.* xx).

Homo iste *paterfamilias* Deus Dei Filius est, homo Christus Jesus, qui recte dicitur *Paterfamilias* quia ipse Pater multarum est familiarum, omnium videlicet digne sibi famulantium. Huic ergo convenienter *regnum cœlorum simile* dicitur, sancta videlicet Ecclesia seu quælibet pie conversantium congregatio, aut unaquæque fidelis anima. Omnes enim, qui fructum capiunt salutis, huic homini Patrifamilias oportet assimilari, ut sanctitati conversationis ejus, in qua vera et perfecta norma omnium est virtutum, pro modulo suo imitando studeant conformari. Quod bene beatus Joannes apostolus admonet dicens : *Qui dicit se in Christo manere, debet, quemadmodum ille ambulavit, et ipse ambulare* (*I Joan.* II, 6).

Qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam. Exiit quidem tunc Redemptor noster, quando de illa occulta divinitate sua egrediens, ut videri posset ab hominibus, homo visibilis de beata et virginea carne beatæ et intemeratæ Virginis Mariæ est progenitus.

Et notandum quod dicitur : *Primo mane.* Sicut enim exsurgente mane tenebræ discedunt, et lux incipit appropinquare ita nascente Christo totus mundus, qui in tenebris fuit ignorantiæ, in tenebris peccatorum ante adventum ejus, nova nati Salvatoris luce illuminatus est. Nato etenim Christo mane illud lætabundum illucescere cœpit, in quo nova illa stella mundo apparuit, quæ de longinquis terræ finibus magos illos, **170** primitias gentium, ad fidem ejus adduxit.

Exiit ergo *conducere operarios in vineam suam. Operarios* quidem *conduxit* quia et verbo veritatis, et exemplo sanctæ et religiosæ conversationis veritatem Dei nescientibus, bonum non agnoscentibus aperuit. Qui nimirum si tantummodo prædicasset, duxisset utique, non conduxisset. Sed quia, quod verbo docuit exemplo ostendit, *operarios in vineam conduxisse* satis congrue eum evangelista asserit :

Conventione autem facta cum operariis ex denario diurno misit eos in vineam suam. Ubi vel quando facta est *conventio* ista ? In cruce et passione Christi. Magna enim dissensio et disjunctio erat inter Deum et hominem propter crimen originale. Sed ubi ipse Mediator Dei et hominum crucem ascendit, et crimem originale per passionem mortis sanguine suo delevit, ibi vera *conventio* inter Deum et hominem facta est *ex denario diurno.* Denarius diurnus homo ille erat, quem assumpsit de beata Virgine Maria verus, inquam, *denarius* quia vera in eo similitudo Dei Patris erat, quem nulla ignorantia, nulla unquam peccati macula offuscaverat. Digne utique denario comparatus est quia sicut olim denario imago regis impressa fuit ita homo ille nobilis, immaculatus, incorruptæ filius matris, veri ac summi Regis, Dei Patris, veram in semetipso imaginem habuit. Primus enim parens noster Adam, et prima mater nostra Eva, utrique ad imaginem Dei conditi, denarius dici poterant ; **171** sed quia eamdem Dei imaginem in semetipsis peccando violaverant, neuter eorum *denarius diurnus*, sed nocturnus quodammodo erat. *Facta autem conventione* hac, ut diximus, *ex denario diurno, misit eos in vineam suam*, quia sicut in paradiso ex latere Adæ dormientis fabricata est Eva, ita ex latere Christi dormientis in cruce fabricata est Ecclesia.

Potest etiam aliter intelligi quod dicitur : *Misit eos in vineam suam.* Quando enim idem gloriosissimus mortis triumphator ad inferos descendit, et electos suos de infernalibus claustris eripuit, *misit eos in vineam suam*, id est post longa inferni tempora ad æterna paradisi sui reduxit gaudia. Sequitur :

Et egressus circa horam tertiam. Quis fuit egressus ille ? Egressus iste factus est *hora tertia*, qua hora etiam Spiritus sanctus venit super apostolos. Postquam autem supereminens Spiritus sancti gratia effusa est in filios adoptionis, quatenus humanæ salutis fructus mox subsecutus sit audiamus : *Vidit alios stantes in foro otiosos.* Per *alios* istos operarios gentes intelligere possumus, qui profecto quasi *in foro stabant* quia elatæ mentis cervicem contra Deum erexerant, et forensi vitæ, id est carnalibus concupiscentiis dediti solummodo terrena cognoscebant, et terrena quærebant, sicque ab omni bono opere torpentes pro salute sua laborare neglexerant. Quos tunc nimirum omnipotens Deus *vidit*, quando eis misereri cœpit ; nam videre Dei misereri ejus est. Nusquam autem legimus Redemptorem nostrum in carne apparentem, et tantummodo inter Judæos conversantem et docentem, aliquando gentibus prædicasse, vel aliquam benignitatis suæ gratiam eis contulisse præter puerum centurionis, quem sanitati restituit, et mulieris Chananææ filiam, quam a dæmonio vexatam liberavit. Insuper etiam præcepit discipulis suis : *Ne*, inquiens, *in viam gentium abieritis* (*Matth.* x, 5). Misso autem Spiritu sancto omnibus in orbe terrarum dispersis nationibus locutus est per ora apostolorum. Nam dum eodem Spiritu sancto edocti linguis omnibus loqui noverant, et poterant, in omnem terram exivit sonus eorum. Quod evangelicis aperte verbis innuitur, cum subinfertur :

172 *Et illis dixit : Ite et vos in vineam meam, et quod justum fuerit dabo vobis.* Ac si aperte dicat : Per fidem rectam intrate in Ecclesiam meam, *et quod justum fuerit, dabo vobis. Justum* est coram Deo justis retribuere secundum justitiam eorum, et recte in hoc mundo viventes, atque in bono perse-

verantes post finem vitæ cœlestis regni præmiis re- A munerare. Hæc Dei justitia propter prævaricationem Adæ longe abalienata erat ab antiquis Patribus. Nam Abel justo propter eum innocenter occiso, et Noe, qui in multis periculis illi in arca servierat, Abraham quoque, qui præcepto ejus obediens de terra et cognatione sua exierat, cæterisque sanctis Patribus fideliter sibi famulantibus, non, *quod justum* fuit, id est regnum cœlorum donavit, sed post perfectam justitiam denegato regni honore infernum dedit. Convertendis vero gentibus dicit : *Quod justum fuerit dabo vobis*. Quod idem est ac si dicat : *Justum* meum, gloriam videlicet regni mei, ante passionem meam nunquam dedi, quam vobis gentibus dare disposui. Unde et post resurrectionem suam mittens discipulos docere omnes gentes B dixit : *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit* (*Marc.* XVI, 16). Sequitur sancta lectio :

Illi autem abierunt. Hoc in loco evidenter ostenditur quam devote gentes obedientes fidei, relicto errore idololatriæ, per salubrem apostolorum doctrinam ad Dominum sint conversæ. Post hunc egressum ergo, qui per adventum Spiritus sancti factus est, protinus subditur :

Iterum autem exiit circa sextam et nonam horam, et fecit similiter. Per *sextam horam* bene intelligi valet tempus martyrum, quod fuit post tempora apostolorum. Nec incongrue per hanc horam designantur tempora martyrum in certamine passionis laborantium. Nam fervor et calor solis in sexta hora (26) C vehementior esse solet cæteris diei horis. Sic revera sic gloriosissimi martyres utriusque sexus præ omnibus pene, ut ita dicam, Christi electis ferventiores erant in dilectione Dei. Nam per diversa tormentorum genera examinati, dum duris admodum flagris verberabantur, vivi decoriabantur, flammis etiam injecti exurebantur, nisi ardentissimo **173** divi amoris igne interius flagrassent, fortiter extra cremans incendium æquanimiter tolerare minime potuissent.

In nona autem hora, in qua sol clare quidem lucet, sed ad occasum vergit, mystico intellectu accipere possumus tempora confessorum. Qui confessores sanctissimi cessante jam persecutionis rabie in pace Ecclesiæ quietam duxerunt vitam, sed præ- D sentia despicientes æternam patriam vocibus moribusque prædicantes, atque per omnia Deo digni inventi, per sancta documenta, et per bonorum operum exempla in diebus suis magna mundi hujus erant luminaria, ut de eodem patrefamilias, qui in ipsis et per ipsos operabatur, recte dici valeat : *Et fecit similiter.* Nam sicut per apostolos suos gentes ad fidei gratiam convertit ita etiam per martyres et confessores non modicam ejusdem populi multitudinem ac cognitionem sui nominis simul et amorem perduxit. Sic per ordinem evangelista apostolorum, martyrum, et confessorum tempora prosequens illico adjunxit dicens :

Circa undecimam exiit. Undecima hæc hora significat tempora nostra. Nam per undenarium numerum, qui denarium transit, transgressio figuratur, et, proh dolor! instantis temporis vita innumeris repleta malis, perfectionem excedit Decalogi, in qua fere omnes transgrediuntur mandata Domini. Sed licet totus jam mundus in maligno sit positus, benignus tamen Paterfamilias, videlicet Redemptor noster, *circa undecimam exiit*, quia nostris etiam temporibus dignos sibi operarios in vineam suam colligit. Unde apte subjungitur : *Et invenit alios stantes, et dicit illis : Quid hic statis tota die otiosi? Alii stantes* omnes sunt qui nunc per superbiam vitæ contra Deum semetipsos erigunt quibus et divina voce dicitur : *Quid hic statis tota die otiosi?* Cur inquit, præsens tempus, vobis ad remedium animæ vestræ concessum, absque bono opere consumitis in vacuum ? Et bene quidem redarguuntur stare otiosi *tota die* quia in ea parte, in qua dies esse debuerunt, sensu videlicet et intellectu illuminati cordis, quem divinitus perceperunt, ad iniquitatem et superbiam, non ad honorem Dei vel utilitatem proximorum vertunt.

174 Sed pensandum est quid inquisiti respondeant? *Dicunt ei : Quia nemo nos conduxit.* Responsio ista clamor est populi ad Deum. Domine, inquiunt, *nemo nos conduxit* quia nullus nobis errantibus viam justitiæ prædicando demonstrat et si aliquando bonis docemur exhortationibus, nullum bonum exemplum bonæ actionis habemus. Hæc profecto verba sunt, quæ, proh dolor! pene de cunctis Ecclesiæ rectoribus veraciter dici possunt. Nam si aliqui sunt qui bona audire desiderant, desunt qui dicant; et si sunt qui recta doceant, paucissimi inveniuntur qui ea quæ dicunt faciant. Hinc Psalmista ingemiscens ait : *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum* (*Psal.* XIII, 3).

Dicit illis : *Ite et vos in vineam.* Ista vocantis Domini jussio inspirationis ejus est miseratio, dum idem benignissimus Conditor noster, quos in perpetuum salvare disposuit, quamvis sit circa undecimam, ad aliquam bonæ conversationis vitam venire facit, ubi si recta docentem non habeant, ipsi tamen recte vivendo salvi fiant.

Cum autem sero factum esset. Sero istud, unde hic dicitur, consummatio sæculi recte intelligitur. Appropinquante autem ipso fine mundi profecto fit, quod evangelista mox subintulit : *Dixit Dominus vineæ procuratori suo : Voca operarios.* Dominus hic vineæ Deus Pater accipi potest, qui *dicit procuratori suo*, id est ad coæternum sibi Filium, aut fortassis ad Eliam sive Enoch, qui ante judicium ad prædicandum venturi sunt in mundum, vel ad aliquem pastorem Ecclesiæ, *Voca*, inquit, *operarios*, ut omnes, qui adhuc in infidelitatis ignorantia tenentur, te prædicante, te docente, te adjuvante per fidem ad Ecclesiam convocentur. Ante finem etenim

(26) Quæ nobis nunc duodecima, seu meridies est.

mundi plures de Judæis et Gentibus colligendi sunt A ad unitatem fidei.

Et redde illis mercedem. Merces ista, quæ illis dari jubetur, cognitio est Patris et Filii et Spiritus sancti, sicut incarnata Dei sapientia loquens ad Patrem ait : *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* XVII, 2). Congrue autem subinfertur : *Incipiens a novissimis usque ad primos. Novissimi* **175** etenim sunt gentes, qui per fidem convertentur ad Dominum ; *primi* vero Judæi, quos conversis jam gentibus ad agnitionem suam vocat benignus et misericors Dominus. Recte ergo gentes Judæis præponuntur, quia non potest fieri ut Judæi gentilitatem præcedant in conversione, sed post vocationem gentium etiam ipsi salvantur secundum electionem gra- B tiæ, quemadmodum beatus Paulus dicit : *Cum plenitudo gentium introierit, tunc omnis Israel salvus erit* (*Rom.* XI, 25). Unde aperte sequitur :

Cum venissent ergo, qui circa undecimam horam venerant, acceperunt singulos denarios. Gentes quidem, adhuc convertendæ, quasi *circa undecimam* venient, qui in incredulitate usque ad finem mundi permanebunt. Sed tunc accipiunt *singulos denarios*, quando per fidem sanctæ Trinitatis instructi cognoscere incipient Redemptorem suum, qui Deus ante sæcula pro ipsis homo fieri dignatus est in fine sæculorum.

Venientes autem et primi arbitrati sunt quod plus essent accepturi. Primi isti, ut supra memoravimus, populi sunt Judæorum, qui idcirco *primi* di- C cuntur, quia primum electi et vocati fuerunt, sed postmodum Christo in carne veniente illi credere nolentes ab ipso reprobati sunt. Hi plenitudine gentium conversa tandem venientes ad unitatem fidei *arbitrati sunt quod plus essent accepturi.* Bene quidem dicitur *arbitrati sunt*, non *arbitrantur* quia nunc utique opinantur quod quandoque præferendi sint gentibus, ut et filii dilecti, et præelecti majori dignitatis gloria præ illis jure hæreditario debeant sublimari. *Acceperunt autem et ipsi singulos denarios.* Nihil enim amplius **176** in conversione nisi cognitionem Patris et Filii, et Spiritus sancti accipiunt. *Singulos* utique *denarios*, quia denarius Pater, denarius Filius, denarius est Spiritus sanctus, atque per unam eamdemque veræ fidei viam ipsi et D gentes ad cœlestem perducuntur patriam.

Et accipientes murmurabant adversus patremfamilias. Istud murmur recognitio humilis est et dolor occultus, quem in corde suo habebunt, dum in veritate Deum cognoverint nimia afflictione spiritus gementes et dolentes, quod tandiu illos Deus deseruit, tandiu in errore suo cæcos reliquit, lacrymosa cordis voce dicentes : *Hi novissimi una hora fecerunt, et pares illos nobis fecisti qui portavimus pondus diei et æstus.* Ac si dicant : O Dominator Domine, justus es, et rectum judicium tuum, quia quod nos *primi* vocati in patribus nostris habuimus, quodque in lege et Scripturis longe ante accepimus, hi *novissimi*, gentes videlicet, *una hora* fecerunt, quia ad unam prædicationem apostolorum in te crediderunt. Et ideo recte cum eis egisti, quod *pares illos nobis fecisti.* Nam *nos* illi miseri sumus, qui *portavimus pondus diei et æstus.* Quidquid enim boni ex tua gratia vel prosperitatis accepimus, quidquid adversitatis ex judicio tuo pertulimus, totum miseris animabus nostris grave quodammodo erat pondus. Nam nec in prosperis tibi bonorum omnium Largitori pro acceptis beneficiis dignas gratiarum actiones persolvimus, nec in adversis ex merito nostræ iniquitatis, te super nos mala inducente, sub justo tuo judicio animas nostras humiliavimus.

177 HOMILIA XXII.

IN EAMDEM DOMINICAM TERTIA.

Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viventem (*Gen.* II).

Omnis homo, qui in peccatis conceptus est et natus, quandiu in peccatorum jacet sordibus, quandiu limo fœdatur terrenæ contagionis, informis quodammodo apparet in conspectu divinæ majestatis. Cum enim tota mentis intentione limo infixus manet præsentis vitæ, cum, inquam, ea solummodo desiderare, et diligere novit, quæ male sordens lubrici sæculi delectatio ingerit, quid rectius quam *homo de limo formatus* dici poterit ? Sed præveniens omnipotentis Dei gratia, cum hominem formare, id est reformare de tanta disponit miseria, secundum ingenitam sibi bonitatem misericorditer ei inspirat Dei et sui cognitionem, juxta sequentis litteræ narrationem.

Et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ. Per *faciem*, qua homo quilibet agnoscitur, nonnunquam in sacro eloquio cognitio Dei designatur. Per *spiraculum* vero *vitæ* gratiam Spiritus sancti non incongrue possumus accipere. Cum ergo omnipotens Deus, ut prædiximus, hominem de informitate peccatorum reformare deliberat, *inspirat in faciem ejus spiraculum vitæ*, hoc est per gratiam Spiritus sancti venire eum facit ad agnitionem Dei et sui, ut et creatorem suum veraciter agnoscat, et quam deformis fuerit in peccatis, digne pœnitendo recognoscere valeat. Accepta autem cognitione Dei et sui, cum circumspecte seipsum homo considerare cœperit, et de informitate sua confusus, ad novæ vitæ conversionem venire decreverit, recte de illo dici poterit :

Et factus est homo in animam viventem. Quandiu enim homo vivens **178** in peccatis mortificare nequaquam in se studet vitia carnis, quæ revera sunt opera mortis, non in *animam viventem*, sed in animam quodammodo factus est morientem. Postquam autem hæc in se mortificare cœperit, ipseque in Domino laudabiliter vivere decreverit, jam bene de illo dici poterit quod *factus sit homo in animam viventem*, qui prius factus fuerat in animam quodammodo morientem. Quid sit vero quod *in animam viventem homo factus* dicitur, ex ipsius Domini verbis colligi poterit, qui in ipso primordio humanæ

creationis dicit : *Faciamus*, inquit, *hominem ad imaginem et similitudinem nostram*. Ad imaginem quippe Dei tunc homo factus dicitur, cum is, qui prius peccando imaginem Dei in se violaverat, bene vivendo reformari in spiritu mentis suæ desiderat. Ad similitudinem autem Dei factus dicitur, cum similis ei fieri desiderat, id est sicut ille summe bonus per omnia exstitit, ita etiam ipse bonitatis illius exemplum assequi contendit, sicut ille mundus, imo auctor totius munditiæ erat, ita ipse mundus corde et corpore esse studet, sicut ille mansuetus et humilis apparuit, ita ipse humilem et mansuetum omnibus se cernentibus præbet.

Quisquis ergo ita de limo terræ, id est de limo terrenæ conversationis formatus fuerit, quisquis ita per inspirantem gratiam Spiritus sancti, accepta agnitione Dei et sui, de anima moriente in animam factus fuerit viventem, et ita ad imaginem et similitudinem Dei reformatum se recognoscit, ut etiam ipse imaginem Dei in se renovans, Ei a quo factus est, per bonitatis, munditiæ et mansuetudinis exempla **179** similis fieri toto mentis et corporis annisu invigilet et delectetur, valde necesse habet, ut labenti sæculo alienus prorsus efficiatur. Nam si in eo diutius demorari voluerit, insurgentibus paulatim tumultuantium rerum occupationibus, a profectu virtuosi operis mens nonnunquam torpescit, et in defectum desidiosæ conversationis se dejicit. Unde et apte mox sequitur :

Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis a principio. Per paradisum, qui hortus deliciarum dicitur, spiritalis vita accipi non incongrue poterit, in qua animæ delicatæ, animæ deliciis supernæ dulcedinis affluentes sunt congregatæ. Sunt etiam nonulli in sæculari vita, qui Conditori suo placere contendunt per bonæ operationis merita; sed, quia ab infimis bonis sese nequaquam suspendunt, spiritalium deliciarum gratiam nec prægustare nec percipere queunt : ideoque ipsi auctori dulcedinis gustum præbere nequaquam poterunt dulcissimæ refectionis. Nam quemadmodum cibus delicatus et mollis suaviori sapore reficit et vegetat cor hominis, quam cibus durus et vilis, sic nimirum animæ in Christo, ut ita dicam, delicatæ spiritalibus, inquam, deliciis enutritæ, majoris dulcedinis gustum gutturi ipsius dilecti præparant quam hi qui solummodo per bona exteriora Deo student deservire.

Et bene paradisus iste *a principio plantatus* dicitur, id est ab eo qui est principium providentia divinæ dispensationis homini cuilibet, ad salutem vitæ æternæ vocato, præordinatus. Quod bene manifestatur verbis mox sequentibus :

In quo posuit hominem, quem formaverat, quem videlicet de illa informitate peccatorum, de anima, inquam, moriente in animam reformaverat viventem. Omnipotens ergo Dominus hominem formatum de limo terræ *ponit in paradisum*, in spiritalem scilicet vitam, ut tanto uberius fructum bonorum operum valeat proferre, quanto a strepitu terrenæ occupationis liber et expeditus dignoscitur esse. Quod etiam ordo sequentis litteræ aperte videtur indicare.

Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, et ad vescendum suave. Per *humum* **180** hoc in loco humile cor pœnitentis cujuslibet hominis intelligere possumus, qui conversus ad Dominum, dum informitatem peccatorum suorum humiliter considerando ad oculos revocat mentis, humilis fit, et dejectus in oculis propriæ considerationis. De hac ergo nobili humo, id est de hoc humili corde *producit* nonnunquam Dominus *omne lignum*, fortitudinem videlicet et eminentiam bonorum operum.

Et notandum quod non dicit : *Omne lignum*, sed cum additamento quodammodo : *Pulchrum visu, et ad vescendum suave*. *Pulchrum* revera *lignum* dicitur operatio, quæ de vere humili corde procedit. Nam quicunque ex toto corde se humiliaverit, quidquid exteriori corporis exercitio exhibuerit, *pulchrum* est utique in conspectu divinæ majestatis, *pulchrum et delectabile* in æstimatione hominum; utile erit etiam ad ædificationem proximorum. Nam quicunque sine vera humilitate est, etiamsi bona quælibet operetur, non tamen *pulchrum* dici poterit, quod sine humilitatis pulchritudine actum fuerit. Unde et Dominus in Evangelio dicit : *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est* (*Matth.* v, 16).

Et ad vescendum, inquit, *suave*, quia illa operatio quæ ex humilitate procedit, *suavis* est ad vivendum, *suavis* etiam erit aliis hominibus ad imitandum. *Lignum* etiam *vitæ in medio paradisi* est ratio hominis posita in medio cordis. Ratio vero hominis, illa vis animæ dicitur, qua solum Deum et cœlestia contemplatur. Tunc autem homo rationem suam in medio cordis dicitur habere, cum divino fultus auxilio superius et inferius suum sapienter novit discernere, ut videlicet Deum qui est suum superius, ut Dominum et proprium factorem timeat, veneretur et diligat; inferius vero suum, quod est corpus, ut servum propriæ potestati subjiciat. Qui ergo ita superiori et inferiori suo id quod suum est tribuit, hoc est, qui Factori suo debitæ subjectionis reverentiam impendit, et corpori suo necessaria justo moderamine indulgere novit, hic revera rationem animæ suæ recte dici poterit in medio cordis habere. Sed quantumvis homo quilibet spiritalis per **181** prævenientem Dei gratiam, his et aliis virtutum exercitiis sursum semper tendat, quandiu tamen corpus, quod aggravat animam, portat, dubium non est quin sæpe sæpiusque has tentationum molestias in se sentiat, ut videlicet ea delectetur implere quæ propria voluntas videtur suggerere. Unde etiam post lignum vitæ positum in medio paradisi, continuo subjunctum est:

Lignumque scientiæ boni et mali. Per *lignum scientiæ boni et mali* propria hominis voluntas valet intelligi, cum sicut diximus, homo quilibet virtutum pollens profectibus, plus humanis delectatur attolli

favoribus, quam in occulto propriæ conscientiæ contegi sit contentus. Cum vero his et hujusmodi cogitationibus homo inaniter est occupatus, fit nonnunquam, ut a divina dulcedine aridus appareat, solidæque virtutis profectum minime in se sentiat. Quapropter necesse valde est ut omnipotens Deus hominem, quem sic, ut supra memoravimus, de limo terræ formavit, oculis divinæ misericordiæ rursus respiciat, ac rore Spiritus sancti ariditatem terræ illius irrigare et infundere dignetur. Quod congrue sequens iste versus exponere videtur :

Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum. Tria hoc in loco posita esse videntur : *Fluvius*, *locus*, *voluptas*, per quæ etiam trinam nominis professionem divini accipere possumus, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum. In *voluptate* scilicet Patrem; in *loco* Filium, in *fluvio* Spiritum sanctum. Et bene per *voluptatem* Pater designatur; nam ipse est verus et indeficiens fons totius voluptatis ipse plenitudo totius gratiæ et dulcedinis, quæ de torrente voluptatis suæ, non solum cœlestium virtutum satiat et inebriat agmina, sed etiam humana delectat, reficit et confortat corda. Recte etiam per *locum* voluptatis ipse Filius accipitur æterni Patris, in quo corporaliter inhabitavit et inhabitat omnis plenitudo divinitatis, in quo solo, super quem solum requievit Spiritus sanctus cum omnibus donis suis. Per *fluvium* vero Spiritum sanctum designari diximus. Nam sicut fluvius aridam irrigando terram germinare facit, sic Spiritus sanctus arida hominum corda fluento gratiæ suæ infundendo, ad proferendos dignæ operationis fructus perducit. *Fluvius* ergo *de loco voluptatis egreditur*; quia Spiritus sanctus de Patre et Filio procedit, quemadmodum ipse Dominus in Evangelio ad Philippum dicit : *Non credis*, inquit **182** *quia ego in Patre, et Pater in me est?* (*Joan.* XIV, 10.) Ad quid vero fluvius iste egrediatur, aperitur, cum subjungitur : *Ad irrigandum paradisum*, id est ad irrigandum aridum et durum cor hominis, ad irrigandam et excolendam terram infecundæ mentis, quæ jam siti aruit, nec fructum ex se proferre valet virtuosi germinis. Quid etiam virtutis, quid gratiæ et perfectionis fluvius iste ita egrediens operetur per ea quæ sequuntur intelligi datur : *Qui inde dividitur in quatuor capita.* Per quatuor capita nimirum cardinales virtutes non incongrue sunt accipiendæ, in quibus, et ex quibus pendent et consistunt virtutes cæteræ; quod etiam ipsa fluviorum interpretatio evidenti declarabit indicio. *Nomen uni Phison :* Phison *os pupillæ* interpretatur, quoniam autem, ut notum est omnibus, ore loquimur, pupilla videmus; bene per primum istum fluvium Phison, qui *os pupillæ* dicitur, prima virtus, quæ prudentia nominatur, designatur. Nam verissime prudens ille dici poterit, qui hoc quod corde credit, ore confiteri non metuit. Quemadmodum Paulus apostolus in Epistola sua loquitur, dicens : *Corde creditur ad justitiam ; ore autem confessio fit ad salutem* (*Rom.* X, 10). Dicitur etiam Phison *oris mutatio*, quod recte eidem convenit prudentiæ : Nam prudens revera et ille dici poterit, qui per mutationem dexteræ excelsi novis, ut ita dicam, linguis incipit loqui, id est ut qui prius superbo ore, verba arrogantiæ proferre solitus erat, humiliter jam loqui incipiet; qui prius ad otiosos sermones frenum linguæ intrepidanter relaxabat, custodiam jam ponens ori suo ad ædificationem proximorum sermones sale sapientiæ conditos proferre studeat. De quo fluvio etiam adhuc subinfertur : *Ipse est, qui circuit omnem terram Hevilath, ubi nascitur aurum, et aurum terræ illius optimum est.* Hevilath *dolens*, sive *parturiens* dicitur; parturire vero, quasi desideranter parere dicimus, *Circuit* autem Phison, id est prudentia *omnem terram Hevilath*, cum homo per prudentiam hoc addiscit, ut *dolens* sit pro peccatis, quæ commisit, et bona de se *parere* desideret, quibus Deo satisfacere possit. Ibi etiam *nascitur aurum*, per quod intelligere possumus hominis intellectum. *In terra* ergo *Hevilath*, hoc est, in corde dolentis et bona desiderantis *aurum* quodammodo *nascitur* cum per Dei gratiam summæ virtutis intellectus homini datur. *Et aurum terræ illius optimum est.* Optimum revera intellectum habet, qui semper dolens et pro peccatis, et semper parere desiderat opera virtutis. Nam sunt nonnulli in sæculari vita, qui magnum quidem intellectum ex Dei habent gratia : sed optimus ille solummodo dicitur, qui *in terra Hevilath*, id est in corde dolentis et bona desiderantis nascitur. *Ibique invenitur bdellium et lapis Onychynus. Bdellium* arbor est aromatica, colore nigra, sed lacrymam effundens lucidam, **183** gustu amara, bonique odoris, quæ si vino perfusa fuerit suavius redolebit. *Onychinus* vero *lapis* est similitudinem habens unguis humani. Per *bdellium*, quod nigrum colorem habet, sed lacrymam lucidam dicitur desudare, cordis compunctionem non incongrue possumus accipere. Nam quicunque in vera compunctione cordis reatum considerat pravæ conversationis, niger quidem sibimet ipsi videtur sed lacrymæ ejus, id est pœnitentia illius lucida quodammodo apparet in conspectu divinæ majestatis. Lucida, inquam, est quia animam peccatorum obscuritate denigratam lucidam facit et mundam. Onychinus vero, qui unguis humani habet similitudinem, satis convenienter vitæ exprimit perfectionem. Unguis enim ea parte qua apparere incipit, candorem ostendit, in medietate autem sanguis apparet mistus albedini; illa vero pars, quæ de carne abscidi solet, pura apparet. Quæ omnia si intellecta fuerint sensu subtili et mystico, recte per hæc eadem vitæ exprimitur perfectio. Per illam igitur partem, quæ apparet lucida, innocentia accipi valet, sive per baptismum, sive per pœnitentiam accepta. Nam tunc revera homo lucidus dicitur, cum innocentiam, quam in baptismo accepit, vel post lapsum pec-

catorum per dignæ pœnitentiæ fructum recipere merebitur. Per medietatem autem, in qua rubor mistus est albedini, imitatio præfiguratur passionum Christi, quia post acceptum per pœnitentiam innocentiæ candorem necesse est ut passionum Christi socius homo fieri studeat, et mortificationem ejus ipse in corpore suo circumferre contendat. Qui si ita, ut diximus, prudenti utens consilio, opera carnis mortificare non desinit in corpore suo, recte illi parti adæquabitur quæ dura prorsus esse videtur. Si enim ita piis laborum studiis in præsenti purgari contendit ab omnibus peccatorum contagiis, et quantum in hoc mutabilitatis tempore est possibile, vigilanter retinere studuerit perfectionem vitæ, cum quandoque corpus hoc corruptibile deposuerit, purus omnino et liber in districto examine erit. Sequitur :

Et nomen secundo Gehon. Iste est, qui circuit terram Æthiopiæ. Gehon *abruptum* dicitur, Æthiopia vero *tenebræ* interpretatur. Quid **184** ergo per *Gehon*, qui *abruptum* dicitur, nisi virtus illa, quæ nuncupatur fortitudo, accipitur? Fortis procul dubio tunc homo dici poterit, cum viriliter agens in Domino omnia, quæ antea dilexit, quæ malesuavi delectatione in occultis suis nutrivit et fovit, fortiter de corpore suo abrumpit. *Gehon*, id est, fortitudo, *omnem terram Æthiopiæ circuit*, cum tenebrosa opera pravæ consuetudinis fortiter, ut diximus, homo de corpore suo abrumpit.

Nomen vero fluvii tertii Tygris : ipse vadit contra Assyrios. Tygris *sagitta*, Assyrii vero *dirigentes* interpretantur. Bene ergo per Tygrim, virtutem illam, quæ temperantia vocatur, intelligere possumus. Per *Assyrios* vero maligni accipiendi sunt spiritus. *Tygris* enim, id est temperantia, *contra Assyrios vadit*, quia homo, qui temperare se a vitiis novit, quasi sagittam mittit contra malignos spiritus, cum fortiter resistit pravis eorum suggestionibus.

Fluvius autem *quartus ipse est Euphrates*. Per *Euphraten*, qui *frugifer* dicitur, virtutem illam designare possumus, quæ justitia nominatur. Quicunque enim tribus supra nominatis virtutum gradibus Domino auxiliante firmiter stare piis decertaverit laboribus; hic quandoque virtutem illam adipisci merebitur, ut justitiæ laudabiliter vivens fructum bonorum de se indesinenter Domino proferat, ita ut etiam *frugifer* recte dici valeat.

In his etiam quatuor fluminibus, quatuor ordines accipere possumus : Per primum *Phison* intelligentes, per secundum *Gehon* pœnitentes, per tertium *Tygrim* pugnantes, per quartum *Euphratem* consummantes. In his ergo quatuor ordinibus proficere habet quisque electus, id est ut primum prudenter intelligat qualiter clementiam Conditoris s offenderit, qualemque satisfactionem pro peccatis Deo debeat. Dein vero cum jam per pœnitentiam se mactare cœperit, fortitudo ei satis necessaria erit, jam per lamenta fortis pœnitentiæ inolita pravæ consuetudinis opera fortiter abrumpat de suo corpore. Postquam autem in hujus sortis pœnitentiæ constantia carnis jam aliquantulum mortificaverit vitia, quia a malignorum spirituum tentationibus liber nequaquam esse **185** poterit, armaturam virtutis illius, quæ temperantia dicitur, inducere necesse habebit ut videlicet contra adversariorum jacula, quasi sagitta ipsa prævolet temperantia. Nam quasi sagitta quædam eorum obviat jaculis, dum fortiter homo resistendo vitiis præcavere semper studet insidias eorum pravæ suggestionis. Qui ergo ita fortis factus fuerit in prælio, opus jam habet ut cursum boni certaminis consummare contendat in Domino. Si enim in justitia, quam semel apprehenderit, vivere usque ad mortem studuerit, per bonos justitiæ fructus, frugifer jam recte dici poterit. Quicunque vero per hæc virtutum dona sublimatus a Domino fuerit in spiritali vita, huic etiam congrue convenit, quod sequens hic littera mox subjungit :

Tulit ergo Dominus Deus hominem quem formaverat, et posuit eum in paradisum voluptatis. Quod enim dicit *tulit eum*, idem est ac si dixisset attollit eum in spiritali vita, sublimem videlicet eum faciendo per crescentia in dies virtutum merita. Attollit, inquam, eum a terrenis desideriis ad cœlestia desideranda, ut nihil jam ei in præsenti libeat, sed totam animi intentionem, totam spem suam et desiderium sursum, ubi ipse manet, figat.

Ut operaretur, inquit, *et custodiret illum* [cod. *illud*.] Non enim otio vacare habet, quem Dominus ita in spiritali vita attollit et sublevat, sed necesse est ut operanti in se gratiæ divinæ ipse etiam cooperator existat, id est *ut operetur* opera virtutis *et custodiat*, ne perdat per elationem mentis.

Præcepitque ei dicens : Ex omni ligno paradisi comede ; de ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas. Quasi dicat : Omnia virtuosæ operationis studia, omnia piæ conversationis exempla, quæ in spiritali actitari cernes vita, vigilantis animi intentione sedulus imitator exsequere ; *de ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas*, hoc est propriam implere voluntatem nunquam appetas, ut videlicet dona meæ largitatis tuis ascribendo meritis, gloriam requiras humanæ laudis.

De ligno, inquit, *scientiæ boni et mali ne comedas*. Scientia boni et mali experientia est boni et mali. Aliud est scire malum, atque aliud experiri malum. Scire siquidem malum **186** et non experiri, est malo nequaquam consentire ; experiri vero malum est in malam operationem transire. Scit malum et non experitur, qui malis operibus resistere nititur. Prohibet ergo Dominus hominem, ne de ligno scientiæ boni et mali comedat, id est ne ita propria voluntate abutatur, ut malum quandoque experiatur. Malum vero experitur, cum ea quæ propria voluntas suggerit, opere implere non metuit, cum pro his, quæ divinitus sibi sunt collata, inaniter extolli desiderat laude humana.

Et notandum quod dicitur : *Nec comedas.* Quidquid enim homo masticando comederit, aptatum quodammodo corpori adhærebit. Et est quasi dicat : Si appetitus humani favoris mentem tuam illiciat, vide *ne comedas*, id est ne ita delectabiliter suscipias, ne tandiu cogitationes versari in corde tuo permittas, ut delectationi quandoque consentias. At si delectatio prævaluerit, tibique vim inferendo de ligno scientiæ boni et mali comedere persuaserit, *in quacunque die comederis ex eo, morte morieris.* In quacunque die, quacunque nocte, hora, vel momento comederis ex eo, voluntariæ delectationi consentiendo, *morte morieris*, hoc est ita in te mortificare contendas, ut et tu peccato mortuus prorsus fias.

Potest et aliter intelligi quod dicit : *In quacunque die comederis ex eo, morte morieris.* Si, inquam, de ligno scientiæ boni et mali comederis, propriæ voluntati usque ad consensum obediendo, *in quacunque die*, id est quandocunque dies alicujus scientiæ, alicujus visitationis Divinæ ortus fuerit in tuo corde, *morte morieris* hoc est veraciter agnoscendo, digne pœnitendo sic in te mortificare contende, ut nullam ultra potentiam in te videatur exercere.

Dixit quoque Dominus Deus : Non est bonum hominem esse solum. Quoniam enim homo quilibet, qui tanta virtutum excellentia a Deo est sublimatus, si nullos tentationum in se sentiret motus facile extollendo se super se vitio subjaceret jactantiæ ipse cum providentia disponens omnia, salutem ejus prævidens dicit : *Non est bonum hominem esse solum.* Ac si dicat : Homo iste qui in tam eminentis vitæ consistit gloria; solus quodammodo est, quia nihil de propriæ **187** vilitatis sentit miseria. Dignitates enim virtutum, quas in se habet, non sunt ejus propriæ, nec propriis ejus meritis ascribendæ quia solummodo ex larga nostra eas habet bonitate, qui si ita solus permanserit, nilque fragilitatis, quod suum est, in se senserit, virtutes, quas ex nostra habet largitate, nobis ingratus existens, virtuti ascribet propriæ. Ergo quia *non est bonum*, ita, *solum eum esse*, *faciamus ei adjutorium simile sui*, tale scilicet adjutorium faciamus, non quod impedimentum ei ingerat, sed quod ad pios labores excitari faciat. Tale etiam adjutorium, non quod firmitatem bonorum ejus operum elidat et destruat, sed quod robustius eum in soliditate stare faciat. *Simile sui*, id est ut aliquid tale in seipso sentiat, quo propriæ fragilitatis memor, non de virtutum gratia superbire, sed de nostræ bonitatis auxilio discat humiliter confidere. Unde etiam bene subditur.

Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, et universis volatilibus cœli adduxit ea ad Adam. Format Omnipotens cuncta animantia et volatilia cœli, et adducit ea ad Adam, cum oculos humani cordis ad hoc aperit, ut animalem et volubilem vitam suam recognoscere homo possit, ut qui prius quasi justus sibimetipsi videbatur et perfectus, immunem se æstimans a pravis operibus, jam tandem divinitus inspiratus considerare valeat

A quam animalis, quam volubilis vita ipsius fuerit quod videlicet, quasi animal brutum, et sine sensu irrationabiliter vivendo in luto vitiorum sese immerserit, quod etiam volubili vita, id est tumida et superba conversatione multum Conditori suo deliquerit.

Ut videret, inquit, *quid vocaret ea.* Formatis his omnibus in corde hominis, hoc est priusquam homo hæc omnia perspexerit oculo providæ considerationis, videre vult omnipotens Dominus *quid vocaret ea*, id est videre et cognoscere desiderat quomodo pro his homo satisfacere decernat, quomodo per puram confessionem turpis perpetrationis opera veraciter studeat revelare, quomodo tumidæ mentis elationem districte non differat accusare, sicque demum piis laborum studiis pro his omnibus Deo satisfacere. B Si enim peccata sua homo veraciter agnoscens, pure et perfecte confiteri non confunditur, plenæ indulgentiæ gratiam adipisci merebitur. **188** Quod recte subsequens ordo verborum insinuare videtur.

Omne enim, quod vocavit Adam animæ viventis, ipsum est nomen ejus. Qualem revera in confessione satisfactionem homo exhibuerit, talem in remissione peccatorum gratiam habebit. Qualis enim confessio, talis erit et remissio. Sequitur :

Appellavitque Adam nominibus suis cuncta animantia terræ, et universa volatilia cœli et omnes bestias terræ. Agnitis enim per Dei gratiam peccatorum sordibus innumeris incipit humiliter confiteri adversum se injustitiam suam; imponitque C cunctis animantibus et volatilibus cœli et bestiis terræ nomina sua, cum singula quæque peccata nominatim, ut ita dicam, proferre non metuit in confessione pura.

Adam vero non inveniebatur adjutor similis ejus. Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam. Sopor in Adam mittitur, cum per occultum Dei judicium torpescere in bonis operibus homo permittitur. Quid est enim desidia boni operis nisi sopor quidam pigræ mentis ? De qua torporis ignavia, si excutere se nequaquam studet mens humana, fit nonnunquam ut etiam ipsa ei virtus auferatur, qua bonis prius actibus insistebat ut nihil jam in se nisi carnalis fragilitatis mollitiem inveniat, quod D bene sensus sequentis litteræ insinuat :

Cumque obdormiret, tulit unam de costis ejus. Costa enim ei tollitur, cum fortitudo, qua prius utiliter operari solitus erat subtrahitur. Itaque virtus carne repletur cum carnis fragilitatem in se sentire incipit, qui dudum firmus et stabilis ad virtutum exercitia exstitit.

Et ædificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem, et adduxit eam ad Adam. Ædificatur etiam ipsa costa in mulierem, cum, sicut diximus, ipse homo, qui aliquando summæ virtutis gloria pollere videbatur muliebri mollitiæ ita subjicitur, ut nihil jam quod virtutis est in se sentiat, sed, ut ita dicam, ad omnia spiritualium virtutum studia, quasi mollis et infirmus existat. Du-

citur etiam hæc mulier ad Adam, cum per divinæ visitationis gratiam homo ad se intra se reducitur, ut vigilanti cordis intuitu, calamitatis suæ consideret miseriam. Et revera salvandus quisque, cum ita a virtuosis operibus, a dulcedine desideratæ contemplationis minui se cognoverit citius ad seipsum reversus, unde tantæ dejectionis miseriam promeruerit, provide recognoscit. Et quemadmodum hic sequitur, gemebunda cordis voce seipsum intra se alloquitur.

189 *Dixitque Adam : Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea.* Ac si dicat : Tumor elatæ mentis, qui graviter me interius dejectum a Domino nunc gravat et deprimit, ut nec corporalis exercitatio, nec præ mentis intentio exerceri possit more solito, *de meis ossibus*, id est meis robustis exortus est operibus. Quoniam enim post acceptam divini muneris gratiam laudem humanam requirens exaltavi inaniter animam meam, ideo tantæ vanitatis gloriatio fortiter me interius dejectum retrahit a solitæ operationis studio. *Et caro*, inquit, *de carne mea*. Infirmitas etiam, quæ jam fortitudinem meam enervavit, de illa male infirmæ carnis fragilitate venit, quod videlicet legem carnis repugnantem spiritui subjicere legi mentis nequaquam curavi.

Hæc vocabitur virago, quoniam de viro suo sumpta est. Hæc ergo infirmitas, hæc, inquam, infirmæ carnis fragilitas vocabitur *virago*, id est virum agens, pro virili scilicet opere humanæ laudis favorem ab animo repellens, *quoniam de viro sumpta est*, de virili scilicet **190** operatione, de virtuosæ conversationis sublimitate. Et quoniam quandiu corpus hoc, quod corrumpitur, homo portat, conflictus iste inter spiritum et animam non cessat, quid maxime ei agendum sit, verbis sequentibus colligi poterit.

Quamobrem relinquet homo patrem, et matrem suam, et adhærebit uxori suæ. Hoc loco per *patrem* spiritum, per *matrem* vero carnem per *uxorem* autem ipsam carnis intelligere possumus mollitiem. Necesse est ergo, ut *relinquat homo patrem et matrem, et suæ adhæreat uxori*, ut videlicet elationem spiritus, alta nonnunquam sapientis potenter in se deprimat, et carnis mollitiem, malæ securitatis quietem suggerentem, viriliter semper agens despiciat, suæque fragilitatis memor nunquam de bonis operibus sese extollat, sed humiliter in Deo et in potentia virtutis ejus spem suam ponat. *Et erunt duo in carne una*, spiritus scilicet et anima humanæ fragilitatis conscii, semper coram Domino cognoscunt se debere humiliari.

HOMILIA XXIII.

IN DOMINICAM SEXAGESIMÆ PRIMA.

Cum turba plurima conveniret, et de civitatibus properarent ad eum, dixit per similitudinem : Exiit qui seminat seminare semen suum (*Luc.* VIII).

Homo iste, *qui exiit seminare semen suum*, significat ipsum qui hæc loquitur, Dominum nostrum Jesum Christum. Qui bene homini seminanti comparatur. Ipse enim est qui totum quod est seminavit. Ipse est qui cuncta existentia formavit et creavit. Sed quare dicit : *Exiit*? Ubi fuit vel unde *exiit*? Intus quodammodo erat, quia invisibilis Deus in invisibili divinitatis suæ substantia hominibus incognitus manebat. *Exiit* vero, quando descendens de sinu Patris in uterum Virginis matris, humanitatis formam assumpsit, per quam invisibilis Deus visibilis homo mundo apparuit. Sed et alio modo intus fuit, quando in ipsa assumptæ humanitatis forma annis triginta ita se occultavit, quod nec signis nec doctrina divinitatis suæ omnipotentiam mundo manifestavit. Sed *seminare semen suum exiit*, quando coruscantibus miraculis mundo prædicare cœpit. *Exit* etiam quotidie in prædicatoribus suis, in doctoribus veritatis *seminare semen suum*, dum verba doctorum sua misericordia prævenit ad corda auditorum. Nam frustra laborat omnis qui prædicat, nisi Deus omnipotens in benedictionibus suis cor hominis præveniat et aperiat. Ipse enim est clavis David, qui aperit et nemo claudit, claudit, et nemo aperit.

191 Et dum seminat, aliud cecidit secus viam, et *conculcatum est, et volucres cœli comederunt illud*. Verba ista quæ, ut ait beatus Gregorius, per semetipsam Veritas exposuit, discutere humana fragilitas non præsumit (27). Sed tamen necessarium nobis esset, si quis eamdem ejus expositionem nobis planiorem facere posset. Illis quidem electis discipulis suis, sanctis apostolis qui sapientes erant, utpote qui vivo fonti æternæ Sapientiæ et scientiæ die ac nocte communicantes multa de paucis comprehendebant, et intelligebant; pauca ista sufficiebant ; nobis vero miseris, qui tardi corde sumus, et de multis verbis vix pauca interdum capimus et intelligimus, non dicam parabola, sed ipsa parabolæ expositio nimis nobis est subobscura.

Sed si apostolicæ vitæ imitatores essemus, verbum, quod respondebat illis, mysterium parabolæ hujus sciscitantibus, ad nos nihilominus dictum esse sperare possemus. *Vobis*, inquit, *datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis.* Verba ista loquebatur illis tunc corporaliter; verba eadem loquitur nobis spiritalibus, videlicet hominibus adhuc quotidie spiritaliter. Per *mysterium regni Dei* mysterium sacræ Scripturæ accipitur, quæ regno Dei non incongrue assimilatur, cum in sancta Scriptura vere Deus sit, ex sancta Scriptura vere Deus agnoscatur. Sancta Scriptura, quæ spiritalibus loquitur regni Dei mysteria, sæcularibus hominibus est quasi *parabola*.

Et notandum quod dicit : *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei*. Nosse quidem mysterium regni Dei, nosse mysterium sacræ Scripturæ nobis datum esse affirmat, non ut tantum sciamus, sed ut ea quæ scimus, opere adimplere studeamus. Scire enim Scripturas nobis non proderit, si bonæ scien-

(27) S. Gregor. XL Homil. in Evang. lib. I, hom. 15, tom. LXXVI Patrologiæ.

tiæ bona operatio non accedit. Obest etiam magis quam prosit, testante Domino, qui ait : *Servus sciens voluntatem domini sui, et non faciens, vapulabit multis* (*Luc.* XII, 47); et apostolo : *Scienti bonum et non facienti, peccatum est illi* (*Jac.* IV, 17).

Quod autem subjunxit : *Ut videntes non videant, et audientes non intelligant*, **192** per hoc doctos et indoctos non incongrue accipi posse arbitramur. Scientes enim Scripturæ mysteria recte *videntes* appellantur : nescientes, sed ab aliis verbum Dei exspectantes, recte per *audientes* denotantur. *Videntes non vident*, qui legendo Scripturas vident quidem per scientiam, sed non vident per experientiam. *Audientes non intelligunt*, qui audiunt per doctrinam, sed non sapiunt per efficaciam. His breviter prælibatis videamus quæ sint tria illa quæ proposuit nobis in hac lectione æterna Dei Sapientia. Primo posuit *viam*, post viam *petram*, post petram *spinas*.

Et dum seminat, inquit, *aliud cecidit secus viam, et conculcatum est, et volucres cœli comederunt illud. Et aliud cecidit supra petram, et natum aruit, quia non habebat humorem. Et aliud cecidit inter spinas, et spinæ exortæ simul suffocaverunt illud.*

Per *viam* intelligere possumus mentis negligentiam, per *petram* cordis duritiam, per *spinas* cordis avaritiam. Hæc sunt tria illa, per quæ seminatum in agro cordis nostri semen Verbi Dei deperit, quod ad ortum per bonæ operationis fructum prodire non poterit. *Secus viam* semen jactatur, quando negligenti verbum Dei prædicatur. Ait ergo Dominus : *Qui autem secus viam sunt, hi sunt qui audiunt, deinde venit diabolus, et tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant. Secus viam* sunt qui circa custodiam sui solliciti non sunt. *Omni custodia*, inquit Salomon, *serva cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit* (*Prov.* IV, 23). Conculcatur quidquid secus viam illam seminatur quia ubi submoto custode, sollicita utique mentis vigilantia, cogitationes noxiæ, inutiles et vanæ vicissim sibi succedunt, licenter exeunt et incedunt, sit quasi trita via cor hominis, in quod, et si semen verbi Dei ceciderit, germinare ibi non poterit, sed *volucres cœli comedunt illud*, quia spiritus immundi, per *volucres* designati, per suggestiones et immundas cogitationes ingredientes et egredientes, etiam si quid boni subortum in corde illo deprehendunt, devastant atque depascunt.

Post viam recte posuit *petram*, per **193** quam intelligimus cordis duritiam : quia dum mens torpens et negligens nulla se stringit custodia, justo Dei judicio ita induratur et excæcatur in semetipsa, quod etiam, cum voluerit, nec per recordationem peccatorum, nec per desiderium æternorum redire ad se intra se poterit. Unde recte Dominus, postquam ait : *Et aliud cecidit supra petram*, adjecit : *Et natum aruit, quia non habebat humorem*. Humor iste humor est lacryma-

A rum, quo conceptum semen Verbi Dei assidue est irrigandum. Concipitur enim Verbum Dei, quando auditur; nascitur quando ad effectum bonæ actionis perducitur. Sed si humor lacrymarum deerit, *natum arescit*, quia quidquid vel bonæ voluntatis vel bonæ actionis ex auditu verbi Dei homo parit, ex ariditate duri cordis quasi natum arescit, ne crescat, ne in fructum perfectæ actionis convalescat. Ait ergo Dominus:

Nam qui supra petram, hi sunt qui cum audierint, cum gaudio suscipiunt verbum; et hi radices non habent quia ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt. Sunt nonnulli qui *cum gaudio verbum Dei suscipiunt*, hi videlicet qui libenter audiunt, sequenda quæ audierint proponunt. Sed quia

B *petra* sunt, *et radices non habent* quia humilitatis et perseverantiæ virtute, quod sunt *radices*, carent, implere aliquando et factis exsequi audita incipiunt, dum vero tentatio ingruerit, si ira vel invidia mentem apprehenderit, si prosperitas, si adversitas aliqua se obtulerit, bene cœpta relinquunt, ad pristinam vitiorum instabilitatis et inconstantiæ consuetudinem recurrunt, quod est *ad tempus credere, et in tempore tentationis recedere*. Et quia tale est cor hominis, quod nunquam esse valet quin aliquid diligat, dum Deum et ea quæ Dei sunt negligit, et contemnit, mundum et ea quæ mundi sunt diligere incipit, adipisci contendit. Unde post viam, post petram recte posuit *spinas*.

Et aliud, inquit, *cecidit inter spinas, et simul*

C *exortæ spinæ suffocaverunt illud*. Per *spinas* intelligendam esse diximus avaritiam. Est autem avaritia non solum pecuniæ, sed et honoris et voluptatis, sicut probat ipse auctor veritatis **194** dicens : *Quod autem in spinis cecidit, hi sunt qui audierunt, et sollicitudinibus et divitiis et voluptatibus vitæ euntes suffocantur, et non referunt fructum.* Quid sunt sollicitudines, divitiæ et voluptates vitæ nisi avaritia! Hi sunt tres tyranni illi, qui nos impugnant, qui a faciendo et proferendo fructu justitiæ et veritatis semper nos revocant et retardant, diabolus videlicet mundus, et caro quam portamus. Impugnat nos diabolus sollicitudinibus, dum suis non sollicitat et perturbat suggestionibus. Impugnat nos mun-

D dus divitiis, favoribus scilicet et honoribus vitæ præsentis. Impugnat nos caro nostra voluptatibus, ut resistentes spiritui facta carnis diligamus. Hæ sunt spinæ male pungentes, quæ si in corde hominis radicem fixerint, etiamsi semen verbi Dei ibi seminatur et oritur, *simul exortæ spinæ suffocant* illud, ut *fructum non referat*, ut ad bonæ operationis studium consurgere non valeat.

Contra tria ista *viam*, *petram* et *spinas* orabat Psalmista dicens : *Inclina cor meum in testimonia tua, et non in avaritiam* (*Psal.* CXVIII, 36). Contra *viam* posuit verbum hoc *inclina*, per quod humilitas designatur quia cor, in humilitate fundatum, arcet a se per humilitatis virtutem malignorum spirituum introitum, ne sit invium vel pervium suggestionibus

et immissionibus eorum. Contra viam, contra mentis negligentiam oravit dicens *inclina cor meum*. Contra *petram*, contra cordis duritiam oravit adjiciens *in testimonia tua*, per quæ sacræ Scripturæ meditatio exprimitur quia nihil est quod cor hominis ita emolliat sicut testimoniorum Dei meditatio, ex qua generatur sollicita mandatorum Dei observatio. Postquam duo ista, *viam* scilicet et *petram*, per humilitatem et mandatorum Dei observationem homo declinaverit, tertium, quod est avaritia, ei non prævalebit. Cor enim humile, et in observatione mandatorum Dei sollicitum, etsi a diabolo sollicitudinibus, a mundo divitiis et honoribus, a carne voluptatibus impugnatur, non tamen superatur, sed convalescente in eo semine verbi Dei ad referendum dignum Deo fructum quotidie animatur. Subjunxit ergo Dominus, et ait :

195 *Et aliud cecidit in terram bonam, et ortum ecit fructum centuplum.* Quid per *terram bonam* et *fructum centuplum* significaverit, exponit ipse, cum dicit : *Quod autem in terram bonam, hi sunt qui in corde bono et optimo audientes verbum Dei retinent, et fructum afferunt in patientia.* Terra bona bonus homo designatur *corde bono* cor timoris, corde optimo cor amoris figuraliter denotatur. Et recte duo ista timor utique et amor duobus præcedentibus, viæ scilicet et petræ opponuntur contra viam timor, contra petram amor. Timor enim Dei stringit hominem, ne sit via, ne sit negligens in cordis custodia ; amor Dei emollit hominem, ne sit petra, petrosa videlicet terra, ab humore internæ dulcedinis torrida. Igitur *cor bonum* dicere possumus cor munitum per custodiam, *cor optimum* cor mollitum per amoris gratiam.

Et bene dicit : *Qui in corde bono et optimo audientes verbum retinent. Corde bono* verbum Dei *auditur, corde optimo retinetur.* Bonum enim est verbum Dei audire, optimum est retinere, hoc est operibus adimplere. Ex his duobus, ex corde bono et optimo, ex timore et amore divino, *fructus* ille nascitur, quo Deus delectatur et pascitur. Fructus iste fructus est dilectionis Dei et proximi, qui ideo per *fructum centuplum* designatur, quia dum super omnia Deus diligitur, dum propter Deum dilectio proximi in omnibus custoditur, merces æternæ beatitudinis centuplicatur. Sed quia nec dilectio Dei, nec dilectio proximi sine adversitatibus et perturbationibus vitæ præsentis administrari poterit, subjungit adhuc Dominus, et ait :

Et fructum afferunt in patientia. Admonet nos paucis his verbis Dominus, **196** ut neque prosperitatibus, neque adversitatibus moti, in dilectione Dei torpeamus, nullis diversarum rerum intercidentibus occasionum perturbationibus a dilectione Dei deficiamus, sed semper *fructum* nostrum *in patientia* afferamus. Nonne fructum hunc, fructum dilectionis Dei et proximi vas electionis, Paulus, dico apostolus in patientia attulit, qui propter dilectionem Dei, qua succensus erat, ita in dilectione proximi ardebat, quod nullis præsentis vitæ adversitatibus vel laboribus ab intentione sua, qua circa salutem proximorum laborabat revocari poterat ? Quid enim pertulerit, quomodo plus omnibus Christi discipulis laboraverit, enumerat ipse in lectione hodierna, qua dicit : *A Judæis quinquies quadragenas una minus accepi. Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci. Nocte ac die in profundo maris fui, in itineribus sæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus, in labore et ærumna, in vigiliis multis, in frigore et nuditate.* Hunc talem et tantum virum et nos, fratres charissimi, qui imitatores esse debemus vitæ apostolicæ, imitemur, studeamus ne simus *via*, ne simus *petra*, ne *spinæ* simus suffocantes in nobis semen verbi Dei, ne simus quibus *in parabola* loquatur Dominus, sed quibus mysterium regni sui aperiat, in quo doceamur, ut terra bona simus quæ in corde bono et optimo verbum Dei audiat et retineat, et fructum in patientia afferat qui sine fine maneat. Quod ipse præstare dignetur qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

197 HOMILIA XXIV.

IN DOMINICAM QUINQUAGESIMÆ PRIMA.

Assumpsit Jesus duodecim discipulos suos, et ait illis : Ecce, ascendimus Jerosolymam, et consummabuntur omnia, quæ dicta sunt per prophetas de Filio hominis (*Luc.* XVIII).

Temeritatis sive præsumptionis a plerisque redargui veremur, eo quod super verba et sententias beati Gregorii, egregii et eximii doctoris, aliquid loqui aut exponere attentamus. Sed considerantes quia beatus Gregorius non spiritalibus, sed sæcularibus pro loco et statu temporis tunc loquebatur, nil honori vel laudi ejus in hoc subtrahere nos credimus, si ad hoc studium laboris et sermonis nostri impendimus, ut quæ ab eo prætermissa, seu popularibus, uti illis conveniebant, exposita sunt, ad utilitatem et ædificationem in monasteriis conversantium convertamus. Scimus enim, quia nos imperiti et pauperes ingenio nequaquam ad intellectum et sapientiam ejus pertingere valemus, sed ejus vestigia sana fide, sanoque intellectu humiliter sequentes ad ædificationem Deo servientium, prout Dominus donaverit, verba humilitatis et charitatis proferimus. Ait ergo evangelista :

Assumpsit Jesus duodecim discipulos suos, et ait illis : Ecce ascendimus Jerosolymam, et consummabuntur omnia quæ dicta sunt per prophetas de Filio hominis. Dominus et Salvator noster Jesus hominem ad æternam vitam prædestinatum tunc assumit ad se, qui prius longe fuerat a se, dum eum in salutari suo visitans de salute sua facit esse sollicitum, et sic per internam inspirationem voluntatem ei tribuit, ut relicto sæculo spiritalis scholam conversationis adeat. Sed ad hanc scholam solus pervenire non debet, sed profecto cum *duodecim discipulis* illuc pro-

perare oportet. Decem autem discipuli sensus interioris et exterioris hominis possunt accipi, duo vero, quæ restant, corpus et anima valet intelligi, cum quibus ad conversionem **198** veniens ibidem Deo serviturus divinæ se subjiciat disciplinæ. Verum quia valde difficile et laboriosum est homini sæculum relinquere, et spiritalis districtionis propositum adire, continuo consolatoria verba proponit ei Deus dicens

Ecce ascendimus Jerosolymam. Jerosolyma *visio pacis* dicitur, in cujus figura tota simul Ecclesia, sive singulariter unaquæque beata congregatio, vel quælibet fidelis anima potest accipi. Sed hoc in loco congregatio fidelium valet intelligi. Ad hanc itaque cum gravis et laboriosus sit ascensus, longe gravior et laboriosior restat conflictus. Quia sicut ille qui circum intrat, nullam finitur requiem habere, sed indefesse adversarium aut ferire tentat, aut feriri ab eo formidat, ita revera in spiritali agitur luctamine, in quo usque ad exitum nostrum cum diabolo pugnaturi sumus ubi, si remissius egerimus tentatori succumbimus; si autem per Dei gratiam ferventiores fuerimus, tentatori resistimus. Unde Salomon ait : *Fili, accedens ad servitutem Dei sta in timore, et præpara animam tuam ad tentationem* (*Eccli.* 2, 1). Accedere autem ad servitutem Dei, hoc est ascendere in Jerosolymam. Et quia ad hanc Jerosolymam quisquis pervenerit, nequaquam sine tentationum labore esse poterit, recte consolatur eum Deus his verbis dicens : *Ecce ascendimus Jerosolymam.* Ac si dicat : Ne timeas, nec expavescas. Non enim tu solus ascendes illuc, sed ecce, ego tecum ascendam, tecum ero in tribulatione, omnem laborem tuum tecum portabo, quidquid illic patieris, tecum sustinebo. De his quoque tentationibus, quas in hac vita passurus est homo, mox recte subjungitur :

199 *Et consummabuntur omnia quæ scripta sunt per prophetas de Filio hominis.* Quia Christus Jesus, mediator Dei et hominum, caput est nostrum, nos vero membra ejus sumus, omnia quæ per prophetas prædicta sunt de Filio hominis, in ipso quidem capite nostro quasi initiata, quotidie et usque in finem sæculi in membris ejus habent consummari, quemadmodum Paulus apostolus dicit : *Suppleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea* (*Col.* 1, 24). Nam quidquid de Domino Jesu prædictum est, et in ipsius persona non est corporaliter adimpletum, in electis ejus quotidie invisibiliter consummabitur. Sed ut hoc, quod diximus, fiat evidentius, perstringamus aliqua, quæ in ipso quidem gesta sunt corporaliter, in nobis autem spiritaliter debent consummari. Nam quod in tenera adhuc ætate positus Herodis declinans sævitiam, in Ægyptum a parentibus propriis est delatus, jam pridem de illo fuerat prophetatum, et in ipso corporaliter adimpletum. Sed significabatur tunc quomodo beatus quisque in tenera adhuc ætate positus, in primordio videlicet conversionis suæ, sive bonorum operum, nondum perfecta utens justitia, fugere debeat in Ægyptum,

A hoc est in *tenebras.* Debet namque a malignis spiritibus, sive a favore humano abscondere bona opera sua, ne si divulgata fuerint, ab humana laude, citius perdantur. Hæc, ut diximus, de Domino Jesu prophetata, et in ipso completa, in fidelibus quoque ejus implebuntur, et cætera perplura, quæ enumerare, longum est, usque ad finem sæculi in membris ejus sibi per fidem incorporatis consummabuntur. Unde et sequitur :

Tradetur enim gentibus, et illudetur, et flagellabitur et conspuetur. In his quatuor verbis : *Tradetur, illudetur, flagellabitur, conspuetur*, quatuor peccati incrementa accipi possunt, suggestio videlicet peccati, delectatio, consensus et operatio, per quæ maligni spiritus homines tentant et decipiunt.
B *Traditur* enim homo *gentibus*, id est vitiis per suggestionem peccati, *illuditur* per delectationem peccati, *flagellatur* per consensum peccati, *conspuitur* per operationem peccati.

Et notandum quod non inconvenienter suggestio traditioni, delectatio **200** illusioni, consensus flagellis, operatio sputis conveniat. Sicut enim qui aliquem tradere desiderat, primo agit suggestionibus, quomodo eum tradere valeat; sic quoque maligni spiritus primum aggrediuntur nos suggestionibus suis, ut tradant vitiis. Si suggerentibus eis in delectationem peccati labimur, irrisione illorum et opprobrio expositi vere *illudimur.* Si vero delectati peccato ad consensum usque inclinamur, ibi procul dubio *flagellamur.* Quia sicut flagellis visibiliter caro
C sauciatur, sic per consensum peccati invisibiliter anima vulneratur. Vulnerati tandem *conspuimur*, cum ad ipsam peccati operationem perducimur, quæ ejecto ab ore sputo non inconvenienter aptatur. Licet enim *traditi* per suggestionem, licet illusi per delectationem, licet *flagellati* per consensum, sumus tamen adhuc in corpore Christi. Cum vero ad apertam peccati criminalis operationem deciderimus, jam a corpore Christi quasi sputum ab ore ejici incipimus quia per immunditiam peccati abominabiles Deo efficimur Sequitur :

Et postquam flagellaverint, occident eum et die tertia resurget. Postquam igitur flagellatus fuerit, occidetur per peccati defensionem, dum is qui pec-
D cata prius cum timore et tremore agere consueverat, ad hoc usque perveniat, ut non solum peccata absque timore perpetrans negligat, verum et defendere incipiat. Sed quia novit Dominus qui sunt ejus, et quoniam secundum Pauli apostoli sententiam *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, quia quos præscivit, hos et prædestinavit; quos autem prædestinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, hos et justificavit; quos autem justificavit, hos et magnificavit* (*Rom.* VIII, 28). Iste tamen miserabiliter occisus secundum evangelicam narrationem *tertia die resurget.* Prima dies est peccati cognitio, secunda peccati confessio, tertia peccati satisfactio, qua peracta iste qui occisus fuerat, *resurget.* Sequitur :

Et ipsi horum nihil intellexerunt, et erat verbum

istud absconditum ab eis, et non intelligebant quæ dicebantur. In primordio quidem conversionis suæ nihil horum quæ prædicta sunt, homo intelligit. Nam nescit utrum ad damnationem vel ad salutem ei proveniat id quod petitur. In amaritudine **201** itaque positus quærit ut saltem verbo bono ab aliquo recreetur, quærit et in verbo Domini unde consoletur. Sed accedente prædicatione *verbum* est *absconditum* ab oculis ejus, dulcedo utique, quæ est in verbo Dei. Audit quidem vel legit verbum Domini, sicut multi de sæculo venientes litterarum studiis bene instructi legunt Scripturas et intelligunt, sed per experientiam nondum intelligunt. Qualiter autem fieri possit ut hæc omnia intelligant, solius Dei beneficio et providentia agitur. Unde et subjungitur :

Factum est autem, cum appropinquaret Jericho, cæcus quidam sedebat secus viam mendicans. Factum istud mirabile nullus operari poterit in homine nisi ille solus, cujus omnipotentiæ subest omne quod voluerit. Sed *factum* istud tunc in homine implebitur, cum *appropinquare Jericho* Salvator cœperit. Jericho *luna* interpretatur, per quam instabilis anima potest figurari, quæ per instabilitatem suam quasi luna mutatur, cui Jesus per gratiam appropinquat. *Via* est Christus, secus quam *sedet* ille, qui cæcitatem suam per humilitatem recognoscit. Miranda itaque est virtus humilitatis, quam etiam Paulus apostolus ita fidelibus commendare curavit, ut eam virtutem Christi cognominaret. *Ut inhabitet*, inquit, *in me virtus Christi* (*II Cor.* XII, 9). Qui cum omnes habeat virtutes, et jam ipsa virtus Dei sit et sapientia, hanc tamen virtutem familiariter sibi vindicat dicens apostolis suis : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI, 29). Hanc solam cum mansuetudine, quod est patientia, a se discere præcepit, quia revera patientia filia est humilitatis, cui semper contraria est pestis superbiæ. Per hanc quippe angelus de cœlo in terram projectus est, quia cum esset in magna sublimitate conditus, dum humili voluntate Deo subjici noluit, in hac sublimitate stare diu non potuit. Sic primus homo Adam ad imaginem et similitudinem Dei formatus, et cum honore in paradiso positus, quia superbe contra Deum se erexit, in hujus mundi exsilium expulsus est. Unde necessaria valde est virtus humilitatis, quam rursus Psalmista commendat dicens : *Cor contritum et humiliatum Deus non despicies.* Quisquis **202** ergo, ut prædiximus, cæcitatem suam in humilitate recognoscit, *secus viam*, quod est Christus, *sedere* dicitur. Qui nimirum illic otiosus sedere non permittitur, sed exemplo cæci hujus mendicare debet.

Sed considerandum nobis est quia ille qui mendicat, nil habens in domo propria, ab aliis inopiæ suæ quærit supplementum. Sed etsi parum quid habeat, tamen non sufficere sibi credens, ob hoc mendicat, ut magis magisque abundare queat. Ita ergo iste, qui cæcitatem miseræ vitæ suæ humiliter recognoscit, ab aliis hominibus, quos in donis Dei se ditiores deprehendit esse, orationis quærit subsidium, ut eorum precibus adjutus divinæ gratiæ consequatur auxilium. Habet etiam pro magno, si quando parva quodammodo miserationis Dominicæ visitatione consolatur. Sequitur :

Et cum audiret turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc esset. Audit nimirum in hac humilitate positus *turbam prætereuntem*, cum intelligit peccata sua præterita, quibus diu ante Deum offenderat. Sedet ergo se humiliando, mendicat desiderando, *interrogat* orando, clamat peccata confitendo. *Interrogabat quid hoc esset.* Orat utique Deum, ut gratia ejus opitulante sic peccata sua pœniteat et defleat, sicut contra Deum se egisse meminit.

Dixerunt autem ei quod Jesus Nazarenus transiret. Et clamabat dicens : Jesu, fili David, miserere mei. Per istos qui cæco huic interroganti dicunt quod Jesus Nazarenus transierit, Deum omnipotentem præcipue possumus advertere, qui intrinsecus homini de salute sua loquitur. Sed et inspiratas ab eo cogitationes possumus accipere, quæ hæc eadem verba nonnunquam loquuntur in homine, ac si lamentando et gemendo dolens anima dicat intra semetipsam : Jam, o misera anima, quid es actura ? Ille enim Jesus Nazarenus, qui flos est munditiæ, a te transiit ! Illum, inquam, qui munditiam et castitatem tuam custodire debeat, per peccata tua amisisti ! Jam in æternum sine salute et felicitate permanebis, nisi ille solus redeat in quo solo omnis jucunditas et dulcedo tua suspensa **203** consistit. Talia igitur audiens responsa intra semetipsum, tandem *clamare* incipit. *Clamat*, inquam, confessione salubri, illi utique, cui salutem animæ suæ credidit, cujus magisterio se subdidit, præcedentium delictorum suorum enumerat magnitudinem. Sic sane clamans in confessione rursus ad Deum convertitur dicens ei in oratione : *Jesu, fili David, miserere mei.*

Notandum vero quod eum verum Deum et hominem credens et confitens *Filium David* nominat, quia David peccator et iniquus erat, qualem et se esse in humili corde recognoscit. David denique adulterium simul perpetravit et homicidium. Insuper in descriptione populi, quem per superbiam cordis sui fecit conscribi, graviter in Scriptura sacra memoratur deliquisse contra Dominum. Hujus rei causa *filium David* eum appellat, ut hujus gratiæ commonitus Omnipotens eo gratius et benignius misereatur et sui. Et bene *Jesum*, hoc est *Salvatorem* suum eum cognominat, fidem profecto in eo tenens, et ostendens quod per eum se credat esse salvandum a peccatis suis. Spem quoque se habere demonstrat, quærens ab eo, ut misereatur sui. Hanc itaque fidem, spem et charitatem et nos in nostra confessione jugiter oportet observare. Fidem, quia fideliter et absque ulla dubitatione credendum est indulgentiam peccatorum nostrorum nos posse consequi a Domino, si contrito corde perfecte peccata nostra confiteamur. Spes vero in hoc tenenda est, quia iste Salvator, qui peccata nobis donavit, ipse quoque

sperantibus in se post absolutionem criminum misericordiam suam abundanter ministrabit. His profecto duabus, fidei utique et spei, media et quasi mediatrix subnectitur charitas, quo adepta perfecto amore homo Deum diligere incipit, et ipse nihilominus non minori charitatis affectu a Deo meretur astringi. Sequitur :

Et qui præibant, increpabant eum, ut taceret. Ipse vero multo magis clamabat : Fili David, miserere mei. Qui sunt ergo isti qui nos *præire* dicuntur, nisi voluntates peccatorum, malaque desideria, quæ quidem prius ad cor hominis veniunt, sed postmodum **204** eum ad malorum operum perpetrationem trahunt. Ista ergo desideria et voluntates perversæ, quæ prius hominem ante peccata præibant, post confessionem operum perversorum intus crepant suadentes et hortantes, ut de ipsis omnino reticeat. Dicit denique in corde suo nulla se prorsus ratione posse confiteri tot malas voluntates, et tot perversa desideria, quæ teste conscientia sæpius contra Deum habuisse se meminit. Sed rursus per Dei gratiam adjutus multo magis in confessione clamare incipit, desideria sua accusans variasque voluntates peccatorum de profundo cordis proferens, clamore, inquam, validiore, quam ante pro operibus clamaverat, ut miro modo stare sibi Jesum faciat, quæmadmodum subditur :

Stans autem Jesus jussit eum ad se adduci. Notandum quod in priori confessione operum *Jesum filium David* invocat; hic autem, ubi peccata cogitationum et desideriorum deplorat, non Jesum, sed tantum *filium David* eum nominat, hoc solummodo petens ab eo ut misereatur sui, ne a peccatis cogitationum suarum penitus obruatur. Salvari nempe, Deo cooperante, possumus in hac vita ab iniquis et mortuis operibus, sed valde difficile est in hoc exsilio commoranti a sordibus cogitationum suarum ad integrum posse emundari secundum Pauli apostoli sententiam dicentis : *Quis enim castum cor se habere gloriabitur?* De quo rursus Psalmista dicit : *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me* (*Psal.* XVIII, 13). Huic igitur sic clamanti, ut prædiximus, *stat* tandem Dominus *Jesus*. Quod nimirum tunc in nobis adimplebitur, cum in arce orationis intimæ ad Deum sublevati cum eo consistimus, quod quidem suavissimum stare est Domino. Verum quia illud stare non poterit diu in homine perseverare, ut semper orationis studio mens ejus sit intenta, oportet ut saltem per bonas cogitationes illi adhærentes, semper ad cor recurramus, omni hora scrutantes et requirentes, quomodo cor nostrum intus subsistat. Quia si hoc fecerimus, stantem procul dubio in nobis Dominum habebimus. Sed etsi in aliqua iniqua cogitatione lapsi fuerimus, quod ex fragilitate conditionis humanæ **205** vitare non possumus, Deo tamen volente ipsum non perdimus, si tantum citius per pœnitentiam ad cor redeamus. Sic stans in nobis Dominus *jubet nos ad se adduci. Jubet*, inquam, sanctis angelis,

A mutuæ dilectionis consciis, ut nos sibi adducant, ea utique charitate et dulcedine qua sponsa ad sponsum solet adduci. Sed et alio modo *jubet nos adduci ad se*, quia dum jussionem et præcepta ejus adimplere satagimus, ipsi nos quodammodo gratanter ad eum adducimus.

Et cum appropinquasset, dixit illi Jesus : Quid tibi vis faciam? Tunc appropinquamus ad Dominum, cum non tepenti corde, sed ardenti ad eum accedimus. Interrogamur vero quid velimus ut nobis faciat, cum ipse suscitat voluntatem nostram ad ipsius voluntatem, ut in una voluntate cum eo pariter conveniamus. Sed videamus nunc cæcus iste sic interrogatus a Domino quid velit, quid petat, quid requirat : *Domine*, inquit, *ut videam*. Cæcus iste non B aurum neque argentum desiderabat a Domino, sed tantum duorum luminum restitutionem petebat ab eo. Quos oculos nos quoque si obtinere apud Deum poterimus, felices profecto erimus. Duo quippe oculi animæ sunt intellectus et affectus. Quisquis ergo intellectum sine affectu, affectum sine intellectu habet, est quasi cum uno tantummodo oculo videat. Sed melius est aliquid videre quam nihil. Multo autem felicius et jucundius utrosque oculos, affectum videlicet et intellectum possidere. Hos et nos oculos quæramus a Domino dicentes ei: *Domine, ut videam* oculo intellectus, et sapiam oculo affectus. Si ergo istos oculos **206** a Deo in fide postulaverimus, respondebit et nobis, sicut cæco huic respondisse describitur.

C *Respice; fides tua te salvum fecit.* Ac si dicat : *Respice* per intellectum. *Quia fides tua te salvum fecit.* Fidelem virum hunc esse dicimus, qui nec in prosperis nec in adversis amico suo novit cedere, sed in utrisque fideliter cum eo permanet. Sicut econtra ille infidelis dicitur, qui quidem amicum suum in prosperitate diligit, sed in adversitate et angustiis eum deserens ab eo recedit. Ita plane iste fidelis dicitur a Domino, qui nec traditus gentibus, nec illusus, nec flagellatus, nec consputus, nec occisus fidem Domini deseruit, et idcirco hac fide promeruit, ut respicere per intellectum debeat. Unde et sequitur :

Et confestim vidit, et sequebatur illum magnifi- D *cans Deum. Confestim* ergo *videt* oculo intellectus, *sequitur* oculo affectus, *magnificat Deum* operis effectu. Sequitur : *Et omnis plebs, ut vidit, dedit laudem Deo.* Sic sane, ut prædiximus, nobis intellectu videntibus, cordis affectu sequentibus, operisque effectu magnificantibus *omnis plebs* nostra *dat laudem Deo*, quia non solum majora, sed et minima quæque opera nostra dare debent laudem Deo. Nihil meritis nostris adscribere, nihil nobis reputare, nullam laudem ab hominibus quærere, sed totum ad laudem Dei et ad honorem gratiæ ejus referre debemus, a quo totum accepimus, quod habemus. Qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

207 HOMILIA XXV.

IN DOMINICAM I QUADRAGESIMÆ PRIMA.

Ductus est Jesus in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo. Et cum jejunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus, postea esuriit (*Matth.* IV).

Quia sacrosanctæ initium Quadragesimæ hodie inchoamus, recte legitur nobis hodierna sancti Evangelii lectio. Invenimus tentationes Domini nostri Jesu Christi, quas sustinere pro nobis peccatoribus voluit. Invenimus etiam in ea, quomodo contra eadem congredientis secum hostis antiqui certamina per labores et jejunia se præparaverit, et quibus tandem modis eumdem tentatorem suum ad ultimum superaverit et prostraverit. Sed et tentatoris diaboli proterva et contumax superbia in eadem nobis lectione præscribitur, simulque ostenditur, quia dum illum, cui nulla unquam peccati macula adhæserat, tentationibus suis adire præsumpsit, a nullo hominum, quantumcunque sanctus, quantumcunque innocens sit, manum malitiæ et nequitiæ suæ retrahit. Semper enim tentat, semper quomodo hominem superare et prosternere possit, laborat et investigat. Ideo autem et tentatoris diaboli superbia, et tentati propter nos Domini, qua prostravit tentatorem, victoria nobis præscribitur, ut in his doceamur et nos, ad exemplum Domini, non solum per abstinentiam carnis, sed et per patientiam, humilitatem puritatemque cordis adversus insurgentis contra nos hostis maligni tentamenta præparare nos.

Licet enim omni tempore humanæ saluti insidietur, his tamen sacris diebus maxime debacchatur, quatenus hominem, et maxime hominem spiritalem impediat, et dejiciat, et a fervore divini amoris avertere valeat, qui idcirco principaliter a sæculo recessisse ducente 208 Jesu cognoscitur, ut quasi in deserto spiritalis conversationis tentationibus diaboli fiducialius et fortius resistere possit. Ut autem earumdem tentationum ordinem, quibus contra Christum et contra membra Christi impudenter et incessanter confligit, evidenter cognoscamus, lectionem sancti Evangelii diligenter per ordinem consideremus.

Ductus est Jesus, inquit evangelista, *in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo.* Primum videamus, secundum sensum allegoriæ, quando ductus sit Dominus noster Jesus Christus in desertum et tentatus, et tentatum a diabolo nos quotidianis tentationibus fatigati sequamur pro modulo nostro. Ut enim refert Lucas, incipiens esse quasi annorum triginta baptizatus est a Joanne, moxque *ductus a Spiritu sancto in desertum*, ubi tentatoris sui fraudes pertulit, quas non pro se, sed pro nobis utique sustinuit, in quo Deus Pater iniquitates omnium nostrum posuit. Qui quamvis Sanctus sanctorum esset, nullumque omnino peccatum haberet, tamen post susceptum baptisma Deo Patri pro nobis ideo jejunando satisfacere voluit, ut suo nos informaret exemplo, quatenus post susceptam in baptismo om- A nium peccatorum remissionem, si ingenii facultas suppeteret, omnibus pompis et operibus sæculi perfecte abrenuntiare nos doceret. Sed quia perfectio abrenuntiationis sæculi verbum hoc non omnes capiunt, imo nec capere possunt, ille, ut ita dicam, mundo abrenuntiat, qui mortua mundi opera, ne incidat, caute invigilat.

209 *Ductus est*, inquit, *Jesus in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo.* Quid, rogo, necesse fuit talem tentari Dominum, qui uno verbo tentatorem suum mergere potuit in abyssum? Ideo utique tentari voluit per omnia pro similitudine absque peccato, ut homo miser in miseriis et tentationibus suis majoris spei fiducia animaretur, et ab eo, qui nunquam misereri obliviscitur, se destitutum et de- B relictum non causaretur. Hinc est quod contra Job beatissimum, quem ipse speciali laude approbans, nulli, non dico majorem, sed nec similem ei super terram quemquam esse prædicabat, callido hosti tentandi licentiam dedit, qui combussit greges, exstinxit familias, obruit filios et filias, percussit salutem corporis, ita ut sedens in sterquilinio testa saniem raderet, et ad majoris tentationis cumulum linguam servavit uxoris. Sed quot vulnera sæviens inimicus intulit, tot victorias sancto viro nesciens ministravit.

Sciendum præterea quibus virtutum armis se Rex noster induerit, quo tentatoris iniqui jacula contereret; quibus etiam armis milites Christi oportet armari, ut regis sui signa præferentes agnoscantur C ab eo, et sequantur eum. Non hæc sunt clypeus visibilis, non cassis ærea, non gladius materialis, sed jejunium et exemplum eximiæ et magnæ humilitatis. Hinc consequenter Evangelista ait:

Et cum jejunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus, postea esuriit. Quod utique ex divina potentia, humanæ naturæ insita, illum potuisse non satis mirandum, cum Moysen et Eliam admirabiles et claros per hujusmodi reddiderit factum. Quomodo enim Moyses ille charus Deo panem visibilem et terrenum desideraret, qui quadraginta diebus et quadraginta noctibus panem vitæ in præsentiarum habebat, loquebaturque cum Deo sicut amicus loqui solet cum amico suo? Sic et Elias subcinericio pane D divinitus satiatus ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus et quadraginta noctibus usque ad montem Dei Horeb. Sed hoc jejunium, quod specialiter illis singulare Dei donum contulit, a nobis non ita est accipiendum, quasi ab omnibus omnino escis 210 sit abstinendum, quod nequaquam ratio suggerit, nec humanæ naturæ necessitas fieri permittit. Expleto igitur quadraginta dierum et noctium numero ille, cui secundum divinam naturam nulla passionis miseria succedit, secundum humanæ naturæ mortalitatem cœpit esurire, et ad singulare certamen superbum hostem provocare.

Et accedens tentator dixit ei: Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant. Hic summa sapientia, et summa malitia, duo ex omnibus fortissimi ad con-

dictum valde durum processerunt. Et summa illa malitia, si summa illa sapientia carnem induisset prodiens ex Virginis utero, scire et investigare laborabat. Sed verbum hoc semper ab oculis ejus absconditum erat. *Si enim*, ut apostolus ait: *cognovissent nunquam Dominum gloriæ crucifixissent* (*I, Cor.* II, 8). Cernens enim eum inimicus mira docentem, mira facientem, tandiu cibis abstinuisse, hunc Filium Dei esse putavit. At vero ex altera [parte] videns eum infirmari, contristari, dormire, famem pati, dedignabatur si summa illa majestas ad tantas miserias unquam inclinari debuisset. *Si Filius Dei es*, inquit, *dic ut lapides isti panes fiant*. Ac si diceret: Famem quidem te pati video, et utrum Filius Dei sis, an non dubito. *Dic* ergo, *ut lapides isti panes fiant*, ut tuam esuriem per immoderatam expellas ventris ingluviem.

Qui respondens dixit: Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Notandum quod Dominus noster Jesus tentatori suo non nisi Scripturæ sacræ testimonio obviare voluit, ut per hoc insinuaret quod et nos, cum tentamur, saluberrimum et proficuum nobis esse sciamus, si Scripturæ sanctæ clypeo muniti hunc persequi, donec deficiat, moliamur. Sequitur:

Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem, et statuit eum supra pinnaculum templi, et dixit ei: Si Filius Dei es, mitte te deorsum. O quanta mens nostra formidine seu admiratione et indignatione concutitur audito hoc, quod ille, quem cherubim et seraphim tremunt, quem adorant dominationes, principatus et potestates, **211** omnisque cœlorum exercitus, impii hujus manibus tangi non est dedignatus. Sed superba mens nostra valde inde confusa retunditur, quæ immundos quosque et peccatores despicit, et indignatur: nam si immundi alicujus hominis commanentia vel aspectus displiceret, forsitan calcibus nostris repulsus ignominiose abscederet. Sed hic Deus noster non talis, nobis peccatoribus longe dissimilis, imo justis omnibus justior, sanctis omnibus sanctior, et tamen solus cum sola genitrice sua supra omnes mortales semper in oculis suis humillimus fuit et despectus. Ipse enim, per se ipsum mundissimus, in profundissimum peccatorum nostrorum cœnum descendit, ut pretiosam illam margaritam suam de cœno elevaret, hominem videlicet, qui spontanee ceciderat, et in loco mundissimo ac charo deinceps serviturum [*cod.* servituros] reconderet, et pro tanta humani generis dilectione sputa, colaphos et flagella, injurias et contumelias patienter sustinuit, et ad ultimum medius duorum latronum in morte occubuit. Et quia hæc omnia pati non renuit, quæ per membra diaboli sustinuit, quid mirum quod a cruenta bestia teneri se, et *supra pinnaculum* statui et in montem duci permisit? Quidam volunt *pinnaculum* fuisse cathedram doctorum, vel pinnam templi, ubi milites consistunt urbemque ab hostibus defendunt. Ut ergo pro appetitu inanis gloriæ Filius Dei se deorsum

A a pinnaculo mitteret, caput omnium malorum persuasit nimisque veraci sermone, licet pectore malitioso, Scripturæ testimonia objecit dicens:

Quoniam angelis suis Deus mandavit de te, et in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Ex quo enim conceptus et natus, et cum hominibus conversatus est, omni hora et momento angelici spiritus debitum Creatori suo famulatum impenderunt, et ne unquam ad lapidem pedem suum offenderet observaverunt. Per *lapidem* legis duritiam intellige, in qua Filius Dei pedem suum non offendit, quia nec aliquando districtionem legis circa peccata remissius agendo evacuare voluit, nec tamen dulcedinem misericordiæ et pietatis, quos suos foveret et recrearet, amisit. Videamus quomodo

B **212** ex æquo, et directo pes ejus stetit, nec ad lapidem ullo modo offendit. Quando Scribæ et Pharisæi adducunt mulierem in adulterio deprehensam, non juxta legis præceptum continuo lapidare, sed ipsos accusatores primo semetipsos jubet considerare dicens: *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat* (*Joan.* VIII, 7). Quod utique si quisquam illorum stultus et amens tentasset, nimirum ab illo, qui scrutatur corda et renes, dignam peccatorum suorum objectionem confusus audisset. Sed ille, qui vera veritas, et vera est pietas, sic verba sua trutinavit, ut nec misericordiam propter veritatem relinqueret, nec veritatem propter misericordiæ mansuetudinem amitteret.

Ait illi Jesus: Rursum scriptum est: Non tentabis

C *Dominum Deum tuum.* Tentare dicitur ille qui hominem ideo interrogat, ut sciat utrum ille qui interrogatur, sciat, an nesciat, ut si eum ignorare quod interrogavit deprehenderit, fortassis derideat. Dominus Jesus Christus Deum Patrem quodammodo tentasset, si se inani gloria elatus quasi a Deo Patre salvandum deorsum misisset. Unde idem est ac si dicat: Pro his quæ propriis viribus et intellectu per me facere valeo, lege prohibente Deum tentare nec volo nec debeo. In hoc etiam exemplum dedit nobis, ut et nos ita faciamus. Homo etenim, qui sensum rationalem et ingenium bonum a Deo percepit, secundum sensum et intellectum ab eo præstitum vitam et actus suos oportet eum instituere,

D Cum vero sensu suo ulterius progredi non potest, soli Deo se, et sua omnia debet committere. Quod si non fecerit, Deum quodammodo tentat, quod lex fieri omnino prohibet. Sequitur:

Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde, et ostendit ei omnia regna mundi et gloriam eorum, et dixit: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me. Quam vera est sententia David prophetæ dicentis: *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper!* (*Psal.* LXXIII, 23.) Devictis duabus primis tentationibus, gula scilicet et vana gloria, jam tertio audet iniquus caput attollere, et qui omne sublime videt, ei, cui nonnisi humilia placent, *omnia regna mundi* **213** *et gloriam eorum* non timet ostendere, si forte ad appetendos honores et su

blimitates terrenas eorumdem regnorum eum posset inflectere. *Hæc omnia*, inquit, *tibi dabo si cadens* corpore, *adoraveris* mente. *Adorasset* quidem mente, si animo ejus talis suggestio insedisset; *cecidisset* corpore, si dignates et glorias temporales quoquomodo quæsisset. Unde tentatorem suum ultra non sustinens nimis imperiose increpitans ait : *Vade, Satanas. Scriptum est enim Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.*

Possumus etiam per tres tentationes tres accipere persecutiones. Per primam, persecutionem illam, quam pati dignatus est in seipso Filius Dei. Per secundam, illam quæ cœpit in primitiva Ecclesia, scilicet apostolis et martyribus. Per tertiam, quæ omni mundo futura est sub Antichristo. Licet enim ex evangelica auctoritate habeamus Dominum nostrum Jesum Christum non nisi tribus tentationibus tentatum, quas præsens commemorat Evangelium, putandum tamen secundum humanæ naturæ infirmitatem et alias eum tentationes sustinuisse, non dico humanas, quas culpa et vitium hominis suggerit, sed quas conditio naturæ requirit. Ut enim duæ naturæ in illo erant, divina scilicet et humana, sic etiam duas voluntates habuit, divinam et humanam. Divinam dico, qua pati voluit; humanam, qua de perditione Judæorum, qui hoc facturi erant, nimis doluit. Nonne quasi tentatio ei erat, quando videns civitatem Jerusalem affectu pietatis et humanitatis flevit super eam? Pati quidem venerat, sed per manus Judæorum hoc fieri valde condolebat. Hoc cernens inimicus, qui ex antiquitate sua et angelicæ naturæ subtilitate multa novit, multa subtilissime investigando didicit, videns, inquam, quomodo in morte Christi Judæi essent relinquendi, et gentes vocandæ, tentare in hoc Christum non metuit dicens : *Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.* Ac si diceret : Doles quidem de perditione populi Judaici, quia caro tua et os tuum est, *dic* ergo *ut lapides isti*, scilicet Judæi, qui **214** in morem lapidum duruerunt, *panes fiant*, id est ad fidem tuam, et in corpus tuum transeant. Unde et in morte ejus omni modo laborabat, ne morti traderetur, ea videlicet causa et ratione, ne plebs Judaica morte ejus obnoxia relinqueretur, et numerositas gentium, quæ per orbem terrarum propaganda erat, ad fidem vocaretur. Inde est quod legitur in Evangelio secundum Matthæum, quia sedente Pilato pro tribunali miserit ad eum uxor ejus dicens : *Nihil tibi et justo illi; multa enim passa sum hodie per visum propter eum* (*Matth.* XXVII, 19). Quod divina voluntas ejus recusavit, et dispensationem, propter quam venerat, implere voluit, et ideo non incongrue tentatori suo ait : *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Quod idem est, ac si dicat : Non mihi sufficit, si tantum notus sit Deus in Judæa. Volo ut verbum meum in omnes gentes prædicetur, ut vocati in admirabile lumen meum fiant gens sancta, populus acquisitionis

In secunda tentatione persecutio martyrum accipi potest, quibus diabolus, ut mitterent se deorsum, persuasit, quando per membra ejus ad adoranda idola compellebantur, et multis modis tentati, diversisque tormentis examinati ad negandum factorem suum nullo modo flecti poterant. Erat enim tentatio magna, quando omnes, qui interficerent sanctos, arbitrabantur se obsequium præstare Deo.

Hac tentatione sedata dolens diabolus quod annullatus esset in patientia et perseverantia martyrum, aliunde se convertit, et insanabilem plagam, quod est hypocrisis, induxit, quæ hodie per omne corpus Ecclesiæ serpit. Per *pinnaculum*, quod est cathedra doctoris, prælatos accipimus, qui quidem suadente diabolo per hypocrisim mittunt se deorsum, dum humiles Christi ministros se in habitu ostendunt, magisque Antichristo serviunt; omnes, quæ sua sunt, quærunt, omnes avaritiæ student, et tamen honorati incedentes, ei, cui honorem deberent, non deferunt.

215 Verum ultima tentatio persecutionem designat, quæ erit sub Antichristo, quando erit tribulatio talis, qualis *mons excelsus valde* dicitur quia extollitur, et elevatur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. A quo omnia regna mundi ostenduntur, quando in obsequium ejus superbi et reprobi omnes parantur, per quorum manum tyrannidem suam in electis exercet, et quos terroribus capere non valet, per gloriam et divitias mundi seducere attentat.

His breviter prælibatis juxta litteram, nunc ingrediamur sensum moralem [*cod.* litteræ]. Sicut Evangelia, quæ, ordinante Spiritu sancto, principalibus leguntur diebus Dominicis, in initio suo initium conversionis, et in fine finem et exitum de sæculo hoc ad terram viventium transmigrantium demonstrant; sic et jam præsens sancti Evangelii lectio, quale initium conversionis, et quis finis subsecuturus, aut quæ merces perfecte conversos subsequatur, insinuat; media vero lectionis ejusdem verba ingruentium tentationum bella, quibus contra spiritalia nequitiæ interim congredimur, donec de medio fiat (28), quærentibus et investigantibus manifestant.

Ductus est, inquit, *Jesus in desertum.* Quoniam, ut Apostolus ait, Deus omnipotens, *quos prædestinavit, hos et vocavit, et quos vocavit, illos et justificavit* (*Rom.* VIII, 30), ad justificandos impios, et superbos humiliandos Jesus ducitur, quando dolore peccati, judiciique terrore, eo veniente homo peccator compungitur, et ex timore peccati ad agnitionem Dei et suimet convertitur. Sed quonam universitatis Conditor ducitur? *In desertum.* Per desertum cor hominis intelligitur, quod a vero et sancto habitatore, Spiritu sancto, est derelictum, in quo sunt animalia pusilla cum magnis, animales, dico, et bestiales luxus carnalium desideriorum, bestialis natio et partus efferarum et inutilium cogitationum, semina-

(28) Id est, donec vita mortalis finiatur.

rium nefandorum verborum et operum. *In hoc desertum ducitur Jesus*, id est salutaris noster, quando anima peccatrix ad salutare suum, quod est Christus, conversa, quæ et quanta vulneribus ejus salutis medicamenta necessaria sint vigilanter inspicit, et quomodo **216** a salutari suo, id est Christo, contritiones ac dolores animæ ejus leniri et sanari valeant ruminare et meditari incipit. Sed ut talem inspirationem, taleque desiderium cordis non per se aut a se arbitretur se concepisse, recte subjungitur, *a Spiritu*. Ille etenim, qui omnia sua implet bonitate, hæc inspirat, qui spiritu pietatis suæ hominem desuper illustrat et irrorat.

Operatur denique Deus in quibusdam per spiritum pietatis, dum hos de carcere mundi et faucibus diaboli extractos, post se ad regna cœlestia trahit, et ad sanctæ congregationis, sibique dilectæ multitudinis locum venire facit. Alios vero qui plerisque meliores et perfectiores et validiores tam in scientia quam et in virtutibus videbantur, non sine vero et justo judicio suo mirabiliter et miserabiliter mundi actibus inquinari permittit. Hoc opus misericordiæ et pietatis recogitans et remeditans anima necesse habet cum jugi gratiarum actione collata sibi a Domino ante mentis oculos reducere beneficia.

Cur autem ducitur Jesus in desertum? Nimirum ob id quod sequitur : *Ut tentaretur a diabolo.* Sic et homo, in cujus desertum Jesus venit, quem jam interna inspiratione ad se introrsus trahere cœpit, ducitur ad spiritalem conversionem, non ut requiescat, sed ut operetur; ducitur non ad mollitiem et corporis blandimenta, sed laboriosæ castigationis opera in se exercenda; ducitur non ut in pinguedine et delectatione vita sua fruatur, sed ut innumeros vitæ præsentis labores et agones patiatur.

Sed inter hæc quiddam occurrit, quod sanctam et spiritalem animam magnifice consoletur, illud nimirum, quod ille, cujus mansio et esse est in electis, se in illa et cum illa tentari fatetur. Et ut hoc apertius ad consolationem nostram comprobemus, et verum esse credamus, quid persecutori suo Saulo aliquando dixit, audiamus : *Saule, Saule! quid me persequeris?* (*Act.* IX, 4.) Jam unus idemque Dominus cœlum ascendit, qui de cœlo descendit, et tamen Saulum se lædere et persequi commemorat. D Quidquid enim membra capiti suo, id est **217** Christo unita patiuntur, ipse patitur et compatitur et qui omnium est esse, sine quo nihil sunt omnia, in suis vincit, in suis gloriatur, et quæcunque illis de ingenita sibi virtutum nobilitate dona donaverit, hæc cum eis et per eos agit et perficit. Unde etiam in judicio venturus, his qui minimis ejus membris servire studuerunt, dicet : *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis* (*Matth.* XXV, 40).

Sciendum vero quibus modis et causis homo tentetur, in quibus, si non succumbit, ut fidelis Domini sui agonista quandoque merebitur remunerari. Duobus modis homo tentatur, diebus videlicet et noctibus, quod est prosperis et adversis. Plerumque enim A contingit ut dum homo mente et habitu ad spiritalia transire deliberat, male blandientis mundi major prosperitas arrideat, majora et dulciora amicorum solatia succedant, aut forsitan majoris adversitatis stimulis confodiatur, ut per hæc impeditus de luto Ægypti ad terram repromissionis non ingrediatur. Ergo, ne ab ipso cœli introitu revocetur, si flaverint venti adversitatum, figat in Christo anchoram spei, ne confringatur vel dissipetur. Si prosperitatis gaudium occurrat, non cedat, sed cum Domino Deo suo diebus ac noctibus jejunus permaneat, sicut evangelista consequenter ait :

Et cum jejunasset quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, postea esuriit. *Jejunat* quippe *diebus* quisquis minime appetit prospera ; *jejunat noctibus*, B dum æque cuncta contemnit adversantia. Hinc David ait : *In die mandavit Dominus misericordiam suam, et nocte canticum ejus* (*Psal.* XLI, 9). Ille denique die ac nocte canticum Domino canit, qui, in adversis et prosperis ex æquo stans, per neutra a seipso resilit. Hoc Job beatissimus, de quo supra diximus, veraciter implevit, qui justus ante flagella et adversa extitit, sed justior post illata flagella permansit. Post damna rerum, post funera pignorum, post vulnera corporis de præcedentibus bonis gratias agit, dum dicit : *Dominus dedit, Dominus abstulit* (*Job* I, 21). De imminentibus **218** vero doloribus et tentationibus quoddam, ut ita dicam, carmen lætitiæ et exsultationis personat in aures Domini Sabaoth, dum C ait : *Si bona suscepimus de manu Domini, mala autem quare non sustineamus?* (*Job* II, 10.) *Sit nomen Domini benedictum* (*Job* I, 21). Si sic homo ad cœlestem patriam tendens jejunaverit, id est quod nec per bona præsentia, nec per mala adversantia a proposito suo mentem revocaverit, postmodum esuriem felicem pati incipiet. Quærit enim stipem salutis æternæ, quærit ut inter convivas mensæ Domini satietur, qui utique non aliud quam justitiam Domini esurit et sitit. De qua esurie et siti dicit Verbum Dei : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur* (*Matth.* V, 6) Dum igitur ii, quos Deus Pater præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, huic labenti sæculo conformari prorsus indignum ducunt, mox tentatoris insidiæ accedunt, quemadmodum evangelistæ verba insinuant :

Et accedens, inquit, *tentator*. Cui, quæso, accedit? Nimirum Spiritui sancto, et homini. Sicut enim bonus et suavis est accessus Spiritus sancti ad animam bona inspirando, bona subministrando, sic e diverso quidam malus est accessus diaboli ad animam, qui quasi suo interesse bona ejus impedire cupit, et si manifeste non potest, occultus venit.

Si Filius Dei es, inquit, *dic ut lapides isti panes fiant.* Versutus etenim tentator, quem satis expertus est apertum horrere malum, falso bono supplantare molitur, abscondit enim quod est, et quod non est mentitur Hinc est quod Herodes, per quem diabolus significatur, dum trium Magorum, Christum

quærentium, desiderium exstinguere nequiret, palliata bonitate ad quærendum puerum mittit dicens : *Ite et interrogate diligenter de puero hoc, et cum inveneritis, renuntiate mihi, ut et ego veniens adorem eum* (*Matth.* II, 8). Mittit ad adorandum quem tractat sua fraude et malitia necandum. Sic et tentator, qui malitia sua seducere hominem non valet, bona falso suadet ; habet enim fiduciam, ut quem in plana et sæculari **219** non cepit via, postmodum ad altam studiorum et virtutum arcem proficientem præcipitet ad ima, ut tanto pejus ruat, quanto altius humanæ conversationis morem bene vivendo transcenderit.

Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant. Ac si callidus insidiator hominem intrinsecus alloquatur : Bonæ, et a Deo inspiratæ voluntatis tuæ intentionem innotescere (29) debes cunctis, dic et prædica omnibus, *dic*, inquam, *ut lapides isti panes fiant*. Per *lapides* possumus animam et corpus accipere, quæ quasi quidam sunt lapides, dum contra machinamenta diaboli fortes perdurant et immobiles, quæ tunc in panis dulcedinem vertuntur, dum in corpus Christi transferuntur. Hinc serpens ille antiquus, humani generis inimicus, mille nocendi artibus imbutus, hominem tanto mollius alloquitur, quanto ab excelsiore loco dejicere conatur, scilicet ut sprelis omnibus in corpus Christi se transferat, et ob hoc jure summi Patris Filium se dici et esse non ambiget.

Inter hæc necessarium est ut provida mens seipsam vigilanter et diligenter circumspiciat, et tota in Deum fixa et confisa tentatori suo fortiter resistat, et non convertatur donec deficiat. *Nemo* enim, ut Scriptura ait, *coronabitur, nisi qui legitime certaverit* (*II Tim.* II, 5). Legitime certare est in certaminis conflictu tandiu perdurare, donec de hoste triumphum mereatur quisque reportare. Muniat se totam anima beata, et imprimat verbo Dei, cum quo, quando opportunum fuerit, tentatorem suum ferire valeat, et tentati Domini sui verba ipsa tentanda et probanda assumat dicens : *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Quod idem est ac si dicat : Mundana omnia mente et habitu relinquere proposui ; *sed non in solo pane vivit homo*, hoc est non mihi sufficit quod panis Christi fieri volo, et in corpus ejus transire, nisi etiam *omni verbo, quod procedit de ore Dei*, studeam obaudire.

Sunt namque nonnulli qui hoc ad salutem animæ sufficere putant, quod communem vitam sæculi istius tantum **220** evaserunt, et quantum adhuc imperfectionis coram oculis summi Judicis habeant tum dictis tum factis, perpendere nesciunt. Sane in tempore bonæ conversationis paulatim de virtute in virtutem proficientes, totum quod sunt, quod vivunt, quod sapiunt, soli Deo vivere, sapere et placere gestiunt, et juxta verba seu monita *oris Domini* nobilitate morum et exercitatione virtutum seipsos ornare satagunt. Per *os Domini* boni prælati possunt accipi, juxta quod alibi de quibusdam dicitur, qui non facienda præsumpserunt, et *os Domini non interrogaverunt* (*Jos.* IX, 14). Os enim Domini sunt, qui sua prædicatione et bonorum operum attestatione gregem sibi commissum debent custodire. Os itaque Domini interrogant, qui omni verbo quod procedit de ore boni magistri, piis et sanctis operibus obaudire festinant. Sequitur :

Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem, et statuit eum super pinnaculum templi, et dixit ei : Si Filius Dei es, mitte te deorsum. Civitas sancta Domini conventus vel congregatio est quarumlibet sanctarum animarum, *pinnaculum* boni Magistri, *templum* boni et perfecti subditi. *Pinnaculum*, ut quidam volunt, cathedra dicitur doctoris, in quo stans vel sedens populo offert monita salutis. Unde per *pinnaculum* ipsum doctorem et magistrum æstimo non incongrue figurari, qui jugiter subditis suis, qui *templum* sunt Domini, præsidere debet et per auctoritatem præceptionis et per exemplum bonæ conversationis. Jam mare Rubrum transitum est, jam in civitatem sanctam, sanctam videlicet conversationem ventum est, in ipso etiam conversationis primordio magna dulcedinis Dei consolatione homo receptus est, sed adhuc valde nocentes tentationes obviant, quæ cœptum iter intercludant. Unde non incongrue dicitur : *Assumpsit eum diabolus.* Nam dum homo per prævenientem et subsequentem se gratiam Dei ad Deum tendit, diabolus e diverso tentationum stimulis occurrit ; et quem Deus sumit ad perfectionem, iste assumit ad tentationem.

Post primam ergo tentationem, **221** quam unusquisque propter studium et amorem conversionis patitur, secunda hæc postmodum oboritur, quod *supra pinnaculum templi* statuitur. Tunc homo *supra pinnaculum statuitur*, quando super magistrum suum duriter erigitur et elevatur, judiciaque ejus reprehendens seipsum considerare negligit ; sicque fit, ut prælatus, qui foris honoratur, in magna mentis despectione a subdito habeatur : Æstimat enim, si se regiminis curam contingeret tenere, melius et probabilius in omnibus agere. Et bene dicitur, *statuit*. Quia non facile ab hac pertinaci obstinacia potest avelli. Quod si is qui præest, minus doctus, minus ad hoc officium idoneus videtur, tamen quia ad hoc, Deo ordinante, est electus, non est dijudicandus, non est non audiendus. Unde hortatur Dominus discipulos suos dicens : *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi. Omnia quæcunque dixerint vobis facite* (*Matth.* XXIII, 2). Item Apostolus ait : *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, et non est potestas nisi a Deo* (*Rom.* XIII, 12).

Inter hæc quid leo ille in abscondito insidians, ut rapiat pauperem, dicat audiamus : *Si Filius Dei es, mitte te deorsum.* Suadet enim hypocrisim ut perfectam sanctitatis speciem appetat, videri quod non est. *Mitte te*, inquit, *deorsum*. Mittere se deorsum

(29) Id est, notum facere.

est sanctitatem humilitatis exterius ostendere, et amaritudine cordis et zelo invidiæ intrinsecus contabescere. Audiamus adhuc quid hostis occulta suggestione insidians cor alloquitur dicens :

Quia angelis suis Deus mandavit de te, et in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Ac si dicat homo ad se intra se, nesciens quid dicat : Idcirco quidem *mittere te deorsum* debes quia *angelis suis mandavit de te, et in manibus tollent te*, hoc est tanta perfectione sæculo vitiisque sæcularibus abrenuntiasti, tam districta observantia et custodia mandatorum Dei in hac sancta conversatione postmodum vixisti, ut dignus sis quem sanctorum custodia angelorum ita Deus custodiat et præmuniat, *ne forte offendas ad lapidem pedem* **222** *tuum*, hoc est ne (dicam scienter et voluntarie) in aliquod, quod contra Deum sit delictum, incidas, sed *ne forte*, hoc est fortuito aliquo casu, oculos majestatis ejus offendas. Ad hæc miles Christi stet imperterritus hostem prosternat, et quæ vitæ Conditor dixit, opere implere satagat. Sequitur :

Ait illi Jesus : Rursum scriptum est : Non tentabis Dominum Deum tuum. Verbum hoc *tento* frequentativum verbum, est derivativum a *temno, temnis*, quod sonat, *frequenter tento.* Erectus denique homo intra se adversum se stulte se egisse, stulte cogitasse pœniteat, et ne ex frequenti prælatorum contemptu Deum offendat seipsum districte cohibeat. Post secundam hanc tentationem tertia succedit, in qua quisquis probatus non superatur, finito mundi hujus termino fugatis omnium inimicorum præliis, perpetuæ mercedis plenitudine donatur. Certissimum est enim totum hoc Dominum sub quadam dispensatione figurasse, qui nonnisi post baptisma se tentari permisit, ut signum quoddam futuræ conversationis innueret et quod membra ejus, postquam ad Deum proficerent, acriores tunc tentationum insidias tolerare haberent. Hinc est quod subjungitur :

Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde. Mons excelsus valde insignia sunt castitatis et humilitatis. Quisquis ille est qui, Deo annuente, priora quæ diximus devicerit, vere insons et humilis, vere innocens manibus et mundo corde comprobatur, nec jam minoribus quibusque similis, sed unus montium, id est unus de numero perfectorum esse censetur. Quem tamen mirum in modum *iterum diabolus assumit*, quia quanto excelsiorem et sublimiorem eum Deus sua gratia sumendo effecit, tanto avidius ad decipiendum et perdendum eum se inimicus ingerit, ut totum vento elationis corrumpat et dispergat, quidquid castitatis et humilitatis excellentia in eo collegerat. Incipit jam pro laudabili, quam in se videt, virtutum prærogativa affectare honores, favores, dignitates, et se supra id quod est extendere, et quæ adipisci non valet in re, incipit ambiendo quasi possidere.

223 *Et ostendit ei omnia regna mundi.* Per *mundum* hominem ipsum accipe. Unde *microcosmos*

A [μικρός κόσμος] *minor mundus*, quod est homo, dicitur. Per *regna mundi* omnia membra corporis intellige. Et recte per mundum homo. Nam si dignitas hominum per ambitum mundi non propagaretur, quidnam esset, unde mundus gauderet et jucundaretur? Est ergo totus mundus homo, *omnia* vero *regna mundi* hujus sunt, ut dixi, omnia membra corporis, in quibus sibimetipsi complacet homo, optans per hæc placere et conformari huic sæculo.

Et gloriam, inquit, *eorum. Gloriam* mundi ostendere est honorem prælationis ambire; gloriam mundi ostendere est de omnibus, quæ vel opere, vel vestitu vel habitu inutiliter explere potuisset, tractare et cogitare. Tractat nempe infeliciter, et quasi quibusdam dentibus mandit et ruminat, cur adhuc maB nens in sæculo illa vel illa non fecerit, sive dixerit; cogitat, si forte vel adhuc eum ibi esse contingeret, quam laudabilis in verbis, quam gloriosus in operibus, quam splendidus in vestitu, quam habilis et compositus ad omnia, et cæteris his similibus, quæ mundus iste quærit esse potuisset. Post tam immunda suggestionum desideria, venenata scelerati audiamus verba :

Hæc omnia, inquit, *tibi dabo, si cadens adoraveris me.* Quæ *omnia?* scilicet *regna mundi*, id est ut membra corporis habeas tam habilia et composita, ut tibimet in his complaceas et *gloriam eorum*, ut nunc illum vel illum ornatum et gloriam mundi habere appetas. Et quo pacto dabo? *Si cadens*, corpore, *ad*-C *oraveris me* mente. *Adorare* quasi *juxta orare* dicitur. *Cadit* corpore, qui quidem peccatum perpetrat opere, sed non *adorat* mente, qui cito in se reversus digna hoc abluit satisfactione. *Adorat* vero et *cadit*, qui desideriis et voluptatibus propriis consentit, et consentiendo eadem perficit. Hoc electus ille Domini David non fecit, qui formam et modum pœnitentiæ omnibus reliquit, qui quidem cecidit corpore, sed non adoravit mente, quia quod commisit opere, magistra pœnitentia citius delevit. Hæc autem tentatio, quam **224** prædiximus de ostensione regnorum et gloria eorum, ubi illicita quæruntur, et Deo odibilia appetuntur tanto velocius et vehementius expelli debet, quanto periculosior et sceleratior est. Nam si tales cogitationes a corde velocius non exD pelluntur, plerumque nisi Deus adjutor in opportunitatibus adsit, mala etiam opera subsequuntur. Unde quo studio, quo affectu adversarius, qui talia suggerit, exterminandus et abominandus sit, sequens ordo verborum Domini manifestat. Sequitur :

Tunc dicit ei Jesus : Vade, Satanas. Scriptum est : Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies. Est enim, ut diximus, hostis, qui illicita ingerit, abjiciendus, propellendus, et Dominus noster Jesus Christus adorandus, penes nos statuendus, illi thalamus cordis nostri collocandus, cui soli debitum famulatum exhibere debent omnia membra corporis nostri.

Tunc reliquit eum tentator, et accesserunt angeli, et ministrabant ei. Superatis tandem his tribus ten-

tationibus jucundum tunc erit, quia jubente et adjuvante Deo exterminator ille animam relinquens disparebit. Sic, inquam, relinquet, ut quantum vult et desiderat, tentare non audeat vel valeat, quamvis tamen usque ad finem vitæ persequi animam non desistat. Qui sicut viventem, ita etiam morientem non deserit. Adest enim in obitu uniuscujusque malitiose objiciendo quæ potest adest, ut viam vitæ intercludat. Adsunt etiam sancti angeli adjutores et defensores animæ, ut eam a mortifero vastatore defendant; adsunt, ut remigio alarum suarum ad Regis æterni palatium perducant; adsunt ei a dextris et a sinistris collaterales, quam dum Filio Dei repræsentaverint, ex omnibus bonis Domini sui ei sufficienter administrant, id est ut vitam æternam abundantissime possideat. Tunc veraciter et perfecte relinquet eam tentator quia cum corruptibile hoc induerit incorruptionem, nullam ulterius nec mente nec corpore, nec a diabolo vel mundo experietur tentationem aut imperfectionem. Ad quæ bona perducat nos Jesus Christus Dominus noster, qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen!

225 HOMILIA XXVI.

IN FERIAM V POST DOMINICAM PRIMAM QUADRAGESIMÆ PRIMA.

Et factus est sermo Domini ad me dicens : Quid est quod inter vos parabolam vertitis in proverbium istud in terra Israel, dicentes : Patres comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupescunt? (*Ezech.* XVIII.)

Electus et dilectus propheta Domini prævidens oculo præsagi cordis statum sanctæ Ecclesiæ, qui nunc est in prælatis et subditis, clauso quodammodo sermone videtur notare quale subditis pariat detrimentum vita non digne conversantium prælatorum, itemque quibus præcedentibus probabilis vitæ meritis hunc proficere oporteat, quem ad culmen regiminis divina prædestinatio assumit, qualisve in doctrina sua postmodum esse debeat, recto ordine præscribit et demonstrat.

Prævidens ergo spiritus propheticus quosdam in Ecclesia futuros, qui vita et morum levitate magis subditis suis occasionem præbeant scandalorum, quam ullum ædificationis et salutis profectum, murmur malignitatis et detractionis quod fit a subditis, quod oculis minime placet divinæ majestatis, his declarat verbis : *Quid est, quod inter vos parabolam vertitis in proverbium istud in terra Israel, dicentes : Patres comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupescunt. Patres* isti prælati monasteriorum sunt accipiendi, quia sicut ille qui de carne sua filium generat, pater vocatur et est, sic illi qui spiritales Deo filios gignunt, *patres* non incongrue vocantur et sunt. *Uva* fructus est vineæ. Per vineam vero spiritalem vitam possumus accipere, sermo igitur iste ad patres pertinet et filios, ad prælatos videlicet et subditos. *Patres* enim *uvam acerbam comedunt*, dum prælati, postposita divinæ contemplationis dulcedine, totam mentis intentio-

A nem amoris 226 et manibus sæculi curis irretire non metuunt et distendere. Et dum *patres*, id est prælati, ita ut prædiximus, *uvam acerbam comedunt*, fit nonnunquam, quod etiam *dentes filiorum obstupescunt*. Per *dentes filiorum* accipi possunt cogitationes subditorum. *Dentes filiorum*, cogitationes videlicet subditorum *obstupescunt*, quia sicut qui amarum aliquid comederit, uti est durus et immaturus pomorum fructus, ex ipsa amaritudine ita dentes illius obstupescunt, quod ad capiendum dulcem cibum aptari nequeunt; sic nimirum ubi tales sunt prælati, qui plus terrenis intendunt quam cœlestibus, cum tempus exigit, ut verbum exhortationis impendere debeant, sermo eorum non solum vilescit subditis, sed etiam plus confert amaritudinis

B quam ædificationis et divinæ dulcedinis.

Unde fit quod *parabolam* hanc *in proverbium* inter se nonnunquam vertunt, quia pro verbo Dei verba derogationis et detractionis in usum sibi assumunt, tacita nempe cogitatione infirmus subditorum animus contra prælatum, qui hujusmodi est nonnunquam submurmurat, vitamque ipsius, quod minus circumspecta sit, hac maligna reprehensione inconsulte dijudicare non metuit. Iste, inquiunt, formam justitiæ, quam nos instruit prædicando, nequaquam ipse exsequitur digne et laudabiliter vivendo. Nam orationibus minus sollicite insistit, sacræ 227 lectioni minus invigilat et intendit, et dum ipse in propriæ vitæ custodia sollicitus et providus nequa-

C quam existit, quid mihi prodesse, vel quid ejus doctrina ædificationis mihi conferre poterit? Hæc improvidæ detractionis objurgatio quod divino conspectui minime placeat, sequentibus mox verbis quasi increpando ipse denuntiat :

Vivo ego, dicit Dominus, si erit vobis ultra parabola hæc in proverbium in Israel. Quasi dicat : quandiu flamma succensi iræ et indignationis contra prælatum vestrum insævire non timetis felle commoti amaritudinis. Si id quod ego sum vultis esse; si videlicet vitam æternam vultis habere, vitam alienam cessate inconsulte discutiendo reprehendere, et ad discutiendas propriæ conversationis negligentias oculum mentis reducite.

Ecce omnes animæ meæ sunt, ut anima patris,

D *ita et anima filii mea est : anima, quæ peccaverit, ipsa morietur.* Vitam, inquam, alienam meo judicio discutiendam relinquite, vestrisque animabus sollicite providendo consulite. Nam sicut anima illius, quem temeraria reprehensione dijudicare non timetis, in manu mea est, ita etiam anima vestra meæ potestati subjacet. *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur.* Si ille peccaverit, justæ damnationis sententiam accipiet; si vos peccaveritis, eamdem vindictam ex justo judicio meo sentietis.

Qualis vero vita illius esse debeat, qua virtuosæ actionis altitudine sursum tendere opus habeat, quam divina prædestinatio ad culmen regiminis assumit, sequentis litteræ textus aperte innuit.

Et vir, si fuerit justus, et fecerit judicium et justi-

tiam. Justus vere dicitur et erit, cum renuntians sæculo et concupiscentiis ejus, id quod vere est, videlicet peccatorem semetipsum recognoscit. Et quia sola hæc cognitio ad perfectum non sufficit, ad eminentiorem necesse est, ut sese tollat viam, hoc est ut *faciat judicium et justitiam. Judicium* facit, cum pro peccatis suis districte semetipsum dijudicans, hoc ipse in se in præsenti punit, pro quo in districto **228** examine puniendum se recognoscit. Facit etiam *justitiam*, cum pro peccatis Deo satisfaciens justis sedulo operibus insistendo laudabiliter incipit vivere. Huic in tali bonorum operum altitudine sublimato diligentissime præcavendum est, ne illud subrepat, quod sequens ordo verborum denuntiat:

In montibus non comederit. In montibus comedere est pro laudabilis vitæ conversatione laudem humanam appetere. Et notandum quod dicitur *comedere*, hoc est ex amore et deliberationne laudem humanam requirere. Sunt enim nonnulli, quorum animum appetitus laudis ex improviso aliquando tangit, sed *in montibus non comedunt*, quia hunc cum amore et dulcedine non suscipiunt, sed, quantum possunt, tentationi Deo adjuvante resistunt. Et econtra sunt nonnulli qui recte *in montibus comedere* dicuntur, quia pro justis operibus suis toto affectu, toto desiderio gratiam humani favoris requirunt. Quisquis ergo ita, ut præfati sumus, *in montibus non comedit*, quod digne et laudabiliter vivens laudem ab humano ore non requirit, illud etiam declinare studeat, quod sequens littera evidenter insinuat.

Et oculos suos non levaverit ad idola domus Israel. Idola pagani Deum ignorantes fabricant et adorant, et honorem, quem Deo creatori suo debebant, operibus manuum hominum impendebant. Possumus etiam per *oculos* corporis affectum accipere ambitionis. *Oculos ergo ad idola domus Israel levat*, qui oculos cordis ad affectum levat ambitionis, qui votis omnibus exoptat, ut potestatem et dominium super alios accipiat, quatenus honor et reverentia qui Deo debetur, illi a subditis suis impendatur. Nam sicut ille, qui aliquem vult adorare, solo prosternitur, sic nimirum, qui non pro lucro animarum, sed pro solo amore gloriæ temporalis culmen quærit regiminis, adorari quodammodo desiderat, quia humiliter sibi inclinando, venerari vult a subjectis. Et revera, si contigerit, quod Deo non disponente, sed permittente cura aliena tali commissa fuerit, illud nonnunquam adimplebitur, quod textus subjectæ litteræ significare videtur.

229 *Et uxorem proximi sui non violaverit.* Proximus noster est ipse Creator et Redemptor noster. *Uxorem* vero hujus *proximi* unaquælibet congregatio valet accipi. Qui ergo amore et affectu ambitionis locum adeptus fuerit regiminis, *uxorem proximi sui violat*, quia non eidem proximo, id est Redemptori nostro, sed suis serviens desideriis, lucra spiritalia in congregatione sibi commissa non congregat, nec

A ad cœlestia regna quotidiani sui operis fructum præmittere invigilat. Sequitur:

Et ad mulierem menstruatam non accesserit. Mulier menstruata ex propria carne polluitur. Et ideo per *mulierem menstruatam* congregatio illa accipi valet, cujus vita et conversatio vilis et reproba omnibus apparet. Sunt enim nonnulli ita honoris et gloriæ cupidi, ut etiam congregationi propriis vitiis sordidæ præferri non timeant vel erubescant, si tantum nomen honoris sibi acquirant. Si quis vero non propria voluntate, sed divina dispensatione locum suscepit regiminis; qualis in doctrina sua esse debeat, verbis sequentibus propheta insinuat:

Et hominem non contristaverit. Prælatus dum confessionem subditorum audierit, summopere præca- B vere debet, ne *hominem* peccata sua confitentem, *contristet* aut conturbet. Audit quorumdam vitam, de quorum innocentia gaudeat; audit etiam quorumdam criminalia peccata, quibus condolere et condescendere debeat. Consolari quidem peccatorem debet, et ne propter enormitatem peccatorum suorum in barathrum desperationis veniat, humiliter confitenti spem consequendæ salutis et veniæ a Domino repromittat. De qua sententia adhuc subinfertur:

Pignus debitori reddidit. Pignus debitori reddere est peccatori humiliter, ut prædiximus, confitenti spem remissionis et gratiæ repromittere. Hinc in Deuteronomio Dominus per Moysen filiis Israel C præcepit dicens: *Non accipies loco pignoris superiorem aut inferiorem molam* (*Deut.* XXIV, 6). Superior et inferior mola est spes et timor. Loco igitur pignoris mola superior aut inferior accipi prohibetur quia qui peccatori prædicat, tanta **230** dispensatione componere prædicationem debet, ut nec data inutiliter spe timorem subtrahat, nec subtracta spe in solo timore derelinquat, sed spe animatus ad appetenda cœlestia magis ac magis accendatur, timore autem, ne iterare vias suas incipiat, terreatur. Ut autem hanc spem et timorem cordibus subditorum imprimere prælatus valeat, quemadmodum mox subjungitur, in prædicatione sua sanctis concordare expositoribus studeat. *Per vim*, inquit, *nihil rapuerit. Per vim nihil rapere* est sensum sacræ D Scripturæ a veritate non avertere. *Per vim* sacram Scripturam *rapere* dicitur, qui sanctis expositoribus non concordans, non sano intellectu, sed pro libitu suo temerarie eam exponere nititur. Si enim hoc fecerit, quod videlicet prædicationem suam sanctorum testimoniis confirmaverit et roboraverit, illud quod hic sequitur adimplere utiliter poterit.

Panem suum esurienti dederit, et nudum vestimento operuerit. Quid est *panem esurienti* tribuere, *et nudum vestimento operire? Panem*, pabulum videlicet cœlestis doctrinæ, *esurienti tribuit*, qui auditorem capacem et intentum verbo prædicationis reficit et instruit. Quem vero *nudum* esse viderit, hoc est quem ab hac gratia alienum esse perspexerit; quod ad audiendum verbum Dei nec capax sit nec inten-

tus, nudus etiam spiritali scientia ac bonis operibus, huic, ut beatus ait Benedictus, duplici doctrina præesse debet, hoc est ut ea quæ bona sunt et sancta, non solum prædicando, sed etiam bene vivendo demonstrare laboret. Cum vero, ut prædiximus, panem suum esurienti dederit, nudumque vestimento operuerit, qua intentione, qua humilitate custodire semetipsum debeat, in his quæ sequuntur intelligi datur.

Et ad usuram non commodaverit. Usura est propria dare, et aliena exigere. *Ad usuram* panem doctrinæ *commodat*, qui in subditis suis non solum bonorum operum fructum quærit, verum etiam laudem sibi ab ipsis exhiberi appetit. Unde adhuc in consequentibus dicitur: *et amplius non accepit. Amplius* quam debet *accipere* appetit, qui plus proprium quam Dei honorem et utilitatem **231** ac salutem proximorum quærit. Jam qualis in doctrina sua prælatus esse debeat, verbis, quæ prænotavimus, sermo propheticus præsignavit et præscripsit: nunc in consequentibus, qualis vita ipsius esse debeat, congruo ordine demonstrat.

Ab iniquitate averterit manum suam. Cum per *manus* opera designari soleant *manum suam*, opus videlicet suum, *ab iniquitate* quodammodo *avertit*, cum pro bona operatione non sibimet, sed Deo laudem et honorem tribuit. *Judicium verum fecerit inter virum et virum.* Facit prælatus *inter virum et virum judicium verum*, cum inter Deum et seipsum tale fecerit judicium, ut Deo soli gloriam relinquat, et de bonis operibus nihil sibimetipsi ascribat. Itemque alio modo *judicium verum inter virum et virum* facere prælatus debet, ut Deo subjectionem, subditis exhibeat æqualitatem et dilectionem, ut licet ex ordinatione Dei aliis se superiorem cognoscat, ipse tamen superiorem suum, quod est Christus, timeat et diligat. Hæc omnia, quæ supra memoravimus, vere Domini præcepta, vere Domini sunt judicia, de quibus mox subjungitur:

232 *Et in præceptis meis ambulaverit et judicia mea custodierit, ut faciat veritatem, hic justus est.* Quicunque ergo bonus et perfectus prælatus eo ordine, ut prædiximus, *in* his Domini *præceptis ambulaverit*, quod in mentibus humanam laudem oppetendo non comederit, quod oculos cordis sui ad idola domus Israel, hoc est affectum ambitionis non levaverit, quod uxorem proximi sui, congregationem videlicet sibi commissam non bene regendo violaverit, itemque veritatem fecerit, quod judicium verum inter virum et virum, inter Deum scilicet et seipsum fecerit, *hic* non incongrue *justus* dici poterit. Hic etiam illud quod sequitur, laudabili et felici operum effectu hic et in futuro consequetur:

Vita, inquit, *vivet et non morietur.* Ipsum enim, qui est vita vivens in se, quantum in hoc mutabilitatis tempore est possibile, manentem habebit in se, et cum corruptibile hoc incorruptionem (induerit), ita æterna glorificatione donabitur, quod ille in Deo et Deus in illo sine fine permanebit.

A

HOMILIA XXVII

IN FERIAM VI POST DOMINICAM PRIMAM QUADRAGESIMÆ PRIMA

Erat dies festus Judæorum, et ascendit Jesus Jerosolymam. Est autem Jerosolymis probatica piscina, quæ cognominatur Hebraice Bethsaida, quinque porticus habens (Joan. V).

Scriptura sacra, dilectissimi, non incongrua similitudine comparatur terræ, quam idcirco Deus omnipotens creare voluit, ut procederent ex ea cuncta animantia, homines scilicet et jumenta, bestias, volucres et reptilia. Producit enim fenum et herbam, quod est cibus animalium, producit frumentum et vinum, quod est cibus et potus hominum. Sic et sacra Scriptura quasi terra quædam est, producit

B

enim fenum et herbam his qui animalia sunt, sæcularibus scilicet hominibus, qui animaliter vivunt, dum simpliciter eos instruit et informat, quomodo criminalia et capitalia peccata unusquisque fugere atque vitare debeat. Producit nihilominus frumentum et vinum his qui homines sunt, spiritalibus utique qui ad imaginem et similitudinem Dei esse factos se recognoscunt. Herba et fenum crescit sine labore hominum; frumentum, vinum, nunc arando, nunc fodiendo laboriose excolitur et acquiritur, **233** quemadmodum primo homini a Domino dicitur: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo* (*Gen.* III, 19). Frumentum et vinum significat spiritalem sensum ac mysticum sacræ Scripturæ intellectum, qui vere

C

cibus et potus est cujuslibet beatæ animæ, sed acquiri et inveniri non potest, nisi cum labore.

Hoc denique frumentum et vinum desiderabilem utique refectionem animarum nostrarum, in hac quæ jam præ manibus est terra, in hac scilicet lectione evangelica, si studiose quæsierimus Deo auxiliante copiosius invenire poterimus. Nam si nihil aliud nobis insinuaret nisi simplicem illam Domini et Salvatoris nostri clementiam, quam ægrotanti per tot annorum curricula homini exhibuit, quem nec ipso rogante, nec alio pro eo interveniente misericorditer sanavit, magna quidem refectio, magna esset consolatio, his videlicet hominibus qui libenter pro salute sua laborant, qui quantum possunt, viribus corporis et affectibus cordis die ac nocte misericordiam ejus im-

D

plorant. Quomodo enim non subveniret eis, qui subvenit non roganti? Quomodo non salvaret in suæ pietatis clementia sperantes, qui hunc salvavit qui salutem ab eo non speravit?

Sed est et aliud in hac sacra lectione quod a spiritalium animarum non vacat refectione. Nos enim, nos sumus qui diem festum hunc, de quo in primordio Evangelii audivimus, Domino agimus et agere debemus, qui etsi gravati corpore mortali, quod portamus, ad integrum vitare peccata non possumus, a criminalibus tamen vitiis Deo auxiliante vacamus. Hic est *dies festus* ille, ad quem hortatur nos propheta David, ubi dicit: *Vacate et videte, quoniam suavis est Dominus; beatus vir, qui sperat in eo* (*Psal.* XXXIII). Non quidem in tumultu sæculi,

sed in spiritali vita agitur hic *dies festus* Domini, ubi tales homines congregati sunt, qui vitiis resistentes, et virtutibus, quantum possunt, insistentes, soli Deo vacare, atque ad ejus visionem utcunque pertingere conantur. Hunc diem festum rite concelebrant duæ illæ sorores Maria et Martha, quia sunt quædam animæ, quæ cum Maria divinæ vacant contemplationi; quædam, quæ cum **234** Martha bonæ student et inserviunt actioni. Illæ laborant ad exhibenda humiliter indigentibus officia; istæ vacant et vident quoniam suavis est Dominus: istæ circa exteriora occupantur, illæ interiora contemplantur. *Ad* hunc *diem festum* libenter *ascendit Dominus*, quia licet ubique et in omnibus locis sit, specialiter tamen cum illis et inter illos habitat, quos sibi vacantes invenit, quos ad æternæ pacis visionem laboribus, quibus possunt, viriliter contendere conspicit. Ubique est per majestatis suæ potentiam, cum istis est per pietatis suæ clementiam, de quibus etiam apte subjungitur:

Est autem Jerosolymis probatica piscina, quæ cognominatur Hebraice Bethsaida, quinque porticus habens. Probaton [πρόβατον] dicitur *ovis*. *Probatica piscina*, quasi pecualis piscina, eo quod lavare in ea sacerdotes pecora solebant, quæ in holocaustum Domini offerenda erant. Bethsaida vero *domus frugum*, vel *domus venatorum* interpretatur. *Domus frugum* recte eadem piscina dici poterat, quia qui sacrificia illa quæ in pecoribus fiebant, simpliciter pro peccatis suis Domino offerebant, fruges illas, hoc est refectionem atque consolationem illam inde habebant, quod indulgentiam eorumdem peccatorum suorum accipiebant; illi vero qui altius sapiebant, et quid eadem sacrificia prætenderent, Deo inspirante cognoscere poterant, abundantiores fruges, suaviorem cibum et refectionem animarum suarum inde capiebant.

Significat autem probatica illa piscina sanctam et justam animam, quæ quidquid ex affectu et dulcedine cordis sui offerre Deo deliberat, lavat in semetipsa et mundat, ne aliqua ei superbiæ aut vanæ gloriæ macula inhæreat. Quinque porticus, quas eadem piscina habet, quinque sensus hominis significant, qui animæ aut bona aut mala administrant. Quia vero nemo tam sanctus invenitur, qui in his quinque sensibus suis innocens sit (quis enim nostrum, qui oculis suis non viderit, quod videre non licuit, qui auribus suis non audierit, quod audire obfuit, qui cæteris sensibus suis, gustu scilicet, odoratu et tactu multa illicita atque noxia non contraxerit) apte evangelista subjunxit:

235 *In his jacebat multitudo languentium, cæcorum, claudorum, aridorum exspectantium aquæ motum.* Quid mysterii, quidve significationis iste ordo verborum in se contineat, ipsa nos nostra miseria docere poterit, quia quotquot peccata visu oculorum, auditu aurium, gustu, odoratu et tactu contraximus, quasi tot languentes in particibus nostris jacentes habemus. Et notandum quod dicit *languentium, cæ-* A *corum, claudorum, aridorum.* Languescimus in affectu, calcamur in intellectu; claudicamus in operatione, arescimus in oratione. In affectu denique languescimus, quando deficiente in nobis gratia Dei ab amore ejus intus torpescimus. Hunc noxium animæ languorem bona quædam anima in se sentiebat ac deflebat, cum dixit: *Filiæ Jerusalem, nuntiate dilecto, quia amore langueo* (*Cant.* v, 8). Per hanc et nos quidem docemur et admonemur, ut mox, dum in amore Dei languescere nos senserimus, ad insinuandum eumdem languorem nostrum et dolorem Salvatori nostro, ad filias Jerusalem, delicatas videlicet justorum animas, qui vel nunc in æterna pacis visione collocatæ cum Christo gloriantur, vel quæ in hujus adhuc vitæ miseria peregrinantur, quantocius B confugiamus, intercessionis earum suffragia humiliter imploremus. Nisi enim citius languor iste per misericordiam Dei sanetur, gravius malum subsequetur, duritia videlicet et cæcitas cordis, quia decrescente interius lumine prioris intellectus et scientiæ, nec se, nec Deum potest agnoscere. Obtenebrato et subtracto intrinsecus cordis lumine, etiam claudicare incipit in operatione, quia more claudicantis non duobus, sed uno pede incedentis, si quod bonum est, quod agit, hoc multis aliis pravis actibus suis polluit et perdit.

Post multitudinem hanc languentium, cæcorum, claudorum, subintrat multitudo *aridorum*, quando ita in semetipso arescere incipit, quod nullam in oratione interni saporis dulcedinem habere poterit, sed C siccus et aridus semper cadit in deterius. Hac ariditate detinebantur qui dicebant: *Anima nostra arida est.* Ab hac ariditate custodiri se postulabat David, ubi dicebat: *Sicut adipe* **236** *et pinguedine repleatur anima mea* (*Psal.* LXII, 6). Moxque qualem ex hac interna pinguedinis dulcedine fructum habiturus esset, adjecit et ait: *Et labiis exsultationis laudabit os meum* (*ibid.*). Quasi diceret: Si adipe et pinguedine dulcedinis et gratiæ tuæ intrinsecus repleveris me, in lætitia et exsultatione laudabo nomen tuum, Domine. Cognoscere autem ac deplorare in semetipsis hanc languentium, cæcorum, aridorum multitudinem solummodo est spiritalium, *aquæ motum* humiliter *exspectantium*. Aquæ motus iste significat D gratiam compunctionis, quam tanto ardentius desiderant et exspectant, quanto minus exterius inveniunt, quo delectentur et gaudeant. Quid enim aliud est exspectatio illorum de die in diem, pro quo laborant, pro quo die noctuque corpora sua macerant, nisi ut hunc laboris sui fructum inveniant? Sed pius et misericors Dominus hanc humilium suorum laborem et exspectationem non despicit, sicut consequenter evangelista subjunxit:

Angelus autem Domini, inquit, *secundum tempus descendebat in piscinam, et movebatur aqua. Angelus* iste significat gratiam Dei. *Angelus Domini descendit in piscinam*, quando omnipotens Deus per occultam gratiam suam beatam visitat animam; movens in ea aquam diu desideratæ compunctionis, per quam ma-

gis accensa ardescat in spe et desiderio superni amoris. Quia vero gratia hæc non secundum voluntatem et desiderium hominis, sed secundum voluntatem et pietatem Dei omnipotentis homini tribuitur, recte dicitur, *secundum tempus*. Plerumque enim dum totis affectibus cordis, totis laboribus corporis, vigiliis, jejuniis flagella cæteraque bona opera continuantes misericordiam Dei præstolantur, et magnifice se visitari a Deo ac consolari arbitrantur, minus inveniunt quod quærunt, quia tardius occurrit interna consolatio, pro qua laboraverunt. Nonnunquam vero, dum minus sperant, abundantiorem internæ dulcedinis gratiam accipiunt.

Possumus et aliter intelligere quod dicit, *secundum tempus*. Tempus est motus, vel mora rerum. Hora illa supernæ visitationis congrue tempori, quod cito **237** transit, comparatur, eo quod brevis sit, quia quidquid ibi de interna dulcedine homo degustando percipit, totum quasi raptim et in transitu fit, quia diu haberi non poterit, sed quantumlibet brevis sit, nunquam sine effectu sanitatis transit, sicut consequenter evangelista subjungit dicens :

Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat a quacunque detinebatur infirmitate. Verba ista ita intelligimus, sicut et credimus, quia quodcunque peccatum suum homo primum recordatus, post illam motionem aquæ quæ angelo Domini descendente, id est gratia Dei cor ejus visitante fit, perfecte pœnituerit, ab illo sine dubio mundatur et sanatur, quia sicut scimus et credimus, quod universa peccata hominis, originalia scilicet, et si qua sunt actualia, per baptismum delentur ; sic vere et indubitanter scire debemus, pro quocunque peccato suo in illa hora supernæ visitationis homo perfecte compungitur, quod ab illo vere per misericordiam Dei expiabitur. Hæc est fides et spes nostra, quam habemus ex misericordia Dei omnipotentis per prophetam dicentis : *Quacunque hora conversus ingemueris, salvus eris* (*Ezech.* XVIII, 21). Quotiescunque homo ille, cujus piscina in semetipso est, qui aquam illam internæ compunctionis jugiter ex gratia Dei habere potest, peccaverit, toties et sanari poterit. Si iterum peccat, iterum ad pœnitentiæ lamenta recurrat, et in quo duraverit atque inventus fuerit, in eo salvandum se aut damnandum noverit, sed quia sunt nonnulli in spiritali vita, qui hunc aquæ motum nec cognoscere nec habere possunt, hos consolatur ægrotus ille triginta et octo annorum, qui descendere in piscinam non potuit, et tamen ex solo Domini præcepto sanari meruit. Ait namque evangelista :

Erat autem quidam homo ibi triginta et octo annos habens in infirmitate sua. Decem ter computata faciunt *triginta*. Signantur autem per denarium numerum decem præcepta ; per ternarium vero tria illa, fides, spes et charitas ; vel etiam cogitationes sive voluntates, verba et operationes. Homo ille, **238** qui triginta et octo annos in infirmitate sua habuit, significat hominem illum, qui in fide, spe et A charitate, vel in cogitationibus suis, seu voluntatibus, dictis et factis, sive etiam in contemptu et transgressione præceptorum Dei Domino peccavit. Congrue autem *triginta annis octo* adduntur, per quos resurrectio figuratur, quando homo peccator, qui sic inveteravit, qui tandiu in peccatis duravit, prorsus semetipsum desperat, et ne renovari in Deo et ad spem vitæ aliquando resurgere possit, omnino dubitat. Attamen sic inveteratum, sic desperatum pius Dominus non despicit, sicut consequenter evangelista subjungit :

Hunc, inquit, *cum vidisset Jesus jacentem, et cognovisset, quia multum jam tempus habet, dicit ei : Vis sanus fieri?* Si sanari ab infirmitate sua velit, jacentem in peccatis hominem Dominus interrogat, B quando secundum solitam pietatis suæ clementiam voluntatem et possibilitatem resurgendi de iniquitate sua ei misericorditer subministrat. Unde post pauca subjunxit, et ait : *Surge, tolle grabatum tuum et ambula. Surgit* ; quando ex præcepto Domini, quod per occultam Dei inspirationem intrinsecus ad hominem fit, expergefactus, de lethali funere peccatorum suorum se erigit ; *tollit grabatum* suum et *ambulat*, quando in spiritali vita per continuos labores corporis, quod per lectum accipitur, prioris vitæ crimina evacuare nititur, atque per hoc ad integram animæ sanitatem reduci meretur. Huic necesse est ut insidias Judæorum, malignorum videlicet spirituum, sollicite caveat, qui tanto subtilius saluti ejus insidiantur, quanto difficilius resurgere eum posse, C si ceciderit, conspicantur. Siquando enim illi, qui per innocentiam atque munditiam cordis et corporis, divinæ inhærent contemplationi, fallente diabolo in aliquo excesserunt, citius resurgere, facilius curari possunt, quia mox ad *piscinam*, mox ad notam solitæ compunctionis medicinam recurrunt. Illi vero, qui in peccatis inveteraverunt, siquando post receptam sanitatem, post remissam a Deo peccatorum suorum impietatem ceciderint, tanto difficilius resurgere possunt, quanto minus **239** ad sæpe dictum aquæ motum pertingere meruerunt. Unde ait Dominus :

Ecce sanus factus es. Jam noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat. Gravior enim atque deterior esse cunctis præcedentibus peccatis coram Deo D lapsus ille creditur, qui post abrenuntiationem sæculi in spiritali vita incurritur :

Igitur quia sine misericordia et auxilio Dei, nec præterita commissa digne deflere, nec futura, prout opus esset, cavere possumus, ipsum, qui omnia potest, humiliter imploremus, ut piscinam nostram per angelum suum visitare dignetur, quia nisi donum et gratia ejus ad nos et in nos descenderit, aqua cordis nostri salubriter moveri non poterit. Congruit enim, et valde congruit bonitati ejus et clementiæ, ut ipse per seipsum, ad quem solum respicimus, nos dignetur visitare et lætificare, qui gaudium aliud nec habemus nec requirimus, nisi quod in illo et cum illo habere possumus. Nam si propterea olim de cœlis ad terras descendit, ut suorum animas de tenebris in-

ferni liberaret et educeret, nonne ex ejusdem misericordiæ debito debet etiam se nobis, debet desiderantibus se et quærentibus pignus imprimere et offerre sui amoris? Quæ enim major atque crudelior gehennæ pœna esse potest, quam dum non accipitur quod exspectatur, dum subtrahitur quod omni die, omni hora speratur, suspiratur, desideratur? Descendat igitur, descendat ad nos angelus iste, ut, mundati ab infirmitate nostra et sanati, his sanctis diebus omni custodia, sollicitudine ac vigilantia transcursis, lætum de hoste nostro triumphum ferentes, ad gloriam pervenire mereamur Dominicæ resurrectionis! Quod ipse præstare dignetur Dominus noster, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen!

240 HOMILIA XXVIII.

IN SABBATUM ANTE DOMINICAM II QUADRAGESIMÆ PRIMA.

Assumpsit Jesus Petrum, Jacobum et Joannem fratrem ejus (*Luc.* IX).

Verba hæc evangelica quanto majori supernæ dulcedinis redundant gratia, tanto subtiliori studio a nobis indaganda sunt intellectu mystico. *Assumpsit Jesus*, inquit evangelista, *Petrum, Jacobum et Joannem fratrem ejus.* Illos Dominus Jesus *assumit*, quos gratia sua ad hujus perfectionis culmen perducere disposuit, quæ per tria hæc nomina mystica figuratur intelligentia, videlicet ut agnitionem Dei et sui habeant, et vitia in semetipsis supplantare studeant, et evulsis vitiorum sordibus, gustare mereantur quam dulcis est Dominus.

Et duxit illos, inquit, *in montem excelsum seorsum.* Jesus ergo quosque salvandos *in montem excelsum seorsum ducit*, cum eos ad spiritalis vitæ, et ad bonorum operum sublimitatem provehit. *Seorsum* utique *ducit*, quando per internam inspirationem illos a criminoso prioris vitæ statu separare incipit. Tunc enim fit quod sequitur:

Et transfiguratus est ante eos. Figura Christi omnia profecto dici possunt sacramenta, quæ in homine fideli in sancta aguntur Ecclesia, sicut est sacri baptismatis lavacrum, et cætera hujusmodi, quæ ad animæ constituta sunt remedium. Hæc et ipsi quidem infideles fide suscipiunt, ad Ecclesiæ limina nonnunquam veniunt, et signo sanctæ crucis se muniunt, sed fides, quæ foris apparet, intus a bonis operibus vacua 241 prorsus remanet. Dum ergo his quæ fide, ut prædiximus, susceperunt, male vivendo contradicunt, Dominum Jesum in sordida quodammodo figura conspiciunt. Relicto vero sæculo dum eadem hæc quæ in sacramentis perceperunt, moribus et vita tenere contendunt, in alia mox figura Dominus Jesus *ante eos transfiguratur*, et ipsi ei per bonæ operationis studium configurantur.

Et resplenduit facies ejus sicut sol. Quia manifestum est quod magis ex facie homo cognoscatur quam ex alia corporis parte, per *faciem* perfecti quique intelligi valent, qui sic in spiritali vita de virtute in virtutem proficere student, ut in eis luce clarius va- A leat agnosci quod vere sunt de corpore Christi; qui etsi nunquam ad instruendum alios verbo doctrinæ assumuntur, per suæ tamen laudabilis vitæ studium, magnum cunctis se videntibus perfectæ conversationis præbent documentum vel exemplum. Sed proprie et specialiter per *faciem* prælati figurantur, tales utique, qui sic subditis præesse laborant, ut in eorum moribus et vita Deus agnosci valeat. Hi nimirum *solis* splendori non inconvenienter possunt comparari, quia sicut sol utrumque habet ex natura, ut videlicet illuminet et calefaciat, sic et ipsi illuminant quodammodo et accendunt, quia verbo et exemplo præsunt. Illuminant enim, cum verbo doctrinæ suæ tenebras ignorantiæ de cordibus auditorum expellunt. Sed cum hoc ipsum, quod verbis instruunt, B in vita sua et moribus exercere satagunt, eosdem, quos illuminant, ad bona opera perficienda procul dubio accendunt. Sequitur:

Vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix. Si enim per *faciem* prælatos accipimus, per *vestimenta* subditos non incongrue intelligere possumus. Sicut igitur vestimentum utrumque facit, et nuditatem contegit, et hominem ornat, sic profecto et perfecti quique subditi, in spiritali vita positi, præterita quidem peccata quotidianis lamentis seu quibuslibet bonis operibus ante Dei conspectum obtegere satagunt, et virtutum meritis semetipsos adornare contendunt. Inde fit ut hæc eadem *vestimenta alba fiant sicut nix.* Nix enim frigidæ naturæ est, C 242 sed dum solis ardore incaluerit, resolvitur, et in aquam mox convertitur. Sic et ipsi quidem, qui prius in peccatis perseverantes ab amore Dei frigidi omnino remanserunt, cum verbo prædicationis incalescunt, per gratiam sancti Spiritus statim in lacrymas resolvuntur, et resoluti procul dubio dealbantur. Mox subsequens erit quod evangelista subjungit:

Et apparuerunt illi Moyses et Elias cum eo loquentes. Per *Moysen*, qui erat legislator ipsa lex accipitur; per *Eliam* vero prophetæ figurantur. *Moyses* igitur quibuslibet perfectis *apparet*, qui sicut, ut diximus, illuminati fuerint, cum jam perfecte cognoscunt quid lex prohibeat, vel quid faciendum eis præcipiat, cum videlicet hoc quod littera legis extrinsecus præci- D pere videtur, ipsi typice intelligendo intrinsecus in semetipsis imitari conantur, et rursum, quid eadem lex prohibeat mystico sensu attendunt, nec ex illicitis quæ prohibet, quidquam sua sponte admittere volunt. *Eliam* quoque apparentem conspiciunt, quia hoc modo, ut diximus, per legem edocti, jam de spe futurorum bonorum sibimetipsis prophetare incipiunt. Apparent ergo Moyses et Elias non tacentes, sed ea nimirum quæ jam supra dicta sunt, *cum eo loquentes.* Sæcularibus enim adhuc actibus deditus, si quid fortassis auditu exteriori percipiebat, de lege Domini, mutum ei quodammodo fuit, nec *cum* [cod. *et cum*] *eo loquebatur* quia quod extrinsecus audiebat, bonis operibus intrinsecus exercere nequaquam studebat. Sed cum sic, ut diximus, illuminatus ad

agnitionem Dei pervenerit, jam Petri verbis uti poterit:

Domine, inquit, *bonum est nos hic esse*, ac si quilibet beatus dicat ad Dominum: Domine, ubi ante fuimus, cum juxta propriæ voluntatis arbitrium viximus, malum nos fuit esse. Sed *hic*, id est in spiritalis vitæ proposito, quod per inspirationem tuam aggressi sumus, *bonum est nos esse*. *Nos*, inquam, *bonum est hic esse*, id est utrumque hominem nostrum, animam videlicet et corpus tuis amodo præceptis inhærere. *Si vis*, inquit, *faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, et Eliæ unum.* Per hæc *tria tabernacula* **243** spiritus, anima et corpus mystica figurari possunt intelligentia. Per hoc enim, quod hic dicitur, *tibi unum*, amor congrue satis intelligitur, quia Christus novus homo veniens in mundum, non terroris pœnam incussit, sed ea potius, quæ dulcedinis et amoris sunt, docuit, cum melliflua voce intonans ait: *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum* (*Matth.* III, 2). Econtra quod ait, *Moysi unum*, timor accipi valet, quia in lege, quam per Moysen Deus dedit filiis Israel, nulla regni cœlorum data est promissio, sed peccata tantum puniri jubentur, cum toties ibi dicitur: Qui hæc vel alia fecerit, *morte moriatur*. Per *Eliam* vero doctor quilibet, seu ipsa prædicatio potest intelligi, quia Elias propheta Domini non solum futura prædixit, verum etiam populum Dei ab errore ad viam veritatis revocare studuit. *Tria* namque *tabernacula* beatus quilibet facit, *unum* amori, *unum* timori, *unum* prædicationi. Cum igitur initium sapientiæ sit timor Domini, nosse nos convenit, cur hoc in loco amor timori antepositus sit. Per dignitatem enim præponitur, quia amor, ut ita dicamus, primatum obtinet. Nam quod summæ perfectionis est, per amorem ad intimæ contemplationis dulcedinem pervenitur, timor vero inferiorem quodammodo locum habet, quia qui minus perfecti sunt, timere tantummodo æternæ damnationis supplicium noverunt, et quæ sint internæ dulcedinis gaudia, minime gustaverunt.

Quia igitur hoc mystice ita positum esse novimus, nos recto ordine timorem amori præponamus. Tabernaculum quisque timori facit, dum metu mortis, seu futuri supplicii præterita deserere peccata nititur, atque ad pœnitentiæ lamenta convertitur, tabernaculum vero amori construit, cum servili timore postposito et strepitu desideriorum carnalium sedato, bonis operibus die noctuque insudare non desinit, visioni jam Creatoris sui inhiat, atque ad æternæ contemplationis gaudia pervenire festinat. Tunc etiam tabernaculum prædicationi facere poterit, quia tunc sensum suum ad intelligentiam sacri verbi perfecte præparat, et collectus in Deo animus legendo semper et recolendo ea quæ audierit servat, et præcepta vitæ, quæ sensus capere **244** valet, memoria nequaquam amittit. Dicat ergo quilibet beatus, dicat: *Faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, et Eliæ unum.* Quod namque est manifestum, tabernacula vocantur castra militantium. Licet igitur tria tabernacula hic nominentur, *unum* tamen spiritaliter efficiuntur, tunc nimirum, cum tria hæc, videlicet, spiritus, anima et corpus in militiam Christi concorditer uniuntur. Cum igitur quilibet perfecti hæc tabernacula in semetipsis facere apud se deliberant, in hac beata deliberatione profecto fit quod evangelista subjungit:

Adhuc eo loquente et ecce nubes lucida obumbravit eos. Scimus quidem quod nubes utrumque ex natura habeat, quod videlicet imbrifera sit et umbram faciat. Quid convenientius per *nubem* valet intelligi quam irrigans gratia Spiritus sancti? Sicut enim pluvia infundit terram et inebriat, sic gratia Spiritus sancti cor hominis multiplicibus donis suis abundanter irrigat.

Notandum quoque quod simpliciter non dicitur, *nubes obumbravit eos*, *sed lucida* additur, quia animarum hæc eadem gratia mentem, quam repleverit, vitiorum cæcitate depulsa illuminat. Quæ etiam *obumbrat*, quia sicut illum, quem vehemens ardor solis exurit, umbra refrigerat, sic ipsa menti, quam illuminat quæ prius carnalibus desideriis æstuabat, refrigerium, id est remissionem peccatorum præstat. Denique cum *nubes* ista, id est Spiritus sancti gratia sic inundaverit, et hoc modo illuminaverit cor hominis, et obumbraverit, statim vox illa desiderabilis, vox videlicet internæ visitationis intonat, quæ dicit:

Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui; *ipsum audite*. *Hic*, inquam, sensus spiritalis, quem divina inspirante gratia jam accepistis, mihi est *dilectus*, mihi procul dubio placitus; hunc in vobis diligo, hunc laudo vere et approbo. *Ipsum audite*. Si quid virtutis, seu bonæ operationis iste suggerit, sequi studete; quidquid autem alius, id est carnalis sensus persuadere tentaverit, aurem cordis avertite.

Et audientes discipuli ceciderunt in faciem suam, et timuerunt valde. Quando ergo salvandi quique, qui hujus visitationis gratiam gustare meruerunt, **245** hanc delectabilem vocem intus loquentem *audiunt*, *in faciem suam*, profecto *cadunt*, id est in profunda cordis humilitate Deo se substernunt, et quodammodo coram Domino in terra jacent, quia jam statum superbiæ non habent, jam in consideratione infirmitatis suæ ante oculos summæ majestatis humiliter se dejiciunt, et in timore divino amplius proficiunt.

Tunc, inquit, *accessit Jesus, et tetigit eos, dixitque eis.* Qualis et quantus sit iste accessus, quam dulcis et quam jucundus, humana lingua exprimere non valet, sed solummodo hoc experimentum docet. *Accedit* ergo quia electis quibuslibet animabus sese jungit, et quos prius *tetigit*, ut timerent, tunc excitat, ut ament: tactu, inquam, amoris tangit quos olim in timore suo tantummodo perfectos esse per inspirationem suam docuit.

Surgite, inquit, *et nolite timere*. *Surgite*, hoc est sursum corda erigite, de mea pietate amodo præsumite. Usque modo enim servili timore coacti la-

borastis, servitio medio die noctuque insudastis. A Sed jam *nolite timere*, me nunc ut patrem mitissimum diligite, quem prius ut Dominum et judicem severissimum studuistis timere. Sicut ante servire mihi cum tremore vobis placuit, ita nunc pœnali formidine postposita in amore quælibet bona perficere libeat opera.

Levantes autem oculos suos neminem viderunt, nisi solum Jesum. Hoc in loco intellectuales oculi magis quam carnales sunt intelligendi. Quonam beati hi et beatificandi, qui hæc, quæ diximus, experti sunt, spirituales oculos suos, nisi in supernis levant? Quo profecto cum intendunt, *neminem nisi solum Jesum* conspiciunt, quia nil præter salutem suam in hora illa beata in semetipsis inveniunt. Vel si simpliciter intelligere volumus, quando sic per Spiritum **246** B amoris illuminati fuerint, quidquid de exterioribus aspiciunt, totum illis salus efficitur, quia sibimetipsis ad salutem trahunt. Sed quia mens humana in contemplatione diu stare non valet, sed ab immensitate tantæ celsitudinis repulsa in semetipsa citius relabitur, nunc recte dicitur :

Descendentibus illis de monte. In sublimitate igitur contemplationis, quia diutius se, ut diximus, continere ipsa corruptionis infirmitas non potest, ad inferiora *descendunt*, ad bona exterius opera redeunt, prægustatæ suavitatis Dei memoria pascuntur, foris piis actibus, intus sanctis desideriis pascuntur.

Et descendentibus illis de monte præcepit Jesus dicens : Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis a mortuis resurgat. C In hoc itaque divino præcepto nobis innuitur, quod electi Dei, post prægustatam supernæ contemplationis dulcedinem, semper se in humilitate custodire debeant, nec per hoc humani favoris gloriam requirant, sed nec locum regiminis suscipere delectent, magis autem se intra semetipsos contineant, ne dum bona adhuc tenera proximis citius ostendunt, amittant. *Nemini dixeritis*, inquit, *visionem, donec Filius hominis a mortuis resurgat*, id est tandiu suum eis silentium placeat, donec ad tantam perfectionem exsurgant, ut nec prosperis eleventur, nec adversis dejiciantur. Porro cum *Filius hominis a mortuis resurrexerit*, hoc est cum spiritus sic in Domino vivificatur, ut D nec per laudem elevatus corruat, nec per reprehensionem percussus contabescat, tunc primum bene et in tempore de visione illa beata contemplationis, quam ipsi saltem per speculum et in ænigmate videre potuerunt, proximis annuntiant eorumque animos ad amorem cœlestis patriæ inflammant.

247 HOMILIA XXIX.

IN DOMINICAM II QUADRAGESIMÆ PRIMA.

Egressus Jesus secessit in partes Tyri et Sidonis. Et ecce mulier Chananæa a finibus illis egressa clamavit dicens : Miserere mei, Domine, fili David. Filia mea male a dæmone vexatur (*Matth.* XV).

In cunctis sacræ et evangelicæ lectionis verbis, si diligentius intueamur, tota salus hominis innuitur. Primo qualis esse debeat initium conversionis, et post initium conversionis qualis Deo adjuvante appetendus sit modus perfectionis. Quod etiam nobis præsens sancti Evangelii lectio commendat, in qua Spiritus sanctus ea quæ a Domino foris gesta sunt ita enarrat, ut etiam quid quotidie invisibiliter operetur insinuet.

Egressus, inquit, *Jesus secessit in partes Tyri et Sidonis.* Jesus *salvator* vel *salutaris noster* quasi quodammodo intus esse dicitur, cum hominem secundum voluntatem et desideria cordis sui illicita vivere permittit, et ad omnia facinora properanti nullius obstaculi difficultatem, ut resipiscat, opponit. Tunc nempe salus intus latet et manet, dum nil de salute agitur animæ, sed ad totum illud, quod periculum et perditio suimet est, homo procaciter devolvitur. Sed tunc Dominus Jesus, qui diu longeque tacuit, et intus fuit, quasi mira dignatione *egreditur*, quando in occulta ordinatione sua salutem hominis operari disponit.

Quo felici et memorando egressu *secedit in partes Tyri et Sidonis.* Tyrus interpretatur *angustia*, Sidon *inutilis venatio.* Egrediens quippe misericorditer Dominus *secedit in partes has*, quando ipso inspirante corpus et anima, quæ per *Tyrum et Sidonem* accipi possunt, se a se avellere [*cod.* evellere], et partiri incipiunt, quæ ad vitia et peccata carnis unanimem consensum tenuerunt, *et Tyrus*, quod est anima, *angustiari* cœperit pro *inutili venatione* Sidonis, quod est corpus. Considerat quippe in amaritudine **248** animæ suæ quomodo totum tempus vitæ suæ bestiali more vivendo transegerit, et corpus suum inutili peccatorum venatione occupatum turpibus et criminosis actibus subdiderit. Dum ex abundanti gratia Dei homo sic prævenitur, dum tali, inquam, modo, ut prædiximus, Dominus Jesus *egreditur, et in partes Tyri et Sidonis secesserit*, fit cœlitus quod sequitur :

Et ecce mulier. Ecce, hoc est sine mora *mulier* egreditur, anima scilicet divinitus emollita et conversa, quæ pridem postposito timore et amore Dei per peccata fuerat indurata. Et hæc *mulier Chananæa.* Non est superflua adjectio, quod mulier ista dicitur fuisse *Chananæa.* Chananæa denique interpretatur *mota* vel *negotiatrix*, sive *paupercula.* Congrue, ut video, tunc dicitur anima *mota*, quando jam in desiderio habetur, spretis delictorum suorum fœditatibus sæculi abrenuntiet vanitatibus. Fit quoque *negotiatrix* vendere cupiens inutilia et indecentia opera, ut acquirat pretiosa virtutum ornamenta. Omnis quippe videns dat vile, ut charius sibi emat. Sic et ipsa anima bona *negotiatrix* dat inutile et vile peccatorum pretium, ut nobile et pulchrum meritorum possideat mercimonium. Fit etiam *paupercula*, dum in vera humilitate cordis agnoscit et pœnitet innumera quæ commisit scelera. Unde et sequitur :

A finibus illis egressa clamavit dicens : Miserere mei, Domine, fili David. Notandum quod *a finibus*

illis egressa dicitur. Tres sunt gradus peccatorum, A initium, medietas et finis. Initium peccandi consensus, finis actus consummatus, inter quos quasi duos fines medietas est concupiscentia carnis, quam
249 apostolus Paulus legem membrorum nominans legi mentis repugnantem dicit (*Rom.* VII, 23); quia quasi fomes quidam peccati perfectorum etiam sese importune ingerit animo. Igitur Chananæa ista *a finibus illis*, a peccandi consensu et a peccati actu egressa, sed adhuc media peccati delectatione sæpius inquietata, quid factura est? Sequitur:

Clamavit dicens: Miserere mei, Domine, fili David. Filia mea male a dæmonio vexatur. Videamus quo ordine anima hæc procedat, et quibus actibus vel moribus seipsum componat. Primum namque egressa est mala relinquendo. Secundo prosperæ B percipiendæ salutis clamavit intimo desiderio cordis confitendo. Desiderium enim et confessio cordis quidam apud Deum est clamor vivæ vocis, sicut et Moysi ore tacenti et corde clamanti dicitur: *Quid clamas ad me?* (*Exod.* XIV, 15.) Clamat ergo Chananæa ista, anima videlicet *mota* de sæculo, negotiandi perita, paupercula, id est humilis in oculis suis, dicens: *Miserere mei, Domine, fili David.* Ac si dicat: Licet spem et fiduciam in te habeam, Domine, quia misericors es in millibus auferens iniquitatem et peccata, sed scio et perpendo quia duobus pedibus tuis, misericordia scilicet et judicio, fines terræ perambulas, et ideo contremisco et ingemisco sciens et mente revolvens, C quoniam qui misereri in perpetuum non oblivisceris, etiam rectissimum judicium tuum nunquam dimittis. Sic etenim utriusque pedis mentionem faciens Psalmista ait: *Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine* (*Psal.* C, 1). Neque enim misericordiam sine judicio, neque judicium sine misericordia justo Deo congruere affirmabat, sed utrumque, misericordiam et judicium Domino decantare se asseverabat. Unde beata quælibet anima, ne remota misericordia justi judicis damnetur sententia, exorat, dicens: *Domine*, si remota pietate a te discutiar, pereo, et ideo pedem justitiæ retrahendo amove, pedemque misericordiæ clementer porrige, quem amplectens et deosculans confidentius respirare valeam de tuis infinitis miserationibus. *Mi-* D *serere mei, Domine, fili David.* Filium enim David ea spe et fiducia te nomino, ut sicut David puero tuo gravia flagitia dimisisti, ita quoque iniquitatibus **250** meis clementer digneris propitiari. Vel ideo *filium David* te, Deus meus, appello, ut reminisci digneris, quod Creator meus es, et ipse mei causa creatus es, homo factus pro me. *Miserere mei, Domine.*

Filia mea male a dæmonio vexatur. Vellem quidem peccata mea tibi satisfaciendo corrigere, sed non valeo, quia *filia mea male a dæmonio vexatur*. Ex eo sane quod ait filiam suam male a dæmonio vexari, ostendit quod quidam bene, quidam male vexantur. Beatus denique Job bene meruit vexari, imo tentari, dum in tentationibus idem ipse qui prius fuerat persistit, et ideo per tentationem dignus habitus est coronari. Judas male et nequiter est tentatus, quia dum tentationi avaritiæ consensit, a Deo reprobatus est et damnatus. Ille igitur *male vexatur*, qui suadenti et suggerenti diabolo per consensum et delectationem cooperatur; bene autem vexatur, qui vexanti et suadenti diabolo nequaquam consentire probatur. Ille etenim est de quo scriptum est: *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ* (*Jac.* I, 12). Dolet itaque peccatrix anima quod *male* et non bene *vexatur*, cum consentiendo succumbit tentationi. Et ideo clamat clamore valido, intimo cordis desiderio ad Dominum loquens: *Miserere mei, Domine, fili David.* Sed quia plerumque contigit ut inter tot gemitus et clamores pro voto suo non exaudiatur, recte subjungitur:

Qui non respondit ei verbum. Quod *verbum?* Illud sane Verbum non respondit, quod hominem intrinsecus dulciter solet tangere, de quo scriptum est: *In principio erat Verbum* (*Joan.* I, 1), per quod facta sunt omnia. De quo rursum dicitur: *Misit Verbum suum, et sanavit eos* (*Psal.* CVI, 20). Tandiu ergo Verbum non respondet, quandiu interna suavitas non mittitur, et ideo sanitatis virtus nonnunquam differtur. Sed et alio modo *verbum* pro facto ponitur, ut ibi: *Et non erat*, inquit Scriptura, *verbum in domo ejus, quod non ostenderet eis* (*Isai.* XXXIX, 2). Omnipotens Dominus *verbum non respondet*, quando hominem necdum permittit, ut bonæ voluntatis desiderium ad opera munda et recta perducere queat. **251** Sed si in bona voluntate perseveraverit, ampliora salutis dona Deo inspirante ei accedunt. Unde et congrue sequitur:

Accedentes autem discipuli, quia nomen et reverentia magistri timorem exigit discipuli, apte per *discipulos* sensus timoris exprimuntur. Quo enim crebrius peccatrix anima seipsam intuetur, eo amplius divini timoris gratia adimplebitur, qui profecto timoris sensus nequaquam a precibus cessant, sed assidue Dominum rogant, quemadmodum Paulus ait: *Orate sine intermissione* (*I Thess.* V, 17). Orationibus semper vacare nemo est qui possit. Sed ille utique sine intermissione orat, qui sive manducet, vel bibat, sive dormiat vel aliud quid faciat, totum in nomine Domini ita agere satagit, ut merito coram Domino oratio dici valeat.

Accedentes ergo *discipuli*, sensus videlicet timoris quid rogant? *Dimitte eam.* Ac si dicant: *Dimitte eam*, id est a peccatis fac liberam; *dimitte eam*, et fac voti compotem, quia nemo eam tenere vel impedire poterit, si clemens et bona voluntas tua eam sequi te permiserint: *Clamat enim post nos*, et idcirco *dimitte eam*, ut potestative possit habere nos. Vel sic *clamat post nos*, quia sperat cœlestia, sed adhuc corpus et anima quærit terrestria. Hæc ergo omnia Deo invisibiliter operante et hucusque dissimulante, et non respondente,

etsi non dat eo quod amicus est, propter improbitatem tamen ejus surgit, et dabit ei quidquid habet necessarium. Hinc est quod sequitur :

Ipse autem respondens ait : Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel. Hic spiritus consilii, qui in septem donis Spiritus sancti a prima Dominica Septuagesimæ enumeratis, huic quintæ Dominicæ inscribitur, dat salubre consilium animæ quærenti illum. *Non sum*, inquit, *missus nisi ad oves.* Per *oves* innocentia, aut simplices vel innoxiæ cogitationes figurantur. *Oves*, itaque *quæ perierunt*, hi sunt qui innocentiam suam aliquando amiserunt, sed de lupis in agnos commutati in *domo Israel* mansuete et innocenter vivunt, ipsi jam facti *domus Israel*, hoc est mundo corde contemplari et videre quærentes Dominum. *Non sum missus nisi ad oves.* Ac si magni consilii Angelus **252** dicat homini : Instas mihi importune, opportune salutem et consilium animæ tuæ flagitando a me. En, si optas a morte peccatorum liberari, horum quos prædixi innocentiam et simplicitatem et munditiam cordis oportet te imitari, et societatis contubernium quærere. *Non* enim a Patre alias *missus sum*, nec delectatur anima mea, nisi in talibus. Audiens hæc prudens et fidelis anima, nequaquam Dominica parvipendit præcepta, quemadmodum sequitur :

At illa venit. Unde, aut quo *venit? Venit* mundum relinquendo, *venit* corpore, *venit* et mente, *venit* et bona quæ potest faciendo. Nec hoc contenta *adorat* etiam, id est bona sua in humilitate custodiendo, *adorat* tota devotione mentem Deo seu Magistro substernendo, *adorat* quoque coram omnibus se humiliando, et si non corpore omnium substernitur pedibus, intimis tamen humilitatis medullis subjicitur omnibus. *Domine*, inquit, *adjuva me.* Primo dixerat, *miserere mei*, secundo a sensibus timoris dictum fuerat, *dimitte eam;* jam tertio adjutorium Domini implorat dicens : *Domine, adjuva me.* Ubi enim major est pugna, majora Salvatoris necesse est quærere præsidia. Quid enim est totius spiritalis vitæ militia nisi jugis cum hoste conflictus? *Domine*, inquit, *adjuva me.* Ac si dicat : Domine, in medio inimicorum meorum posita, sola in agone contendo, et, donec halitus superest in me, hoc duello congredi debeo, para mihi solitum adjutorium, quæ nullum præter te habeo solatium, concedens, ne unquam dominentur mihi inimici mei. Accepta ergo tali postulatione, ut in melius proficiat, iterum eam exhortatur dicens :

Non est bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus ad manducandum. Hæc verba vere sunt verba Spiritus sancti ex æterna Patris sapientia prolata. *Panis filiorum* magna et sublimis est doctrina electorum, vel *panis filiorum* interna suavitas pacificorum, de quibus dicitur in Evangelio : *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur* (*Matth.* V, 9). Qui utique panis nequaquam mitti debet *canibus.* In Veteri namque Testamento, ubi munda A animalia discernuntur, canis inter immunda animalia reputatur. Et ideo per *canes* proterve et superbe **253** peccantes figurantur. Et notandum quod non ait, cani, sed *canibus*, ut significet immundos esse in utroque homine, corde scilicet et opere. *Panis* ergo iste tunc *canibus mittitur*, cum immundo corde et corpore verbum Domini percipitur, nec ad internam suavitatem degustandam oculus cordis emundatur. Admonet ergo unumquemque Dominus et dicit : Si vis panem filiorum meorum manducare, immaculatum te interius et exterius custodi quia *non est bonum* hunc *panem mittere* coinquinatis animabus et corporibus ; sed ita verbum meum auditu percipe, ut fructum bonæ operationis repræsentes in opere. Sic exhortante B Domino et monente, beata anima capax et avida hujusmodi doctrinæ ex profunda cordis humilitate beatæ hujus mulieris intra se respondet verba :

Etiam, Domine. Ita plane est, Domine, ut asseris, et sic oportet fieri. *Sed et catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* Sicuti per *canes* superbe peccantes, sic per *catellos* humiliati accipi possunt peccatores, per *micas* vero exigua gratia, per *mensam* abundans suavitas, per *dominos* dignitas prælatorum et aliorum perfectorum. Mensam etenim quamdam Dominus et Salvator noster filiis suis præparavit, in qua diversarum apponuntur fercula deliciarum, supereminens, ut dixi, dulcedo Dei, et ut intelligant mysterium regni Dei, quod est latens C et profunda scientia Scripturarum. Hanc mensam *catelli*, id est humiles, in oculis suis peccatores non adeunt, nec ad hanc sedem, ut filiorum panem comedant, quærunt, sed in humili et contrito corde persistentes, hæc intra se nonnunquam dicunt : Nos, Domine, qui *canes* aliquando proterve peccando fuimus, jam *catelli*, hoc est humiles in oculis nostris peccatores sumus, da nobis *de micis*, da de immensa electorum tuorum gratia exiguam gratiam, da nobis *de micis, quæ cadunt de mensa dominorum* nostrorum. Ipsi enim magna in se experti beneficia, de modica dulcedinis tuæ gratia confoveri pro magno non habent; nobis autem pondere peccatorum prægravatis quantulacunque gratia tua sufficeret, si hanc aliquomodo misera vita nostra promereri a te posset. Illi, D Domine, non dicimus, **254** peccata non committere, verum etiam de peccatis aliquando cogitare nefas ducunt et abominantur, et per hoc non parvæ mercedis remunerationem a te digne præstolantur. Nobis si spes ulla aut fiducia daretur, ut ipsa gehennæ tormenta evadere possemus, satisfactum nobis esse crederemus.

Item alio modo per *panem filiorum* spiritus amoris accipitur, qui non nisi dilectis et electis filiis Dei in nimia dulcedinis abundantia de supernis ministratur et apponitur. Hunc *panem filiorum*, id est spiritum intimi amoris dum anima peccatrix, quæ nondum per pœnitentiam ad spiritum timoris pertingere meruit, accipere desiderat, ab eo qui saluti omnium consulere novit, congrue audit : *Non est*

bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus. Non est, inquit, *bonum*, ac si dicat *bonum non est*, quia justum non est, nec meæ congruit æquitati ut qui *canis* vitam imitatus est superbe et proterve peccando, et qui nondum digna pœnitentiæ satisfactione, quomodo timere me debeas, didicisti, de *pane* dulci, quo *filios* meos satiare consuevi, modicum quid accipias.

Hæc dicente Domino intrinsecus in corde hominis dignum aut justum non esse panem filiorum mittere canibus, humilis et vere pœnitens anima ipsi Domino ut justo Judici concordat respondens in hæc verba : *Etiam, Domine, sed et catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* Ac si nimia cordis et spiritus contritione anima dicat : Novi, o Domine, æquum et congruum non esse, ut asseris, ut *canibus*, id est immundis et coinquinatis dulcis filiorum tuorum donetur panis : *Sed et catelli edere habent de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* Per *catellos*, ut supra diximus, humiles peccatores, per *micas* minutos quosque excessus accipe, per *mensam*, cor abundans Spiritus sancti dulcedine. *Cadunt* tunc *micæ de mensa*, quando filii Dei visitante se copiosa dulcedine spiritus amoris de minutis quibusque excessibus cogitationum, operum, locutionum semetipsos districte dijudicant et reprehendunt, et sic minima plangunt, ac si maxima quæque facinora perpetraverint, et quantum fas est mortalibus, in vera humilitate Deo vitam suam irreprehensibilem **255** exhibent et custodiunt. Sed inter hæc cum humiles pœnitentes *dominos suos*, scilicet innocentes quosque vident, pro minutis quibusque excessibus miro modo compungi et mirabiliter in fletibus cruciari, illi quodammodo *edere de micis* incipiunt, quia accepto spiritu timoris, qualiter pœnitere et deflere graviora quæque peccata, et digne Deo pro eis satisfacere debeant, laudabile ab eis exemplum sumunt, quod nequaquam *canes*, id est superbe et proterve peccantes, sed *catelli*, humiles videlicet peccatores faciunt, qui peccatorum suorum pondera recognoscunt, sicque per spiritum timoris tandem proficiunt ad spiritum amoris. Cum beata quælibet anima adeo instructa eo, ut diximus, ordine progreditur, et ex profunda cordis radice tum dictis tum factis humiliatur, tunc respondet Jesus, tunc erumpit in vocem, quæ diu desideratam affert benedictionem. Nam super quem requiescit Deus, nisi super humilem, et quietum, et trementem sermonem ejus? Tunc respondens ait :

O mulier, o anima per gratiam emollita, nomini meo ascribatur quod te olim duræ cervicis et cordis impœnitentis misericorditer emollivi. Sed et merces debetur operi tuo quia *magna est fides tua*, quam ex magna humilitate promeruisti. Sciendum quæ modica et quæ *magna fides* dicatur. Beatus denique Petrus modicæ fidei fuerat, cum exsurgente maris unda spei anchoram dereliquit, et salvari se posse minime credidit. Unde quod pusillæ fidei fuerit, a Domino redarguitur, cum ei voce Dominica dicitur : *Modicæ fidei, quare dubitasti?* (*Matth.* XIV, 31.) Hanc modicam Petri fidem habet quisquis nunc detractionis aura flante minimum dejicitur, aut favoris gratia inutiliter extollitur. *Magnæ* autem *fidei* præconio insignitur, qui Deo adhærens fortis in adversis, humilis in prosperis invenitur. Hujus profecto fidei perfectio magna beatitudine remuneratur, quemadmodum sequitur :

Fiat tibi sicut vis. Quid est *Fiat* **256** *tibi sicut vis?* Norunt qui experti sunt quia cum amor et desiderium cœleste cor medullitus tetigerit, quam exuberans multitudo dulcedinis Dei cor exhilaret, quomodo pro velle suo optatis potiatur desideriis, quam affectuosis immorari valeat lacrymis. *O mulier, magna est fides tua.* Magnæ fidei esto, *fiat tibi sicut vis.* In quantum denique velis, afflue et epulare deliciis meis.

Et sanata est filia ejus ex illa hora. Ex illa nempe *hora filia*, id est anima, vere *sanatur*, et licet adhuc mortali carne circumdata omnem peccati effugere nequeat languorem, *ex illa tamen hora*, quando unus cum Domino spiritus fit, tantam tamque perfectam accipiet sanitatem, quæ perpetuam auferat damnationem vel infirmitatem.

Sed et hæc eadem verba sancta et perfecta quælibet anima, quæ usque ad finem vitæ viriliter certavit cursum consummavit, fidem servavit, audire meretur, cum carnis educta ergastulo ad cœlos sublevatur. *O mulier, magna est fides tua.* Ac si Dominus dicat : Ego Dominus scrutans corda et renes novi infirma virium tuarum, novi quod lutea massa et fragile figmentum fuisti. Sed quia *magnam fidem* et dilectionem mihi exhibuisti, *fiat tibi sicut vis.* Semper enim sitibundo pectore gloriæ meæ præsentiam quærebas; jam nunc educta de mundi exsilio habitabis cum Dei Filio. Vide non per speculum et ænigma, sed facie ad faciem quem videre desiderasti. Amplectere et fruere quem semper amasti. *Et sanata est filia ejus ex illa hora.* Ex tunc enim, cum illud summum bonum, quod Deus est, possederit, integræ et perfectæ sanitati donabitur tam in anima quam in corpore, quia nulla deinceps corruptionis nocebit ei macula, sed sempiternæ accedent sanitatis gaudia ineffabilia. Ad quam sanitatem perducat nos auctor sanitatis Jesus Christus Dominus noster, qui vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

257 HOMILIA XXX.

IN FERIA VI POST DOMINICAM II QUADRAGESIMÆ PRIMA.

Dixit Joseph fratribus suis : Audite somnium meum. Putabam nos ligare manipulos in agro, et quasi consurgere manipulum meum et stare, vestrosque manipulos circumstantes adorare manipulum meum (*Gen.* XXXVII).

Fratres isti Joseph, qui eumdem Joseph maligna fraude postea vendiderant non inconvenienter malignos spiritus significant, quos ideo *fratres* dicimus

quia tam ipsi quam et nos ab uno Deo Creatore creati sumus. His profecto fratribus, spiritalis quilibet Joseph narrat quodammodo somnium, quod vidit, dum per bonam voluntatem, quam Deo inspirante concepit, perversæ illorum suggestioni contradicit. Nam per somnium, quod homo non vigilans, sed in nocte dormiens et quasi nesciens videre solet, occulta et, ut ita dicam, inopinata divinæ visitationis gratia intelligi valet, qua homo salvandus adhuc in tenebris ignorantiæ positus, nullis suis meritis præcedentibus, sed gratuita bonitate intrinsecus visitatur et illuminatur, et ad peccatorum suorum recognitionem aliquantulum revocatur. Et quia pro malis quæ commisit, displicere sibimetipsi incipit, quasi contradicendo et renuntiando perversitati malignorum spirituum ait: *Audite somnium meum, quod vidi.* Audire consilia iniquæ machinationis vestræ jam ultra contemno, quia *somnium* salutis, *quod vidi*, bonum quod divina inspiratione in animo meo proposui, opere adimplere contendo.

Putabam nos, inquit, *ligare manipulos in agro. Putabam*, verbum dubitantium est. Nam dum homo interna visitatione tangitur, non statim ad Deum convertitur, sed imprimis quasi dubitative secum meditatur et cogitat, nesciens quid potissimum eligere debeat. Nam converti et ea quæ mundi sunt relinquere, voluntas bona suggerit, sed ex altera parte caro infirma ad amorem sæculi **258** retrahit. *Putabam*, inquit, *nos ligare manipulos in agro. Agrum* spiritalis propositi adire deliberat, ubi sanctarum cogitationum, cœlestium desideriorum, bonorum intellectuum et justorum operum *manipulos* colligat. Et bene ait, *putabam nos ligare manipulos in agro*, quia non solum intraturus est agrum sanctæ conversationis, intrabunt nihilominus pugnaturi cum eo fratres sui, bellatores fortissimi, qui innumerabiles tentationum *manipulos* colligunt, quibus perturbare et inquietare tranquillitatem mentis illius contendunt. Unde necesse est ut ille e contrario talem, tam fortem patientiæ et perseverantiæ *manipulum* colligat, quem *consurgere et stare contra* circumstantes inimicorum suorum *manipulos* faciat, eosque *quasi manipulum* suum *adorantes* pronos in terram humiliter sibi prosternat.

Responderunt fratres ejus: Nunquid rex noster eris, aut subjiciemur ditioni tuæ? Ista perversorum fratrum responsio est dura et prævalida illorum colluctatio, quia a bona, quam proposuit voluntate omnimodis eum conantur avertere et revocare, ne forte, dum relicto regno vitiorum obtinere merebitur regnum virtutum, illi quasi impotentes et infirmi ditioni ejus subjiciantur.

Hac igitur causa somniorum atque sermonum invidiæ et odii fomitem ministravit. Fomitem invidiæ et odii immundis spiritibus generat, dum causam somniorum atque sermonum, hoc est gratiam occultæ visitationis et internæ allocutionis salubriter et utiliter percipere et ad effectum operis perducere considerant. Unde sequitur:

A *Aliud quoque somnium vidit*, **259** *quod narrans fratribus ait: Vidi per somnium quasi solem, et lunam et stellas undecim adorare me.* Spiritalis iste Joseph *aliud quoque somnium videt*, dum id quod in animo proposuit propter spem æternæ remunerationis, opere jam implere studet. Nam hoc est quodammodo perversis fratribus illis quasi contradicentibus et reluctantibus *narrare*, bonæ videlicet voluntatis propositum operibus comprobare. Hunc etiam in agro spiritalis vitæ bene laborantem *sol*, id est contemplantes; *luna*, hoc est continentes; *stellæ*, quod est confitentes, quodammodo adorabunt, dum pro bona conversione, pro laudabili conversatione eum magnificabunt.

Quod cum patri suo et fratribus retulisset, increpavit eum pater et dixit quid sibi vult somnium quod B *vidisti? Refert patri suo*, Deo creatori suo gratias agendo, *refert* supradictis fratribus suis invidiam illorum bonis operibus provocando. Pater vero talia referentem non laudat, sed *increpat*. Et hæc talis increpatio subripiens accipienda est tentatio. Nam tentari eum permittit, ut humiliet, et postquam humiliatus fuerit, magis eum exaltet et sublimet. *Num ego* inquit, *et mater tua et fratres tui adorabimus te super terram?* Nunquid *ego* verus sol contemplantium, *et mater tua* Ecclesia continentium, *et fratres tui*, videlicet multitudo confitentium *adorabimus te super terram?* Quasi *super terram* quoque *adoraretur*, si contemplantibus, si continentibus, si confitentibus in omni virtutum gratia æqualis haberetur. C Itemque alio modo quasi *super terram adoraretur*, si nullis tentationum molestiis turbari permitteretur. Sequitur:

Invidebant igitur ei fratres sui; pater vero rem tacitus considerabat. Invidentibus itaque et magis ac magis tentando insurgentibus iniquis fratribus illis, Deus *Pater rem tacitus considerat*, quia tentationis exitum patienter sustinet et exspectat. *Tacet*, quia laboranti in tentatione non subvenit; *tacet*, quia fratres illos invidentes et insidiantes non repellit nec reprimit. Verumtamen quod hæc eadem tentatio ad salutem illi Deo miserante tandem proveniat, sequens littera exprimens ait:

Cumque fratres illius in pascendis **260** *gregibus* D *patris morarentur in Sichem, dixit ad eum Israel: Fratres tui pascunt oves in Sichimis. Veni, mittam te ad eos.* Per *Sichem*, qui *humerus* interpretatur, labor corporalis non injuste designatur. Et ideo greges tanti Patris, congregati scilicet Christo mundi contemptores, bene *in Sichem commorari* dicuntur, ubi in spiritalem servitutem piis laboribus rediguntur. Ubi etiam sæpe memorati fratres illi eos quodammodo pascunt, quia magis eos per tentationem proficere faciunt. Illuc nimirum beatus quilibet Joseph in augmentum salutis suæ a Deo Patre mittitur, quemadmodum consequenter infertur.

Missus de valle Hebron venit in Sichem, invenitque eum errantem in agro et interrogavit eum quid quæreret. Hebron *augmentum sempiternum*, Sichem,

ut jam dictum est, *humerus* interpretatur, quo labor præsentis vitæ non immerito significari videtur. Est quidem augmentum sempiternæ beatitudinis utilis exercitatio vitæ præsentis ; sed tamen, dum Joseph iste *in Sichem mittitur*, dum humerum cordis ac corporis piis laboribus supponere jubetur, quasi *errans in agro a viro*, id est a doctore aliquo *invenitur*, quia licet *Sichem* inhabitare elegerit, varius tamen error tentationum in primordio conversionis cordi illius se ingerit. Sed *vir* virtutis, æternæ videlicet doctor veritatis, dum hunc *errantem invenit*, dum errores tentationum, quibus turbatus est, cognoverit, graviores illi adhuc tentationum laqueos superesse denuntiat, cum dicit :

Audivi autem eos dicentes : Eamus, in Dothaim. Quasi dicat : Fratres tui, insidiatores maligni, *in Dothaim*, hoc est in *defectum* ire desiderant, quia te non in profectum, sed in defectum secum abducere festinant. Unde sequitur : *Qui cum vidissent eum procul, antequam accederet ad eos, cogitabant illum occidere, et mutuo loquebantur : Ecce somniator venit, occidamus eum, et mittamus in cisternam veterem, dicemusque : Fera pessima devoravit eum, et tunc apparebit quid prosint illi somnia sua.* Vident eum non de prope, sed quasi *a longe venientem*, id est malignitati et suggestioni illorum nondum consentientem. Unde impetu **261** magno consurgentes super eum irruunt et *somniatorem* boni crudeli morte animæ occidere cupiunt, ut occisum *in cisternam veterem* mittant, hoc est ut a Deo apostatando veterem hominem cum actibus suis eum reinduere faciant, et tunc quasi victores fortissimi super interitum ipsius insultantes dicant : *Fera pessima devoravit eum. Fera pessima* est luxuria vel carnis concupiscentia, quæ tunc Joseph spiritalem devorare dicitur, quando post conversionem rursus ad mundi voluptatem relabitur.

Audiens autem hoc Ruben, nitebatur eum liberare de manibus eorum et dicebat : non interficiamus animam ejus, nec effundamus sanguinem, sed projicite eum in cisternam, quæ est in solitudine; manusque vestras servate innoxias. Per *Ruben*, quod interpretatur *os visionis*, accipiendus est princeps et auctor totius diabolicæ perversitatis, qui ministros et confratres suos nil talibus prævalere videns insidiis, novæ calliditatis et deceptionis dabit consilium, quo facilius præcipitetur in interitum. *Nolite*, inquit, *eum interficere*, nolite eum a spiritali proposito avertere, *sed projicite eum in cisternam, quæ est in solitudine.* Cisterna solitudinis est secretum sanctæ conversationis. *In* hanc *cisternam* non corde, sed corpore *eum projicite*, ubi tantum in specie sanctitatis fallaciter appareat, et omnes delectationes, omnes concupiscentias carnis quærat et diligat, ut sic malis desideriis abstractus et illectus reddatur patri suo, mundo videlicet et diabolo.

262 HOMILIA XXXI.

IN SABBATUM ANTE DOMINICAM III, QUADRAGESIMÆ PRIMA.

Homo quidam habebat duos filios, et dixit adolescentior patri : Pater, da mihi portionem substantiæ quæ me contingit (Luc. XV).

Homo iste, qui duos filios habuisse dicitur, Deus Pater intelligitur, duo ejus filii duo fuerunt populi. Major filius populum Judæorum exprimit, qui quasi semper cum Patre erat, quia unum Deum colebat ; minor vero filius populus gentium est intelligendus, qui, quasi accepta portione substantiæ, quæ eum contingebat, in regionem longinquam abiit, quando relicto vero Deo vanæ idolorum culturæ se mancipavit. Pars enim substantiæ, qua accepta abiit, sensus est rationalis, per quem Creatorem suum Deum omnipotentem, a quo accepit, cognoscere et diligere debuit. Redemptorem cognoscere paucorum erat ; Creatorem cognoscere omnis homo et ex seipso, et ex his, quæ creata sunt, manifeste poterat. *Invisibilia enim Dei*, ut ait Apostolus, *per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur (Rom. I, 20).* Nam cœlum, terra, sidera, et maria et cuncta quæ facta sub cœlo conspiciuntur, cum a quo facta sunt, manifeste loquuntur ; non enim existerent, nisi ab aliquo existerent, creata non fuissent, nisi Creatorem habuissent. Igitur ex naturali ingenio, quod a Deo omnis homo acceperat, cognoscere Deum omnis homo poterat. Sed minor iste filius, gentium videlicet populus, post non multos dies congregatis omnibus, quasi peregre profectus est, quando deserens eum, a quo conditus est, per idolorum culturam longe a gratia Dei recessit, ibi vere dissipavit substantiam suam vivendo luxuriose. Nam ubi relictis interioribus, exterioribus, terrenis utique desideriis et voluptatibus delectabiliter cœpit inservire, et creaturam potius quam Creatorem diligere, hoc fuit quodammodo divini muneris substantiam naturalis utique ingenii et rationalis sensus excellentiam miserabiliter disperdere.

Post hæc apte subjungitur, *et postquam dissipasset omnia, facta est fames* **263** *valida in regione illa, et cœpit egere, et abiit, et adhæsit uni civium regionis illius.* Unus civium, cui egens ille adhæsit, diabolum exprimit, cui relicto Creatore, tota ante adventum Christi gentilitas adhærebat. Sub quo *valida fame* verbi Dei et cognitionis Dei acriter laborabat, *et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant, et nemo illi dabat.* Siliquis stulta mundi sapientia et sæcularis doctrinæ studium, quibus antiquus ille gentium populus maxime insudabat, figurantur, quæ vere pastus *porcorum*, malignorum videlicet spirituum erant. In his enim ipsi delectabantur, ex his ipsi reficiebantur. Recte autem additur, *et nemo illi dabat*, quia quantumcunque laboris pro hujusmodi siliquis, pro inanis philosophiæ studiis expendebant, id quod quærebant, nunquam perfecte attingere poterant. Sed ubi tempus gratiæ advenerat, tandem per misericordiam Dei impleri cœperat ; quod sequitur :

In se autem reversus dixit : Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus; ego autem hic fame pereo ! Surgam, et ibo ad patrem meum. Re-

versio ista facta est in incarnatione Christi, quando ad salvandum genus humanum Unigenitum suum Deus misit in mundum. Ibi sane filius iste adolescentior *revertitur*, quando audita post passionem, resurrectionem et ascensionem Domini nostri Jesu Christi prædicatione Evangelii ad fidem convertitur.

Quod autem bonus ille pater in tantæ dulcedinis gratia revertentem post longa erroris itinera filium suscepit, quod eum stola prima vestitum, annulo et calceamentis, manibus pedibusque redimitum, tandem occisi propter eum vituli saginati comestioni in tanta lætitia et exsultatione admisit, hoc totum præfigurabat nobis spiritalem illam lætitiam, quæ modo est in domo Dei, sancta videlicet Ecclesia de gentibus congregata, quæ innocentiæ puritate, fidei integritate evangelicæ prædicationis assiduitate, quod est *prima stola*, annulus et calceamenta, a Deo Patre est ornata. In hac nimirum domo vitulus ille saginatus unigenitus Dei Filius, pro nobis in ara crucis semel immolatus, quotidie occiditur, quia sacrosanctum corpus et sanguis illius **264** in salutem credentium quotidie in ea conficitur et accipitur. In hac etiam domo dulcis quædam *symphonia et chorus* quotidie resultat, quia per hujus vituli immolationem, per sacratissimam corporis et sanguinis Christi immolationem, unanimi fidei concordia, assidua divinæ laudis consonantia quotidie Deo Patri sancta Ecclesia approximat.

Audit hanc symphoniam et chorum *senior* filius, populus utique Judaicus, qui quasi in agro nunc commoratur, quia exterioribus tantum et caducis rebus inutiliter occupatur. *Audit*, sed indignatur, et non vult intrare, quia credendo in Filium Dei unanimitati sanctæ Ecclesiæ non vult communicare. *Pater* autem illius *egressus cœpit rogare*. Egressus iste Patris significat futuram circa finem mundi vocationem Judaicæ plebis. Tunc enim quasi ad rogandum seniorem filium, populum Judaicum Deus Pater egredietur, quando vocationem ipsorum per prædicatores suos manifestabit, et ad credendum in eum, quem misit, Unigenitum suum mirabili visitationis suæ gratia perfecte eum illuminabit. In hac denique illuminatione dicunt flebili corde et corpore :

Ecce tot annos servio tibi, et nunquam mandatum tuum præterivi, et nunquam dedisti mihi hædum, ut epularer cum amicis meis. Sed postquam filius tuus hic qui dissipavit substantiam suam cum meretricibus venit, occidisti ei vitulum saginatum. Mirabuntur sane et cruciabuntur in semetipsis inæstimabili pœnitentiæ dolore, quod ipsi, quos primum Deus in patribus suis elegit, in adventu unigeniti filii Dei ita excæcati sunt et reprobati, et gentes, qui Deum non cognoverant, in tantam beatitudinis gratiam mirabili omnipotentis Dei dispositione electi sunt et vocati. Per *hædum* enim, quo peccatum exprimitur, Filius Dei præfigurabatur, qui pro nobis peccatum fieri voluit, dum in se nostræ mortalitatis miserias suscepit.

His secundum sensum allegoricum breviter transcursis, ad nosmetipsos oculum mentis convertamus, et quid nobis parabola hæc moraliter insinuet, videamus. Ait namque Dominus :

Homo quidam habebat duos filios, et dixit adolescentior ex illis patri : Pater, **265** *da mihi portionem substantiæ quæ me contingit.* Parabolæ Domini nostri Jesu Christi omnes plenæ sunt mira profunditate et excellentia mysteriorum, utpote quas ex ore suo protulit ille, qui est sapientia Dei Patris et ideo plenam atque perfectam veritatem, quæ in eis abscondita est, nullus mortalium suo sensu attingere vel comprehendere potest. Quarum una est præsens hæc Domini parabola, totius gratiæ et dulcedinis plenissima, ad cujus profunditatem etsi perfecto sensu nostro pertingere non possumus, nec digni sumus; aliquid tamen ipso donante ex ea possumus conjicere, quod ad profectum et salutem animarum nostrarum poterit proficere.

Homo iste, qui duos filios habuit, Dei omnipotentis typum gerit. In duobus ejus filiis unum eumdemque hominem, qui constat ex anima et corpore, non inconvenienter possumus intelligere. Licet enim patrem et matrem habere nos super terram voluerit, ex quorum carne nasci nos instituit, ipse tamen summus et verus Pater est, a quo subsistimus, a quo spiritum, animam et corpus accepimus. Filius ejus *adolescentior*, spiritum hominis significat, qui non injuste *junior filius* nominatur, quando per misericordiam Dei quotidie in semetipso renovatur. De hac juventute dicit Psalmista, *renovabitur ut aquilæ juventus tua* (*Psal.* CII, 5). Proprium est juventutis ex natura et calore sanguinis semper in seipsa fervere. Nec injuste per fervidum illum sanguinem fervidus ille amor figuratur, quo spiritus hominis assidue seipsum renovans, in gratia spiritalis dulcedinis Deum præ omnibus et super omnia diligere comprobatur. Hanc juventutem prædictus propheta David aliquando se habuisse, sed perdidisse conqueritur, alio loco dicens in psalmo : *Junior fui, etenim senui* (*Psal.* XXXVI, 25). Miserabili enim senectute homo contabescit, quando a fervore divini amoris intus refrigescit. Filius autem adolescentior, spiritus utique hominis in amore Dei de die in diem magis ac magis ferventis, nihil quærit extra illum quem diligit. Unde et supplici voce cordis et corporis clamat ad aures Patris sui Dei omnipotentis :

Pater, da mihi portionem substantiæ quæ me contingit. Substantiæ hujus portio quam postulat, spiritualium **266** virtutum atque gratiarum donationes non incongrue significat. Sed et adhuc excellentius per eamdem quam postulat substantiæ portionem non indigne divini muneris, vivifici utique corporis et sanguinis Christi, intelligere possumus communionem. Ad hujus substantiæ portionem homo spiritalis semper anhelat; hanc ut digne accipere valeat, vigiliis, jejuniis, cæterisque piis laboribus die noctuque laborat. Unde quoties ad com-

municandum ejusdem substantiæ portionem accedit, A aut etiam diem sive horam illam cogitat, in qua accedere debeat, nunc ex amore quo tantæ refectionis dulcedinem desiderat, nunc ex timore quo metuit ne indignus tanto divinæ miserationis munere appareat, suppliciter Deum Patrem interpellat : *Pater*, inquit, *da mihi portionem substantiæ quæ me contingit*. Pater sancte, pater clemens, et multæ misericordiæ, *da mihi portionem substantiæ* illius, quæ vere mea substantia est, portionem utique corporis et sanguinis Christi Filii tui, a qua subsisto, cujus redempta sum pretio, ita ut me *contingat*, ut per spiritalem gratiæ dulcedinem intus me tangat, quatenus visibilis ejusdem corporis et sanguinis perceptio, invisibilis et spiritalis animæ meæ fiat refectio. Nam corpora portionem substantiæ hujus con- B tingere non multum proderit, si sapor et virtus spiritalis dulcedinis et gratiæ animam meam intus non tetigerit. Hanc humilem Filii sui supplicationem Deus Pater nequaquam despicit. Unde et evangelista consequenter subjungit :

Et divisit, inquit, *illis substantiam*. Substantiam dividit, quando effectum orationis homini tribuit. Dividit corpori, dividit et spiritui. Dividit corpori, quando ex dono gratiæ ipsius cœlestibus mysteriis ita homo communicat, quod dilectionem proximi corpore, quantumcunque potest, demonstrat; dividit et spiritui, quando accedere potest in vera dilectione Dei. Hanc divinæ substantiæ divisionem norunt hi qui vere sunt Filii Dei, qui eum qui est super omnia C diligunt ante omnia, hoc solum desiderantes, hoc solum cunctis præsentis vitæ gaudiis præferentes, dum inter cœlestis cibi fercula aliqua spiritalis lætitiæ prægustare merentur gaudia. Unde etiam æstimare possumus quod **267** hæc eadem sancti Evangelii lectio ordinante Spiritu sancto in hoc tempus quadragesimale idcirco posita sit, ut filii Dei qui nunc vigiliis, jejuniis cæterisque laboribus arctius insistentes carnem macerant, ad hujus, de qua jam dictum est, substantiæ portionem, ad hujus spiritalis alimoniæ refectionem ardentius anhelare studeant, quia quicunque ita ei admittuntur, quod cœlestis, qui in ea est, sapore dulcedinis sæpe intus tanguntur, facile contemnunt, quomodocunque exterius atteruntur. Attamen miser homo qui nunquam D in eodem statu permanet, diu in hac gratia subsistere non valet. Habet enim, qui semper eum persequuntur; habet qui semper eum præcipitare moliuntur, hostem videlicet antiquum qui semper et ubique ei insidiatur mundum in cujus medio est, corpus proprium quod nusquam effugere potest. Subjunxit ergo evangelista :

Et non post multos dies congregatis omnibus adolescentior filius profectus est in regionem longinquam, et ibi dissipavit substantiam suam vivendo luxuriose. Multi dies multæ assiduæ sunt illuminationes, quas si homo frequenter habere mereretur, *in regione longinqua* non peregrinaretur. Sed quia dies isti, heu! pauci sunt, *non multi*, rari, non assidui, recte dicitur *et non post multos dies congregatis omnibus*. Quod dicit *congregatis omnibus*, per hoc bona et mala intelligere possumus. *Non post multos dies congregat omnia*, adolescentior filius, quando rarescentibus in se supernæ visitationis illuminationibus a fervore divini amoris refrigescit et tepescit spiritus. Tunc nimirum *congregat omnia*, quando bonis mala accumulat, hoc est dum post orationis effectum minus caute observat seipsum, atque in illud cor, in quo cœlestis dulcedinis gratiam prius acceperat, mala quæque et inutilia colligit, per quæ ad defectum spiritalium gaudiorum miserabiliter corruit. Cumque a gratia Dei hoc modo incipit alienari, hoc est quodammodo *in regione longinqua peregrinari*. Nam sicut is qui peregrinus est, neminem agnoscit, nec ab aliquo agnoscitur; sic non cognoscit Deum, nec cognoscitur a Deo qui se ita alienat ab eo. Cognoscit quidem Deus omne quod est, divinitatis suæ potentia, cognoscit **268** et hunc, sed non in pristinæ pietatis atque dulcedinis gratia. Inde fit quod sequitur :

Et ibi dissipavit substantiam suam vivendo luxuriose. Nam ubi spiritalis gratiæ oblitus immundis cogitationibus, malis desideriis et noxiis delectationibus animum dederit, recte de eo dici potest quod *dissipaverit substantiam suam vivendo luxuriose*. Post miserabilem hanc dissipationem, tantam plerumque egestatem incidit, quod omnium spiritalium donorum expers fit, sicque impletur quod sequitur :

Et abiit et adhæsit uni civium regionis illius, et misit illum in villam suam, ut pasceret porcos. Per hunc *unum civium*, qui adhæsit, diabolus non incongrue potest intelligi, qui *civis* noster non injuste nominatur. Ita enim conditi fuimus, quod unam regionem, cœlestis utique regni habitationem pariter inhabitasse debuimus. Huic *uni civium* homo peregrinus a Deo tunc *adhærere* incipit, quando voluntati illius in nullo contradicit. Et quia *villa* a vilitate est dicta, tunc unus ille civium *in villam suam eum mittit*, quando omni vilitate, omni malarum cogitationum immunditie turpium concupiscentiarum levitati et nequitiæ potenter eum submittit. *Ut pasceret porcos*, malignos utique spiritus, qui per *porcos* intelliguntur. Talibus enim immunditiis et nequitiis ipsi pascuntur et reficiuntur. Hominis deceptio eorum pastus est et refectio, humana perditio illorum est exsultatio, semper vigilant, nunquam manducant, nunquam requiescunt, ad subvertendum hominem pie vivere volentem semper inardescunt. Sed quid tandem se sequitur?

Et quærebat, inquit evangelista, *implere ventrem suum de siliquis quas porci manducabant*. Per *ventrem* intelligitur memoria hominis. *Ventrem suum de siliquis quas porci comedunt implere quærit*, quando immundis cogitationibus et delectationibus, quæ vere sunt pastus dæmonum, ita memoriam suam implet et onerat, quod etiam libenter eis immoratur, frequenter ad eas recurrere delectatur, sicque

se per consensum eis subjicit, ut, si fieri posset, ea quæ mente tractat opere libenter adimpleret. Sed pius et misericors Deus, qui est **269** adjutor in opportunitatibus, in tribulatione ei quem salvare decrevit, solita sui occurrit miseratione, dum et errantem revocat, et, ut redire possit et velit, misericorditer adjuvat. Unde et sequitur : *In se reversus dixit.* Notate hæc omnia quæ jam diximus. Sunt quodammodo extra se, non in se, quia in anima hominis nihil præter Deum potest esse. *In se* quidem *revertitur*, quando relictis his quæ sunt extra se, ad Patrem suum Deum omnipotentem, a quo peccando recesserat, humiliter pœnitendo regreditur.

Quanti, inquit, *mercenarii in domo patris mei abundant panibus! ego autem hic fame pereo.* Sunt in domo Domini quidam qui *mercenarii* dicuntur, sunt quidam qui nomen filiorum sortiuntur. Mercenarius quidem servit propter timorem; timet enim ne mercede sua privetur. Filius servit propter amorem, quia paternæ hæreditatis exspectat honorem. Nec incongrue mercenariorum nomine ibi designantur, qui propter me tum gehennæ et supplicii, quod meruerunt, relicto sæculo, divinæ servituti se subdiderunt, atque pro consequenda mercede illa, quæ est peccatorum remissio, panem lacrymarum quotidie comedunt, pœnitentiæ lamentis delectabiliter semetipsos afficiunt. Hos cum videt ille qui aliquando filius erat, qui substantiæ paternæ portionem secundum desiderium animæ suæ aliquando acceperat, tanto graviori dolore afficitur, quanto majorem spiritalis gratiæ dulcedinem perdidisse se reminiscitur. *Quanti*, inquit, *mercenarii in domo Patris mei abundant panibus! ego autem hic fame pereo.* Isti quidem in spiritu timoris pane vescuntur pœnitentiæ et compunctionis; *ego autem hic fame pereo*, quia nec ad spiritum timoris, nec ad spiritum amoris pertingere valeo.

Surgam et ibo ad patrem meum. Quasi dicat : Quid, miser homo, tanto temetipsum fraudasti bono? Quid tibi prodest sic dies tuos consumpsisse? Quid tibi prodest tantis animam tuam immunditiis polluisse? *Surgam* ab hac desidia, ab hac vitæ ignavia, *et ibo ad patrem meum*, Patrem misericordiarum, *et dicam ei : Pater, peccavi in cœlum et coram te. Jam non sum dignus vocari filius tuus. Fac me sicut unum ex mercenariis tuis.* **270** Pater sancte, Pater clementissime, tu me supra cœlestia evexisti, quia cœlestis gratiæ dulcedini aliquando familiarius admisisti. Ego autem *peccavi in cœlum*, quia tantis paternitatis tuæ beneficiis prorsus indignum me exhibui. Peccavi etiam *coram te*, quia non erubui ubique mihi præsentem faciem majestatis tuæ, semper et ubique intuentem sordes iniquitatis meæ. *Jam non sum dignus vocari filius tuus*, quia a filialis tramite dilectionis graviter me aberrasse cognosco, et, ut in eam qua filios tuos fovere consuevisti tuæ dulcedinis gratiam unquam debeam recipi, nec rogo, nec rogare præsumo. Quia indignum me judico, *fac me sicut unum ex mercenariis tuis*, dando spiritum timoris, ut qui spiritum amoris habere non possum, nec dignus sum, saltem per timorem excitari merear ad aliquem peccatorum meorum pœnitentiam et satisfactionem.

Et surgens venit ad patrem. Cum autem adhuc longe esset, videns eum pater ipsius misericordia motus est, et accurrens cecidit super collum ejus, et osculatus est eum. Quia per *collum* verba proferuntur, non incongrue in collo intelligitur peccatorum confessio. Surgentem de profundo iniquitatis et venientem ad se per viam salutaris pœnitentiæ et satisfactionis, Deus Pater a *longe* videt (videre enim Dei est diligere Dei) *et misericordia motus accurrit*, dum per suæ misericordiæ clementiam ei succurrit. *Cadit super collum ejus*, dum sua inspiratione eum docet intrinsecus, ut sicut impudenter se deliquisse recordatur, ita impudenter coram Deo, ejus vicario, cui commissus est, vere et perfecte confiteri non confundatur. Post hæc apte subinfertur : *Et osculatus est eum.* Nam ubi ita impudenter seipsum confundit propter Deum, fit plerumque ut hæc ipsa sui confusio spiritalem quamdam Dei dilectionem ei intus pariat, quæ *osculo* bene comparari valeat. Unde et sequitur :

Dixit autem pater ad servos suos : Cito proferte stolam primam, et induite illum, et date annulum in manu ejus, et calceamenta in pedes ejus. Per *stolam primam*, quam proferre jubet, non inconvenienter charitas intelligi valet, qua vere filium suum Deus Pater tunc induit, quando ad perfectam **271** pristinæ dilectionis suæ dulcedinem eum revehit. Post stolam primam etiam *annulus in manu ejus* datur, quando recte fidei integritatem cœlesti suo Patri in omnibus servare conatur; fides enim dicitur non solum hoc quod credimus in Deum, sed et hoc quod fidum cor in omnibus habere studeamus ad Deum. Post susceptum hunc fidei annulum *calceamentis* induitur, cum vera et perfecta spes de remissione peccatorum ei tribuitur. Et recto quidem ordine primo ponitur charitas, deinde fides, postremo spes, quia ex perfecta charitate, qua ante omnia et super omnia Deum homo diligit, ad conservandam Deo illam fidem, quæ perfidiæ nescit maculam, proficit, atque illa fides talem spem homini generat, ut de Dei misericordia nunquam desperare valeat. Post hæc cœlesti saginati illius vituli convivio familiarius admittitur, suavius reficitur, de quo mox subinfertur :

Et adducite, inquit, *vitulum saginatum, et occidite, et manducemus et epulemur.* — *Vitulus saginatus* est Dominus noster Jesus Christus, qui tunc ei adducitur et occiditur, cum in eadem cœlesti suavitate, in eadem spiritalis lætitiæ, quam prius cum Deo habuerat, jucunditate vivifico corporis et sanguinis Christi convivio spiritaliter reficitur. Hoc enim verbis sequentibus typice ostendit bonus ille Pater, qui dicit : *manducemus et epulemur.* Sunt quidam qui manducant et epulantur, sunt qui manducant et non epulantur. Illi quidem in illo cœlesti con-

vivio manducant, et manducantes epulantur, qui A corpus et sanguinem Christi corpore quidem digne accipiunt, et per abundantiam suavitatis internæ sapore divinitatis illius intus animantur. Illi autem manducant, sed non epulantur, qui corpore quidem accipiunt, sed cœlestis quæ in eo est gustu dulcedinis intus privantur. Sequitur :

Erat autem filius ejus senior in agro. Per *filium seniorem*, qui *in agro* est, non injuste corpus hominis accipi potest, quod recte tunc *in agro* dicitur manere, quando bonis operibus semper se studet exercere. *Filius* iste *senior*, homo videlicet exterior *audita symphonia et choro*, spiritalis utique jucunditatis **272** jubilo, quo spiritus exsultat in Domino, cum tantam circa se divinæ miserationis dignationem nullis suis meritis promeruisse se recognoscit, B in quadam humili gratiarum actione humiliat se Deo et dicit :

Ecce tot annis servio tibi, et nunquam mandatum tuum præterivi, et nunquam dedisti mihi hædum, ut cum amicis meis epularer. Sed postquam hic filius tuus, qui devoravit substantiam suam cum meretricibus, venit, occidisti ei vitulum saginatum. Verba ista, verba sunt non indignantis vel odientis, sed vere pœnitentis et amantis. Dum enim totius vitæ considerat negligentiam, miratur circa se tantam divinæ miserationis clementiam. *Ecce*, inquit, *tot annis servio tibi, et nunquam mandatum tuum præterivi*. Non dicit *mandata*, sed *mandatum tuum nunquam præterivi*. Nemo enim est, qui in cunctis mandatis Domini fidelis possit inveniri. Unius mandati C istius observantia est hominis in spiritali vita perseverantia. Quod autem addidit, *et nunquam dedisti mihi hædum*, per hoc significat perfectam pœnitentiam peccatorum, et est, quasi dicat : *Ecce tot annis tibi servio, et nunquam mandatum tuum præterivi*, quia etsi inutiliter vixi, habitu tamen et corpore a suscepto spiritalis vitæ tramite nunquam recessi, *et nunquam dedisti mihi hædum*, quia ad perfectam pœnitentiam peccatorum meorum, quibus iram tuam merui, adhuc nunquam perfecte attingere potui. *Sed postquam hic filius tuus, qui devoravit substantiam suam cum meretricibus, venit, occidisti ei vitulum saginatum*, quia miserum spiritum meum, qui tibi periit, qui immundis cogitationibus, nequissi- D mis delectationibus et desideriis prostitutus et quasi captivus abductus, omni spiritalis gratia dulcedinis, quam acceperat, juste privari meruit, secundum multitudinem misericordiæ tuæ ad sacramentum reconciliationis in abundantia pristinæ suavitatis misericorditer dignatus es admittere. Hæc est, sicut diximus, humilis quædam gratiarum actio hominis vere pœnitentis, sui miseriam et Dei misericordiam humiliter agnoscentis. Quomodo etiam huic filio suo Deus Pater in fine vitæ suæ respondeat, in fine quoque hujus sancti Evangelii apte demonstrat.

273 *Fili*, inquit, *tu semper mecum es, et omnia mea tua sunt. Epulari autem et gaudere oportebat, quia hic frater tuus mortuus fuerat et revixit, perierat et inventus est.* Ac si dicat : *Fili*, qui filialis fidei integritatem mihi servasti, in mortali adhuc corpore positus semper mecum fuisti, quia sub dominationis meæ imperio pro modulo tuo fideliter militando mecum permansisti. *Omnia mea tua sunt*, quia bona et mala, prospera et adversa, quæ tibi in illa vita occurrerunt, ex me quidem fuerunt. Si misericorditer te suscepi, causa salutis tuæ feci ; si tentationibus expositum, laboribus attritum ad horam dereliqui, per hoc nihilominus tuæ intendebam saluti. Sed jam *omnia mea tua sunt*, quia ad hanc quam ultra mecum habiturus es gloriam, te perduxerunt, ubi in æternæ beatitudinis gaudiis semper mecum epulaberis, in qua hic frater tuus, hic spiritus tuus qui mortuus fuerat, beata immortalitate ita vestietur, quod nunquam amplius morietur ; qui perierat ita invenietur, ut ab æterna mea visione nunquam amplius separetur.

Hæc sunt verba evangelicæ lectionis, quæ pro modulo nostro, sicut ipse Dominus donare dignatus est, exponendo transcurrimus, cujus finem ut et nos in fine nostro audire mereamur, ipsum Patrem misericordiæ humiliter deprecemur, quatenus ipsi, ipso donante, sic in præsenti serviamus et adhæreamus, ut in fine vitæ nostræ hanc dulcissimam ejus vocem juste audire debeamus : *Fili, tu semper mecum es, et omnia mea tua sunt ;* ubi epulantes et gaudentes cum ipso in gloria, nulla mortis timeamus tormenta. Quod ipse præstare dignetur Dominus noster Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

274 HOMILIA XXXII.

IN DOMINICAM III, QUADRAGESIMÆ PRIMA.

Erat Jesus ejiciens dæmonium, et illud erat mutum. Et cum ejecisset dæmonium, locutus est mutus, et admiratæ sunt turbæ (*Luc.* XI).

In Evangeliis recte ad hanc Dominicam respicit spiritus intellectus, qui et omnino in hac sacra Evangelii lectione est necessarius, quia nisi adsit ipse, ut ad intelligenda ejusdem sacræ lectionis mysteria intellectum nobis tribuat, nihil sibi dignum, nihil ad nostram eruditionem idoneum videre in ea poterimus.

Et satis quidem convenit Evangelio Scriptura Veteris Testamenti, in qua de Joseph nocte legimus et audivimus, quia descendentes ad se in Ægyptum fratres suos, ut cibos emerent, agnoscens non est agnitus ab eis, sed quasi ad alienos durius loquebatur eis dicens : *Exploratores estis, ut videatis infirmiora terræ, venistis.* Subjecitque post pauca, et ait : *Per salutem Pharaonis non egrediemini hinc, donec veniat frater vester minimus* (*Gen.* XLII, 9, *et seqq.*). Joseph iste Christum significat, qui ut frater noster fieret, de celsitudine divinitatis suæ ad ima nostræ mortalitatis descendere dignatus est. Ad hunc fratrem nostrum oportet nos descendere, ut emamus victui necessaria, quia apud illum et in verbis ejus animarum nostrarum pabula semper re-

quirere debemus Sed ille, sicut Joseph fratribus suis, dure plerumque loquitur nobis. De re quodammodo in hac, quæ præ manibus est, sancti Evangelii lectione loquitur ad nos; dura enim et difficilis est ad intelligendum et explanandum.

Sed ne intactum relinquamus, quod ait Joseph : *Exploratores estis, ut videatis infirmiora terræ, venistis*, exploratorum nomine nos ipsos possumus intelligere. Nec incongrue : quid enim aliud quam exploratores sumus dum diligenter verba sacræ Scripturæ rimamur investigando et explorando, si quid invenire in ea possimus, quod ad eruditionem et consolationem salutemque nostram respiciat? *Videre infirmiora terræ venimus*, **275** dum planiora ejusdem sacræ Scripturæ loca quærimus, per quæ pateat nobis introitus ad firmiora et difficiliora. Sed taliter nobis explorantibus, et infirmiora terræ videre quærentibus, quid noster Joseph dicat, audiamus : *Per salutem Pharaonis*, inquit, *non egrediemini hinc, donec veniat frater vester minimus; fratrem vestrum minimum ad me adducite. Tollensque Simeon ligavit illis præsentibus.* Joseph, ut diximus, Christum significat, fratres ejus diversas spiritales virtutes, inter quas duæ præcipuæ sunt, quæ per duos illos fratres Simeon et Benjamin, quorum unus ligatur, ut alter acquiratur, congrue accipi possunt. Per Simeon qui interpretatur *audiens tristitiam*, timor; per Benjamin, qui *filius dexteræ* dicitur, amor intelligitur : sive per Simeon præsens vita, per Benjamin filium dexteræ, dextera, id est æterna vita, quæ semper dextera est nihilque sinistrum recipit, apte intelligi poterit. Et bene verbum hoc *audiens tristitiam*, vel præsenti vitæ vel timori, qui in præsenti vita omnino necessarius est congruit. Quid enim est audire tristitiam nisi timere peccata, et quæ post vitam hanc reposita audit peccatoribus æterna supplicia? Ligato Simeone Benjamin adducitur, adducto Benjamin Simeon absolvitur. Ligat, imo alligat sibi Deus, qui est verus Joseph, hominem primo per timorem, ut per vincula timoris ad libertatem eum pervehat suavissimi amoris. *Fratrem*, inquit, *vestrum minimum adducite ad me*. Quomodo spiritus amoris, cui nihil excellentius, nihil dignius est, *minimus* dici potest? Posset quidem dici maximus, cui nihil est excellentius. Sed recte dicitur minimus, quia vere minimum, vere humillimum facit cor hominis. Nunquam enim sic humiliatur homo per spiritum timoris, quomodo humiliatur per spiritum amoris. Absoluto itaque Simeone, evacuato, inquam, præsentis vitæ timore, per Benjamin, per perfectum utique Dei et proximi amorem æternæ vitæ capiemus hæreditatem.

Nec prætereundum quod dicit : *Per salutem Pharaonis non egrediemini hinc, donec veniat frater vester minimus.* Pharao significat diabolum. Bene dicit *per salutem Pharaonis*, quasi contra salutem Pharaonis quia dum nos ad emenda victui nostro necessaria sacram **276** Scripturam explorando circuimus, omnino agimus contra salutem hostis antiqui, qui per Pharaonem intelligitur. Quod autem addit : *Non egrediemini hinc*, per hoc ostendit quia ingredi quidem in sacram Scripturam possumus, aliquid ex ea quod sapiat et reficiat contuendo egredi nunquam poterimus plene atque perfecte eam quæ in illa latet dulcedinem intelligendo. Sic et præsentis sancti Evangelii verba, licet dure loquatur in illis Dominus, licet dure sonent exterius, plena tamen sunt eruditionis humanæ vitæ, plena consolationis et gratiæ. Ait namque evangelista :

Erat Jesus ejiciens dæmonium, et illud erat mutum. Nomine hujus *dæmonii* amor sæculi non incongrue valet intelligi. Hoc dæmonium quodammodo *mutum* est, quia quandiu quis pernicioso sæculi hujus amore obsessus tenetur, nec ea, quæ salutis suæ sunt, nec quæ ad laudem et honorem Dei respiciunt, loqui potest. *Ejicit* autem illud *Jesus*, quando miserationis suæ gratia cor hominis misericorditer prævenit, et ejecto amore sæculi et vitiorum ad amorem suum et sanctum conversationis desiderium ascendit, sicque fit quod sequitur :

Et cum ejecisset dæmonium, locutus est mutus. Loquitur mutus, dum homo liberatus a sæculo et in laudem Conditoris et in verba confessionis diu tacentia ora relax

Et admiratæ sunt turbæ. Per admirantes *turbas* turbatos sensus hominis apte intelligere possumus, qui *admirantur* nunc præ gaudio et amore, nunc præ timore et pavore. Præ gaudio et amore homo admiratur, quando gaudet et lætatur, quod liberatus est a sæculo et peccatis sæculi. Admiratur præ timore, quando pavere et timere incipit, quomodo inter diversas, quæ occurrunt, tentationes subsistere possit. Nam dum in hoc sæculo homo est, et sæculariter ac voluptuose vivit, in requie quodammodo est. Relicto autem sæculo cum ad spiritalis vitæ militiam transierit, forte et laboriosum certamen aggreditur, quod nunquam nisi cum morte finietur. Unde Salomon : *Fili*, inquit, *accedens ad servitutem Dei, sta in timore, et præpara animam tuam ad tentationem* (*Eccli.* II, 1.) Et Dominus in alio Evangelio : *Quis*, **277** inquit, *vestrum habens servum arantem aut pascentem, qui regresso de agro dicat illi statim : Transi et recumbe, et non dicit ei : para, quod cœnem et præcinge te, et ministra mihi* (*Luc.* XVII, 7.) Videamus quomodo electus ejus discipulus Paulus, regressus de agro non statim transierit, et recubuerit, sed diversarum tentationum stimulos sustinendo laboraverit. Ait enim ipse de se : *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus Satanæ, ut me colaphizet* (*II Cor.* XII). Sic Paulus qui raptus usque ad tertium cœlum audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui, absque tentationum certamine vivere non potuit. Sic nullus servorum Christi sine succedentium tentationum adversitatibus vivere in hac vita poterit. Has namque adversitates et diversitates subjecta Evangelii verba notant ex parte et insinuant. Nam sequitur :

Quidam autem ex eis dixerunt: in Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia. Per *dæmonia* intelliguntur mala opera; in *Beelzebub*, quod interpretatur *vir muscarum*, intelligi non incongrue potest fortitudo sordidarum cogitationum, quæ *princeps dæmoniorum* convenienter nominatur, quia quidquid malorum operum est, primum a malis et sordidis cogitationibus initiatur. Plerumque enim solet contingere, dum valida omnipotentis Dei miseratione homo a dæmoniis, hoc est a malis et dæmoniacis actibus eripitur, quod tanta sordidarum cogitationum fortitudine opprimitur, quantam nunquam se in sæculo et peccatis sæculi positum sustinuisse reminiscitur. Unde ex intimo trahens suspiria in hæc plerumque prorumpit verba: *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia*, ac si dicat: B O miserator Domine! ejecisti dæmonia, a diabolicis actibus eripuisti me misericordia tua, et hoc *in Beelzebub principe dæmoniorum*; quia deprimit me et angustat intolerabilis sordidarum tumultus cogitationum. Quid abjecisse sordes malorum operum profuit, si tantis immundarum sordes cogitationum sustinere futurum fuit?

Alii autem tentantes signum de cœlo quærebant ab eo. Per verba hæc alia, ut mihi videtur, tentatio notatur huic non dissimilis, quæ simili modo fit in corde unius ejusdemque hominis. Nam **278** dum modo sordidis cogitationibus impugnari se dolet et gemit, modo cœlestis fieri, hoc est cœlestem et perfectam vitam habere, et habere videri appetit C [*cod.* appetens], quasi *signum de cœlo quærit*. Et hoc est tentare quodammodo Deum. Nam fieri ita non convenit, sed expedit magis homini, ut exercitatus et eruditus laboribus atque tentationibus humilietur, sicque per veram humilitatem ad veram proficiat perfectionem. Hoc etenim et aliunde notat nobis Scriptura, quæ dicit: *Hæ sunt gentes, quas dereliquit Dominus, ut erudiret in eis Israelem* (*Judic.* III, 1). Igitur nunquam, sicut diximus, esse potest homo sine tentationibus. Et quid mirum? Hæc enim sunt studia et opera diaboli, qui semper fugitivum suum quasi e vestigio insequitur, quia quem amisisse se dolet, diversis, ut præcipitet, adversitatibus incumbere solet. Non magnopere curat de sæcularibus, sed omnis conatus ejus est ad de- D cipiendum spiritales mundique contemptores. *Absorbebit* enim *fluvium*, ut ait beatus Job, *et non mirabitur, sed habet fiduciam, ut influat Jordanis in os ejus* (*Job* XL, 18). Hos tamen, ne deficiant in tribulationibus, sequentibus verbis misericorditer consolatur Dominus. Nam sequitur:

Ipse autem, ut vidit, cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum in seipsum divisum desolatur. Omne regnum omnis est homo, et omnis homo aut regnum est Dei, aut regnum diaboli, aut regnum justitiæ, aut regnum injustitiæ. Hoc *omne regnum* indivisum quodammodo manet, quando homo totus, hoc est corpore simul et corde amore sæculi possidetur; *in seipsum* vero *dividitur*, quando, juxta A Apostolum, caro concupiscere incipit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem, quando tentatio per gratiam Dei amore et voluptatibus sæculi regnum injustitiæ, quod est regnum diaboli, esse desinit, fitque regnum justitiæ, quod est regnum Dei. Facta bona hac divisione *desolatur* etiam bona et salubri desolatione: bene, inquam, *desolatur*, quando relicto sæculo amicorumque consolatione totum se ad Deum convertit, in ipso solo omnem spem suam atque consolationem ponit. Ibi sane impletur, quod sequitur:

279 *Et domus supra domum cadit.* Est *domus* carnis, et est *domus* mentis. *Domus* superior, quæ est domus mentis *supra domum* inferiorem, quæ est domus carnis, *cadit*, quando corde et corpore vere coram Deo humiliatus fuerit. Hunc tamen nec sic diabolus deserit, sed nunc his, nunc illis, nunc tristibus, nunc jucundis rebus impetit, atque per hoc regnum ejus in homine destruitur, quemadmodum sequentibus Domini verbis ostenditur, cum dixit:

Si autem et Satanas in seipsum divisus est, quomodo stabit regnum ejus? Post conversionem hominis fit *Satanas in seipsum divisus*, quando diversis et talibus, quæ sibi invicem contrariæ sunt, tentationibus hominem eum impugnat. Et ut e multis pauca dicamus, voluptas carnis, et ira atque invidia, avaritia et cætera his similia sibi invicem omnino sunt contraria, maxime cum ista delectent, et lætum atque jucundum faciant hominem, ista tristem ac turbidam reddant mentem. Nec caret pietatis gratia hæc Domini interrogatio, qua dicitur:

Quomodo stabit regnum ejus? Qui interrogat, ideo utique interrogat, ut sciat, quod interrogat. Sed non talis est interrogatio Domini, quia omnia scit, omnia antequam fiant intelligit. Ideo utique interrogat, ut nescientes nos sua interrogatione scientes faciat. *Quomodo*, inquit, *stabit regnum ejus?* quasi dicat: Si Sanatas in seipsum est divisus, nunc his, nunc illis, quæ sibi invicem contraria sunt, impugnans vos tentationibus in hoc cognoscetis quia non *stabit*, hoc est non durabit in vobis *regnum ejus*. Ideo utique non *stabit*, imo destruetur in vobis *regnum ejus*, quod est regnum injustitiæ, *quia dicitis in Beelzebub me ejicere dæmonia. Si autem ego in Beelzebub ejicio dæmonia, filii vestri in quo ejiciunt?* Quod est dicere: Si videtur vobis durum et intolerabile, ejectis per me dæmoniis malorum operum, sordidarum permittente me inquietari vos tumultibus cogitationum, respice *ad filios vestros*. Redite ad vos, intra vos respicite intentiones cogitationum vestrarum; diligenter, inquam, considerate quomodo suscipiatis eas. Sunt quidem vobis signum perditionis, si diligitis eas, si delectamini in eis; sunt vobis indicium salvationis, **280** si reprobantes eas contristamini ex eis. Sed quia scio quod non diligitis eas, sed potius reprobatis, *ideo ipsi judices vestri erunt.* Ipsi utique *filii vestri*, ipsæ, inquam, intentiones cogitationum vestrarum, quæ

testantur vobis, quia ejicitis eas, quia non libenter suscipitis eas, ipsæ judicabunt vos dignos æternæ vitæ, dignos æternæ coronæ et gloriæ.

Porro si in digito Dei ejicio dæmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei, hoc est quæcunque feci vobiscum, feci in Spiritu sancto et per Spiritum sanctum. Porro si hoc ita est, *si* ego, imo quia ego, qui vera et perfecta veritas sum, *in digito Dei*, hoc est, in Spiritu Dei, erui vos de sæculo et actibus sæculi, etsi jam tentamini, non est hoc signum periculi. *Profecto* enim *pervenit in vos regnum Dei*. Quomodo dicit, *regnum Dei*? Quid est *regnum Dei? Regnum, Dei* est, ut dicit Apostolus, *justitia, pax et gaudium in Spiritu sancto* (*Rom.* XIV, 17). Et est quasi dicat Dominus : Non conturbet vos quidquid tentante vos et impugnante diabolo patimini. Per hoc enim destructo in vobis regno diaboli justitiam, id est remissionem peccatorum consequemini; per hoc data vobis desuper pace a vitiis proficietis ad gaudium, quod est in Spiritu sancto, gaudium utique contemplationis. Unde autem sit quod homo in regno Dei, in spiritali, dico, vita positus tantam sordidarum immunditiam cogitationum patiatur, quantam nunquam, donec in regno diaboli visus est, sustinuit, sequentibus verbis manifestat Dominus, cum subjungit :

Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet. Fortis iste *armatus* non incongrue accipiendus est humani generis inimicus diabolus, qui bene et *fortis* dicitur et *armatus. Fortis* enim est ex natura, *fortis* ex sapientia, *fortis* ex propria malitia, *armatus* vero ex consensu hominis. Nulla enim sua fortitudine homini prævaleret, si ipse homo per consensum ei arma non subministraret. *Fortis armati* hujus *atrium* cor peccatoris æstimo non injuste accipiendum, quod quandiu quasi custodiendo libere inhabitat, *in pace sunt ea quæ possidet*. Sed pax ista pax mala est, pax **281** utique diaboli contraria omnino paci Dei, pax videlicet illa, quæ inter diabolum et hominem est, quando voluntas hominis ita concordat voluntati diaboli, ut parum aut nihil ille suggerat, quod iste per delectationem aut consensum vel etiam actum peccati non perficiat.

Si autem fortior isto superveniens vicerit eum, universa arma ejus, in quibus confidebat, auferet, et spolia ejus distribuet. Fortis iste Spiritus sanctus non incongrue est accipiendus, qui in fortitudine gratiæ suæ *superveniens* vincit diabolum, quando splendore suo illuminat cor hominis et accendit, ut resistere diabolo, malo custodi et possessori suo noverit et possit. Victo hoc modo *forti* illo *armato*, *universa arma ejus in quibus confidebat, auferet*, quando interiores sensus hominis, qui condelectando et consentiendo consiliis et suggestionibus diaboli fortitudinem ejus juvabant, et amplius confortabant, subtractos diabolo suæ subdit potestati atque dominio.

Et bene dicit, *arma ejus, in quibus confidebat.* A Fiducia enim antiqui hostis est consentanea voluntas hominis. Non multum curat, non multum lætatur de exteriori peccati opere, si non adsit voluntas et consensus peccati in corde. Labitur enim aliquando homo ex infirmitate carnis, aliquando ex repentina quadam præcipitatione absque omni mentis deliberatione. Sed in hoc non multum confidit diabolus. Non est enim homo ille armiger ejus. Ubi deliberatio peccati prius erat, ibi sunt *arma ejus, in quibus confidebat.* Quemcunque enim per consensum ceperit et possederit, in hoc multum ipse confidit. Illud confidere ejus nihil aliud est quam spes et lætitia illa, quam habet, ut homo ille in æternum cum ipso pereat, nunquam ab ejus potestate eripi valeat.

Sed superveniens *fortior* ille, Spiritus sanctus, B cum devicto eo *universa arma ejus, in quibus confidebat*, abstulerit, sicut prædictum est, *spolia* etiam *eis distribuet.* Sicut interiores sensus hominis per *arma* intelleximus, sic per *spolia* exteriora hominis membra accipere possumus. Et bene dicit : *spolia ejus.* Nihil enim ad diabolum de homine pertinet, cum sit creatura et imago Dei, sed furtive et fraudulenter quasi **282** spoliando rapit eum Domino suo, quando deceptum fraudis suæ malitia suo subjugat dominio. Hæc tamen *spolia* fortior ille Spiritus sanctus superveniens potenter *distribuit*, hoc est ad diversa bona opera tribuit, ad decorem et honorem atque gloriam domus suæ, sicut ait David : *Et speciei domus dividere spolia* (*Psal.* LXVII, 13). Nam C dum homo spoliante diabolo Deo ablatus, sed superveniente Spiritu sancto revocatus, soli Creatori suo et sensibus cordis et membris corporis fideliter servire cœperit, tam quod vixit quam quod vivit, totum ad laudem et honorem Deo ascribitur, totum in decorem domus Dei reputabitur. Sed quia semper homo adversarium habet diabolum, qui invidens saluti ejus semper laborat, quomodo eum decipiat, quanta bonorum operum instantia, quam sollicita cordis cogitationum custodia contra insidias ejus vigilandum sit, continuo docet nos Dominus, cum subjungit :

Qui non est mecum, adversum me est; et qui non colligit mecum, dispergit. Quandiu homo vivit peccato, esse ejus non est cum Deo, sed est adversus D Deum. Cum Deo etiam non colligit, quandiu dispersus in semetipso vanis et noxiis cogitationibus inutilis diffluit. Unde quod dicit : *Qui non est mecum, adversum me est, et qui non colligit mecum dispergit*, per hoc armat et instruit militem suum, ut si modo tentetur, ne ultra sustineat, vel etiam sustinens superetur, esse suum cum Domino faciat, semper cum Deo colligat, sit cum eo in opere boni, sit cum eo in consensu boni, colligat cum eo circa custodiam cogitationum suarum summa sollicitudine vigilando. Et hoc non ad horam nec ad tempus, sed perseveret in his usque ad finem vitæ suæ, quia sicut semper dispergit, sic semper colligere eum convenit. Nam ut nunquam in hac vita securus sit, sed habeat semper unde pugnet et coronetur de duris

prædicti fortis armati congressibus, manifestius eum Dominus docet in sequentibus :

Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquosa, quærens requiem, et non inveniens. Per immundum spiritum, spiritum luxuriæ apte possumus accipere, qui tunc *exit ab homine*, quando deserit homo sæculum et convertitur ad Dominum, quia **283** primum est, quod apud se homo salvari cupiens desiderat, ut relicto actu peccati caste deinceps vivere studeat, sed quia talis est hic spiritus, quod etiam sanctos et perfectos homines audet impugnare recte subjungitur : *Ambulat per loca inaquosa.* Quæ sunt *loca* illa *inaquosa*, nisi corda illa sobrie et juste viventium, qui ob amorem et desiderium cœlestis patriæ quotidie seipsos arefaciunt, et nullas, quantum in homine est, carnalis concupiscentiæ aquas recipiunt? *Per hæc loca inaquosa ambulat*, quando suggestionibus et immissionibus suis a suæ castitatis et munditiæ bona et laudabili ariditate revocare, et aquis carnalis concupiscentiæ inficere elaborat, ut in eis quasi in locis humentibus requiescat. Sed quia hoc facile fieri non poterit, apte subjunxit Dominus et ait, *quærens requiem, et non inveniens.* Impugnationibus enim suis inquietare eos potest, *requiescere* in eis et durare apud illos non potest. Unde dicit :

Revertar in domum meam, unde exivi. Domus, unde exivit, cor peccatoris est, quod, sicut prædictum est, superveniente fortiore illo, quod est spiritus sanctus, devictus dereliquit. *Ad* hanc nimirum *domum revertitur*, cum ad prioris vitæ flagitia rursus eum inflectere nititur. Quid autem sit quod ab hac reversione eum impediat, sequens ordo verborum mystice insinuat. Sequitur :

Et cum venerit, invenit scopis mundatam et ornatam. Scopæ istæ, quibus cor illud, quod fuit domus diaboli, emundatur et ornatur, est peccatorum confessio et peccatorum satisfactio ; per confessionem enim homo mundatur, per satisfactionem ornatur. Sed sic mundari et ornari non multum proderit, si in vera se humilitate homo non custodierit. Per superbiam enim revertendi in domum suam occasio tribuitur immundo spiritui, sicut sequentibus Domini verbis manifestius innuitur, cum dicitur :

Et tunc vadit, et assumit alios septem spiritus nequiores se, et ingressi habitant ibi. Septem principalia vitia sunt, per quæ *septem* maligni spiritus eisdem vitiis principantes accipi possunt, ira videlicet et invidia, avaritia et superbia, vana gloria, acedia et gula, **284** octavum est luxuria. Spiritus ille, qui huic vitio principatur, congrue utpote reliqua omnia sub se habens vitia, *immundus spiritus* nominatur. Sed quare dicit : *assumit alios septem spiritus nequiores se?* Sunt quidem iidem ipsi in actu, sed alii in habitu, dum per hypocrisin se palliant, ut perniciosius hominem prosternere valeant. Fiunt etiam *nequiores se*, seipsis utique. *Et ingressi habitant ibi*, quando domum illam, cor illud, a quo exierant, repetere et inhabitare per hypocrisin incipiunt, et vitiis illis, quæ manifeste prius in illo regnabant, occulte et per hypocrisin hominem subjiciunt, verbi gratia, ut qui manifeste superbus erat, rursus superbus sit, sed superbum se esse sciri nolit, sicque assumptis septem illis septem nequitiarum spiritibus nequioribus se ipsis per hypocrisim factis, deterior regreditur in eum spiritus immundus quam exierit, quando eum et superbum et hypocritam facit, impleturque quod sequitur :

Et sunt novissima hominis illius pejora prioribus. Mala erant *priora* ejus, quando se superbiendo extulit, *pejora* sunt *novissima ejus prioribus*, quando simulando humilitatem quam non habet, et superbus et hypocrita fit.

Factum est autem, cum hæc diceret, extollens vocem quædam mulier de turba dixit : Beatus venter qui te portavit, et ubera quæ suxisti. Plerumque ubi in sacra Scriptura legitur : *factum est*, ibi aliquid grande et memorabile opus Dei omnipotentis significatur. Et vere grande, vere magnificum *factum est*, in quacunque anima Deus omnipotens hæc omnia, quæ jam audivimus, occulta, miserationis et inspirationis suæ manu operatus fuerit, quam sic eruditam intrinsecus eo usque pietatis suæ gratia provexerit, quod omnia hæc in semetipsa cognoscere incipit. Huic nomen istud, *quædam mulier*, apte convenit. Fit enim quasi *quædam* et singularis *mulier* apud Deum, quando vere ad amorem Dei et cœlestis vitæ desiderium emollita nil sapit extra Deum. In hac sana suavitatis dulcedine Deo conjuncta magnifice plerumque *extollit vocem de turba*, quando gustu divinæ contemplationis animata, deturbata illa cogitatione, quam prius habuit, totam se ad diligendum Deum recolligit, vocemque **285** cordis et corporis in laudem exaltat Conditoris : *Beatus*, inquit, *venter qui te portavit, et ubera quæ suxisti.* Nomine *ventris* intelligitur memoria hominis, per duo *ubera* aut duo Testamenta, aut duo compunctionis genera apte figurantur. Et est quasi dicat : O Domine, fons totius dulcedinis et gratiæ, cognosco jam donante te, quam suave sit semper meditari in te, quod omnino beata sit anima illa, quæ in ventre memoriæ suæ assidue portaverit te, quæ imprægnata per te, sedulo manserit in te. *Et ubera quæ suxisti*, dulce quodammodo lac anima sugendum præbet, quæ colligit in se Novi Veterisque sacramenta Scripturæ. Sed et suavius adhuc et delectabilius ex ea lactatur, quando aut ex recordatione peccatorum compuncta, aut desiderio vitæ æternæ suaviter succensa validoque lacrymarum fonte inebriata ad Deum sublevatur. Hoc est utique quod beata mulier, beata videlicet anima in se experta beatificat et laudat, cum dicit : *Beatus venter qui te portavit, et ubera quæ suxisti.* Hunc ejus sermonem confirmat responsione sua Dominus cum dixit :

Quinimo beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud. Quasi dicat : Vere ita est, ut asseris.

Sed et illi beati, illi utique æternæ beatitudinis præmio digni sunt, qui pia aviditate ad verbum Dei aurem corporis inclinant, atque quæ auditu exteriori perceperint, intus vigilanter ac sollicite custodiunt et reponunt in visceribus cordis, donec adjuvante et cooperante Deo ad hoc convalescant, ut quæ mentis intellectu perceperint, effectu boni operis adimplere possint.

Quæcunque anima illa est quæ sic quemadmodum audivimus, inspirante Deo et adjuvante, *extollens vocem de turba* veraciter dicere potest *beatus venter qui te portavit, et ubera quæ suxisti*, hæc jucundum missæ Introitum lætanter imponere potest, et dicere: *Oculi mei semper ad Dominum, quia ipse evellet de laqueo pedes meos* (*Psal.* XXIV, 15). Tanto enim clarius ad videndum Deum et diligendum oculos cordis attollit, quanto clementius diversos prædictarum tentationum laqueos, quos in primordio conversionis sustinuit, sola miserationis illius **286** gratia evasisse se recognoscit, et quanto per veram humilitatem mentisque puritatem unita Deo fuerit, tanto fiducialiter respectu divinæ miserationis adesse sibi postulat et dicit: *Respice in me, et miserere mei, quia unicus et pauper sum ego* (*Psal.* XXIV, 16). Et vere unico huic et pauperi, hoc est unito per humilitatem Deo Spiritui congruit satis versus qui sequitur: *Ad te, Domine, levavi animam meam, Deus meus, in quem confido, non erubescam* (*Ibid.*, 1, 2). Nam dum despectis, quæ tempore transeunt, per desiderium æternorum perfecte ad Deum animam levaverit, tunc primum vere in Deum confidit. Spem enim quamdam et fiduciam, quam ante nesciebat, ex misericordia Dei concipit.

Sed quia post conversionem suam plerumque homo diu in spiritali vita est, antequam ad hanc gratiam proficiat, vel etiam post perceptam hanc gratiam rursum vel eisdem vel his similibus ad impugnandum et subvertendum eum diabolus tentationibus arma nequitiæ suæ instaurat, Graduale, quod sequitur, necesse est habeat ut semper canat: *Exsurge, Domine, non prævaleat homo, judicentur gentes in conspectu tuo* (*Psal.* IX, 20). Vel: *In convertendo inimicum meum retrorsum infirmabuntur et peribunt a facie tua* (*Ibid.*, 4). *Exsurge Domine.* Nam si tu exsurrexeris, si ad debellandum eum, qui me impugnat, diabolum brachio fortitudinis tuæ me confortaveris, non prævalebit homo, et gentes vitiorum, gentes vitiosarum cogitationum judicabuntur in conspectu tuo. Converso enim per visitantem pietatis tuæ gratiam inimico meo retrorsum et superato infirmabuntur et peribunt a facie tua.

Post hæc recte subsequitur oratio: *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis* (*Psal.* CXXII, 1), quia quanto magis necessarium esse sibi divinum auxilium conspicit, tanto majori humilitate ac devotione quasi sublevatis ad Deum oculis mentis et corporis misericordiam ab eo postulat et exspectat, subjungitque et dicit: *Ecce, sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum, et sicut oculi ancillæ in* A *manibus dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri. Miserere nostri, Domine, miserere nobis* (*Ibid.*, 2, 3).

287 Huic fidelis animæ supplicationi concordat etiam Oratio hodierna, qua petimus Deum, ut et vota humilium respiciat, atque ad defensionem nostram dexteram suæ majestatis extendat. Exauditus tandem et per extentam divinæ majestatis dexteram liberatus a tentationibus, nec non et occulta, atque indicibili inspirationis Dei lingua contra multiplices inimici insidias secundum præmissam sancti Evangelii lectionem instructus, lætus cantabit Offertorium, et dicet: *Justitiæ Domini rectæ, lætificantes corda, et* [*judicia*] *dulciora super mel et favum; nam et servus tuus custodit ea* (*Psal.* XVIII, 9-12).

B Custodienti tandem justitias Dei satis congruit Communio, qua dicitur: *Passer invenit sibi domum, et turtur nidum, ubi reponat pullos suos* (*Psal.* LXXXIII, 4), quando desiderio æternorum sublevata terrena cuncta transvolat, solum Deum sitiens diebus vitæ suæ, ubi indesinenter et indeficienter adhærendo illi inter beatos illos, qui laudabunt eum in sæcula sæculorum, sine ullo defectu contemplationis, sine ullo intervallo mutationis æterna illius immutabilitate perfruatur. Ad hanc beatitudinem perducat nos qui est beatitudo omnium sanctorum Jesus Christus Dominus noster, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen!

288 HOMILIA XXXIII.

C IN FERIAM II POST DOMINICAM III, QUADRAGESIMÆ PRIMA.

In diebus illis Naaman princeps militiæ regis Syriæ erat vir magnus apud dominum suum et honoratus (*IV Reg.* V).

Per *Naaman*, quod interpretatum *decor* vel *commotio* dicitur, homo quilibet non decorem domus Dei, sed decorem præsentis sæculi diligens, non incongrue designari creditur. Nam qui decorem mundanæ pulchritudinis quærit et diligit, et non in virtutibus, sed in vanitatibus hujus vitæ decorari appetit, decor quodammodo non bonus, sed malus dici et vocari poterit. Qui dum amoto et seposito noxiali decore ad salutem et pœnitentiam Deo miserante commovebitur, *commotio* bona, et non mala satis juste vocari merebitur. Nam hoc mystico commotionis D nomine *commotio* illa salutaris, *commotio* contritionis et pœnitentiæ exprimitur, qui sibimetipsi salubriter iratus, humiliter pœnitendo commovebitur, eo quod decorem et pulchritudinem interioris hominis neglexerit, carnemque suam in brevi finiendam, putredine et vermibus consumendam, tantopere decoraverit.

Verumtamen priusquam hæc salubris in illo fiat *commotio*, *princeps* erit *militiæ regis Syriæ*. Per *Syriam*, quæ interpretatur *sublimitas*, cor sublime et altum intelligere possumus. *Rex* vero vel Dominus hujus sublimis Syriæ elatus et superbus accipiendus est spiritus hominis, in cujus *militia*, dum adhuc male decorus iste Naaman quasi *princeps* gloriosus militat, *magnum* se *et honoratum apud* eumdem do-

minam suum existimat. Quia enim *apud dominum suum*, apud superbum spiritum suum, semetipsum in oculis suis honorat et magnificat, magnificari nihilominus et honorari ab omnibus desiderat. Et ideo mirum valde est quod sequitur, quod per illum Dominus salutem Syriæ dedisse describitur:

Per illum, inquit, *dedit Dominus salutem Syriæ. Erat autem vir fortis et dives, sed leprosus*. Mira et ineffabilia divinæ pietatis magnalia hoc in loco pensare possumus. Nam **289** licet Naaman iste *fortis* in malis, *dives* in peccatis, peccatorum sit *lepra* deformis, per illum tamen *salus Syriæ*, salus, inquam humilitatis sublimi cordi a Domino dabitur, quando, ut prædictum est, a decore vanitatis ad decorem bonorum operum homo exterior per pœnitentiam commovebitur, et sic cor, quod prius sublime fuit et altum, ad humilitatem inclinabitur.

Porro, inquit, *de Syria egressi fuerant latrunculi, et captivam duxerant de terra Israel puellam captivam, quæ erat in obsequio uxoris Naaman*. Postquam jam dicta salus humilitatis inchoari cœpit in homine, *egrediuntur*, hoc est de corde prius sublimi valde velut quidam *latrunculi*, cogitationes scilicet, non magnæ, non altæ, sed humiles et parvulæ, quæ *de terra Israel*, de spiritali videlicet conversatione, *puellam adducunt parvulam*, id est voluntatem bonam, sed adhuc modicam et non perfectam, et ideo quodammodo *captivam*. Qui captivus ab alio tenetur et constringitur non propriæ voluntati, non propriæ libertati servire permittitur. Sic et voluntas bona, sed adhuc parvula, quasi *captiva* esse dicitur, eo quod nondum velle bonum, quod adjacet, operis perfectione adimplere possit. Sed tamen hæc eadem voluntas, quamvis parvula sit et captiva in obsequio uxoris Naaman, strenua erit et assidua. Per *uxorem Naaman* ipsam intelligere possumus animam, cui jam dicta puella bonæ voluntatis fideli famulatu obsequitur, dum his eam verbis alloquitur : *Utinam fuisset Dominus meus ad Prophetam, qui est in Samaria, profecto curasset eum a lepra sua*. Per *Samariam*, quod interpretatur *custodia*, custodiam sanctæ conversationis non injuste significari credimus ; *prophetam* vero, qui in eadem Samaria est, ipsum Dominum prophetarum intelligere possumus. Unde idem est ac si anima pœnitens dicat : *Utinam* dominus meus, spiritus, inquam, meus *fuisset in Samaria !* utinam sic perfectus et attentus esset in omni spiritalis vitæ custodia, ut nil terrenum, nil caducum quæreret vel appeteret, sed ipsum Dominum prophetarum solum desideraret et diligeret , ipsique soli adhæreret. Nam tunc profecto idem Dominus et propheta mundaret eum a lepra sua, **290** ab omni peccatorum suorum inquinamento et immunditia.

***Ingressus est itaque Naaman ad dominum suum et nuntiavit ei, dicens : Sic et sic locuta est puella de terra Israel*.** Quia per *puellam parvulam* cogitationem bonam, sed modicam, et per *terram Israel* bonam conversationem intelligendam diximus, quid per *Naaman ad dominum suum ingredientem*, et quid eadem A *puella* locuta sit mutuanter, intelligere possumus? *Ingreditur Naaman*, homo scilicet exterior, *ad dominum suum*, id est ad spiritum suum, verbaque puellæ loquentis quodammodo nuntiat, dum invicem sibi corpus et spiritus consentiunt, dum concordi devotione conveniunt, ut terram Israel, terram sanctæ conversationis intrare non differant, quemadmodum puella illa, bona videlicet voluntas, jam diu occulte suggesserit. Unde sequitur :

Dixitque ei rex Syriæ : Vade, et mittam litteras ad regem Israel. Dicere istud facere est. Dicit sæpe memoratus rex Syriæ, spiritus scilicet hominis homini exteriori, ut vadat, ut ad conversionem veniat, ut bonum quod proposuit festinanter perficiat. *Et mittam*, inquit, litteras *regi Israel*. Litteras regi Is-B rael mittere est spiritali magistro verbis innotescere quidquid ex divina inspiratione supradicta puella secum locuta et meditata sit in abscondito.

Qui cum profectus esset, et tulisset secum decem talenta argenti, et sex millia aureos, et decem mutatoria vestimentorum, detulit litteras ad regem Israel in hæc verba : Cum acceperis epistolam hanc, scito quod miserim ad te Naaman servum meum, ut cures eum a lepra sua. Defert salvandus atque mundandus iste Naaman secum *decem talenta argenti*, digne pœnitere cupiens transgressionem Decalogi, defert etiam *sex millia aureos*, hoc est sensus suos perfecta voluntate purissimos ; defert quoque ad regem Israel *litteras*, dum bonam voluntatem cordi suo C firmiter inscriptam spiritali patri verbis insinuat, et ab eo in sanctæ conversationis contubernium suscipi expostulat, ut ille digne pœnitendo a peccatorum suorum contagio mundari valeat.

291 *Cumque legisset rex Israel litteras, scidit vestimenta sua et ait : Nunquid Deus sum ego, ut occidere possim et vivificare, quia iste misit ad me ut curem hominem a lepra sua ?* Spiritolis vero rex Israel, audiens voluntatem et desiderium pœnitentis Naaman, vestimenta, id est opera sua quodammodo scindit, quia mores actusque suos in melius commutare disponit, ut hunc miserum pœnitentem doctrina et exemplo, nec non intercessionis suæ suffragio adjuvare possit. *Nunquid Deus*, inquit, *sum ego*, ut in homine peccatore peccata et vitia quæ in illo vivunt D possim occidere, et a morte animæ illum resuscitare, atque ab immundissima peccatorum lepra valeam emundare?

Animadvertite et videte quomodo occasionem quærat adversum me. Vos, inquam, sensus mei, *animadvertite et videte* quia per abstinentiam, per jejunia, vigilias et labores oportet me adversum me consurgere, ut huic misero et peccatori, humiliter pœnitenti, veraciter confitenti, non solum utiliter præesse, verum etiam salubriter prodesse valeam verbo et opere.

Quod cum audisset Elisæus, vir Dei, scidisse videlicet regem Israel vestimenta sua, misit ad eum dicens. Cur scidisti vestimenta tva ? Veniat ad me, et sciat prophetam esse in Israel. Audiens verus Eliseus, vere vir Dei, vere Filius Dei Patris *regem Israel vestimenta*

sua scidisse, in melius videlicet opera sua commu- A tasse, mittit ad eum nuntios piæ compassionis et cooperationis suæ dicens : *Cur scidisti vestimenta tua ?* Interrogare Dei approbare illius est. Est enim quasi dicat : Novi qua de causa vestimenta tua scidisti, quam districte vitam tuam agere disposuisti. Et quia placet ita te fecisse, ita te in animo tuo disposuisse, *veniat ad me* Naaman iste. *Ad me*, dico, *veniat*, et amore nominis mei sanctæ conversationis habitum a te suscipiat, quia ego cooperator tuus ero, illum a lepra peccatorum suorum curabo, ita ut me *prophetam in Israel esse sciat* et sentiat, talem utique prophetam, qui dicat : **292** *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat* (*Ezech.* XXXIII, 11). Sequitur :

Venit ergo Naaman cum equis et curribus, et stetit B *ad ostium domus Elisei. Misitque ad eum Eliseus nuntium, dicens : Vade et lavare septies in Jordane.* Per *equos et currus* sensus utriusque hominis intelligere possumus, quos ad se intra se Naaman iste colligit, veniensque stabit *ad ostium domus Elisei*, stabilem videlicet faciens professionem spiritalis propositi. Quem verus Eliseus *in Jordane*, quod interpretatur *descensio*, *septies lavari* præcipit, monens illum et exhortans, ut corde simul et corpore humilietur, quatenus per descensum profundæ humilitatis septiformem Spiritus sancti gratiam percipere mereatur. Sed quia nonnunquam post conversionis primordia varia insurgunt tentationum phantasmata, jam sequens littera continuo innuit, quod sæpe memoratus Naaman tristi murmure conquerens ait : C *Putabam*, inquit, *quod egrederetur ad me, et stans invocaret nomen Domini Dei sui, et tangeret manu sua locum lepræ, et curaret me.* Quasi dicat : *Putabam* miser ego, si sæculo huic nequam renuntiarem, si terram Israel, terram quoque spiritalis vitæ introirem, quod verus ille Eliseus per misericordiam et consolationem in occursum meum egrederetur, quod me ab insurgentibus tentationum tumultibus tueri et defendere dignaretur, *et stans nomen* suum super me *invocaret*, hoc est ut stabilem in me humilitatem et patientiam confirmaret, et notitiam nominis sui in abundantia suavitatis mihi manifestaret, et sic me ab omni inquinamento carnis ac spiritus emundaret. D

Nunquid non meliores sunt Abana et Pharphar fluvii Damasci omnibus aquis Israel, ut laver in eis et munder ? Abana *lapides*, Pharphar *dissipantes* aut *fodientes* vel *talpæ* interpretatur ; Damascus vero *sanguinem bibens* dicitur. Unde idem est ac si dicat : Dum adhuc carnalibus serviens desideriis cor durum ac lapideum veritati opponerem, dum omnem sensum et intellectum male vivendo dissiparem, dum velut talpa fodiens ea quæ mundi **293** sunt, assequi omnimodis laborarem, dum sanguinem, id est peccata hujus sæculi sitibundo corde biberem, nunquid non uberiores mihi redundabant lacrymæ, nunquid non majori divini saporis dulcedine delectabar ? Nunc vero postquam me et omnia mea Deo obtuli, postquam illi soli corde et corpore servire decrevi, bonum quod volo perficere non valeo, sed nova et inexperta tentationum certamina tolero, unde melius mihi et utilius esse arbitror ad sæculi redire negotia, ut si bona cœlestia adipisci nequeam, saltem bonis temporalibus delectabiliter jucundari valeam. Sequitur :

Cum ergo avertisset se et abiret indignans, accesserunt ad eum servi sui, et locuti sunt ei : Pater, et si rem grandem dixisset tibi propheta, certe debueras facere : quanto magis quia nunc dixit tibi : Lavare et mundaberis ? Cum ergo, ut diximus, contra insurgentia sibi tentamenta gemens et dolens sæpe dictus Naaman submurmurat, et postposita spiritali vita ad sæculum redire cogitat, accedunt mox servi sui, sensus videlicet interiores, divinitus excitati et illuminati, et repulsis cogitationibus vanis et variis se ipsum homo interior his verbis exhortatur dicens : *Si rem grandem propheta*, imo Dominus prophetarum *tibi dixisset*, id est, si supra id quod potes tentari permisisset, nonne patienter ferre debueras, quia multo graviora et duriora tua commeruit iniquitas ? Et quid est quod tam impatienti dolore contra Deum murmuras, eo quod intimæ compunctionis tibi deest suavitas, cum pro magno habere posses, si per dignam **294** satisfactionem a peccatis mundari et ab infernalibus pœnis liberari meruisses. Sic, sic miser homo dum tentatus et conturbatus quasi consulendo semetipsum redarguit, fit profecto per misericordiam Dei, quod consequenter præsens littera insinuat, cum dicit :

Tunc descendit et lavit in Jordane septies juxta sermonem viri Dei et restituta est caro ejus sicut pueri parvuli, et mundatus est a lepra sua. Descendens in Jordane septies lavatur : quia per septiformem gratiam Spiritus sancti magis magisque humiliatus a lepra superbiæ misericorditer emundatur. *Et fit caro ejus*, homo videlicet interior, *sicut caro pueri parvuli*; *pueri*, dico, per innocentiam ; *parvuli*, per veram humilitatis gratiam.

Reversusque ad virum Dei cum universo comitatu suo venit et stetit coram eo, et ait : Vere scio, quod non sit alius Deus in universa terra, nisi tantum Dominus Deus Israel. Cum universo comitatu, hoc est cum omni virtutum affectu ad bona quæque agenda revertitur, et perstare in spiritali proposito firma mentis soliditate nititur, dicens : *Vere scio*, experimento didici, quod *in terra Israel*, hoc est in spiritali vita habitantibus specialiter misereatur et repropitietur Dominus, eo quod illic perfecte quis conversus digne pro peccatis satisfacere valeat, et ad bona facienda diebus ac noctibus tempus opportunum habeat.

295 HOMILIA XXXIV.

IN FERIAM VI POST DOMINICAM III, QUADRAGESIMÆ PRIMA.

Venit Jesus in civitatem Samariæ, quæ dicitur Sichem, juxta prædium, quod dedit Jacob Joseph filio suo (*Joan.* IV).

Sacrosanctum tempus hoc quadragesimale, quod recolimus, sicut specialiter ex reliquis anni temporibus ad salutem et remedium animarum electum et exceptum est, sic specialis observantiæ diligentia observandum est, ut qui alio tempore vivere non valemus sicut debemus, his saltem diebus per custodiam mentis et corporis Deo placere laboremus. Commendat nobis tempus istud Apostolus, qui dicit: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis* (*II Cor.* VI, 2). Potest enim homo promereri in hoc tempore, ut per totum annum reliquum vita ejus in Domino et spiritalium virtutum profectibus prosperetur; potest promereri ut in omni spiritalium profectuum gratia magis ac magis succumbat et deficiat. Nam ut de exterioribus rebus exemplum sumamus, nunc terra aratro scinditur, seminatur, nunc vineæ amputantur, ad futurum qui exspectatur ex his fructum præparantur. Nec hoc ideo ordinatum est a Deo, ut solum illum fructum attendamus et quæramus, ut de terra pascamur, de vinea potemur, sed speciale illud bonum, quod bona cuncta superat, quod Ecclesiæ suæ hoc in tempore parare et præparare cœpit, sacrosanctum videlicet corpus et sanguinem suum, quod ex pane et vino conficitur, præfigurare voluit.

Sed et nos in his exterioribus rebus admonemur et docemur ut et nos terram nostram scindamus, hoc est ut corpus nostrum per spiritualium studia laborum hoc in tempore exerceamus, semen virtutum, semen bonorum operum in eo et ex eo feramus, vineam nostram amputemus, inutilium cogitationum, malarum delectationum ac desideriorum sarmenta **296** ab anima nostra abscindamus, bona desideria, virtutes, sanctasque delectationes in ea plantemus. Nam quemadmodum agricola, qui nunc piger est in arando, fructum in tempore suo non percipit, sic et nos, si nosmetipsos modo negligimus, si negligenter et inutiliter his diebus vivimus, dum tempus fructuum, tempus paschalium gaudiorum advenerit, inanes et vacui inveniemur, sine gratia spiritualium gaudiorum relinquemur.

Videamus ergo ne in vacuum gratiam Dei recipiamus. Nunc pro Deo laboremus, ut tunc cum Deo et in Deo quiescamus; nunc peccata nostra digne pœnitendo defleamus, ut tunc percepta peccatorum venia cum Christo gaudeamus. Ad hoc enim die ac nocte in omnibus quæ legimus, quæ canimus excitamur, admonemur, provocamur. Nam sicut pius medicus animarum voluit ut istis diebus aliquid corpori subtraheretur, sic etiam voluit ut animæ cibus suus et refectio adderetur et augeretur. Singulis namque diebus singularia et nova in missarum celebratione officia, Lectiones et Evangelia habemus, quæ redundant cibo et potu spiritali, quo recreata diligens Deum amica de terrenis ad cœlestia debet sublevari. Sic tota ista hebdomada cœlesti redundat alimonia, et recte ad hanc Dominicam, quæ a Dominica Septuagesimæ sexta est, sextum* illud sancti Spiritus donum, donum utique A intellectus respicit, in qua audivimus quomodo erat Jesus ejiciens dæmonium, et illud erat mutum, et quomodo ejecto dæmone locutus est mutus, et reliqua quæ ibi legimus, ad quæ capienda et spiritaliter intelligenda spiritus intellectus omnino erat necessarius. Sed primum videamus quid sit intellectus.

297 Verus et perfectus intellectus est et homo cognoscat Deum, ut cognoscat seipsum. Gemina hæc cognitio Dei utique et sui unicuique salvando homini admodum est necessaria, quia una non valet sine altera. Nam quis est homo ille qui seipsum recte cognoscit? Qui dies et noctes, menses suos et annos considerans, transgressiones suas et negligentias recte recolit, quin desperare potius valeat, B quam aliquam sibi spem vitæ perennis promittere audeat? E contra quis ita desperatus est, nisi [*Leg.* quin] ad spem vitæ resurgere possit, si misericordias Dei recte cognoscit: *miserationes ejus*, ait Propheta, *super omnia opera ejus* (*Ps.* CXLIV, 9). Illius enim misericordia universa hominum excedit peccata, unde ad cognitionem sui necesse est ut habeat homo cognitionem Dei, ut dum ex cognitione sui turbatur, dejicitur et terretur, ex cognitione Dei habeat quo respiret et consoletur.

Ad hoc utique donum intellectus ad geminam hanc de qua diximus cognitionem Dei et sui, totum respicit quod in hac septimana legimus. Ad hoc respicit quod de Naaman principe militiæ regis Syriæ C feria secunda legimus, qui leprosus veniens de Syria in Samariam ad Eliseum prophetam, responsoque accepto a propheta ut septies lavaretur in Jordane, primo indignatus, postmodum insistentibus sibi servis suis et dicentibus: *Pater, et si rem grandem dixisset tibi propheta, certe debueras facere*, acquievit, abiit, et lavit in Jordane septies juxta sermonem viri Dei, mundatusque a lepra sua reversus ad virum Dei venit, et stetit coram eo, et ait: *Vere scio quod non sit alius Deus in universa terra, nisi tantum Dominus Deus Israel* (*IV Reg.* V, 15). Cum hæc dicebat, donum sancti Spiritus, donum utique intellectus ex parte jam acceperat, quando inter tenebras gentilitatis lucem agnovit veritatis, quod Deum et suum Creatorem, et universæ terræ D Dominatorem cognovit, credidit, et confiteri meruit.

Quod autem in die tertia de muliere illa legimus, quæ, mortuo viro suo, et creditore veniente ut tolleret duos filios ejus, clamabat ad Eliseum; ipsoque interrogante: *Quid habes in domo tua?* et illa respondente: *Non habeo ancilla tua quidquam in domo mea, nisi* **298** *parum olei, quo ungar* (*IV Reg.* IV, 2), jussa est petere ab omnibus vicinis suis vasa vacua, non pauca, clausoque super se et filiis suis ostio mittere inde in omnia vasa hæc, impletisque vasis vendere oleum, et reddere creditori; ista omnia, quæ ibi audivimus, congrue referuntur ad idem donum intellectus quod geminam cognitionem Dei utique et sui esse diximus. Nam per *parum olei*, de

quod dixit mulier illa: *Non habeo ancilla tua nisi parum olei, quo ungar*, per hoc potest intelligi cognitio illa qua homo cognoscit se. Quod vero parum illud olei in omnia vasa illa missum crescit et multiplicatur, per hoc cognitio Dei apte figuratur. Quasi parum olei habet homo quo ungitur, quando ex recordatione et cognitione peccatorum suorum compungitur. Sed parum illud olei crescit in immensum, quando homo post agnita peccata et per assiduam pœnitentiam et satisfactionem purgata ex parte et sanata ad cognitionem et dilectionem Dei provehitur, per quam et a creditore liberatur, et ad vitam animatur.

Percepta hac gratia quartæ diei Lectio apte succedit, in qua dicitur: *Honora patrem tuum et matrem tuam, non occides, non mœchaberis, non furtum facies, non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium* (*Exod.* xx, 12), et cætera, in quibus ad observantiam præceptorum Dei sufficienter instruitur. Nisi enim homo prius et seipsum et Deum cognoscere et diligere incipiat, impossibile est ut præcepta Dei vel audire utiliter, vel observare decenter valeat.

Post cognitionem Dei et sui, post observantiam præceptorum Dei, quinti diei Lectio recte sequitur, in qua legitur de muliere Sunamite, quæ mortuo filio suo venit ad Eliseum in montem Carmeli, apprehensisque pedibus ejus dixit: *Vivit Dominus, et vivit anima tua, non dimittam te* (*IV, Reg.* iv, 30), illeque surrexit, et secutus est eam, ingressusque domum, clauso *super se et super puerum ostio, ascendit et incubuit super puerum, posuitque os suum super os ejus, et oculos suos super oculos ejus, et manus suas super manus ejus* (*Ibid.*, 33, 34). Eliseus significat Christum, qui oculos suos super oculos pueri mortui, mortui, inquam, in peccatis spiritus hominis ponit, quando tribuit ei per gratiam suam, quod mortem suam videt, videndo deflet. **299** Os suum super os ponit, quando eum per internam inspirationem suam intrinsecus tangit ut peccata sua, quæ videt et cognoscit, et in oratione Deo, et in confessione prælato utiliter loqui, veraciter confiteri possit. Manus suas super manus ejus ponit, quando eum post cognitionem peccatorum et confessionem ad bonam operationem misericorditer provehit et perducit. Sic in omnibus, quæ singulis his diebus legimus, spiritus intellectus notatur.

Sed in hodierna sancti Evangelii lectione manifestius designatur, in qua plenius et misericordius operatur. Ibi enim legimus, quomodo *venit Jesus in civitatem Samariæ, quæ dicitur Sichem, juxta prædium, quod dedit Jacob Joseph filio suo. Samaria* interpretatur *asina*, vel *custodia*; *Sichem* vero *humerus* dicitur. Et quia in humeris onera portantur, congrue satis per *Sichem* labor vitæ præsentis designatur. Civitas Samariæ typum præfert sanctæ Ecclesiæ, quæ per custodiam mandatorum Dei Deo placere contendit: Quæ etiam non incongrue dicitur *Sichem*, quia per diversa, quæ pro Christo sustinet, laborum certamina, ad futura æternæ quietis festinat gaudia. *Prædium, quod dedit Jacob Joseph filio suo*, regnum cœlorum intelligendum esse existimo. Hoc nempe prædium *dedit Jacob*, Deus Pater, *filio suo Joseph*, Domino nostro Jesu Christo, quia non solum secundum divinitatem, sed et secundum humanitatem omnia quæ habet Pater habet et Filius, quemadmodum resurgens a mortuis ait discipulis suis: *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra* (*Matth.* xxviii, 18). In divinitate sua ab æterno cuncta possedit cum Patre: in humanitate sua *data sunt* ei *omnia* a patre. Quæ omnia? *ut in nomine ejus omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum* (*Philipp.* ii, 10).

Potest etiam per civitatem *Samariæ, quæ dicitur Sichem*, quælibet spiritalis conversatio, unaquæque sancta congregatio intelligi, quæ per vitæ suæ custodiam et spiritalis districtionis disciplinam, laborumque quotidianorum instantiam in hac vita exercetur. Hæc civitas Samariæ recte *juxta prædium, quod dedit Jacob Joseph filio suo*, esse dicitur. Quotquot enim in sancta Ecclesia in spiritalis vitæ observantia perseveranter propter Deum **300** laborant, etsi intrare adhuc in prædium illud, regnum utique cœlorum, utpote gravati corpore mortali, non possunt, sunt tamen *juxta* illud, quia post decursas mortalis vitæ miserias recipiuntur in illud, ubi inter choros angelorum gaudebunt in perpetuum. Injusti et perversi homines *juxta* hoc *prædium* nequaquam sunt, sed sunt procul ab illo, quia qui appropinquare regno cœlorum in hac vita per bona desideria et juxta opera nolunt, longe ab illo quandoque erunt. Sequitur:

Erat autem ibi fons Jacob. Per *fontem*, quo maculæ abluuntur, sitientes reficiuntur, vel virtus lacrymarum, vel scientia sacrarum Scripturarum figuraliter exprimitur, nec injuste. *Fons* enim lacrymarum sordes peccatorum diluit, scientia Scripturarum sitim diligentis Deum animæ abundanter reficit. *Fons* iste vere fons est *Jacob*, fons utique Dei omnipotentis, quia ab ipso est virtus lacrymarum, ab ipso procedit scientia Scripturarum. Fons iste non est aliunde, nisi in civitate Samariæ, quæ Sichem dicitur, ubi homines illi sunt, qui per studium quotidiani laboris quærere in semetipsis et invenire sciunt dulcem aquam assiduæ compunctionis. Ad hanc civitatem libenter et frequenter venit Dominus, cum his et in his delectatur habitare Deus, cujus mansio et requies est non in sæcularibus et sæculum diligentibus, sed in spiritalibus, et ea, quæ sæculi sunt, pro amore suo constanter despicientibus et abjicientibus. Cum illis est per divinitatis suæ potentiam, cum istis est per pietatis suæ clementiam. Unde consequenter subjunxit evangelista:

Jesus ergo fatigatus ex itinere sedebat sic super fontem. In deitatis suæ substantia nunquam potuit fatigari; in humanitatis suæ substantia fatigari potuit, quia voluit, sicut cunctas infirmitatis nostræ

miserias præter peccatum solum in se suscipere, in se experiri voluit. Et quia propter salutem hominis hoc in se suscepit, in quo fatigari potuit, *fatigatus ex itinere*, non sine causa ibi sedere voluit, quo venturam sciebat cui misereri disposuit, ubi illa mulier Samaritana, mulier non nobilis, non regum filia, sed mulier peccatrix, pauper et despecta eum inveniret, cui donum sui spiritus, donum utique intellectus, de quo loqui cœpimus **301** familiarius impertiret. Sed et adhuc quotidie in itinere quodammodo est, et ex itinere fatigatur Jesus, quando a ministris illius, sacris videlicet prædicatoribus, verbum et doctrina ejus indignis ingeritur auditoribus. Mala eorum vita et perversa actio magna ipsius est fatigatio. *Fatigatus ex itinere* quærit ubi sedeat, quærit ubi fontem illum, animam, dico, aquam compunctionis habentem, animam cœlesti desiderio ferventem, inveniat, ut in ea requiescat, eamque in se quiescentem faciat.

Nec prætereundum quod ait : *sedebat sic super fontem. Sedet sic*, quod unicuique animæ *sic* se conformat et coaptat, sicut sibi utile et saluti suæ necessarium esse considerat. *Sedet sic*, quod et ipse animam consolatur, et ab anima consolari non dedignatur. *Sedet sic*, nunc animam per cognitionem sui ad pœnitentiam peccatorum excitando, nunc per cognitionem Dei, ad internam dulcedinem et cœlestis patriæ amorem sublevando. Gratia hæc Dei omnipotentis, opus suum in beata anima taliter operantis, verbis sequentibus satis convenienter exprimitur, cum protinus subinfertur :

Hora erat quasi sexta. Hanc eamdem horam notat Joannes evangelista, ubi dicit : *Factum est silentium in cœlo quasi hora media* (*Apoc.* VIII, 1). Recte dicitur *hora*, quia tenuissimum et brevissimum est, quidquid in illa morula, quando Deus dilectam sibi visitat animam, de sua pietate et dulcedine comprehendi et gustari potest. Eadem tamen *hora*, licet brevissima, tamen est suavissima. Omnia enim præsentis vitæ gaudia superat, quia quidquid unquam perfectionis in homine fit, hoc operatur *hora*, hoc docet *hora* illa. Nec prætereundum quod non dixit, *hora erat sexta*, sed *hora erat quasi sexta*. Senarius numerus, qui ex perfecto constat, perfectionem significat. Sed quia plena perfectio in hac vita nec acquiri nec haberi potest, recte additur, *quasi*, quia nemo in hac vita plene perfectus, sed *quasi* perfectus. Plenitudo perfectionis in æternam nobis vitam reposita est, ubi sublato *quasi* nihil imperfectionis remanebit, quæ tamen perfectio hic inchoatur, sicut mystice innuitur, cum protinus subinfertur :

302 *Venit mulier de Samaria haurire aquam. Mulier* illa est mollita per gratiam Dei anima, quæ quasi *de Samaria venit*, quando per districtam vitæ suæ custodiam quotidie approximare Deo appetit. Sed quare venit? *haurire aquam.* Possumus intelligere per *aquam* et malas et bonas concupiscentias. Venit quippe, ut ex fonte pietatis Dei bonas concu-

A piscentias hauriat in se, malas concupiscentias per auxilium gratiæ Dei hauriat ex se.

Dicit ei Jesus : Da mihi bibere. Quod dari sibi potum a muliere postulat, suæ pietatis donum significat : quia nihil per se potest homo, nisi ille qui omnia potest, et velle et posse quod bonum est, subministraverit. Ergo quod dicit, *da mihi bibere*, non modo ad hominem illum referendum est, qui est in civitate Samariæ, quæ dicitur Sichem, qui per custodiam et laborem vitæ præsentis hauriendo bona, exhauriendo mala suaviter in semetipso Deum reficere novit. Dicit etiam eadem plerumque verba homini in peccatis adhuc jacenti a quo quasi sitiens bibere postulat, quando eum ad sitiendum et desiderandum salutis suæ remedium per internam inspi-

B rationem suam intrinsecus suscitat. Sequitur ergo :

Dicit ei mulier Samaritana : Quomodo tu, Judæus cum sis, bibere a me poscis, quæ sum mulier Samaritana? Ac si dicat : Operante in me pietate tua, Domine, salvari desidero ; sed quomodo salvari debeam, aut valeam, ignoro. Sed *tu Judæus cum sis*, cum secundum multitudinem miserationum tuarum confessus sis : *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat* (*Ezech.* XXXIII, 11), ostende mihi per tuæ miserationis gratiam, quomodo de fovea perditionis resurgere, et ad viam salutis redire valeam. *Sum* etenim *mulier Samaritana*, in bestialis vitæ sceleribus inquinata et inveterata, et nisi te donante et inspirante modum, quomodo vivere valeam, cognoscam, ad aquam illam, qua tu poteris

C in me et reficiaris, nullatenus pertingere potero.

Respondit Jesus, et dixit : Si scires donum Dei, et quis est qui dixit tibi : Da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam. Quasi dicat : Ad cognitionem tuam ex parte venisti, quia mulierem Samaritanam **303** te cognovisti, sed restat ut cognoscas et me qui operatus sum ista in te. Nam *si scires quis est qui dicit tibi : Da mihi bibere*, si saperes et intelligeres quia ego sum fons vitæ, fons dulcedinis et gratiæ, *tu forsitan petisses a me, et dedissem tibi aquam vivam.* Est quasi aqua mortua, quando pro peccatis et mortuis actibus suis homo compungitur. Est quasi *aqua viva*, quando compungitur non solum pro commissis ma-

D lis, sed etiam pro neglectis bonis, quando vivificatus in semetipso vel pro æterno beatitudinis afficitur gaudio. Hujus nimirum aquæ vere pœnitens anima omnino se indignam judicat. Sed melius ac melius seipsam agnoscens subjungit dicens : *Domine, neque in quo haurias, habes, et puteus altus est ; unde ergo habes aquam vivam?* Ac si dicat : in me et ex me, Domine, aquam illam habere deberes, quæ te delectaret, me sanaret. Sed *puteus altus est*, tanta, inquam, est profunditas peccatorum meorum, quod nec dignam me judico, ut ad aquam illam vivam, ad vivificantem tuæ dulcedinis gratiam aliquando pertingere debeam.

Respondit Jesus, et dixit ei : Omnis qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum ; qui autem biberit ex aqua

quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Per *aquam* hanc, quam bibens homo *iterum sitiet*, concupiscentia et voluptas sæculi non inconvenienter intelligi valet, ex qua quanto plus homo bibit, tanto magis sitit. Aqua vero, quam dat ipse, qui fons est misericordiæ, significat sanctas delectationes, dulcia desideria perennis vitæ. Aqua ista facit bibentem, non sitientem. Sed *fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Homo nempe ad instar salientis, de loco ad locum se transferentis, seipsum sublevat de terra, quando degustatis utcunque delectationibus patriæ cœlestis, per dulcia desideria, terrena cuncta transilit, cœlestia ardenter appetit, seque quasi de loco ad locum transfert, quando ire de virtute in virtutem incipit, quando post sanctas cogitationes et sancta desideria ad bona et justa opera viriliter se accingit. *Fitque* in eo *fons aquæ salientis in vitam æternam*, quia post tales saltus virtutum, post decursam vitæ hujus mortalitatem **304** in ipsam cœlestium gaudiorum transiliet perpetuitatem. Hujus aquæ saporem beata hæc mulier paulatim intrinsecus sentire cœperat, cum dicebat :

Domine, da mihi hanc aquam, ut non sitiam neque veniam huc haurire. Eadem verba dicit adhuc et dicere debet quælibet beata anima : *Domine, da mihi hanc aquam, ut non sitiam.* Ac si dicat : *Da mihi, Domine*, in tuæ bonitatis dulcedine *hanc* tuam *aquam*, quæ fiat in me *fons aquæ salientis in vitam æternam*, ut spiritalium delectatione virtutum, desideriis cœlestium bonorum refocillata et recreata ultra *non sitiam*, quod antea sitiebam, quod de concupiscentiis et voluptatibus sæculi male vivendo haurire solebam.

Dicit ei Jesus : Vade, voca virum tuum, et veni huc. Ac si dicat : Ut ad gratiam illam, quam desideras, me donante pertingere valeas, *vade* bonis operibus viriliter insistendo, *voca virum tuum*, intellectum tuum, orationum studiis constanter invigilando ; *veni huc*, totam te intra colligendo.

Respondit mulier et dixit : Non habeo virum. Responsio hæc mulieris responsio est animæ pœnitentis, quæ non habere se virum profitetur, quando ex visitante et aspirante gratia Dei magis ac magis seipsam agnoscens virilem sensum et intellectum, quo Deum cognoscere deberet, deesse sibi conqueritur. Hanc humilitatem approbat Deus. Unde dicit in consequentibus :

Bene dixisti, quia non habeo virum ; quinque enim viros habuisti, et quem nunc habes, non est vir tuus. Quinque viri, quinque sensus hominis possunt intelligi, quos tunc anima quasi *quinque viros* dominantes sibi et imperantes habet, quando oculis delectabiliter videt illicita, quando auribus libenter audit quod non expedit, quando ore libenter loquitur unde Deus offenditur, quando manus ab illicito tactu non prohibet, nec pedes ab iniquis gressibus retrahere studet. His quinque viris sextus quodammodo succedit, quando tales, quales nunc

A audivimus exteriorum sensuum excessus vel non cognoscendo, vel etiam defendendo errorem incidit. Hoc est enim quod ait, *et quem nunc habes, non est vir tuus.*

305 *Dicit ei mulier : Domine, ut video, propheta es tu.* Moris est prophetæ præterita et futura cognoscere et dicere. Videt anima in se Dominum quasi prophetam, quando inspirationis illius instinctu ipsa videre, ipsa sibi prophetare et prædicere incipit et futura bona quæ perdidit, et futura mala quæ commeruit. Unde nihil utilius sibi judicat quam ut ad orationis subsidia humiliter confugiat. Sed quia modum perfectæ orationis adhuc ignorat, ab ipso Patre misericordiarum, ut doceatur, suppliciter implorat. Hoc significant nobis sequentia verba mu-
B lieris hujus dicentis :

Patres nostri in monte hoc adoraverunt, et vos dicitis quia Jerosolymis est locus, ubi oportet adorare. Mulier ista non erat fatua, sed prudens femina, quia æterna Sapientia, quæ ei loquebatur exterius, docebat eam interius. Unde prudenter interroganti, quomodo et ubi adorare Deum oporteret, sapienter sciscitanti *dicit ei Jesus :*

Mulier, crede mihi, quia veniet hora, quando neque in monte hoc, neque in Jerosolymis adorabitis Patrem. Vos adoratis quod nescitis; nos adoramus quod scimus, quia salus ex Judæis est. Sed venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. In his utique verbis mulieris interrogantis, et Domini respondentis, docet etiam nos Domi-
C nus quid et quomodo orare debeamus, quod nulla oratio utilis et perfecta sit, nisi quæ in confessione veræ et individuæ Trinitatis fit, cujus differentiam his nobis verbis innuit, cum dicit : *Sed venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt in spiritu et veritate. Patrem* et *Spiritum* nominat, per *veritatem* seipsum, qui est Filius Patri et sancto Spiritui consubstantialis et coæternus, significabat.

Possumus et aliter intelligere quod ait : *Adorabunt Patrem in Spiritu et veritate. Adorare* utique debemus *Patrem in spiritu*, ut collecte ad nos intra nos spiritu nostro circa nulla inutilia diffluamus, universos sensus nostros ad illum colligamus, quem adoramus, cujus pietatis et miserationis gratiam
D imploramus. Adorare debemus *in veritate*, ut in orationibus et bonis actibus **306** nostris nihil aliud quæramus nisi verum et summum illud bonum, cui nihil falsitatis et duplicitatis accedit. Tales adoratores diligit Deus, quemadmodum ipse dicit in consequentibus :

Nam et Pater, inquit, *tales quærit qui adorent eum.* Quod homo quærit, illud diligit ; quod non diligit, illud nec quærit. Igitur quærere Dei est diligere Dei. Et bene dicit : *nam et Pater tales quærit qui adorent eum ;* quia qualescunque coram hominibus sint, quantumcunque ab eo peccando deciderint et perierint, quos tales futuros præscivit et præordinavit, *quærit* eos quia diligit eos, in quacunque peccatorum voragine submersi sint, inde

extrahet eos per pietatis suæ clementiam, quia colligit eos ad se per veram et perfectam pœnitentiam. Sequitur :

Spiritus est Deus, et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare. Deus utique, qui *spiritus est*, vere adoratur, quando, *in spiritu et veritate* adoratur, hoc est quando exclusis rebus temporalibus et caducis, collecto, ut diximus, ad se intra se spiritu suo, ita homo orat, quod nihil in oratione sua quærit, nisi solum summum et verum bonum, quod cuncta bona excedit. Quando istum tam sublimem perfectionis gradum homo conscenderit, recte cum beata hac muliere dicere poterit :

Scio quia Messias venit, qui dicitur Christus. Cum ergo venerit, ille nobis annuntiabit omnia. Ibi enim plenum illud sancti Spiritus donum, donum utique (B) intellectus accipit, ibi de vera sui cognitione ad cognitionem Dei provehitur. Cum verus ille *Messias qui dicitur Christus*, per inspirationis suæ unctionem omnia ei quodammodo annuntiabit quia hominem nulla ita instruit lingua doctoris, sicut hora illa orationis, hora supernæ infusionis. Ibi enim vere homo cum Deo, et Deus cum homine loquitur, quemadmodum consequenter subinfertur; nam sequitur :

Dicit ei Jesus : Ego sum, qui loquor tecum. Legimus in Evangelio interrogasse Dominum discipulos suos : *Quem dicunt homines esse filium hominis* (*Matth.* XVI, 13)? et diversis diversas opiniones hominum de illo exponentibus dixisse Petrum : *Tu es* (C) *Christus Filius Dei vivi* (*Ibid.*, 16), et respondisse Dominum : *Beatus es Simon* **307** *Bar Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est* (*ibid.*, 17). Confessionem discipuli laudavit, non tamen ei vel alicui discipulorum suorum tam apertis verbis se manifestavit, ut diceret : *Ego sum*, sicut beatæ huic mulieri, cui dixit : *Ego sum, qui loquor tecum*, jam tunc exemplificans nobis et præsignans ineffabilem illam misericordiam, quam quotidie adhuc cum peccatoribus operatur, quos dum primum per visitationis suæ gratiam ad cognoscendum seipsos illuminat, postmodum ad cognoscendum etiam se in bonitatis suæ dulcedine misericorditer sublevat. Sequitur :

Et continuo venerunt discipuli ejus, et mirabantur (D) *quia cum muliere loquebatur. Nemo tamen dixit : Quid quæris, aut quid loqueris cum ea?* Diligebant eum sicut filii patrem dulcissimum ; metuebant eum sicut discipuli magistrum reverendissimum. Ideoque licet mirarentur *quia cum muliere loquebatur*, quid cum ea loqueretur dicere non audebant, quia debitam tam metuendo magistro reverentiam et honorem deferebant. Et quia neque Petrum neque Jacobum vel Joannem, neque aliquem discipulorum suorum adesse et interesse voluit, ubi peccatricem hanc mulierem ad cognitionem et confessionem reatus sui ducere et docere disposuit, in hoc manifestum nobis exemplum dedit et documentum quanta inter confessorem et confitentem familiaritas esse (A) debeat atque secretum, quod præter confitentem et audientem nullum interesse oporteat, quod nunquam publicari et diffamari confessio debeat. Et quia ejus collocutio illius cui loquebatur erat eruditio et salvatio, recte subinfertur :

Reliquit ergo hydriam suam mulier, et abiit in civitatem et dixit illis hominibus : Venite, et videte hominem qui dixit mihi omnia quæcunque feci. Sed et adhuc quotidie mulier, emollita utique per visitationis suæ et inspirationis gratiam quælibet beata anima, *hydriam suam relinquit*, quando concupiscentiam et avaritiam sæculi, quæ per hydriam potest intelligi, perfecte deserit. Post relictam hydriam potest *in civitatem abire*, potest aliorum **308** saluti prædicando et docendo utiliter subvenire. (B) Unde apte subinfertur : *Et dixit illis hominibus : Venite, et videte hominem qui dixit mihi omnia quæcunque feci.* Sed quia avaritia et concupiscentia non solum est in divitiis et pecunia, sed et in favore et inani gloria, quisquis, etsi recte vivendo, et aliis recte docendo prodesse desiderat, ita necesse est hydriam suam abjiciat, ut non se, sed Deum laudari et magnificari concupiscat in factis et dictis suis, non suum, sed Dei honorem quærat. Tunc enim utilis et fructuosa ejus doctrina esse poterit, sicut consequenter evangelista subjunxit :

Et exierunt, inquit, *de civitate et veniebant ad eum.* De civitate Samaritani exeunt, quando expergefacti ex prædicatione verbi Dei homines peccatores *de civilitate*, ut ita dixerim, et vicinitate vitiorum transeuntes ad Deum, juste et laudabiliter vivere incipiunt. Sequitur :

Interea rogabant eum discipuli dicentes : Rabbi, manduca. Ille autem dixit eis : Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis. Cibus Christi est salus nostra. Hunc ejus cibum ipsi necdum sciebant. Unde et dicebant : *Nunquid aliquis attulit ei manducare? Dicit eis Jesus : Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui misit me, ut perficiam opus ejus.* Voluntas Dei Patris erat, ut homo, quem ad imaginem et similitudinem suam creaverat, Unigeniti sui passione recrearetur quia imperfectum quodammodo opus ejus erat, quandiu per mortem Filii sui homo redemptus non erat. Sed quia jam jamque (D) tempus instabat, quod ad perficiendum idem opus Dei Patris Deus Filius se præparabat, eis, quos in salvatione generis humani cooperatores et ministros habere voluit, eamdem redemptionem aperuit, cum dixit :

Nonne vos dicitis quod adhuc quatuor menses sunt, et messis venit? In quatuor his mensibus vel quatuor cardinales virtutes, prudentia, temperantia, fortitudo et justitia, vel quatuor tempora, tempus utique ante legem, **309** tempus sub lege, tempus sub gratia, tempus futuri judicii non inconvenienter, ut arbitror, possunt accipi. Evoluto illo quarto mense, die utique tremendi judicii, *messis* illa desiderabilis et jucunda *venit*, in qua omnes prædestinati ad vitam de agro mortalitatis hujus succi-

dentur, atque in horrea cœlestis beatæ immortalitatis reponentur et condentur. Sed quia messem istam a patriarchis et prophetis inchoatam per eosdem beatos apostolos perfici et consummari voluit, subjecit et ait :

Ecce dico vobis; Levate oculos vestros et videte regiones, quomodo albæ sunt jam ad messem. Ac si aperte diceret : Ecce ego, qui propter salvandum genus humanum descendi in hunc mundum, in mundo diu esse nolo. Opus meum per nos consummari volo. *Ecce dico vobis : Levate oculos vestros.* Beati enim oculi, qui vident quæ vos videtis. De vobis enim dictum est : *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum* (*Psal.* XVIII, 5; *Rom.* X, 18). Et *videte regiones*, diversas utique nationes populorum, *quomodo albæ sunt jam ad mensem*, hoc est, per vestrum ministerium albificandæ et innovandæ sunt per fidem, quam ex prædicatione vestra suscepturi sunt in baptismi regeneratione.

Et qui metit, mercedem accipit et congregat fructum in vitam æternam, ut et qui seminat simul gaudeat, et qui metit. Per eum *qui seminat*, ordinem patriarcharum et prophetarum significabat; per eum *qui metit*, ordinem apostolicum intelligi voluit. Nam quod patriarchæ et prophetæ **310** in dolore et gemitu seminaverunt, hoc in gaudio et exsultatione apostoli messuerunt. Nonne in dolore et labore Abraham seminavit, qui pro adipiscendo semine illo, in quo omnes gentes benedicendæ erant, egressus de terra et cognatione sua, peregrinatus in terra aliena, uxore sublata, multa dura sustinuit et adversa? Seminaverunt utique de carne sua alter alterum generando, sicut scriptum est : *Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Jacob* (*Matth.* I, 2). Seminaverunt prædicando futuram Christi incarnationem, figuris et ænigmatibus præfigurando et prænuntiando. Sed quod seminaverunt, non messuerunt quia eum, quem exspectabant, Dominum nostrum Jesum Christum venientem in carne non viderunt, sed tristes et gementes cum omni posteritate sua ad infernum descenderunt. Sed quia et illos per mortem suam salvaturus et consolaturus erat, recte dicebat : *Et qui metit, mercedem accipit, et congregat fructum in vitam æternam, ut et qui seminat simul gaudeat, et qui metit.* Ac si dixisset : Vos baptizando, et fidem meam prædicando atque docendo regiones, id est nationes salvandorum meorum, metetis, et *mercedem* immarcescibilem æternæ beatitudinis coronam accipietis, et congregabitis fructum in vitam æternam, ut et illi, patriarchæ utique et prophetæ mei, qui seminaverunt, et vos, qui metitis, simul gaudeatis, hoc est ut de vestra et totius humani generis salute pariter exsultetis per infinita sæcula sæculorum. Amen.

311 HOMILIA XXXV.

IN DOMINICAM IV QUADRAGESIMÆ PRIMA.

Abiit Jesus trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis. (*Joan.* VI).

Hodierna Dominica, quæ tam festive canendo et legendo extollitur et honoratur, jucunda illa et celebria futuræ vitæ gaudia pronuntiare videtur. Tota enim hodierni officii excellentia singularis et magnæ cujusdam lætitiæ modum, quæ non habebit modum, præscribit quæ ut ita dicam, in cantu suo etiam paschalis diei solemnia præcedit. Ubi enim, aut quando in veritate et vero gaudio cantari poterit Introitus : *Lætare, Jerusalem, et conventum facite, omnes qui diligitis eam*, nisi quando magnus et verus Pontifex noster Jesus Christus omnibus pontificalibus indumentis suis ornatus infra Sancta sanctorum accesserit? Quotidie quasi ex parte sacris et pretiosis vestibus induitur et ornatur, quandocunque suorum electorum animas, de hoc carcere mortis liberatas, ad decorem sui stola immortalitatis induere dignatur. Sed tamen quandiu adhuc alia portio membrorum ejus in terris peregrinatur, nequaquam Pontifex noster plene et perfecte coram populo suo ornatus incedit. Qui cum in generali resurrectione omnia membra sua ad se collegerit, et ad desideratam præmii gloriam perduxerit, vere ad integrum ornatus ad altare jam missam suam celebraturus procedet, ubi millia millium conjuncta psallentibus angelicis choris personare et jubilare debent sic incipientes : *Lætare, Jerusalem et conventum facite, omnes qui diligitis eam; gaudete cum lætitia.* Quid est dicere, *gaudete cum lætitia?* Sufficeret enim dixisse, *gaudete.* Sed idcirco addidit, *cum lætitia*, ut et in corpore et in anima gaudere eos insinuaret. Si enim in corpore et non in anima, aut in anima et non in corpore gauderent, non utique *cum lætitia* gauderent. Sed gaudebunt *cum lætitia*, quia et in corpore et in anima plena, certa, secura æternæ felicitatis gaudia possidebunt. Satiabuntur **312** quoque *ab uberibus consolationis* cœlestis illius civitatis, ubi omni abstersa desolatione lac perpetuæ consolationis sugent, quo lacte semper nutriuntur, semper potantur et inebriantur.

Quod autem subjungitur versus : *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus* (*Psal.* CXXI, 1); itemque in Graduali : *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi*; quid est, nisi quod duplex iste cantus duplicem corporis et animæ gloriam insinuat? Ad hæc gaudia obtinenda docet et ducit nos hodierna sancti Evangelii lectio, quæ de quinque panibus et duobus piscibus quinque millia hominum satiata commemorat, quæ vere figura sunt illius satietatis quæ erit sine fastidio, et desiderii illius visionis quæ erit sine tædio. Quod autem hujus evangelicæ lectionis verba sequentia alio tempore leguntur, et præcedentia reticentur, et modo cum præcedentibus sequentia recitantur, videtur mihi hæc esse ratio, quod quatuor Domini sacramenta, passionis, mortis, resurrectionis et ascensionis ejus, quæ in proximo sumus celebraturi, sufficienter in eis expressa inveniuntur; quæ sic unusquisque nostrum intueri et venerari debet, ut per hæc contingere mereatur ad Dei visionem et perfectam ejus cognitionem.

Abiit Jesus, inquit evangelista, *trans mare Gali-*

lææ, quod est Tiberiadis. *Mare* mundum significat magna aptitudine et congruentia. Sicut enim *mare* dictum est ab amaritudine, eo quod salsum est et *amarum*, sic non incongrue mundus iste maris nomine censetur propter amaritudinem peccatorum, in quibus omne humanum genus sic immersum contabuit, et nullus esset qui amaritudinem mortis et gehennæ effugere posset. Hoc autem mare Domino nostro Jesu Christo *mare* erat *Galilææ* quod *transitus* dicitur, quia *trans mare* istius mundi sic *abiit*, quod solus sine peccati macula conceptus et natus, **313** omni vita sua nec verbo, nec opere, nec cogitatione deliquit; sic in assumpta propter nos humanitate vivens *abiit*, perfecte a malis declinando *trans mare Galilææ*. Cujus excellentia passionis innuitur in verbo *Tiberiadis*. Tiberias enim interpretatur *bonitas ejus*. Ipsa enim *bonitas* et misericordia *ejus*, quæ eum morticinio nostræ carnis indui fecit, eadem bonitas ejus et visio bonitatis ejus fecit innocentem pro nocentibus, justum pro injustis velle pati et mori, ut inimicitias in carne sua evacuans ad Deum Patrem accessum præstaret, originale peccatum deleret, remissionem peccatorum condonaret. Itaque dum sic abiret, dum sic pati, mori et resurgere voluisset, factum est quod subjungitur:

Et sequebatur eum multitudo magna quæ viderat signa quæ faciebat super his qui infirmabantur. In *multitudine* hac *magna* primitiva Ecclesia, quæ cœpit in Apostolis, potest accipi: quæ ideo *magna* dicitur, quia magna erat tam numero quam et merito. De qua etiam multitudine scriptum est quod *multitudinis credentium* esset *cor unum et anima una* (*Act.* IV, 32). Hæc *multitudo magna* Dominum sequebatur visis signis ejus, signis dico humilitatis et abjectionis ejus, irrisionum, flagellorum, mortis et resurrectionis. Quæ signa facta sunt *super his qui infirmabantur*, quia quod sic corpus suum ad tormenta et pœnas exposuit, ob hoc utique fecit ut omnem animarum nostrarum auferret languorem, omnem redonaret et restitueret firmitatem et sanitatem. Peracta autem dispensatione, propter quam venerat,

Subiit, ut evangelista ait, *in montem, et ibi sedebat cum discipulis suis.* *In montem* Dominus *subiit*, quando post gaudium et triumphum resurrectionis ad dexteram Patris victor ascendens consedit. Ibi sublatus a nobis manet *cum discipulis*, sanctis videlicet spiritibus angelicis, cum quo est illis continua festivitas, solemnis jucunditas, perpes et felix societas. De quorum festo die mox subjungitur:

Erat autem proximum Pascha, dies festus Judæorum. Pascha *transitus* dicitur. Transitus iste exitum et *transitum* vitæ nostræ potest designare. **314** Qui revera est *in proximo* quia quamvis nobis præsentis exsilii labor diutinas innectere moras videatur, tamen certa et proxima mors omnibus imminet et instat. Nonne videtis, dilectissimi, quomodo hi qui nobiscum transacto anno fuerunt, jam a A nobis subtracti sunt? Sic etiam qui nobiscum hodie conversantur, cras fortassis transeunt et non subsistunt. Tolluntur a nobis subito, et deinceps non inveniuntur. Sed transitu isto facto et finito beati quilibet perveniunt ad *diem festum Judæorum*. In die festo Judæorum possumus accipere claritatem et gaudium angelorum, qui ideo *Judæi*, id est *confitentes*, quia incessabili voce laudant et glorificant nomen Dei Patris. Ad hunc splendorem jugis et festivæ diei, quem sancti angeli habent, electi post Pascha transeunt, ubi mane vel vespera non accedet. In præsenti namque vita vespere et mane erit; vespere dico, dum fragilitate propriæ carnis sive diaboli tentamentis, vel mundi adversitatibus aut prosperitatibus ita præpedimur, ut Deum clare videre B nequeamus; mane vero, dum torpore nostro excusso aliquantula divinæ claritatis lux corda irradiaverit. In illa autem æternæ vitæ jucunditate non accedet mane vel vespera, sed unus *festus dies* erit *Judæorum*, sanctorum videlicet angelorum et animarum Deum perpetuo confitentium et laudantium. Ut autem nos confitentes et laudantes ad diem festum istum perduceret, ad hoc oculos misericordiæ suæ semper ab initio sublevavit, sicut in consequentibus Evangelium ait:

Cum ergo sublevasset oculos Jesus, et vidisset quia multitudo maxima venit ad eum. Quod nunc dicit simpliciter *cum levasset*, sed *cum sublevasset*, hoc mihi significari videtur, quod semper ab initio ab- C sconditum erat, quo pacto Deus absconditus homo manifestus in fine sæculorum fieri dignaretur. Et quoniam omnes salvati in prædestinatione ejus erant, bene dicitur sublevasse oculos et vidisse maximam multitudinem venientem ad se. In maxima hac multitudine sancti apostoli possunt designari, qui digne et juste propter meritorum eminentiam *maxima multitudo* nominantur, quia omnibus patriarchis, omnibus prophetis eminebant, qui vere **315** beatos oculos, beatas aures habuerunt, quibus Deum videre et audire meruerunt, quibus omnia tanquam amicis suis nota fecit quæ a Patre audivit. *Maxima* autem *multitudo* non solum illi, sed et omnes imitatores eorum dicuntur qui terrena contempserunt, et non solum mundi contemptores exstiterunt, imo corpora D sua diversis et infinitis suppliciis usque ad mortem exposuerunt. Hinc etiam *maxima multitudo* coram Domino fuerunt et sunt, qui non solum præcepto, sed et consilio Domini obaudire decertarunt, de quibus apostolus Paulus ait: *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do* (*I Cor.* VII, 25). Igitur quia Deus Pater omni tempore omni generis humani saluti prævidit, omni tempore, ante legem, sub lege, sub gratia prædicatores suos misit, visaque hac maxima multitudine *dicit ad Philippum*:

Unde ememus panes, ut manducent hi? Per *Philippum* Veteris Testamenti prædicatores possunt accipi, in quibus et per quos Deus loquens adventum suum promittebat, a quibus Deus creator credebatur, et

ab eo salus et redemptio exspectabatur; quomodo vero eadem salus implenda et perficienda foret, exceptis paucis, quibus de virgine nasciturum scire singulariter in munere datum est, a cæteris fidelibus non agnoscebatur. Et quia semper in Ecclesia Dei ab initio fuit fides incarnationis et passionis Christi, et nunquam defuerunt, qui hæc cognoverunt, licet videre et comprehendere effectu non meruerint, apte infert Evangelista:

Hoc autem dicebat tentans eum. Erat autem eis tentatio magna scire et nescire; scire quandoque venturum, sed nescire quando et quomodo futurum. *Ipse enim sciebat quid esset facturus.* Patriarchis et prophetis ignorantibus, Deus Pater solus noverat tempus et horam, in quo Filium suum ad reparationem hominum venire disposuerat, ut bonum suum homo reciperet, ad quod ab initio conditus fuerat. Sed et si ad Philippum referre volumus quod dicitur, *ipse enim sciebat quid esset facturus*, hoc potest sentiri, quod Patriarchæ et prophetæ bene noverant, quod dubiis et clausis sententiis usque ad tempus, quo hæc in veritate manifestanda essent, pronuntiare **316** deberent, quod et ipsum in responsione Philippi innuitur, qui ait:

Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat. In *ducentis denariis* legem et prophetas accipe. Lex enim quasi centum denariorum panes habuit; sermo prophetiæ centum denariorum panes habuit, quia, ut diximus, credere in Deum, et Salvatorem in carne venturum præcinuit et docuit. Sed isti panes ad salutem sufficientes non erant, donec unusquisque *modicum quid*, hoc est donec illum qui secundum divinitatem incomprehensibile *quid* est, *modicum* et parvum in humanitate sua suscipere et videre mererentur. Unde missus quondam Moyses ad liberandum Israeliticum populum sese ad hoc opus idoneum non esse proclamans, ut ille veniret, qui et se et omnes salvaret, orat dicens: *Obsecro, Domine, mitte, quem missurus es.* (*Exod.* IV, 13.) Hinc et Isaias eodem flagrans desiderio arebat: *Utinam disrumperes cœlos et descenderes!* (*Isa.* LXIV, 1). Cessantibus autem illis Novi Testamenti præcones accesserunt, qui per Andream possunt accipi, a quibus prædicatur et modus redemptionis et qualitas personæ Redemptoris.

Dicit ei, inquit evangelista, *unus ex discipulis ejus, Andreas, frater Simonis Petri: Est puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos et duos pisces.* Per *Simonem*, qui *obediens*, et *Petrum*, qui *agnoscens* interpretatur, unum eumdemque Filium Dei accipe, qui vere *Simon*, id est *obediens* Deo Patri usque ad mortem fuit, qui vere *Petrus*, hoc est *agnoscens* dicitur. Novit enim omnia, antequam fiant; solus ipse est, qui humani cordis abyssum scrutatur et penetrat. Hujus *frater Andreas*, sancti videlicet apostoli principaliter aliique prædicatores fuerunt et sunt, quos etiam ipse fratres suos nominare dignatus est dicens: *Ite, nuntiate fratribus meis* (*Matth.* XXVIII, 10.) Item in alio loco: *Narrabo no-*

A *men tuum fratribus meis* (*Psal.* XXI, 23). Quid isti Domini Dei fratres evangelizant? *Est*, inquiunt, *puer unus hic.* Ecce, inquiunt, *puer natus est nobis, filius datus est nobis.* (*Isa.* IX, 6.) Tota namque prædicatio illorum est de puero isto, de puero *uno* Domino nostro Jesu Christo, qui bene **317** et optime *puer* nominatur, eo quod totus purus, totus integer, totus immaculatus fuit, qui non solum *puer*, sed et *unus puer* dicitur, quia unus erat in divinitate, *unus* in humanitate. Et qui sic *unus* et singularis *puer* erat, *hic* quoque *puer* esse non recusavit. *Hic* verbum est demonstrativum et infinitivum, per quod innuitur, æternum et immortale, temporale et mortale pro nobis factum. Qui habuit *quinque panes hordeaceos et duos pisces.* In quinque panibus hordeaceis, sicut B sæpe diximus, et audivimus, quinque libri Moysis vel quinque sensus hominis possunt accipi.

Sed tamen adhuc aliquid eminentius in quinque panibus istis possumus intelligere. Sancta quippe Scriptura, quæ summi Regis est gazophylacium, tantis superabundat divitiis, ut multa tribuat, et tamen inexhausta semper inveniatur. Possumus in quinque panibus his quinque Dominici corporis sensus, visum, auditum, gustum, odoratum et tactum intelligere, quos, ut cæteri homines, in assumpta propter nos humanitate dignatus est habere. Sed cur istos non potius similagineos, sed *hordeaceos* diximus? Ob hanc utique causam; quia habet aliquid in se hordeum, quod sana fide, sano intellectu aptari possit Christo. Hordeum, ut nostis, asperum est et purum. C Fuit secundum quamdam similitudinem hoc Christus, non certe aliis austerus, non erga aliquem immitis et durus, qui circa omnes homines pius et misericors fuit sed sibimetipsi austerus, sibimet valde erat durus. Omnem quippe mundanæ voluptatis concupiscentiam, quæ quidem suavis et delectabilis est carni, sic a quinque sensibus suis funditus alienavit, ut nil unquam, quod caro blanditur et requirit illis admitteret, sed in omni justitia et sanctitate ultra omnes homines conservaret. Durus erga seipsum fuit, quando qui nil peccati contraxit quod per jejunium deberet emundari, quadraginta dierum et quadraginta noctium jejunium peregit. Durus et austerus sibimet factus est in passione, cum pro servis D suis tantus Dominus cruciari, colaphizari, conspui et a judice Pilato ligari et flagellari voluit, et ad ultimum medius duorum latronum **318** tanquam latro mori dignatus est in ara crucis.

Sed nec prætereundum quod hordeum pabulum est jumentorum. Est et Christus pabulum et refectio jumentorum suorum, illorum videlicet qui jumenta ejus esse cupiunt, qui ei per bonæ et laudabilis conversationis studium ferunt et impendunt adjumentum. Hujus Domini jumentum se esse David asserit dicens: *Ut jumentum factus sum apud te* (*Psal.* LXXIII, 23). Item de eisdem jumentis: *Homines*, inquit, *et jumenta salvabis, Domine* (*Psal.* XXXV, 7). Homines sunt boni prælati, jumenta subditi, quorum utrique salvantur, si multiplex illos omnipotentis Dei miseri-

ricordia respicere dignetur. Hæc de *quinque panibus* possunt accipi, nunc quid et in *duobus piscibus* sentiri possit videamus.

In *duobus piscibus* divinitas et anima Christi valet intelligi. Et non incongrue per *pisces* divinitas et anima Christi accipitur, qui sicut moris est piscium latitare in aquis : sic quali unione divinitas et anima Christi una in eo persona fuerit, a nullo mortalium sciri et investigari potuit. Cum vero ineffabilis illa jucunditas advenerit, qua tandem collecto Christi corpore in cœlo perfruemur, *duo* isti *pisces* quasi de aquis trahuntur, et ad cognoscendum, amandum et laudandum apponuntur. Sed inter hæc quia nulli mortalium perfecte scire et nosse ea quæ de Christo quandoque revelanda sunt fas est, apte subjungunt :

Sed hæc quid sunt inter tantos? Ac si dicant : O Domine, magna et gloriosa valde de te dicuntur, præclara et ineffabilia de te et regni tui gloria enarrantur, sed nos pusilli, nos infirmi miramur *quid* sint *hæc inter tantos*, *inter tantos* videlicet principes cœli angelorum et archangelorum, aliorumque beatorum spirituum, in quorum medio sedens teipsum, qualis es, in deliciis tuis manifestas et exhibes. Sed o quando nos minimos et indignos ista videre et possidere contingat *inter tantos!* Post ista suspiria, post ista cordis desideria, qua virtute *inter tantos* venire debeamus, consequenter edocet Dominus dicens apostolis :

319 *Facite homines discumbere.* Bene et veraciter *discumbit* qui, non alta de se sentiens, in profunda cordis humilitate sese demittit. Ex antiquo denique patre nostro Ada potius extolli quam humiliari didicimus ; ex novo vero Ada Patre nostro non nisi humilitatis modum et formam tenemus, de qua mox subinfertur :

Erat autem fenum multum in loco. Quid per *fenum multum* nisi multa, magna et pretiosa caro Christi? Hoc *fenum multum erat in loco?* In quo *loco?* In utero scilicet beatæ et intemeratæ virginis Mariæ, de qua conceptus et natus, temporalis et localis fieri voluit, qui secundum divinitatem suam æternus, immortalis, incomprehensibilis, non localis fuit. Hujus humilitatis vestigia omnes imitati sunt qui nos præcesserunt, et regnum cœlorum adepti sunt, quoniam per magnam humilitatis perfectionem Deo placuerunt, juxta quod sequitur :

Discubuerunt ergo viri numero quasi quinque millia. Horum exemplo et nos fratres discumbamus, corde et corpore humiliemur, quia si hoc modo humiliamur, vere *viri*, vere fortes coram Domino inveniemur. Sed notandum quod discumbentes *viri* sint *numero quasi quinque millia*. Sumus enim nunc non in plena, sed *quasi* in quadam similitudine humilitatis ; et ideo interim, donec de medio fiat, extolli fugiamus, humiliari diligamus, ut illuc venire mereamur, ubi sine *quasi* simus, et in veritate quod sumus, simus. Quia vero difficile est humiliari, propterea ut humilitatem ejus imitemur et sectemur, legit quod subjungitur :

Accepit ergo panes Jesus. *Accepit* a nobis quod nostrum est, quia homo propter homines factus est, quod est *accipere panes Jesum.*

Et cum gratias egisset, distribuit discumbentibus. Multas *gratias* Dominus noster Jesus Christus *egit*, qui diversas et infinitas bonitatis suæ gratias omni humano generi ostendit et exhibuit. Nonne præcipuas *gratias egit*, quando de cœlo in uterum Virginis descendit? Nunquid *gratias* salutiferas non *egit*, cum de ejusdem Virginis utero tanquam sponsus processit de thalamo? Nonne multas *gratias egit* omni tempore, quo cum hominibus conversatus **320** est orando, sanando, prædicando? Attamen plenas et perfectas *gratias* nunquam *egit*, nisi hora illa, quando pati et mori voluit, ac dilectam animam suam pro dilectoribus suis ponere dignatus est. Ilis gratiarum actionibus consummatis et peractis pulchre et eleganter dictum est quia *distribuit discumbentibus*. Seipsum enim tam vivis quam defunctis *distribuit*, seipsum dispertiit *discumbentibus*, quando humilibus suis, electæ scilicet genitrici suæ Mariæ et Mariæ Magdalenæ, quæ circa sepulturam ejus sollicita fuit, et Joseph, Nicodemo, apostolis et aliis diligentibus se corpus suum vulneratum, lanceatum dereliquit in sæculo. *Distribuit* se *discumbentibus*, quando humiles suos cum divinitate et anima visitavit in inferno. Distribuit se, quando poni voluit in monumentum, ut nec ibi saltem deesset, sed juxta aliorum corpora sanctorum requiesceret. Divinitate et anima præsto fuit in inferno, ubi exspectantes se, quantum volebant et desiderabant, *duobus piscibus*, id est præsentia divinitatis et sanctæ animæ suæ implevit et sanavit. Et bene de duobus piscibus distribuit, *quantum volebant*, quia electi et sancti illi Abel, Noe, Moyses, Abraham et alii perplures, qui dudum apud inferos Christum exspectaverunt, nequaquam ab initio sæculi usque ad horam descensus illius ad inferos, quod desideraverant acceperunt, sed tunc demum satiati sunt, et acceperunt, præsente eo, in *quantum volebant.*

Ut autem impleti sunt. Impleti sunt omni bono, viso eo in inferno, *impleti sunt* omni lætitia agnito eo, quia, ut ipse ait, *hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* XVII, 3). *Impleti sunt* omni abundantia bonorum ejus, quando eduxit eos de inferno in paradisum, de paradiso in cœlum. Sed et vivi impleti sunt omni bono et gaudio illi videlicet specialius, qui eum videre et audire meruerunt, quibus ipse ait: *Beati oculi, qui vident quæ vos videtis. Multi enim reges et prophetæ voluerunt videre quæ videtis, et non viderunt, et audire quæ auditis, et non audierunt* (*Luc.* X, 24). *Impleti sunt* omni suavitate et jucunditate videntes eum resurrexisse a mortuis. *Impleti sunt* et saturati sunt ineffabili **321** bono, quando post ascensionem ejus mirifica et inaudita Spiritus sancti dona perceperunt. Sic et sic impletis dixit eis :

Colligite quæ superaverunt fragmenta, ne pereant. Quæ et qualia panum istorum *fragmenta* fuerunt? et ubi vel quando facta sunt? *Fragmenta* ista sunt quinque Dominici corporis vulnera, quibus, ut ita dicam, animam a corpore confregit, quando clamans in cruce exspiravit. De his *fragmentis* proprie dictum est, *superaverunt*, quia per illa superatus est diabolus, tartara confracta, originale peccatum deletum, janua regni aperta. Quæ nimirum *fragmenta periissent*, si ea apostoli toti mundo non insinuassent. Essemus enim quasi gentes et Judæi, qui non credunt, si *fragmenta*, id est si sacramenta incarnationis, passionis, resurrectionis et ascensionis ejus abscondita essent a nobis. Unde Dominus *colligere* illa apostolis præcepit, cum missis in orbem ad prædicandum ait: *Euntes, docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII, 19). Et item: *Eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa et Samaria et usque ad ultimum terræ* (*Act.* I, 8).

Collegerunt ergo, et impleverunt duodecim cophinos fragmentorum de quinque panibus hordeaceis, quæ superfuerunt his qui manducaverant. Equidem omni diligentia et sollicitudine *fragmenta* Christi *collegerunt, et impleverunt duodecim cophinos fragmentorum*, quando, quæ fides tenenda esset, cordibus auditorum aperuerunt. Satis nempe studiose *fragmenta* ista *collegerunt*, cum Symbolum *Credo in Deum* composuerunt, in quo omnia *fragmenta* Christi, omnia videlicet sacramenta ejus distincte recitata et prolata inveniuntur. Quod autem ait: *De quinque panibus, quæ superfuerunt his qui manducaverant*, prætermissis etiam duobus piscibus, hoc significare videtur quod isti quinque panes, Dominici utique **322** corporis sensus *superfuerunt his* qui erant in inferno quia non nisi solam divinitatem et animam Christi, ut prædictum est, viderunt. Hæc omnia beati illi discipuli *collegerunt.*

Exemplo ergo nobis sint, ut et nos similiter faciamus. Cuncta, quæ pro nobis fecit et dixit, quæque pati dignatus est, colligamus *fragmenta* panum ejus in cophinis nostris, id est in cordibus nostris portemus, agentes interius quod agi solet exterius in cophinis. In cophinis portari solet stercus, per quod terra impinguatur et excolitur. Sic et nos, dilectissimi, in cophinis cordium nostrorum stercus bonum, stercus humilitatis et proprii contemptus, per quod terra cordis nostri pinguedinem boni operis accipiat, portemus, eum, qui formam humilitatis tradidit in seipso, ante omnia et super omnia principali cordis nostri inseramus, ei nos agglutinemus, ipsi jungamur, ipsum diligenter, quantum in nobis est, in memoria portemus, et conservemus, qui nos homines illi sumus de quibus Evangelium infert, dicens:

Illi ergo homines, cum vidissent signum quod fecerat, dicebant: Quia hic est vere propheta, qui venturus est in mundum. Nos itaque, nos, fratres charissimi, *homines illi* designant, nos, inquam, sumus, qui videmus signa, quæ fecit, signa mortis, signa sepulturæ, signa resurrectionis et ascensionis ejus, qui et dicere possumus: *Quia hic est vere propheta, qui venturus est in Mundum* ad damnandum impios, ad remunerandum electos. Hunc sedulo deprecemur, ut nos in futura vita panibus istis et piscibus, id est divinitate et humanitate sua implere dignetur, et quia in proximo est Pascha dies festus Judæorum, nos post transitum et exitum hujus vitæ nostræ, ad diem festum angelorum pervenire concedat, ubi et nos in una civitate viventium et laudantium Deum inveniamus per infinita sæcula sæculorum. Amen.

323 HOMILIA XXXVI

IN DOMINICAM V QUADRAGESIMÆ, SEU PASSIONIS PRIMA.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico, quare vos non creditis mihi? Qui ex Deo est, verba Dei audit (*Joan.* VIII).

Tota vita et doctrina Christi norma et institutio est filiorum ejus. Et ideo si diligenter intendimus verba hujus sancti Evangelii, quoddam, ut ita dicam, monitorium et exhortatio sunt nostræ salutis. Noverat quidem Filius Dei parum aut nihil utilitatis conferre verba et sermonem ejus miseris Judæis; et ideo quæcunque dixit, docuit et fecit, propter electos suos dixit et fecit.

Quis ex vobis, inquit, *arguet me de peccato?* Christum, Dei virtutem et Dei Sapientiam, quis unquam *de peccato arguere* potuit, qui totus sanctus, totus in omni vita sua immaculatus exstitit? Carnis enim ideo assumpsit veritatem et [*Cod.* sed] peccati similitudinem, ut homo per illum disceret qualiter pro terrenis cœlestia, pro caducis æterna commutare et adipisci deberet. Quod bene lectio hodierna testatur, quæ verbis sancti Evangelii satis concordare videtur, in quo multa nimis erga nos dilectio Dei sic commendatur. *Christus*, inquit apostolus Paulus, *assistens Pontifex futurorum bonorum.* Pontifex noster Christus dicitur quia quando tanquam fortis adjutor carnem pro nobis induit, pontem se nobis quodammodo præbuit et fecit, per quem ad regionem nostram redire possemus, quam aliquando in primo parente nostro Adam peccante perdidimus. Amœna enim et jucunda regio nostra paradisus erat, de qua, ut diximus, per superbiam et inobedientiam primi hominis in regionem hujus mortalitatis dejecti sumus. Inter harum duarum regionum **324** medium fluvius quidam ingens, id est originale peccatum erat, cujus obstaculo nullus mortalium ad desideratum locum transire potuit, donec ipse Christus humana natura indutus aquas hujus mundi introiret, et seipsum pontem nobis ad transeundum fluvium hunc faceret et exhiberet. Quicunque pontem hunc attigerit credendo mysterium incarnationis, passionis, resurrectionis et ascensionis ejus, et tandem fidem bonis nihilominus operibus adornaverit, liberum valde transitum

et reditum ad regionem suam, id est terram viventium habebit. *Sine fide* enim hac, ut ait Apostolus, *impossibile est* homini *placere Deo* (*Hebr.* x, 6). Hinc est quod nonnulli ex gentili populo, quamlibet caste vivant, quamlibet magnæ fidei et dilectionis affectu tanquam populus Christianorum inter se constringantur, tamen quia hunc pontem minime credendo attingunt, prorsus salvari nequeunt. Videndum itaque quid verus Pontifex noster, qui vita et doctrina seipsum nobis pontem fecit, præsentis sancti Evangelii lectione dicat :

Quis ex vobis arguet me de peccato? His verbis nihil nobis aliud insinuat, nisi aut qui verbi ejus prædicatores et testes esse debent, talem vitam suam exhibeant, ut de peccato, quo alios prædicantes increpant et arguunt, ipsi ab aliis veraciter argui non possint. Quamvis enim, donec in hoc corporis habitaculo ingemiscimus, peccatum effugere et vitare nequeamus testante Joanne : *Si dixerimus*, inquiens, *quia peccatum non habemus*, **325** *nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est* (*I Joan.* I, 8); et propheta David : *Omnis homo mendax* (*Psal.* CXV, 11), id est omnis homo peccator; tamen summopere et omni animi vigilantia quilibet prædicator debet observare, ne tam facinorosa et scelerata opera incidat, unde publice arguatur et convincatur, et aliis scandalum et occasio peccandi præbeatur. Quisquis igitur hoc fecerit, gratum et acceptum Deo fructum in cordibus subditorum ferre poterit, quandocunque vocem exhortationis emiserit. Quod quia ita est, bene Dominus noster Jesus Christus, quem nullus de peccato aliquo arguere potuit, perfidis et incredulis Judæis ait :

Si veritatem dico, quare vos non creditis mihi? Et cur non crederent, continuo subjungit : *Qui est ex Deo verba Dei audit.* Hic discernuntur filii Dei et filii diaboli. *Qui est*, inquit, *ex Deo verba Dei audit.* Omnino ex Deo et cœlesti generatione prodierunt, qui verbum Domini audire, et non solum audire, sed et quæcunque eadem Domini mandata loquuntur, et injungunt, quantum in ipsis est, circumspecta cordis custodia conservare festinant. Et revera quæcunque est anima illa, quæ hoc infra conscientiam habet, quod verbum Dei libenter audiat, auditum conservet et amet, et pro modulo suo adimpleat, quantumlibet ab aliquo, quod ex Deo non sit, et hæredem regni sui fieri non posse objiciatur, non desperet, non expavescat; sciat se tanquam *ex Deo* natam, ea quæ Patris ejus sunt quandoque possessuram. Econtra filii diaboli, qui nec auditu aurium verba Dei dignantur audire, et si audiunt, iniquis operibus contraire et contradicere non metuunt, quantalibet eis spes adhibeatur, et digni Deo ab aliis judicentur, sciant se, ipso Domino teste, *ex Deo non esse*, et propterea bona ejus in futuro participare non posse.

Responderunt ergo Judæi et dixerunt : Nonne bene dicimus nos quia Samaritanus es tu, et dæmonium

A *habes?* Videte, fratres, quomodo peccatum intumescit, augetur et crescit. *Samaritanus*, inquiunt, *es tu, et dæmonium* **326** *habes.* In eo quod dicunt, *dæmonium habes*, nihil perversius, nihil odibilius quod dicerent excogitare poterant. Nam si furem, si latronem eum nominassent, aliquid, ut ita dicam, tolerabilius videretur; quod vero dæmonium habere eum dicunt, quasi universa in eo esse vitia ipsi omnibus hominibus nequiores affirmabant.

Cur vero Samaritanum eum nominaverint animadvertendum est. Samaritani enim, ut notum est, nec ex toto Judæi, nec ex toto gentiles sunt, sed ex parte Judaismi, ex parte gentilitatis ritum observant, de quorum numero Samaritana illa erat quæ venit ad puteum haurire aquam, et mirabatur quod B Christus, per omnia nobilissimus Judæus, libere poposcisset ab ea; *non enim Judæi Samaritanis coutuntur* (*Joan.* IV, 9), sed prorsus despiciunt et indignantur. Hac de causa Judæi Dominum nostrum Samaritanum, id est quasi de ignobili Judæorum prosapia exortum fallaciter dicunt, qui de nobilissima tribu Judæ natus erat. Illa etenim domina nostra perpetua virgo Maria, licet non de numero divitum esset, sed pauper et inops in hoc mundo, regio tamen Davidicæ stirpis semine descendit. Quia vero Samaritanus *custos* dicitur, se Dominus custodem esse negare noluit, seipsum enim negare non potest. Ipse namque est, qui sub custodiæ suæ nutu universa, quæ in cœlo et quæ in terra sunt, custo- C dit, regit, et defendit. Noverat se verum Samaritanum esse, qui viso homine illo saucio misericordia motus est, et appropians alligavit vulnera ejus infundens oleum et vinum, quem sacerdos et Levita prætererant, quia per se beneficium præstare nequiverunt. Ideo non immerito Samaritanum se esse tacendo affirmat, dæmonium vero se non habere non velut irritatus aut provocatus, sed nimis mansuete, nimis patienter negat dicens :

Ego dæmonium non habeo, sed honorifico Patrem meum, et vos inhonorastis me. Quod si alicui ex vobis diceretur : Dæmonium habes, quantos furores, quantos, putamus, conciperet cordis dolores? Et si contumelias pro contumeliis reddere non posset, Deum **327** justum retributorem et ultorem pro his D respondere inanibus deprecaretur verbis. At non sic Deus patiens, mitis, et ad omnia mansuetus. Et quid dixit : *Ego dæmonium non habeo, sed honorifico Patrem meum; et vos inhonorastis me.* Ac si dixisset : Maledictum pro maledicto, convicium pro convicio reddere nolo, qui *Patrem meum*, qui me misit, semper *honorificare* debeo, *et vos inhonorastis me.* Cur ait, *inhonorastis me*, cum ipse sibi sit honor, honor totius exercitus sui, angelorum videlicet et hominum? Est ergo quasi dicat : Me quidem inhonorare, et quod meam non deceat majestatem, nihil inferre potestis. In eo autem quod vobis honorem innocentiæ dedi, quando vos ad laudem et honorem nominis mei creavi, *me* quodammodo *inhonorastis* quando hunc honorem in vobis non conservastis, et quæ

mea in vobis esse deberent, infideliter agendo abstu- A listis.

Ego gloriam meam non quæro, est qui quærat et judicet. Tota vita Christi gloria Dei Patris erat. Æqualis erat Patri, Deus de Deo, Deus apud Deum, coæternus, consubstantialis, et tamen non suam, sed Patris gloriam quæsivit. Quid dicemus, quid faciemus ad hæc, qui quando aliquid boni fecerimus, gloriam propriam quærentes Deum contemnimus, meritis nostris eadem paucula bona ascribimus? De talibus Dominus in Evangelio loquitur dicens : *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam* (*Matth.* VI, 2). Quæramus itaque gloriam ejus, a quo omnem accepimus gratiam, quia si nos propriam gloriam hic non quærimus, ille de gloria nostra tractabit, ille, glorificantes se glorificabit, ille, qui judex vivorum B ac mortuorum est, causam nostram bene judicabit. Sequitur :

Amen, amen dico vobis, si quis sermonem meum servaverit, non videbit mortem in æternum. Judæi calumniabantur; servi Dominum, peccatores justum, creatura Creatorem insequebatur. Sed quem misit Deus Pater, Patri obedientiam inter ipsa opprobria non moratur persolvere, sed **328** iterum atque iterum sermonem suum, licet non caperet in eis, adorsus est dicens : *Amen, amen dico vobis, si quis sermonem meum servaverit, non videbit mortem in æternum.* Sermo in Domini est evangelica doctrina, sermo Domini verba prophetarum sunt, sermo Domini totius sacræ Scripturæ auctoritas est, quæ non nisi ea quæ C de Christo sunt, annuntiat et prædicat. Hunc Domini *sermonem si quis servaverit*, pie fideliterque mente tenuerit, et operum bonorum indiciis, quod corde teneat, repræsentaverit, *mortem non videbit in æternum.* Sunt enim verba Domini diversa illa aromata et pigmenta sanativa et nobilia, quæ fidelis anima ad expellendum diversos animi languores intra se debet conservare, verbi gratia, ut si venerit superbia et mentem inflaverit, mox pigmentum humilitatis requirat quo morbo superbiæ medeatur; si iracundia, bonas patientiæ radices opponat; si inobedientia, pigmenta obedientiæ; si luxuria, bene olentia castitatis aromata colligat, quibus luxuriæ pestem expellat, et sic faciendo per singula sciat se mortem in æternum non videre. Quam *mortem?* D Mortem dico animæ, non corporis. Quod enim mortem nominamus, mors non est, sed relictio corporis, depositio sarcinæ gravis, iter quoddam et via de carcere ad regnum. Sed est mors alia, quæ timenda et expavescenda est, quando homo diversis vitiis et peccatis deditus vitam animæ suæ, Christum, perdit et amittit. Hanc itaque mortem evadet, qui verba et sermonem ejus in fide conservabit reddendo et imitando in opere, quæcunque ex ejusdem Domini sui verbis didicerit. Dominus igitur Jesus Christus spiritalia dicebat, spiritalia prædicabat. Sed quia Judæi carnales erant et morti sempiternæ prædestinati, spiritalia non intelligebant

Et indignantes conviciose respondebant et dicebant (30) : *Nunc cognovimus quia dæmonium habes. Abraham mortuus est, et prophetæ, et tu dicis : Si quis sermonem meum servaverit, non videbit mortem in æternum. Quem teipsum facis ?* Nonne ad hæc venenatorum verba nimis imperiose et **329** libere dicere potuisset : Ego me facio Dominum vestrum, ego facio me Creatorem cœli et terræ? Sed convicia conviciis reddere noluit, imo ait :

Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est. Ac si dixisset : Si meipsum glorificare, et quantus sim jactare voluero, gloria mea de nihilo est. Inter hæc verba redeamus ad nos, intra nos, consideremus et videamus nos. Si cui ex nobis ab aliquo nostrum diceretur, qui cinis et pulvis sumus : Quem teipsum facis? considera quis sis, et super alios extolli desine, nonne pectus furiis impletum die noctuque non quiesceret, et seipsum præponderando, merita quæ forsitan non haberet jactaret? Unde intueamur Dominum nostrum Jesum Christum, qui seipsum nobis, et omnia dicta vel facta sua, quasi vivam virtutum imaginem dereliquit, ut discamus et audiamus ab eo quid nos miseri facturi simus et dicamus : *Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est.* Dicat et homo : Si me aliquid esse, cum nihil sim, æstimavero et glorificare meipsum voluero, *gloria mea nihil est*, et nullius mercedis beatitudine a Domino donabor.

Est, inquit Dominus, *Pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis, quia Deus noster est, et non cognovistis eum, ego autem novi eum; et si dixero quia non scio eum, ero vobis similis, mendax. Sed scio eum, et sermonem ejus servo.* Pater glorificat Filium, quia Filius Patrem scivit et novit, id est dilexit, et sermonem ejus servavit factus ei obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.

Abraham pater vester exsultavit, ut videret diem meum : vidit, et gavisus est. Libet parumper de *die* Domini, quam *Abraham vidit, et gavisus est*, aliquid dicere, quam diem ut et nos videre mereamur ipse concedat Dominus. Abraham, præcipiente Domino, de terra et de cognatione sua exivit, et jam posito in terra peregrinationis suæ quadam die tres angeli apparuerunt ei in ipso fervore diei, tresque videns unum adoravit, quia unum in substantia, trinum in personis agnovit et credidit, susceptisque **330** hospitio exhibuit homo Deo, quod potuit, tria sata similæ Saram celeriter commiscere præcepit, butyrum obtulit, vitulum occidit (*Gen.* XVIII, 2, etc.). Innuit hoc totum aliquid quod veri Abrahæ filios imitari congruat.

Per *Abraham* homo fidelis, per *Saram* ratio vel anima sive corpus accipi potest. Et non incongrue per Abraham, qui Pater omnium credentium dicitur, quilibet fidelis accipitur, qui eumdem Abraham bonis operibus exæquando filium ejus se esse testatur. Cui in ipso *fervore diei*, id est in meridie elevanti oculos *tres angeli* apparent, quando sanctæ

(30) Vulg. *dixerunt ergo Judæi : Nunc* etc.

Trinitatis adventu dignanter visitatur. Quæ visitatio bene fit in meridie. Nam sicut meridiana luce dies illuminatur et accenditur, sic et homo illuminari primum debet per cognitionem, et accendi per charitatis fervorem. Denique quasi meridiana luce clarescit, meridiano fervore intus æstuat et ardescit, cui Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus, sicuti in hujus mortalitatis tempore fas est, apparere non dedignatur.

Illuminatus autem per cognitionem, et ardens per amoris fervorem desiderare debet quod et Abraham desideravit, et factis exsequi quod fecit. *Ne transeatis*, inquit, *servum vestrum, sed afferam pauxillum aquæ, ut laventur pedes vestri.* (*Ibid.*, 4.) Pauxillum aquæ compunctiva recordatio dici potest, quæ fit pro peccatis; quæ parva est, medica est in comparatione dulcis recordationis beneficiorum Dei. In qua nimirum aqua ablui debent pedes nostri, scilicet affectus mali, ut coram Deo valeant emundari. Vel pedes Domini misericordia et veritas; quos tunc aqua infundimus, quando digno pœnitentiæ luctu et lacrymarum flumine abluimus, quidquid aut contra misericordiam Dei aut veritatem ejus fecimus et deliquimus.

Suscepto Domino lotisque pedibus instruendum et parandum est convivium quo delectetur, jucundetur et reficiatur, tria sata similæ, jubente Abraham, celeriter sunt commiscenda, vitulus tenerrimus et optimus occidendus, butyrum et lac offerendum. Et quid est opus suum accelerare, nisi excusso torpore corporis **331** festinare ad fervorem cordis? Excusso torpore tria sata similæ debent commisceri. *Sata* quoddam genus est mensuræ. Per hanc trimodam mensuram trium virtutum dona accipe, fidem, spem et charitatem, quas munda anima, quæ per *similam* intelligitur, firmiter debet tenere. Quæ bene non misceri, sed *commisceri*, id est tres simul invicem jubentur teneri; unaquæque enim sine altera non valet esse perfecta. Si enim fides sine spe, si spes sine fide, si charitas sine duabus primis habeatur, plenitudo perfectionis non possidetur. Oportet enim fideliter credere, fortiter sperare, ardenter diligere, quod est utique *tria sata commiscere*.

Post hæc ad *armentum* currendum, ut *vitulus* tenerrimus et optimus quæratur et occidatur. Armentum grex peccatorum dicitur. Et quid per armentum nisi lascivientium et stultorum sensuum motus exprimitur? Currit itaque ad armentum, qui corde contrito et humiliato cunctas vitæ suæ vanitates, cunctarum viarum lascivias et stultitias ad se intra se recolligit, et quomodo pro his Deo digne satisfacere queat satis sollicite requirit. In vitulo autem, qui primo occiditur, et postea coquitur, superbia vel humilitas, sive mortificatio carnis potest designari. Nec mirum quod per vitulum, qui primo occidi et postea coqui debet, superbiam vel humilitatem sive mortificationem dixi posse designari. Nam quod vitulus iste primum occiditur, et postea coquitur, hoc, ut mihi videtur, designat, quod superbia cordis per carnis mortificationem est occidenda, ut, ubi superbia occiditur, vera humilitatis virtus erigatur.

Nec prætereundum quod *tenerrimus* esse debet. Tener enim quodammodo vitulus occiditur, quando pro commissis malis homo compungitur; tenerior autem, quando pro neglectis bonis humiliatur; *tenerrimus* vero, quando nec pro malis quæ fecit, nec pro bonis quæ neglexit, sed pro sola et in sola dilectione Dei humiliatur; qui *vitulus tenerrimus* est et optimus, quia optimum est gustare et videre quam suavis sit Dominus. Ibi **332** *butyrum* apponitur, quia pinguedo Spiritus sancti, quod est *butyrum*, desuper mittitur, unde interius saginatur, impinguatur et reficitur. Hac pinguedine David repleri se postulat dicens: *Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea* (*Psal.* LXII, 6). Parato hujusmodi convivio Domino lætabunda mox succedit promissio. Filius enim beatæ promissionis, *Isaac* videlicet, qui interpretatur *risus*, nasciturus promittitur, quia gaudium illud ineffabile, quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, dabitur illis in perventione.

Hæc *dies* fuit, in qua Abraham Dominum *vidit, vidit et gavisus est.* Ista dies est qua homo devictis peccatis illuminatur, ut diximus, per Dei et sui cognitionem, et ex hoc accenditur per intimi amoris fervorem. Sed quia Judæi malignorum spirituum typum tenent, qui Christum hodie in membris suis pati faciunt, responsum Judæorum responsum est malignorum spirituum, hominem in desperationem ducere volentium.

Quinquaginta annos, inquiunt, *nondum habes, et Abraham vidisti?* Per *quinquaginta* pœnitentia designatur, et est, quasi dicant: Perfectæ pœnitentiæ modus qualis sit, nondum scire meruisti, et ad hoc nunc tendis, ut diem Domini, id est splendorem ejus, piis solummodo mentibus refulgentem, videas? Inter hæc malignorum spirituum verba audiamus consolatoria Domini Dei responsa

Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum. Quod idem est ac si dicat: Quod per te non potes, per me potes. Si tu impotens, ego potens. Confide tantum de mea misericordia, ego te adjuvare per divinæ potentiæ meæ fortitudinem possum.

Tulerunt lapides Judæi, ut jacerent in eum. Per *lapides* cor impœnitens intellige. *Tollit* homo *lapides*, quando cor lapideum et impœnitens habet; lapides vero non tollit, quando peccata sua in pœnitentiæ satisfactione diluere satagit, et eo modo Deum semper **333** propitium invenit. Semper enim paratus est ignoscere pœnitentibus, misereri et parcere supplicibus suis. Non autem hoc mirum aut indignum bonitati ejus. Sicut enim diabolus secundum nequitiam suam omnes homines in ruinam et perditionem æternæ damnationis deducere festinat, sic e contrario ille, cujus natura bonitas est, ad gra-

tiam et salutem omnia convertit, si tantum homo lapides non tollit.

Audivimus jam quid passus sit Christus a Judæis : Audiamus, quid adhuc patiatur in membris suis. Christus jam victor ascendit, Judæi mortui sunt. Sed instigatores Judæorum, id est maligni spiritus adhuc vivunt, et faciunt eum eadem, quæ quondam in semetipso passus est, pati in membris suis. Quidam tentantur et superantur, quidam tentantur et non superantur. Quatuor sunt modi, quibus peccamus, voluntate, operatione, cogitatione, locutione. Quibus quatuor modis dum tentamur, restat ut tentati Domini nostri Jesu Christi verbis et exemplis muniamur et instruamur, in eo quod semel et iterum Judæi Domino dicunt, *Dæmonium habes*, primum dubitando, quando dicunt : *Nonne bene dicimus quia Samaritanus es tu, et dæmonium habes?* Secundo affirmando, cum dicunt : *Nunc cognovimus quia dæmonium habes. Abraham mortuus est, et prophetæ*, de mendacio et falsitate Dominum convincere volunt. Et apte per hoc innuitur quod eisdem modis hominem tentare et impugnare non desinunt. Possumus enim per dæmonium desideria mala, delectationes immundas, voluntates perversas accipere, per quæ nonnunquam homo beatus magis in spiritali quam sæculari vita tentatur et impugnatur. Quicunque autem eadem desideria mala, delectationes et voluntates noxias in consensu recipit, et ad illicitum peccati actum perduxerit, haud dubium quin dæmonium pessimum habeat. Qui vero delectationem carnalis concupiscentiæ non recipit, nec voluntatibus malis consensum præbendo opera peccati perficere quærit, bene et optime cum Domino Deo suo dæmonium se **334** non habere, sed Patrem, qui in cœlis est, honorare se veraciter protestatur dicens : *Ego dæmonium non habeo.*

Sed maligni spiritus mox cum viderint quod hominem nec voluntate, nec desiderio aut operatione iniqua valeant superare, jam e diverso impugnant eum mendacio et falsitate. Nonne magnum et malum est mendacium, quando homo sibimet usurpat et tribuit, quod Dei et Domini solius est? Superatis enim desideriis malis, delectationibus et voluntatibus pravis, mendacio, quod vanam gloriam nominare possumus, hominem instigant, ut jam laudem quærat in cogitatione, ac sibi tribuat quidquid boni gesserit, et non ei soli servet et donet gloriam, qui solus in homine operatur quæcunque homo bona operatur. Et quia post cogitationes inutiles inutilis et vana plerumque prorumpit locutio, faciunt ut desiderium laudis, quod diu diuque quæsivit in cogitatione, postmodum jactitando merita sua efferat et extollat in locutione. Unde Dominico responso quid contra hoc vitium agere et dicere debeamus edocemur : *Si ego*, inquit Dominus, *glorifico meipsum, gloria mea nihil est.* Dicat et homo : Si quid boni fecero vel habuero, mihi meipsum glorificando ascribere non debeo. *Est Pater meus qui me glorificat* quia si ego gloriam meam non quæsiero, ille requiret, et quemadmodum voluerit, hic et in præsenti judicabit

Convenit satis huic evangelicæ lectioni hodierna divini officii excellentia : Spectat et Oratio, in qua, ut a tentationibus prædictis liberemur, sic oramus : *Quæsumus, omnipotens Deus, familiam tuam propitius respice, ut te largiente regatur in corpore*, a mala operatione, *et te servante custodiatur in mente*, a mala voluntate. Congruit his omnibus Tractus missæ, quem læti prædictarum tentationum victores imponere possunt Domino in cordibus suis psallentes: *Sæpe expugnaverunt me a juventute mea, dicat nunc Israel, sæpe expugnaverunt me a juventute mea, etenim non potuerunt mihi. Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores* (*Psal.* CXXVIII, 13). **335** Qui sunt pugnantes et expugnantes nos nisi spiritus maligni? Quis enim pertinens ad Christum non variis tentationibus agitatur, et quotidie agit cum illo diabolus et angeli ejus, ut qualibet delectatione et mala operatione non pervertatur? Sed quia fortis est, qui protegit nos, *dicat nunc Israel*, id est, homo Deum videre desiderans : *Sæpe expugnaverunt me a juventute mea, supra dorsum meum fabricaverunt peccatores*, id est super carnem meam fabricaverunt, et ad modum fabri crebris ictibus tundendo super incudem tentando affligunt nos. Omnibus enim modis instant, ut dejiciant nos. Sed non timeamus, quia *Dominus justus concidet cervices peccatorum* (*ibid.*, 4).

Sic et sic pugnantibus et in Deo protectore suo sperantibus, et lapides, id est cor impœnitens a se rejicientibus futurum eis erit in bono quod Judæis contigit in malo, quia *Jesus abscondit se, et exivit de templo.* Jesus enim, id est verus salutaris noster *abscondit se* in homine beato per **336** humilitatem cordis et bonum exitum facit per bonam et sanctam operationem corporis.

Tunc vere Christo concorporatus sanctæ communionis verba concinere poterit : *Hoc corpus, quod pro vobis tradetur.* Factus enim corpus Christi et membrum de membro ad bibendum Novi Testamenti sanguinem idoneus efficietur, quia bonos et sanos sanctæ Scripturæ sensus, ex quibus et per quos divinæ commemorationis assiduitatem possit habere, divinitus accipiet. Ut ergo Jesu Christo salutari nostro mereamur incorporari, et assiduitatem commemorationis ejus possimus habere, adjuvet nos ipse qui semetipsum pro nobis in mortem dedit Jesus Christus Dominus noster, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

337 HOMILIA XXXVII.

IN EAMDEM DOMINICAM SECUNDA.

Christus assistens pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum, non manu factum, id est non hujus creationis, neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in Sancta, æterna redemptione inventa (*Hebr.* IX).

Verba ista beati Pauli apostoli sunt, in quo et per

quem vere loquebatur Christus. Licet pauca sint et brevia, plena sunt tamen mysteriorum cœlestium excellentia. Nam si diligenti consideratione discutere et investigare volumus, expressa in eis universa Christi sacramenta invenire possumus. Cum enim dicit, *Christus assistens pontifex futurorum bonorum*, per hoc incarnationis Christi mysterium intelligi valet. Secundum divinitatis suæ excellentiam, qua consubstantialis, coæternus et coæqualis est Filius Dei Deo Patri, semper erat *pontifex*, *faciens* et præparans nobis in æterna sua prædestinatione *pontem* illum, per quem ad futura bona, ad æternæ videlicet salvationis beatitudinem esset remeandum. Sed qui pontifex tantum erat in prædestinatione, pontifex *assistens* factus est nobis in sanctissima tua incarnatione. Et bene quidem verbum hoc *assistens* incarnationi Christi congruit. Dicitur enim *assistens* quasi ad auxiliandum astans. Humana quidem natura, quam pro salute nostra assumpsit in se, quasi ad auxiliandum ei astitit, quia disposita ab initio humanæ reparationis dispensatio, non divina, quæ impassibilis erat, sed humana natura consummari debuit.

Post designatam et prænotatam hoc modo Christi incarnationem, sanctissimam etiam ejus in hoc mundo conversationem mystice innuit, cum protinus subjungit: *Per amplius et perfectius tabernaculum, non manufactum*, id est *non hujus creationis*. **338** Per *amplius et perfectius tabernaculum* anima et corpus Christi satis convenienter potest intelligi. Hoc sane tabernaculum vere *amplius*, vere *perfectius* potest dici: *amplius* in dilectione, *perfectius* in operatione. Nunquam enim inventa est anima tam ampla, sic dilatata in Dei dulcedine et dilectione, nunquam inventum est corpus tam mundum tamque perfectum in operatione. Sed unde talis ac tanta tabernaculi hujus amplitudo et perfectio? Ideo quidem, quia *non manufactum*, id est *non hujus creationis*, hoc est non humana operatione, sed Spiritus sancti obumbratione de beata virgine Maria est procreatum. *Non* quidem erat *hujus creationis*, quia contra morem et consuetudinem humanæ creationis, qua universi prorsus homines ex peccato et in peccato procreantur, solus sine peccato conceptus et natus, solus sine peccato in hoc mundo est conversatus. Unde et sequitur:

Neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta æterna redemptione inventa. In *hircis* immunditiam carnis, quæ fit in operatione, in *vitulis* accipere possumus petulantiam cordis, quæ maxime operatur in cogitatione. Et quia nulla unquam peccati macula sanctissimo ejus corpori adhæsit in operatione, nulla unquam lascivia sanctissimam illius mentem tangere potuit in cogitatione, recte nunc dicitur: *Neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem.* Per proprium Christi **339** sanguinem propriam intelligimus Christi voluntatem. Nullus quippe hominum, quantumcumque justus, quantumcunque sanctus, sic propria seipsum in sua potestate habere poterit, ut erectam et directam ad Deum voluntatem semper habere possit, quin plerumque a bono quod vult, trahatur ad malum quod non vult. Solus Dominus noster Jesus Christus totum se sic in propria sua habuit voluntate, quod nihil unquam ei accidere potuit, nisi quod ipse voluit. Sed et congrue per *proprium* Christi *sanguinem* sacrosanctam Christi intelligimus passionem, in qua secundum multitudinem misericordiæ suæ non invitus, non coactus, sed propria sua voluntate sanguinem suum, quo totum genus humanum lavaretur et redimeretur, effudit in cruce.

Quod autem additur: *introivit semel in Sancta*, non inconvenienter sancta ejus resurrectio est intelligenda, quia tunc vere *introivit in Sancta*, quando devicta morte, populato mortis principe resurgens a mortuis, sanctissimo corpori suo sic sanctissimam animam suam univit atque conjunxit, quod nunquam amplius ab eo separari poterit. Post gloriosum hunc introitum in Sancta consequenter subinfertur: *Æterna redemptione inventa*, quia in verbis istis, quantum videre valeo, gloriosam Christi ascensionem non injuste intelligi posse existimo. Ubi enim a dextris virtutis Dei consedit, ibi vere *æterna redemptio inventa* est, quæ nec in incarnatione, nec in passione, nec in resurrectione plene aut perfecte inveniri vel cognosci potuit.

340 HOMILIA XXXVIII.

IN FERIAM III POST DOMINICAM PASSIONIS PRIMA.

Congregati sunt Babylonii ad regem, et dixerunt ei: Trade nobis Danielem, qui Bel destruxit, et draconem interfecit, alioquin interficiemus te, et domum tuam (*Daniel* XIV).

Sacrosancta observantia quadragesimalis, nec non tempus Dominicæ Passionis, quod recolimus, specialiter ad hoc exceptum est et electum præ cæteris anni temporibus, quatenus homo spiritalis, qui alio tempore vivere non valet, sicut deberet, saltem diebus istis pro salute sua elaborare studeat totis viribus corporis et affectibus cordis. Nam sicut verus et misericors animarum medicus voluit et præordinavit, ut istis diebus aliquid corpori subtrahatur, sic etiam disposuit, ut animæ cibus et refectio addatur et augeatur. Singulis namque diebus singula et nova in missarum celebratione officia, Lectiones et Evangelia habemus, quo redundante cibo et potu spiritali recreata diligens Deum anima de terrenis ad cœlestia debet sublevari. Sic et in Lectione, quam jam præ manibus habemus, si studiose quæsierimus, Deo auxiliante desiderabilem animarum nostrarum refectionem invenire poterimus.

Congregati sunt, inquit, *Babylonii ad regem et dixerunt ei: Trade nobis Danielem, qui Bel destruxit et draconem interfecit*. Per *Danielem*, qui *judicium Dei* interpretatur, homo ille non incongrue designatur, qui pro iniquæ conversationis reatibus sibimetipsi

judex fit districtus, dum reatum propriæ conscientiæ ideo in præsenti subtiliter et districte ipse in se dijudicat et punit, quatenus in illa terribili die extremi judicii liber et expeditus appareat ante oculos Conditoris sui. Quicunque ergo talis est homo, qui ita, ut prædiximus, divinum judicium præveniendo hoc ipse in se in præsenti punit, pro quo **341** puniendum se quandoque recognoscit, illud, quod Daniel iste Bel destruendo, draconem interficiendo virili peregit constantia, ipse invisibiliter exercere non desinit laudabili operum effectu et instantia. Per *Bel*, quod idolum fuit turpitudinis, immunditiam accipere possumus carnis; per *draconem* vero, qui nimiæ est crudelitatis et malitiæ, cordis malitiam possumus intelligere. Hæc duo nefanda et abominanda vitia, luxuria videlicet et malitia, maxime regnant et operantur in sæcularibus, quibus dulce est et delectabile luxuriose vivendo dies ducere præsentis vitæ. Nam unde venit hoc nisi ex ingenti cordis malitia, quod ita delectabiliter rapinis insistunt, res alienas inique diripiunt, invicem invidentes ad contentiones et lites semper parati sunt? Sed homo, qui per prævenientem omnipotentis Dei misericordiam de communi sæculi conversatione ad spiritalis vitæ se converterit militiam, totis viribus ad hoc elaborat et invigilat, quatenus *Bel*, idolum videlicet turpitudinis destruat, *draconemque* interficiat. *Bel* siquidem destruit, cum turpitudinis suæ maculas dignis pœnitentiæ lamentis abluit, et qui prius peccatorum contagiis adeo erat involutus, quod etiam homini confiteri pudor est et turpe, castitati operam dat et munditiæ. Ita per Dei gratiam mundatus et justificatus ad interficiendum draconem piis insistit laboribus, quia pristinam cordis malitiam, odium, invidiam et amaritudinem ad pietatem convertit et dulcedinem, ut jam contra nullum hominem voluntatem nocendi habeat, sed plenus pietatis visceribus affectum charitatis præbere omnibus studeat. Hanc mutationem dexteræ Excelsi, hunc nimirum gloriosum hominis profectum ægre ferunt spiritus maligni, hostes et inimici humanæ salutis, quod aperte nobis verbis innuitur præsentis lectionis.

Congregati sunt, inquit, *Babylonii ad regem et dixerunt ei: Trade nobis Danielem.* Possumus per regem istum ipsum intelligere Dominum nostrum Jesum Christum qui vere est Rex regum et Dominus dominantium. *Babylonii* vero spiritus maligni non incongrue possunt accipi. Sed **342** quo modo vel quali convenientia intelligere debemus quod adversus hunc regem gloriæ Babylonii, hostes videlicet perversi dicuntur *congregari?* Ipse enim in excelso majestatis suæ sedens solio tam cœlestibus dominatur quam terrestribus, cujus divinæ potestati nil potest resistere, ideoque nullius rei accidentis molestia valet inquietari. Quoniam autem ipse caput nostrum est, nosque membra ejus sumus, dum electum quodque membrum ejus tribulationibus affligitur ipse se pati affirmare non dedignatur. Ipse enim in nobis lætificatur, ipse in nobis contristatur. Lætificatur in

A nobis, cum bonis operibus insistendo salutem nostram operamur; contristatur in nobis, cum contraria saluti nostræ operari non veremur. *Babylonii* igitur adversus regem hunc *congregantur* et insurgunt, cum inimici generis humani hominem illum, qui membrum Christi effici bonis nititur operibus, suis exponi desiderant tentationibus. Ipsi enim maligni spiritus nullam ad tentandum hominem habent potestatem, nisi quantam permiserit Deus. Igitur homo, qui divino fultus auxilio prospere procedit in spiritali proposito, si nil propriæ infirmitatis in se sentiret, donum Dei propriis ascribendo meritis facile extolleret se super se; ideoque ipse scientiarum Dominus provida bonitate probari eum nonnunquam permittit tentationibus, juxta id quod sequentis lit-
B teræ insinuat textus.

Vidit igitur rex quod irruerunt in eum vehementer, et necessitate compulsus tradidit eis Danielem. Quid est hoc quod dicimus, vel quomodo hoc intelligere debemus quod necessitate compellatur Deus? Occulta omnipotentis Dei judicia investigare non possumus, nec debemus, sed humano hoc more loquimur. Ipse siquidem occultorum cognitor novit et intelligit, quia homo ille, quem spiritali virtutum profectu sublimavit, si liber prorsus a tentatione esset et expeditus, gravioris culpæ vinculo seipsum facile illaquearet vitio elationis depravatus. Unde quasi quadam *necessitate compulsus* salubriter tentari hominem permittit miserator et misericors Dominus,
C quia, ne deterius sibi aliquid contingat, hoc **343** est ne securus et improvidus in vitium elationis proruat, *tradit eum* inimicis, id est tentari eum permittit ab inimicis, non quod malitiæ eorum satisfaciat et impietati, sed humanæ consulens saluti, ut videlicet tentationum certamine legitime instructus et informatus, fortius ac probabilius sese accingat ad propriæ salutis opus, propriæque conscius infirmitatis non de virtutibus gloriari, sed sub potenti manu Dei sciat et cognoscat se debere humiliari. Hæc provida ac salubri omnipotentis Dei facta traditione, ad quantam mentis cæcitatem ipsi principes tenebrarum hominem faciant devenire, verbis intelligi datur sequentis litteræ.

Qui miserunt eum in lacum leonum. Per *lacum*, qui
D nullum lucis vestigium recipit, cæcitas mentis accipi poterit, per *leones*, qui nimiæ sunt crudelitatis et ferocitatis, amaritudo intelligi valet mentis. In hunc lacum miseriæ, in hunc nimirum mentis cæcitatem et asperitatem maligni spiritus hominem mittunt, cum ita eum tentationum caligine involvunt, ut interior visus tenebris ignorantiæ excæcatus, ea, quæ videnda sunt, videre minime queat, nec internæ dulcedinis gratiam more solito prægustare valeat. Et quoniam, quandiu in hoc mutabilitatis tempore subsistimus, liberi a tentationibus esse nequaquam possumus, recte nobis insinuare videntur verba quæ protinus subsequuntur.

Et erat ibi sex diebus. In his *sex diebus*, hoc est quandiu corpus, quod aggravat animam, portamus,

liberari prorsus ab inimicorum tentationibus non possumus. Nam impugnat nos diabolus suggestione, impugnat nos caro nostra delectatione, impugnat nos mundus prosperitate et adversitate. Sed in hac tentationum calamitate et miseria fideles suos nonnunquam clementer respicit, consolatur et adjuvat divina pietas et misericordia, et ne tentationibus succumbant, virtute brachii sui eos sustentat et roborat. Qui vero sint illi quos ipsi spiritus maligni ad devorandum in suum corpus sunt accepturi, **344** verbis sequentibus datur intelligi :

Porro in lacu erant septem leones, et dabantur eis quotidie duo corpora et duæ oves. Per *duo corpora* illos non incongrue possumus accipere qui reprobo sensu ea solummodo quæ carnis sunt sapiunt, qui carnis desideria perficere in concupiscentiis non pertimescunt. Per *oves* vero licet alias simplices et innocentes accipiantur, hoc tamen in loco ignavi designantur, qui carnis mollitie enervati, nec minimum laborem impendere student pro amore cœlestis regni. Hi ergo *leonibus*, id est malignis spiritibus objiciuntur, quia quorum tentationibus in præsenti non resistunt, eorum pars et hæreditas in æternum erunt, Psalmista attestante, qui ait : *Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos* (*Psal.* XLVIII, 15). Divina autem misericordia hominem, quem in benedictionibus dulcedinis suæ præveniens ad vitam æternam præordinavit, tentari supra id quod potest, non patitur, sed faciet cum tentatione etiam proventum, ut possit sustinere, atque secundum ingenitam sibi bonitatem per aliquem electum et Deo dilectum doctorem visitare et consolari non dedignatur desolationis ejus miseriam et dolorem. Unde quemadmodum secundum multitudinem misericordiæ suæ Danielem in lacu leonum positum de famis liberavit periculo, missa ei per Habacuc prophetam corporalium ciborum refectione : sic nimirum ipse, qui non spernit desiderium pauperum, spiritali esca visitare et reficere non dedignatur pauperem hunc et egenum, respicientem ad largam bonitatis ipsius manum. Hoc autem qualiter fiat, ordo sequens manifeste insinuat.

Erat autem Habacuc propheta in Judæa, qui intriverat panes in alveolo suo, ut ferret messoribus. Per *Habacuc prophetam* spiritalis pater et prælatus potest accipi, *messores* illius subditi ejus valent intelligi, qui in agro Dominico, in spiritali videlicet conversatione fructum æternæ salutis, fructum, inquam, virtutum et bonorum operum metere non desistunt et **345** colligere. *Panes*, quos his messoribus, subditis videlicet suis, prælatus ferat, *in alveolo suo* interit, dum panem verbi Dei, spiritalis utique cibum refectionis, in humili corde suo recolligit et parat, quo animas, Deum esurientes et sitientes lætificet, consoletur et reficiat, quæ spiritalis refectio ex divinæ pietatis providentia Danieli, in lacu leonum posito, defertur, dum is, cujus anima in tali, ut diximus, amaritudine erat posita, cujus mens tentationum molestiis a se erat alienata, ex verbis pii doctoris vigorem spiritalis accepit refectionis, per quem ad solitam divinæ dulcedinis gratiam recalescens renovari in spiritu mentis suæ incipiat, adeo ut in voce exsultationis et gratiarum actionis verbis uti non inconvenienter valeat Danielis : *Recordatus es mei, Deus, et non dereliquisti diligentes te.* Hac igitur vicissitudinis diversitate totum volvitur et transit tempus præsentis vitæ, ut modo tentationum tenebris involvamur, modo splendore divinæ visitationis illustremur, nec est homo natus de muliere, qui firmo et immobili persistere valeat statu mentis suæ. Sed cum dies septimus advenerit, hoc est cum homo salvandus carnis onere deposito terrenæ habitationis tabernaculum **346** deposuerit, illud revera adimplebitur quod continuo hic subjungitur :

Venit ergo rex die septimo, ut lugeret Danielem. *Venit* siquidem *die septimo* cœlestis *Rex* et Dominus, *ut lugeat Danielem*, cum in hora egressionis beata cujuslibet animæ præsentem se ei exhibet, sicuti est, plenum pietate, plenum gratia et miseratione. Luctus ille quem super eum facit, inæstimabilis est paternæ consolationis dulcedo, qua eam de corpore mortis liberatam, beata visione sua æternaliter glorificabit. Quæ vero damnationis pœna hostes et inimicos humani generis maneat, sequentis litteræ textus insinuat.

Porro illos qui perditionis ejus causa fuerant, intromisit. Universorum conditor Dominus, cum in generali judicio judex advenerit districtus, omnibus membris suis in æterna claritate ad se collectis, hostes eorum, spiritus videlicet malignos, in lacum iræ suæ, in lacum, inquam, æternæ damnationis ita intromittet, ita potentia sua malitiæ et nequitiæ eorum machinamenta ad nihilum rediget, ut nullam solitæ perversitatis artem contra electos Dei exercere valeant, sed pro illatis tentationum molestiis ignis inexstinguibilis hæreditas eorum in æternum fiat.

347 HOMILIA XXXIX.

IN DOMINICAM PALMARUM PRIMA.

Venerunt filii Israel in Elim, ubi erant duodecim fontes aquarum et septuaginta palmæ, et castra metati sunt juxta aquas (*Exod.* XV).

Præsens ista Lectio non incongrue, ut putamus, hodierna die legitur, in qua passio Salvatoris nostri solemni devotione recolitur. Nam in hac eadem Lectione sacramenta Dominicæ passionis mystice prænotata invenire possumus, nec non et superbiam Judæorum, qui ab initio semper Dominum exacerbaverunt, et vocationem ipsorum, qua in fine mundi ad fidem convertendi erant.

Venerunt, inquit, *filii Israël in Elim*, *Filii Israel*, illi videlicet Judæi, quos in populum peculiarem sibi elegit Dominus, non bono itinere *venerunt in Elim*, quod interpretatur *aries*. Nam per arietem, qui præest gregibus, superbiam illorum non injuste designari credimus, in quam tunc profecto male gloriando devenerunt, quando pro bonis divinitus sibi collatis, ex quibus humiliari debuerant, quasi

cæteris nationibus præessent, inaniter se extulerunt: A

Ubi erant, inquit, *duodecim fontes aquarum*. Per *duodecim fontes* duodecim patriarchæ, filii, inquam, Jacob videntur intelligi, ex quibus profecto orta est universa multitudo Judaici populi. Et ideo gloriati sunt hos *duodecim* se habere *fontes aquarum*, quod videlicet progeniti erant tam nobili prosapia sanctorum patriarcharum. Hæc fuit prima causa superbiæ, sicut jam diximus, quod se natos esse de sanctis et justis sciebant patribus. Et mox alia causa subsequitur, unde non minori superbia gloriabantur :

Et septuaginta, inquit, *palmæ*. Septies decem et decies septem septuaginta faciunt. Et bene per hunc numerum **348** potest exprimi Decalogus, qui se- B ptiformi gratia Spiritus sancti conscriptus et compositus est. Hunc ergo Decalogum, qua *septuaginta palmas* acceperunt a Domino, ut per scientiam Decalogi instructi et exercitati discerent qualiter vitiis et concupiscentiis resistentes, qualiter contra diabolum, contra mundum et peccata dimicantes *palmam* victoriæ obtinere deberent. Sed illi magis magisque gloriantes, quasi de singularitate acceptæ legis semetipsos extollentes, nullam ex his quærebant salutem animæ vel profectum spiritalis intelligentiæ. Unde mox sequitur :

Et castra metati sunt juxta aquas. Castra, militantium sunt, *castra*, inquam, in quibus Deo Creatori militare debuerant, corpora et animæ ipsorum erant et ideo, ut dictum est, datus illis erat Decalogus, C quatenus per doctrinam Decalogi discerent quomodo hæc eadem castra ad militiam Conditoris sui custodirent et defenderent. At illi *castra metati sunt*, id est, mutaverunt, *juxta aquas*, juxta carnales videlicet concupiscentias. Nam in castris corporis et animæ, in quibus soli Deo militare oportebat, carnalibus concupiscentiis serviebant. Sic namque in his castris male militantibus jam in deteriora prolapsi sunt, quemadmodum declaratur in consequentibus.

Profectique sunt de Elim. Non bonus iste profectus putandus est. Nam *de Elim*, hoc est, de superbia proficere magis est deficere. Nam quanto magis superbiendo profecerunt, tanto magis in bonis de- D fecerunt. Unde Psalmista ait : *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper* (*Psal.* LXXIII, 23). Superbiendo **349** namque ascendere magis est descendere. Unde et hæc, quæ mox subjuncta sunt, manifeste insinuant, in quantum defectum post hunc superbiæ profectum descenderunt.

Et venit, inquit, *omnis multitudo filiorum Israel in desertum Sin, quod est inter Elim et Sinai, quintodecimo die mensis secundi*. Quidnam est *quinto decimo die mensis secundi?* Quid mensis primus? Quid mensis est secundus? Possumus dicere quod mensis primus legis sit illuminatio, *mensis secundus*, evangelica sit perfectio. In primo mense, quod erat lex, facta est quædam illuminatio. Nam ante legem nullum scientiæ lumen habebant, nisi quantum ex naturali lege illuminati erant; post acceptam vero legem ita ex parte illuminati sunt, ut se a peccatis, si vellent, custodire scirent. Sed tamen hæc eadem illuminatio non plena erat vel perfecta, quia hanc illuminationem non sequebatur peccatorum remissio, nec æternæ vitæ remuneratio. *Mensis* vero *secundus*, id est evangelica perfectio pleniter in se continet quidquid *quintus decimus dies* mystice docet et exprimit. Numerus iste quintus decimus ex septem et octo constat. Per septem præsens vita, per octo vero æterna intelligenda est remuneratio. Veniente itaque secundo mense, quod est evangelica perfectio, facta est plena *quinti decimi diei* illuminatio, quia tam perfecte tunc illuminati sunt, ut et in præsenti vita, quod per *septem* intelligitur, juste et pie viverent, aut si peccassent, sic pro peccatis digne satisfacerent, ut veram remissionem reciperent, et remunerationem æternæ vitæ, quæ per octo intelligitur, quandoque possiderent.

Hæc talis perfectio sive illuminatio evangelicæ gratiæ alias prænotata invenitur, ubi in Veteri Testamento dicitur : *Quindecim cubitis altior erat aqua super omnes montes* (*Gen.* VII, 20). Per cubitos, ut arbitramur, perfectio, per aquam sacra valet intelligi Scriptura, per montes justi quique et perfecti, eminentia virtutum sublimes et alti. Unde idem est ac si dicatur : Quamvis justi quique et perfecti evangelica gratia divinitus illuminati, **351** mystico intellectu excrescant et proficiant, omnem tamen sensum et intelligentiam illorum aqua sacræ Scripturæ exsuperat. Nam licet multa de hujus vitæ perfectione, multa de æterna remuneratione videant et intelligant, semper tamen aqua ista altior illis erit, quia nunquam sic in altitudinem hujus aquæ perveniunt, ut ad perfectam scientiam evangelicæ doctrinæ pertingere possint. Apparente autem et veniente hac eadem doctrina evangelica, tunc *venit omnis multitudo filiorum Israel in desertum Sin, quod est inter Elim et Sinai*. Cum enim Salvator in carne veniens nova præcepta evangelicæ perfectionis mundo traderet et legis observantiam non carnaliter, sed spiritaliter tenendam esse doceret, omnis multitudo Judæorum venit in *desertum Sin*, quod interpretatur *tentatio*, quia propter superbiam illorum tam grandis super eos irruit tentatio, quod deserti et derelicti sunt a Domino. Nam semper verbo veritatis restiterunt, et quod peccata mundi tollere posset credere noluerunt. Qui cum audissent quod remissionem peccatorum prædicaret, et quibusdam etiam relaxaret, dixerunt : *Quis est hic qui etiam peccata dimittit?* (*Luc.* VII, 49.

Quid autem pro tam superba tentatione perversitatis et malitiæ patiantur vel passuri sint, ex hoc manifeste datur intelligi, quod *desertum Sin* esse dicitur *inter Elim et Sinai*. Elim, ut in primordio Lectionis dictum est, interpretatur *aries*, per quem Judaica intelligitur superbia; Sinai vero interpretatur *amphora*, per quam æternæ damnationis in-

telligi valet mensura. Omnis quippe tentatio, quam populus ille contra Deum habuit, et adhuc habet, erat et est *inter Elim et Sinai*. Nam qui ex beneficiis a Deo sibi collatis in tantam eruperunt superbiam, quod tam magnam contra eumdem Salvatorem malitiam excercere veriti non sunt, et sic in eadem superbia inventi sunt vel inveniuntur, his procul dubio male dura reservatur *amphora*, id est æternæ damnationis mensura. Sed unde aut ex quo tempore in hanc miseriam devenerunt, sequens littera patenter innuit.

351 *Postquam*, inquit, *egressi sunt de terra Ægypti*. Egressus iste est, ut arbitramur, lapsus primi hominis. Nam per Ægyptum, quod interpretatur *tenebræ*, paradisum non inconvenienter intelligere possumus, in quo bonæ erant tenebræ, dum primi parentes nostri nil quod malum est cognoscerent, dum serpentem, peccatum inobedientiæ suggerentem, non cernerent, dum lignum aspectu delectabile et suave ad vescendum ita non viderent, ut comedere concupiscerent. Cum autem post prævaricationem aperti sunt oculi eorum, *de terra* optima hujus *Ægypti* expulsi, de bonis tenebris ad malam lucem devenerunt, ubi nihil aliud, nisi quod malum et dolendum erat, semper viderunt. Et quia in illis totum genus humanum expulsum bonas tenebras amisit, et lucem miseriæ, et doloris intravit, lacrymabilem omnium electorum vocem consequenter exprimens ait :

Et murmuravit omnis congregatio filiorum Israel contra Moysen et Aaron in solitudine. Murmur istud dolor occultus est. Occulto quidem dolore omnis electorum multitudo semper ab initio quasi murmurando ingemuit, quod sine propria culpa de terra Ægypti, de bonis dico tenebris in malam lucem hujus mundi in primis parentibus dejecti fuerant, ubi ad videndum et cognoscendum ea quæ mala sunt semper apertos oculos habebant. Et quare pro hoc occulte murmurabant? Sciebant quidem justum esse judicium Dei, quod ejecti fuerant, et ideo justum judicium illius reprehendere et incusare non audebant, sed tamen occulto dolore quasi *contra Moysen et Aaron*, id est contra Dominum nostrum Jesum Christum murmurantes miserias suas deplorabant.

Hæc duo vocabula : *Moyses et Aaron*, Domino nostro Jesu Christo satis digne conveniunt. Nam Moyses *assumptus de aqua*, Aaron vero *mons fortitudinis* interpretatur. Videtur nobis quod Redemptor noster satis digne *Moyses*, id est *assumptus de aqua* nominari valeat; nam juxta id, quod filius est Virginis, *assumptus* est *de aqua*, **352** ex humana videlicet natura. Cur autem *Aaron*, hoc est, *Mons fortitudinis* vocari debeat, nullus est qui ambigat; nam fortitudine divinitatis suæ continet et gubernat universa. *Contra hunc Moysen et Aaron*. Contra Deum Salvatorem nostrum Jesum Christum, *omnes filii* et electi Dei, qui, Spiritu sancto revelante, verum Deum et hominem venturum illum esse sciebant, dolentes et gementes *in solitudine murmurabant*. Ideo, dico, *murmurabant* quod ad redemptionem humani generis tanto tempore venire tardaret, quod pauperes tandiu in solitudine peregrinos derelinqueret. In solitudinem magnam miser homo devenit, quando ejectus de paradiso in hunc lacum miseriæ peregrinationis cecidit, qui adhuc positus in paradiso in magna erat plenitudine jucunditatis et lætitiæ. In solitudinem quippe tristem nimis et amaram venit, quando sibi soli derelictus est, amissa vera plenitudine, quæ Deus est. Et quia hanc beatam plenitudinem amiserant omnes filii Israel, omnes sancti et electi ingemiscentes dicebant :

Utinam mortui essemus per manum Domini in terra Ægypti! Mors, quæ fit *per manum Domini*, per potentiam et misericordiam Domini, mors bona et pretiosa est, quando vitiis et peccatis homo salvandus moritur, et vitam veram, quæ Christus est, in se habere merebitur. *Utinam*, inquiunt, hac beata morte *mortui essemus in terra Ægypti*, in terra paradisi, ubi nihil mali cognovimus, nihil mali vidimus! *Utinam* inquiunt, *in* his bonis *tenebris per manum Domini mortui essemus*, et non in hanc miserabilem lucem, ad hæc innumera mala cognoscenda venissemus!

Quando sedebamus super ollas carnium. *Ollæ carnium* intelligi possunt carnalia corpora et carnales animæ, in quibus fervescunt et coquuntur carnales concupiscentiæ. *Super* has *ollas* homo quodammodo *sedet*, quando tam potenti virtute spiritus corpus et animam comprimit, ut carnales concupiscentiæ sibi prævalere non possint. *Super ollas*, inquiunt, *carnium*, super ollas carnalium delectationum adhuc positi in paradiso tam potenti dominatione *sedimus*, quod nullam concupiscentiam carnalem sentire potuimus.

Et comedebamus panes in saturitate. *Panes* valde desiderabiles est Pater et Filius, et Spiritus sanctus. Hos *panes* miræ suavitatis quodammodo *in saturitate comedimus*, quando, prout possibile erat, præsentiam et gloriam sanctæ Trinitatis videre digni fuimus. Sunt et alii *panes*, angelici videlicet spiritus, quos nihilominus *in saturitate comedimus*, quando una cum illis Deum creatorem incessabili voce laudavimus. Hos panes, hæc bona omnia in terra Ægypti, in terra illa bona habuimus; et nunc propter peccata parentum nostrorum ad hanc calamitatis miseriam devenimus. Murmur istud, quod tunc antiqui patres lacrymabiliter murmurabant, adhuc in cordibus electorum perseverat, quando repugnante lege carnis, ea quæ volunt, facere nequeunt, et carnem adversus spiritum semper concupiscere sentiunt juxta verba Apostoli dicentis : *Caro concupiscit adversus spiritum et spiritus adversus carnem, et hæc sibi invicem adversantur, ut non quæcunque vultis, illa faciatis* (*Gal.* v, 17). Unde et adhuc una cum antiquis illis Patribus flebili voce murmur suum ingeminant dicentes :

Cur induxistis nos in desertum istud, ut occideretis omnem multitudinem fame? Ecce sanctam Trinitatem, quæ in tribus personis Deus unus est,

tristi et gemebundo murmure alloquuntur, et cur in desertum hujus mundi perducti sint conqueruntur : *Cur*, inquiunt, *induxistis*, cur induci *nos* permisistis *in desertum* istud horribile, ubi deserti sumus ab omni bono et prægravati omni malo, ubi hinc inde crudeles occurrunt vitiorum et peccatorum bestiæ, ubi multiplices prætenduntur malignorum spirituum insidiæ? Nunquid ideo induxistis, *ut occideretis omnem multitudinem fame? Fame* verbi Dei laboramus, et quasi occisi laborando deficimus, quia Verbum illud **354** quod erat in principio, nondum audire et videre valemus. Famem boni desiderii patimur, sed saturari non possumus, quia hunc quem desideramus, hunc qui vera est satietas, nundum habemus, nec ante occasum vitæ obtinebimus, quia in primis parentibus omnem multitudinem electorum tam miserabiliter occidistis, id est occidi permisistis. Sic, sic semper ab initio usque in finem sæculi omnibus electis laborantibus nunquid oblitus est misereri Dominus? Sequitur :

Dixit Dominus ad Moysen. Dicere istud Domini Dei Patris *ad Moysen*, Filium suum Dominum nostrum Jesum Christum illud est quod videlicet misericordiæ suæ nunquam oblivisci potuit aut poterit, sed semper humano generi misereri paratus fuit et erit. Unde et consequenter tria hic prænotantur tempora, hoc est ante legem, sub lege, sub gratia, in quibus singulis temporibus, prout voluit, mirabiliter humano generi misertus est Dominus. Tempus ante legem consequentibus prænotatur verbis, cum dicitur : *Ecce ego pluam vobis panes de cœlo.* Tempus sub lege est : *Egrediatur populus et colligat, quæ sufficiunt per singulos dies.* Tempus sub gratia est : *Die autem sexta parent, quod inferant.* De tempore primo, quod ante legem erat, non incongrue æterna Dei Sapientia ait :

Ecce ego pluam vobis panes de cœlo. Tunc quodammodo *panes de cœlo pluit*, quando cœlesti sua misericordia tales in mundum homines misit, qui et ipsum Creatorem suum diligerent, et proximos suos exemplo bonorum operum quasi cœlesti quodam pabulo alerent, quales erant Abel, Abraham, Noe, Isaac et Jacob, et alii horum similes. Sed notandum quod hos tales *pluere de cœlo* asserit. Pluvia quidem guttatim super terram descendens res parva et exigua est. Et ideo non injuste Patres illi, qui ante legem fuerunt, in comparatione apostolorum et apostolorum vitam imitantium quasi parvi et exigui, pluviæ comparari valent, quia non spiritales, sed carnales erant. **355** Qui cum in generatione sua justi essent, et multa, qui imitatione digna sunt, fecissent, tamen hanc apostolicam perfectionem attingere non poterant, ut, quemadmodum apostoli eorumque imitatores fecerunt, et adhuc nonnulli faciunt, ea quæ mundi sunt derelinquerent, et vitam virginalem diligerent. Unde de uno illorum dicitur : *Noe vir justus in generatione sua* (*Gen.*, VI, 9), id est in generatione carnali. Quemadmodum Noe, ita et Abraham et Isaac et Jacob et alii nonnulli, licet justi in generatione fuerunt, tamen carnales erant, quia uxores et filios habuerunt. At postquam miserator Dominus opus misericordiæ suæ augmentare voluit, his qui sub lege venturi erant, ait

Egrediatur populus et colligat, quæ sufficiunt per singulos dies. Unde populum, qui sub lege erat, egredi jussit, aut ubi colligere debuit? *Egredi* illum aliquantulum jussit de carnali ignorantia, et *colligere* de legali scientia. Nam populus ille ante legem ita totus carnalis erat, quod in copulatione conjugii nec matrem nec sororem discernere novit. Nam et [de] hac re nullum omnino mandatum accepit quemadmodum populus iste, cui lex præcipiens ait : *Turpitudinem matris tuæ non discooperies* (*Levit.* XVIII, 7). Et iterum : *Non revelabis turpitudinem sororis tuæ* (*Ibid.*) Hæc et his similia jussus est de lege sibi data colligere; et quia *sufficiens* esse non poterat, si tantum de lege scripta colligeret, jussus est *per singulos dies* colligere, quantum posset sufficere. Sufficienter sibimetipsi per singulos dies colligit, qui de singulis Patribus antiquis exemplum virtutis sumit, qui caste vivere velit, Isaac unius uxoris virum imitari studeat. Sic, sic obedientiam, humilitatem et patientiam et alia virtutum exempla, quæ imitetur, invenit, si solerti diligentia *per singulos dies colligere* studet. Sunt et alii *dies*, fides scilicet, spes et charitas, quos necesse habet, ut colligat, quia nullus sine his tribus virtutibus salvari poterit. Cur autem hæc omnia illum colligere jubeat, verbis consequentibus insinuat, cum ait :

Ut tentem eum utrum ambulet **356** *in lege mea, an non.* Quid est *ut tentem eum*, nisi ut tentando eum scire faciat *utrum ambulet in lege mea, an non? Ambulat*, si proficit; *ambulat*, si imitari alios studuerit. Sunt quidam ambulantes in lege Domini. Stantes sunt qui ea tantum quæ lex jubet, faciunt; ambulantes sunt qui non tantum ea quæ jubentur faciunt, sed etiam de singulis colligunt quæ imitari possint. Sic, sic his qui sub lege erant misericorditer consulens, quasi simplum de singulis colligere jussit. Nos vero, qui sub gratia sumus, duplum colligere voluit, dicens :

Die autem sexta parent quod inferant, et sit duplum quam colligere solebant per singulos dies. Dies sexta tempus est gratiæ. Nam *dies sexta* accipi potest pro sexta die sæculi, in qua ætate venit in hunc mundum incarnatus propter nos Filius Dei. Et quid in hac sexta ætate *paratum inferre* debemus? Parari nobis cœpit in utero beatæ virginis Mariæ corpus immaculatum Redemptoris nostri, omnisque ejus cum hominibus conversatio. Magna quædam fuit nostræ salutis præparatio. In fine autem ad plenum paratum est ejus sacrum corpusculum, in ara crucis torridum, multiplici passionis et doloris igne assatum et excoctum. Sic namque paratum nobismetipsis salubriter inferre debemus, ut dum corpus

et sanguinem ejus in specie panis et vini summus, latentem intrinsecus veram divinitatem et humanitatem incunctanter credamus

Et sic duplum, inquit, *quam solebant colligere per singulos dies*. Quid est *duplum colligere*, nisi verum Deum et hominem credere? Hi qui ante legem et sub lege fuerunt, quasi simplum quodammodo colligebant, quia hunc tantummodo verum Deum esse credebant. Nos vero quasi *duplum* colligimus, quia hunc verum Deum et hominem esse credimus. Quasi simplum quoque per singulos dies colligimus, dum singulos dies, singulos dico antiquos Patres, qui licet magni et præcipui fuerunt in virtutibus, puros tamen homines fuisse credimus, ipsum **357** vero Dominum nostrum non solum verum hominem, sed etiam verum credimus esse Deum. Quod autem sic, ut dictum est, pro nobis parari in cruce voluit, et quod nobis sic *duplum* colligendum sit, ut illum videlicet verum Deum et hominem credamus et confiteamur, hoc ante passionem suam idem Salvator noster prædicavit et docuit, unde et mox tempus prædicationis ejus subjunctum est, cum dicitur :

Dixeruntque Moyses et Aaron ad omnes filios Israel : Vespere scietis quod Dominus eduxerit vos de terra Ægypti. Quod in æternitate sua apud Deum Patrem *Moyses et Aaron*, noster Dominus et Salvator noster Jesus Christus condixit et præfinivit, hoc in fine temporum misericorditer se adimpleturum denuntiat, cum dicit : *Vespere scietis quod Dominus eduxerit vos de terra Ægypti et mane videbitis gloriam ejus*. Hoc in loco per *vespere* ignominia passionis, et per *mane* gloria prænotatur divinæ resurrectionis. *Vespere*, inquit, *scietis*. Cum *vespere* illud passionis meæ advenerit, et ego exaltatus in cruce animam meam in manus Patris tradidero, et pro vobis liberandis ad inferos descendero, tunc *scietis*, quod modo scire non vultis, *quod Dominus eduxerit vos de terra Ægypti*, quod divinitas mea cum anima ad inferna descenderit, et vos de tenebris æternæ damnationis liberaverit. Nam me tantum purum hominem esse creditis, et verum Deum et hominem esse credere non vultis. *Et mane videbitis gloriam ejus*. Vespere passionis humilitatem humanitatis meæ cognoscetis, et *mane* resurrectionis potentiam divinitatis meæ *videbitis* quia si purus homo tantum, et non verus Deus essem, post passionem et mortem a mortuis resurgere non possem. Hæc eadem de ignominia passionis et gloria resurrectionis sæpe ante passionem suam discipulis suis prædixerat, quemadmodum ibi, ubi ait : *Ecce ascendimus Jerosolymam, et Filius hominis tradetur gentibus ad illudendum, et flagellandum et exspuendum. Et postquam flagellaverint, occident eum, et tertia die resurget* (*Matth*. xx, 19). Concordant **358** his verbis satis manifeste verba hujus lectionis, in qua consequenter dicitur :

Audivit enim murmur vestrum contra Dominum. Murmur vestrum, id est, dolorem vestrum Deus

A Pater *audivit*, et me Filium suum, qui verus Deus et homo sum, ad redemptionem vestram misit. Sed vos tantum formam servi, quam accepi, attenditis, et me verum Deum esse non creditis. *Nos vero quid sumus, quia mussitatis contra nos?* Ideo interrogando vobis dico, ut interrogatione mea id quod nescitis, scire vos faciam quia verus Deus et homo sum. *Nos* ad humanitatem meam respicit quia ex duabus essentiis, id est ex anima et corpore, compactus sum ; *quid*, quod ineffabile est, ad divinitatem meam pertinet, quam vos credere non vultis. Ideo dico : *Nos vero quid sumus, quia mussitatis contra nos?* Hoc est si illud *quid*, quod ineffabile est et quod ad divinitatem pertinet, mihi deesset,
B humanitas mea, ad quam *nos* pertinet, quid vobis prodesset, quomodo vos liberare posset? Concordat his verbis Domini hoc quod Petrus ipso inspirante ait : *Tu es Christus Filius Dei vivi* (*Matth*. xvi, 16). Hoc etiam Martha affirmat quæ ait : *Ego credidi quia tu es Christus Filius Dei, qui in hunc mundum venisti* (*Joan*. xi, 27). Hoc alii multi credebant et confitebantur, quibus ipse divinitus inspirabat. Sequitur :

Et ait Moyses : Dabit Dominus vobis vespere carnes edere, et mane panes in saturitate. Non hoc Moyses et Aaron, sicut in præcedentibus, sed solus *Moyses*, solus homo ille Christus Jesus ait, solus, inquam, ait, id est fecit solus. Nam suum dicere, suum erat facere. Et quomodo suum erat facere? Quid-
C quid de passione sua prædixit, solus in humana natura perfecit, et quia divinitas impassibilis erat, in experimento humanæ naturæ sputa, colaphos, vincula, verbera, vulnera et clavos sustinuit. Ipse dedit nobis in illo *vespere*, quando cœnavit cum discipulis suis, et in illo *vespere* passionis *carnes* suas assatas et excoctas in ara crucis. *Et mane panes in saturitate*. **359** Sicut ante passionem suam se quibusdam manifestavit, sic post resurrectionem. Transacto mane resurrectionis *panes in saturitate dedit* quia sanctam Trinitatem, quam per *panes* intelligere possumus, quibusdam de se dubitantibus per fidem manifestavit. Quidam in humanitate dubitabant quidam in divinitate. Thomas in humanitate dubitavit, qui dixit :
D *Nisi videro in manibus ejus figuram* [al. *fixuram*] *clavorum, et mittam manum meam in latus ejus, non credam*. Dubitabant et illi, quibus exprobravit incredulitatem illorum et duritiam cordis, quia his qui viderant eum resurrexisse a mortuis, non crediderunt. Sequitur :

Eo quod audivit murmurationes vestras, quibus murmurastis contra eum. Eo quod Deus Pater *murmurationes* doloris vestri *audierit*, ideo me Filium suum verum Deum et hominem ad redemptionem vestram misit, et nunc in eadem humanitate, qua pro vobis mortuus et sepultus sum, per potentiam divinitatis meæ resurrexi a mortuis, et ideo nec de divinitate, nec de humanitate mea dubitare debetis. *Nos vero*, inquit, *quid sumus?* Hæc repetitio verborum Domini

est, ut arbitror, certa veritatis confirmatio. Nam A superior eorumdem verborum interrogatio quædam, ut ita dicam, divinitatis ejus fuit manifestatio, qua ante passionem et resurrectionem suam quibusdam se verum Deum manifestavit, qui de divinitate illius dubitabant. Et quia post passionem et resurrectionem ipsius multorum cordibus, tam de divinitate quam de humanitate ejus, inerat dubitatio, ideo hæc eadem iterum interrogando, repetere voluit ut verum se Deum et verum hominem resurrexisse manifestaret: *Nos vero*, inquiens, *quid sumus? Nos*, dico, in humanitate, quia ex anima et carne compactus; *quid* in divinitate, quia Deus, et ideo virtutem divinitatis et dispensationem assumptæ humanitatis indubitanter credere debetis.

Nec contra nos, inquit, *est murmur vestrum, sed* B *contra Deum*. Quasi dicat: Si enim non creditis quod ex divina et humana natura compactus **360** sum, tunc non solum contra humanitatem meam, ad quam pertinet *nos*, sed etiam *contra Dominum*, id est contra divinitatem meam *est murmur vestrum*. Et quia Judæi maxime huic repugnant fidei, et tamen convertendi erunt circa finem mundi, ideo sicut in exordio lectionis hujus prænotata est superbia eorum et repulsio, sic in fine ejusdem lectionis illorum prænotatur vocatio. Unde sequitur.

Dixit Moyses ad Aaron: Dic universæ congregationi filiorum Israel. Per *Moysen*, ut sæpe jam diximus, humanitas Christi, per *Aaron*, quod interpretatur *mons fortitudinis*, divinitas ejus designatur. Unde dicere illud Moysi ad Aaron est pia supplica- C tio assumptæ humanitatis Christi ad divinitatem suam pro reliquiis filiorum Israel. Humanitas itaque Redemptoris nostri sedens ad dexteram Patris, ubi etiam interpellat pro nobis, pro salvatione reliquiarum Israel divinitati suæ, qua patri coæqualis est, supplicare non cessat.

Dic universæ congregationi filiorum Israel: Accedite coram Domino: Ac si dicat: Domine Pater, humanam hanc naturam, quam in me Filio tuo vides, quam super omnem creaturam ad dexteram tuam collocasti, de massa illa, ex Judaico scilicet populo, assumpsi, qui a te derelictus est, diu expers factus est gratiæ tuæ. Sed reminiscere miserationum tuarum, Domine Pater, istumque popu- D lum placatus respice. Et quia jam pene totus periit, saltem reliquiæ salvæ fiant. Dic ergo, Domine Pater, per inspirationem gratiæ tuæ, ut accedant per fidem coram te Domino Creatore suo, ut te Deum Patrem in veritate cognoscant, et me Unigenitum Filium tuum, quem ad redemptionem illorum misisti in mundum. Audisti, Domine Pater, murmur infidelitatis ipsorum, quo semper ab initio murmurare non cessant contra te. Audisti murmur servorum tuorum, videlicet patrum eorum, qui non male, sed bene coram te murmurabant, qui perfidiam filiorum magno dolore deplorabant. Sunt etiam adhuc nonnulli ex ipsis, licet pauci, qui conversi ad fidem, tristi dolore pro illis **361** murmurant, qui adhuc in infidelitate et cæcitate cordis sui perseverant. Dic, Domine Pater, et fac ut omnium illorum murmur conquiescat, et hi, qui adhuc in tenebris sunt, ad tuæ veritatis lumen redeant. Sic, sic æterni Patris Filio Domino nostro Jesu Christo supplicanti et interpellanti pro populo suo, fit quandoque, cum tempus salvationis illorum advenerit, quod sequens littera patenter exprimens ait:

Cumque loqueretur Aaron ad omnem cœtum filiorum Israel, respexerunt ad solitudinem, et ecce gloria Domini apparuit in nube. Cum enim summus ille Aaron, Deus Pater, in cordibus illorum per fidem loqui cœperit, eumque lumine visitationis suæ tenebras cæcitatis eorum illustraverit, turbati et contristati *ad solitudinem respicient*, quod Redemptorem nostrum non Deum, sed solum purum hominem esse putaverunt. Qui dum tam felici respectu ad hanc solitudinem respexerunt, *ecce gloria Domini in nube*, id est in carne Christi *apparebit*, quia gloriam divinitatis Christi magna fide credunt et prædicabunt, quem prius natum de matre Virgine Deum et hominem credere et confiteri noluerunt. Et quia præsignata in fine electionis hujus Judæorum conversio nondum facta, sed adhuc speranda est, cantus, qui finita lectione sequitur, non injuste eidem Lectioni concordare videtur:

Collegerunt pontifices et Pharisæi concilium, et dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Sicut contra Dominum Salvatorem tempore passionis suæ pontifices et Pharisæi visibiliter convenerunt, ita etiam nunc omnes pene Judæi, qui adhuc residui sunt, adversus eumdem Salvatorem jam ad dexteram Patris sedentem conveniunt, et concilium malignitatis et perfidiæ contra eum quotidie colligunt, et usque in **362** finem mundi colligere non cessabunt; quia maligno et duro corde veræ fidei, in quantum possunt, contradicunt dicentes:

Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Quid, inquiunt, *facimus*, quia hunc hominem tanta signa per orbem terrarum fecisse videmus? Dolent quidem et magno odio habent quod *hic homo*, homo videlicet Christus Jesus, quem illi non Deum, sed solum hominem fuisse æstimant, tam multa signa salutis et gratiæ tam multa signa cœlestium sacramentorum in Ecclesia fecit, et quotidie facit, et quod omnis pene mundus in illum credit?

Jam enim ubique terrarum dispersi locum suum et gentem amiserunt, in quibus Romani, quod interpretatur *tonantes*, id est Pater et Filius et Spiritus sanctus per fidei sacramenta potenter inhabitant. Et quia fidem, quæ est in Christo Jesu semper, ut diximus, impugnare non desinunt, semper concilium perversitatis suæ contra Dominum Salvatorem jam æternaliter in cœlis regnantem colligunt, satis congrue nos supra memoratum cantum: *Collegerunt*, singulis annis tempore Dominicæ Passionis quasi eisdem perfidis Judæis insultando canimus, et donec universitatis illorum conversio in fine mundi fiat,

nunquam cantare cessabimus. Postquam autem facta generali illorum conversione coadunati et consociati filiis Ecclesiæ fuerint, ipsi quoque in nomine crucifixi Salvatoris una nobiscum pari concentu et unanimi fide eumdem cantum cantaturi erunt, et cui patres illorum in passione insultabant dicentes : *Ave, rex Judæorum*, hunc illi vera confessionis fide laudabunt et confitebuntur regnantem et viventem in sæcula sæculorum. Amen.

363 HOMILIA XL.

IN DOMINICAM PALMARUM SECUNDA

Fecerunt filii Israel malum in conspectu Domini, qui confortavit adversum eos Eglon regem Moab. Servieruntque ei decem et octo annis, et postea clamaverunt ad Dominum (*Judic.* III).

Veneranda dies hodierna festivitatis, dies, inquam, Palmarum, ea de causa magnificis a sancta Ecclesia recolitur laudum præconiis, quia hodierna die venienti Domino Jerosolymam cum palmis obviam processerunt filii Hebræorum. Hæc est enim dies præclara, in qua ipse, quia salus totius humani generis advenerat, ad opus nostræ redemptionis, ad superandum videlicet hostem antiquum seipsum præparabat, suis in hoc fidelibus relinquens exemplum qualiter de adversario triumphantes gloriam adipiscantur cœlestium gaudiorum. Quod autem turba illa cum tali Domino occurrit gloria, ea maxime fuit causa quod Lazarum in comitatu habebat, quem ipse quatriduanum a mortuis suscitaverat. In illa processione corporaliter et visibiliter tunc aderat Dominus. Confidimus autem et speramus quod et in nostra hodierna processione adesse invisibiliter dignetur in misericordia et miseratione, in qua non unus, sed multi inveniuntur Lazari, quos ipse per pœnitentiam conversos, de morte animæ ad vitam reparavit, quod revera majus et gloriosius divinæ est opus misericordiæ.

Hæc autem magnifica Dominicæ passionis et triumphi gloria in multis sacræ Scripturæ locis, licet obscure, **364** est præsignata, de quibus unum referimus memorabile, quod præsenti solemnitati non incongrue videtur convenire. *Fecerunt filii Israel malum in conspectu Domini, qui confortavit adversum eos Eglon regem Moab. Servieruntque ei decem et octo annis, et postea clamaverunt ad Dominum.*

Eglon *vacca eorum* dicitur, Aod vero *virtus* vel *militia* interpretatur. Per *Eglon regem Moab* hostis antiquus non inconvenienter poterit accipi, qui post prævaricationem primi hominis totum genus humanum suæ subdiderat ditioni. Qui licet in gentibus cæterisque terræ nationibus, Deum nescientibus, legem et prophetas non habentibus, libere regnaverit, ac violenter eos contriverit, maximam tamen tyrannidis suæ fortitudinem in populo Judæorum exercebat, quia ipsi prophetas, legem Domini ac cæremonias habentes, totum quod ad cultum Dei pertinebat, ipso instigante pro adipiscendis temporalibus bonis impendebant. Sed electi tunc temporis, graviter ferentes oppressionem humani

A generis, pro ejusdem liberatione Deum Patrem valido interpellabant clamore, ac tandiu importunis precibus vim inferebant, quoadusque prospiciens de cœlo, mitteret eis Salvatorem ac **365** propugnatorem juxta sequentis litteræ narrationem.

Qui suscitavit eis Salvatorem, vocabulo Aod, nobilum, qui utraque manu pro dextera utebatur. Per Aod, qui, sicut præfati sumus, *virtus* vel *militia* dicitur, Dominus noster Jesus Christus accipitur, de quo recte dicitur, quod *utraque manu pro dextera utebatur. Dextera manus* ejus divinitas illius, sinistra vero humanitas ejus fuit. In *dextera* sua, id est in divinitate sua, cœlum et terram creavit ; in sinistra vero, in humana videlicet natura, qua, ut diximus, pro *dextera utebatur*, tantæ fortitudinis fuit, quod nihil B unquam sinistri fecit, sed totus sanctus, totus justus, mundus et immaculatus in omnibus operibus suis exstitit, perditumque hominem in ipsa humanitate de morte ad vitam reparavit. Qui etiam, qualiter in diebus carnis suæ vixerit, qualiter docuerit, verbis paulo post sequentibus intelligi poterit.

Qui fecit sibi gladium ancipitem, habentem in medio capulum longitudinis palmæ manus. Per *gladium* Christi prædicatio ejus valet intelligi, de quo gladio David dicit : *Accingere gladio super femur tuum, potentissime* (*Psal.* XLIV, 4). Qui revera gladius *anceps*, id est utraque parte acutus fuisse describitur quia quod verbis docuit, bonorum operum attestatione exhibuit, divitias, mundi gloriam contemnere, volunC tariam paupertatem pro cœlesti regno docebat amplecti, ut illud : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* V, 3) ; et quod monuit verbis, firmavit exemplis.

Habentem, inquit, *in medio capulum longitudinis palmæ manus.* In capulo, ut notum est, signum crucis **366** ostenditur. Crux autem Christi non solum illa fuit, qua coram oculis hominum pependit, sed omnibus diebus vitæ suæ crucem quodammodo portavit quia innumeras laborum et dolorum miserias, multifarias paupertatis et persecutionis injurias perseveranter sustinuit, quam etiam crucem suis imitatoribus sequendam proposuit dicens : *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, tollat crucem suam quotidie, et sequatur me* (*Matth.* XVI, 24). Sequitur :

D *Et accinctus erat subter sagum in dextro femore.* Quia de *femore* filii nascuntur, per *dextrum femur* Christi sancta ejus humanitas valet intelligi, de quo nobilissimi exorti sunt filii, sancti videlicet apostoli. *Accinctus gladio subter sagum in dextro femore* Dominus fuit, quia carnalis vitæ delectamenta, quæ per *sagum* intelligenda sunt, non solum per se, sed etiam per filios suos, hoc est per apostolos, contemnenda esse docuit.

Erat autem Eglon crassus nimis. Hostis quippe humani generis *crassus erat nimis* ; quia ante Christi passionem tam electos quam reprobos post mortem violenter in suum traxit et absorbuit ventrem. Et licet, ut superius diximus, plures potenter ad se traxerit ex gentibus, in populo tamen Judæorum quasi

principaliter regni sui posuerat solium, quod sequens A innuit ordo verborum.

Sedebat autem in æstivo cœnaculo solus. Quia in æstivo tempore fructus terræ floresque arborum prodeunt, qui latebant in hieme, recte per *æstivum cœnaculum* populus designari valet Judæorum, qui tunc temporis maxima redundabat prosperitatis lætitia, divitiis fruebatur et gloria omniumque rerum abundantia, in qua bonorum omnium copia, quid Deum **367** contemnendo voluptati dediti erant et carnis desideriis, ipse humani generis inimicus dulcem quietis sedem sibi in illorum posuerat cordibus. Dominus vero ac Redemptor noster, humanæ perditionis miseriæ clementer disponens subvenire, qua virtute violentiam ejus contriverit, sequenti narratione intelligi poterit.

Dixitque: Verbum Domini habeo ad te. Quasi diceret: *Verbum* illud, quod habeo, *Verbum* hoc quod factum est caro, humana videlicet natura quam porto, adversum te est; quia per eam in te triumphans pristinæ damnationis potentiam dissolvens ad nihilum redigam.

Qui statim surrexit de solio suo. Cum enim totam Domini et Salvatoris nostri vitam et doctrinam sibimetipsi cerneret esse valde contrariam, contra eum se erigendo *de solio* **368** *suo* quodammodo *surrexit*, dum eosdem Judæos, in quibus sedebat et regnabat, in persecutionem ejus incitavit, quem persecutionis conflictum tandiu Dominus noster Jesus Christus cum adversario habuit, quousque ad crucis patibulum pervenit.

In quo nimirum patibulo, quemadmodum sequens verborum declarat ordo: *Extendit Aod manum sinistram, et tulit sicam de dextro femore suo, infixitque eam in ventrem ejus tam valide, ut capulus ferrum sequeretur.* Aod *manum sinistram extendit* quia Dominus et Salvator noster sanctam humanitatem, quam pro nobis assumpsit, ad laborum certamina, ad crucis supplicium tradidit.

369 HOMILIA XLI

IN DOMINICAM PALMARUM TERTIA.

Dixit Caleb: Qui percusserit Cariath Sepher et vastaverit eam, dabo illi Axam filiam meam conjugem. Cumque cepisset eam Othoniel, filius Cenez, frater Caleb junior, dedit ei filiam suam conjugem (*Jos.* XV).

Veneranda hujus diei festivitas magno tripudio, fratres charissimi, nobis est celebranda, in qua Filius Dei ante omnia gloriosus, mitis aselli dorso insidens, ad locum passionis hodie venire dignatus est, ubi se Deo Patri sacrificium acceptabile offerret in odorem suavitatis pro totius humani generis salute. Surgamus igitur et exeamus ad eum extra castra improperium ejus, id est crucem ejus non erubescentes. Et quemadmodum illi Jerosolymam venienti turbæ pauperum et puerorum cum ramis virentibus occurrerunt, ac quasi jam triumphanti laudes regias cecinerunt, ita et nos faciamus ut, si membra ejus sumus, caput sequamur, ipsum videlicet pauperem Christum imitemur, eique humiliter adhærendo, cum virore bonorum operum occurramus. Occurramus ei per compassionem, commoriamur per vitiorum mortificationem, veneremur propter nos infirmum, considerantes in seipso excelsum valde et gloriosum. Qui si pium devotionis nostræ erga se senserit affectum, humilis pium se et clementem servis suis exhibebit, sublimis et immensus pauperibus suis sese ingeret gloriosum.

Hæc vera salutis nostræ gaudia, quæ modo celebramus, multis et diversis olim præfigurata sunt figuris et ænigmatibus, ex quibus omnibus duo quædam ad medium libet deducere, et quomodo lux veritatis sub umbra litteræ latuerit, pro modulo nostro demonstrare.

B *Dixit Caleb: Qui percusserit Cariath Sepher, et vastaverit eam, dabo illi Axam filiam meam uxorem.* Nomine *Caleb*, qui interpretatur *cor*, Deus Pater, per *Othoniel*, quod sonat *tempus ejus Dei*, Filius Dei, in *Axa*, quod *claudicans*, vel *irascens*, anima **370** Christi; per *Cenez*, quod dicitur *possessio contemptibilis*, Synagoga potest intelligi.

Et bene *Caleb*, quod intepretatur *cor*, Deum Patrem exprimit, qui de corde suo Verbum bonum, id est Filium sibi coæternum, coomnipotentem, consubstantialem eructavit et genuit. Huic cordis sui Filio Deus Pater *Axam filiam suam* dare conjugem spopondit, imo et dedit, quando ille, qui perfectus erat Deus, perfectus homo fieri voluit qui ex C anima rationali et humana carne subsisteret, qui solus ad percutiendum et vastandum *Cariath Sepher*, id est civitatem litterarum, consisteret, hoc est qui sic carnalem legis intelligentiam perculeret, ut eam spiritalis sensus intelligentia vivificaret, sic funditus vastaret, ut nova Evangelii gratia austera legis præcepta immutaret.

Cumque cepisset eam Othoniel filius Cenez, dedit ei Axam filiam suam conjugem. Per *Othoniel*, quod interpretatur *tempus ejus Dei*, Filius Dei, Dominus Jesus Christus potest consequenter significari, cujus omne tempus vitæ *tempus* erat *Dei*, quoniam in omnibus Dei Patris voluntati obtemperabat, qui solus innocens manibus et mundo corde, mitis, bonus et suavis erat ad omnes, et tamen in numero imperfe- D ctorum inveniri voluit; quoniam tanquam peccator, qui de peccato nihil habebat, pati et mori non renuit. Qui recte *filius* dicitur *Cenez*, quod sonat *possessio contemptibilis*, quia secundum humanam naturam filius erat Synagogæ, quæ vere est *possessio contemptibilis*. Sicut enim Ecclesia possessio est amabilis, sic Synagoga possessio contemptibilis, eo quod fidem non recipiat Salvatoris. *Cepit* itaque *Othoniel civitatem litterarum*, quia Christus litteram **371** occidentem convertit in spiritum vivificantem.

Cui *Axa*, quæ *claudicans* vel *irascens* interpretatur, in conjugio associatur. In assumpta quippe humanitate conjunxit et dedit ei Deus Pater animam rationalem, quam non enerviter claudicantem, non improbe irascentem fateor, sed optimo modo clau-

dicasse et iratam fuisse intueor. Nostis illum qui claudicat uno pede terræ inniti, alterum a terra suspendere. Sic, sic et anima Christi uno, ut ita dicam, pede terræ innitebatur, quando, sicut Paulus in Lectione hodierna ait : Christus *in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo, humiliavit seipsum, factus obediens Patri usque ad mortem* (*Philipp.* II, 7). Et illud : *Exinanivit seipsum formam servi accipiens* (*Ibid.*), in qua forma manens peccatores ad se venientes non repulit, infirmantibus compatiebatur, imperfectis tanquam misericors conformabatur. Alio vero pede longe a terra suspensa erat anima ejus, quia per divinitatis potentiam, ne tenuissima peccati macula peccatorum nostrorum infirmitati communicaret, fortiter se custodivit. Sed et iram bonam habuit, iram laudabilem exercuit, quia omni tempore peccatis irasci, peccata probibere magna districtione consuevit

Quæ anima Christi bene et optime Dei Patris *filia* nominatur, quia præter hanc solam animam nulla anima fuit, nec erit quæ sic Dei Patris oculis placere potuerit, nec etiam beatæ Virginis Mariæ; quia et ipsa in peccatis concepta est et nata, quam postmodum Spiritus sanctus sic accepit in sua, ne accederent ad eam peccata. Ista autem anima Christi una ex omnibus et in omnibus electa et prælecta erat, quam Spiritus sanctus in Canticis canticorum miro modo laudat et prædicat dicens : *Sexaginta sunt reginæ et octoginta concubinæ et adolescentularum non est numerus; una est columba mea, perfecta mea, una matri suæ, electa genitrici suæ. Viderunt eam filiæ Sion et beatissimam prædicaverunt reginæ et concubinæ, et laudaverunt eam* (*Cant.* VI, 7, 8). Quid per reginas nisi nobiles illæ animæ, quæ regi sempiterno, sponso immortali conjunctæ sunt per fidei conjunctionem, per morum correctionem, per laudabilem virtutum operationem? Quid per concubinas nisi peccatrices animæ, quæ modo per pœnitentiam emundatæ **372** accedunt et ipsæ ad thorum regis, spiritalesque filios Deo in semetipsis gignere dignæ tandem inveniuntur? Quid per adolescentulas, nisi fervidæ in Christi amore animæ? inter omnes has animas licet bonas, licet sanctas, *una est* anima Christi, cui nulla similis, *una est columba; una*, dico, quia duplicitatem nescit; *columba*, quia felle amaritudinis non turgescit; *perfecta*, quia et verbo et opere cogitatione immaculata; *una matri suæ*, quoniam ipsa sola supernæ illi angelorum et sanctorum multitudini laudabilis est et immensa; *electa* quoque *genitrici suæ*, quia universæ Ecclesiæ, quæ adhuc peregrinatur in terris, præ omnibus sanctis admirabilis est et dilecta. Unde apte sequitur, *viderunt eam filiæ Sion*. Sion interpretatur *speculatio*. Et quid in filiabus Sion, nisi supernæ angelorum et sanctorum multitudines, revelata facie gloriam Domini speculantes? Hi animam Christi viderunt, et beatissimam prædicaverunt. Sed et *reginæ*, perfectæ scilicet animæ, ad supernam pertinentes hæreditatem, *et concubinæ*, peccatrices quondam animæ, sed pœnitentes, animam Christi totis præcordiis laudant et prædicant.

Quam pergentem in itinere, monuit vir suus, ut peteret a Patre suo agrum. Ille, qui in divinitate sua sine itinere et mutabilitate erat in cœlo, natus in mundo, iter cœpit habere, quia de infantia ad pueritiam, de pueritia ad adolescentiam, ab adolescentia ad juventutem proficere voluit, ut qui in sua celsitudine manens non poterat comprehendi, in sua humilitate inciperet agnosci. De hoc itinere alias legitur quod Samaritanus quidam iter faceret, veniensque secus languidum, motus misericordia, oleum et vinum infudit (*Luc.* X, 34). Samaritanus iste ipse est Christus qui iter fecit, quando naturæ nostræ particeps fieri dignatus est, qui tanquam pius, tanquam misericors nobis, languidis suis, vinum et oleum infudit : vinum laxando peccata per pœnitentiam, oleum conferendo dona virtutum per gratiam. Sic *pergentem in itinere monuit vir suus*, id est divina natura, *ut peteret a Patre suo agrum*. Quid, rogo, quid ager iste significat, quid fructus, quid honoris est hunc agrum a Patre postulare? **373** Magnus certe fructus, magna dignatio, animam Filii Dei hunc agrum a Patre postulare, quia iste est ager, cui benedixit Dominus; ipse est ager sancta Ecclesia, de gentibus congregata, quam Deus Pater dono dedit Filio suo dicens ei per Prophetam : *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ* (*Psal.* II, 8). Quod enim tantum notus erat in Judæa Deus, in Israel magnum nomen ejus, Filio Dei sufficiens non erat, qui pro omnibus mortem gustare et animam ponere venerat.

Quæ cum suspirasset sedens asino, dixit ei Caleb : Quid habes? At illa respondit : Da mihi benedictionem. In asino, cui Axa insedit, humanam naturam possumus accipere, in qua juvenis Filius Dei omnibus diebus, toto tempore suspiravit, quia in carne sua multimodas propter nos miserias pati voluit, sed et in passione instante timore et angustia mortis intima traxit suspiria, dum dixit : *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Marc.* XIV, 34). Item in alio loco : *Nunc anima mea turbata est et quid dicam?* (*Joan.* XII, 27.) Possumus etiam simpliciter in asino isto animal illud intelligere, super quod hodierna die rex cœlorum sedens Jerosolymam dignatus est venire, quemadmodum etiam propheta longe ante prædixerat dicens : *Noli timere, filia Sion, ecce Rex tuus venit tibi mansuetus sedens super pullum asinæ filium subjugalis* (*Zach.* IX, 9).

Sic Axa sedens super asinum, id est anima Christi, humana, ut prædiximus, natura induta, *cum suspirasset*, cum sic et sic tristaretur et turbaretur, quod non propter seipsam turbaretur et suspiraret, sed propter humani generis redemptionem, innuitur in eo quod ait : *Da mihi benedictionem*.

Ac si Deo Patri Filius diceret : Ego Filius tuus factus sum servus, tibi coæternus factus sub tempore, animam rationalem suscepi, indigna et abjecta

pati pro humani generis salute non abnuo. **374** *Da mihi*, quæso, *benedictionem* hanc, ut per sanguinem meum omnia quæ in cœlo sunt et in terra, pacificentur et tibi reconcilientur. Quam benedictionem Paulus commendat dicens: *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, et ipsum dedit Redemptorem mundi pacificans ea quæ in cœlo sunt et in terra sunt* (*II Cor.* v, 19).

Terram arentem dedisti mihi, da et irriguam aquis. Tu, inquit, Domine, Pater meus, dicis, quid habeam? cur triginta annos et ultra tot suspiria emiserim? Ecce dico tibi: *Terram arentem dedisti mihi*, scilicet Judæam, *da et irriguam aquis*, fac, ut Ecclesia tua ubique terrarum diffusa per fidei gratiam te fontem vitæ sitire incipiat, ad te currere, te sequi non moretur.

Dedit ergo ei Caleb irriguum superius, et irriguum inferius. Quid per *irriguum superius*, nisi multitudinem angelorum; quid per *irriguum inferius*, nisi multitudinem hominum intelligere possumus? Hæc utraque irrigua Deus Pater Axæ suæ, filiæ suæ dedit; omnia enim subjecit pedibus Filii sui, quia ipse est cui omne genu flectitur cœlestium, terrestrium et infernorum, eo quod ipse factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.

Hæc, sicut audistis, charissimi, tempus istud jucundum præsagiebant. Hæc sunt annua redemptionis nostræ festa, in quibus verus ille Agnus occisus est et immolatus, cujus sanguine postes nostræ consecrantur. Cujus passio his diebus idcirco recitatur, ut attendamus et videamus et meminerimus quid pro servis suis tantus Dominus pati dignatus sit, scientes quia si compatimur, et conglorificabimur si commorimur, et conresurgemus quod ipse præstare dignetur qui vivit et regnat per omnia secula sæculorum. Amen.

375 HOMILIA XLII

IN DOMINICAM IN PALMIS QUARTA

De Samsone et Dalila (*Judic.* XVI).

Dies ista, fratres charissimi, bene nominatur *dies palmarum*, in qua Rex et Dominus noster Jesus Christus, ut triumpharet de diabolo, et palmam victoriæ reportaret, hodie vexilla crucis dignatus est levare, et ad locum passionis et certaminis tanquam pugil fortissimus et gloriosus properare. Cujus omnia gesta et sacramenta incarnationis, passionis, descensus ad inferos, sepulturæ, resurrectionis, quomodo alius quidam præsignaverit; libet, quantum Deus dederit, exprimere Samsonem, dico, illum qui in omnibus factis suis veri Samsonis, veri Nazaræi, de utero matris consecrati, Domini nostri Jesu Christi formam prætulit et habuit, ac per mirabilem fortitudinem suam divinæ fortitudinis et virtutis opus exprimebat.

Refert historia de eo quod mulierem quamdam, quæ habitabat in valle Sorech, amaverit, quæ vocabatur Dalila. Hæc suadentibus Allophylis decipere eum et discere ab eo in quo tantam haberet fortitudinem consensit. Primo, secundo, tertio tentavit, et A non valuit; quarto jam decepit et invaluit. Post multa tandem rasis septem crinibus ejus ab Allophylis comprehenditur, oculi eruuntur; Gazam ducitur, clausus in carcere molere compellitur. Sic eo deluso, Philisthæi Dagon deo suo hostias magnificas immolabant, lætantesque per convivia præceperunt ut vocaretur et ante eos luderet. Quem fecerunt stare inter duas columnas, et ille invocato Deo suo ultionem expetens pro amissione duorum luminum concussis fortiter columnis Philistheos, inimicos suos, ipse moriens cum eis interfecit, multoque plures interfecit moriens quam antea vivus occideret.

In Dalila ista, quam Samson adamavit, omnis humana natura, quam verus Samson, Christus Dominus, B miro modo **376** dilexit, potest intelligi, quæ ex parte constat electorum et reproborum, et est bona Dalila pars bona electorum, mala Dalila pars mala reproborum. Hæc Dalila, humana scilicet natura, quæ in primis parentibus nostris Adam et Eva cœpit, bene dicitur habitasse *in valle Sorech*. Sorech genus est vitis electissimum, et interpretatur *electa*, aut *visio optima* per quod hortus ille deliciarum paradisus figuratur, in quo vinum jucunditatis, ante prævaricationem Adæ et Evæ, omnibus propinabatur, ubi poculum æternæ vitæ sine morte, sine peccato succedens offerebatur, ubi *optima visio* erat quia Patris et Filii et Spiritus sancti deliciosa et dulcis ibi visio erat, et non sanctorum angelorum frequens et solemnis adventus placebat. Taliter hu- C mana natura in paradiso florente solius veri Samsonis amore flagrante, venerunt ad eam principes Philisthinorum, atque dixerunt:

Decipe eum, et disce ab eo in quo tantam habeat fortitudinem, et quomodo eum superare valeamus, et vinctum affligere. Humana natura Deum quodammodo decepit, quando ex suggestione Allophylorum, id est malignorum spirituum, subjectionem et obedientiam, quam Deo creatori suo debuit, non persolvit. Et proprie satis dictum est, *decipe eum.* Nam ille dicitur decipere, qui, quod vovet et promittit, opere implere neglexerit. Hoc Adam et Eva fecit, qui tunc deceptionis laqueos contra Deum erexerunt, cum magis serpenti fallenti quam Deo vera D promittenti crediderunt; et quod promiserunt, irritum fecerunt, dum Dominici præcepti prævaricatores sunt effecti. *Et disce*, inquiunt, *ab eo in quo tantam habeat fortitudinem, et quomodo eum superare valeamus et victum affligere.* Quod si non in hæc verba locutus est serpens, imo malus ille Philisthæus, id est diabolus **377** in serpente æquipollens tamen est. Nam simile est huic quod ait: *Cur præcepit vobis Deus ne comederetis de omni ligno paradisi? In quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii, scientes bonum et malum* (*Gen.* III, 1). Ac si dixisset: In hoc Deum decipietis in vobis, ut ex ligno quod præcepit vobis ne comederetis, comedatis, et si hoc persuasi feceritis, discetis ab eo in quo ipse Deus tantam habeat fortitudinem, hoc est et vos

eritis sicut Dii, scientes bonum et malum; et hoc vobis facientibus scire et nos poterimus quomodo, id est quo pacto, quomodo nos, in vobis superiores effecti, eum inferiorem faciamus, et vinctum peccatis vestris ac totius posteritatis vestræ multis miseriis alligamus, quoadusque morte turpissima condemnemus eum.

Quod si feceris, o humana natura, *dabimus tibi mille centum argenteos*. Duo ista, quæ promittunt Philisthæi, majus et minus, duplicem illam diaboli sponsionem ostendunt: per *mille*, quod majus est, hoc quod ait *eritis sicut dii*; per *centum*, quod minus est, *scientes bonum ac malum*. Deceptis igitur primis parentibus nostris, et a paradisi gaudiis cum omni posteritate exclusis, omnis electorum multitudo, quæ a prima Dalila descenderat ante legem, visa sui calamitate *locuta est ad Samson*, veri Samsonis incarnationis quærens mysterium, per quod amissum restitueretur eis regni cœlorum patrimonium. Et quid aiebant suo et nostro Samsoni?

Dic, obsecro, in quo sit tua maxima fortitudo, et quid sit quo ligatus erumpere nequeas. Maxima, inquiunt, fortitudo tua est humilitas tua, per quam, si te exinanire et homo fieri digneris, te, quem in celsitudine divinitatis comprehendere nequimus, humanæ naturæ ligatum redemptorem et liberatorem nostrum esse gloriamur. Idcirco, o Domine, petimus, ut illud propter nos induas, quo ligatus erumpere nequeas. Sic Dalilæ, oranti et instanti vero Samsoni ante legem, cœpit per patriarchas adventum suum promittere, sic prophetando, sic respondendo: *Si septem nervicis funibus necdum siccis, sed adhuc humentibus ligatus fuero, infirmus ero ut cæteri homines*. Bene in septem nervicis funibus tempus, quod erat ante legem, **378** designatur, quando totum tempus illud, quod septenario dierum numero volvebatur, unusquisque sibi lex erat et funes illi *necdum sicci* erant, quia nec ignis legalis observantiæ, nec sol justitiæ et evangelicæ doctrinæ illos exsiccaverat; *sed adhuc humentes* quoniam humore et fluxu peccatorum sordidati et infecti erant. Si his, inquit Christus Dominus, funibus ligatus fuero, id est si ego natus et ligatus humana natura, peccata mundi tulero, *infirmus ero, et, ut cæteri homines*, mori potero. Sed tunc promissus et exspectatus venire distulit, ideoque Dalila ista, pars scilicet electorum, semper in vocem clamoris erupit dicens: *Philisthiim super te, Samson*. Nobilis, inquiunt, creatura tua, quam ad laudem et honorem nominis tui creasti, tota degeneravit, tota ad inferos descendit quia *Philisthiim super te*, id est superiorem locum maligni spiritus obtinent, et te, qui solus dominari deberes, creaturæ tuæ inferiorem esse fecerunt.

Qui rupit vincula quomodo si rumpat quis filum stuppæ tortum staminis putamine, cum odorem ignis acceperit; et non est cognitum in quo esset fortitudo ejus. His verbis Dominicæ passionis sacramentum præfiguratum est et prænuntiatum. Sed videndum

A quænam sint *vincula*, quid *filum stuppæ*, quid *stamen*, quid *putamen*, quid *odor ignis* significet? *Stamen* nostrum Adam et Eva erant, qui nobile stamen erant, cum in statu suo manserunt, et in deliciis paradisi deliciabantur. *Putamen* autem, quod est sectio hujus staminis, totum est genus humanum, quod abscissum et propagatum est ex illis primis parentibus nostris. Hoc stamen, Adam scilicet et Eva, versum est in *stuppam*, quando peccando degeneraverunt, nobilitatemque illam, in qua creati sunt, a paradisi gaudiis exclusi amiserunt. Ex illa massa, ex illa ignobili stuppa tractum est nobile illud *filum*, Filius Dei, qui rupit vincula originalis et actualis peccati. Quomodo rupit? Eo modo quod ille, qui verus erat Deus, filum stuppæ fieri non est
B dedignatus, quod ille, qui erat Deus Pater, per bonitatem suam Filium suum misit, et Deus Filius eidem Patri suo, ut nos redimeret, usque ad mortem obedivit. Et bene hoc filum dicitur *tortum staminis putamine*, quia qui perfectus erat Deus, perfectus factus est homo, et **379** utraque natura, divina scilicet et humana, sic invicem torta est et unita, ut neutra separetur ab altera. Illud nobile filum *accepit odorem ignis*, quando assatus est in igne passionis et ex hoc igne passionis odor suavissimus penetravit cœlos, quo semper ab initio fetor iniquitatis magis quam odor suavitatis ascenderat. Hujus itaque odoris suavissimi tanta erat immensitas, ut per hunc fieret humani generis redemptio, et peccatorum daretur
C remissio. Illud nobile filum ruptum est in cruce, quando aperto lancea militis latere crucifixi Domini exivit sanguis et aqua in redemptione salutis nostræ. *Et non est cognitum in quo esset fortitudo ejus*, quia Deum esse non cognoverunt, quando sicut hominem morientem viderunt. Ista Dalilæ, id est electis, qui ante legem erant, sunt promissa et prophetata; nobiscum autem Samson noster omnia in veritate peregit.

Itaque sicut in primo responso Samsonis, ubi si septem nervicis funibus ligaretur, infirmum se ut alios homines prædicit, ad tempus illud quod erat ante legem putandum est respicere, ita in secundo responso quo ait: *Si ligatus fuero novis funibus, qui nunquam fuerunt in opere*, secundi temporis, quod
D erat sub lege, peccata figurantur, quando nova peccata, quod novi funes erant, addita sunt veteribus. In transgressione enim legis nova peccata populo illi accesserunt: quia *cum lex non esset, peccatum non imputabatur*, quemadmodum Paulus ait: *Peccatum non cognovi, nisi per legem. Concupiscentiam enim nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces. Occasione autem accepta peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam* (*Rom.* VII, 7, 8). Hi funes ideo dicuntur *nunquam* fuisse *in opere*, quia etsi aliqui erant, qui legi obtemperabant, neminen tamen ad perfectum adduxit lex. *Si his*, inquit Christus, *novis funibus ligatus fuero*, hoc est si sub tempore legis vinculis humanæ naturæ ligatus fuero, *infirmus ero, et aliorum hominum sta*

milis, qui secundum divinitatem Deus sum incommutabilis, sed tamen tunc temporis venire non est voluntatis meæ. Ibi clamante denuo Dalila : *Philisthiim super te, Samson*, hoc est electis illis qui erant sub lege dolentibus et Deo clamorem cordis offerentibus quod maligni spiritus superiorem locum tenerent in creatura Dei, prænuntiata et præmonstrata
380 est futura postmodum Dominicæ descensionis ad inferos potentia et gloria in eo quod subjungitur : *Qui ita rupit vincula quasi fila telarum.* In prima ruptione, qua Christus rumpebatur in corpore suo per passionem et mortem, rupta sunt *vincula* peccatorum ; in secunda ruptione, qua anima ejus descendit ad inferos, rupta sunt *vincula* pœnarum. Qui mystice dicitur *rupisse vincula*. Nam qui aliquid rumpit, totum aliquid scindit et dividit. Et eo modo Deus Pater *fila* generis humani *rupit*, cum quosdam de inferno, scilicet electos tulit, alios vero æternaliter damnandos inibi dereliquit.

Et quia omni tempore semper aliqua bona Dalila, id est bona aliqua anima fuit, quæ Deo incumberet, et adventum ejus desideraret, in tertio responso, quo Samson dicit : *Si septem crines capitis mei cum licio plexueris, et clavum his circumligatum terræ fixeris, infirmus ero. Et cum fecisset Dalila, dixit ad eum : Philisthiim super te, Samson.* Tertii temporis gratia manifestatur, qua Deus homo fieri dignatus est, id quod non erat assumens, id quod fuit semper manens. In *septem crinibus* animam Christi septiformi gratia Spiritus sancti plenam possumus intelligere, in *licio* carnem, in *clavo* fortitudinem divinitatis, in *terra* beatam virginem Mariam. Et non incongrue in crinibus beata anima Christi potest intelligi, quia sicut infinitus est numerus crinium, sic infinita et absque numero multitudo virtutum insita erat animæ Christi. *Si septem*, inquit, *crines capitis mei*, hoc est si sanctam animam meam, septiformi gratia Spiritus sancti plenam, *licio*, humana carne *plexueris, et clavum* fortitudinis divinæ *circumligatum infixeris terræ*, virginali utique terræ, utero scilicet virginis Mariæ, de qua concipi et nasci sub tempore gratiæ disposui, ego, qui ex meo, cur mori debeam, nullam causam habeo, infirmus et mortalis ero.

Et notandum quod dicit : *Et clavum circumligatum terræ infixeris*, quia chlamydem illam, quam de beata Virgine assumpsit, sic induit, sic sibi circumligavit et infixit, ut nunquam eam exuere velit, nunquam a divinitate humanam naturam possit aut velit separare. Cujus etiam resurrectionis gloria commendatur in eo quod sequitur :

Qui de somno consurgens extraxit clavum cum crinibus et licio. **381** Christus Dominus de somno cepit, quando in cruce obdormivit ; *de somno consurrexit*, quando resurrexit a mortuis ; *extraxit clavum cum crinibus et licio*, cum fortitudine divinitatis eamdem animam et corpus, licet alterius gratiæ, resumpsit, in qua humana natura manducare et bibere, cum hominibus conversari, veluti ante

A passionem voluit, ut fidei nostræ fundamentum in seipso poneret, spiritumque resurgendi nobis donaret. Hoc totum quædam erat prophetia de incarnatione, passione, descensu ad inferos, resurrectione Domini nostri Jesu Christi ; et nondum veritas, quæ in plenitudine temporum ventura erat, apparuit. Unde quia ista omnia prophetata erant, semper Dalila, omnis videlicet Ecclesia, ab initio semper investigare laborabat in quo maxima esset fortitudo ejus. Ubi enim infirmitas apparuit humanitatis, ibi abscondita est fortitudo divinitatis. Et ideo quandiu per potentiam et fortitudinem divinitatis ejus genus humanum non redimebatur, eum, qui verax et fidelis est in omnibus verbis suis, in promissione sua mentitum quodammodo fuisse conqueri-
B tur, dicens :

Per tres vices mentitus es mihi, et noluisti dicere, in quo sit maxima fortitudo tua. Huic Samsoni nostro multifarie promisso cum diutinas veniendi moras innecteret, Dalila ista, omnis videlicet electorum multitudo, molesta ei esse cœpit, sicut in consequentibus dicitur : *Cumque molesta ei esset, et per multos dies jugiter adhæreret, spatium ac quietem non tribueret, defecit anima ejus, et ad mortem usque lassata est.* Nonne *molesta ei erat*, cum anxiis ac querulis vocibus dicebatur : *Manda, remanda, exspecta reexspecta, modicum ibi, modicum ibi* (*Isa.* XXVIII, 13). Item : *Da mercedem, Domine, sustinentibus te, ut prophetæ tui fideles inveniantur* (*Eccli.* XXXVI, 18).
C Item : *Osculetur me osculo oris sui* (*Cant.* I, 1). Non alium, inquit, non angelum, non hominem exspecto sed ipse me osculetur osculo oris sui. Dudum mihi per ora prophetarum suorum locutus est Dominus, veniat et ipse, humiliet et exinaniat se, et osculetur me osculo oris sui. Nonne ex Dalilis istis una, beata Dei genitrix Maria erat, quam credimus supra omnes homines [tanto] majori instantia hujusmodi
382 dilectionis oscula postulasse, quanto majori dilectionis Dei et proximi desiderio præ cunctis mortalibus flagrabat ? Hoc osculum flagitabat qui ait : *Utinam disrumperes cœlos, et descenderes !* (*Isa.* LXIV, 1.)

Cum sic et sic jugiter ei adhæreret, spatium ac quietem non tribueret, defecit anima ejus, et usque ad
D *mortem lassata est.* Quomodo et quando *anima ejus defecit ?* Nimirum quando misertus suorum in defectum carnis nostræ homo factus descendit. Quomodo *lassatus* est, qui in divinitate sua mutabilitatem et lassitudinem non recepit ? Assumendo lassitudinem nostram lassatus est ; quam propterea cognoscere et experiri in seipso dignatus est, ut fictor figmento suo sciret condescendere, considerans in sua lassitudine quod nostra lassitudo et infirmitas stare nos cum illo non permisit.

Tunc aperiens veritatem rei, dixit ad eam : Ferrum nunquam ascendit super caput meum, quia Nazaræus, id est, consecratus Deo sum de utero matris meæ. Natus in mundo Dominus noster Jesus Christus dignis se aperuit, et ostendit quisnam esset.

dicens : *Ferrum*, id est aliqua corruptio, *nunquam* A *ascendit super caput meum*, id est in divinitatem meam, quia verus et incommutabilis Deus sum, et verus homo, qui *Nazaræus*, hoc est *consecratus sum ex utero matris meæ* Mariæ, nunquam corruptus in conceptione ejus, nunquam corruptus in nativitate mea, nec postmodum vivens in mundo aliquid contraxi de peccati nævo. Hujus rei veritas patuit Petro, qui ait : *Tu es Christus Filius Dei vivi* (*Matth.* XVI, 16). Hujus rei veritas patuit Marthæ dicenti : *Ego credidi quia tu es Christus Filius Dei vivi* (*Joan.* XI, 27), et aliis nonnullis, quibus seipsum manifestare dignatus est. Qui Samson noster, quid a Dalila alia, id est parte reproborum Judæorum, pati voluerit, innuitur in eo quod ait :

Si rasum fuerit caput meum, recedet a me fortitudo mea, et deficiam, eroque ut cæteri homines. Caput Christi divinitas est, ut diximus, Christi. Quod caput Christi rasum est et denudatum, cum in morte, quando separata est anima a corpore, ita recessit fortitudo ejus et defecit quod fortitudo divinitatis **383** recessit ab adjutorio humanitatis. Factus est ut cæteri homines, cum instante hora passionis pavere, tædere et mœstus esse voluit dicens : *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Marc.* XIV, 34).

Videns illa quod confessus ei esset omnem animum suum, misit ad principes Philisthinorum, atque mandavit dicens : Ascendite huc semel, quia nunc mihi aperuit cor suum. Samson noster omnem animum suum Dalilæ illi, perfidæ scilicet et incredulæ Synagogæ, confessus est, dum tot et tanta inter eos signa fecit, infirmos sanavit, mortuos suscitavit, et alia incomparabilia bona exhibuit et ostendit. Quæ perfida Dalila, licet gloriose et magnifice ab eo gesta et dicta, nonnisi per Filium Dei fieri posse cognosceret, quemadmodum audita doctrina ejus admirans ait : *Nunquam locutus est homo, sicut hic homo* (*Joan.* VII, 46). Tamen credere in eum noluit, sed *misit ad principes Philisthinorum*, quando malignos spiritus ad cor suum intromisit, quorum instinctu principes sacerdotum et seniores populi convenerunt, et universum populum adversus Dominum nostrum Jesum Christum concitaverunt.

Quæ Dalila mandat Philisthæis dicens : *Ascendite huc semel, quia nunc aperuit mihi cor suum.* Judæi, dum visis signis et miraculis ejus impie et proterve instarent dicendo : *Usquequo animas nostras tollis ? Si tu es Christus, dic nobis palam* (*Joan.* X, 24); et : *Quem teipsum facis?* (*Joan.* VIII, 53.) Tandem in passione adjuratus a pontifice ut diceret si ipse esset Filius Dei electi, *aperuit cor suum*, dum ait : *Tu dixisti, quia ego sum* (*Matth.* XXVI, 64, *Marc.* XIV, 62).

Qui ascenderunt, assumpta pecunia quam promiserant. Versus iste duplicem habet sensum. Diximus superius per Philisthæos malignos spiritus posse intelligi. Hi *ascenderunt* in passione Domini *assumpta pecunia quam promiserant.* Pecunia eorum quam primis parentibus nostris in paradiso promiserunt, erant mille centum argentei : mille, dum dixerunt : *Eritis sicut dii;* centum, *scientes bonum et malum.* Hæc pecunia, quam tunc spoponderunt, in passione Domini nostri Jesu Christi data est et accepta, quia tunc in veritate aperti et illuminati sunt oculi totius generis humani ; facti sunt ex hominibus dii, quia **384** Deus homo factus, largitus est nobis suam deitatem ; facti sunt *scientes bonum et malum* : *bonum*, quia data est remissio peccatorum, et de morte et de inferno redemptio ; *malum*, quod passus est Christus pro nobis crucis supplicium. Sed et hoc modo possumus sentire quod pecunia Philisthinorum, id est Judæorum, lex esset et prophetia, qua accepta *ascenderunt*, quando collegerunt concilium, B ut interficerent Dominum nostrum Jesum Christum, ne forte, si dimitterent eum sic, omnes crederent in eum, et ipsis lex et prophetia tolleretur.

At illa dormire eum fecit super genua sua, et in sinu suo reclinare caput, vocavitque tonsorem, et rasit septem crines ejus, et cœpit eum abjicere, et a se repellere. Genua Jesu Christi sancti dicuntur apostoli, *super quæ genua fecit eum* meretrix illa Synagoga *dormire*, quando missa cohorte cum gladiis Dominum Jesum comprehendi et ligari jussit, quia tunc in eis ita obdormivit, quod nec ipse Petrus, qui dixerat : *Tecum paratus sum et in carcerem et in mortem ire* (*Luc.* XXII, 13), cum eo perduraverit, sed relicto eo omnes fugerunt. Sic eo dormiente super genua sua fecit etiam eum *in sinu suo reclinare caput.* Nonne C nimis *in sinu suo caput ejus inclinavit* et humiliavit, quando divinitatis ejus gloria contempta et oblita duxit eum in concilium suum, ubi immundis sputaminibus suis angelicam faciem ejus fœdavit, colaphis cæcidit, faciem velavit ? An non nefarie et crudeliter inclinavit eum et despexit, cum misit eum ad Herodem, et Herodes sprevit eum cum exercitu suo, et illusit indutum veste alba ? *Vocavitque tonsorem, et rasit septem crines ejus, et cœpit eum abjicere et a se repellere.* Tonsor iste Pilatus fuit, qui idcirco recte *tonsor* nominatur, eo quod Agnum illum mitissimum tunc, ut ita dicam, totonderit, et vellere suo privaverit, cum acerrima flagella sanctissimo corpori suo imposuit, quæ immanitate et crudelitate D sua omnes præteritas pœnas ejus superabant. Quod enim factus in agonia sudorem sanguineum emiserat, quod tristatus est usque ad mortem, quod sputatus, quod colaphizatus, totum hoc, ut ita dicam, tolerabile erat in comparatione flagellorum, quæ **385** sustinuit a judice Pilato. Ibi rasi sunt *septem crines ejus.* Quid in *crinibus* Jesu Christi, nisi quod et in genibus ejus, sancti videlicet apostoli, possunt intelligi ? Qui satis congrue crines capitis ejus dicuntur, quia sicut capilli capitis sunt ornamentum, sic et illi ornamentum facti sunt divinitatis ejus, docendo postmodum et prædicando quæ de ipso viderant et audiverant. Sed isti crines a capite Christi sunt quodammodo rasi, quando in articulo passionis eum negaverunt et relicto eo fugerunt.

Cœpitque eum abjicere et a se repellere. Abjecit et a se repulit Judæa Christum, cum interrogante Pilato : *Regem vestrum crucifigam?* (*Joan.* XIX, 15.) responderunt : *Non habemus regem, nisi Cæsarem* (*Ibid.*) ; et : *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris* (*Ibid.*, 12). Post ista omnia apte subinfertur : statim ab eo fortitudo recessit. Quando, quæro, a vero Samsone recessit fortitudo illius, cui non est similis in fortibus? Christus Deus erat et homo, et secundum humanam naturam pati non potuisset, nisi fortitudo divinitatis recessisset ab adjutorio humanitatis.

In his omnibus non illa pessima Dalila, sed bona et electa Dalila illa, multitudo videlicet animarum sanctarum, quæ in inferno et regione umbræ mortis adhuc sedebant, clamabant et dicebant : *Philisthiim super te, Samson.* Hoc est dicere : O Domine, licet modo propter nos patiaris, licet tot et tanta mala sustineas, *Philisthiim* adhuc *super te*, id est, maligni spiritus superiores sunt creaturæ tuæ. Et hoc malum tandiu tolerabimus, usquequo tu nobile pretium sanguinis tui effundas, nosque adventu tuo hinc tollas et eripias. Quorum preces et desideria non spernens fecit quod subjunctum est :

Qui de somno consurgens dixit in animo suo : Egrediar sicut ante feci, et me excutiam, nesciens quod Dominus recessisset ab eo. Vere Samson noster quasi *de somno consurrexerit*, dum omni corporali dulcedine et quiete postposita ad labores passionis properavit. Qui quod non invitus, sed sponte pateretur, innuitur in eo quod ait : *Egrediar sicut ante feci, et me excutiam.* Quid est dicere : *Egrediar,*
386 nisi animam meam volo in cruce ponere? Quid est : *Et me excutiam,* nisi passus et mortuus cum electis meis resurgam. *Nesciens,* inquit, *quod Dominus recessisset ab eo.* Cur dicitur, qui omnia novit, *nescire quod Dominus recesserit ab eo?* Nesciebat plane, quia scire nolebat, quam contemnenda mortis ignominia, quam graves essent contumeliæ, quam amara mortis sustinentia; *nesciebat* quia scire nolebat, quod derelinquendus esset a divinitatis potentia, quæ, nisi recessisset, et ad horam se subtraxisset, nullo modo mortem pati potuisset. Et ita nolenti scire mortis ignominiam obtulit se pro nobis hostiam vivam et immaculatam.

Possumus etiam alio sensu intelligere quod dicitur : *Nesciens quod Dominus recessisset ab eo.* Scire Dei est diligere Dei, nescire Dei est non diligere Dei. Hæc duo : Scire Dei et nescire ejus spectant ad duas voluntates ejus, quas habuit in ipso passionis articulo. Sicut enim erat Deus et homo, ita duas voluntates habuit ; unam divininatis, qua intendebat et desiderabat quod ad salutem humani generis necessarium erat; alteram humanitatis, qua mortem expavit, qua anima tenebatur, et in carne manere volebat, quemadmodum et in passione orat dicens : *Mi Pater, si possibile est, transeat a me calix iste.* In hoc dicto demonstratur, quod *nesciebat*, id est non diligebat, *quod Dominus recessisset*
A *ab eo,* scilicet quod fortitudo divinitatis recederet ab adjutorio humanitatis. Sed in eo quod mox ait : *Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat,* sciebat, id est diligebat secundum divinam voluntatem, ut Filius pateretur, et mundus salvaretur.

Quem cum apprehendissent Philisthiim, statim eruerunt oculos ejus. Evulsi sunt oculi Samsonis; evulsi sunt et oculi veri Samsonis, ex utero consecrati, Domini Salvatoris. Duo oculi Jesu duo erant populi, Judæi et gentes : Duo oculi ejus Adam et Eva, sive duo oculi Petrus et Judas. Duo oculi ejus Adam et Eva evulsi sunt, quando Adam, qui dexter oculus Dei erat, peccare in paradiso non extimuit. Erutus est ei sinister oculus Eva, dum, quæ pridem rectis luminibus ad Deum respexerat, ad sini-
B stram serpenti obaudiendo respexit. Amisit **387**
oculum dextrum, quando Petrus in voce ostiariæ ter illum negavit; amisit sinistrum, quando Judas, qui tradidit illum, laqueo sese suspendit.

Ductus est Samson Gazam, quod interpretatur *fortitudo*. Ductus est et Christus Gazam, dum ad aram crucis ductus est immolandus pro nobis, ubi tantæ fortitudinis opus consummavit, per quod ille fortis armatus inermis et invalidus effectus est. Clausus *in carcere molebat,* quia virtus dilectionis, quæ eum fecerat crucem ascendere, eadem fecerat eum carcerem et horrorem gehennæ expetere, ubi more molentis diligenter molere cœpit, quia bona et electa grana, sanctos scilicet suos, ad purum com-
C molita secum ducendo collegit; mala grana, malos videlicet et peccatores, qui digni eo non fuerunt, in mola diaboli dereliquit.

Jamque capilli ejus renasci cœperunt. Diximus superius, per *capillos* Domini apostolos posse intelligi. Hi *renasci cœperunt*, cum hoc, quod timore mortis aliquantum cesserant, amare pœnitendo diluerunt, et ob hoc in capite Jesu crescere et renasci meruerunt.

Convenerunt principes Philisthinorum in unum, ut immolarent hostias magnificas Dagon deo suo. Convenerunt et seniores plebis ac principes sacerdotum et Scribæ, *ut immolarent hostias Dagon,* quod interpretatur *piscis tristitiæ*, quando odium illud, quod lethalis tristitia in corde eorum pariebat, sic evo-
D muerunt ut incalescerent voces eorum dicentes : *Tolle, tolle, crucifige eum* (*Joan.* XIX, 15). Satiati sunt valde et lætati, cum Pilatus adjudicavit fieri petitionem eorum, et dimisso Barabba Jesum tradidit voluntati eorum (*Luc.* XXIII, 25). Ibi certe *hostias magnificas* diabolo *immolabant*, ibi votis et desideriis iniquis saturati Deum suum laudabant dicentes : *Tradidit nobis inimicum nostrum Samsonem in manus nostras.*

Lætantesque per convivia sumptis jam epulis præceperunt, ut vocaretur Samson, et ante eos luderet. Qui adductus de carcere ludebat ante eos. Quando, quæso, coram Philisthæis istis noster Samson lusit? Nimirum cum non dedignabatur a colaphizantibus velari, nec rejiciebat calamum, ab illudentibus sibi

pro sceptro in manu datum, neque **388** chlamydem coccineam, nec coronam spineam capiti impositam, neque Romanos milites genua sibi flectentes et risu regem se Judæorum salutantes aversabatur. Postquam in talibus satis lusit (erant enim ista omnia gaudium et lætitia cordis ejus) alio modo rursus ludere cœpit, quemadmodum subjungitur :

Feceruntque eum stare inter duas columnas. Duæ istæ columnæ duo sunt cornua crucis, super quæ extensa et suspensa sunt superni regis membra. Ibi *domus plena virorum ac mulierum* Samson ludentem exspectabat quia omnis Ecclesia cœlestium, terrestrium et infernorum huic spectaculo applaudebat, per quod citius se lætificari et redimi sperabat.

Qui dixit puero regenti gressus suos : Dimitte me, ut tangam columnas quibus omnis imminet domus, ut recliner super eas, et paululum requiescam. Puer iste, qui gressus Samsonis nostri dirigebat, divinitas erat, quæ cuncta humanitatis opera disponebat, quæ etiam tunc incredulis, quod nulla esset, videbatur. Sed non nulla erat, imo magna erat, jamque abscondite operabatur. *Dimitte me,* inquit, *ut tangam columnas.* Ac si Deo Patri dixisset : O fortis et præpotens divinitas mea, *permitte me* ascendere arborem crucis, *cui omnis imminet domus* Ecclesiæ meæ, sine qua nihil est validum, nihil sanctum, nihil tutum : *Ut ibi recliner, et paululum requiescam,* quia si non ibi inclinato capite spiritum meum tradidero ; et ibi dulciter non requievero, tot millia electorum meorum educere et liberare nequeo de inferno.

At ille invocato Deo suo ait : Domine Deus, memento mei, et redde mihi nunc pristinam fortitudinem meam, ut ulciscar me de hostibus meis, et pro amissione duorum luminum meorum unam expetam ultionem. Ac si Dominus noster Jesus Christus pendens in cruce confixis manibus, invocato Deo Patre, dixisset : Domine Pater, memento Filii tui pendentis in cruce ; da mihi ut pristina fortitudine, quam in cœlo exercui, projiciendo diabolum et angelos ejus, ita ut nunquam amplius restauretur ; sic modo eadem fortitudine in morte mea illum dejiciam et conteram, ut sicut in cœlo damnatus est et **389** projectus, ne habeat sedem et locum in cœlo, sic etiam conteratur, ne habeat sedem in terra, hoc est in electorum meorum cordibus ; conteratur etiam in inferno, ne potestatem habeat in electorum meorum animabus. *Et pro amissione duorum luminum* meorum. Adam et Evæ, qui oculi mei erant in paradiso, quos mihi, dum decepit, eruit, *unam recipiam in eis ultionem ;* nec non alios oculos meos, Job oculum meum, Moysen oculum meum, qui positi sunt in inferno, tollam eis reddens eos paradiso et cœlo. *Et apprehendens ambas columnas, quibus innitebatur domus, alteramque dextera, et alteram læva tenens, dixit : Moriatur anima mea cum Philisthiim.* Samson noster *ambas columnas apprehendit,* quando in cruce manus suas expandit, *et alteram dextera,* id est potentia et providentia divinitatis tenebat, qua originalis peccati crimina delevit et cœlum aperuit ; *alteram læva,* id est obedientiam, quam Deo Patri usque ad mortem exhibuit. Dixitque, imo oravit dicens : *Moriatur anima mea cum Philisthiim.* Volo, inquit, ut humana natura, quam suscepi, moriatur, et non solum moriatur, sed et *cum Philisthiim moriatur.* Quomodo, o Domine, anima tua cum Philisthiim moriatur? Ut mors mea, inquit, quam innocens sustineo, ita eis dominetur et prævaleat, ut potestas eorum funditus destruatur et intereat.

Concussisque fortiter columnis cecidit domus super omnes principes Philisthinorum, multoque plures interfecit moriens quam antea vivus occiderat. Concussisque fortiter columnis sanctæ crucis, id est emittente Domino Spiritum, hujusmodi operationis claruerunt signa, quod velum templi scissum est in duas partes a summo usque deorsum, petræ scissæ sunt, monumenta aperta sunt, et multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. Sed et simpliciter possumus dicere quod Samson noster columnas crucis concusserit, quando clamans exspiravit quia nonnulli, quod sæpe videmus, suspensi in patibulo, dum sunt prævalidi et fortes in robore, instante hora mortis innisi patibulo ligna crucis prævalide concutiunt. Et eo modo ipse Dominus noster, quia juvenis **390** et fortis erat, egrediente anima, fortiter crucis concussit ligna. Ibi *cecidit domus super principes omnes Philisthinorum.* Per domum hanc sancta Ecclesia designatur, quæ tunc casum bonum pertulit, quando Christus, qui est caput corporis Ecclesiæ, in morte occubuit. Quæ salubris hujus sanctæ domus ruina facta est super principes Philisthinorum, quia maligni spiritus, qui prius erant superiores, facti sunt inferiores, et per hunc casum Philisthæis, id est hostibus invisibilibus substratis et adnullatis cœpit Ecclesia superior esse et eminere. Tunc Dominus noster, Samson noster *multo plures interfecit moriens quam antea vivus occiderat,* quia licet in vita sua omnia bona et sancta docuerit, omnia bona ostenderit et fecerit, per hoc tamen Philisthæi ad plenum non sunt interfecti. Concussis autem columnis istis, ubi ipse mortem gustavit, *multo plures interfecit moriens quam antea vivus occiderat,* quia unquam, ut prius, tanta dominatione super mortalium genus regnabunt. Hinc est quod illum quem toto tempore vitæ suæ impie et flagitiose viventem suum esse gloriabantur, si ultimum trahens spiritum ex corde pœniteat, non gehennæ tortoribus, sed cœlorum annumerari doleant concivibus.

Jam, fratres charissimi, incarnationem, passionem, descensum ad inferos, resurrectionem Domini nostri audistis, et jam quid de sepultura ejus adjungatur advertite.

Descenderunt, inquit, *fratres ejus, et universa cognatio ejus, et tulerunt corpus ejus, et sepelierunt eum inter Saraa et Estahol.* Fratres Samsonis nostri apostoli et alii discipuli ejus erant, fratres ejus Joseph et Nicodemus fuerunt, qui accepto a Pilato corpore ejus ligaverunt linteis cum aromatibus, et posuerunt in monumento suo. Sed quid est, quod

inter Saraa et Estahol sepultus memoratur? Vult A hoc aliquid, si ipsa interpretatio nominum requiratur. *Saraa* interpretatur *carbones; Estahol ignis parturiens.* Quid per *carbones*, nisi nos miseri, nos carbones desolatorii? Quid per ignem parturientem nisi igniti illi lapides, angelicarum scilicet virtutum multitudines? Inter nos itaque, qui *Saraa*, id est *carbones* sumus, **391** et *inter Estahol*, quod sunt angeli incendentes, positus et sepultus est Dominus noster Jesus Christus. Sed non pari, imo diverso modo sepultum nostrum tenemus et tractamus. Illi enim tenent eum in re, nos in spe; illi de prope, nos de longe; illi in plenitudine, nos ex parte; illi gaudentes, nos dolentes; illi ardentes, nos in hoc mundo, tanquam in extranea domo, vix scintillam charitatis acquirentes. B Et tamen interim sepultum nostrum fideliter servemus; quibus possumus servitiis honorificemus, donec et nos post hujus vitæ exsilium mutemus imperfectum plenitudine, imaginem veritate.

Libet inter hæc quantum Deus donaverit de petra hujus historiæ oleum mortalitatis elicere, et succincte exponere quo ordine hæc in nobis agantur quæ de Samsone gesta referuntur. Multi nostrum Dalilam istam propter malitiam suam detestamur. Sed si nosipsos intueamur, quod illa semel visibiliter Samsoni fecit, nos Samsoni nostro Christo frequenter fecisse et quotidie, proh dolor! agere negare non possumus. O quoties post dulcia oscula et fœdera amoris ejus ipsum abjicimus, et a nobis repellimus, Philisthæos, hoc est malignos spiritus C advocantes, eis superiorem locum damus, ad decipiendum et perdendum in cordibus nostris amatorem animæ nostræ multas impietatum machinationes construimus! Per Dalilam, quæ interpretatur *situla*, caro nostra intelligitur, quæ semper portat aquam et honorem carnalis concupiscentiæ. Samson vero, qui interpretatur *sol eorum*, fidelis quilibet est, quem verus Sol justitiæ illuminavit per fidei agnitionem et meriti electionem. Hunc fidelem post multa interfecta millia vitiorum et peccatorum, post dulces divini amoris amplexus, Dalila ista, id est caro, nonnunquam decipit, dum carnalibus desideriis, quibus repugnare deberet, consentiendo succumbit. Quæ radit capillos, dum bonos affectus, D sanctas cogitationes, quæ per capillos intelligi possunt, homini aufert; radit capillos, dum innumeras et assiduas sacræ Scripturæ meditationes a corde distrahit; radit capillos, dum internam illam orationis et gustus Dei dulcedinem intercipit, et alienam Spiritui facit.

392 Vinctum post hæc Samsonem, hoc est animum hominis, Allophylis, impiis scilicet dæmonibus, exponit; quem comprehendentes et læti ambientes, utrisque oculis privare nituntur. Duo oculi hominis sunt spiritalis et litteralis sensus, vel duo oculi, intellectus et memoria. Hi duo oculi miserabiliter eruuntur, dum dominante carnali concupiscentia in homine, nec spiritualia præcepta intelligi, nec litteralis scientia haberi in memoria valet. Sic, sic miserabiliter dejectis et confusis non est desperandum, sed velocius, puer noster, id est humilis sensus est advocandus, ut videlicet humilitas sedeat in corde, quæ nos illuminet in opere, quæ nos ipsos quales simus in veritate scire et videre faciat, et si iste puer præsto erit, in viam rectam dirigentur pedes nostri.

Nam cum talibus supernæ visitationis tempus illuxerit, dicunt puero suo, id est humiliato spiritui suo: *Dimitte me, ut tangam columnas quibus omnis imminet domus, ut recliner paululum super eas et requiescam.* Istæ duæ columnæ, quas homo tangere, et super quibus paululum requiescere desiderat, duo bona sunt, quæ illum a carnalibus concupiscentiis possunt liberare, continentia corporis et custodia cordis. Quibus manu sanctæ operationis per misericordiam Dei attactis vigilet, necesse est, in continentia corporis, excubet diligentissime in custodia cordis, elevet ad Dominum vocem orationis dicens: *Domine Deus, memento mei, et redde mihi nunc pristinam fortitudinem meam, ut ulciscar me de hostibus meis, et pro amissione duorum luminum meorum unam expetam ultionem.* Hoc est dicere: Domine Deus meus, duo lumina, id est intellectum et memoriam, a te Creatore et benefactore meo accepi: sed ista lumina peccatis meis exigentibus amisi. Si ergo tuo justo judicio ista recipere dignus apud te non invenior, saltem nunc *redde mihi pristinam fortitudinem meam*, hoc est da ut nunc, sicut aliquando te donante potui, resistam vitiis, et exercere me satagam in bonis actibus.

Post hæc *concussis columnis multo plures interfecit moriens quam antea* **393** *vivus occiderat.* Concutit columnas, dum remotus a pigritia cordis ad laborem tendit bonæ operationis, et de bona operatione corporis ad custodiam cordis, et hæc duo ita connectit, continentiam corporis et custodiam cordis, ut non facile ea postmodum amittere queat. Sicque *multo plures interfecit moriens quam antea vivus occiderat*, quia etsi aliquando in seipso persecutus est vitia, tamen quia in humilitate non fecit, amittere quodammodo habuit, quod in humilitate non custodivit, et tunc eo magis [et] potentius vitia interficit, quanto perfectius et verius humiliari coram Deo elegerit.

Imploremus itaque Dominum nostrum Jesum-Christum, cujus hæc est solemnitas, in qua usque ad mortem humiliari voluit, ut veram nobis humilitatem concedat, faciatque sic nos imperiose mortis ejus dolorem attendere, ut compungamur et compatiamur et commoriamur, ut et quandoque conresurgamus et conregnemus per infinita sæcula sæculorum. Amen.

394 HOMILIA XLIII

IN DOMINICAM PALMARUM QUINTA

Verbum quod factum est ad Jeremiam a Domino dicens: Surge et descende in domum figuli, et ibi audies verba mea (*Jer.* XVIII).

Tempus Dominicæ passionis tempus est singulare

et præcipuum nostræ salutis et reparationis, quod etiam singulare in sacra Scriptura recipit vocabulum. *Passio* enim *Domini* nuncupatur, non quod quatuordecim diebus passus sit Dominus, sed quia his diebus contumeliæ verborum et multimodarum injuriæ passionum, quas a Judæis irrogatas suscepit, his diebus expressius referuntur.

Sciendum autem est quod eamdem unigeniti Filii Dei passionem idcirco quatuordecim diebus celebramus, quia ipse pro nobis in utroque homine passus est, in anima et corpore. In anima quidem pro nobis passus est per nimiam compassionem quam erga afflictionem et miseriam humani generis intus habuit, in corpore vero pro nobis passus est multas injurias et opprobria sustinendo, novissime ipsa mortis acerbitate pro nobis in cruce occumbendo. Non solum enim tunc Unigenitus Deus pro nobis passus est, quando crucifixus in mortem se tradidit, sed omnis vita et conversatio ejus, qua triginta tribus annis in hac vita conversatus est, dura quodammodo illi passio fuit, quia ab omni prosperitate et jucunditate, vitæque præsentis delectatione, prorsus extraneus sub persecutione cœpit, et sub persecutione hanc vitam finivit. Nam ut de eo in sacris evangeliorum libris legimus, adhuc tenellus et vagiens, adhuc matris ubera lambens propter Herodis persecutionem fugit in Ægyptum, parentum illuc ministerio deportatus, sicque totum vitæ suæ tempus sub persecutione degens, novissime eamdem reverendam vitam per passionem crucis consummavit.

Hanc Filii Dei passionem longe ante Jeremias propheta nomine et vita sua præfiguravit, qui a Deo propheta electus, antequam in utero formaretur, in vulva matris sanctificatus singulari quadam sanctitate et innocentia inter cæteros prophetas emicuit. Isaias denique et David, et cæteri prophetæ, quamvis sancti essent et electi, conjugio tamen copulati licite hoc mundo utebantur. Sed Jeremias Domino sibi præcipiente et dicente : *Non accipies uxorem in hoc loco, et non erunt tibi filii* (*Jer.* XVI, 2), in virginitate permansit, multasque tribulationes, angustias et passiones pro veritate et justitia a Judæis perpessus, singularem innocentiæ Agnum nomine et
395 passione sua designavit. Jeremias enim interpretatur *excelsus Dominus*. Quis in isto excelso Domino justius valet exprimi quam unigenitus Dei Patris Filius, qui secundum divinitatis suæ excellentiam angelorum et hominum est Dominus ? Ad hunc *excelsum Dominum* verbum Domini factum est, de quo in Jeremia sic legimus :

Verbum quod factum est ad Jeremiam a Domino, dicens : Surge et descende in domum figuli, et ibi audies verba mea. Quando ad aliquem verbum hoc dicitur : *Surge*, hic profecto aut sedere, aut jacere cognoscitur. Sedere autem vel jacere quiescentis est, surgere vero vel stare laborantis et pugnantis est. Igitur unigenitus Dei Filius in sinu Dei Patris, in accubitu suæ æternitatis quietus residebat, quietus recumbebat, antequam visibilis fieret, antequam in carne homo factus appareret. Ad ipsum *ergo* tali modo requiescentem, tali modo in jucunditate et deliciis suæ divinitatis recumbentem Deus Pater invisibiliter et indicibiliter occulto suo judicio et consilio, arcano verbo ut surgeret admonuit. Quando eum pro salute humani generis incarnari fecit, his verbis eum alloquitur dicens : *Surge et descende in domum figuli.* Ac si diceret : Quia in divinitate tua, in qua mihi coæternus et coæqualis es, dolores et passiones, quibus hominem perditum instaurare et renovare debes, sustinere non vales, *surge* de hac dulci et delectabili quiete et ad certamen laborum et tribulationum, mortisque acerbitatem teipsum præpara. Sicque exsurgendo *descende in domo figuli* carnem assumendo, ut per labores et afflictiones assumptæ humanitatis perdito homini subvenias.

Sed videamus nunc quis in figulo isto possit intelligi, vel quid in domo figuli hujus valeat accipi. *Figulus* iste Deus Pater est, *figulus* etiam iste Dei Filius secundum divinitatem suam est, qui secundum potentiam divinitatis suæ omnia cum Deo Patre finxit et creavit. Iste præpotens figulus cum Deo Patre secundum divinitatem creans et formans omnia, secundum humanitatem *domus* hujus *figuli* fuit, quia a Deo Patre secundum assumptum hominem creatus est. Et quia figulus vas, quod fingere 396
voluerit, de luto fingit et componit, recte per *domum figuli* assumpta humanitas Filii Dei potest designari, quæ licet incorrupta et incontaminata fuerit, de luto tamen humanæ naturæ et conditionis, id est immaculatum corpus assumere voluit, suæque divinitati coadunavit. Nam sicut primus homo Adam a Deo plasmatus de limo terræ formatus est, sic et secundus Adam, homo Christus Jesus, a Deo Patre de limo terræ quodammodo est formatus, quia de virginea carne, quæ ex eadem lutea massa est progenita, carnis materiam assumpsit.

Possumus etiam per *domum figuli* beatam Dei Genitricem Mariam intelligere, in qua idem figulus, Dei Filius carnem assumendo quasi in domo propria habitavit. Sequitur :

Et ibi audies verba mea. Quod idem est ac si Deus Pater Filio suo in divinitate sua posito dixisset : Verba mea ad salutem humani generis profutura in divinitate tua adimplere non vales, quia in divinitate tua afflictiones et miserias pro humano genere pati non poteris. Sed si *in domum figuli* descenderis, si homo factus fueris, *ibi audies verba mea*, ibi profecto verbis meis obaudies, quia passiones et dolores, quas divinitas admittere non potest, in assumpto homine sustinebis. Hæc verba, ut prædiximus, verba sunt Dei Patris in æternitate sua Filium suum alloquentis. Sed verba sequentia verba sunt unigeniti Filii Dei, Deo Patri in assumpta humanitate ad salutem hominum voluntarie obedientis. Unde et sequitur :

Et descendi, inquit, *in domum figuli, et ecce ipse faciebat opus super rotam. Descendi*, inquit Filius Dei Patri obediendo, et in ipsa obedientia corpus

mortale assumendo, et sic me descendente, *ecce ipse figulus faciebat opus super rotam.* Opus istud nobile et egregium, quod figulus noster Deus Pater operatus est sacrosanctum corpus unigeniti Filii Dei fuit, quod sic potentia divinitatis suæ in beata Virgine operari dignatus est, ut absque virginali corruptione, sine virili commistione Deo Patre et Spiritu sancto in carne **397** ejus solummodo operante Deum et hominem Virgo pareret. Et bene opus istud in quo incarnatio unigeniti Filii Dei designatur, dicitur fecisse' *super rotam.* Nam opus istud tam præclarum est et præcipuum, ut excellentia et sublimitate sua universa opera Domini præcellat, quæ aut in cœlestibus, aut in terrestribus est operatus. *Super rotam* autem hoc opus fecisse dicitur; nam per rotam, quæ volubilis est, et semper relatu suo ad ima devolvitur, satis congrue genus humanum potest designari. Hæc rota, universum scilicet genus humanum, ut rota ab initio mundi volvebatur, et in originali culpa ad ima dilabebatur, quia nullus mortalium ab initio sæculi expers esse potuit quin in originali culpa conciperetur et nasceretur. Sic quippe ordo generationis usque ad Christum descenderat et pervenerat, ut unusquisque ab altero in peccato conciperetur et nasceretur, nullusque tam sancte et innocenter in hac vita subsistere potuit, nisi tamen post finem hujus mortalitatis velut in peccatis natus ad inferni profunda descenderet. Sed solus ille mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, *super* hanc *rotam* fuit quia solus sine peccato conceptus et natus est. Et quia in his prophetæ verbis tria nobis exprimuntur sacramenta, incarnationis, passionis, resurrectionis, jam præmisso incarnationis mysterio ad enarrandum passionis et resurrectionis mysterium ingreditur. Sequitur enim :

Et dissipatum est vas quod ipse faciebat e luto manibus suis. In vase isto corpus Dominicum est accipiendum, quod videlicet sacrosanctum corpus vas fuit insitæ sibi divinitatis. Et tamen vas istud nobile Deus Pater artifex *e luto* fecerat manibus suis. Fecerat quippe vas istud *e luto* quia, ut prædiximus, ex lutea massa humanæ conditionis corpus immaculatum unigeniti Filii sui sine peccato et commistione virili concipi et nasci fecit. Et hoc *manibus suis*, id est virtute et potentia divinitatis suæ. Quod *vas* divinitatis tunc *dissipatum est*, quando pro salute humani generis in morte occumbens sanctum corpus in cruce pendere permisit, et cum sancta anima carne soluta ad inferni claustra descendit. **398** Ita vase isto dissipato, ita Christo Jesu in cruce passo ad resurrectionis gloriam mox propheta sanctus spiritu prophetico plenus verba convertit dicens :

Conversusque fecit illud vas alterum, sicut placuerat in oculis ejus, ut faceret. Deus Pater propter primi parentis inobedientiam aversus fuerat ab omni humano genere. Hic paries inimicitiarum tandiu inter Deum et homines erat obfirmatus, donec ipse Filius Dei passione et morte sua æterno Patri Adæ de-

A bitum solveret. Nam licet baptizato eodem Domino nostro Jesu Christo paterna vox de cœlis super eum intonuerat dicens : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* (*Matth.* III, 17), tamen omnes adhuc descendebant ad inferos, sicut prius ante Christi incarnationem descenderant, nullusque hominum, quanquam justus et sanctus, regnum poterat intrare cœlorum. Sed vase isto dissipato, Salvatore nostro in carne crucifixo, lanceaque militis latere ejus aperto, dum sanguis et aqua efflueret, tandem originali peccato deleto, peccatorum facta remissione, Deus per mortem Filii sui placatus ad reconciliationem humani generis ab ira sua est conversus. Sic per mortem et passionem Filii sui ab ira *conversus, fecit* corpus unigeniti Filii sui in resur-
B rectione *vas alterum*, in gloria quidem *vas alterum*, sed idem in natura, *sicut* ante mundi constitutionem *in oculis* divinæ majestatis *placuerat*, ut unicum Filium suum gloria et honore post resurrectionis triumphum clarificaret. De hac clarificatione Paulus apostolus dicit : *Christus resurgens a mortuis jam non moritur; mors illi ultra non dominabitur* (*Rom.* VI, 9). Dedit ergo et nobis in resurrectione et glorificatione sua spem futuræ resurrectionis, quoniam et nos in eodem corpore in quo nunc vivimus sumus resurrecturi, sed *alterum vas* in gloria futuri, cum incorruptionis et immortalitatis compendio donati ab ipso fuerimus in resurrectione coronati, qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

C
399 HOMILIA XLIV

IN DOMINICAM PALMARUM SEXTA.

Dixi : Ascendam in palmam, et apprehendam fructus ejus (*Cant.* VII).

De Dominicæ passionis memoria, quam sancta Ecclesia solemni devotione quatuordecim diebus suscepit celebrandam, non sine causa actum est, sed Spiritu sancto ordinante dispositum credimus ut opus nostræ redemptionis idcirco duabus septimanis celebraretur, quia mystice in eis aliquid latet quod in fidelibus Christi in præsenti et in futura vita Deo auxiliante perficietur.

In prima ergo septimana, in qua commemorationem Dominicæ passionis incipimus, quæ tota plena
D est mœroris et tristitiæ, totum tempus vitæ præsentis possumus accipere, in quo electi Domini passionibus Christi configurati, in ærumna et labore hujus exsilii tristantur et anxiantur. Hac igitur flebili vita peracta in fine hominis, sequitur secunda septimana, quæ in gaudio quidem incipit, sed tamen luctu et mœrore permista est. Primus igitur dies hujus septimanæ, dies videlicet Palmarum, qui in lætitia et exsultatione magna celebratur, potest significare finem electi cujusque hominis, cum a vinculis hujus vitæ absolutus liber de hoc mundo egreditur. Hic talis egressus vere electis Domini erit jucundus et festivus quia, dum se per Dei gratiam recognoscunt vicisse carnem propriam, mundum et diabolum, cum palma victoriæ gaudenter occurrunt Do-

mino. Quibus sancti angeli applaudentes, et cum palmis obviam procedentes cum gaudio eos suscipiunt, et in palatium sempiterni regis introducunt.

Hunc celebrem diem Palmarum sacra Scriptura non reticuit, sed per os Salomonis regis in Canticis canticorum ita futurum prædixit dicens: *Dixi: Ascendam in palmam, et apprehendam fructus ejus.* In palma victoria sanctæ crucis designatur. In palma quoque, si simplicem sensum velimus accipere, diem hodiernum **400** prænotatum fuisse possumus advertere, in quo Salvator ascendens Jerosolymam, quæ utique in eminentiori et altiori loco posita est, illic cum palmis, hymnis et laudibus a turbis fidelium honorifice voluit suscipi. Si enim solummodo in his verbis victoriam sanctæ crucis vellet intelligi, profecto ita convenienter dicere potuisset, *ascendam in crucem*, sicut dixit, *ascendam in palmam*. Sed gloria hujus diei, in qua pro nobis passurus Jerosolymam ascendit, breviter a Spiritu sancto prænotata est. Dixit ergo olim Dei Filius, quod ascensurus esset in palmam, quando in æternitate sua constitutus longe ante cum Deo Patre condixerat et præordinaverat, ut pro salute humani generis in palmam sanctæ crucis vellet ascendere, ubi genus humanum a potestate diaboli liberaret, suoque dominio mancipar... Ergo cum in palmam ascendit, cum expansis manibus in cruce pependit, *fructus palmæ apprehendit.* Quinam sunt fructus hujus palmæ nisi totum genus humanum, quod tunc *apprehendit*, cum in cruce moriens sibi passione et morte sua copulavit.

Et bene dicit, *apprehendam*. Nam quod apprehenditur, prius fugisse cognoscitur. Fugerat quippe Deum peccando omnis humana natura, nec salvari poterat, non solum ante Christi adventum, sed etiam post Christi nativitatem. Quamvis enim pro peccatoribus natus fuisset Dominus, et eos doctrinæ suæ gratia illuminasset, multaque signa ostendisset, his tamen omnibus peractis nequaquam eos *apprehendit*, sed adhuc omnes ab eo fugiebant, quia electi cum reprobis ad inferos descendebant. Novissime vero, dum in cruce occubuit, tunc veraciter eos qui se fugerant *apprehendit*, sibique ita conglutinavit ut non solum justi et innocentes, verum etiam peccatores, si ante mortem pœnitentiam egerint, cœlestis regni mereantur introitum.

401 Ad hanc gratiam humano generi obtinendam et perficiendam hodierna die Dominus ascendit Jerosolymam, ubi cum ramis palmarum solemniter est susceptus. Per hanc jucundam diem, ut superius jam diximus, significari potest finis vitæ nostræ, in qua cum palma victoriæ ab hac vita transeuntes a sanctis angelis suscipiemur. Hunc lætum et gloriosum diem sequuntur alii dies, qui tristitia et mœrore aliquantulum sunt admisti, quia plerumque electi Domini, qui ad plenam perfectionem et purgationem in hac vita non potuerunt pervenire, post finem vitæ purgatorio igne habent emundari. Est et alia causa hujus tristitiæ, quam electi Domini carne soluti habent post finem hujus vitæ. Quandiu enim fidelem sui co-

A agonistam, corpus videlicet, in quo laboraverunt pro Domino, in consortium gaudii sui immortale et incorruptibile percipere non merentur, ob hoc tristantur. Sed hæc tristitia octava die Paschæ resurrectionis Dominicæ abolebitur, cum morte absorpta in victoria bino potiti gaudio, corporis et animæ, resurgent in Domino. Unde in processione hodierna non cappis induimur, sed albis, quia exeuntes de corporibus sanctorum animæ nunc in sola anima gaudebunt et remunerabuntur, jacente adhuc corpore in terræ pulvere. In cantoribus autem, qui Conventum cum Versibus suscipiunt, quique albis et cappis vestiuntur, sanctos angelos possumus accipere, qui ad suscipiendas electorum animas a Deo sunt præordinati, quibus non injuste cappa congruit, quæ in
B anteriori parte lata est et aperta, quia ipsi ab omni corruptione et miseria vitæ præsentis liberi plena felicitate perfruuntur. His cappis et nos quandoque vestiemur, cum in die resurrectionis nostræ cum corpore et anima resurgentes exhilarabimur, cum corpus, quod nunc oneri [est], immortalitate et incorruptione ornatum, fuerit honori, ubi tanta libertate et gloria remunerabitur anima, ut ubicunque ipsa voluerit, absque ullo impedimento vel pondere statim adsit corpus.

Sed quia omnis homo, antequam ad hanc celsitudinem perveniat, multas fraudes insidiasque inimici et tribulationes in fine vitæ suæ est passurus, bene **402** hodierna die in Benedictione palmarum canimus: *Collegerunt pontifices et Pharisæi concilium, et*
C *dicebant: Quid facimus, quia homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum. Ne forte veniant Romani et tollant nostrum locum et gentem* (*Joan.* XI, 48). In pontificibus et Pharisæis malignos spiritus possumus intelligere, qui appropinquant hora mortis uniuscujusque fidelis hominis. Concilium suum congregant, cum varia machinamenta multasque insidias ei præparant, ut eum a spe æternæ beatitudinis dejectum miserabiliter decipiant. Ad hoc namque solum intendunt, ut consilio et suggestionibus suis deceptum secum ad tormenta trahant. Et ideo collecto concilio dicunt: *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* Cum enim perspexerint hominem peccatorem a misera vita sua in melius
D commutari, et per confessionem cæteraque bona opera circa finem vitæ suæ semetipsum præparare, hæc sunt signa quæ maligni spiritus nimis abhorrescunt fieri ab homine, visisque talibus signis timent, ne ab eorum dominio et consortio elapsus, consors regni cœlestis efficiatur, et in Christo Jesu Domino nostro inveniatur. Hoc timore et dolore moti maligni spiritus recte adjungunt: *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum.* Si, inquiunt, hunc peccatorem jam pœnitentem ita a nobis effugere permittimus, si eum perversis suggestionibus et insidiis non subvertimus, non tantum in isto solo detrimentum patiemur, sed cæteros quoque peccatores amittemus, qui exemplo conversionis ejus ad pœnitentiam revocabuntur. Credent enim se quoque per pœnitentiam

posse salvari, et sic omnes, quos sub potestate nostra tenemus, a nobis effugient.

Ne forte, inquit, *veniant Romani, et tollant nostrum locum et gentem.* Romani *tonantes* interpretantur, per quos sanctos angelos possumus intelligere. Timent ergo maligni spiritus, si hominem pœnitentem a tentationibus quiescere permiserint, quod sancti angeli veniant, et locum, quem sibi in eorum cordibus præparaverant, tollant, et gentem vitiorum, quam in eis per prava opera nutriebant, penitus amittant. **403** His suspicionibus laborantes maligni spiritus tractant et meditantur, quomodo ei prævaleant. Unde et sequitur :

Ab illo ergo die cogitaverunt interficere eum. Ab illa quippe illuminatione qua a Deo visitatus est, ita terrentur ut omnimodis studeant quomodo fallacia et dolis suis æternæ vitæ jam proximum interficiant. Inter has angustias et insidias deprehensus homo necesse habet ut ex intimo cordis affectu preces ad Deum dirigat, ne auxilio ejus destitutus pereat, et sicut hodie in Introitu missæ canimus, ad Deum proclamet dicens : *Domine, ne longe facias auxilium tuum a me, ad defensionem meam aspice, libera me de ore leonis, et a cornibus unicornium humilitatem meam* (*Psal.* XXI, 20-22). Quem cum Dominus ad se clamantem exaudierit, et a laqueo hujus sæculi liberaverit, et ad se venire jusserit, dignas gratiarum actiones liberatori suo offeret, dicens Graduale : *Tenuisti manum dexteram meam in voluntate tua, deduxisti me, et cum gloria assumpsisti me* (*Psal.* LXXII, 24). Ac si dicat : Tu, Domine, manum dexteram meam tenuisti, qui me inter hujus vitæ tentationes cadere non permisisti, et in voluntate tua me deducens, tentatorem, ne mihi prævaleret, fortitudine brachii tui superasti, et ad te videndum modo cum gloria assumpsisti.

Sic salvatori et liberatori suo devotas gratias offerens, viso suo Domino quem desideravit in Graduali, Versu admirando subnectit, dicens : *Quam bonus Israel Deus rectis corde !* (*Ibid.* 1.) Post admirationem de Dei bonitate habitam statim oculos cordis ad propriam miseriam considerandam, de qua exivit, reflectit dicens : *Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei,* **404** *quia zelavi in peccatoribus pacem peccatorum videns* (*Ibid.*, 2). Ac si dicat beata anima : Ego quidem, Domine, inter tentationes sæculi constituta funditus periissem, in periculo mortis constituta penitus desperassem, nisi, tu, Domine, gratia tua me adjuvisses, et auxilio tuo protegente labi non permisisses.

Ad has rursus tentationes, quas passura est anima in mortis articulo, totum pertinet quod sequitur in missa, Tractus, Offertorium, Communio. Nonne bene anima in agonia posita, mortisque angustiis circumdata Tractum hunc concinit dicens : *Deus, Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti? Longe a salute mea verba delictorum meorum !* (*Psal.* XXI, 2.) Nullus denique homo tam sancte et innocenter vivit

(31) Ita cod.

A in præsenti vita, qui non appropinquante mortis hora angustetur, tristetur et pavescat. Unde in Offertorio recte subjungitur : *Improperium exspectavit cor meum et miseriam ; et sustinui, qui simul contristaretur, et non fuit ; consolantem me quæsivi, et non inveni ; et dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto* (*Psal.* LXVIII, 21, 22). Consolantem tunc requirit anima, sed minime invenit, quia in solius Dei judicio ejus pendet consolatio. Quod bene provida anima sciens et metuens, in fine missæ, quasi in fine vitæ suæ orat, dicens : *Pater, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua* (*Matth.* XXVI, 42). Quod idem est, ac si dicat : Scio, Domine Pater, quia sententia divinitatis tuæ dictante de hoc sæculo non possum transire,
B nisi mortis asperitatem experiar mortisque aculeos sustineam. Ergo, quoniam impossibile est ut calicem istum non bibam, fiat voluntas tua, quia voluntas tua bona et gloriosa est.

405 HOMILIA XLV.

DE TEMPORE PASCHALI (31) PRIMA.

Dixit Achis ad David : Scio quia bonus es tu in oculis meis, sicut angelus Dei, sed principes Philisthiim dixerunt : Non ascendat nobiscum in prælium (*II Reg.* XXVIII).

Sanctæ et venerandæ paschalis solemnitatis festivitas, quæ per mundum universum nunc celebratur, longe ante in patribus nostris præfigurata est, maximeque in verbis et operibus duorum illorum patriarcharum Abrahæ et David prænuntiaba-
C tur, quibus etiam singulariter et specialiter Filius Dei olim promittebatur. David enim ille egregius psaltes, tam factis mysticis quam et dictis propheticis, eumdem, qui factus est genus et radix David, specialius significavit. Nam in omni prophetia sua unius psalmi testimonium non prætermisit, quin aliquid de Christo Domino suo, Filio suo, dixerit. Qui David quando et quomodo in figura veri David victus sit breviter audiamus.

Legimus quod populus ille Hebræorum, quem sibi Dominus de omni numero totius plebis in peculium elegit, magistros haberent, quemadmodum illis constituit, primum Moysen ejusque successores, deinde Samuelem, qui eos non in vanitate
D elationis, sed in spiritu Dei et veritate juste et regaliter judicabat. Quibus propter superbiam contenti et subditi esse nolentes regem sibi constitui postulabant, et petitio eorum in oculis Domini displicuit, dixitque ad Samuelem : *Audi vocem populi hujus in omnibus quæ loquitur tibi. Non enim te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos* (*I Reg.* VIII, 7). Licet enim verbum istud in oculis ejus displiceret, fieri tamen permisit. Est enim aliud quod per malitiam hominum fieri permittit, aliud quod clementer fieri præordinat, et fieri suaviter disponit. Unde est illud in psalmo : *Et dimisi*, inquit, *eos secundum desideria cordis eorum ; ibunt in adinventionibus suis.* Si *populus meus audisset me, Israel si in viis meis*

ambulasset, pro nihilo forsitan **406** *inimicos eorum humiliassem, et super tribulantes eos misissem manum meam* (*Psal.* LXXX, 13-15). Dedit igitur eis Saulem regem, sub cujus potestate grandem pœnam, grandem confusionem, juxta quod merebantur, passi sunt. Sed, quamvis eis in furore suo regem dederit, solitæ tamen pietatis et misericordiæ non est oblitus. Misit enim Samuelem, qui occulte David puerum in regem ungeret, de quo ipse, *inveni*, inquit, *virum secundum cor meum*, qui dux et rector esset super populum ejus.

Per hunc populum iniquum, qui Saulem regem petivit Dei inimicum, omne humanum genus exprimitur, quod in primo parente nostro Adam et Eva prævaricante peccavit. Qui primi parentes nostri ita nobiliter creati erant, quod ipse Dominus Pater et protector ac rex eorum solus esse voluit. Sed hoc bono ejus non contenti iniqui Saulis, id est diaboli, dominio se mancipaverunt, dum per serpentem seducti vetitum pomum comederunt. Unde omnis sequens posteritas eorum sub ipso rege innumera mala tandiu perpessa est, donec David, *manu fortis*, id est Christus, novus rex in mundo nasceretur, qui Philisthæum illum, scilicet diabolum, mirando duello expugnare aggrederetur, et fundam manu hinc inde contorquens, lapidem vivum jaceret, id est sanctam animam innumeris contortus passionibus emitteret dicens ad Patrem: *In manus tuas commendo spiritum meum* (*Luc.* XXIII, 46), et sic adversarium nostrum prosterneret atque deleret.

Sub hujus itaque dæmoniaci regis tandiu, ut diximus, potestate tenebantur, quoadusque miseratus Dominus descenderet de sinu Patris, et sicut quondam David occulte in regem unctus est, sic et ipse occulte nimis et in abscondito nasci dignatus est.

407 Principes enim hujus mundi gloriosa nativitas ejus latuit, quia qua via, quo ordine, qua potestate regnum diaboli destruere vellet, nondum intelligebatur, nondum agnoscebatur. Natus autem mansit et fuit in regno diaboli. Quare autem dico eum fuisse in regno diaboli? Non sic eum dico fuisse in regno diaboli, ut voluntate et actione aliquando deliquerit, sed eo modo dico eum fuisse in regno diaboli, quia in mundo, qui totus regnum diaboli fuit, nobiscum mansit, inter nos peccatores liber a peccatis omnibus vixit et conversatus est. Sub quo rege in diebus carnis suæ multa adversa, multas persecutiones passus est. Nam mox natum Herodes persequi cœpit, e cujus manibus puerulus adhuc tenellus in Ægyptum fugit, cunctisque diebus vitæ suæ sub Saule, id est diabolo, et membris ejus pari, nobiscum dolore et tentatione absque peccato affectus est. Nam quod contradictiones in doctrina, in miraculis irrisiones, illusiones, sputa, colaphos, flagella usque ad mortem instigante diabolo per membra ejus sustinuit, totum hoc fuit esse in regno diaboli. Erat etiam eo modo

A in regno diaboli, quia dum triginta et eo amplius annos in hoc mundo videretur et viveret, nullus electorum suorum sarcina carnis deposita cœlorum regnum ingredi potuit. Unde electus et dilectus præcursor ejus Joannes, de quo ipse quod in natis mulierum nemo major surrexit testatur, eo vivente ad inferos descendit.

Cum ergo Saul persequeretur David sanctum, fugit illuc ubi tutum sibi esse putavit, et venit ad Achis, qui dedit ei Siceleg urbem ad habitandum, sicut liber Regnorum testatur. *Dixit*, inquit, *Achis ad David: Scio quia bonus es tu in oculis meis, sicut angelus Dei. Igitur consurge mane, tu, et servi tui qui venerunt, et cum de nocte surrexeritis, et cœperit dilucescere, pergite. Surrexit itaque David de nocte,*
B *ipse et viri ejus, ut proficiscerentur mane et reverterentur ad terram Philisthiim.*

Si omnia, quæ tunc agebantur figuræ erant futurorum, invenimus David nostrum, id est Christum, in omnibus persecutionibus suis ad Achis confugisse. Achis interpretatur *frater meus vir.* **408** In fratre isto, qui cum additamento *vir* nuncupatur, fortis Dei Patris divinitas potest intelligi. Quæ bene et *frater* et *vir* nominatur. Magnam enim, ut ita dicam, cognationem ad invicem habent divinitas et humanitas, ita ut qui verus est Deus, verus sit et homo; et qui verus homo, verus et perfectus sit Deus. Ad Achis itaque David confugit, quia ad Deum Patrem Filius confugit, quem per divinæ fortitudi-
C nis suæ potentiam in omnibus semper protexit et adjuvit. Dixitque, et veraciter Filio suo dicere potuit: *Scio quia bonus es tu in oculis meis.* Filius ille altissimi bonus erat in oculis Dei Patris, quia ex die qua natus est, usque in diem qua assumptus est, nihil unquam aut voluntate vel actione commisit, unde oculos offenderet Dei Patris

Ad quem Deus Pater: *Surge*, inquit, *mane, tu et servi tui.* Deus Pater Filio suo, qui humilis apparuit, contemptus est, flagellatus est, ut *mane* devicta omni corruptione resurgeret, præcepit, quemadmodum longe ante David in persona Dei Patris Filium resuscitantis, ait: *Exsurge, gloria mea, exsurge psalterium et cithara* (*Psal.* LVI, 9). Et Filius: *exsurgam diluculo* (*ibid.*), id est impassibilis et im-
D mortalis ero. Quæ resurrectionis gloria mox infertur, cum subjungitur:

Cumque venissent David et viri ejus in Siceleg die tertia, Amalecitæ impetum fecerant ex parte australi, et captivas duxerant mulieres ex ea a minimo usque ad magnum, et non interfecerant quemquam, sed secum duxerant, et pergebant itinere suo. Nonne his verbis vera et manifesta Domini, aliorumque sanctorum, qui cum eo surrexerunt, resurrectio innuitur? Sicut enim David *die tertia* venit cum viris suis in Siceleg, sic verus David noster Christus die tertia a mortuis resurgens, venit cum viris, scilicet electis suis, quos resuscitaverat, et apparuit in civitate sancta Jerusalem. Per *Siceleg* namque, quod *defæcatio* interpretatur, Judæa sive Jeru

salem potest accipi, quam Christus passione et morte sua defæcaverat, id est purgaverat, et a peccatorum fæce sanguine suo emundaverat. Veniente autem David in Siceleg, *Amalecitæ impetum fecerant ex parte australi*. Amalacitæ, qui *populus lambens* interpretantur,
409 spiritus sunt maligni, omnia consumentes, omnia ad nihilum, quæ possunt, redigentes. Hi *impetum fecerant ex parte australi*, quando passo et mortuo Domino, apostolos aliosque Christi fideles et electos in incredulitatis et dubietatis diffidentiam duxerunt. *Et captivas duxerant mulieres ex ea*, id est animas in fide molescere fecerunt, quæ fortes in fide esse debuerant. Et hoc *a minimo usque ad magnum*. De minimis, ut ita dicam, Maria Magdalene, ejusque consimiles erant: de magnis magni apostoli. Magnus, inquam, Petrus, magni alii ejus condiscipuli, quos omnes *Amalecitæ* quasi *captivos duxerant*, quando instinctu malignorum spirituum in fide dubitabant. Nonne satis duram captivitatem Petrus sustinuit, quando ter Dominum negavit? Nonne Thomas per hunc Amalecitarum populum captivus ductus est, quando narrantibus aliis condiscipulis quod viderint Dominum, respondit et dixit: *Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, et mittam manum meam in latus ejus, non credam* (*Joan.* XX, 25). Nonne ipso die Dominicæ resurrectionis duo ex discipulis ejus euntes in castellum Emmaus, magna cordis captivitate detenti, tristes ad invicem ea, quæ Domino et magistro suo acciderant, referentes aiunt: *Nos sperabamus quod ipse redempturus esset Israel?* (*Luc.* XXIV, 21.) Eo itaque modo *mulieres*, id est infirmas animas electorum Christi captivaverant, sed tamen *non interfecerant*; quia licet in fide resurrectionis Christi adhuc dubitarent, intimæ tamen dilectionis fervor et affectus in eis exstinctus non est, quo erga Dominum et Magistrum flagrabant. Illa enim Maria Magdalene, quæ idcirco aromata sua emerat, ut ungeret corpus ejus, licet perfecte nondum crederet in eum, immenso tamen desiderio et ardore dilectionis ipsius æstuabat. Hos igitur omnes Amalecitas, maligni videlicet spiritus, quamvis, ut diximus, non interficerent, secum tamen non credentes duxerant. *Et pergebant itinere suo*. Ad inferni claustra, quo omne genus humanum descenderat, secum deducere et *itinere suo*, quo soliti erant, ad inferos *pergere* volebant. Quod utique iter, ne pii discipuli ejus pergerent, verus David noster intervenit, juxta quod sequitur:

410 *Cum ergo venisset David et viri ejus ad civitatem, et invenissent eam succensam igni, et uxores et filios et filias suas esse captivas, levaverunt David et populus, qui erat cum eo, voces suas, et planxerunt donec deficerent in eis lacrymæ*. David veniens ad civitatem suam, id est Christus resurgens a mortuis cum electis suis invenit civitatem suam a populo Amalecitarum *succensam igni*, id est malignorum spirituum odio et instinctu dilectissimum sibi populum in fide dubitasse. *Et levaverunt David et populus, qui erat cum eo, voces suas, et planxerunt, donec deficerent in eis lacrymæ*. Planctus iste, quo David et populus ejus plangit, planctum et dolorem illum significat, quem verus David in corde uniuscujusque electi sui amare pœnitentis suscitavit, et pro hoc quod timore mortis aliquantulum cesserant, amare flere et lugere fecit. Sic enim legitur in Evangelio, quomodo Petrus planxerit quomodo post trinam negationem egressus amare fleverit. Et quod ille fecit, haud dubium quin et alii fecerint. Planxerunt autem, *donec deficerent in eis lacrymæ*, quia quando lacrymæ diluerunt, quod peccaverunt, tunc utique lacrymæ in eis defecerunt.

Siquidem et duæ uxores David captivæ ductæ sunt, et contristatus est David valde. Spectant hæc omnia ad gloriosum et fortem David, id est Christum. Duxerat ille *duas uxores*, quia duas sibi sponsas, Judæorum scilicet et gentium, Ecclesiam in fide et dilectione conjunxerat; Amalecitæ, inimici, ut diximus, humani generis tulerunt, *et captivas duxerunt*, quando utrumque populum una eademque via ad inferos magna dominatione deduxerunt. Sic, sic abductis uxoribus David, nunquid æquanimiter tulit? Minime, sed *contristatus est valde*. Sed et noster David, Deus supra nos, homo propter nos pro uxoribus et filiis suis et filiabus *contristatus est valde*, primo quod omne genus humanum diabolus possederat, et reos suppliciorum chirographo tenuerat peccatorum, doluit quoque quod electi filii et discipuli ejus glorificatum et resuscitatum a Patre Filium minime credere potuerunt. Inde est quod subjungitur.

411 *Volebat enim eum populus lapidare, quia amara erat anima uniuscujusque super filiis et filiabus*. Quando, rogo, mœrentem et contristantem David nostrum populus voluit lapidare, nisi, quando in lapideo corde durantes de gloria resurrectionis tandiu dubitabant? Unde sicut legimus, *recumbentibus illis apparuit et exprobravit incredulitatem illorum et duritiam cordis, quia his qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt* (*Marc.* XVI, 14). Sic et sic prævalentibus inimicis ad debellandos et expugnandos eos David noster, vere *manu fortis* sese præparavit, juxta quod subjungitur:

Confortatus est autem David in Domino Deo suo. Deus enim *Pater* Filii fortitudo erat, quia eum in omnibus adjuvabat, ipseque David, id est Filius Dei, Deum Patrem consuluit, *si latrunculos*, malignos videlicet spiritus, qui nobilem ejus creaturam rapuerant, et ad inferni claustra devexerant, ipse *persequi* moriendo et descendendo ad inferos deberet. Et ut eosdem inimicos suos insequeretur et persequeretur, a Deo Patre mandatum accepit. Ait enim:

Persequere; absque dubio enim comprehendes eos, et excuties prædam. Redemptor etenim noster, per mysterium crucis omnem principatum diaboli destruendo et sibimet triumphum gloriæ acquirendo, *prædam eorum excussit*, omnesque contrarias potestates de fidelium suorum cordibus expellendo captivos suos reduxit. Sequitur:

Abiit ergo David ipse et sexcenti viri, qui erant cum eo, et venerunt usque ad torrentem Besor, et lassi quidem substiterunt. Persecutus est autem David ipse et quadringenti viri. Substiterunt enim ducenti, qui lassi transire non potuerant torrentem Besor. Sexcenti illi, qui abeunt cum David, omnes illos significare possunt sanctos, qui ante legem fuerunt. Qui *cum David* nostro *abierunt*, quia quod placitum in oculis ejus erat, sequi pro modulo suo satagebant. *Quadringenti* autem *viri* ordinem exprimunt perfectissimorum; quadragenarius enim numerus magnæ perfectionis typum in sacra Scriptura solet tenere. Quatuor deni enim quadraginta faciunt. Perfectissimi vero qui sunt, nisi apostoli, martyres eorumque consimiles, qui legali perfectione, quæ in decem præceptis et **412** evangelica doctrina, quæ in quatuor libris consistit, instructi ad imitandum Domini Dei vestigia, agiles, fortes et idonei erant? Hi omnes quasi lateri David familiarius adhærentes ad bellum cum eo exierunt, hostes invisibiles persequebantur et comminuerunt. Numero autem *ducentorum*, qui lassi subsistunt, nos accipi possumus, qui sic infirmi, sic miseri sumus, quod *torrentem Besor transire non possumus*. Besor interpretatum dicitur *impelle*. Per torrentem *Besor* mala desideria accipe. *Impellente* nos *torrente* isto, id est carnalibus desideriis et vitiis quotidie nos attentantibus *lassi subsistimus*. Et ideo non de numero perfectorum, sed heu! imperfectorum sumus, et dum progredi, et ulterius transire nitimur, hebetes et invalidi facti ad tolerandos pro Domino labores et passiones ignominiose remanemus. Cur autem hoc duplici numero nos designamur, nisi quia spem præsentis vitæ tenemus et futuræ? Et quam spem dico præsentis vitæ et futuræ? In præsenti vita spe bona, spe sancta animamur, quia si de præteritis malis pœnituerit nos, ab eo qui non deserit sperantes in se, veniam peccatorum nos accipere non dubitamus, et de futurorum bonorum exspectatione læti intra numerum electorum nos quandoque aggregari fortiter de Dei misericordia speramus. Ergo quia miseri, quia imperfecti et nullius meriti sumus, qui impellentibus vitiis et voluptatibus carnis tanquam lassi subsistimus, et cum David nostro ad bellum exire non possumus, restat nunc aliquid in consequentibus, quod magnifice consoletur nos. Sequitur:

Et invenerunt virum Ægyptium in agro, et adduxerunt eum ad David, dederuntque ei panem, ut comederet, et biberet aquam, sed et fragmen massæ caricarum, et duas ligaturas uvæ passæ. Vir iste Ægyptius latro est ille famosus cum Domino crucifixus, qui in ipso mortis articulo Deum cœli ac terræ cognovit ac confessus est. Hunc quisque *in agro* sacræ Scripturæ *inveniunt*. Ubique enim memorabile illud divinæ misericordiæ opus, quo mirabiliter salvatus est, legitur et prædicatur, ubique ad reorum et peccatorum consolationem proclamatur. Licet enim universa opera Domini mira sint, gloriosa sint et laude digna; tamen **413** miserationes ejus super omnia opera ejus, qua misericordiæ gratia latronem sero pœnitentem suscepit, susceptum misericorditer omnibus peccatoribus evidens clementiæ suæ dereliquit exemplum. Hunc itaque quia invenimus, nobiscum eum *ad David* nostrum ducamus. Quid est ad David eum ducere, nisi unum eumdemque latronem pii Conditoris et liberatoris nostri oculis, quam mirabiliter eum salvaverit, opponere, et ut antiquum suum miraculum in nobis, quos proprii reatus conscientia accusat, innovare quotidie dignetur, exorare? Hinc illa solita vox et oratio est pœnitentium, Deum sic creberrime postulantium: Domine, qui pro me in cruce innocens pependisti, memento mei, qui similis sum latroni. Virginem enim castitatis, Virginem Spiritus sancti, Mariam genitricem tuam immundus ego et pollutus immundis labiis nominare pertimesco. Petrum clavigerum tuum, Paulum familiare tui organum, aliosque sanctos tuos interim prætereo, eorum quasi dissimulans auxilium exorare. Solius misericordiæ tuæ memor ero, qua latronem in cruce pendentem tecum respexisti, suscepisti, salvasti, et ut eadem misericordiæ tuæ opera in me misero et peccatore perficias, suppliciter exoro. Eo itaque modo vir Ægyptius ad David ducitur, et post hæc bona, quæ exhibita sunt, enumerantur.

Dederunt, inquit, *ei panem, et comedit, et bibit aquam sed et fragmenta massæ caricarum et duas ligaturas uvæ passæ.* In eo quod dicitur comedisse panem et bibisse aquam, vera et integra fides ejus innuitur. Oculis corporis carnalibus nil nisi hominem crucifixum vidit, sed eumdem hominem angelorum et hominum *panem* esse credidit, per quem et cœlestes et terrestres refici et satiari solent. *Bibit* et *aquam*, quando tradente Domino spiritum in manus Patris, ille adhuc vivens vidit, quod unus militum lancea latus ejus perforavit, et continuo sanguis et aqua exivit, per quam aquam et sanguinem omnium peccatorum suorum remissionem se percepturum esse non dubitavit. Comedit *et fragmen massæ caricarum*. In fragmine massæ caricarum **414** multitudines illæ dulcissimarum animarum, quæ apud inferos adventum Domini Dei sui exspectabant, possunt accipi. Quæ massa caricarum idcirco *fragmen massæ caricarum* fuisse dicitur, quia descendens Dominus ad inferos, non omnes, sed *fragmen*, id est partem illam electorum suorum inde tulit. *Fragmen* vero aliud, partem utique reproborum inibi victor ascendens dereliquit. Hanc Christi ad inferos descensionem iste credidit, et desuper collustratus noverat scriptum esse: *O mors, ero mors tua, morsus tuus ero, inferne* (*Ose.* XIII, 14). Et hac fide animatus, quasi *fragmen*, ut ita dicam, *massæ caricarum comedit*. Comedit *et duas ligaturas uvæ passæ*. Duæ *ligaturæ uvæ passæ* duas in Christo naturas exprimunt, divinam scilicet et humanam. Una enim erat natura humanitatis, qua ligabatur ad tolerantiam passionis; altera divinitatis, qua ligabatur ad gloriam resurrectionis.

Has duas ligaturas uvæ passæ comedit: quia duas in Christo naturas, divinam et humanam perfecto esse credidit.

Qui, cum comedisset, reversus est spiritus ejus, ac refocillatus est. Vere enim hac fide animatus *spiritus ejus reversus est ac refocillatus*, et in Domino confortatus.

Non enim comederat panem, neque biberat aquam tribus diebus et tribus noctibus. Tribus diebus panem non comederat, et aquam non biberat; quia fidem sanctæ Trinitatis, quæ per *tres dies* accipi potest, nunquam cognovit, nunquam recepit. Sed et eo modo *tribus noctibus* jejunus permansit quia totum vitæ suæ tempus in nocte peccatorum expenderat, et tribus modis, id est cogitatione, locutione, operatione graviter coram Domino deliquerat.

Dixitque ei David: Cujus es tu? Vel unde? Et quo pergis? Qui ait: Puer Ægyptius ego sum, servus viri Amalecitæ; dereliquit me dominus meus, quia ægrotare cœpi nudius tertius. Interrogare et dicere istud David interrogare et dicere illud veri David significabat, quo hunc latronem intrinsecus ad cognoscendum seipsum deducebat **415**, ut, cujus ab initio servus exstitisset, diligenter intueretur et perpenderet. Quod et fecit. Nam vero uncto, vero Pontifici Jesu Christo, quis et qualis fuisset, intima cordis pœnitudine ultimum trahens spiritum confiteri cœpit, cum alii latroni Dominum convicianti ait: *Neque tu times Deum? Nam nos quidem digna factis recipimus, hic autem nihil mali fecit* (*Luc.* XXIII, 40). *Puer*, inquit, *Ægyptius ego sum servus viri Amalecitæ. Dereliquit me Dominus meus.* Quod est confiteri et dicere: Ego iniquus, ego tenebrosus, servus fui diaboli. Sed *dominus meus*, cui servivi, cui instanter adhæsi, *me dereliquit*, et ad hoc quod nunc patior me perduxit.

Dixit itaque ei David: Potes me ducere ad cuneum istum? Interrogatio ista domini quædam est affirmatio, et qui omnium hominum quærit salutem, posse et bene posse duci se per hunc latronem *ad cuneum istum* malignorum Spirituum non negat, imo affirmat. Sicut enim diximus, universis Christi operibus quæ fecit, quod natus, quod mortuus est, non ita animantur et consolantur peccatores, sicut hoc facto, sicut hac misericordia quam exhibuit latroni quia per hoc quod in illa hora mortis eum qui nunquam credidit, nunquam Deum quæsivit, assumpsit et paradisum promisit; per hanc, inquam, spem, quam inde peccatores assumunt, ducitur Deus super *cuneum* malignorum spirituum in peccatoribus, et hac spe magis magisque ad pœnitentiam suscitati, de cuneo malignorum spirituum per manum potentis David eripiuntur. Interrogante itaque David, si duci posset ad cuneum istum, audiamus quid responderit:

Jura mihi per Deum quod non occidas et non tradas me in manus domini mei et ducam te. Quando aut quo modo iste verum David adjuravit ut non occideret, et non traderet in manus domini sui A principis tenebrarum? Nimirum tunc, quando pendens in cruce conversus ad Jesum ait: *Domine, memento mei, dum veneris in regnum tuum* (*ibid.*, 42).

Et juravit David. Quid juravit? *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* Verax et fidelis in omnibus verbis suis fuit, qui hoc dixit, qui hoc juravit. Et ideo, quod promisit, continuo implevit. Ducit latronem, ducit peccatorem suum secum primum in infernum **416**, ducendum continuo cum dulci animarum collegio in paradisum. Sequitur:

Qui cum duxisset eum, ecce illi discumbebant super faciem universæ terræ comedentes et bibentes, et quasi festum celebrantes diem pro cuncta præda et spoliis, quæ ceperant de terra Philisthim, et de terra B *Juda.* Quinam illi erant, qui *super faciem universæ terræ discumbebant*, nisi Spiritus maligni, qui omne humanum genus potestative oppresserant et deprædaverant, *comedentes* fortiores, *bibentes* minores, et pro hoc *quasi festum diem celebrabant.*

Et percussit eos David a vespere usque ad vesperam alterius diei, et non evasit ex eis quisquam, nisi quadringenti viri adolescentes, qui ascenderant camelos et fugerunt. Consummata victoriosissima passione Domini sexta feria circa horam nonam, cum jam inclinata esset dies ad vesperam, ab hoc *vespere usque ad vesperam alterius diei* omnes inimicos suos percussit, potentiam diaboli subvertit, immundorum spirituum audaciam comminuit, claustra inferni confregit, *et non evasit ex eis quisquam,* C *nisi quadringenti viri*, omnes videlicet electi et perfecti illi, *qui camelos ascenderant*, id est qui corpora sua jam resumpserant et resurrexerant, sicut in Evangelio legitur, quod *multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt, et venerunt in civitatem et apparuerunt multis* (*Matth.* XXV, 52). Sequitur:

Eruit ergo David omnia quæ tulerant Amalecitæ, et duas uxores ejus eruit, nec defuit quisquam a parvo usque ad magnum, tam de filiis quam de filiabus et de spoliis, et quæcunque rapuerant, reduxit, et minavit ante faciem suam. Verus ille David noster *omnia, quæ tulerant Amalecitæ*, maligni videlicet spiritus, *eruit* quoniam non solum eos qui legem, circumcisionem et baptismum acceperant, de D inferno redemit, sed et illos qui ante legem sancti et justi fuerunt, secum reduxit; Job enim beatum, aliosque ejus consimiles, qui ex gentili populo erant, et Deo in vita sua acceptissimi, Moysen, Abraham, David, nec non alios præcipuos electos suos omnes secum tulit. *Et duas uxores ejus eruit* quia utrumque populum, Judæorum scilicet et gentilium, quem amiserat, collegit, et novas Unigeniti Dei sponsas fecit, quarum una **417** *Achinoem* Jezrahelites, altera *Abigail* vocabatur. Congruunt hæc nomina uxoribus veri David. Achinoem enim interpretatur *fratris mei decor;* Jezrahelites *semen Dei;* Abigail *Patris exsultatio.* Et bene per *Achinoem* Ecclesia designatur, quæ fratris decor dicitur. Est enim Ecclesia *fratris decor;* decor, inquam, fratris,

id est honor et regnum ejusdem Christi filii Dei. Est et *Jezrahelites*, id est *semen Dei*, dum ad colligendum bonorum operum fructum semen Verbi Dei fida sinceritate, sollicitudine non pigra, corde et opere conservare satagit. Est et Abigail, *Patris exsultatio*; quia quando Synagoga veri David credendo in eum copulam merebitur, dies quodammodo tunc erunt lætitiæ et exsultationis Dei Patris. Igitur ille vere fortis, vere desiderabilis omnia de manu inimicorum suorum eruit, *filios etiam et filias suas*, quos ille fortis armatus apud inferos jure victoris detinebat, iste fortior superveniens abstulit : *Et quæcunque Amalecitæ rapuerant, ante faciem suam minavit.*

Dixeruntque : Hæc est præda David. Nonne hæc erat vox et laus illa deliciosorum filiorum et filiarum Davidis nostri, id est animarum illarum, quæ patrem suum æternæ gloriæ Regem, in magno cordis jubilo e vestigio prosecutæ sunt de inferno? *Hæc est*, inquiunt, *præda David*. Ac si dixissent: Tibi soli magno David hæc victoria, talis triumphus ascribendus est, quia spoliasti inferos, nosque ab inferis eximendo de manu mortis morte tua liberasti. Jam inimicos vicerat, jam mortem superaverat, jam perfectos et electos sanctos suos redemerat magnus et fortis David : Videamus nunc quid quotidie agat, audiamus nunc consolationem nostram. Sequitur :

Venit autem David ad ducentos viros, qui lassi substiterant, nec sequi poterant David, et residere eos jusserat in torrente Besor. Ducenti illi, ut supra dixi, qui lapsi subsistunt, nos imperfecti, nos desides sumus qui ad tolerandas pro Domino persecutionum labores non sufficimus, qui magna eximiorum sanctorum opera imitari non possumus, et idcirco dico, non possumus, quia *juxta torrentem Besor* jubente **418** David consedimus. Torrens enim *Besor*, id est mala desideria, malæ voluntates, quæ nos quotidie *impellunt*, ad pugnam nos cum David nostro exire non permittunt. Attamen ad nos per multiplicem gratiam suam venire non dedignatur, si ad imitandum, quæ sequuntur, haud segniter nos præparamus.

Qui egressi sunt, inquit, *obviam David et populo qui erat cum eo.* Tunc namque vero David et populo ejus obviam egredimur, quando de magnifica et gloriosa sanctorum conversatione et de præcepto jam a Domino præmio eorum gratulamur, et eum cujus munere et gratia se ipsos et mundum vicerunt, laudamus, veneramur. Erit enim et merces operi nostro, si id quod minus in nobis habemus, diligendo in aliis nostrum facimus.

Ascendens autem ad populum salutavit eos pacifice. Dominus noster Jesus Christus ad populum suum ascendit, quando resurgens a mortuis, apostolis suis, quomodo et quando et quoties voluit, apparuit, salutavitque eos pacifice, quando in medio eorum stans pacis suæ munera et gaudia non semel, sed iterum atque iterum obtulit dicens : *Pax vobis.*

Respondensque vir unus iniquus et pessimus de viris,
A *qui erant cum David, dixit : Non dabimus eis quidquam de præda, quam eruimus, quia non venerunt nobiscum in prælium.* Per virum hunc iniquum et pessimum hæretici possunt accipi, qui innumeris hæresibus et schismatibus suis Ecclesiam Dei scindere et lædere moliebantur. Ex quibus unus Novatianus cum suis sequacibus fallaciter asseruit, post amissam primam baptismi innocentiam, nulla deinceps, etiam si pœniteret, dandam esse a Deo veniam. Huic falsæ et Deo odibili assertioni recte David obviasse videtur, sicut in consequentibus declaratur.

Dixit autem David : Non sic facietis, fratres mei, de his quæ tradidit nobis Dominus, et custodivit nos, et tradidit latrunculos, qui eruperant adversum nos, et non audiet vos quisquam super sermone hoc. Vult
B nempe Dominus noster Jesus Christus omnes homines magis salvare quam perdere; **419** vult, ut per veram pœnitentiæ satisfactionem plenarium æternæ vitæ adipiscamur remunerationem. Nec vult, ut audiat quisquam hæreticos *super sermone hoc* quia sicut adest ei ad ignoscendum clemens voluntas, sic et ad dimittendum non abest facultas; nec negat post pœnitentiam veniam, qui hominem ad quærendam pietatis suæ provocat et excitat gratiam.

Æqua enim pars erit descendentis in prælium, et remanentis ad sarcinas, et similiter divident. In ordine militiæ magni David quidam in prælium descendunt, quidam ad sarcinas remanent. Illi cum principe suo, id est Christo, in prælium descenderunt,
C qui olim exemplo ejusdem Filii Dei corpora sua pro Christo perimenda carnificibus obtulerunt, quorum constantiam fidei miramur ac veneramur. Remanentes autem ad sarcinas, nos minimi, nos peccatores sumus, qui corpore mortis adhuc gravati ingemiscimus, sed tamen, quantum isti dederit, in fide et spe ei subjicimur, ut qualiscunque præmii ab illo dono participemur. Quamvis enim diversa sint diversorum merita, æqua pars erit, quia eadem in cœlis cunctorum gloria erit, quamvis cuique pro meritis dividatur. Licet enim multæ et diversæ in domo Patris sint mansiones, unius tamen denarii pretio omnes remunerabuntur, dum solus ille merces omnium erit, qui et solus sufficit omnibus. Ne quis autem in
D hoc dubitaret, omnem aufert scrupulum, dum subjungitur :

Et factum est hoc ex die illa, et deinceps constitutum et præfinitum, et quasi lex in Israel usque in diem hanc. Nihil enim est quod hanc legem destruat nihil est quod remissionem peccatorum impediat, si homo tempus pœnitentiæ modo sibi a Deo indultum non negligat; nihil est quod æqualiter dividentis et digne electos remunerantis Domini bonam et clementem voluntatem avertere valeat. Sequitur :

Venit autem David in Siceleg, et misit dona de præda senioribus Juda proximis suis dicens : Accipite benedictionem de præda hostium Domini **420** *his qui erant in Bethel, et qui in Ramoth ad meridiem, et qui in Gether, et qui in Aroer, et qui in Sephamoth, et*

qui in Esthamo, et qui in Rachal, et qui in urbibus A *Jerameel, et qui in urbibus Ceni, et qui in Rama, et qui in lacu Asan, et qui in Atach, et qui in Hebron, et reliquis, qui erant in his locis, in quibus commoratus fuerat David iste, et viri ipsius.* David noster Christus Dominus, vere *manu fortis*, spoliato inferno dona sua nobilissimis senioribus misit, quando Deo Patri, Deo Spiritui sancto ipse, ut ita dicam, coæqualis et consubstantialis ad cœli palatium transmisit. Jussit quoque *proximos suos*, angelicas scilicet dignitates qui proximi, qui vicini ex assidua ejus visione sunt, *de præda hostium Domini benedictionem accipere*, quando intra novem ordines supernorum spirituum, qui per præscripta locorum vocabula possunt intelligi electam illam animarum multitudinem divisit et annumeravit, ut videlicet pars quædam angelorum B et archangelorum choris interesset, alii virtutum, principatuum, potestatum ordinibus admiscerentur, alii dominationum thronorum, cherubim et seraphim consortio et contubernio gauderent; alii principaliter, ut diximus, Patris, et Filii et Spiritus sancti perpetua visione fruerentur. Hæc pretiosa munera, has benedictiones Rex et Dominus noster David Deo Patri dono dedit. Pulchreque post tam præclaram victoriæ palmam mors Saulis describitur.

Factum est, inquit, *post mortem Saulis, ut David reverteretur a cæde Amalec, et mansit in Siceleg duos dies. In die autem tertia apparuit homo de castris Saul veniens veste conscissa, et pulvere* C *caput aspersus.* In duobus diebus tempus illud, quod ante legem et sub lege erat, accipi potest; *tertia* vero *die* tempus gratiæ, quo *factum* magnum memorabile factor cœli et terræ peregit, exprimitur, quando passus et mortuus, *tertia die* resurrexit, et ex hoc mortem Saulis, id est diaboli, voluit prædicari, quod est utique prædicare regnum Dei. *Homo autem ille de castris* **421** *Saul veniens, conscissa veste, et pulvere caput aspersus* milites illos designat, qui ad custodiam Dominici sepulcri deputati erant. Horum vestis, ut ita dicam, integra erat, quando, quod Christus resurrexisset, prædicabant; *conscissi vero veste, et pulvere caput aspersi*, quando pulvere avaritiæ devicti et pecunia corrupti a veritate, quam pridem profitebantur (recesserunt). Qui videlicet D homo postmodum jubente David occiditur, sicut in consequentibus declaratur:

Vocans, inquit, *David unum de pueris suis ait: Accedens irrue in eum. Qui percussit illum et mortuus est.* Puer iste, quem vocat David, ordo est apostolicus per orbem terrarum ad prædicandum missus, qui accedens in illum populum irruit, qui Christo necdum credidit, et percussum occidit, quando gladio verbi Dei mori in eo feliciter fecit, quidquid adhuc infidelitatis et dubietatis in cordibus eorum residui erat.

Per mundum itaque universum prædicata resurrectione ejusdem regis victoriosissimi, bene in typo hujus rei, pro quo cuncti lætantur, subditur quia *venerunt viri Juda, et unxerunt in Hebron David, ut regnaret super domum Juda. Regnavit autem David super Judam septem annis. Post hæc venerunt universæ tribus Israel ad David in Hebron, unxeruntque eum* **422** *in regem super Israel, et regnavit in Jerusalem super omnem populum Israel et Juda.* His verbis status præsentis et futuræ Ecclesiæ commendatur, in qua Rex et Dominus noster Jesus Christus, cui omnis potestas a Patre in cœlo et in terra data est, dominatur. Ungitur nunc David noster in regem a viris Juda, id est a solis Deum credentibus, et vere Deum confitentibus, regnatque septem annis *in Hebron*, quod interpretatur *conjugium*, quia per omne tempus vitæ istius, quod septenario dierum numero decurrit, ipse Rex et Dominus noster cœlestis spiritale cum sponsa sua, sancta scilicet Ecclesia, conjugium et nuptias celebrat.

Post expletionem autem senarii numeri, id est finito et consummato sæculo, *super omnem Israel et Judam regnabit in Jerusalem*, quando universis electis suis ad se congregatis ipse universorum Rex et Dominus in omnibus et super omnes regnabit, et perpetua sui visione æternaliter satiabit. Ad quam satietatem perducat nos Dominus noster Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

423 HOMILIA XLVI.

IN DOMINICAM IN ALBIS PRIMA.

Dum esset sero die illo una Sabbatorum, et fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati propter metum Judæorum, venit Jesus, et stetit in medio eorum, et dicit eis: Pax vobis (Joan. XX).

Resurrectionis Dominicæ sacramentum, quam semel factam annua solemnitate recolimus propter spem generalis resurrectionis, quam in futuro exspectamus, significat nobis illam resurrectionem, qua electos suos Dominus omnipotens mirabili sua clementia quotidie de morte ad vitam, de peccatis et vitiis ad bonam et laudabilem resuscitare dignatur conversationem. Quali autem ordine hanc in nobis resurrectionem operatur, hujus Evangelicæ lectionis verbis instruimur et docemur. Ait enim evangelista.

Cum esset sero die illo una Sabbatorum, et fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati propter metum Judæorum. Sero fit in homine, cum per prævenientem Dei gratiam agitur, ut paulatim ad sui ipsius cognitionem possit pervenire, et inutilem et infructuosam vitam suam cordis oculo considerare, qua diligenter considerata jucunditas et prosperitas sæculi ei incipiat amarescere et tenebrescere. Unde dicitur in Genesi: *Et factum est vespere et mane dies unus* (*Gen.* I, 5). In vespere cognitio sui, in mane cognitio Dei potest accipi. Nam, dum homo attendere cœperit et considerare, quali et quam inæstimabili clementia eum Dominus in peccatis suis supportaverit, peccantem non deseruerit, incipit sibimetipsi in iniquitatibus suis displicere, et volu-

ptates sæculi, quas prius amaverat, propter Deum contemnere et despicere. Sunt namque nonnulli, quos tanta pietate ac benignitate diligit et amplectitur Deus, ut patienter et longanimiter eos exspectet, donec transactis et completis desideriis et voluptatibus suis sua sponte ad ipsum convertantur.

424 Post istud vespere sequitur mane, de quo et hic dicitur *die illo* quia de cognitione sui ad Dei cognitionem pervenit, in quo die, in qua illuminatione et cognitione Deum diligere et pure amare incipit. *Diem illum*, illam utique illuminationem non incongrue sequitur *una Sabbatorum*. In *una Sabbatorum* intelligi valent bona opera sive virtutes. Non enim dicit : *Una Sabbati*, sed *una Sabbatorum* quia ex illa illuminatione non una virtus acquiritur, sed virtutes virtutibus cumulantur, uni bono operi multa bona et sancta opera accedunt et suffragantur. Post unam Sabbatorum convenienter sequitur :

Et fores essent clausæ propter metum Judæorum. Cum enim sero in homine factum fuerit, cum voluptatem sæculi mentis despectu calcaverit, et in cordis illuminatione cognitionem Dei et sui habuerit, et de virtute in virtutem per bona opera profecerit, *claudit* demum Deo adjuvante *fores* suas *propter metum Judæorum*. In *Judæis*, malignos spiritus intelligere possumus, qui perversis et malignis suggestionibus suis nos aggrediuntur et impugnant. Igitur *propter metum Judæorum*, id est malignorum spirituum claudendæ sunt fores utriusque hominis, interiores videlicet sensus et exteriores, interiores, ne mala desideria et perversæ voluntates aditum cordis apertum inveniant; exteriores, ne, suggerentibus malignis spiritibus, ad carnalia et iniqua opera corruant.

Ubi, inquit, *erant discipuli congregati*. Ubi sic, ut prædiximus, fores clauduntur, ibi *discipuli*, boni et utiles sensus per Dei gratiam *congregantur*, in quorum medio *venit Jesus, et* 425 *stans in medio dicit eis: Pax vobis. Venire Jesum* est visitatio consolationis ejus. *Venit Jesus* ad quosdam, in quorum tamen *medio* non stat; quos quidem ad horam ad peccatorum suorum cognitionem monet et excitat, sed transeunte tempore visitationis et cognitionis suæ ad peccata redeunt ac si ea minime cognovissent et planxissent. In his vero quos suos in æterna prædestinatione sua præscivit, quosque eo ordine, ut jam dictum est, in vita sua provexerit et clarificaverit, ad eos per dispositionem et dispensationem suam venit, stabilemque statum salutis in eis facit. *Stat in medio eorum*, dum in intimo cordis eorum requiescens stabilem statum salutis operatur in eis, *dicitque eis : Pax vobis*. Dicere Jesu facere ipsius est, cum pacem dat de mundo, ut nec prosperis hujus sæculi homo moveatur nec adversis prospera, hoc est humanas laudes contemnat et despiciat adversa vero, irrisiones et opprobria propter Deum non formidet. Sequitur :

Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus et latus. Quibus Dominus hoc dixerit, quibus hanc pacem per gratiam suam prævenit, illis quoque *manus et latus ostendit*. Per *manus* operatio, per *latus* sancta conversatio, ad quam venire et in qua operari debet, potest figurari. *Ostendit ei Dominus manus*, dum bona opera, in quibus se exercere in spirituali palæstra debeat, demonstrat. *Ostendit ei latus*, sanctam scilicet conversationem, in qua a tumultu et strepitu mundi lateat, et in qua certare et militare pro Dei amore satagat. Cum igitur ad sanctam conversationem venerit, et se in bonis operibus exercitaverit, recte mox subditur :

Gavisi sunt ergo discipuli viso Domino. Quale quantumque gaudium habeant et possideant qui Dominum in interioribus sensibus suis videant, norunt qui sunt experti. Vident nempe Dominum in semetipsis, vident Dominum in bonis prælatis, vident Dominum in sancta conversatione fidelium cum eis commorantium, vident quoque Dominum in sacra Scriptura, in quibus omnibus viso Domino exsultant et tripudiant magno gaudio. Sequitur :

426 *Dicit eis iterum : Pax vobis*. Viso Domino pax secunda tribuitur, cum pax de vitiis, pax de carne propria datur, ut rore sancti Spiritus homo refrigeratus nequaquam ultra ad illicita peccata labatur.

Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Dominus Jesus Christus a Deo Patre in hunc mundum ad nos missus omnes tribulationes et angustias, tentationes et passiones quas in hac vita pati et sustinere potest homo, præter sola peccata, pro nobis est passus. Nam quidquid pro se pati debuerat homo, tantum suscepit in seipso, ita ut per omnia tentaretur ut homo pro similitudine absque peccato. Tali modo et nos mittimur a Domino, ut in præsenti vita tribulationibus, angustiis et tentationibus variis conteramur, donec transcursis et devictis hujus vitæ laboribus et ærumnis ad regnum ipsius perveniamus. Qui, etsi exemplo Dominico in tentationibus nostris culpa carere non possumus, ut sine peccato simus, sicut ille sine peccato fuit in hoc mundo, per misericordiam tamen suam ita nobis ipse cooperatur, ut in tentationibus nostris laqueis et deceptionibus diaboli non succumbamus, nec ab eis penitus obruamur. Sequitur :

Hoc cum dixisset, insufflavit et dixit eis : Accipite Spiritum sanctum ; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt. Post pericula tentationum et tribulationum sequitur gratia intimæ consolationis et dulcedinis, quam per *Spiritum sanctum* suum *insufflat* et inspirat electis suis, dicens eis : *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt*. Inundante gratia divinæ visitationis et dulcedinis, tanta a Domino beneficia præstantur electis, ut peccata et delicta, quæ tempore puræ orationis in amaritudine cordis sui perfecte cognoscunt, deflent et pœnitent, miseratione divina remittantur eis. Ipsi quidem primum remittunt, id est remitti sibi faciunt ea, dum pro

eis intimo cordis dolore et contritione in lacrymis se Domino mactantes afficiunt. Remittuntur quoque eis a Domino, cum post laborem et pœnitentiam veram consequuntur indulgentiam. **427** *Et quorum retinueritis, retenta sunt.* Peccata vero, quæ retinuerint, hoc est a quibus perfecte relaxari et emundari non potuerint, tanta virtus et fortitudo eis subministratur a Domino, ut hæc inter semetipsos ita cohibeant et *retineant* ut nequaquam eis prævaleant, sed sub eis, id est sub potestate eorum sic *retenta sint* ut ulterius ad aperta et illicita flagitia non corruant. Sequitur :

Thomas autem unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis, quando venit Jesus. Thomas *abyssus* interpretatur, quo nomine perfectus homo et in Deo confortatus, qui tali, ut jam dictum est, ordine in vita sua processit, figuratur. De hoc abysso recte canimus in psalmo : *Abyssus abyssum invocat.* Abyssus invocat abyssum, cum perfectus homo oculis mentis suæ abyssum misericordiæ et judicii Dei præponit ; abyssum misericordiæ invocat, cum subtili consideratione attendit, quam multos omnipotens Deus peccatis gravibus involutos juxta terminum vitæ suæ per misericordiam suam ab iniquitate ad justitiam, ab amore sæculi ad amorem suum converterit. Invocat etiam abyssum judicii, quando mente sollicita pensat quod nonnulli per innocentiam vitæ videntur decorati, qui tamen in fine suo reprobantur per occulti dispensationem judicii. Tali consideratione cum perfectus homo die noctuque semetipsum occupat, aliorum finem considerans semper ad seipsum recurrit, divinorum judiciorum abyssum timet, timens humiliatur, et jam de operibus suis gloriam extrinsecus non quærit, sed in superni adjutorii protectione spem suam ponit.

Ille profecto qui sic conversatur, *unus ex duodecim* dicitur, quasi dicatur unus de perfectis. In sacra autem Scriptura quando *unus* ponitur, per hoc simplicis animi virtus plerumque designatur. Unde in principio libri Regum legitur : *Fuit vir unus.* Unus enim in multos dividi non potest : et ideo non incongrue *unus* dicitur, qui intentione animi sui ad diversa non derivatur, qui in adversis et prosperis idem permanet, in prosperis non erigitur, in **428** adversis non dejicitur. *Unus* non est, quem nunc superbia inflat, ira perturbat, nunc vana gloria delectat, nunc odium et invidia contra proximum lacerat, imo duplex, magis triplex, multiplex dici poterit, quia circumquaque dividitur, dum singulis quibusque vitiis subjacere non renuit. Igitur qui *Thomas*, id est *abyssus*, exstat per occultorum judiciorum considerationem, *unus* per simplicem mentis intentionem, bene *ex duodecim* esse describitur propter vitæ perfectionem. Unde duodecim apostoli sunt electi, ut ex ipsius numeri perfectione daretur intelligi quod illi præ cunctis mortalibus summa perfectione essent præditi. Numerus iste commune quid cum septenario habet, qui septiA formem sancti Spiritus gratiam in se continet. Nam ex tribus et quatuor septenarii numerus consistit, qui eisdem partibus multiplicatus in duodenarium surgit. Congrue satis hoc numero donorum cœlestium plenitudo, et vera vitæ exprimi valet perfectio. Sequitur :

Qui dicitur Didymus. Hoc verbum, *dicitur*, præsentis est temporis. Et juste præsens tempus ad *Didymum* ponitur, quia quandiu in hac mortali carne vivitur, mens hominis quadam dubietate confunditur, modo ad amorem Conditoris suspirat, modo amor sæculi suspirantem retardat, modo constanter et intrepide bona agere inchoat, modo formidat, ne bene inchoata consummare valeat, dicens intra semetipsum : Hæc et illa virtutum opera aggredere, B et pro Deo laborando bonis operibus fortiter insiste. Rursumque fragilitate carnis devictus recogitat : Noli, inquiens, temetipsum decipere inchoando hoc quod non potes perficere. Sensus autem hominis exteriores ejusdem dubietatis perniciosi valde sunt cooperatores, qui ab agnitione divina interiores frequentissime impediunt. Unde recte dicitur : *Qui non erat cum eis*, id est cum exterioribus, *quando venit Jesus.*

Congratulantes *ergo dixerunt ei alii discipuli.* Per *discipulos* interiores hominis sensus accipere possumus, **429** quos beatus homo instabilium cogitationum obstaculis præpeditos, alios efficere satagit, quatenus intra semetipsum collecti et sacris meditationibus dediti ad cœleste desiderium innoC ventur. Prælibata tandem supernæ visitationis dulcedine, quid sensus hominis dicant, audiamus : *Vidimus Dominum.* Hæc verba loquitur invisibilis lingua conpunctionis et internæ congratulationis, qua tunc sensus hominis replentur, cum interni gaudii suavitatem degustare merentur. Sed quia huic qui ad perfectionem tendit, semel prægustata divinæ dilectionis suavitas non sufficit, recte subditur :

Respondit Thomas : Nisi videro in manibus ejus figuram [Vulg. *fixuram*] *clavorum.* Per *clavos* intelligi possunt præcepta Dominica, Salomone attestante, qui ait : *Verba sapientium sicut stimuli, et quasi clavi in altum defixi* (*Eccle.* XII, 11). Si ergo D clavis comparantur verba sapientium, eo quod pertranseant atque compungant corda audientium, quanto magis illius verba qui ipsa est Sapientia ? Porro *clavorum figura* ipsa est præceptorum intelligentia. *Manus* Dominicæ, in quibus videntur hæ *clavorum figuræ*, operationes sunt divinæ. Desiderat ergo quilibet beatus, ut *in manibus* Christi *figuram clavorum videat*, ut rectam præceptorum intelligentiam habeat, et eam utiliter intelligens imitari valeat exemplo Salvatoris nostri, de quo scriptum est : *Quia* [cod. *quæ*] *cœpit Jesus facere et docere* (*Act.* I, 1).

Et mittam, inquit, *manum meam in latus ejus.* Per *latus* Christi Ecclesiam possumus intelligere, quæ conjuncta est ei in cruce, effluente sanguine et aqua

ex ejus latere. Non sufficit igitur perfecto homini, ut mandata Domini intelligat, et operetur, nisi et *manum* suam *in latus* Domini *mittat*, id est aliis quibuslibet, in Ecclesia positis, operibus suis et exemplo prodesse valeat.

Et mittam digitum meum in locum clavorum. Per *digitum*, qui *in locum clavorum* mittendus est, significatur discretio mentis et rationis, quæ ita intellectum et opera distinguere et examinare debet, ut cor hominis faciat *locum clavorum*, id est mandatorum Domini, ut ita caute omnia discernat, **430** ut nec de intelligentia, nec de bona operatione, nec de proximorum ædificatione gloriam quærat, non vanitati et superbiæ, sed illi soli a quo est ascribat. Dicat ergo quilibet beatus, ad veram perfectionem tendens : *Nisi videro in manibus ejus figuram clavorum*, id est nisi eo usque profecero, ut præcepta Dei intelligam, et imitator Christi in operibus ejus existam; *et mittam manum meam in latus ejus*, id est ipse etiam aliis exemplo bonæ operationis in Ecclesia Dei prodesse studeam, et tunc ad istud medium pertingam, ut *mittam digitum meum in locum clavorum*, quod est cor meum, ut ita discernam inter opera Dei et opera mea, ut neque de intellectu sive operis effectu, vel aliorum de meo exemplo profectu nihil mihi ascribam, sed ei a quo totum est attribuam, nisi, inquam, hæc omnia in me ipso expertus fuero, *non credam*, hoc est nunquam stabilis ero, nunquam veram fidem Deo creatori meo persolvere potero. Quæ nimirum perfectio et potestas beatitudinis, quia vix aut nunquam in hac vita potest acquiri, sed in futuram vitam reservatur, ubi plene et perfecte electis Dei debetur, recte subjungitur :

Et post dies octo iterum erant discipuli intus, et Thomas cum eis. Sex diebus decurrit omne tempus vitæ præsentis. Septima dies significat requiem animarum, in qua electi Dei deposita carnis sarcina cum Christo in æternæ pacis et securitatis gaudent gloria. Die vero octava generalis resurrectio notatur, in qua resumpto corpore sanctorum animæ plena et perfecta remunerantur beatitudine. *Post dies octo*, post diem, inquam, resurrectionis vere *intus sunt discipuli*, quando interiores et exteriores sensus hominis sub disciplina Dei jam veraciter constituti, ab omnibus istis exterioribus, quibus nunc occupantur, prorsus liberati ita Deo uniuntur, et in solius Dei amore figuntur et stabiliuntur, quod nec minimo unquam cogitationis excessu ab eo separantur. Ibi est etiam *Thomas cum eis*, occultorum videlicet judiciorum Dei consideratio, quia judicia Dei, quæ in hac vita nunquam comprehendere, ad quorum profunditatem contuendam in hujus mortalitatis miseria nunquam potuerunt pertingere, ibi **431** vere et perfecte incipient agnoscere, ibi perfecte implebitur quod sequitur :

Venit, inquit evangelista, *Jesus januis clausis, et stetit in medio, et dixit : Pax vobis. Januæ*, quod sunt interiores exterioresque sensus hominis, in hac vita nunquam perfecte possunt claudi. Modo enim clauduntur, modo aperiuntur. Clauduntur quidem, dum ad quærendam gratiam Dei aliquando ad se intra se colliguntur ; aperiuntur iterum, dum ex opprimente carnis sarcina ad exteriora relabuntur. Sed et evoluto octavo die, generali videlicet resurrectione, dum ita clauduntur quod ad nullius unquam mutabilitatis corruptionem relabuntur, *venit* vero *Jesus, et stat in medio*, quia perpetuæ statum salutis ita firmat in electis suis, quod nec in anima, nec in corpore quidquam quo beatitudo eorum perturbetur ultra eis accidere poterit. Ibi vere tertiam eis pacem offert, pacem videlicet a diabolo, quam in hac vita, quandiu vixerant, nunquam habere poterant, quia nulla ejus perfidia, nulla ejus ultra eos nocere vel inquietare poterit malitia. Postquam tertiam hanc pacem dederit, quasi sub exemplo Thomæ cuique electorum suorum in æterna beatitudine firmato dicit :

Infer digitum tuum huc. Per *digitum* intelligitur discretio. Et est quasi dicat : Quandiu fragili circumdatus carne in ærumnosa transactæ mortalitatis laborasti certamine, eras huc et illuc (necessaria enim erat tibi discretio), nunc ad corpus, nunc ad spiritum, modo ad exteriora regenda et disponenda, modo ad interiora et spiritualia meditanda et discernenda. Sed quia ab his omnibus nunc liberatus es et expeditus, *infer digitum tuum huc*, infer vim, discretionem et rationem mentis tuæ ad contuendam et discernendam magnitudinem miserationis meæ. *Infer digitum tuum huc* ad me, ubi spiritus tuus confirmatus in æterna beatitudine, in mea sempiterna visione gaudeat et lætetur, ubi corpus tuum æternæ immortalitatis claritate glorificatum nullo indiget, quo sustentetur.

Et vide manus meas. Vide, inquam, et considera mirabilia, quæ ostendi in te omnipotentiæ et pietatis meæ **432** opera. Si quando enim in illa vita laudabiliter vixisti, si quando ex operibus tuis mihi complacuisti, manus tuæ et manus meæ pariter fecerunt, quia tua et mea opera fuerunt, sed quod jam factum est in te, totum est ex me. *Vide manus meas*, vide quis ego sim; considera quid in te fecerim, quia quod de homine mortali homo immortalis, de homine infirmo et fragili homo beatus æternæ incommutabilitatis et incorruptionis gloria donatus et firmatus es, *manus meæ* sunt, nihil tibi in hoc mecum commune, sed ex me factum est in te absque te. *Vide* ergo *manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum.* Nullo amplius laboris tædio fatigaberis, sed omnem tuam operationem verte in quietem contemplationis, totum te transfer in gaudium et claritatem æternæ meæ visionis.

Et noli esse incredulus, sed fidelis. Dum fuisti in corpore, eras aliquando *credulus*, aliquando eras *incredulus*, quia, etsi quando in bonæ actionis studio stabilis fuisti, mentis instabilitate, instabili cogitationum vanitate evagando ab interna fidelitate, quam ergo me habere debueras, plerumque deci-

disti. Sed quia jam provexi te ad claritatem meæ A perpetuitatis, removebitur a te omnis voluntas incredulitatis, omnis voluntas instabilitatis. Eris amodo fidelis, quia totis sensibus tuis in mea dilectione fixus, totis animæ et corporis desideriis et affectibus mihi adhærebis, mihi æternaliter commanebis. Ut enim audenter dicam, Petrus, Paulus et cæteri sancti Dei, licet jam in æterna quiete cum Christo gaudeant, necdum tamen perfecte ad hanc fidelitatem pervenerunt, quia quandiu aliquid extra Deum cogitant, quandiu desiderio rehabendi corpora sua æstuant, licet modicum sit, idipsum tamen desiderium plenitudinem dilectionis Dei ex parte in eis retardat et impedit; sed cum resumpto in fine mundi corpore carne simul et anima beata immortalitate vestientur, et nihil erit quo vel minima amplius cogitatione ab amore Dei retardentur. Nunc vere impletur quod sequitur: *Respondit Thomas et dicit ei: Dominus meus et Deus meus.*

433 Possumus et alio modo hæc eadem verba intelligere. *Infer digitum tuum huc, et vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum, et noli esse incredulus, sed fidelis.* In tribus his verbis, scilicet *huc, manibus, latere*, totam simul sanctam Trinitatem possumus accipere. *Infer*, inquit, *digitum tuum huc.* Per *digitum* intelligitur discretio, et est quasi dicat: Dum adhuc in carne vixisti, in fide tua, qua ad hanc quam jam adeptus es æternitatis gloriam laborasti, quædam tibi præposita erat discretio de Patre, de Filio, de Spiritu sancto, hoc est ut crederes in Patrem, crederes in Filium, crederes in Spiritum sanctum; sed hanc fidei tuæ discretionem, quæ tunc quodammodo erat illuc, *infer* modo *huc* quæ tunc erat extra te, infer modo huc intra te. Agnosce modo in re et perfecta veritate excellentiam et majestatem Dei Patris, quam in illa vita nunquam cognovisti, nisi quantum fide et spe comprehendere potuisti. *Et vide manus meas* agnosce opera mea, agnosce jam in re individuam illam quam in illo sæculo nunquam agnoscere potuisti unionem divinitatis et humanitatis meæ. *Vide* jam et considera qua pietatis meæ clementia coæternus Patri in essentia divinitatis, factus propter te homo in utero Virginis matris, Redemptor tuus factus sim in humilitate susceptæ propter te humanitatis. *Et affer manum tuam et mitte in latus meum.* Per *latus* in quo homo requiescit, Spiritus sanctus, qui requies est omnium sanctorum suorum, apte intelligi poterit. *Affer*, inquit, *manum tuam, et mitte in latus meum*, hoc est cunctam tuam operationem verte in requiem Spiritus sancti. Nam, cum de tenebris ad lucem, de imagine ad speciem transieris, nulla alia erit ultra tua operatio, nisi sempiterna de contemplatione Patris et Filii in Spiritu sancto requies et exsultatio. *Et noli esse incredulus, sed fidelis.* Nulla tibi ultra voluntas incredulitatis remanebit quia spiritus, anima et corpus tuum in visione Patris, et Filii, et Spiritus sancti æternaliter gaudebit. Audita hac voce tunc primum vere respondet Thomas et dicit: *Dominus meus et Deus meus.* Hic non ponitur *Thomas, qui dicitur Didymus*, sed tantum *Thomas*, quia omnis 434 ibi dubitatio cessabit, ubi se Deus Pater, Deus Filius, et Deus Spiritus sanctus vere et perfecte electis suis, sicuti est, manifestabit. Dicimus quidem nunc: *Dominus meus et Deus meus*, sed quasi in tenebris. Creatorem enim Redemptorem nostrum confitemur et credimus, necdum tamen, sicuti est, obsistente et impediente umbra mortalitatis perfecte cognoscimus. Sed cum oculo ad oculum eum videbimus sicuti est, cum inexstinguibili flamma dilectionis ejus perfecte succensi fuerimus, quod nec minima cogitatione in spiritu, nec aliqua quæ ei contraria sit actione in corpore a claritate visionis ejus separari poterimus tunc vere corpore et spiritu in lætitia et exsultatione B æternaliter proclamabimus: *Dominus meus et Deus meus.* Tunc enim perfecte cognoscemus qua omnipotentia et magnificentia divinitatis suæ nos creavit, qua clementia et dulcedine humanitatis suæ nos liberavit. Hæc enim visio et perfecta Dei cognitio vere est vita æterna, quemadmodum ipse Dominus in Evangelio dicit: *Hæc est*, inquit, *vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* XVII, 3). Ibi vere ineffabili genere locutionis cuique electorum suorum quasi in hæc verba loquitur dicens:

Quia vidisti me, credidisti. Ac si dicat: *Quid me* Creatorem et Redemptorem tuum, sicut semper desiderasti, in perpetuitate et gloria magnificentiæ meæ *vidisti*, ideo *credidisti*, idea ac hanc stabilitatem, ad C istam quam ultra mecum sine dolore, sine defectu habiturus es æternæ beatitudinis firmitatem pervenire meruisti. Et quia sola est fides et spes, quæ electos Dei in hujus vitæ miseria laborantes propter Deum ad hujus beatitudinis provehit præmium, continuo manifestat, cum subjungit:

Beati, qui non viderunt, et crediderunt. Ac si dicat: *Beati* qui in tenebris et umbra mortis adhuc positi pro mea visione, pro æternæ beatitudinis gaudiis quæ *non viderunt* in re, laboraverunt in spe. Per hoc enim *crediderunt*, per hoc, inquam, ad hanc quam jam mecum æternaliter ultra habituri sunt stabilitatis æternitatem pervenerunt. 435 Post hunc statum futuræ beatitudinis, quem peracta resurrectione D repromisit Dominus in futura vita electis suis, apte subjunxit evangelista:

Multa quidem et alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. Quamvis verba ista, juxta communem et simplicem sensum, ita intelligi possint quod multa alia signa præsentibus discipulis suis in diebus carnis suæ fecerit Dominus, quæ in hoc libro Evangelii scripta non sunt, possumus etiam in eisdem verbis aliquid aliud quod adhuc sublimius est notare, quod tamen a vera fide et sano intellectu non videtur dissonare.

Duo namque sunt, circa quæ versatur tota intentio sacræ Scripturæ, opera videlicet conditionis, et opera restaurationis. Quæ opera conditionis *multa*

sunt : circa illa enim versatur creatio cœli, creatio terræ, creatio maris : creatio cœli cum ornamentis suis, sole, luna, stellis ; creatio terræ cum ornamentis suis, herbis, arboribus, bestiis animantibus et potissimum rationali creatura, quod est homo, propter quem omnia facta sunt, creatio maris cum universis, quæ in eo creata sunt. Hæc omnia vere *multa* sunt, et *alia*, et *signa*. *Multa* sunt, quia multipliciter creata sunt ; *alia* sunt ab illis operibus restaurationis, quia non fuerunt ipsa veritas, sed *signa* veritatis ; *signa* ejus quæ futura erat per Christum humanæ reparationis.

Hæc *multa* et hæc *alia fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum* quasi *signa* quia patiendo, moriendo, resurgendo, ascendendo, Spiritum sanctum de cœlis mittendo, eadem signa, quæ a conspectu omnium hominum aliena erant, quia omnium scientiam latebant, aperuit, et manifesta fecit conspectui et agnitioni discipulorum suorum. Hic est enim liber ille scriptus intus et foris, signatus sigillis septem, de quo cum dicat Joannes in Apocalypsi : *Et nemo poterat in cœlo, neque in terra, neque subtus terram aperire librum, neque respicere illum* (*Apoc.* v, 3). Post pauca responsum est illi : *Ne fleveris, ecce, vicit leo de tribu Juda radix David, aperire librum, et septem signacula ejus* (*ibid.*, 5). Et **436** post pauca : *Dignus es, Domine, accipere librum, et aperire signacula ejus, quoniam occisus es et redemisti nos Deo in sanguine tuo* (*ibid.*, 9). Per ipsius enim incarnationem, passionem, resurrectionem et ascensionem, et Spiritus sancti de cœlis missionem non solum illi perfecti discipuli, sed et imitatores eorum plene et perfecte agnoscere cœperunt, quod *multa* illa, quæ præcedebant, opera Creationis quasi *signa* quædam fuerunt eorum, quæ in veritate per eum facta sunt, humanæ restaurationis. *Multa* illa et *alia signa*, opera videlicet creationis *non sunt scripta in libro hoc* Novi Testamenti, sed sunt scripta in libro alio, in libro Moysi, in libro Veteris Testamenti. *Hæc autem*, opera videlicet restaurationis, quæ non *multa*, non *alia*, non *signa*, sed quæ pauca, quæ brevia, quæ ipsa veritas sunt, in libro hoc Evangelii, in libro videlicet Novi Testamenti *scripta sunt*, et hæc pauca totius humani generis saluti sufficiunt. Quæ sunt illa? hæc utique, *ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine ipsius.* Hoc enim est Verbum abbreviatum, de quo dicit Propheta : *Verbum abbreviatum faciet Dominus super terram* (*Rom.* ix, 28). In hoc Verbo abbreviato restaurati et vivificati vitam habebimus, si Jesum Dominum et Salvatorem nostrum esse verum Deum, esse verum hominem credemus, et quod idem, qui Salvator noster est secundum humanitatem, Creator noster est secundum divinitatem. *Et ut credentes*, inquit, *vitam habeatis in nomine ipsius. Nomen* ipsius fides est ipsius. Nam, sicut homini vel cuique rei ideo nomen imponitur, ut per nomen agnoscatur sic Dominus ac Redemptor noster, quia nullatenus nisi per fidem in hoc mundo agnoscitur, fides ejus recte nomen ejus dicitur. Vere etenim vitam habebimus *in nomine ipsius*, in fide ipsius, si credendo eum Creatorem nostrum, ut Creatorem et Dominum nostrum timemus, si credendo eum liberatorem ac Salvatorem nostrum debito, ut Redemptorem nostrum, amore diligimus et quia Creator noster est, propter timorem ejus mala caveamus quia Salvator noster est, propter amorem ejus bona faciamus.

437 Hujus fidei perfectionem tribuat nobis, sine quo nihil perfectum est, Dominus noster Jesus Christus, ut quem verum Deum et verum hominem verum Creatorem et verum Redemptorem nostrum credimus et confitemur, sic timeamus, sic diligamus, et in nomine ipsius vitam habeamus, quatenus cum post dies octo venerit, cum peracta resurrectione in medio discipulorum, omnium videlicet electorum suorum steterit, et nos cum Thoma, cum omni sanctorum multitudine audiamus ab ipso in æterna gloria : *Infer digitum tuum huc, et vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum*, ubi in agnitione Dei Patris, in contemplatione ipsius Filii, in requie Spiritus sancti lætemur et exsultemus per infinita sæcula sæculorum. Amen.

438 HOMILIA XLVII.

IN DOMINICAM II POST PASCHA PRIMA.

In illo tempore dixit Jesus discipulis suis : Ego sum pastor bonus ; bonus pastor animam suam dat pro ovibus (*Joan.* x).

Quia secundum Apostolum *animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei* (*I Cor.* ii, 14), Verbum Dei Patris caro factum est, et habitavit in nobis, ut in carne degens inter homines per carnis commanentiam homines ad spiritalem excitaret intelligentiam ; et qui capere non poterant spiritualia, audirent carnalia, et per ea proficerent ad spiritalia. Unde fit quod in doctrinæ suæ verbis ea plerumque loquitur, quæ carnales audire quidem possent, sed non intelligerent ; spiritales autem, quibus datum est nosse mysterium regni Dei, non tantum audirent, sed et audita ad salutem animarum intelligerent. Quod præsentis Evangelii sacra lectio evidenter nobis demonstrat, ubi Dominus pastorem, mercenarium, lupum et oves nominat, quæ omnia nomina quidem sunt rerum visibilium et carnalibus cognita, sed aliud in his verbis exterior capit auditus, aliud intelligentiæ spiritalis exhibet fructus. In *pastore* enim ovium animarum bonus et verus designatur prælatus ; in *mercenario* fictus, in *lupo* adversarius, subditi notantur in *ovibus*. In *pastore* etiam quemlibet fidelem suæ ipsius animæ sollicitum custodem intelligere possumus, in *mercenario* operantem et temporalia diligentem, in *lupo* diabolum homini insidiantem, in *ovibus* cordium et actionum simplicitatem.

His de lectione evangelica breviter præmissis nunc ad ipsius intellectum plenius elucidandum accedamus, et quæ in eo ad nostram vel aliorum utilitatem, Dei gratia largiente, gratis omnia dante, accepimus, ipso, qui hæc sancta Evangelii verba edidit,

auxiliante et ejus sancto Spiritu, pro posse nostro proferamus. Ait itaque Dominus:

Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus. Quod *pastorem et bonum* Dominus se nominat, novitate et dulcedine nominis hujus ad amorem suum corda hominum torpentia excitat; quia ipse vere *pastor* ille essentialiter *bonus* est, qui omnes homines, bonos et malos, imo omne, quod vivit in mundo, sola bonitate sua pascit in carne, et fideles suos verbo sacræ doctrinæ pascit in mente, nec non et sacrosancti corporis et sanguinis sui delicias in sancta Ecclesia ad salutem animarum copiose ministrat quotidie.

Ad hujus imitationem pastoris quicunque in Ecclesia Dei *bonus pastor* esse voluerit, animam suam abstractam a carnalibus desideriis *dat pro ovibus*, 439 Deo *dat*, Deo subjicit ad serviendum, et hoc *pro ovibus*, pro sibi commissis, quatenus Deo fideliter serviendo, et firmiter adhærendo hoc apud eum sua devotione obtineat, ut quod ipse minus potest, commissos sibi Deus sua pietate foris et intus custodiat. *Dat* etiam si necesse fuerit in persecutione ad excutiendam animam suam pro animarum sibi commissarum salute, ut magis ipse *pro ovibus suis* mortem velit sustinere, quam eas in periculo et morte animarum relinquere. Quod ad imitationem Christi multos sanctorum pro ovibus suis fecisse legimus, et ob hoc eorum memoriam gloriose et dulciter in Ecclesia frequentamus.

Mercenarius autem et qui non est pastor, quia aliter sentit, longe aliter quam bonus pastor agit. *Mercenarius* enim est qui magis pro mercede temporali quam pro animarum salute locum regiminis occupat; ideoque pastor non est, quia sicut Dominus Petro ter dixit: *Pasce oves meas* (*Joan.* XXI, 17), iste trina illa pastione nec prædicationis verbo, nec bonæ operationis exemplo, nec sanctæ orationis suffragio ovibus Domini vel præesse vel prodesse laborat.

Cujus non sunt oves propriæ. Quod proprium est hominis, arctius ab eo, quàm quod alienum est, diligitur. *Oves* itaque *propriæ* mercenarii esse *non* dicuntur, quia ab eo ad salutem non diliguntur. Is itaque *videt lupum venientem, et fugit. Lupum* vel adversarium aliquem visibilem ad disturbationem gregis Dominici, vel ad direptionem rerum ejus de foris venientem, vel adversarium invisibilem diabolum, ad interitum animarum rugientem intelligit, pro quibus stare in prælio Domini bene vivendo prædicando, orando debuit, quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi quærens, misere derelinquit. *Dimittit* autem *oves*, sicut ait beatus Gregorius (32), *non mutando locum, sed subtrahendo solatium*, *fugit* autem, quia se sub suæ perversitatis et inutilitatis silentio abscondit.

Quo fugiente lupus rapit et dispergit oves. Rapit lupus subsidia exteriora servorum Domini, quibus Domino, 440 ministrare debuerunt, et deficientibus subsidiis fit plerumque ut dispergantur oves, quæ ad serviendum Domino congregatæ fuerant.

Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, et non pertinet ad eum de ovibus. Fugit tacendo mercenarius, dum nec adversario exteriori libertate vocis audet contraire, nec prædicationis verbo adversario interiori valet resistere. Et hoc ideo, *quia mercenarius est*, id est quia in sui prælatione mundum magis quam Deum diligit, *et non pertinet ad eum de ovibus*, id est, ait cor ejus non accedit, ut tangat eum sollicitudo de animabus, sed pertinet ad eum sollicitudo de suæ carnis voluptatibus. Verum quia pius et misericors est Dominus, et novit omnes, qui sunt ejus, etiam sub male viventibus prælatis non obliviscitur suorum Dominus, ideoque subjungit quod sequitur:

Ego sum pastor bonus, et cognosco meas, et cognoscunt me meæ. Ac si dicat: Etsi alii, qui pastoris nomen habent, pastoris non exsequuntur officium, *ego* tamen, quod meum est, ingenitæ bonitatis meæ non obliviscar, quia *ego* non nuncupative, sed essentialiter *sum pastor bonus, et cognosco meas*, id est diligo, quos meos futuros esse cognosco, sub quocunque vivant prælato. *Et cognoscunt me meæ*, id est diligunt [me] meæ, id est quos futuros esse cognovero hæredes beatitudinis æternæ. Modum autem quemdam dilectionis, quo vel Deus hominem diligat, vel homo Deum diligere debeat verbis sequentibus videtur innuere, cum dicit:

Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem, et animam meam pono pro ovibus meis. Filium nosse Patrem, sicut Filium Pater novit, est ejusdem potentiæ, ejusdem sapientiæ, ejusdem bonitatis esse Filium cum Patre. Et cum una sit æqualitas divinitatis in Filio et Patre, non dedignatur Filius pro Patris obedientia humiliari in humanitate, et pro ovibus suis animam ponere. Hæc est itaque forma dilectionis, quam nobis ipse proposuit, ut sicut ipse in forma Dei Patris æqualis, usque ad formam 441 servi suscipiendam pro Patris dilectione et reverentia non dedignatus est humiliari, ita homo quilibet, cujuscunque sit potentiæ, cujuscunque sapientiæ, ut Deum veraciter probetur diligere, non dedignetur animam suam in qualibet abjectione pro Dei dilectione ponere. Ipse enim ideo animam suam pro nobis posuit, ut et nos pro ipso animas nostras ponamus. Primum quidem pro nobis caro factus animam suam in carne posuit, deinde, ut nos redimeret, eamdem animam in cruce posuit, tandem animam ut suorum animas redimeret, in inferno posuit, iterumque eamdem animam in carne resurgendo posuit, animamque et carnem in cœlis ascendendo posuit, ibique cum carne et anima vultui Dei Patris pro nobis intercedendo quotidie assistit. Quia ergo et suos ipse diligit, et sui eum diligunt, quicunque sive mercenarius, sive pastor prælatus sit ipsius ovium, in futura vita ipse solus et unus pastor erit

(32) S. Gregor. XL Hom. in Evang. lib. I, hom. 14, 2, tom. LXXVI Patrologiæ.

suarum ovium, quas beatitudini sanctorum coæquabit angelorum. Hoc est enim, quod videtur dicere:

Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili; et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus pastor. Aliæ istæ *oves* intelligi possunt sanctorum angelorum multitudines, quas in montibus ille dereliquit, qui unam perditam quærere abiit; *quæ non sunt ex hoc ovili*, id est, ex visibili et corporali sanctæ Ecclesiæ congregatione, quia spiritus sunt in cœlo Domino assistentes, *quos*, inquit Dominus, *oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus pastor.* Adducet enim eas Dominus in generali resurrectione, cum *advocabit cœlum desursum, et terram discernere populum suum* (*Psal.* XLIX, 4) et peracta per ministerium sanctorum angelorum separatione malorum et bonorum, tunc *vocem ejus audient*, qua electis suis dicet: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum* (*Matth.* XXV, 34). Et tunc *fiet unum ovile*, id est una societas, una beatitudo, una gloria, unum gaudium angelorum et hominum, et tunc erit *unus pastor*, quia tunc unus Deus Pater et Filius et Spiritus sanctus pastor **442** erit omnium, quos sua præsentia sine omni defectu miseriæ in jucunditate et exsultatione, quam thezaurizabit super eos, satiabit in æternum.

Ut igitur sub tali pastore secure quandoque in cœlesti regno sociari et jucundari mereamur, curemus interim ut in præsenti vita animarum nostrarum pastores non segnes inveniamur. Sicut enim superius ex parte tetigimus, in pastore non solum prælatus, sed et fidelis quisque animæ suæ custos sollicitus potest designari, qui tunc merito bonus pastor a Domino meretur nominari, cum animam suam dat pascendam jugiter in bonis illis et beatis pascuis divinæ lectionis, sacræ meditationis et puræ orationis, et hoc *pro ovibus*, si habentur, servandis, vel si non habentur, congregandis. In *ovibus* enim mansuetudinem et simplicitatem intelligere possumus, quas necessario fidelis quisque, qui salvari desiderat, debet habere, mansuetudinem, id est patientiam, ne adversis frangatur simplicitatem, ne in prosperis extollatur, ut simpliciter pro benefactis suis divinæ remunerationis præmium exspectat, favoris transitorii laudem, etiam si occurrit, contemnat. Ista sunt septem illa millia ovium, quas Job ille magnus inter Orientales, imitandus inter spiritales, dives in mundo, ditior in Deo habuit, qui nec in bonis a Deo sibi collatis extolli curavit, nec in adversis fatigatus et fractus a Deo recessit.

Pro his itaque ovibus tenendis et tuendis fidelis quisque in prædictis pascuis lectionis, meditationis, orationis animam suam studiose pascat, ut apud Deum veraciter *bonus pastor*, non *mercenarius*, esse dicatur. *Mercenarius* enim esse potest, qui pro Deo quidem laborat, et laboris sui mercedem vitam æternam esse putat, sed surgente tentatione facile vel adversis vel prosperis flectitur, qui lectionis et orationis pastu sæpius non reficitur. Hoc est enim quod

A videtur dicere Dominus: *Mercenarius, et qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit.* Mercenarius enim, qui pro Deo exterius laborat, et qui pastor **443** non est, qui pascit secundum Deum interius operam non dat, ipse est, *cujus non sunt oves propriæ*, quia virtutes istæ, patientia, et simplicitas, etsi aliquando videantur esse laborantium, *propriæ* eorum non sunt, sed sunt propriæ in lectione et oratione se pascentium. Ab eis enim possidentur quasi *propriæ*, quibus nec vi aliqua tentatoris auferri valent nec fraude.

Mercenarius autem, quia has oves proprias non habet, *videt lupum venientem*, id est intelligit diabolum vel blanditiis corrumpere, vel terroribus vincere B molientem; *et dimittit oves*, id est relinquit in adversitate mansuetudinem, in prosperitate humilitatem, *et fugit*, id est faciem suam, animi videlicet intentionem, qua Deum respicere debuit, a Deo avertit. Unde fit quod sequitur:

Et lupus rapit et dispergit oves. Unam enim ovem, quam diximus patientiam, lupus *rapit* in adversis; alteram, quam diximus simplicitatem, ita *dispergit* ut simplicitatem mercenarii in duplicitatem convertat, id est ut pro suis operibus et Dei retributionem et mundi favorem desideret.

Quod profecto, scilicet quod *mercenarius fugit, quia mercenarius est*, **444** totum ideo fit, quia de spiritali animæ pastu, de quo sæpe diximus, non est sollicitus, *et non pertinet ad eum*, sed pertinet ad C eum qui pastor est, de *ovibus*, patientiæ et simplicitatis virtutibus, quas verus pastor ideo nunquam potest amittere, quia ad eas obtinendas lectionis et orationis pastu dulciter saginatur quotidie.

Nos itaque, dilectissimi, ut has in nobis oves congregemus, et pascendo firmiter conservemus, ad eum qui essentialiter *pastor bonus* est et pro ovibus suis animam suam posuit, humiliter confugiamus, obsecrantes ejus misericordiam, ut lupum insidiantem a nobis sua potestate repellat, et nos, qui populus ejus et oves pascuæ ejus sumus, in suis pascuis ita custodiat, quatenus ipso auxiliante eo usque perveniamus, ubi sub ipso pastore protecti, et in loco pascuæ collocati nullum deinceps lupum timea- D mus, sed in æterna et secura cum ipso beatitudine gaudeamus, qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

445 HOMILIA XLVIII.

IN EAMDEM DOMINICAM SECUNDA.

Ego sum pastor bonus (*Joan.* X).

Dominus noster Jesus Christus, qui essentialiter est bonus, satis convenienti comparatione bonum se pastorem nominat, quia omnia quæ creavit et fecit, clementi bonitate regit et gubernat; et quidquid pro salute hominum fecit aut protulit, non suo honori, non suæ providit gloriæ, sed humanæ salvationi in hoc curavit prodesse. Si enim nullus hominum creatus aut salvatus esset, idem ipse, sicut ab initio erat, omnipotens et æternus in divinitate

sua permansisset. Unde bonitatem suam, qua nos creavit et redemit, bonum se nominando pastorem commendat, ut unusquisque his admoneatur verbis qualiter bonitati ejus bonis operibus respondeat.

Ego sum, inquit, *pastor bonus*. Boni pastoris est officium pascendo, adaquando, a morsibus bestiarum defendendo, curam gerere ovium sibi commissarum. Pastor ergo ille summe bonus oves pascuæ suæ, quæ nos sumus, spiritali et corporali passione quotidie pascere non desinit, simulque a morsibus bestiarum, id est a læsione malignorum spirituum protectione manus suæ protegit et defendit. Qui etiam, in quantum oves suas gratuita bonitate dilexerit, verbis sequentibus patenter insinuans ait:

Bonus pastor animam suam dat pro ovibus. Ipse quippe solus veraciter bonus animam suam pro redemptione ovium suarum posuit, non ut sibimetipsi gloriam acquireret, vel augeret, sed ut hominem, qui perditus erat, ad regnum cœlorum revocaret. Nam etsi aliqui erant boni pastores, ut videlicet Petrus et Paulus, cæterique apostoli et apostolorum imitatores, qui sollicite ovium suarum curam gerebant, non tamen pro eisdem ovibus sine respectu 446 propriæ mercedis laborabant. Si enim laboris sui remunerationem a Domino non exspectassent, tantos labores, tantas persecutiones non sine gravi tædio tolerassent. Quis unquam pastor, licet bonus et sanctus, tantas pro ovibus suis sustinere posset passionum injurias quantas ille, cum esset Dominus omnium, in forma servi apparens sustinuit, dum sputa, colaphos et flagella passus, et ad ultimum morte turpissima condemnatus, in medio duorum latronum crucifixus et lanceatus pependit? Et quia in omnibus his tolerandis nullus eum imitari valet, in primo pastore Ecclesiæ, Petro videlicet apostolo, formam quamdam bonis præscribit pastoribus, quam imitari debeant, quem resurgens a mortuis, an se diligeret tertio interrogavit, cui trina responsione amorem confitenti tertio pascendas oves suas commendavit. Ideo fideli pastori Ecclesiæ ter Dominus pascendas oves suas commendavit, trinam pastionem, prædicationem, operationem, orationem, qua bonus quisque pastor gregem sibi commissum pascere debeat, præsignavit. Hac trifaria pastione pastor quisque oves Dominicas pascere studeat, ut, quos verbis ad bene agendum admonet, bonis exemplis instruat et informet, et ad hæc (quod potissimum est) assidua oratione adjuvare non cesset. Nam sunt nonnulli, qui nec per prædicationem, nec operationem ad meliorem vitam possunt informari; quos necesse est orationum suffragiis, ut in melius proficiant, apud Deum adjuvari. Sed quia præscivit Dominus multos in Ecclesia non veros pastores, sed mercenarios futuros esse, qui locum, non meritum pastoris haberent, et non pro lucro animarum, sed pro solis terrenis commodis laborarent, subjunxit dicens:

447 *Mercenarius autem et qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem*. Fit plerumque ut mercenarii, licet ipsi non recte vivant, subditis tamen legem recte vivendi præponant, quorum vita, licet non sit imitanda, quæ tamen recte dicunt et præcipiunt, non sunt contemnenda, quemadmodum discipulos suos ipsa Veritas admonuit, dicens: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi. Quæ dicunt vobis, facite; quæ vero illi faciunt, nolite facere* (*Matth.* XXIII, 2). Scribæ quidem et Pharisæi legem in synagogis suis annuntiabant et docebant, quam tamen ipsi minime observabant. Quorum imitatores mercenarii esse probantur, qui, quod recte prædicaverint et docuerint, male vivendo destruunt. *Videt*, inquit, *lupum venientem, et dimittit oves et fugit*. Veniente lupo mercenarius fugit, dum, sicut beatus Gregorius ait (33): *Quibuslibet potestatibus male agentibus rationis libera voce contraire metuit*. — *Lupus* ergo *rapit, et oves dispergit*, quia, dum ab impiis bona spiritalium dissipantur et subsidia vitæ subtrahuntur, oves nonnunquam disperguntur. Sed jam Redemptor noster, verus et bonus pastor, dilectionem, qua oves suas agnoscit et diligit, iterata repetitione consequenter innuit:

Ego sum, inquit, *pastor bonus, et cognosco meas, et cognoscunt me meæ*. Ac si patenter dicat: Oves meas pro quibus animam meam posui, quas sanguine meo redemi, tam paternæ charitatis affectu agnosco et diligo, quod sive sub pastore sint, sive sub mercenario, sine protectionis meæ auxilio nunquam eos neque hic, neque in futuro, derelinquo. *Et cognoscunt me meæ*; etenim pastorem et Redemptorem suum cognoscunt, quia non mercenarium, sed me verum pastorem sequentes vocem meam audiunt. Qui vere oves Domini sunt, vocem ejus per internam inspirationem alloquentem audiunt quia plerique, si sub mercenario sunt, ab eo fugientes, Patrem et pastorem animarum suarum, sub quo salvari possint, humiliter quærunt. Ne autem durum et grave videatur ovibus Domini imitatione veræ humilitatis et obedientiæ vocem ejus sequi, formam nobis in semetipso præscribens ait:

448 *Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem, et animam meam pono pro ovibus meis*. Quod idem est ac si dixisset: Sicut ego, licet Patri coæqualis, coæternus, coomnipotens pro ejus dilectione in tantum me humiliavi, quod formam servi accipiens pro redemptione ovium mearum animam meam dedi, sic qui oves meæ sunt, et esse volunt, eamdem mihi dilectionem rependere debent, ut meæ dilectionis causa humiliari sub obedientia non refugiant, et, quantum possunt, proximis in vera charitate prodesse studeant. Vere enim proximum diligere cognoscitur, qui summopere ea admittere cavet, in quibus eum offendere vel contristari valet. Sic diligentem nos Redemptorem nostrum diligere deberemus, ne in aliquo oculos majestatis ejus of-

(33) S. Gregor. loc. cit. ad not. 32.

fenderemus, qui nos diligit non in aliqua suimetipsius utilitate, sed sola gratuitæ miserationis suæ bonitate. Nam quod homo hominem diligit, suam potius quam alterius utilitatem quærit, qui etiam si plus diligens, minus se diligi conspicit, animum citius ab eo quem dilexit avertit. Si ergo nosmetipsos tantopere diligimus, quanto magis Deus in omnibus et super omnia est diligendus, a quo id quod ardenter diligimus, accepimus, animam videlicet et corpus. Sequitur :

Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili ; et illas oportet me adducere, et vocem meam audient. Quasi propriæ oves Christi Judæi fuerunt, inter quos natus, nutritus est et conversatus, a quibus etiam passus et crucifixus. *Aliæ* vero *oves*, ut expositores dicunt, fideles sunt, qui de gentilitate ad fidem venerunt. Possumus etiam altiori sensu per oves Christi innocentes, et per alias oves pœnitentes intelligere, quas misericorditer in ovile suum dignatur adducere. Nam sunt nonnulli, quos in tenera adhuc ætate a sæcularis vitæ corruptione Dominus separat, et in spiritali conversatione a criminalibus peccatis custodit et observat. Et hi tales propter innocentiam vitæ non immerito Christi dicuntur oves. Et econtra plerique sunt qui omne tempus vitæ suæ in vanitatibus et illecebris sæculi consumunt, quos dum per internam visitationis suæ gratiam a via sua mala revocaverit et in ovile sanctæ conversationis adduxerit, oves 449 Christi per veram dicuntur pœnitentiam, sicut illi, de quibus supra diximus, oves per veram vocantur innocentiam. Hi vocem ejus audiunt, quia hoc quod ipse discipulos discere a se præcepit, quantum ipso adjuvante possunt, factis implere contendunt. *Discite*, inquit, *a me quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI, 29). Non enim dixit : Discite a me quod in crucis patibulo pro vestra salute pendeo. Sed, post positis omnibus passionis suæ laboribus, solum hoc eis exemplum proposuit humilitatis et patientiæ, ut qui vere discipuli ejus volunt esse, patientes sint et humiles corde.

De his talibus, innocentibus, inquam, et pœnitentibus, *fiet unum ovile*, unitum scilicet et in profunda cordis humilitate, quia humilia de se sentiunt, et honore invicem prævenire contendunt. Oves quippe pœnitentium, dum labores, jejunia, vigilias cæteraque virtutum opera in ovibus innocentium considerant, in eorum comparatione se vere peccatores dijudicant, et ideo magis magisque semetipsos humiliant. Econtra oves innocentium, dum humilitatem et dignam satisfactionem in ovibus pœnitentium attendunt, se nil boni egisse, se in vacuum laborasse conquerentes, humilitatem et perfectionem illorum imitari contendunt. Hac mutua humilitatis contentione dum invicem innocentes et pœnitentes honore se student prævenire, non incongrue dici valet quod sit *unum ovile*, quia in unitate humilitatis sibi mutuo concordant, et unanimi charitate se invicem submittunt et humiliant.

In hoc revera ovili *unus erit pastor*, humilitatis et innocentiæ auctor, et qualiscunque sit prælatus, ipse tamen pastor ibi erit primus et summus, qui supradictas oves innocentiæ et pœnitentiæ misericorditer pascit et gubernat in anima et corpore.

Hæc divinæ miserationis opera Petrus apostolus notat in Lectione hodierna. *Eratis*, inquit, *aliquando sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad pastorem et episcopum animarum vestrarum* (*I Petr.* II, 25). Verba hæc tam innocentibus quam pœnitentibus apte congruunt, quia pœnitentes hoc modo *oves errantes* erant, quod omnem vitam suam in vanitatibus sæculi transegerant ; innocentes vero nihilominus oves errantes fuerunt, quia factam 450 in se Dei misericordiam non cognoverunt, nec pro conservata innocentia dignas Deo gratias egerunt. Sed postquam ita, ut prædiximus, in ovile Christi convenerint, et vera humilitate et charitate coadunati fuerint, tunc quodammodo ad pastorem et episcopum animarum suarum conversi laudant et diligunt facta in se magnalia Dei.

Bene quidem Redemptor noster *episcopus animarum nostrarum* dicitur ; quia episcopus *superintendens* interpretatur. Priusquam homo in utero matris concipiatur et formetur, occulto dispensationis suæ consilio intendit quid de homine et cum homine facturus sit, quomodo innocentem et pœnitentem salvare velit. Novit ipse cognitor omnium mores et qualitates singulorum, et secundum id quod unicuique expedit, vocationem et conversationem ipsorum disponit. Sunt enim nonnulli, qui si puri et immaculati in infantia ad spiritale propositum vocarentur, alios despiciendo supra se extollerentur. Et ideo hos tales ipse scientiarum Dominus graviter nonnunquam lapsos per pœnitentiam clementer revocat, ut post lapsum conversi humiliores et fortiores fiant. Sunt etiam alii, quos si vanitatibus sæculi implicari permitteret, vix aut nullatenus ab amore sæculi animum suum retraherent. Et hos tales, sua præveniente misericordia, ab ineunte ætate usque ad finem conservat in innocentia. Ita ergo pastor et episcopus animarum nostrarum singulis quibusque salvandis *superintendit*, qua conversione quo ordine tam pœnitentes quam innocentes vocandi sint, et dum in ovile suum eos adduxerit in charitate ferventes, in humilitate invicem obedientes tam visibili quam invisibili pastionis suæ gratia pascit nos et reficit.

Et quia nos sumus oves pascuæ suæ, quos in ovile suum dignatus est adducere, tota cordis intentione vocem ejus sic studeamus audire, ut concordes charitate, subjecti in humilitate ita in præsenti dulcedinis suæ pabulo pasci mereamur, ut quandoque ad æternæ satietatis delicias perducamur. Id ipse præstare dignetur Dominus noster Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

451 HOMILIA XLIX.

IN DOMINICAM III POST PASCHA PRIMA.

Modicum, et jam non videbitis me, et iterum modi-

A *cum, et videbitis me, quia vado ad Patrem* (*Joan.* xvi).

Quia Dominus ac Salvator noster vidit et præscivit de corporali sui absentia discipulorum animos non mediocriter perturbandos, prædixit et præsignavit eis in his sacræ evangelicæ lectionis verbis passionem, resurrectionem suam et ascensionem, ut qui de temporali ejus morte turbandi essent, audita resurrectionis et ascensionis ejus gloria haberent unde consolari possent. Recte autem ait :

Modicum, et jam non videbitis me. Ab illa enim hora, ultima videlicet cœna sua, qua hæc eisdem discipulis suis locutus est, *modicum* erat tempus, quo eum *non videre* inciperent : Tentus enim nocte illa a Judæis, et in crastinum crucifixus, mortuus et sepultus, eorum sublatus est aspectibus. Sed *et* B *iterum modicum, et viderunt eum,* quando die tertia resurrexit, et per dies quadraginta, quibus in hoc mundo post resurrectionem suam mansit, quando et quomodo voluit eis apparuit. Quod autem adjunxit : *Quia vado ad Patrem,* per hoc prædixit eis mirabile sacramentum ascensionis suæ, qua expleta dispensatione mortalitatis in assumpta humanitate æternaliter regnaturus erat cum Patre in cœlis. Quia vero ipsi, utpote carnales adhuc et infirmi nihil horum intelligere poterant, subjunxit adhuc et ait :

Amen, amen dico vobis, quia plorabitis, et flebitis vos; mundus autem gaudebit; vos autem contristabimini, sed tristitia vestra convertetur in gaudium. C *Plorabant* quidem et flebant dolore inæstimabili, quando eum, quem præ omni mundo diligebant, præter quem solum, nullum in hoc mundo gaudium vel lætitiam habebant, nec habere volebant, comprehendi, ligari, **452** flagellari et ad ultimum crucifigi, mori et sepeliri cernebant. Mundus autem *gaudebat,* quia perfidi Judæi, qui mundum plus quam Deum amaverunt, in morte ejus lætati sunt, quia memoriam ejus pariter cum vita se exstinxisse putaverunt. Sed *tristitia* amatorum Christi *versa est in gaudium,* quia qui moriente eo incredibili dolore afflicti et contristati sunt, agnita ejus resurrectione, visa excellentissima ejus ascensione indicibili gaudio repleti sunt, testante beato Luca evangelista, qui ait : *At illi adorantes regressi sunt in Jerusalem* D *cum gaudio magno, et erant semper in templo laudantes et benedicentes Dominum* (*Luc.* xxiv, 52).

His breviter prælibatis etiam aliam adhuc mortem resurrectionemque corporis sui, sanctæ videlicet Ecclesiæ, cujus caput ipse est, intelligendam proposuit. Docet enim nos eisdem verbis qualiter mori et resurgere in hac vita debeant qui discipuli et membra ejus dici et esse desiderant.

Modicum, inquit, *et jam non videbitis me, et iterum modicum et videbitis me, quia vado ad Patrem.* His sane verbis, licet obscura valde et intellectu difficilia videantur, recte nobis æterna Dei præscribit Sapientia qualiter hi qui peccando erraverant, in viam justitiæ bene vivendo redire debeant. *Modicum* enim dictum est a *modo.* Ideoque cum dicit *modicum,* modum quemdam, quantum video, nobis ostendit, sine quo nullus hominum salvari poterit. Est enim, ac si dicat cunctis quos prædestinatos ad vitam misericordia sua salvare desiderat : Vos, qui immodici hucusque fuistis, dum immoderate vivendo peccatis peccata sine modo addidistis, jam modum aliquem **453** in peccando habete cohibendo vos a vitiis, quibus sine modo hactenus inservire studuistis. Sed primum istud *modicum,* quod possumus nominare conversionem peccatorum, licet sit via salutis humanæ et initium, necdum tamen videndum se homini Deus repromittit, donec ad secundum *modicum* proficiat, per quod cor contritum et humiliatum figuraliter designat :

Et iterum modicum, inquit, *et videbitis me.* Hoc etiam insinuari per Psalmistam videtur, cum dicit : *Declina a malo, et fac bonum* (*Psal.* xxxvi, 27). Declinare a malo, quod est primum *modicum,* homo peccator potest, sed non statim ad faciendum bonum sufficit, donec miserante Deo iterum *modicum,* quod diximus cor contritum, adeptus fuerit. Nam postquam per internam contritionem vere cor humiliatum fuerit ad faciendum bonum, homo antea invalidus convalescit, sicque per veram humilitatem confortatus ad visionem Dei proficit, ipso Domino testante, qui ait : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* v, 8). Et recte cor humile cor mundum appellatur. Scriptum namque est : *Immundus est ante Deum omnis qui exaltat cor suum.* Ad hanc autem cordis munditiam, in qua vere Deus videtur, qualiter homo pertingere valeat, licet obscure, per Psalmistam Spiritus sanctus insinuat : *Myrrha,* inquit, *et gutta, et casia a vestimentis tuis* (*Psal.* xliv, 8). Per myrrham carnis mortificatio, per guttam cordis humiliatio, per casiam mentis accipi potest contemplatio. Per vestimenta autem Dei Scriptura sacra accipitur, quia sicut vestimentis homo tegitur, ne nudus appareat, sic quodammodo Deus et sensus divinus sub velamine sacræ Scripturæ absconditus latitat. A vestimentis etenim Dei myrrha, et gutta et casia procedunt, quia ex Scripturis sacris homo conversus instruitur quali studio carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifigendo mortificare debeat ; quod est vere myrrha, quæ vere hominem a putredine vitiorum emundatum in Christo vivificat. Post myrrham ponitur gutta, quod est cordis humilitas : Quanto enim caro **454** mortificata dejicitur, tanto mens humiliata ad bonæ operationis studium accenditur. Post myrrham et guttam ponitur casia ; quia per carnis mortificationem et veram cordis humiliationem proficit homo ad suavissimam mentis contemplationem. Quia vero durum est homini et difficile sic mortificando et humiliando carnem suam despicere se ipsum Dominus, qui pro nobis et myrrha et gutta fieri voluit, nobis ad exemplum proponit dicens :

Quia vado ad Patrem. Gutta namque factus est

Dominus parvulus pro nobis infans nascendo, myrrha factus est in assumpta pro nobis humanitate moriendo. Nec injuste adventus Christi in carne guttæ comparatur. Nam sicut gutta una modicum quiddam est in comparatione magni fluminis, sic humanitas Christi parva valde res erat, ad comparationem incomprehensibilis ejus divinitatis. Igitur quicunque huic guttæ, Dei utique Unigenito, pro nobis homini facto, perfecte seipsum humiliando conformatur, quicunque myrrham hanc electissimam, mortificando in se vitia, imitatur, in eo procul dubio idem Deus et homo *ad Patrem vadit*, dum eum per visitationis suæ gratiam ad fastigium suavissimæ contemplationis sustollit, quæ significatur per casiam. Nec injuste casiæ, quæ est arbor aromatica, et non nisi in locis humentibus nascitur, contemplatio assimilatur, quia nobilis ille humor lacrymarum, quem contemplatio mentis de terra cordis elicit, diversas arbores, quæ sunt diversæ virtutes, in corde hominis crescere facit.

Et congrue quidem tria hæc verba Psalmistæ tribus supra dictis verbis Domini conveniunt. Per primum enim *modicum* sicut per myrrham mortificatio carnis; per *iterum modicum*, quemadmodum et per guttam, humilitatem designat cordis. Quod vero dicit, *quia vado ad Patrem*, sicut et per casiam, mentis ostendit contemplationem.

Per eadem etiam verba evangelica recte Oratio hodierna illuminatur, **455** in qua petimus, ut *errantibus*, quo *in viam possint redire justitiæ, veritatis lumen ostendatur*. Via etenim justitiæ est mortificatio carnis, lumen veritatis est humilitas cordis. Per hæc duo recte homo salvandus illuminatur, *ut, ea quæ Christiano inimica sunt nomini respuendo*, declinare a malo sciat, *et ea quæ sunt apta sectando*, facere bonum valeat. Quicunque igitur his gradibus manu gratiæ in spiritali vita provehitur, bene cum eo cujus membrum factus est dicere potest, *quia vado ad Patrem*. Ad Patrem enim cum Deo in Deo vadit, dum terrena quæque et caduca penna contemplationis transvolans, solis cœlestibus intendit. Sed quia talis est vicissitudo humanæ mutabilitatis et miseriæ, quod is qui modo per occultam supernæ visitationis gratiam suaviter cum Deo oblectatur et reficitur, modo, subtracta visitationis Dei dulcedine, in quamdam Dei et sui ignorantiam relabitur, apte subjungitur :

Dixerunt ergo ex discipulis suis ad invicem. Discipulorum nomine spiritum, animam et corpus hominis possumus accipere, qui dum se sub disciplinam Domini recte vivendo colligunt, nec tamen ad desideratam divinæ agnitionis et dilectionis dulcedinem pervenire possunt, ista sine intermissione verba ad invicem conferunt :

Quid est hoc quod dicit nobis : Modicum, et jam non videbitis me; et iterum modicum, et videbitis me, et quia vado ad Patrem ? Quid est quod dicit, modicum ? Duas hic posuit interrogationes. Prima interrogatio est propriæ ignorantiæ consideratio, secunda interrogatio est humilis pro eadem ignorantiæ suæ cæcitate continuanda ad Deum oratio. Nam quid aliud veri Domini discipuli faciunt, dum quasi derelicti a Deo nullo corporis labore, nulla cordis devotione ad gratiam divinæ dulcedinis pertingere se posse conspiciunt, nisi quod supplici corde et voce Domino clamant in oratione : *Quid est hoc quod dicit nobis, modicum ?* Ac si dicant : O Domine, essentialiter misericors **456** et bone, quid est hoc quod de ineffabili tua dulcedine nobis dicitur quotidie ? Doce nos, Domine, sola tua bonitate, fac et experiamur intrinsecus quid sit *modicum, et iterum modicum*, quod audimus extrinsecus, sine quo ad visionis tuæ gratiam pertingere non possumus.

Nescimus quid loquitur. Nihil nobis audire exterius proderit, si tua nos gratia docere intrinsecus desierit. Hujusmodi orationem quia libenter audiat et exaudiat Dominus, consequenter evangelista ostendit in consequentibus.

Cognovit autem inquit, *Jesus quia volebant eum interrogare et dixit eis*. Cognoscere Jesu est approbare et diligere Jesu. Nam revera omnes illos diligit, qui pro salute sua sollicitantur, qui pro ignorantia Dei, quam in semetipsis deprehendunt, frequenter contristantur. Interrogare hominis est desiderare hominis. Illi vere Deum interrogant qui id quod de spiritalis scientia perfectionis intrinsecus deesse sibi conspiciunt, precibus et lacrymis et desideriis omnino indefessis suppleri in se per misericordiam Dei desiderant. Hoc desiderium Jesus cognoscit, quia in electis suis approbat et diligit.

Dixit eis : De hoc quæritis inter vos quia dixi Modicum et jam non videbitis me, et iterum modicum, et videbitis me. Dicere Dei est suscitare Dei ; quia cor illud, in quo aliquod bonæ voluntatis vestigium, aliquod cœlestis patriæ desiderium deprehendit, ad magis et magis desiderandum se suscitat et accendit. *De hoc quæritis*, inquit, *inter vos*. Ac si dicat : *Quæritis*, et toto cordis desiderio ad hoc suspiratis, ut *modicum* istud et *iterum modicum*, de quo dixi vobis, agnoscatis, hoc est ut scire possitis qualiter me per dulcedinem visitationis meæ vobis præsentem observare, quibus meritis recedentem et gratiam meam vobis subtrahentem revocare valeatis : talem desiderii vestri inquisitionem quia approbo et diligo, viam, qua ad hoc pervenire possitis, vobis ostendo.

457 *Amen dico vobis quia plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit*. Ac si dicat : Mundi et mundum diligentium est inaniter extolli et gaudere, vestrum est plorando et flendo ab inani eorum gaudio abstinere. Gaudium mundi in duabus causis maxime subsistit, scilicet in voluptate carnis et voluntate cordis. Et quia pauci sunt qui in duabus his rebus non peccaverint, quin aut corpore ea quæ voluptatis sunt, delectabiliter possidendo, aut non possessa corde, id est voluntate ardenter desiderando, a via veritatis non erraverint, duo nobis verus noster medicus Christus proposuit medicamina, quibus et

ea, quæ voluptate carnis voluntate cordis commisimus, sanemus crimina : *Amen, amen*, inquit, *dico vobis quia plorabitis et flebitis vos.* Ploratus pertinet ad corpus, fletus ad cor. Et est quasi dicat Dominus cunctis ad perfectum tendentibus : Quidquid contra rectitudinem præceptorum meorum corpore commisistis, corporali labore et pressura evacuabitis ; quidquid corde ea quæ mundi sunt illicite desiderando deliquistis, non nisi amaro cordis fletu purgabitis. Hujusmodi autem Domini consilium cum amatores sæculi hujus haud facile recipiant, cum gaudere et inaniter extolli potius quam hoc modo plorare et flere desiderent et appetant, apte subjunctum est :

Mundus autem gaudebit ; vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Ac si dicatur : Gaudet quippe mundus gaudio, cui sempiternus succedit luctus. Vos autem, qui ad ea tenditis gaudia, quibus dolor nullus succedit vel tristitia, semper hac in vita contristari, semper corde et corpore oportet humiliari. *Sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Tristitia* electorum Dei, quæ vere secundum Deum est, quæ, juxta Apostolum, *pœnitentiam in salutem stabilem operatur* (*II Cor.* VII, 10), tunc vere *vertitur in gaudium*, quando, post mœrorem veræ humilis pœnitentiæ, Deus hominem suæ visitationis dulcedine intrinsecus consolatur. Hoc sane gaudium in exordio lectionis hujus suis humilibus **458** repromittit, ubi post *modicum et iterum modicum* ait, *et videbitis me.* Illud sane gaudium, quod ex interna Dei visione intrinsecus concipitur, omne gaudium excedit. Per illud enim cor contristatum in Domino non solum consolatur, sed in ipsa etiam consolatione ad videnda et cognoscenda multa, quæ antea incognita fuerant, illuminatur et sublevatur. Adepto siquidem tali gaudio, gaudio videlicet divinæ contemplationis, qualis et quanta cordis corporisque custodia adhibenda sit, per subjectam similitudinem docere videtur, cum dicit :

Mulier, cum parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus. Mulieris nomine mollem et infirmum hominem possumus accipere, qui tunc quasi *parere* dicitur, quando aut commissa deflendo crimina, aut ad cœlestia suspirando gaudia, aliquid quod gratum Deo sit et acceptabile, ex utero cordis sui parere nititur. Ad talem dum se præparat partum, *tristitiam habet.* Nisi enim humilitas et afflictio pœnitentiæ præcesserit, nihil, quod vel Deo placeat, vel sibi ipsi expediat, de corde suo parere homo poterit. Quæ tamen tristitia cum apud molles homines stabilis non sit, apte Dominus subjungit, *quia venit hora ejus. Hora* ejus, id est *hora* talis tristitiæ non aliunde nisi ab ipso Domino, omnium bonorum largitore *venit*, ex cujus munere est ut et homo salubriter pro peccatis suis noverit humiliari, et pro eadem humilitate divinitus mereatur consolari. Sequitur :

Cum autem pepererit puerum, jam non meminit pressuræ. Mollis et necdum fundata in Christo

A anima, *parto puero, pressuræ*, humilitatis videlicet et afflictionis, cui se causa pariendi puerum, spiritum videlicet salutis, ad horam submiserat, quodammodo *non meminit*, dum, post tempus orationis, immemor conceptæ ad horam internæ dulcedinis ad pristinam levitatem animi inconstantiam revertitur. Sed unde hoc?

Propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Ideo utique *non meminit pressuræ*, ideo obliviscitur visitationis et dulcedinis supernæ, *quia* **459** *homo est, et homo natus*, hoc est radicatus non in cœlum, sed *in mundum.* Sed quare aut quomodo, qui mundo renuntiavit, homo radicatus in mundum dici poterit ? Etenim qui ira, odio, vel invidia adhuc intrinsecus devastatur, qui pro meritis suis non cœ-

B lestia, sed terrena quærendo humanis laudibus delectatur, licet a mundo separatus sit, *homo in mundum natus*, in mundum radicatus jure nominatur.

Igitur qualiter nobis contra hæc vigilandum, docet nos beatus Petrus in Lectione hodierna, qua dicit : *Obsecro vos tanquam advenas et peregrinos abstinere vos a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam* (*I Petr.* II, 11). Illa desideria, quæ ad aperta carnis flagitia hominem illiciunt, non solum *carnalia desideria* nominantur, sed etiam ea quæ ad appetitum laudis humanæ, ad iram, vel impatientiam cor improvidum emolliunt et dejiciunt Quicunque igitur advenas et peregrinos in hoc mundo [se] cognoscentes, ab hujusmodi desideriis se abstinent, quicunque, juxta prædictam Domini

C sententiam, plorando et flendo in spe futuræ beatitudinis in hac vita se dejiciunt et deprimunt, horum ipse Dominus noster, sine quo solatium nullum est, et in præsenti consolator, et in futuro erit remunerator. Unde subjunxit et ait :

Et vos igitur, inquit, *nunc quidem tristitiam habetis. Iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum.* Ac si dicat : *Vos quidem nunc tristitiam habetis* salubrem, videlicet contritionem profundæ **460** humilitatis, sed sollicita mentis custodia curate ne sit *homo natus in mundum*, ne post conceptam internæ dulcedinis gratiam ad inania hujus mundi gaudia, ad ea quæ militant adversus animam desideria animo recurratis, sed in eadem cordis corporisque

D humilitate constantiaque perseverantes, solis cœlestibus intendatis. At si durum vobis hoc videtur et difficile, attendite quale sit gaudium, quod post felicem hanc perseverantiam vobis repromittitur in præmium : *Iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum.* Non enim semel vos vidisse, non sufficit mihi semel vobis gratiam dulcedinis meæ ostendisse, sed *iterum* iterumque *vos videbo*, quia quandiu in hujus vitæ exsilio laboratis, paternæ visitationis consolatione vos relevabo.

Et gaudebit cor vestrum, quia quanto durius tribulationum molestiis caro attrita turbatur, tanto copiosius cor vestrum desideratæ dulcedinis meæ gratia consolatur. *Et gaudium vestrum nemo tollet a vobis*, quia gaudium illud meæ visionis, hic inchoa-

tum, in futuro plenius dabitur vobis, ubi tanta se- A curitate, tam secura proprietate vobis stabilietur, quod, omni tristitia, omni adversitatis sublata molestia, nihil vobis nisi æternæ jucunditatis solemnitas et certa perpetuæ glorificationis manebit dignitas, per infinita sæcula sæculorum, Amen.

461 HOMILIA L.

IN EAMDEM DOMINICAM SECUNDA.

Modicum, et jam non videbitis me, et iterum modicum, et videbitis me, quia vado ad Patrem (*Joan.* XVI).

Præsentis hujus series lectionis pars est sermonis illius, quem in ultima cœna sua Salvator exorsus est cum dilectis et electis discipulis suis, qui sua dignitate et excellentia omnes sermones illos supereminet, quos in carne locutus est Dei Filius, ita ut nullus B evangelistarum, ad bene capiendum vel conscribendum fuisset idoneus præter ipsum solum beatum Joannem, qui supra pectus illius interim recubuit, de quo thesauros sapientiæ et scientiæ, qui in eodem pectore Jesu reconditi erant, haurire meruit.

Modicum, inquit Dominus, *et jam non videbitis me, et iterum modicum, et videbitis me.* In his Domini verbis vicissitudines et mutabilitates illæ denotantur quas fideles quælibet animæ, quandiu corpus hoc corruptibile quod aggravat portant, patiuntur. Quibus studium est frequenter orare, et quibus curæ est recessum et adventum Domini in cor suum vigili mentis circumspectione notare, illi nimirum vicissitudines has non ignorant, quoties videlicet ille C quem amant per occultam suæ inspirationis gratiam eos oblectet et reficiat, quoties rursus eamdem desideratissimam visitationis suæ dulcedinem eis subtrahat. Unde est illud quod sponsa in Canticis canticorum loquitur : *Fuge, dilecte mi, et assimilare capreæ hinnuloque cervorum super montes aromatum* (*Cant.* VIII, 14). Tantæ namque hæ bestiolæ agilitatis sunt, quod, quando jam comprehendi et contigi putantur, dicto citius venatorum manibus elabuntur.

Quibus non incongrue Christus, fidelium Sponsus animarum, comparatur, qui dum lacrymanti et insectanti se animæ 462 occurrens comprehendi patitur, subito iterum quasi e manibus avolat, et denuo revertitur si toto desiderio requiratur. Quod D autem dicit sponsa : *Fuge, dilecte mi, et assimilare capreæ hinnuloque cervorum super montes aromatum*, non dicit rogando, sed vicissitudines has, quas eam fragili adhuc carne circumdatam pati necesse est, insinuando. Per hoc quod ait Dominus, *modicum, et jam non videbitis me*, illud denotari credimus quod aliquando desideranti se animæ suam præsentiam subtrahit ; per *iterum modicum, et videbitis me*, hoc innuitur quod rursus Deum sitiens anima, intimis illum affectibus, atque ipsis medullis cordis cœlitus illapsum suscipit.

Et recte *modicum* ad utrumque ponitur, quia nimirum breve et *modicum* est quidquid præsentis temporis volubilitate agitur. *Modicum* est, quando ad animam visitandi gratia Dominus accedit, rursus *modicum*, quando probandi causa recedit. Istud *modicum* Isaias propheta notat, ubi eorum querulosa verba describit, qui Christi in carne præsentiam suspirabant : *Modicum ibi, modicum ibi* (*Isa.* XXVIII, 10).

Necesse utique habet unaquæque Deo devota anima ut diligenter semper observet, et quando visitatio immissa ab Altissimo veniat, et quando iterum subtracta eam deserat, quia si hoc vigilanti cura mens observare neglexerit, haud dubium quin et internæ suavitatis omnino expers sit. Hinc est quod Eliseo petente ut spiritus Eliæ duplex in eo fieret, Elias respondit :

463 *Si*, inquit, *videris, quando tollar a te, erit quod petisti ; si autem non videris, non erit* (*IV Reg.* II, 10). Elias typum gerit Domini Salvatoris. Eliseus in persona describitur animæ Deum sitientis. Spiritum Eliæ duplicem in se fieri anima expostulat, quando spiritum veritatis, spiritum duplicis dilectionis, Dei videlicet et proximi, dari sibi a Domino desiderat, quem non alio pacto conferri sibi posse Dominus repromittit, nisi abscessum ejus et reditum, sicut diximus, sollicita circumspectione investigare et prævidere studuerit. Post descriptas vicissitudines, visitationis videlicet et probationis, quas anima patitur, consequenti ordine subjungitur :

Quia vado ad Patrem. Vadit namque *ad Patrem* Dei Filius, quando pro animabus illis, quas, etsi lætificat ejus visitatio, molestat tamen vicissitudo, ipse misericorditer intercedit, et eidem Deo Patri se pro salute earum ostendit. Sequitur :

Dicebant ergo ex discipulis ejus ad invicem. Discipulorum nomine spiritum, animam et corpus hominis possumus accipere, qui ad hoc se intus et exterius conferunt, ut discant mandata Domini juxta testimonium illud Psalmigraphi : *Bonum mihi, Domine, quod humiliasti me, ut discam mandata tua* (*Psal.* CXVIII, 71). Illi profecto qui in sæculo sunt positi, mandata Domini discere non possunt, quia terrenis voluptatibus et desideriis supra modum inhiantes, his quæ ad eum et ad salutem animæ pertinent, intendere nequeunt. Sed hi discipulorum Domini recte nomine censentur, qui intra claustri septa se contulerunt, ut expeditum cor et corpus ad discenda præcepta Domini habeant, ut die noctuque sub disciplina Domini et districtione regulari vivant. Nempe spiritus, anima et corpus hominis, qui vere disciplinatui Domini inhærere noverunt, ista sine intermissione ad invicem verba conferunt.

Quid est hoc quod dicit nobis : modicum, et non videbitis me, et 464 *iterum modicum, et videbitis me, et quia vado ad Patrem ? Quid est quod dicit, modicum ?* Duæ istæ interrogationes sunt admirationes quia nunquam fit admiratio, nisi vel ex nimio dolore, vel ex nimio gaudio, nec aliquid homo miratur, nisi quod novum et rarum videtur. Admiratio, quæ ex magnitudine fit doloris, ad exercitium pertinet tentationis ; quæ autem ex

nimio contingit gaudio, tempus respicit consolationis. Miratur homo præ dolore, quando, ex vehementia tentationis, intimi saporis dulcedine se frustratum esse medullitus suspirat; miratur rursus præ nimio gaudio, dum redeunte supernæ gratia visitationis de multitudine, exsultat divinæ consolationis.

Illud etiam quod evangelista bis hic ponit : *Dicebant ergo ex discipulis ejus ad invicem ;* et iterum : *Dicebant ergo*, binam, quam diximus, respicit admirationem, quæ ex nimio dolore fit vel gaudio, quia exteriorum et interiorum sensuum cujuslibet electi hominis hæc est, nocturna atque diurna collatio, quod vel dolent in tempore tentationis, dum eis dulcedo subtrahitur intimæ visionis, vel quod gaudent, quando, conquiescente omni impulsu tentationis, auxilium in se experiri merentur supernæ consolationis. Ista quoque admiratio pulchre in Veteri Testamento prænotata legitur, quando cum nocte rore descendente simul manna descendit, mirantes filii Israel dixerunt : *Manhu*, quod significat, *quid est hoc?* (*Exod.* XVI, 15). Noctem intelligimus præsentem vitam, per rorem frigus tentationis, per manna saporem internæ comtemplationis. Cum rore manna descendit, quia post impulsum tentationis homini electo gratia venit intimi saporis. Has igitur vicissitudines interiores et exteriores sensus hominis in se sentientes, mirantes ut filii Israel dicunt, *Quid est hoc?* dum aut dolent aut contristantur propter molestiam tentationis, vel gaudent et delectantur propter abundantiam divinæ consolationis. Post descriptas harum vicissitudinum species recte subjungitur :

Nescimus quid loquitur. Nesciunt discipuli, id est spiritus, anima et **465** corpus hominis electi, *quid loquatur* Dominus quia quandiu sunt in corpore mortis hujus, nunquam discernere et investigare valent pro quibus meritis eos Dominus consoletur; nesciunt etiam, quando tentantur, utrum ad probationem vel perditionem eos tentari patiatur. Unde quasi dicunt *nescimus quid loquitur*, cum pro his vicissitudinibus conturbati sollicitantur. Hanc sollicitudinem quod Dominus diligat in electis suis, in consequentibus sancti evangelii demonstratur verbis :

Cognovit autem Jesus quia volebant eum interrogare. Cognoscere Jesu est approbare et diligere Jesu. *Cognovit Jesus, quia volebant eum interrogare.* Proprium est nescientis ut interroget, quatenus discat a sciente quod nescit. *Volunt* nimirum electi Jesum *interrogare*, quando omni studio elaborant investigare quid de eis decernat, dum aut anxiari eos permittit tentationibus, aut suis illos attollit consolationibus Hanc inquisitionem *Jesus cognoscit*, quia eam in electis approbat et diligit.

Dixit eis : De hoc quæritis inter vos, quia dixi : Modicum et, jam non videbitis me, et iterum modicum et videbitis me, id est quod facit et permittit eos aliquando subtracta visitationis suæ gratia tentationibus angustiari, et iterum beatissimæ præsen-

A tiæ suæ consolatione relevari. *De hoc*, inquit, *quæritis inter vos, quia dixi : Modicum, et jam non videbitis me; et iterum modicum et videbitis me.* Ac si electis suis ad supradictam inquisitionem suam intus respondeat Dominus : Quia hæc est die noctuque collatio interiorum et exteriorum sensuum vestrorum, ut scire et investigare possitis quid discessu et reditu meo significem in vobis; ego formam propono vobis, quam interim sequamini, quandiu corpus quod aggravat animam portatis, in quo vos has vicissitudines necesse est pati.

Amen, amen dico vobis, quia plorabitis et flebitis vos. Per hæc duo verba *plorabitis et flebitis*, quæ similem habent significationem, geminam intelligere possumus compunctionem; unam, quam timor

B pœnæ et peccatorum producit pœnitentia et amaritudo; **466** alteram, quæ de æternæ vitæ et cœlestium bonorum procedit amore et desiderio. *Amen, amen dico vobis*, inquit Dominus, in Veteris et Novi Testamenti institutione, *amen, amen dico vobis* in Dei et proximi dilectione, *amen, amen dico vobis* in activæ et contemplativæ vitæ exercitatione, *quia plorabitis et flebitis vos*, id est quia vestrum est ut, quandiu vivitis, et ex mei timoris formidine, et pro mei amoris compungamini dulcedine.

Mundus autem gaudebit, inquit. Ac si dicat : *Mundus*, id est amatores mundi in hoc ploratu et fletu partem habere nec volunt, nec possunt, quia inanem hujus sæculi lætitiam, quæ æterni doloris luctu amaricanda est, sequentes, recte pro peccatis suis et pro

C æternæ vitæ desiderio compungi nesciunt. Ab hujus sæculi reprehensibili, imo damnabili gaudio electos suos Dominus compescit, dum continuo subjungit :

Vos autem contristabimini. Vos, inquam, quos disciplinatui meo mancipavi, dum vos a communi hominum conversatione et corpore et habitu separavi, quandiu in hac vita, quæ tentationibus plena est, vivitis, semper et peccatorum vestrorum et mei amoris causa *contristari* debetis. Salubrem Apostolus tristitiam describens ait : *Tristitia quæ secundum Deum est, pænitentiam operatur in salutem stabilem* (*II Cor.* VII, 10). Et continuo subjunxit : *Ecce secundum Deum contristari quantam in vobis operatur sollicitudinem, sed defensionem, sed indignatio-*

D *nem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem sed vindictam* (*Ibid.*, 11). *Defensionem* salubris tristitia in homine operatur, cum homo de his quæ cogitatione, verbo, vel opere se deliquisse meminit, coram Deo digna pœnitentiæ satisfactione se defendere satagit; *indignationem* in illo operatur, cum semetipsum per hoc indignari et despicere incipit, quia aliquando tale quid admisit quod eum ab æternitatis amore separare potuit; *timorem* in eo parit, cum timere Deum, timere etiam pœnam, quæ peccatis suis debetur, incipit; *desiderium* gignit, cum toto cordis affectu ad amorem cœlestis patriæ suspirat, *æmulationem* in eo facit, cum zelo pietatis armatus peccata sua vehementer æmulari **467** studuerit; *vindictam* in illo operatur, cum omnia, quæ

contra Deum se egisse recordatur, quotidiana laborum suorum exercitatione, jejuniorum, scilicet, vigiliarum et orationum instantia, in semetipso persequitur. Ne autem electi Dei ita secundum Deum contristari abhorreant, quid sequatur hanc tristitiam, in consequentibus sancti Evangelii verbis Dominus eis demonstrat :

Sed tristitia vestra, inquit, *vertetur in gaudium*. Non enim qualiscunque *tristitia*, quæ de vano dolore concipitur; sed hæc de quo modo diximus, *vertetur in gaudium*, quia hanc æternæ remunerationis consequetur præmium. Ad quæ confirmanda Dominus nobis de muliere proponit paradigma, ut ex his quæ animus novit, ad incognita, quæ non novit, surgat, spiritalia videlicet ex comparatione corporalium rerum colligat.

Mulier, inquit Dominus, *cum parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus : cum autem pepererit puerum, jam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum*. Dolor, qui mulierem parturientem opprimit, omnem dolorem, quem unquam in corpore suo homo sufferre potest, excedit. Sed cum infans ei natus fuerit, et eum omnia membra integra habere perspexerit, ita de fructu ventris sui gaudet, ac si nunquam in partu dolore aliquo tacta fuisset. Bene ergo æterna Sapientia comparationem de muliere præcedentibus verbis suis aptavit, in quibus dicit : *Vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium*. Sicut enim parturiens mulier ad tempus dolet et cruciatur, postea autem de prole sua gaudens totius doloris et cruciatus obliviscitur, et anima cum labore et gemitu virtutum proferens opera postea, cum deposuerit corpus mortis hujus, quod eam aggravat, in aspectu remunerationis totius immemor erit gemitus et laboris. *Mulier*, inquit, *cum parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus*. Mulieri enim, cum a mollitie dicatur, satis congrue anima per Dei gratiam mollita comparatur, quæ tunc, ut diximus, *parit*, cum jugi laborum suorum instantia et multo imbre lacrymarum prolem virtutum de **468** se proferre et parere satagit, in quo partu procul dubio *tristitiam habet*, quia fructum laborum suorum non videt, præmium videlicet æternæ jucunditatis, quam consecutura est pro laboribus suis. Cum enim die noctuque homo laboraverit, et in jejuniis et vigiliis multis, ac orationibus assiduis vires suas expenderit, nihil pro hoc in hoc mundo accipit, nemo illum vel saltem pro hoc consolatorio verbo alloquitur, imo magis in spirituali vita et sub regulari disciplina positus, si quid minus egerit, gravi emendatione corripitur. Recte enim dicitur, *quia venit hora ejus*. *Venit hora* mulieris parturientis, id est animæ in carne laborantis, quia nunc est hora tentationis, hora miseriæ et peregrinationis. *Cum autem pepererit puerum, jam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Cum autem pepererit puerum*, id est cum fidelis quælibet anima, quæ pro Deo laboravit, in fine vitæ suæ fructum laborum suorum contemplari cœperit, et ipsum Deum, in quo est requies, obliviscens omnium laborum suorum in præmium acceperit, *jam non meminit pressuræ*, id est dolorum omnium, quos carnis adhuc sarcinam portans perpessa est, obliviscitur, *propter gaudium*, videlicet illud, *quia homo* ille, qui *natus erat in mundum*, jam cœlestis patriæ civis effectus visione Creatoris sui pascitur. Proposita ergo similitudine de muliere Dominus subjunxit :

Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis ; iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum. Vos, inquam, electi mei *nunc quidem tristitiam habetis*, dum mortem istam, tentationes et peregrinationem vestram ingemiscitis. *Iterum autem videbo vos*, id est dum corruptibile hoc induerit incorruptionem perpetuam, me ipsum vobis, sicuti sum, in divinitate et humanitate mea ostendam. *Et gaudebit cor vestrum*, dum in summa jam securitate positis, nihil unquam a diabolo, vel a mundo, vel a carne vestra, quod perturbet, amplius occurret vobis. De hoc gaudio cordis per Isaiam quoque prophetam Dominus dicit, ubi electos suos in cœlesti Jerusalem quandoque consolandos esse describit : *Et videbitis*, inquit, *et gaudebitis, et lætabitur* **469** *cor vestrum* (*Isa*, LXVI, 14). Quale sit illud gaudium, quis explicare valeat, cum etiam excogitari nequeat? Omnes sensus et omnia membra electorum in illud gaudium sempiternæ jubilationis se attollunt, in quo laudi Creatoris sine fine vacabitur, quæ laus est sine fastidio, quia sine fatigatione profertur. Hæc beatorum lætitia nulla aliquando interpolari valet tristitia, nullo fine terminabitur, quemadmodum in consequentibus Dominus pollicetur :

Et gaudium vestrum nemo tollet a vobis. Hujus æterni gaudii et nos quandoque participes simus ex largitate bonitatis ipsius, qui idcirco homo fieri et mortis tristitiam subire dignatus est, ut nos ad æterna gaudia perduceret, cui est honor, et gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

470 HOMILIA LI.

IN DOMINICAM IV POST PASCHA PRIMA.

Vado ad eum, qui me misit, et nemo ex vobis interrogat me : Quo vadis? Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum (*Joan.* XVI).

Sacrosancta hæc Evangelii lectio, quam modo audivimus, dilectissimi, sumpta est ex sermone illo, quem in ultima cœna sua cum discipulis fecit Jesus. Et sicut idem sermo omnes sermones illos excellit quos unquam fecit aut dixit, sic dignitas et excellentia mysteriorum, quæ in eo est, omnium hominum sensum et intellectum transcendit. Nec mirum, quia sicut eadem nocte novum et inauditum opus, quod nunquam antea factum est, facere voluit ; sic sermo, quem in eadem nocte fecit, jure cunctis sermonibus incomparabilis esse debuit. Hunc omnes discipuli ejus pariter audierunt, sed pari intelligentia omnes capere non potuerunt. Et hoc satis ex eo liquet quia quatuor illi proceres, qui Evangelium scripserunt, de sermone isto omnes tacuerunt, præ-

ter solum Joannem, qui dignus fuit solus supra pectus Jesu recumbere, ex quo haurire meruit fontem vitæ, fluenta æternæ sapientiæ. Sedebat in eadem cœna Matthæus cum Joanne; quod audivit Joannes, hoc audivit et Matthæus, sed nihil de sermone isto dixit vel scripsit, quia Deus illi dare noluit, quod soli Joanni, quem propter specialem castitatis prærogativam præ cæteris dilexit, præ cæteris servare voluit.

Quid de hoc nos miseri sumus dicturi? O homo, tu quis es, ut respondeas Deo? Quis ad videnda et cognoscenda sermonis hujus mysteria idoneus, si illi capere non potuerunt, qui præsentialiter eum a Domino audierunt? Æstimo tamen si quid est quod mortalis homo inde conjicere potest quod hoc potissimum servatum sit illis qui imitatores sunt Joannis, spiritalibus videlicet hominibus, qui, ad exemplum ipsius, custodita ab infantia castitate et innocentia sua, cum Domino et in cœna sunt, et in eadem cœna supra pectus Jesu recumbunt. Pectus Jesu sacra Scriptura est, quia sicut in pectore cor, et in corde vita est, sic latet in sacra Scriptura spiritualis ille sensus, ex quo vivificatur homo et reviviscit intrinsecus. Sunt nonnulli, qui supra hoc pectus Jesu caput, quod est intentio, reclinant, nec tamen in cœna sunt, illi videlicet qui ad investigandas et cognoscendas subtilitates Scripturarum non propter Deum, sed propter semetipsos elaborant, ut dum scire quod alios latet comprobantur, propter ipsam scientiam probabiliores, utpote disertiores, majorem ab hominibus honorem et gloriam consequantur. Hoc non convenit Dei amatoribus, Joannis imitatoribus, qui ad scientiam sacræ Scripturæ propter hoc solummodo debent elaborare, ut perveniant per eam ad majorem Dei notitiam, inveniantque in ea cor Dei, id est sensum Dei, per quem intus vivificentur, per quem ad dulcedinem cordis, ad munditiam corporis, ad puritatem orationis, ad desiderium æternitatis magis accendantur et informentur. Quicunque illi sunt, qui hoc modo supra pectus Jesu recumbunt, hos inter epulas et convivia internæ dulcedinis invisibiliter Dominus et inedicibiliter hujusmodi alloquitur verbis:

471 *Vado ad eum qui me misit; et nemo ex vobis interrogat me: Quo vadis?* In verbis istis, quantum videre possumus, videtur mihi quod significaverit Dominus quasdam vicissitudines, quibus et per quas exercentur in hac vita Dei fideles. Est enim vicissitudo quæ homini Deum diligenti dulcis est et chara et vicissitudo quæ ei valde tristis est et amara. In vicissitudine bona sunt, quando, visitante gratia Altissimi, per internam dulcedinem suaviter cum Domino reficiuntur. In vicissitudine amara sunt, quando, recedente Deo et interna gratia deficiente, laboribus et doloribus in semetipsis afficiuntur. Ait ergo: *Vado ad eum qui me misit.* Ipse est Verbum Dei Patris quod mittitur. Et est, quasi præsens præsentibus suis filiis et suis loquatur fidelibus: Ego sum qui, ad visitandum vos et salvandum, a Deo Patre in hunc mundum missus sum. Siquando per invisibilem præsentiam meam rore dulcedinis et gratiæ meæ infundi, et pro desiderio cordis vestri mecum aliquando intrinsecus consolari meruistis, dico vobis quia diu in hac gratia subsistere non potestis. *Vado* enim *ad eum qui me misit*, et in ea dulcedine qua velletis me diu habere non valetis.

Et nemo ex vobis interrogat me; Quo vadis? Interrogare hominis est desiderare hominis. *Nemo ex vobis interrogat me*, quia, me vadente, me gratiam vobis subtrahente, ad tantam cordis vestri duritiam devolvimini, quod *nemo ex vobis* desiderat me, hoc est quod neque de recessu meo doletis, sicut debetis, neque debito charitatis ardore reditum meum desiderare valetis. His laboriosis vicissitudinibus exercet fideles suos in hac vita Dominus, quæ et in Lectione hodierna ex parte notantur, cum dicitur: *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est descendens a Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio (Jac. I, 17).* Omnipotens Deus, cum semper idem sit, semper in semetipso stabilis subsistit, nunquam transmutatur, nulla unquam vicissitudine obumbratur. Apud illum quidem lumen est sapientiæ et scientiæ, apud illum est æterna suavitas, apud illum et in illo est æternæ exsultationis et lætitiæ jucunditas. **472** Nos vero, nos sumus apud quos et in quibus est transmutatio et vicissitudinis obumbratio, qui nec ad horam quidem in nobis subsistimus, sed semper variamur, vicissitudinibus variis succedentibus ita plerumque obumbramur, quod nos desiderare nec cogitare quod bonum est possumus. Quid enim est aliud, quod boni homines deflent in oratione, quod conqueruntur in confessione, nisi dum sentiunt in semetipsis quod gratia Dei carent, quod desiderium post Deum neque ad ea, quæ agenda essent propter eum, habere non valent? Attamen quia ipse est, ut diximus, Verbum Dei Patris, non solum hoc dico verbum, quod corporaliter exterioribus insonat auribus, sed quod invisibiliter docet hominem intrinsecus, quid sic vadendo ab homine operetur in homine, manifestat, cum dicit:

Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum. Quæ est ista *tristitia*, quæ ex ejus locutione, ex ejus, inquam, operatione (loqui enim Dei est operari Dei) generatur in homine? Est *tristitia* mala, quæ Deum offendit: est etiam *tristitia* bona, quæ offensum Deum homini placabilem reddit. Geminam hanc tristitiam definit Apostolus, cum dixit: *Tristitia sæculi mortem operatur; tristitia vero, quæ secundum Deum est, pœnitentiam operatur in salutem stabilem (II Cor. VII, 10).* Si homo pro damno sæculi, pro morte amicorum, pro incommodo rerum temporalium, vel etiam pro contemptu vel injuria a proximis sibi illata contristatur, hæc est *tristitia sæculi quæ mortem operatur.* Sed dum homo salubriter humiliatus in semetipso pro regno cœlorum, pro amissa interna Dei gratia tanto vehementius contristari cœperit, quanto minus subtracto eo, qui verum est

gaudium in semetipso invenit, quo consolari possit, hæc est *tristitia quæ secundum Deum esse probatur*, hæc *pœnitentiam in salutem stabilem operatur*. Per eam enim ad gratiam et dulcedinem Dei, quæ vere stabilis salus hominis est, homo ita revocatur, quod etiam stabiliter eam, quantum hoc in hac vita possibile est, habere meretur. Vel hæc est *pœnitentia in salutem stabilem*, ut homo ea, quæ commisit, quibus gratiam Dei amisit, ea stabilitate pœniteat, ut amplius non **473** admittat. Hæc est gratia et utilitas, propter quam summum illud Verbum, quod est Christus Filius Dei, qui et *Verbum* est per internam inspirationem suam homini loquendo, *Christus* invisibili gratia sua cor ungendo, utiliter ad horam homini se subtrahit, quatenus ipso recedente, quid sit per se, humilius homo incipiat agnoscere. Hanc enim utilitatem ipse manifestat, cum subjungit:

Sed ego veritatem dico vobis : Expedit vobis ut ego vadam. Ipse qui vera et summa veritas est, *veritatem* homini *dicit*, quando post salubrem illam tristitiam quæ secundum Deum est, homini tribuit quod in veritate se ipsum agnoscit, videt in hac ipsa sui agnitione quod omnino sibi expedierit quod sic eum Deus deseruerit, quia dum in hac omnipotentis Dei desertione medullitus humiliatur, dulcissima sancti Spiritus consolatione visitatur, quam nunquam consequi posset, si vere humiliatus non fuisset. Ait ergo ipse : *Super quem requiescam, nisi super humilem et quietum, et trementem sermones meos?* (*Isa.* LXVI, 2).
C Si enim in dulcedinis suæ gratia semper Deus homini adesset, nunquam in semetipso subsistere posset, sed et elevaret se super se, sibique quod Dei est non timeret attribuere. Unde secundum hæc Domini verba *expedit* homini *ut* ipse *vadat*, quatenus dum in ipsius recessu paupertatem et miseriam suam humiliter agnoscit, illi se per humilitatem discat subjicere a quo habet quidquid est, sine quo nec ad momentum quidem subsistere potest. Ait ergo Dominus :

Expedit vobis ut ego vadam. Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos ; si autem abiero, mittam eum ad vos. Potest enim fieri ut spiritum intellectus, spiritum consilii, vel alium aliquem magnum spiritum homo habeat; sed *Spiritum* illum, qui est *Paracletus*, qui est Spiritus consolationis, qui tristia et mœrentia corda mirabili suavitate sua consolatur, nemo promereri poterit, nisi qui in semetipso vere humiliatus fuerit.

Sed cum Spiritus iste venerit, ille, inquit Dominus, *arguet mundum de peccato, et de justitia, et de judicio. Arguit mundum de peccato* Spiritus sanctus, quoniam adventus sui **474** visitatione hominem illuminat, ut arguere semetipsum de peccato suo incipiat ; ipso quidem illuminante arguit se de peccato quod commisit, arguit se *de justitia* quam prætermisit, arguit se etiam *de judicio* quando dolet in semetipso quod nec pro commisso peccato, nec pro neglecta justitia unquam seipsum judicavit, sicut debuit.
A Unde ait Apostolus : *Quod si nosipsos dijudicaremus, non utique judicaremur a Domino* (*I Cor.* XI, 31).

Sed ut hæc eadem verba propter ea quæ subjecta sunt, manifestius intelligere valeamus, similitudinem quamdam nobis proponamus. Sit mulier, quæ habeat virum. Si accidit ut vir ille longe recedat ab ea, si fidelis est ei, in hoc ostendit, ut eamdem fidem absenti quam et præsenti servare studeat, et in quibuscunque offendere posset præsentem, offendere timeat absentem. Mulier ista est quælibet fidelis anima ; vir ejus est Christus. Vir iste si subtrahit se sponsæ suæ, id est animæ, si fidem Dei habet in se, debet absentem sicut præsentem diligere, debet se ab omni pollutione cordis et corporis sollicite custodire,
D nihil negligere, eadem disciplina atque constantia absenti sicut præsenti in omnibus servire ; nam hoc est veram fidem servare ad eum.

Sed adhuc aliquid subtilius in verbis istis intelligere possumus. Nam quod ait : *Ille arguet mundum de peccato, de justitia, et de judicio*, statimque quasi exponendo eadem verba subjunxit : *De peccato quidem, quia non credunt in me ; de justitia vero, quia vado ad Patrem, et jam non videbitis me ; de judicio autem, quia princeps mundi hujus jam judicatus est.* In his verbis, quantum mihi videtur, tria notavit, excepit, inquam, de cunctis peccatis unum peccatum, quod est maximum omnium peccatorum, de cunctis justitiis unam justitiam, quæ est maxima omnium justitiarum, de cunctis judiciis unum judicium, quod est maximum omnium judiciorum. Summa omnium peccatorum est infidelitas; nam quod homo in Deum non credit, hoc peccatum cuncta peccata excedit ; sine fide enim nunquam potest fieri aliquod bonum, testante Apostolo, qui ait : *Omne quod non est ex fide, peccatum est* (*Rom.* XIV, 23). Summa **475** omnium justitiarum est fides, non solum dico illa fides, quod homo credit in Deum, sed quod in omnibus rebus debitam fidem servat ad eum. Hæc fides operatur in homine mentis contemplationem, quæ transcendit omnem justitiæ operationem. Nam cum homo ad hanc puritatem cordis sui venerit, quod nihil ei in hoc mundo præter Deum sapit, cunctamque post eum, quem videre non
D potest oculis corporis, mentis suæ intentionem et devotionem in cœlum dirigit, hæc est tota et plena justitia, in qua plene comprehenduntur et complentur universa justitiæ opera. Ibi vere Deus pascitur et potatur, vestitur et visitatur, ibi hospitio suscipitur, quidquid est justitiæ, ibi totum perficitur.

Summa vero omnium judiciorum est quando perpendit homo et considerat quale, quantum et quam terribile est judicium, quo princeps mundi hujus jam judicatus est cum omnibus suis sectatoribus. Qui recte *princeps mundi* dicitur, quia per hæc duo verba duo quædam notantur, per quæ ipse diabolus maxime regnat in hominibus, cum quibus æternaliter judicandus est et damnandus. Superbia quidem,

quæ sub nomine *principis* intelligitur, et voluptas carnis, quæ sub nomine *mundi* figuratur. Hoc judicium cum homo ita perpendit, quod et ipse veraciter et ex omni corde suo pertimescit, atque duo illa, superbiam scilicet cordis et voluptatem carnis, ea districtione in semetipso judicat et damnat, quod superbiam per humilitatem comprimere, voluptatem per continentiam et castitatem semper in semetipso laborat exstinguere, hoc judicium est super omne judicium, per hoc judicium evadit homo æternæ damnationis supplicium. Sequitur :

Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Cum venerit ille Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem. De verbis istis secundum expositores breviter hoc dicimus, quia sancti apostoli, quibus hæc loquebatur Dominus, qui carnales adhuc et infirmi erant, capere spiritualia nondum valebant, sicut aperte ex eo liquet, quia eadem nocte quando eis ista dicebat, quando in sanctissima illa cœna de cælestibus mysteriis, quæ eis nunquam ante dixerat, tanta dulcedine eos informabat, qualem ex eo tempore, quo manere cum illo cœperunt, usque in horam illam nunquam experti sunt, mox ut de eadem domo **476** egressi sunt, relicto illo omnes fugerunt. Sed veniens desuper Spiritus sanctus *docebat* eos *omnem veritatem*, quia replente illo et docente Divinitatis gloriam plene et perfecte cognoverunt et constanter mundo prædicaverunt, quam necdum Christo præsente et docente perfecte cognoscere potuerunt. Aperuit quidem eis quasi ostium quoddam veritatis, quando assumpto Petro, Jacobo et Joanne in montem, ubi transfiguratus est ante eos, claritatem gloriæ suæ, quam filii lucis post resurrectionem visuri sunt, eis demonstravit, ubi viderunt Moysen et Eliam cum eo loquentes. Patrem etiam veritatis de cœlo audierunt, ubi facta est vox de nube dicens : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite* (*Matth.* XVII, 5). Ibi quidem quasi per ostium veritatis introspexerunt, post adventum vero Spiritus sancti in ipsam veritatem intraverunt, ipsam veritatem, illuminante et confortante eos Spiritu sancto, constanter et sine timore mundo annuntiaverunt. Nam et ipse Petrus, qui ad vocem mulieris ostiariæ Christum negavit, postea coram regibus et principibus : *Obedire*, inquiens, *oportet Deo magis quam hominibus* (*Act.* V, 29), mortem constanter pro Christo suscepit. Unde recte ait Dominus : *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem ; non enim loquetur a semetipso, sed quæcunque audiet loquetur, et quæ ventura sunt annuntiabit vobis.* Spiritus sanctus non loquitur a semetipso, quia non est a semetipso, sed a Patre et Filio. Ab illis quidem loquitur, cum quibus una essentia esse, dignoscitur. *Quæ ventura sunt, vobis annuntiat*, quia gaudia patriæ cœlestis per donum suæ inspirationis vobis manifestat.

Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis, Spiritus sanctus clarificavit A Christum, quando ad cognoscendum eum apostolorum corda perfecte illuminavit. Nam quod nondum eum perfecte cognoverint, probat ipse Dominus, ubi dicente Philippo : *Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis* (*Joan.* XIV, 8), respondit : *Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me, Philippe?* (*Ibid.*, 9.) Bene quidem eum cognoverunt, Dominum et Magistrum suum esse non dubitaverunt, sed eam quæ in ipso erat divinitatis suæ gloriam nondum plene cognoverunt. Cognovit eum utique Petrus, cum dicebat : *Tu es Christus Filius Dei vivi* (*Matth.* XVI, 16), sed nondum tamen ita clarificatus erat in illo, **477** ut pro divinitatis ejus mori posset testimonio. Sed quia hæc omnia Spiritus sanctus in illis operaturus erat, recte Dominus dicebat : B *Ille me clarificabit*, hoc est ille me vobis insinuabit, *quia de meo* esse, de mea essentia, quæ in Patre mecum una est substantia, *accipiet*, *et annuntiabit vobis*, ut quod de me, id est, de divinitate mea adhuc non cognoscitis, plene atque perfecte cognoscere possitis.

His secundum sensum expositorum breviter prænotatis videamus si quid subtilius per auxilium Spiritus sancti in verbis istis invenire vel intelligere possimus.

Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Verba ista æstimo non sic omnino esse intelligenda, quod ipse, qui est Verbum Dei Patris, ita ea dixerit, quod majora adhuc et sublimiora C docere discipulos suos, sanctos apostolos, vellet, quam docuerat, quia nec excellentia sermonis hujus hoc admittit, cui nihil excellentius in omni doctrina sua inveniri poterit. Sed dicere Dei est facere Dei, sicut scriptum est : *Dixit, et facta sunt* (*Psal.* XXXII, 9). Et quia nunquam homo in hac vita tantum proficit, nisi adhuc habeat, unde magis proficere possit; talis est humana natura ut, sicut semper habet quo descendat, ita semper habeat quo ascendat; electos et dilectos discipulos suos, quos ultra omnes homines provexit, ad majorem adhuc dignitatem provehere voluit. Unde per *multa* illa quæ adhuc eis se dicturum promisit, multas gratias, multas utilitates et profectus præsignabat, quos adhuc in illis et per illos facturus erat. Nam etsi D opus non habebant, utpote post adventum Spiritus sancti omnium hominum perfectissimi, in semetipsis altius proficere, in profectibus tamen illorum qui salvandi erant per verbum et doctrinam eorum, multa eis adhuc habebat adjicere. Quidquid enim laboraverunt in salutem proximorum, hoc totum accessit ad profectum illorum. Ergo recte ait : *Adhuc habeo multa vobis dicere*, hoc est adhuc multa habeo vobis facere. Volebat enim ut in se et in proximis semper de virtute in virtutem irent, donec ad videndum Deum deorum in Sion pervenirent. Hæc sunt *multa* illa quæ tandiu cum eis egit, donec ad unum redegit. Porro unum est necessarium. Turbabantur erga multa, quandiu erant in hac vita, sed *multa* illa ad unum sunt **478** redacta quando eo

usque ascenderunt, quod semetipsos propter Deum in mortem tradiderunt, et illud unum, quod est necessarium, regnum utique cœlorum, in præmium acceperunt.

Adhuc, inquit, *multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo*. Ac si diceret : Multa ista quæ in vobis et per vos in proximis vestris, fidelibus meis, per vos salvandis facturus sum, non possunt simul fieri, in brevi non possunt consummari. *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem*. Per *omnem veritatem* possumus intelligere vel Veteris vel Novi Testamenti cognitionem, vel Dei et proximi dilectionem. Sed hæc interim omittamus, et quid recte *omnis veritas* sit subtilius videamus.

Omnis veritas, quam vere *docet Spiritus veritatis*, est cognitio sui et cognitio Dei, quia quidquid veritatis in Scripturis sacris continetur, per hæc duo totum adimpletur. Cognitio sui parit homini timorem, timor humilitatem. Quod enim non timemus, inde est quod perfectam nostri cognitionem non habemus. Si recte nosmetipsos cognosceremus, nihil nisi quod timendum esset, in omni vita nostra inveniremus. Hunc timorem habebat electus ille servus Dei Job, quem Dominus tanta laude extulit, quod nullus hominum in terra ei similis fuerit, cum diceb at : *Verebar omnia opera mea* (*Job* IX, 28). Ipse a Domino quidem laudabatur, sed quia perfecte timorem Dei ante oculos habebat, verebatur cuncta, quæ faciebat. De hoc timore scriptum est : *Initium sapientiæ timor Domini* (*Eccli*. I, 16).

C

Post humilem sui cognitionem, cum homo ad istum pervenerit timorem, statim sequitur cognitio Dei, quæ parit amorem Dei, quia quicunque cognitionem Dei non habet, nec dilectionem Dei habere valet. Est autem cognitio, Dei, quando homo, illustrante Spiritu sancto, in dulcedine cordis sui perpendit et considerat miram et magnificam super genus humanum Dei misericordiam, quod hominem, quem ad imaginem et similitudinem suam creavit ex nihilo, et ad quodcunque voluisset, creare cum potuisset, hominem rationalem, hominem, inquam, ad cognoscendum Deum et diligendum intelligibilem creare curavit, et ad ultimum, quod est omnium maximum et pretiosissimum, corpus et sanguinem **479** suum nostræ salutis fecit pretium, ita ut sicut tunc semel pro nobis pereuntibus in ara crucis voluit immolari, sic quoque ejusdem corporis et sanguinis sui sacramentis quotidie morientes, quotidie nos faciat reviviscentes. Per hanc veram Dei cognitionem procedit homo ad suavissimam Dei dilectionem, de qua scriptum est : *Plenitudo legis est dilectio* (*Rom*. XIII, 10). In timore est initium sapientiæ, in amore est tota sapientia, quia quidquid lege jubetur, per hunc Dei amorem totum adimpletur. Et hæc sunt verba quæ ait : *Docebit vos omnem veritatem*, hoc est dabit cognitionem Dei et sui, quod vere *omnis veritas* potest dici.

Non enim loquetur a semetipso; sed quæcunque audiet loquetur, et quæ ventura sunt annuntiabit

A *vobis*. — *Qui a semetipso loquitur*, ut in alio Evangelii loco Dominus dicit, *propriam gloriam quærit* (*Joan*. VII, 18). Spiritus sanctus *non loquitur a semetipso*, quia non est a semetipso, sed a Patre et Filio, nec sui gloriam quærit, sed Patris et Filii, a quibus procedit, sed ut ad sensum facilius perveniamus, per singula membra versum istum distinguamus. *Non enim loquetur a semetipso*, hoc est faciet vos propriæ gloriæ contemptores. *Sed quæcunque audiet loquetur*, hoc est faciet vos veros Dei in spiritu adoratores. *Et quæ ventura sunt annuntiabit vobis*, hoc est faciet vos fideles æternæ salutis et perpetuæ damnationis prædicatores. Nunc de sensu videamus.

Loqui Spiritus sancti est visitatio et inspiratio
B Spiritus sancti. *A semetipso non loquitur*, quia cor illud, quod ipse visitat et inspirat, hoc per suam misericordiam ad hoc humiliat et illuminat, ut in cunctis actibus vel dictis suis, non suam, sed solius Dei gloriam requirat. Hoc enim unicuique ante omnia satagendum est homini, ut hanc a Domino misericordiam consequatur, ut in omnibus, quæ facturus, dicturus est, aut docturus, illius solummodo gloriam quærat, a quo et mercedem exspectat, ne de illis sit de quibus Dominus dicit : *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam* (*Matth*. VI, 2). Post hæc recte subjungitur : *et quæcunque audiet loquetur*, quia quemcunque hominum ipse Spiritus veritatis perfectum propriæ gloriæ contemptorem fecerit, hunc verum in spiritu facit Dei adoratorem : **480** et quæcunque homo ille in illa suavissima mentis illuminatione, in illa purissima oratione loquitur, ille profecto audit, qui eum tactu gratiæ suæ intus loquentem facit. Quod ipse non loquitur in homine, hoc quidem nec ipse probatur audire, quia ad profectum et utilitatem hominis non facit transire. Sequitur :

Et quæ ventura sunt annuntiabit vobis. Ac si dicat : dum his gradibus per gratiam Spiritus sancti quotidie ascenditis, quod vere propriam vestri gloriam contemnitis, quod in oratione vestra illius solummodo qui loquitur in vobis voluntati intenditis, *quæ ventura sunt* utiliter annuntiare poteritis. Quæ sunt *quæ ventura* sunt? Duo, salus æterna et damnatio
D æterna. *Quæ ventura sunt annuntiabit vobis*, dum per suam misericordiam dabit vobis ut et bonis qui salvandi sunt æternam salutem, et malis qui damnandi sunt perpetuam damnationem fructifere et salubriter annuntiabitis. Sed unde ista vobis dabit, unde hæc *ventura* utiliter annuntiantes facit? Dico vobis :

Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis. In his duobus verbis *me*, et de *meo*, duo exprimuntur, quæ sunt in Deo, divina videlicet et humana natura. Est enim Deus et homo, Verbum et caro, Deus invisibilis, homo visibilis, Verbum secundum divinitatem, caro secundum humanitatem. Ergo per *me*, quod est Verbum per se, potest intelligi Divinitas. Quod autem dicit *de meo*, quod quasi adjectivum est, potest intelligi assumpta in Deum

humanitas. Illud enim fuit per se, istud assumpsit in se. Et sicut hæc duo in Deo sunt interior divinitas, exterior humanitas, sic in Scriptura sacra, quæ nihilominus caro Dei dicitur, Duo sunt, littera et sensus, caro et spiritus, sensus litteralis exterius, sensus spiritualis interius. Inde ait : *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet.* Ac si dixisset : *Me*, qui Deus sum et homo, Verbum et caro, ille Spiritus veritatis *clarificabit;* sensum enim meum, sensum spiritalem et divinum, quem *de meo*, de carne mea, quod est littera mea, *accipiet, vobis annuntiabit,* vobis ita manifestabit, et elucidabit, ut in tota Scriptura mea nihil sit, quod vobis abscondi possit; *Vobis annuntiabit,* vobis ipse dabit, ut utiliter et fructuose annuntiare possitis illis qui credituri sunt æternam salvationem illis **481** qui damnandi sunt, æternam damnationem ; *vobis annuntiabit,* quia quidquid in aliorum profectibus laboraveritis, vobis in æterna vita recompensabit, quando seipsum, qui est vita æterna, vobis in præmium dabit, ut ipse sit merces vestra, laus perennis, et inæstimabilis gloria per infinita sæculorum sæcula. Amen.

HOMILIA LII.

IN DOMINICAM IV POST PASCHA SECUNDA.

Omne datum optimum, et omne donum perfectum de sursum est, descendens a Patre luminum (*Jac.* I), etc

In duobus his dictis, quorum primum *datum optimum*, alterum *donum perfectum* dicitur, gemina dilectio, Dei et proximi non incongrue intelligitur. *Omne datum optimum* apte exprimit dilectionem proximi. Inter omnia enim data datum illud datum optimum jure dicitur et est, quod homo, omni abjecta amaritudine et dolo, suavi corde proximum suum diligere potest, et bonum, quod sibi ipsi fieri amat, simplici etiam corde proximo suo optat et desiderat. Omne autem *donum perfectum* dilectionem Dei, quæ solummodo perfectorum est, non inconvenienter significat, dilectionem enim proximi omnes homines habere possunt ; ad dilectionem Dei soli perfecti ascendunt. *Datum* quidem *optimum* Petrus habuit, quia, sanctam ejus conscientiam nulla odii vel invidiæ amaritudine remordente, puro et simplici corde omnes homines dilexit. Sed *donum perfectum* nondum habuit, dum seipsum plus quam Deum dilexit, et propter unius vocem ancillæ negando mori pro Christo timuit.

Bene autem dicitur : *Desursum.* Geminum enim donum dilectionis Dei et proximi vere *desursum est ;* quia sancti angeli et beatæ electorum animæ, quæ *sursum*, quæ in cœlo sunt, utrumque hoc donum a Deo acceperunt, quod et ipsum super omnia diligentes, et ad se invicem mutua charitate flagrantes, nihil, quod vel isti, vel illi dilectioni contrarium sit, admittere possunt. Et licet sit *desursum*, fit etiam *descendens*, quia Deus omnipotens etiam in hac vita electis et dilectis filiis suis hoc ipsum donum suum dividit, dum et ad suam, et proximorum dilectionem dulci inspiratione sua eos provehit **482** et accendit. Ergo dum dicit *descendens*, admonet nos

A ut, dum hoc donum dilectionis Dei vel proximi in nobis senserimus, non nostris meritis, sed gratuitæ bonitati illius, a quo descendit, humiliter ascribamus.

Et notandum quod non dicit : *Descendens a Deo*, vel Creatore, vel ab Omnipotente, sed *descendens a Patre.* Magna enim in hoc verbo consolatio, mira et inæstimabilis erga nos peccatores omnipotentis Dei ostenditur miseratio. Ipse enim est *Pater* noster, Pater ille bonus et misericors, qui paternum affectum semper habet erga filios suos. Sicut enim bonus aliquis pater uno pro infirmo et debili infantulo suo majori interdum sollicitudine ac miseratione angitur et movetur, quam super his, qui sani sunt, et per se subsistere possunt, sic Deus omnipotens, dulcis Pater noster, speciali quadam miserationis dul-
B cedine, infirmis suis filiis, quod sunt peccatores, condescendit, et compatitur. Ipse enim ille Pater est, qui multos habet filios, habet sanos, habet et infirmos. Filii incolumes justi sunt et innocentes ; filii infirmi et debiles miseri sunt peccatores. Et quamvis utrisque paternæ pietatis custodia provideat, justis videlicet et peccatoribus, ampliori tamen miserationis respectu his qui infirmi sunt, qui a vera sanitate peccando deciderunt, invigilat, ut salvos faciat.

Et bene dicit *descendens a Patre luminum.* In se ipso enim *lumen* est indeficiens, lumen sempiternum; in nobis vero lumen est efficiens, lumen dico illuminans et inflammans, quia illuminat nos ad cognitionem, inflammat nos ad dilectionem. Et ut plenius
C adhuc et perfectius multimodam ejus **483** circa nos miserationem cognoscamus , subjunxit adhuc Apostolus et ait :

Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Quamvis verba hæc intelligenda sint quod ipse secundum divinitatis suæ excellentiam nunquam transmutetur, nunquam ab illa, quam non solum secundum divinitatem, sed etiam in humanitate sua habet, æterni claritate splendoris obumbretur, juxta vocem Prophetæ, qui ait : *Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient* (*Psal.* CI, 28) : possumus etiam sic intelligere, quia, licet nos a filiali dilectione, a filiali quam illi debemus sæpe mutemur veneratione, ille tamen nunquam transmuta-
D tur a paternitatis suæ dulcedine, ab inæstimabili illa quam habet super nos miseratione. Nam cum Patrem se recognoscat, eos qui filii ejus sunt, quos prædestinavit hæredes fieri regni sui, etiam jacentes in peccatis diligit, quia non intuetur eos tales quales tunc sunt, cum peccata committunt, cum vitiis inserviunt, sed quales futuri sunt, cum fortiores et perfectiores post lapsum resurgunt. Ut enim audenter dicam, cum Petrus negavit, cum David adulteri simul et homicidii crimen perpetravit, propter illorum delictum non est transmutatus Deus pius et misericors ab illa pietatis suæ dulcedine, qua et illum ante negationem, istum ante adulterii homicidiique reatum dilexit, cum dixit : *Inveni mihi virum secundum cor meum*, quia non quales tunc, sed quales fu-

turi erant, provido pietatis suæ oculo misericorditer illos inspexit. Ergo nullius hominis peccatum, quantumcunque grave, mirabilem illum paternitatis suæ affectum, quem erga nos, qui per æternam prædestinationem in filios Dei assumendi sunt, potest immutare.

Juste autem, postquam dixit, *apud quem non est transmutatio*, adjecit, *nec vicissitudinis obumbratio*. Nos miseri, nos peccatores, ex nostræ mutabilitatis miseria quasi quibusdam vicissitudinibus obumbramur, cum juxta Prophetam, qui ait : *Confitebitur tibi, cum benefeceris ei* (*Psal.* XLVIII, 19); accedentibus prosperis Deum diligimus, succedentibus adversis a dilectione Dei revocamur ; cum ad vota cuncta suppetunt, alacres et devoti Domino famulamur: cum obest **484** quid, quasi tædio quodam affecti in servitio Dei lassamur. Sed *vicissitudinis* hujus *obumbratio* non cadit in Deum, quia uno eodemque paternitatis affectu et dulcedine diligit nos, quotquot prædestinati sumus ad vitam, et cum diligere non possumus, cum bene facimus, et cum bene facere non possumus. Scit enim quos elegit, scit qui modo in peccatis jacent et peccato serviunt, quales per gratiam ipsius postea futuri sunt.

Ad cognoscendam autem et investigandam tantam omnipotentis Dei erga nos miseros benignitatem et misericordiam nullius hominis sensus sufficit, nullius hominis intellectus comprehendere poterit. Tantæ etenim miserationis efficiens causa est sola Dei voluntas, inæstimabilis et gratuita Dei bonitas. Quod intuens beatus iste apostolus apte subjunxit : *Voluntarie enim*, inquit, *genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus*. Ideo utique dicit *voluntarie*, quia nullis nostris præcedentibus meritis, sed sola sua voluntate, sola sua clementi bonitate *genuit nos* sibi ipsi in filios. Et quomodo *genuit nos ?* Non ea utique generatione, qua carnales patres generant filios, sed *verbo veritatis*. *Verbum veritatis est* Filius Dei, *Verbum veritatis* verbum est fidei ejus, quam dedit nobis, qua credimus eum Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia sæcula, in fine temporum ad infima nostræ mortalitatis descendisse, in assumpta pro nobis humanitate passum, mortuum et sepultum, resurrexisse et ascendisse et jam sedentem ad dexteram Patris, venturum in fine sæculorum ad judicandum genus humanum.

Sed quia audivimus quomodo nos genuerit, videamus etiam ad quid nos genuerit. *Ut* videlicet *simus initium aliquod creaturæ ejus*. Cœlum, terra, mare, et quidquid in eis est, totum *creatura Dei* est. Hujus *initium creaturæ* est homo. His enim omnibus præeminet homo, super hæc omnia principatum tenet homo. Quæcunque enim creata sunt, propter hominem creata sunt. Igitur in hujus vitæ mutabilitate sumus *initium creaturæ* Dei, in æterna vita erimus consummatio creaturæ Dei. Hic enim verbo veritatis, quo in filios Dei **485** generamur, initiamur quodammodo in illam beatitudinis gloriam, qua in futura vita consummati, et in perfectos Dei filios transformati sine defectu æternaliter cum Christo glorificabimur.

Quia vero beatus Jacobus hanc suam epistolam non universaliter omnibus hominibus, sed tribubus Israel, perfectis videlicet, qui ad visionem Dei, ad quam initiati sunt, pie vivendo pervenire contendunt, post sublimem hanc doctrinæ suæ institutionem subjungit, dicens : *Scitis, fratres mei dilectissimi*. Ac si dicat : Quæ ego scribo vobis, ipsi quidem *scitis* sed ideo scribo vobis hæc, ut ad facienda et custodienda, quæ scitis, parati semper et solliciti sitis. Quid autem sit, quod ad hanc eos custodiam juvare et excitare possit, ostendit protinus, cum subjungit : *Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus ad loquendum, et tardus ad iram*. Cum audiri plerumque possit quod auditum non solum non prodest, sed etiam obest, *sit omnis homo velox ad audiendum* non omnem auditum, ut arbitramur, significat, sed auditum verbi Dei, verbi veritatis, per quod in filios Dei generamur ; quia quisquis hoc verbum veritatis non cognoverit, nec crediderit, nullo modo salvus erit. Est autem, quasi dicat : Omnis homo, qui annumerari inter filios Dei desiderat, agilem atque sollicitum ad audiendam doctrinam verbi Dei semetipsum exhibeat, quatenus per assiduitatem audiendi addiscat quid de Deo scire, credere vel docere oporteat. Quod cum, divina illuminante gratia, didicerit, ne affectus prælationis subrepat, humiliter in semetipso subsistere laboret atque studeat. Hoc etenim docet nos Apostolus verbis sequentibus, cum dicit : *Tardus autem ad loquendum*, *Velox* debet semper esse *ad audiendum* et discendum ex assiduitate verbi Dei quid de Deo scire vel credere debeat ; *tardus* autem debet esse *ad loquendum*, hoc est ad prædicandum et docendum, ne locum prædicationis, locum dico prælationis unquam vindicare, vel etiam affectare sibi præsumat.

Si vero omnipotentis Dei dispensatione et ecclesiastica vocatione in locum **486** regiminis assumptus fuerit, qualem sedi et officio Christi exhibere se debeat, Apostolus manifestat continuo, cum subjungit : *Et tardus ad iram*. Quid est quod, prætermissis cæteris vitiis, ut est superbia, avaritia et hujusmodi, quæ nonnunquam etiam bonis prælatis subrepere solent, solam *iram* nominavit ? Ideo utique, quia vidit hoc vitium maxime interdum prævalere prælatis. Ira enim est amor ulciscendi. Igitur quicunque loco et vice Christi digne præsidere desiderat, non præceps, sed tardus ad iram esse studeat, in judicio Dei suam ulcisci injuriam nunquam præsumat. Ex amore enim ulciscendi excæcatur oculus mentis, ne videat justitiam Dei. Unde sequitur :

Ira enim viri justitiam Dei non operatur. Triplex namque justitia est : justitia Dei, justitia hominis, justitia diaboli, si tamen dicendum est habere posse diabolum aliquam justitiam. Justitia Dei est reddere bonum pro malo; justitia hominis est reddere bonum

pro bono, malum pro malo; justitia diaboli est semper reddere malum pro bono. Quantumcunque nos malis nostris in nos iram Dei provocemus, ex ingenita tamen bonitatis et miserationis suæ, qua genus hominum diligit, justitia semper malis nostris respondet bona, semper ad parcendum et ignoscendum promptus et paratus nostra mala sua superat misericordia. Sed non talis est justitia hominis, quæ et bonum pro bono, malum pro malo reddit, dum et diligentes se diligit: bona sibi facientibus benefaciendo occurrit. Justitia vero diaboli est, semper pro bono malum ireddere, quia universos prorsus homines, qui bene operando, juste vivendo propter Deum laborant, ipse tentando fatigat ut impediat, insequitur ut præcipitet atque subvertat. Igitur quicunque in sede Dei non ea, quæ Dei, sed quæ sua sunt, quærendo suas libenter injurias ulciscitur, justitiam Dei non solum non operatur, sed et omnino justitiæ Dei contrarius esse convincitur.

Ut autem hoc vitium, quod justitiæ Dei contrarios nos facit, cavere possimus, **487** rursus monet nos apostolus in consequentibus: *Propter quod*, inquit, *abjicientes omnem immunditiam et abundantiam malitiæ, in mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras. Omnis immunditia* immundans et commaculans cor hominis est mentis superbia, testante Scriptura, quæ dicit: *Immundus est ante Deum omnis, qui exaltat cor suum. Abundantia* autem *malitiæ* effectus est malæ voluntatis. Igitur quia ex tumore superbiæ ira, hoc est amor ulciscendi consurgit, recte apostolus dicit: *Propter quod abjicientes omnem immunditiam.* Ac si dicat: Ut justitia Dei, quæ contraria est justitiæ hominis, quæ contraria est justitiæ diaboli, operari, hoc est ut conformati justitiæ Dei non solum bonum pro bono, sed etiam bonum pro malo reddere possitis peccantibus in vobis, propter quod necesse est ut omnem, quæ immundos vos facit ante Deum, superbiam abjiciatis, ne forte, si subrepat vobis ira, amor videlicet ulciscendi, quæ vobis inferuntur injuriæ, abundantia malitiæ unquam vos sic superet, quin caveatis, ut contrariam Deo voluntatem vestram ad effectum, quod est vere *abundantia malitiæ*, perducatis. Quod dum feceritis, hoc est cum perfecte humiliati, justitiæ Dei conformes facti fueritis, *suscipite verbum.* Quod vel quale verbum? *In mansuetudine vobis insitum.* Verbum in mansuetudine nobis insitum Verbum est pro nobis incarnatum, Verbum Patris, Filius Patris. Sed quomodo aut quando hoc verbum in mansuetudine nobis insitum est? Utique in passione, ubi vere mansuetudo ejus manifesta est. Quamvis enim pro nobis incarnatus, quamvis triginta et eo amplius annis in mundo nobiscum sit conversatus, perfecte **488** tamen adhuc insitus nobis non est. Sed ea nocte, qua tradi pro nobis in mortem voluit, ultima videlicet cœna sua, qua pretiosissimum corporis et sanguinis sui mysterium nobis consecravit et tradidit, inseri quodammodo nobis cœpit. Perfecte autem in mansuetudine insitus est nobis quando, velut agnus mansuetus ad victimam ductus, in ara crucis semetipsum obtulit Deo Patri pro nobis. Mansuetudo enim ejus fuit mira et inæstimabilis patientia ejus quia ut nos redimeret, probra, sputa, colaphos et flagella, et ad ultimum ignominiam crucis patienter sustinuit pro nobis.

Ut ergo quisque vicem Christi gerens in Ecclesia, hoc verbum in mansuetudine nobis insitum suscipere valeat, abjecta, ut diximus, omni inmunditia et abundantia malitiæ semper, patientiam Christi impatientiæ suæ opponere studeat. Quod dum feceritis, *suscipite*, inquit, *in mansuetudine insitum verbum*, quia Deus Pater, Deus Spiritus, ipse, qui est Verbum Dei, Filius, dabit vobis tale verbum quod potest salvare animas vestras, animas dico vestrorum, quia quidquid tunc prædicaveritis, quidquid de incarnato Dei Verbo docueritis ad ædificationem proximorum, ad salvationem animarum vestrorum, vobis, inquam, commissorum, fiducialiter atque utiliter, ac fructuose pronuntiare poteritis. Sed et nos, ut idem Verbum, in mansuetudine nobis insitum, digne suscipiamus, susceptum custodiamus, et imitari valeamus concedat nobis ipsum Verbum Patris, Jesus Christus Dominus noster, qui cum eodem Patre in unitate Spiritus sancti vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

489 HOMILIA LIII.

IN FERIAM VI POST DOMINICAM IV. PASCHÆ PRIMÆ.

Filioli mei, adhuc modicum vobiscum sum (*Joan.* XIII).

Quoniam verba hæc, verba, inquam, dilecti hujus, supra pectus Domini recumbentis, plena mysticis sunt sacramentis, nequaquam vacare videtur a mysterio, quod in hoc sermone, quem in ultima cœna ante passionem suam cum discipulis Salvator habuit, non *filios* eos appellavit, sed *filiolos*, quemadmodum in exordio hujus evangelicæ lectionis invenimus. *Filioli*, inquit, *adhuc modicum vobiscum sum.* Cum enim non *filios* eos quasi fortes et constantes, sed *filiolos*, videlicet quasi imbecilles et teneros eos cognominat, teneritudinem modicæ dilectionis, qua eum adhuc dilexerunt, insinuat. Nondum enim *filii* erant, sed *filioli.* Nam licet filiali eum dilectione ut Patrem diligerent, tamen hæc eadem dilectio tenera quodammodo erat et modica; quia nondum opprobria et contumelias pati pro Domino poterant, et magis prospera mundi, quam adversa diligebant. Quare autem nondum *filii*, sed *filioli* fuerint, ipsa, quæ hæc loquitur, Veritas patenter insinuans ait.

Adhuc modicum vobiscum sum. Ideo, inquam, adhuc *filioli* quasi parvuli et infirmi estis, ideo nondum ut *filii* fortes magna et perfecta dilectione me Dominum et Patrem vestrum diligitis, quia ego, sine quo nihil potestis facere; *adhuc* non multum, sed *modicum* vobiscum sum, id est nondum multam et magnam vobis meæ dilectionis virtutem contuli, nondum ad toleranda mundi hujus adversa multi-

formi Spiritus sancti fortitudine vos corroboravi.

Quæretis me, et sicut dixi Judæis : Quo ego vado, vos non potestis venire, et vobis modo dico. Quæretis, **490** inquam, *me*, qui salus vestra sum : *Quæretis me*, Salvatorem animarum vestrarum, fideliter in me credendo, juste et pie vivendo; et tamen, *quo ego vado, vos venire non potestis*, quandiu contemptum mundi fugitis, quandiu magis prosperitates quam adversitates diligitis. Unde *sicut dixi Judæis*, sicut populo illi carnali carnaliter me inquirenti et diligenti non æterna, sed temporalia repromisi, ut videlicet de hostibus suis triumpharent, et ubertate rerum temporalium superabundarent, *sic et vobis modo dico*; quia quandiu carnales estis, quandiu me non spiritaliter, sed carnaliter diligitis, et prosperitatem temporalem quæritis, ad tolerandam passionis ignominiam fortes et constantes esse non poteritis. *Et quo ego vado, vos non potestis venire.* Ecce, jam vado comprehendi a Judæis et ligari, sputa, colaphos et flagella, opprobria, contumelias et irrisiones pati, ad ultimum vero morte turpissima condemnari. Sed vos, cum me hæc omnia passurum videritis, me solo relicto mecum venire non potestis, quia ad passionem et mortem ignominiosam sustinendam adhuc infirmi et imbecilles estis. Ut autem ad tolerandæ passionis constantiam pervenire possitis, minora vobis facienda propono, per quæ attingere tandem valeatis ad altiora.

Mandatum, inquit, *novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos.* Notandum in primis est cur mandatum dilectionis *novum* dixerit, cum etiam in Veteri Testamento hoc idem mandatum fidelibus suis tradiderit. Non injuste, ut credimus, *novum mandatum* dilectio dicitur, quia nulla prorsus virtus est, per quam sic homo interior innovetur, per quam sic interna suavitas **491** mentis accrescat et reparetur, et e contrario nullum omnino vitium est, quod sic importunitate sua oculum cordis obnubilari faciat, sicut odium, quod sic ab omni intentione puræ orationis animum impediat. Nam si superbus, si luxuriosus homo sit, hanc eamdem superbiam, hanc quoque luxuriam in se ipso plerumque reprehendit, plangit et pœnitet. Solum vero odium, dum cor hominis devictum possederit, ita devastat, turbat et inquietat, ut nullas omnino fructuosæ orationis victimas Deo offerre valeat. Sed quia, ut prædictum est, sola dilectio maxime spiritum hominis innovat, et ad bona facienda accendit et corroborat, provida pietate benignus Magister mandatum novum dilectionis infirmis adhuc discipulis proponere voluit, per quod ad meliora innovari et provocari possent. *Mandatum*, inquit, *novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Quasi dicat : Si mala et opprobria ab aliis vobis irrogata nondum patienter portare potestis, invicem tamen diligentes nulli malum inferatis, nullum odio habeatis, et bona, quæ vobis ab aliis vultis fieri, vos causa dilectionis aliis exhibere curate, et sic de hac modica dilectione proximi ad hanc maximam dilectionem pervenietis, ut etiam pro nomine meo opprobria et contumelias gaudentes sustinere valeatis.

Nec prætereundum est quod ait : *Ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Quomodo invicem diligere debeamus, sicut Christus dilexit nos, Paulus apostolus manifestius insinuat, qui ait : *Ambulate in dilectione, sicut Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis* (*Eph.* v, 2). Unde et in alio loco dicitur : *Quia ille pro nobis animam suam posuit, et nos debemus animas pro fratribus ponere* (*Joan.* III, 16). Ad hanc imitationem dilectionis discipulos suos verbis consequentibus invitat, dicens :

In hoc cognoscent omnes quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad invicem. Cum plurima sint virtutum opera, quæ Domino placeant, et quæ discipulos Christi observare et adimplere conveniat, cur solam dilectionem, quasi singulare quoddam signum æterna Sapientia posuit, per quod discipulos **492** suos specialiter cognosci voluit? Bona quidem et necessaria est salvandis omnibus fides, spes, continentia, castitas, instantia orationis, vigiliæ et jejunia, cæteraque sanctæ servitutis obsequia. Sed tamen hæc omnia tam malis quam bonis plerumque esse possunt communia. Sola autem dilectio specialis quædam virtus est, per quam Christi cognoscentur discipuli, ita ut non solum discipuli, verum etiam electissimi mereantur esse filii. Et quia beatissimus Petrus non solum inter discipulos, verum etiam inter electos agnoscendus erat filios, in persona omnium ad perfectionem veræ dilectionis pervenire cupientium non injuste respondisse creditur, quemadmodum continuo subinfertur.

Dicit ei Simon Petrus. Simon, id est *obediens*, fidelis quisque dici poterit, dum juxta vocem jubentis Domini dilectionem, quamvis modicam, erga proximum habere incipit, licet non dura et aspera pati pro Domino possit. Fit etiam *Petrus*, id est *agnoscens*, dum constantiam tolerandæ passionis sibi deesse conspicit, ad quam tamen Deo miserante tandem pervenire contendit. Sed hanc constantiam, hanc virtutem animi, licet nondum habuerit, habere se tamen Petrus credidit. Ideo fiducialiter Domino passuro dixit ?

Domine, quo vadis ? Euntem ad passionem et mortem Dominum ac Magistrum suum sequi desiderat, quia propriam adhuc infirmitatem ignorabat. Sed pius Magister ab hac non bene provida intentione eum revocare studuit. Ideo blanda illi admonitione respondens ait :

Quo ego vado, non potes me modo sequi, sequeris autem postea. Quo ego vado, ligari videlicet, flagellari, illudi, conspui, colaphis cædi, crucifigi et mori, illuc sequi me infirma mentis tuæ quærit intentio. Sed quod tu ignoras, ego omnia sciens novi quod *non potes me modo sequi*; quia ad hæc omnia sustinenda nequaquam virtute mea adhuc te corroboravi. *Sequeris autem postea. Postea*, dico, *sequeris* passionis ac mortis meæ vestigia, cum te replebit et confortabit desuper venientis Spiritus

sancti gratia. Tunc non solum in his quæ passurus sum, me Dominum ac Magistrum tuum
493 tuum *sequeris*, id est imitaberis, verum etiam nova quædam et duriora passurus eris. Nam ego affixus crucis patibulo sursum erecto capite, et versis in terram pedibus animam in manus Patris propria voluntate et potestate commendabo, tu vero causa profundæ humilitatis, quasi difficiliorem eligens mortem, caput tibi deorsum inclinari, et pedes sursum erigi postulabis, et sic longiori cruciatu consummatus pretiosa me morte clarificabis. Hac clarificatione mortis vere secutus est beatissimus Petrus Dominum et Magistrum suum, vere magnam demonstravit perfectæ dilectionis constantiam. Sed quia nos infirmi et fragiles ad tantam perfectionem attingere non possumus, studeamus summopere meritis et precibus ipsius adjuti, sic proximos nostros in veritate diligere, ut ipse qui vera est dilectio, nos inter electos discipulos suos quandoque dignetur recognoscere, Jesus Christus Dominus noster, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

494 HOMILIA LIV.

IN DOMINICAM V POST PASCHA PRIMA.

In illo tempore dixit Jesus discipulis suis : Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis (*Joan.* XVI).

Testis ille fidelis et verus testis, gratia et veritate plenus, verus videlicet Dei Patris Unigenitus de Spiritu et fiducia promissionis suæ certos et securos nos reddere volens, hanc eamdem promissionem quasi jurejurando his verbis confirmat, dicens: *Amen, amen dico vobis.* In hoc etenim, quod in primordio lectionis hujus affirmativam hanc dictionem geminando repetit, firmissimam nobis certitudinem suæ promissionis tribuit, ut si quid a Deo Patre in nomine dilecti Filii sui petierimus, petitionis nostræ fructum incunctanter nos larga manu Dei Patris percepturos esse credamus. Ait enim :

Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. In nomine quidem Domini Salvatoris veraciter petimus, si Deum Patrem sinceritate veræ fidei diligendo et confitendo cognoscimus, juxta quod scriptum est : *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit in salutem* (*Rom.* X, 10). Hic revera credere ad justitiam dicitur, qui tempore tentationis fidem negando non deserit, quam tempore pacis fideliter confitendo tenuit. Itemque alio modo non minus salubriter in nomine Salvatoris petimus, si exemplo ejusdem Salvatoris et inter prospera vere humiles, et inter adversa esse studeamus mites et patientes. Hoc nimirum nomine suavi et salutari salvari se sanctus David exorabat dicens : *Deus, in nomine tuo salvum me fac* (*Psal.* LIII, 3). Unde et nos hoc eodem nomine salvari cupientes in Oratione Dominica quotidie oramus, dicentes : *Sanctificetur nomen tuum* (*Matth.* VI, 9). Tunc revera nomen Salvatoris sanctificatur et honoratur in nobis, si prosperis succedentibus non extollimur, si adversis irruentibus non dejicimur, et si quid hoc modo, in humilitate videlicet et patientia orantes petimus, aut hic vel in futuro a Deo Patre luminum incunctanter accipiemus. Qui vero hunc petitionis modum observare negligunt, non fructuose, non veraciter in nomine Salvatoris petunt, quos etiam idem Salvator suavi exhortatione consequenter alloquitur, dicens :

Usque modo non petistis quidquam in nomine meo. Usque ad hunc modum humilitatis et patientiæ nondum venistis, ideo nondum *in nomine meo*, in fide et dilectione mea, gaudia salutis æternæ veraciter petendo quæsivistis.

495 *Petite et accipietis, ut gaudium vestrum plenum sit. Petite*, inquam, veri humiles et patientes, *petite* non prosperis elevati, non adversis exasperati, et sic petentes *accipietis*, non terrenum quid vel commutabile, non transitorium quid vel corruptibile, sed *ut gaudium vestrum plenum sit*, illud videlicet gaudium ineffabile et interminabile, quando desideratissimam summæ Trinitatis gloriam perenni incommutabilitate videbitis, quando inter innumera lætantium millia incommutabili felicitate gaudebitis. Sed quia inæstimabile æternæ jucunditatis gaudium omnem humanum exsuperat intellectum, quidquid in hac lectione evangelica incarnata Veritas electis suis de futuris promittit gaudiorum præmiis, totum se loqui fatetur in proverbiis. Ait enim :

Hæc in proverbiis locutus sum vobis. Sicut enim proverbium aliud sonat et aliud significat, sic nimirum multa valde gloriosa et jucunda dicta et scripta sunt de claritate visionis æternæ, de inenarribili electorum beatitudine ; sed tamen alia multo majora et jucundiora beati beatorum omnium videbunt oculi, qui cohæredes et comparticipes esse merentur Domini Creatoris sui. Tunc revera nulla electis Dei dicenda sunt proverbia, quibus nuda et aperta erunt omnia. Unde sequitur :

Venit hora, cum jam non in proverbiis loquar vobiscum. Venit hora illa desiderabilis *hora* lætitiæ et exsultationis, quando æternus Dei Patris Filius filiis suis dilectissimis *non in proverbiis*, id est non in mysticis loquetur Scripturarum sententiis de spe et gloria æternæ immortalitatis, *sed palam*, inquit, *de Patre meo annuntiabo vobis. Palam* utique *de* Deo *Patre* electis suis *annuntiabit*, quando ad similitudinem Dei perfecte reformati revelata contemplabuntur facie quæ, quanta et qualis claritas et magnificentia paternæ sit majestatis.

Illo, inquit, *die in nomine meo petetis.* Quid in *die* æternitatis, quid in *die* pacis et securitatis *in nomine Salvatoris* electi *petunt*, qui jam fructum petitionis et laboris sui perceperunt, qui cum summum et verum illud bonum jam 496 sine fine habeant, quid ultra petendo obtinere laborant? Petitio namque illorum fervens est amor ipsorum et desiderium ; nam ardentissima charitate videre semper desiderant desiderabilem Dominum et regem

suum. Est etiam in hac vita electis Dei dies magna A valde et celebris, dies scilicet divinæ contemplationis, quando benignus ille spiritus veritatis in illuminato cordis thalamo pius inter dilectum et dilectam mediator factus, suavi inspiratione dilectæ diligenti suggerit, quid ab ipso dilecto summopere petendum sit. Nam et hæc eadem dilecta, cœlesti quodam desiderio quasi impudens facta, singula latentis morbi vulnera, singula, inquam, vulnerantis peccati contagia, quibus se teste conscientia vulneratam et sauciatam recognoscit, eidem dilecto quasi fideli medico, quasi amico intimo in hac *hora* contemplationis vere pœnitendo et confitendo aperit. Qui dum manum medicantis gratiæ, manum salvantis misericordiæ singulis quibusque vulneribus imposuerit, ab omni eam lethali peccatorum contagione salvam faciet. *In illo* utique *die*, in illa videlicet illuminatione cordis, veraciter electi *in nomine* Salvatoris *petunt*; nam quidquid sic illuminati, sic divinitus inspirati petierint, ad veram procul dubio animæ salutem respicit, nec talis unquam petitio inefficax aut infructuosa esse poterit. Sic namque in præsenti petentes et in futuro, ut jam dictum est, fructum petitionis suæ recipientes, nullo jam ultra intercessionis egent auxilio, quippe qui incommutabiliter plenæ jucunditatis perfruuntur gaudio. Unde sequitur :

Et non dico vobis quia ego rogabo Patrem de vobis. Ac si dicat : Electus Patris Unigenitus electis suis, in æternitate sibi conregnantibus, non pro C vobis, inquam, cohæredibus meis mihi jam consociatis ultra apud Deum Patrem rogando intervenio, quia me fideli intercessione illum vobis reconciliasse scio, dum multas assumpta humanitatis miserias pro vobis sustinui, ad ultimum cruci affixus preces et lacrymas cum clamore valido offerens animam meam pro vobis posui, et nunc quia plena et perennis vobis pax est et securitas, nulla omnino orandi pro vobis erit necessitas.

497 *Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, et credidistis quia a Deo exivi.* Notandus ordo verborum est, quia dum incarnata Sapientia dulci præmisisset narratione innumera pietatis suæ beneficia, qualiter pro nobis patiendo et moriendo Deum Patrem rogaverit, qualiter sic rogando nos eidem D Patri reconciliaverit, mox et se amantes et in se credentes a Deo Patre amandos esse asserit. *Ipse enim Pater*, inquit, *amat vos, quia vos me amastis et credidistis.* Manifeste his verbis iste Patris Filius innuit non eos a Deo Patre diligi, qui humilitatem passionem et mortem Filii sui verbis tantummodo confitendo credunt, sed eos, qui hanc credendo et amando, id est in fide et charitate perseverando imitari cupiunt, quoniam nec fides sine charitate nec charitas sine fide proderit, quemadmodum beatus Jacobus apostolus dicit : *Fides sine operibus*, id est sine charitate, *mortua est* (*Jac.* II, 20). Itemque quod charitas sine fide Deo placere non possit, idem Apostolus nihilominus insinuans ait : *Quod extra fidem est, peccatum est* (*Rom.* XIV, 23). Ergo qui amari et beatificari a Deo Patre desiderat, et credendo amare et amando credere studeat. Sed quænam sunt quæ credere et amare salvandus quis debeat, nisi ea quæ ipsa Veritas consequenter enumerando insinuat ?

Quia a Deo, inquit, *exivi. Exivi a Patre, et veni in mundum. Iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem. Exivi*, inquit, *a Deo* consubstantialis Patri æternaliter existendo : *Exivi a Patre* carnem per obedientiam Patris assumendo, *et veni in mundum* de matre Virgine nascendo. *Iterum relinquo mundum* moriendo, *et vado ad Patrem* ascendendo. Hæc profecto fidei sacramenta dum ante passionem vel mortem suam dilectis denuntiaret discipulis, quid de his et mente conceperint, et ad hæc quid communi re- B sponsione dixerint, brevi sententia evangelista comprehendens ait :

Dicunt ei discipuli ejus. In omni sermonis hujus serie, ubi respondentium verba discipulorum legimus, nusquam eos tam communi sententia dilecto Magistro respondisse invenimus. Manifeste 498 quidem communis innuit responsio verborum, quod videlicet ipso inspirante communis factus erat consensus animorum, ut opus misericordiæ opus humanæ redemptionis, quod passione et morte ipsius consummandum erat, pio corde cognoscendo diligerent, nec ultra calicem passionis, quem jam bibiturus erat, transferri ab eo carnali quadam affectione desiderarent. Unde licet conturbati et contristati dicunt ei :

Ecce nunc palam loqueris, et proverbium nullum dicis. Ecce nunc, tu nobile Verbum Patris, manifeste loqueris, quia pro salute generis humani te jam passurum et moriturum asseris : *Et proverbium nullum dicis*, quia tu Verbum omnipotens, tu Verbum æternum ante sæcula cum Deo Patre manens, quidquid olim cuncta præcinebant patriarcharum et prophetarum oracula, quidquid legalia præfigurabant sacrificia, quasi quædam erant proverbia, quia *pro* te *Verbo et propter* te *Verbum* dicta et facta sunt universa. Et ecce, tu Verbum hæc eadem proverbia cessare facies, quia per te gratia et veritas facta est.

Nunc scimus quia scis omnia. Sicut nescire Dei reprobare Dei est, sic scire Dei diligere Dei est. *Nunc*, inquiunt, *scimus*, nunc vere cognovimus, cognoscentes diligimus, quia, tu Domine, cui naturalis inest bonitas, *scis*, id est diligis *omnia*, omnia scilicet genera hominum, non solum Judæorum, sed et gentium, et nihil odisti eorum quæ fecisti, sed passione et morte tua salvare omnia disposuisti.

Et non opus est tibi ut quis te interroget. Interrogare Domini est de salute sua hominem monere, interrogare vero hominis est de salute propria quærere. Interrogatione sua Dominus Adam præcepti trangressorem ad viam salutis et pœnitentiæ revocare voluit, quando eum post lapsum interrogando vocavit et ait : *Adam, ubi es?* (*Gen.* III, 9.) Qui, licet interrogatus, moneri nollet ; ipsa tamen vocantis Domini interrogatio quædam fuit salutis admonitio. Et quia, ut

prædiximus, hominis interrogatio propriæ salutis est inquisitio, recte discipuli jam passuro dicunt Domino : *Et non opus* **499** *est tibi ut quis te interroget.* Ac si dicant : Quamvis necessarium sit homini semper de salute sua quærere, semper pro redemptione animæ suæ sollicitum esse, nunc tamen *non opus est tibi*, Redemptor Domine, *ut quis te interroget*, id est, ut quis te ad perficiendam salutem humani generis obsecrando et implorando excitet. Nam in hoc opus sponte venisti, hoc opus salutis jam consummare disposuisti. *Non opus est tibi*, non tale, inquam, opus tibi a Deo Patre injunctum est, ut hoc opere consummato quis de salute sua desperare, de spe æternæ felicitatis quis debeat dubitare. Nam opus tibi injunctum, benigissime amator hominum, salus et redemptio erit ad vitam æternam pertinentium. *Et non opus est tibi ut quis te interroget.* Opus quidem est homini mortali a te, benignissime Salvator et amator hominum, lacrymis et precibus salutis suæ quærere remedium ; *et non opus est tibi* omnia scienti, omnia agnoscenti, et humanæ mortalitatis infirma oculo misericordiæ tuæ perspicienti, ut quis te tanquam hominem ignarum et inexpertum, tanquam hominem obliviosum et immemorem humanæ miseriæ et infirmitatis monendo et exhortando memorem faciat, quia tanta erga nos tuæ bonitatis est suavitas, ut nunquam inopiæ nostræ et tribulationis oblivisci valeas.

In hoc, inquiunt, *cognovimus quia a Deo existi. In hoc* ineffabili pietatis opere *cognovimus* quia ad exaltandos nos de sinu Patris descendisti, ad sanandos dolores nostros infirma mortalitatis nostræ suscepisti. Pro hac ineffabili pietate et misericordia tibi laus et gloria per infinita sæcula sæculorum. Amen !

500 HOMILIA LV.

IN EAMDEM DOMINICAM SECUNDA.

Estote factores verbi, et non auditores tantum, fallentes vosmetipsos (*Jac.* I).

Electus et dilectus apostolus Christi, beatus Jacobus, merito sanctitatis et justitiæ, ita se specialiter Deo familiarem et proximum fecit, quod pro cæteris coapostolis suis solus, frater Domini cognominari meruerit. Quamvis enim omnes discipulos suos propter sanctitatem et innocentiam vitæ pius Magister sic dilexerit et honoraverit, ut generaliter eos *fratres* nominaret, quemadmodum per Psalmistam ait : *Narrabo nomen tuum fratribus meis* (*Psal.* XXI, 23), iste tamen solus hac singulari dignitate honoratur et magnificatur, ut ubique in Scripturis frater Domini cognominetur. Idem ipse frater Domini, beatus videlicet Jacobus, populum adhuc in Judaismo positum, qui legem quam acceperat carnaliter intellexit et implevit, et propter scientiam legis quam habuit, super gentes legem Domini ignorantes, inaniter semetipsum extulit, hodierna Lectione monuit et instruxit, ut non tantum auditor verbi, auditor scriptæ legis existens, per hanc se salvari crederet, sed potius de Judaismo ad Christianismi fidem transiens, spiritaliter legem intelligere et adimplere contenderet. Quod enim tunc Judæos carnales, carnaliter viventes monuit et docuit, hoc etiam nunc nos, qui spiritales sumus, et esse debemus, eisdem verbis monet et instruit.

Estote, inquit, *factores verbi, et non auditores tantum, fallentes vosmetipsos.* Sumus quidem miserante Deo populus quem de mundo elegit Dominus, ut auditores verbi, auditores divinæ scientiæ esse possimus. Unde oportet *ut non auditores tantum verbi*, sed et *factores* esse studeamus, ut scientiam divinæ legis quam frequenter audimus, legimus et intelligimus, factis adimplere summopere laboremus, ne nosmetipsos audiendo tantum et non faciendo fallamus. Bonum quidem et necessarium **501** est scire et audire, quæ facienda sunt. Sed, qui ea, quæ scit et audit, agere negligit, semetipsum procul dubio fallit, quia solo auditu, sola scientia salvari non poterit. *Quia si quis*, inquit, *auditor est, et non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo.* Si simpliciter considerationem, quæ in speculo fit, accipere volumus, quod cito transeat, et velociter oblivioni tradatur, non ignoramus. Et ideo viro seipsum in speculo consideranti, nec tamen, qualis sit, diu in memoria retinenti, homo ille non incongrue comparari valet, qui verbum Dei cum gaudio audit et recipit, sed in opere faciendo auditor obliviosus factus fuerit. Verumtamen incredibile est quod electus ille et perfectus Christi discipulus, quem tanta scientia ac sapientia replevit omnipotens Dominus, tam simpliciter hæc, ut jam prænotavimus, dixerit, nec sublimius aliquid in his verbis intelligi voluerit. Unde ad spiritalem sensum, quem jam tractare cœpimus, hæc eadem verba discutiamus.

Per *virum in speculo considerantem* intelligendus non inconvenienter est Adam protoplastus; per *vultum* vero *nativitatis ejus* eminentiam et elegantiam creationis ejus accipere possumus. Sicut enim vultus hominis eminentior et elegantior pars est corporis, et pene sensus omnes exteriores, quod est visus, auditus, gustus, odoratus, in solo vultu habemus; ita et ipse Adam non de homine natus, sed de terra creatus, singularem quamdam eminentiam et elegantiam immortalitatis, sapientiæ et intellectus habuit, ac perpetuo habere potuisset, si transgressor præceptorum Dei factus non fuisset. Qui tamen eamdem eminentiam creationis suæ *in speculo*, hoc est in sensu cordis sui ante lapsum vidit et *consideravit*, quia nullam in se infirmitatem, nullam peccati concupiscentiam, nullum mortis timorem sentire potuit.

Potest etiam per *speculum* intelligi mulier illa quam de costa ipsius Adæ Dominus ædificavit, in qua plenius et perfectius statum conditionis suæ consideravit. Unde cum hanc eamdem adduceret Dominus ad eum, ipsam intuens **502** ait : *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea* (*Gen.* II, 23). Quid in corpore humano osse robustius, quid carne est fragilius ? *Consideravit*, ut credimus, *in* hoc *speculo*, in aspectu videlicet mulieris firmitatem et im-

mortalitatem, quam ante lapsum habuit; providebat forsan spiritu prophetico fragilitatem et miseriam, quæ post culpam inobedientiæ tam ipsi quam mulieri ventura fuit. Unde idem est ac si dicat : *Hoc*, quod *nunc os* est in me, *nunc*, inquam, in illo statu, in quo modo sum, *os* quodammodo est, quia forte ac firmum est in me et in muliere, quæ ex ossibus meis sumpta est, quia adhuc in nobis virtus et fortitudo immortalitatis et incorruptionis est. Si vero postea per inobedientiam in alium statum mutatus fuero, quod *nunc os ex ossibus meis*, quod nunc in me forte et firmum est, hoc tunc *caro* erit *de carne mea*, quia infirmum erit et fragile, quia in me ipso fragilitas erit et corruptio, et in muliere ista, quæ carnem accepit de carne mea. Et quia adhuc Adam, plenus sapientia Dei, hanc infirmitatem et mutabilitatem non solum sibimetipsi, sed etiam omni humano generi venturam esse sensu rationali prævidit, convenienter in consequentibus subjungens ait : *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una* (*Gen.* II, 24). Propter hoc, quia ita futurum erit, ut fortitudo simul et fragilitas in homine sit, ut nunc os ex ossibus, modo caro de carne proveniat, ut nunc homo firmus et fortis opera virtutis et fortitudinis faciat, modo iterum ad infirmitatem et fragilitatem redeat, propter hoc, inquam, quia ita est; necesse erit homini, ut patrem suum, quod est vanitas sæculi, et matrem, quod est voluptas, de quibus infirmitas ac fragilitas nascitur, derelinquat, ut uxori suæ, hoc est carni suæ licenter adhærere valeat. De hoc patre et de hac matre quod eum dereliquerint, David sanctus lætabundus in Domino gloriatur et ait : *Quoniam Pater meus et mater mea dereliquerunt me* (*Psal.*, XXVI, 10). Si enim homo interior hunc patrem, id est vanitatem mundi non quærit nec diligit, et homo exterior matrem illam, id est, voluptatem carnis, spernit et contemnit, tunc uxori suæ licenter adhærere poterit, tunc carni suæ, quæ necessaria sunt, licenter administrare **503** valebit. Nam sive manducaverit, sive biberit, aut aliud quid corpori suo necessarium fecerit, totum illi ad salutem proveniet, totum ad honorem Dei respiciet.

Et erunt, inquit, *duo in carne una*. Quæ duo in carne una erunt? Homo videlicet interior et exterior ita in carne una uniti erunt, ita unanimiter sibi invicem concordant et consentiunt, ut sensus rationalis ad unum, quod est necessarium, id est ad inquirendum Deum tendat, et caro bene collaborandum id ipsum quærat et concupiscat. Sequitur :

Consideravit enim se, et abiit, et statim oblitus est qualis fuerit. Quidnam est *considerare* nisi verum investigare? *Consideravit* enim semetipsum Adam, et veraciter sensu rationali investigavit, fortem se et immortalem in illo statu, quo tunc erat, et infirmum ac mortalem, si transgressor præceptorum Dei fieret. Et tamen, proh dolor! *abiit*, hoc est ab obedientia Dei recessit, et serpenti inobedientiam suggerenti credidit et consensit. *Et statim*, inquit, *oblitus est* A *qualis fuerit*. Quid oblitus est miser Adam seductus et inobediens factus? Nunquid oblitus est quod in paradiso fuit et esse debuit? Oblitus utique est fortitudinis et incorruptionis, quam ante lapsum habuit, qualis, quam fortis, firmus ac robustus tunc fuerit, qui postquam mandatum Domini præcipientis oblivioni tradidit, statim et ipse propriam carnem inobedientem ac repugnantem sensit, sicut et ille Creatori suo inobediens factus fuit. Unde et mox ipse ac mulier invicem erubescentes folia ficus consuerunt, quibus nuditatem corporis contexerunt.

Ad hæc etiam timorem mortis, dolorem pariter ac laborem in corde et corpore sentiebant, quem ante culpam inobedientiæ nondum experti erant. Sunt enim nonnulli, quibus magna et gravis illa videtur B vindicta, quæ pro tali subsecuta sit inobedientia, eo quod nil mali commiserint, nisi quod de interdicta arbore tantum comedere præsumpserint. Videamus igitur, quantum malum, quanta pœna in omnes homines inde processerit, et tunc scire possumus, qualis **504** et quam gravis illa inobedientia fuerit, cum nemo tam dives vel potens, nemo tam miser et inops sit, qui sine labore et dolore vivere valeat, nemo tam sanctus vel innocens, qui in membris suis legem menti suæ repugnantem non sentiat. Sunt etiam nonnulli, qui exemplum inobedientis Adæ imitantes non solum mandata Dei, quæ acceperunt, servare contemnunt; verum etiam bona sibi divinitus collata parvipendunt et despiciunt. Sed his justo Dei judicio talis nonnunquam superveniet tentatio, ut bona C per misericordiam Dei sibi concessa sic perdant et amittant, ut vix, aut nullatenus hæc eadem bona, quæ amiserunt, dulciter ad memoriam revocare valeant.

Qui autem, inquit, *perspexerit in lege perfectæ libertatis, et permanserit non auditor obliviosus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit*. Lex *perfectæ libertatis* vita et conversatio Jesu Christi satis congrue valet intelligi, qui solus inter homines tam liber a peccato, tam perfectus in omni conversatione sua fuit, quod nec minimam peccati maculam cogitatione, verbo aut opere contrahere potuit, quia nec peccare posse voluit. Sed nunquid hanc *legem* tantæ *libertatis* ita perspicere debemus, ut imitari D eam hoc modo nos posse putemus, quatenus cogitando, loquendo et operando nullum omnino peccatum committamus? Nunquid hoc nobis præcepit, Dominus? Est enim aliud quod nobis præcepit? quod unusquisque, si vult, adimplere poterit : *Discite*, inquit, *a me quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI, 29). Mitem ac patientem super omnes homines se ostendit Dominus, dum sputa, colaphos et flagella mira mansuetudine, mira sustinuit patientia; vere se humilem ostendit, dum contra tot convitia, tot falsa testimonia nunquam verbum elationis respondit. Si quis hanc legem patientiæ et humilitatis Christi ita perspexerit ac legerit, ut *non obliviosus auditor* semper eam imitari meminerit, *hic beatus in facto suo erit*, quia non ex auditu, sed de facto bea-

operis fructum consequetur æternæ beatitudinis.

505 Sed ne quis ad perfectionem vitæ sufficere crederet, si a malis abstinendo tantummodo bonis operibus invigilaret, et nil de custodia oris et cordis curaret, continuo admonendo subjungit: *Si quis autem putat se religiosum esse non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio.* Nemo ad veram religionem sibi putet sufficere, si exterius bonis se operibus exercere studuerit, nisi etiam linguam suam a verbis impatientiæ et elationis refrenaverit, et cor suum per vanas et inutiles cogitationes seduci et dispergi non permiserit. Nam si quis religiosum se in bona operatione ostenderit, et custodiam in locutione et cogitatione habere neglexerit, *hujus vana est religio.* Ideo, inquam, *vana*, quia cito evanescit, nec firma et stabilis esse valet ulla religio boni operis, quæ soliditatem non habet per custodiam oris et cordis. Nam qualis religio esse debeat, patenter in consequentibus insinuat:

Religio, inquit, *munda et immaculata apud Deum et Patrem hæc est: Visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc sæculo.—Religio* hæc *apud Deum et Patrem*, Patrem, inquam, nostrum dulcissimum, beneplacita est, et accepta, quæ interius *munda* est in intentione, et exterius *immaculata* in operatione, ut videlicet intus per elationem cordis homo non intumescat, nec foris de bonis operibus humanam laudem superbiendo requirat.

Sed hæc religio, licet munda et immaculata sit, esse tamen sine tribulatione, hoc est sine tentatione, homo non valet. Ideo *visitare pupillos et viduas in* hac *tribulatione* debet. *Pupilli* dicuntur qui absque patre et matre sunt, et *viduæ*, quorum viri mortui sunt. Per *pupillos* accipere valemus interiores sensus nostros, per *viduas* exteriora opera carnis. Sensus nostri quasi pupilli, et opera carnis quasi viduæ quodammodo **506** sunt, dum patrem illum et matrem, de quibus supra diximus, id est vanitatem sæculi, ac voluptatem carnis, dereliquerint. Hos pupillos, et has viduas *visitare in tribulatione* tentationis hoc modo debemus, ut in tentatione occurramus et adjuvemus, ne vanitas sæculi intus prævaleat per mentis elationem, aut voluptas carnis foras dejiciat per malam operationem. De his pupillis ac viduis Jeremias propheta non gemendo, sed quasi congratulando ait: *Pupilli facti sumus absque patre, matres nostræ quasi viduæ* (*Thren.* v. 3). Hoc idem est, quasi sensus et opera perfecte conversi hominis gratias agendo dicant Domino: *Pupilli*, Domine, per tuam misericordiam facti sumus, quia patrem nostrum, vanitatem sæculi, et matrem nostram, voluptatem utique carnis, te adjuvante dereliquimus. Et nunc tui *pupilli* sumus, te solum Patrem habemus, sub tua materna protectione gaudemus. Quisquis ergo hos *pupillos* et has *viduas visitare*, et in tentatione adjuvare curaverit, *immaculatum se ab hoc sæculo custodire* valebit. Quid per *sæculum* intelligendum sit, Joannes in Epistola sua manifeste insinuat, cum dicit: *Omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ* (*I Joan.* II, 16). Immaculatum quippe ab hoc sæculo semetipsum custodit, qui maculam superbiæ, quantum possibile est, devitare ac superare contendit. Curandum ergo nobis est ut, quos assiduos auditores verbi sui esse voluit Dominus, factores etiam ejusdem verbi esse studeamus, et formam humilitatis, quam habitu et vestitu prætendimus, hanc corde firmiter tenentes verbis et operibus ostendamus. Quod ipse præstare dignetur, qui Verbum est Dei Patris, Jesus Christus Dominus noster qui vivit et regnat per infinita sæcula sæculorum. Amen.

507 HOMILIA LVI.

IN DOMINICAM INFRA ASCENSIONEM DOMINI SECUNDA, QUÆ ET VI POST PASCHA.

Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me, et vos testimonium perhibebitis quia ab initio mecum estis (*Joan.* XV.) Sacrosancta hæc Evangelii lectio pars quædam est sermonis illius, quem Dominus in ultima cœna sua, ea videlicet nocte, qua tradebatur, cum discipulis suis habuit, ubi inter multa et dulcia cœlestis vitæ documenta etiam tristitiam et dolorem, quem ex passione et morte sua habituri erant, præmittendo adventum Spiritus sancti consolari et mitigare curaverat, quemadmodum in exordio Evangelii hujus audivimus, quo dicit:

Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me, et vos testimonium perhibebitis quia ab initio mecum estis. Hæc Domini promissio vere impleta est in eis, quando post ascensionem ejus inaudita et ineffabili Spiritus sancti gratia ita perfusi et collustrati sunt, ut sine timore nomen Domini confiterentur et prædicarent, nihilque amplius esset quod eis resistere posset. Sed in hac paterna promissione sua etiam nostri oblitus non fuit, quia quod illis sanctissimis discipulis suis tunc promisit, hoc et nobis et cunctis hominibus, qui eos imitantur, quantum possunt, et sequuntur, in illis et cum illis promisit.

Veri imitatores eorum omnes illi sunt, qui voluptatibus mundi hujus corde et corpore perfecte abrenuntiaverunt, qui omnem spem suam et consolationem in sola bonitate et misericordia Dei collocaverunt. His talibus ipse Paracletum sanctum Spiritum suum promittit et mittit, ut sit eis et *spiritus veritatis* et spiritus consolationis. Mittit eis spiritum veritatis, quando illuminat eos **508** interius, quod transgressiones suas et negligentias recte et perfecte cognoscere incipiunt, et in consideratione malorum, quæ commiserunt, despiciunt, et parvipendunt etiam hoc quod bene et recte egerunt, nullique se homini præferunt, in vera cordis humilitate cunctis se hominibus submittunt. Post hanc internam sui considerationem sive cognitionem provehit eos idem

spiritus veritatis ad cognitionem Dei, quando gratia ipsius adjuti humiliter in semetipsis cognoscunt, humillimasque Deo gratias referunt, quod eos in insipientia sua et impietate tam clementer tamque paterne supportavit, quod secundum indulgentiam et benignitatem suam tempus eis pœnitentiæ et satisfactionis tandiu servavit.

Iste spiritus veritatis est eis etiam *Paracletus*, id est spiritus consolationis, quia licet grave sit homini et difficile sic contemnere se ipsum et humiliare, annos et tempora sua in amaritudine animæ suæ semper pœnitendo ac deflendo recogitare, eadem tamen tristitia mista est cum quadam exsultatione et lætitia. Ipsa enim sui amaritudo fit ei quasi quædam certitudo indulgentiæ et remissionis, atque spes et consolatio perpetuæ salvationis. Sed istis breviter præmissis consideremus ordinem verborum, quia in verbis Dei nihil inordinatum, in verbis Dei nihil incompositum est aut superfluum. Ubi intelligere ea non possumus, nostræ infirmitatis, nostræ ignorantiæ est, ubi vero ex ipsius dono et misericordia aliquid in eis videre possumus, ibi, quam rectum ordinem, quam perfectam viam salutis nostræ prætendant nobis et ostendant, cognoscimus.

509 *Cum venerit*, inquit, *Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, spiritum veritatis, qui a Patre procedit.* Quis est iste qui hæc loquitur? Ille utique, qui dicitur et est Verbum Dei Patris, Dominus noster Jesus Christus. Illud Verbum Dei Patris vere *mittit*, vere generat in corde hominis *spiritum veritatis.* Unde necessarium est homini, sæculum relinquenti, ut doctrinæ Verbi Dei semper intendat, verbum Dei libenter audiat, sollicite custodiat. Nam ex illo et per illud edocetur et admonetur, ubi divinæ voluntati propriæque saluti contrarie vixerit, quam inutiliter universos dies et annos suos transegerit. Qui hoc faciunt, isti procul dubio *spiritum veritatis* accipiunt, qui fit eis vere Paracletus, quia generat eis cœlestem spem cœlestemque consolationem. Qui autem verbum Dei non audiunt, vel auditum custodire negligunt, isti pro spiritu veritatis habent spiritum falsitatis, per quem decepti sic ludificantur, quod ipsa mala opera sua quasi bona et justa reputant; quæ vero bona sunt, mala esse arbitrantur. Spiritales autem homines, quorum lætitia est et exsultatio verbo Dei assidue refici, isti vere beati sunt, isti spiritum veritatis accipere possunt. Sed iste spiritus veritatis generat eis spiritum timoris. Nam instructi et admoniti verbo Dei quanto in vera humilitate peccata sua cognoscunt, tanto magis Deum, quem peccando spreverunt et offenderunt, timere incipiunt. Spiritum autem timoris sequitur spiritus amoris, quem sequenti verbo satis apte Dominus videtur designare, cum dicit :

Qui a Patre procedit. Nomen *Patris* verbum est dulcedinis et charitatis, proprium enim est *Patris* benigne et paterne agere cum filiis suis. Nec inconvenienter verbum hoc, quod suaviter et amabiliter

A resonat, vere suavem et amabilem spiritum amoris significat. Spiritus utique veritatis quasi *a Patre procedit*, quando homo non in timore, vel propter timorem futuræ pœnæ, quam meruit, sed in filiali dilectione medullitus dolet et gemit, quod contra amorem et honorem benignissimi Patris sui, qui tandiu eum pietatis suæ dulcedine **510** portavit, qui tot et tanta beneficia indigno et immerito peccatori suo contulit, tanta flagitia committere tam innumerabiliter paternitatis ejus oculos offendere potuit. De hoc spiritu veritatis, qui sic per timorem et amorem in electis Dei operatur, apte adhuc Dominus subjecit et ait :

Ille testimonium perhibebit de me. Ac si dicat : Quando me donante et auxiliante de spiritu timoris

B ad spiritum amoris perveneritis, ille testificatur vobis de me quæ injuste egeritis contra me; ille, inquam, manifestat vobis quanta bona quæ agenda erant, prætermiseritis; quanta mala, quæ vitanda erant, commiseritis. Nec absurde ita hæc Domini verba intelligenda æstimo, cum nunquam tam vere seipsum homo cognoscere possit, quomodo in illa hora, quando ad spiritum amoris pervenerit. Ibi vere non tantum verba sua et opera, sed et voluntates suas et cogitationes, quibus Deum offendit, perfecte cognoscere incipit. Sic, sic spiritu amoris Deo testimonium perhibente indicibiliter intrinsecus in corde hominis tandem fieri potest ut impleatur quod sequitur :

C *Et vos*, inquit, *testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.* Vere *testimonium* Verbo Dei *perhibet*, quando docente et illuminante spiritu amoris recte cognoscit quia verbum Dei justitia est et veritas; omnis autem vita ejus injustitia et falsitas. Vel sic testimonium Deo perhibet, quando peccata sua et scelera, quæ testificante Spiritu sancto intus in semetipso cognoscit, pœnitenti corde et voce et in oratione et in confessione vere et humiliter Deo aperit. Unde autem tale testimonium Deo perhibere possit homo, manifestat continuo Dominus dicens : *Quia ab initio mecum estis.* Si juxta litteram hæc Domini verba sic intelligimus, quod discipuli Domini cum eo fuerint ab initio suo, ab eo videlicet tempore, quo is, qui sine initio erat in divinitate,

D initium habere cœperit in assumpta humanitate, non recte sapimus, cum ætatis suæ anno tricesimo primum eos elegerit et assumpserit. Si **511** autem dixerimus quod ipsi, scilicet apostoli, *ab initio* suo, id est a nativitatis suæ primordio cum Domino fuerint, nihilominus fallimur. Unde ut custodiri veritas possit hæc eadem Domini verba spiritaliter intelligere nos convenit. Per *initium* potest intelligi, quantum mihi videtur, hoc quod vere initium et principale in homine, spiritus videlicet hominis, in quo dignitas et honor hominis est quia ibi ad imaginem et similitudinem Dei conditus est, quem non incongrue initium dixerim, cum juxta assertionem quorumdam sapientium, qui altius sapere de verbo Dei et tractare noverunt, ad imaginem et similitudinem

suam primo Deus hominem invisibiliter in spiritu creaverit, postmodum vero de visibili terræ materia visibiliter eum plasmaverit. Unde quod primum in homine conditum est, *initium* hominis non injuste dici potest. Hæc est enim excellentior pars hominis, quæ sola capax est divinitatis, quæ sola digna est in qua Deus habitet, qui cum Deus spiritus sit, non in carne, sed in spiritu hominis habitat. Quicunque ergo spretis hujus mundi voluptatibus in hac sui parte sic Deo unitus est, quod in suo spiritu nihil de hoc sæculo, quantum possibile est homini, præter Deum quærit et diligit, hic *ab initio* esse cum Deo comprobatur; in hoc etiam Deus omnipotens esse suum assidue habere non dedignatur. Sed quia quanto electi quique surgere ad Deum per bonæ conversationis studium nituntur, tanto majores ab inimicis Dei, malignis videlicet spiritibus tentationum insidias patiuntur, docet nos sequentibus verbis quid inter easdem tentationes agere debeamus.

Hæc, inquit, *locutus sum vobis ut non scandalizemini.* Ac si diceret: Quandiu prægravati corpore mortali in ærumnoso hujus sæculi exsilio detinemini, semper insidiantium saluti vestræ, malignorum spirituum tentationes patiemini. Sed *hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini.* Quid est scandalizari, nisi causam peccati præbere? Causam peccati malignis spiritibus præbemus, quando suggestionibus, quibus tentant nos, per consensum succumbimus. **512** Non est homo super terram, a quo manum suam spiritus maligni contineant, quem diversis fraudibus, diversis immissionibus suis impetere et fatigare non audeant. Sed, juxta saluberrimam hanc Domini doctrinam, semper laborandum est ut non scandalizemur. Impossibile quidem est ut non tentemur; inevitabile est ut in ipsis etiam quibus tentamur peccatis aliquando non delectemur, sed cavendum magnopere nobis est ne delectationem peccati sequatur consensus peccati, cum id ipsum quod male delectat semper nos in nobis odisse oporteat. Quia vero contra inimicos nostros et tentationes eorum pervigiles nos Dominus atque sollicitos esse, quemadmodum audivimus, jam præmonuit nunc etiam quomodo tentent nos, aperit nobis ex parte in his quæ adjecit:

Absque synagogis, inquit, *facient vos.* Hæc Domini verba sic, quemadmodum dicta sunt, impleta legimus in apostolis, quando perfidi Judæi instinctu malignorum spirituum eos de synagogâ, id est de consortio suo ob confessionem nominis Christi expulerunt et ejecerunt. Sed illi visibiles inimici Domini jam ex patre mortui sunt; vivunt autem invisibiles inimici ejus, maligni videlicet spiritus, qui electis ejus hæc eadem quotidie invisibiliter faciunt. Nam quoties convenientes in unum ad orandum Deum et laudandum corpore apparemus in conspectu Domini, mente vero vagamur circa vanitates sæculi, ea quæ ad nos non pertinent, quæ nihil nobis conferunt, nihil nobis nisi iram et offensam Dei pariunt, cogitantes et tractantes; vel dum statuimus nos super nos, aliis nos hominibus vel scientia vel vitæ merito præferentes, talesque nos quales nunquam fuimus æstimantes, interdum etiam ordinantes de nobis quod fieri non possumus, nec digni essemus quid de miseris nobis dici potest, nisi quod invisibiles inimici nostri, quorum instinctu hæc agimus, *absque synagogis fecerint eos*, quod a conspectu Domini et sanctæ congregationis illius in cujus medio stamus miserabiliter ejecerint nos consortio? Hæc sunt hostis antiqui tentamenta **513**, quibus captas incautas hominum mentes plerumque seducit et abducit, a quibus cavere debemus, ne, dum venerint, recipiamus, vel si receperimus, ne delectemur in eis videamus. Delectatio autem si apprehenderit nos, caveamus ne usque ad consensum peccati pertrahat nos, memores semper verborum Domini, quibus hæc eadem nobis prædixit, quibus vigilare contra ea nos docuit et admonuit: *Hæc*, inquiens, *locutus sum vobis, ut non scandalizemini. Absque synagogis facient vos.* Sed quia pericula tentationis prædixit, more pii patris post terrorem subjungit consolationem, dicens:

Sed venit hora. Ac si dicat: *absque synagogis facient vos* maligni spiritus tentationibus suis, *sed venit hora*, in qua ego colligam vos, in qua paternis consolationibus meis misericorditer relevabo vos. Nec incongrue hoc modo dictum esse æstimamus verbum hoc, *sed venit hora*, quia sicut Deus hominem diligit, sic nunquam seipsum homo diligere novit, nec tanta unquam devotione salvationem suam homo desiderat vel exoptat, quanto paternitatis affectu salvare eum Deus desiderat. *Sed venit*, inquit, *hora.* Desiderabilis *hora* hæc hora est lætitiæ et exsultationis, *hora* utique compunctionis, *hora* orationis, vel *hora* contemplationis. De eadem hac hora dicit Joannes in Apocalypsi: *Factum est silentium in cœlo quasi hora media* (*Apoc.* VIII, 1). Cœlum istud est cor hominis; silentium vero factum in hoc cœlo quasi *media hora* quietam mentis tranquillitatem sive serenitatem significat, quam hora illa, suavitas utique compunctionis, puritas orationis, assiduitas contemplationis generat. Nam ubi pro transgressionibus suis atque negligentiis perfecte homo intrinsecus compungitur, et ex ferventissimæ orationis instantia ad celsitudinem compunctionis sublevatus quasi unus spiritus cum Deo fit, indicibilis illa suavitas, quam ibi degustare cum Deo meretur, non incongrue comparatur *horæ*, eo videlicet quod brevis sit, quia, etsi longa esset, longa videri non posset. Omne enim suave breve; omne vero amarum videtur longum. **514** Sed hæc eadem *hora*, licet brevis sit et brevis videatur, mirifice tamen et magnifice universos labores; angustias et tribulationes hominis lævigat et consolatur, in qua solus homo, cum solo Deo fiducialiter ac familiariter causas suas agens pro multimoda ei et inenarrabili, quam sibi exhibuit pietate et gratia, humillima gratiarum actione se submittit, et universa languentis animæ vulnera pietati ejus medicanda et sananda offerre non eru-

bescit, sicque sequens sententia Christi impletur, A qua dicit :

Et venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. In verbis istis ostendit nobis Dominus quantam et quam irremediabilem tribulationem atque dolorem malignis spiritibus hora ista pariat, quam mirabiliter alliciat illos atque affligat. Nam quod dicit : *Omnis qui interficit vos*, per hoc expressisse eum quemlibet malignorum spirituum æstimare possumus, qui invisibiliter discipulos Christi tunc quodammodo interficit, quando malignas suggestiones atque tentationes quasi quasdam sagittas mortis infligere eis non desinit, quatenus vitam suam, quæ Deus est, utcunque eis auferre possit. Illi autem cum ad horam illam beatissimam pervenerint, cum a facie earumdem sagittarum in B sinum misericordissimæ pietatis Dei confugerint, quidquid vitium illud est, quo maxime vulnerati sunt, maximis pœnitentiæ lamentis medicanti gratiæ Dei curandum sanandumque committunt. *Omnis* autem, id est quilibet spiritus nequitiæ, sive sit spiritus superbiæ aut iracundiæ, spiritus invidiæ aut luxuriæ, qui incentor aut instigator ejusdem vitii est, quod iste tantopere plangit, videns et intelligens quod tanta se homo ille humilitate Deo inclinaverit, quodque ei sagitta mortis causa vitæ facta sit et salutis, *arbitratur obsequium se præstare Deo.* Videt sane et dolet; quod in homine illo, tentationibus suis sic fatigato, in quo honori Dei detrahere se æstimabat, magis contra spem suam Deo servierit, C eumque, quam tentationibus suis interficere se posse credebat, potius vivificaverit, dicens quodammodo secum in se : Quid **515** sic et sic hominem istum tentare et fatigare profuit? Nonne omnis conatus et labor meus eo processit, ut quem perdidisse credebam, salvasse me videam?

Et ne minus sane sapuisse vel intellexisse videar in verbis Domini dicentis : *Venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo*, videamus quam magnum atque laudabile obsequium diabolus Domino præstiterit in electo servo suo beato Job, quem tentandum petiit et obtinuit, quem interfectis filiis, sublata substantia, ad ultimum a planta pedis usque ad verticem mirabiliter percussit et afflixit, illeque inter hæc omnia immobiliter et inno- D center cum Deo persistens, atque in cunctis afflictionibus suis semper laudans Deum ac benedicens de perfecto perfectissimus, de probabili viro factus est vir probatissimus. Et quid mirum? Diabolus hostis antiquus, velit, nolit, servus Dei est, servitutem Domini sui effugere non potest; ideoque cum aut per se, aut per eos qui sub ipso sunt, malignos spiritus adversari sibi in electis suis nititur, sic, quemadmodum audivimus, obsequium ei præstare compellitur. Subjunxit ergo Dominus et ait :

Et hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem neque me. Ac si dicat : *Hæc* omnia quæ a malignis spiritibus passuros vos prædixi, idcirco *facient vobis, quia non noverunt*, id est non dilexerunt *Patrem neque me*, qui sum Verbum Patris; ideoque nihil eorum quæ Patris et mei sunt, scire vel diligere possunt. *Non noverunt* sane quanta sit circa vos benignitas Patris mei, qui creavit vos; *non noverunt* etiam quanta ego, qui Verbum Patris sum, miseratione vigilem super vos, qui morte et sanguine meo redemi vos.

Sed hæc locutus sum vobis, ut cum venerit hora, eorum reminiscamini quia ego dixi vobis. Hora ista *hora* bona est, quam supra memoravimus, hora utique compunctionis, hora orationis, quæ transfert hominem ad celsitudinem contemplationis. *Cum hora* ista homini *venerit*, ibi vere reminiscitur eorum, hoc est universorum **516** beneficiorum Dei; nam cuncta, quæ divinæ miserationis gratia cum eo operata est, *hora* illa plenius atque suavius ad memoriam ei revocat, quam alia eum lingua doctoris docere unquam vel admonere valeat. Sed quid est quod adjecit : *Quia ego locutus sum vobis?* idem est quantum video, ac si dixisset : Ego Creator vester ac liberator, ego salutis vestræ amator locutus sum vobis, ut declinantes a malo exerceamini in bono, despectisque omnibus quæ tempore transeunt, ad ea properetis gaudia quæ sine tempore æternaliter permanebunt.

Possumus etiam alio modo intelligere hæc Domini verba dicentis : *Et hæc facient vos, quia non noverunt Patrem neque me.* In præcedentibus dixit, sicut audivimus, *absque synagogis facient vos*, præsignans et manifestans tentationes immundorum spirituum, quibus exercentur electi. Sed post tribulationem tentationum, subjungit consolationem, cum dicit : *Et veniet hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo.* Sed ne existiment discipuli Christi, cum in horam istam venerint, hoc est, cum in tempore orationis per veram compunctionem mentisque contemplationem Deo approximare meruerint, jam tunc hostes eorum, malignos videlicet spiritus ab eis quievisse, jam tentationes eorum et insidias ita se evasisse, ut post horam hanc rursum eos impetere, rursum perversitatis suæ jacula instaurare contra eos non audeant, subjunxit denuo Dominus, et ait : *Et hæc facient vobis.* Iteratio hæc verborum Domini significat iteratam tentationem dæmoniorum, quia quamvis sciant et videant, quale obsequium Deo tentando electos suos præstiterunt, quod ipsos etiam electos probabiliores tentationibus suis et perfectiores reddiderint, non tamen quiescunt ab eis, semper eos tentando, semper saluti eorum insidiando. Et quare hoc?

Quia non noverunt, ait Dominus, *Patrem neque me.* Pater, quemadmodum prædiximus, nomen est amoris, et congrue significat amorem; ideoque quod dixit : *Quia non noverunt* **517** *Patrem neque me*, ita est, ac si dixisset : Omnia hæc, quæ prius fecerunt, iterum iterumque facient vobis, *quia non noverunt*, hoc est, non dilexerunt, nec diligere pos-

sunt amorem illum, quo verbo Dei intenditis, quo A me, qui Verbum Dei sum, diligitis.

Sed hæc locutus sum vobis, ut cum venerit hora, horum reminiscamini, quia ego dixi vobis. Hæc omnia malignorum spirituum tentamenta, quibus semper vobis insidiantur, ego qui Veritas sum, *prædixi vobis*, ut *cum venerit hora illa*, in qua per compunctionis et orationis internæque dulcedinem contemplationis ab incursu eorum mecum et in me quiescere cœperitis, *eorum reminiscamini, quia dixi vobis*. Quomodo dico : *Reminiscamini?* Ita videlicet, ut nunquam de hora illa sic præsumatis, ut secutura tentationis, diabolicæ machinamenta minus sollicite caveatis, sed in arridente vobis prosperitate de subsecutura semper solliciti sitis adversitate, ut si forte ingruerit, rursus in horam illam, manu miserationi B meæ rapiamini, in qua consolationis meæ dulcedine abundantius et perfectius relevari mereamini.

Ad hunc sensum Evangelii quod pro modulo nostro exponendo transcurrimus, respicit Lectio hodierna, in qua hortatur nos beatus apostolus Petrus pari sensu, sed non eisdem verbis, vigilare contra tentantis inimici insidias dicens : *Estote prudentes, et vigilate in orationibus, ante omnia autem mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes, quia charitas operit multitudinem peccatorum*. Tria ista, quæ sequenda nobis proposuit, primum quidem, ut prudentes simus ; secundum, ut vigilemus in orationibus ; tertium, ut mutuam in nobismetipsis C charitatem continuam habeamus, ad declinanda insidiantium nobis inimicorum tentamenta ad impetrandam felicem horam illam, de qua in præmissis sancti Evangelii verbis tractavimus, prorsus necessaria æstimamus. **518** Omni quidem tempore, maxime tamen cum ad servitutem Dei accedimus, constanter agere, prudenter nosmetipsos custodire debemus, ne quid nobis ex fraude diabolica subrepat, quod horam illam, in qua Deus conspicitur, nos retardare valeat. Debemus etiam vigilare in orationibus, ita ut cor cum corpore vigilet, laboribusque corporis intentio mentis concordet. Sed hæc duo prudentiam scilicet et vigilantiam in orationibus tertium, id est, virtus charitatis ornare debet. Oportet enim, ut mutuam in nobismetipsis charitatem D continuam habeamus in nullo proximum lædentes, et si lædimur, patienter propter amorem et honorem Dei sufferentes atque portantes, ea videlicet conditione, ut et ipse in magna multitudine dulcedinis suæ nostri memoretur, atque in horam illam sua nos clementia perducat, ubi in ipso et per ipsum omnium injuriarum, omnium, quæ nobis occurrere possunt, adversitatum obliviscamur et consolemur. Hanc enim horam nihil sic innovat sicut dilectio; nihil sic impedit sicut odium et amaritudo.

Hæc autem omnia, quæ ex Evangelio et lectione audivimus, ideo nobis in hac Dominica, quæ solemnitati Spiritus sancti proxima est, leguntur, ut saltem paucis istis diebus in omni humilitate, charitate ac castitate vigilantius et studiosius Spiritui sancto corda nostra præparemus. Scriptum namque est : Spiritus sanctus *non habitat in corpore subdito peccatis*. Et iterum : *Super quem requiescam, nisi super humilem et mansuetum et trementem sermones meos?* Sed quia castitas carnis nihil est sine castitate et humilitate mentis, studeamus castitati cum humilitate, humilitati cum charitate, ut adveniens Spiritus sanctus tales non inveniat, quos templum gloriæ suæ inhabitando perficiat : quod ipse præstare dignetur, qui cum Deo Patre in unitate ejusdem Spiritus sancti vivit et regnat per omnia sæcula seculorum. Amen!

519 HOMILIA LVII.

IN SABBATUM QUATUOR TEMPORUM PENTECOSTES PRIMA.

Surgens Jesus de synagoga introivit in domum Simonis : Socrus autem Simonis tenebatur magis febribus. (*Luc*. IV.)

Sanctæ et venerandæ Paschatis hujus solemnitatis finis, qui jam instat, finem illum universæ carnis non inconvenienter nobis insinuat, cui consummatis temporalibus quæ nunc agimus, festis festiva æternæ jucunditatis gaudia succedunt, quæ nullo unquam fine terminari, nec aliqua adversitatis molestia in sua aliquando æternitate poterunt perturbari. In hoc sane beatæ et nunquam finiendæ festivitatis primordio in salvandis omnibus duo hæc Domini et Salvatoris nostri miracula vere et perfecte implebuntur, quæ nunc in fine hujus jam peractæ festivitatis divinis inserta officiis leguntur.

Hesterno namque die teste evangelica veritate audivimus, qualiter pius et misericors Dominus hominem paralyticum curaverit ; hodierna vero sancti Evangelii lectio nobis insinuat qualiter febricitantem mulierem solo Divinitatis suæ imperio optatæ sanitati redonaverit. In his duobus, viro scilicet et muliere non incongrue spiritum nostrum accipere possumus et carnem, quæ, licet ab infirmitatibus suis nunc multoties liberentur, stabili tamen et perfecte sanitati nequaquam restituentur, donec festis his quæ tempore transeunt e medio factis, ille dies perpetuæ solemnitatis et lætitiæ illuxerit, in quo electi quique sic ab omni corruptione expedientur, quod nullam amplius nec corpore nec spiritu infirmitatis molestiam experientur. Quo autem ordine ad hujus modi gloriam hac in vita Domino sibi cooperante quis pertingere valeat, præsens sancti Evangelii lectio aperte nobis insinuat,

Surgens, inquit evangelista, *Jesus de synagoga introivit in domum Simonis*. **520** Per *Synagogam* hoc in loco multitudinem fidelium possumus accipere, in qua et cum qua Dominus noster Jesus Christus quodammodo tunc erat, quando humana carne circumdatus omnis carnis molestias præter solum peccatum nostri causa sustinebat. *Surrexit* autem de illa *Synagoga*, quando post gloriosum passionis triumphum devicta morte resurrexit, et communi humanæ carnis, quam gerebat, passibilitate in novæ ac singularis vitæ dignitatem transmutata, sicut in

divinitate sic et in humanitate sua impassibilis et immortalis factus est, quemadmodum Apostolus dicit : *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur*. (*Rom.* VI, 9.) Sic itaque surgendo, sic inquam, assumptæ humanitatis mortalitatem per Divinitatis potentiam evacuando *introivit* in domum Simonis. Per *Simonem*, qui interpretatur *obediens*, licet ipse Dominus noster Jesus Christus usque ad mortem pro nobis Patri obediens factus convenienter accipiatur, potest tamen per eumdem Simonem cœtus Angelicus intelligi, qui immutabili semper Deo dilectione adhæsit, qui nulla unquam inobedientiæ inconstantia a via veritatis declinavit.

Possumus etiam ejusdem Simonis nomine beatas electorum animas, qui cum Christo surrexerunt, non inconvenienter accipere, cum quibus *domum* illam suam, cœlestem scilicet Jerusalem, *introivit*, quam omnibus sibi obedientibus pretiosi sanguinis sui effusione conquisivit. Hanc itaque domum licet secundum divinitatem semper sibi propriam, secundum humanitatem tamen quasi ex dono Patris, verus ille noster Simon accepit quando post triumphum **521** passionis et gloriam resurrectionis ad ejusdem dexteram Patris gloriosus victor consedit.

Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus. Cum uxorem aliquis duxerit, mater ejusdem uxoris *socrum* viri appellari consuevit. Sed cum Dominum et Salvatorem nostrum per Simonem intelligendum dixerimus, quid per uxorem vel *socrum* ejus accipere possumus? Sponsa quidem et uxor ejus est immortalis illa quæ, a terrenis rebus jam exuta, in cœlestibus cum Christo immortaliter gaudet Ecclesia ; cujus mater cum præsens hæc Ecclesia sit (quotquot enim animæ æterni Regis thalamo receptæ sunt, vel adhuc recipientur, necesse est ut prius ex matris hujus utero generentur) *socrus* ejusdem Domini nostri non immerito hæc eadem præsens Ecclesia dici poterit. Sed hæc *socrus* Domini, ipso de Synagoga hac per immortalitatis gloriam surgente, domumque suam, cœlestem videlicet Jerusalem cum sponsa sua, fidelium multitudine, ingrediente, *magnis tenebatur febribus*, quia, quandiu in hujus mortalitatis miseria versatur, diversis peccatorum nexibus, quæ bene febribus comparantur, irremediabiliter prægravabitur. Nam si qui sunt, qui in operibus suis sani videantur ; pauci tamen inveniuntur qui verbo non offendant, qui ex linguæ incuria internam plerumque sospitatem non amittant. Si quis autem tam constans tamque perfectus internæ sanitatis suæ custos existeret, quod nec factis, nec dictis aliquando eam corrumperet, quis autem castum se habere cor gloriatur, quis, inquam, inveniri poterit qui diversas noxiarum febres cogitationum etiam invitus non patiatur ? Hujus itaque humanæ infirmitatis miserias non ignorant hi qui jam cum Christo in cœlestibus regnantes lætantur ; et ideo assiduis precibus pro præsenti statu Ecclesiæ intervenerunt, quemadmodum sequentia sancti Evangelii verba testantur. Sequitur enim :

Et rogaverunt illum pro ea. Per hos qui rogasse Dominum pro ægrotante muliere supplicantes hominibus dicuntur, sicut sæpe solemus, sic etiam hoc in loco sanctos angelos, qui pro nostra quotidie sollicitantur salute, necnon et beatas justorum animas jam Christo **522** conregnantes non incongrue accipere possumus. Isti sane, licet omni jam miseria careant, utpote in æternæ beatitudinis gloria collocati, sciunt tamen quam laboriose in hujus vitæ exsilio aliquando vixerint, quam vix hujus mortalitatis ærumnas solius Dei auxilio evaserint, ideoque tanto obnixius una cum sanctis angelis pro nostris miseriis Christo supplicant, quanto in his quæ patimur, et se aliquando laborasse non ignorant.

Sed sciendum est quia non humano more procedendo, nec verbis verba jungendo omnipotentis Dei misericordiam pro nobis implorant, sed oratio illorum est fervens nostræ salutis desiderium. Desiderant enim desiderio inæstimabili ut præsens sæculum istud finiatur, quatenus et ipsi receptis corporibus plenum gaudium consequantur et isti qui carnis adhuc mole premuntur, tam corporum quam animarum febribus liberati, æternæ sanitati restituantur. Sed tantum tantorum desiderium nequaquam in vacuum ibi, quia si pius et misericors Dominus gemitus et lacrymas non despicit illorum qui adhuc in hujus mortalitatis exsilio peregrinantur, quanto dulcius eorum annuit precibus qui jam cum ipso regnantes claritatem vultus ejus familiarius contemplantur. Scriptum est enim : *Desiderium pauperum exaudivit Dominus, præparationem cordis eorum audivit auris tua* (*Psal.* x,17). Licet enim veras æternæ beatitudinis divitias jam possederint, tamen, quia vere sunt humiles, non incongrue appellantur pauperes. Et cum præparatum semper ad Deum cor habeant, jugiter eum sentientes quotiescunque ægrotantis in hujus mundi exsilio matris suæ, sanctæ videlicet Ecclesiæ Christo miserias suggerunt, nequaquam petitioni eorum contradicit, sanando illam ab imminentibus peccatorum febribus, quemadmodum evangelista dicit in consequentibus :

Et stans super illam imperavit febri, et dimisit eam. — *Stat* quidem Dominus *super illam*, in cujus medio aliquando erat, dum homo pro homine factus sic hominibus communicabat, quod universos dolores, miserias et infirmitates, quas nos necessitate patimur, ille non necessitate, sed voluntate sola pro nobis sustinebat. Sed quia nulla jam **523** in eum cadit infirmitas, utpote qui gloria et honore coronatus in domo sua, immortalis immortaliter regnat, bene jam dicitur, *stans febri imperare*, quia tam secundum humanitatem quam secundum divinitatem suam potens est Ecclesiam suam diversis tam corporum quam animarum passionibus solo imperio salvare, quemadmodum ipse post resurrectionem suam apparens discipulis suis ait : *Data est mihi*

omnis potestas in cœlo et in terra (*Matth.* XXVIII, 18). Qualicunque ergo sive corporis sive animæ infirmitate sancta Ecclesia detineatur, mox, ut ipse imperaverit, a febre dimittitur, faciens quemadmodum in sequentibus sancti Evangelii verbis dicitur :

Et continuo, inquit evangelista, *surgens ministravit illis*. Sed quid est quod dicitur, *ministravit illis*, nisi quia anima illa, quæ suæ infirmitatis torpore prægravata nullum debitæ servitutis obsequium Deo impendere poterat, mox ut divinæ pietatis auxilio optatæ se sanitati restitutam senserit, non solum illi, cujus munere et gratia, sed et illis, quorum interventu se sanatam non dubitat, expedito corde et corpore ministrare incipit? Nam cur nos sanctissimæ Dei Genitricis Mariæ sanctorumque angelorum, nec non et aliorum festa sanctorum tam devoto in terris veneramur obsequio, nisi ut ab ingruentibus quotidie tam corporis quam animæ languoribus et temporaliter liberari, et æternæ intercessionis illorum auxilio quandoque restitui mereamur sanitati. Sed quia, quandiu in hoc loco infirmitatis manemus, diversis utriusque hominis infirmitatibus laborare habemus, tandiu nos illis ministrare convenit, quoadusque perfectæ sanitatis tempus adveniat, de quo consequenter evangelista subjungit :

Cum sol autem occidisset, omnes qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum. Hoc itaque sic intelligere possumus, quod quandiu quis in hac vita consistit, verus ille sol, sol scilicet justitiæ nunquam sic in corde ejus peccatorum tenebris ingruentibus occidat, quin sperare possit et debeat, ut piis operibus, sanctis votis et precibus excitatus rursus ei per visitantis intrinsecus gratiæ suæ splendorem oriatur. Nam ipse est cui nunquam sine **524** spe, misericordiæ supplicatur. Omnis quippe oratio cum spe et fiducia ad Deum est dirigenda, quia in vanum orando laboratur, nisi puram orationem vera spes cordis comitetur. Hinc est quod non oramus pro his qui, cum adhuc in carne viverent, a communione sanctæ Ecclesiæ separati sunt, quia talis oratio in vanum caderet, utpote cui nulla salvationis spes succederet. Omnes igitur, in quorum cordibus verus ille sol, Christus videlicet, hac in vita sic occiderit, quod duro et impœnitenti cordi perseverantes in peccatis ultima eos vitæ illorum dies invenerit, ab his omnis spes videndi in gaudio æterni solis claritatem simul cum vita peribit, qui in eisdem peccatorum tenebris, quas hic pœnitendo, et veræ luci, quæ Christus est, per dignam satisfactionem appropinquando exuere noluerunt, in his, inquam post hujus vitæ terminum sine fine inconsolabiliter cruciari habebunt. Illi vero qui pro interno jam dicti veri solis occasu nunc contristantur, et, quandiu vivunt, piis semper laboribus eum ad ortum suscitare conantur, in fine mundi cum transacto mutabilitatis hujus tempore sol iste visibilis occiderit, majestatem Dei fiducialiter prævenient, sicuti præsens ordo verborum figuraliter innuit :

Omnes, inquit evangelista, *qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum.* Non dicitur *qui habent*, sed *qui habebant*, quia, licet miseros aliquando infirmos, singulos videlicet utriusque hominis sui sensus habuerint, nequaquam tamen tunc habebunt quia propria teste conscientia stabilis pœnitentiæ perfectæque satisfactionis medicamine eisdem infirmis suis, quantum poterant, Domino cooperante hac in vita subvenire non cessabant. Unde quia *habebant*, sed jam tunc non habent, cum magna spe et fiducia semetipsos ad Deum adducent gaudentes æternæ majestatis ejus conspectibus præsentari, ubi sanitati æternæ æternaliter ab ipso mereantur redonari.

At ille singulis manus imponens curavit omnes. Singulis quippe manus imponet, cum divinæ suæ potentiæ, quæ per *manus* ejus accipi potest, illos participes efficiendo, sic corpore et anima **525** æternæ beatitudinis gloria stabiliet, quod nec corpore iniquis operibus, nec in anima illicitis desideriis divinæ majestatis oculos ultra offendere poterunt. Hæc itaque desiderabilis et vere jucunda impositio manuum summi Pontificis ubi facta fuerit, miro modo implebitur, quod in ordine lectionis evangelicæ subjungitur :

Exibant autem, ait Evangelista, *dæmonia a multis clamantia et dicentia : Quia tu es Filius Dei.* Quandiu in hujus mundi exsilio peregrinamur, nequaquam exitus iste dæmonum fieri potest quia licet divina eos manu tenente malitiæ suæ tyrannidem in fidelibus Christi pro velle et libitu suo explere nequeant inter nos tamen quodammodo et nobiscum conversantur, et die noctuque saluti nostræ obsistunt et insidiantur. Sed post solis occasum, præsentis videlicet mundi terminum, cum verus ille Pontifex singulis manus imposuerit, cum omnes electos suos ab omni corporis et animæ corruptione curaverit, tunc demum *dæmonia a multis exibunt*, quia nullis ultra tentationibus sanctis Dei appropinquare poterunt. Et bene dicit *a multis* quia non omnes salvabuntur, qui tremendo Dei judicio in die illa præsentabuntur. Sed cum a multis, a salvandis videlicet omnibus, divina urgente sententia, jam dicta dæmonia exire cogentur. Omnipotentiam Dei, licet inviti, confitentur *clamantia et dicentia : Quia tu es Filius Dei* quia tunc demum cognoscent, quod solus ille Dominus sit omnium, qui solus suis juste dominari debeat in perpetuum. Sed hujusmodi confessionem illorum non præmium, sed supplicium sequitur, quemadmodum ex consequentibus sancti Evangelii verbis ostenditur :

Et increpans non sinebat ea loqui. Illa nimirum Domini increpatio est æterna æternæ mortis damnatio, cui in illo extremi examinis judicio iidem dæmones involventur, ubi electis in æternæ beatitudinis gloriam receptis ipsi cum suis sequacibus sempiternis deputabuntur ignibus, dicente sibi

Domino : *Ite, maledicti, in ignem æternum, qui præparatus est diabolo et angelis ejus.* (*Matth.* xxv, 41). Hæc itaque Domini sententia **526** dum in eos prolata fuerit, recte quædam increpatio dici poterit, quia *intus crepat*, intus omnem eorum fortitudinem [*cod.* formidinem] conterit et evacuat. Unde et bene subditur : *Et non sinebat ea loqui.* Locutio dæmonum est maligna suggestio eorum ; perversam enim perfidiæ suæ loquelam quodammodo nunc emittunt, cum cuilibet homini in secreto suo stanti sive sedenti cogitationes non bonas, et perversa desideria immittunt, facientes ut secum homo tractare incipiat, quomodo factis vel dictis aliquid, quod non expedit, perficere valeat. Tali siquidem modo cum electis suis hac in vita loqui eos Dominus permittit, ut videat qui sint qui mortiferæ eorum locutioni contradicendo non consentiant, et ei a quo sunt laudabili cordis corporisque constantia inconvulse adhæreant. Transacto autem hujus mutabilitatis tempore, cum jam dicta Domini increpatio in eos retorquebitur, cum ad ejus vocem omnis eorum virtus et fortitudo contereiur, tunc demum a pestifera hac locutione cessabunt, quia nullo tentationis sive suggestionis incursu gaudia illorum ultra perturbare poterunt, scientes ipsum esse Deum sine fine in suis et cum suis regnaturum. Unde digne satis subjungitur :

Facta autem die ibat Jesus in desertum locum. Intuendum est itaque diligentius quæ sit *facta dies* ista, quam tam distincte hic commemorat Evangelista. Est revera *dies* quædam, dies jucunda et desiderabilis Christus, videlicet dies æternæ jucunditatis et dulcedinis ; qui tamen nequaquam *dies facta* dicitur quia sicut nullo unquam concluditur fine ; sic etiam sine initio erat coæqualis Patri in divinitatis majestate. Est et alia *dies*, quæ recte *dies facta* appellari poterit, collecta videlicet multitudo electorum, quam splendore gratiæ suæ dies illa non facta hac in vita misericorditer illuminavit, et ad diem illum æternæ jucunditatis, cui caliginis umbra nulla succedit, occulta prædestinatione sua ante mundi exordium præordinavit. Hæc est revera dies illa, de qua dicit Scriptura : *Et benedixit* **527** *Deus diei septimo, et sanctificavit illum.* Hæc itaque dies divinitus benedicta cum advenerit, cujus semel inchoata claritas sine fine permanebit sine dubio implebitur, quod subsequenti ordine verborum figuraliter innuitur :

Egressus, inquit evangelista, *ibat in desertum locum.* Quandiu in hujus mortalitatis exsilio manemus, Dominus noster Jesus Christus nobis quodammodo intus est, quia mortalis sarcina corporis prægravati, in divinitatis suæ claritate eum, sicut est, videre non valemus. Nam quemadmodum radiis præsentis hujus solis salva oculorum acie nullus mortalium diu intendere posset sic revera si verus ille sol nunc egrederetur, si fieri posset ut talis qualis est nunc apparere nobis dignaretur, ex miseranda mortalitatis hujus qua deprimimur caligine nec ad momentum quidem claritatem vultus ejus possemus sustinere.

Ea propter cum jam dicta dies, dies videlicet perpetuæ solemnitatis et lætitiæ advenerit, cum universa multitudo fidelium capiti suo Christo associata regnum cœleste introierit, tunc idem Salvator noster, qui nunc latet, qui nunc quodammodo intus est egressum desiderabilem, magnum et mirabilem faciet, tunc inquam, omni humanæ infirmitatis caligine funditus detersa sic omnes in corpore et anima perpetuæ visitationis suæ gratia collustrabit, ut unusquisque illorum corporalibus oculis sanctissimam ejus humanitatem, spiritualibus vero incomprehensibilem ejus intueatur Divinitatem.

Nam illud est quod mox evangelista subjungit : *Ibat*, inquiens, *in desertum locum.* Licet per desertum locum regnum cœlorum accipiatur, teste homine illo qui relictis in deserto nonaginta novem ovibus, ad requirendam unam perditam abierat, potest tamen hic per *desertum locum* cor cujusque electi non incongrue intelligi, quod recte quasi *desertum* nuncupatur, cum per invisibilem visitationis suæ gratiam modo præsentem sibi Dominum gaudeat, **528** modo eadem præsentiæ suæ subtracta dulcedine desertum se ab eo doleat. Sed post hujus vitæ miserias cum supra dicto modo egressus fuerit, cum omnibus suis talem se qualis est exhibuerit, tunc revera quasi *in desertum ibit locum* quia singulorum tunc corda sic divinitatis suæ præsentia replendo possidebit, quod nequaquam amplius eos deserere poterit sicque fit quod mox subjungitur :

Et turbæ requirebant eum, et venerunt usque ad ipsum. Ibi enim non solum magni et incomparabiles sancti, Petrus videlicet, Jacobus et Joannes cæterique eorum similes, sed *et turbæ* insatiabili perpetuæ divinitatis ejus satiabuntur visione. *Turbarum* quippe nomine quosque minus perfectos possumus accipere. Qualescunque in hac vita fuerint, qui Deo tandem propitio æternæ beatitudinis gloriæ admittuntur, recte *requirere* eum, *et venire usque ad ipsum* dicuntur. Sed quomodo vel ubi requirent Dominum, in cujus conspectu exsultabunt et lætabuntur? Illorum profecto *requirere* est solum eum qui super omnia est præ omnibus amare et desiderare ; *venire* vero usque *ad ipsum* est totis animæ corporisque affectibus transire in ipsum. Quod autem sequitur :

Et detinebant eum, ne discederet ab eis, nihil aliud esse æstimo, nisi quod fortissimis ei ardentissimæ charitatis astricti brachiis inconvulse adhærebunt, quod nec ipse ab eis nec ipsi ab eo ulla amplius ratione discedere poterunt. Hoc sane cum ita sit, nec inveniatur electorum quis, qui tunc extra beatitudinis januam remanserit, quid est quod in fine Evangelicæ hujus lectionis ipsa Veritas subjungit dicens :

Quia et aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei? Possunt itaque, salva fide catholica et veritate, hæc novissima Domini verba præcedentibus non inconvenienter aptari. Quod enim dicit, *quia aliis eum civitatibus evangelizare regnum Dei*

529 *oporteat*, idem est si universa electorum collecta ad se multitudine singulos eorum labores, facta, dicta et cogitationes singulariter remunerando dicat: Fuistis sane aliquando civitates meæ, civitates, inquam, electæ, civitates dulces, nimiumque acceptæ, dum mortali adhuc corpore prægravati contra hostem antiquum forti virtutum acie dimicastis, et ignitas ejus sagittas pedibus sanctæ operationis viriliter proterendo soli mihi, quantum possibile erat, mundum cordis corporisque vestri habitaculum observare studuistis. Sed et nunc nihilominus *civitates* meæ estis, longe tamen *aliæ* quam aliquando fueritis. Eratis profecto tunc civitates infirmæ ex deprimente vos carnis imbecillitate; nunc autem civitates firmatæ et præmunitæ ex sempiterna quæ ultra vos manebit tam corporum quam animarum immortalitate. Hoc itaque modo quia *aliæ* factæ, hoc est quia meo dono et gratia in melius mutatæ estis, *oportet me* vobis *regnum Dei evangelizare oportet*, inquam, quia paterna mei exigit pietas, sempiternam vobis sempiternæ Trinitatis meæ gloriam sic demonstrare, ut a mansuris regni mei gaudiis nunquam ultra separari possitis. Ad hæc gaudia obtinenda perducat nos gaudium Patris, ubi in deliciis cœlestis patriæ sic æternæ Trinitati conjungamur, ut perpetuam ejus claritatem revelata facie contemplantes laudare mereamur per infinita sæcula sæculorum. Amen.

530 HOMILIA LVIII.

IN DOMINICAM SANCTÆ TRINITATIS PRIMA, QUÆ ET I POST PENTECOSTEN.

Erat homo ex Pharisæis, Nicodemus nomine, princeps Judæorum. Hic venit ad Jesum nocte et dicit ei: Rabbi, scimus quia a Deo venisti Magister (*Joan.* III).

Sicut ex verbis sanctorum Patrum cognovimus, *princeps* iste *Judæorum* divinis aliquantulum miraculis eruditus, Jesum Christum a Deo venisse, et Deum cum illo fuisse credidit, sed tamen ipsum esse Deum nondum perfecte cognovit. Quem ideo Magistrum nominat, quia cœlesti ejus magisterio ad viam perfectæ veritatis venire sperabat. Unde et ipse Magister veritatis, dum hunc solum, qui ad eum venerat, Nicodemum erudivit et docuit cunctis fidelibus qua via, quo ordine salvari debeant ostendit.

Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei. Prædixit Salvator hac brevi sententia sacramentum baptismatis, quod quotidie frequentatur in Ecclesia. Nam qui in originali peccato concipitur et nascitur, necesse habet, ut per baptismi gratiam regeneretur ac renovetur, quatenus et filius Dei fieri, et videre possit regnum Dei. At ille, utpote in *nocte* veniens, adhuc videlicet in tenebris ignorantiæ manens, mysterium verbi hujus capere non valuit. Ideo consequenter interrogando ait:

Quomodo potest homo nasci, cum sit senex? nunquid potest in ventrem matris suæ iterum introire et nasci? Non sine causa Dominum dixisse credidit

A ea quæ de iteranda nativitate dixit. Idcirco quomodo hæc eadem fieri possent, diligentius inquisivit. Cui etiam modum ejusdem nativitatis manifestius insinuans ait:

Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu, non potest introire in regnum Dei. 531 *Quod natum est ex carne, caro est; et quod natum est de spiritu, spiritus est.* Ac si dicat: Impossibile quidem est hominem senem iterum ex utero matris suæ corporaliter nasci; sed non impossibile est, imo valde necessarium est, per aquam baptismi et per gratiam Spiritus sancti invisibiliter regenerari et ablui. Nam *quod natum est ex carne, caro est*, id est homo nondum renatus totus caro est, quia nihil in eo sanctum et spiritale est. Postquam B vero spiritaliter et invisibiliter renatus fuerit, non solum spiritalis, sed etiam *spiritus* vocari poterit, quia sicut invisibilis est substantia Spiritus sancti, ita et homo in Christo renatus invisibiliter factus est filius Dei.

Non mireris, inquit, *quia dixi tibi: Oportet vos nasci denuo.* Nicodemus nondum pleniter instructus mirari de hac invisibili nativitate non immerito poterat. Unde et bonus ille Doctor auctorem hujus nativitatis evidentius illi adhuc insinuat et manifestat.

Spiritus, inquit, *ubi vult, spirat, et vocem ejus audis, sed non scis unde veniat, aut quo vadat.* Quasi dicat: Mox ut *Spiritus* sanctus per invocationem C verbi Dei virtute sua aquas aspirando sanctificat, ita omnes, qui in eis baptizantur, mundat et regenerat, ut de filiis mortis et diaboli filios Dei et hæredes regni cœlestis efficiat. *Et vocem*, inquit, *ejus audis, et nescis unde veniat, aut quo vadat.* Ubi vox Spiritus sancti loquitur, ibi non terrena sed cœlestia, non carnalia audiuntur sed spiritualia; et tamen scire non possumus unde, quando, vel quomodo gratia Spiritus sancti in cor hominis, cui [*cod.* qui] loquitur, veniat, vel ad quem finem et fructum eadem gratia vadat et procedat.

Sic est, inquit, *omnis qui natus est ex spiritu.* Omnis homo, qui invisibiliter intus renatus fuerit, incipit esse fidelis et spiritalis, quod non erat; et tamen si in futuro æternam gratiam accepturus sit, D ignorat.

Respondit Nicodemus et dixit ei: Quomodo possunt hæc fieri. Non quasi infidelis et incredulus, qualiter hæc fieri possint interrogat, sed modum et ordinem, quo fieri valeant, exponi sibi expostulat.

Respondit Jesus, et dixit ei: Tu es magister in Israel, et hæc ignoras? 532 Hæc verba Domini non verba sunt increpantis, sed admonentis; non hunc solum, sed et omnes, qui *magistri* vocari volunt, ad humilitatis viam provocantis, ne quis magister vocari vel esse præsumat, qui ea quæ dicenda vel agenda sunt, ignorat.

Amen, amen dico tibi, quia quod scimus loquimur, et quod vidimus testamur, et testimonium nostrum non accipitis. Hic seipsum formam et exemplum

proponit magistris et prælatis omnibus, ut ea quæ sciunt diligendo, quæ vident intelligendo, loquantur et testentur operando. *Et testimonium*, inquit, *nostrum non accipitis*. Non singulariter ait, *accipis* sed, *accipitis*, quia non hoc Nicodemo dicendum erat, qui talem hunc Magistrum audire summopere desiderabat, sed ad illos potius respicit qui jactanter ea quæ sciunt proferunt, et quæ alios docent ipsi facere contemnunt. Sequitur :

Si terrena dixi vobis, et non creditis, quomodo, si dixero vobis cœlestia, credetis? Quomodo homo ille qui de cœlo venit et cœlestis erat, *terrena* illis *dixit?* Dixit enim, sicut in alio loco invenimus, Scribis et Pharisæis de passione et resurrectione sua : *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud* (*Joan.* II, 19). At illi, qui *terrena* tantum quærebant et intelligebant, spiritaliter hæc intelligere nesciebant. Sed pius Magister eumdem discipulum suum, videlicet Nicodemum, cum quo tunc loquebatur, a carnali et terreno sensu ad cœlestia intelligenda provocare et excitare voluit. Idcirco de cœlestibus eum instruens ait :

Et nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo. Quasi dicat : Quisquis *in cœlum ascendere* desiderat, *Filio hominis*, id est mihimetipsi, filio Virginis in unitate veræ fidei se conjungere studeat, quia non aliter nisi per me, *qui de cœlo descendi, in cœlum ascendere* valet. Sed quia hæc eadem ascensio fieri non potest absque fide et sacramentis Dominicæ passionis, recte dicitur in consequentibus :

Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis, qui credit in ipso, non pereat, sed habeat vitam æternam. **533** Exaltatio serpentis ænei præfigurabat passionem Redemptoris nostri, in quem, si quis passionem illius, in quantum potuerit, imitando crediderit, non solum a pœnis inferni, et a periculo animæ salvabitur, verum etiam vitam æternam habere merebitur.

Jam lectionem evangelicam breviter ad allegoriam prænotavimus. Nunc ad nosmetipsos oculum cordis reducentes moralem in ea sensum discamus.

Erat homo ex Pharisæis, Nicodemus nomine, princeps Judæorum. Præsens sancti Evangelii lectio quinque nobis gradus salutis latenter innuit, quibus fideles suos, quos ad vitam Dominus prædestinavit et vocavit, de vitiis ad virtutes misericorditer elevat et provehit. Primus gradus salutis est bonæ voluntatis inspiratio, secundus morum et actuum conversio, tertius intima contriti cordis compunctio, quartus assidua cœlestium rerum meditatio, quintus cauta et circumspecta mentis cogitatio. Unde et consequens ordo evangelicæ narrationis insinuat quomodo hæc omnia initiari et consummari in electis debeant.

Erat, inquit, ***homo ex Pharisæis, Nicodemus nomine, princeps Judæorum.*** Pharisæus *divisus*, Nicodemus *victor populus* vel *victoria populi* interpretatur. Et per hæc verba evidens gradus salutis hominis demonstratur. Nam *homo ex Pharisæis*, id est *divisis* tunc fidelis quisque esse incipit, dum se hominem recognoscens inhumane hactenus se vixisse pœniteat, et his qui spiritaliter Pharisæi sunt, qui corde et corpore a peccatis et negotiis hujus mundi divisi sunt, associari appetit. Huic etiam nomen hoc *Nicodemus*, quod *victor populus*, vel *victoria populi* dicitur, non inconvenienter congruit. Nam ut *victor populus*, id est virtutum populus in ipso crescat et consurgat, *victoriam populi*, victoriam peccati et injustitiæ exercere in semetipso desiderat. Fit etiam hoc modo *princeps Judæorum*, Princeps Deum *confitentium*, quia licet nondum opere et veritate valeat, verbis tamen Deum confitendo magnificat.

Hic venit, inquit, ***ad Jesum nocte.*** Cum enim per bonæ voluntatis inspirationem quasi primum gradum salutis **534** ascenderit, et unus ex spiritualibus Pharisæis esse voluerit, quasi de mediis vitiorum erumpens tenebris, passibus pœnitentiæ adire tentat ipsum auctorem luminis, quem in amaritudine cordis talibus alloquitur verbis :

Rabbi, scimus quia a Deo venisti magister. Ac si dicat : *Scimus* quidem, *Magister* et Domine, te *a Deo* Patre missum cœlestis magisterii exemplum fidelibus tuis exhibuisse, ut si quis humilitatis tuæ vestigia sequi studeat, te ut Patrem et Redemptorem piissimum in sede majestatis quandoque videat. Ego autem non ut Patrem aut defensorem, sed ut advocatum aut protectorem, sed ut judicem ac magistrum, ut Dominum et ultorem severissimum te videre timeo. Nam cervicem cordis mei, prout debui, nunquam tuo inclinavi magisterio. Quæ, dum tacita secum cogitatione frequenter submurmurat, tandem ad effectum boni operis pervenire desiderans, his verbis Domino supplicat dicens :

Nemo potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. *Nemo* inquit, præter te, Domine, *signa* timoris tui excitavit in me. Timorem judicii tui, metumque æternæ damnationis et voluntatem bonam tua in me, Domine, excitavit inspiratio. Sed tamen bonum quod volo perficere per memetipsum non valeo; nam quid per se miser et infirmus valet homo, *nisi fuerit Deus cum eo?* Esse Deum ubique cum omnibus per potentiam majestatis suæ nemo est qui dubitet. Sed tamen aliter est cum bonis, aliter cum malis. Est enim cum bonis bonæ voluntati eorum, quam ipse eis inspiraverit, cooperando et adjuvando; est etiam cum malis malitiam illorum clementer miserando ac tolerando. Fuit cum Saulo persecutore misericorditer ejus tolerando malitiam, donec mirabilem in eo operatus est suæ pietatis gratiam. Fuit etiam cum beata virgine Maria cooperando voluntariæ castitati ejus. Nam dum virum in concipiendo cognoscere noluit, mater et virgo esse meruit. Unde et angelus ad eam ait : *Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum* (*Luc.* I, 28). *Dominus*, inquit, *tecum*. Nam cui virginale in te

propositum complacuit, cooperator tuus in conservanda virginitate erit quia obumbrante virtute Altissimi *concipies et paries Filium* Dei. **535** Sic nimirum omni homini, cui bonam voluntatem inspiraverit, cooperator in bona actione erit. Unde consequenter ait:

Amen, amen dico tibi, nisi quis natus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei. Ecce secundus bonæ conversionis gradus subsequitur, quæ per nativitatem, quæ iterari in homine debet, non inconvenienter accipitur. Nam, dum quis perfecte conversus ambulare in novitate vitæ cœperit, sic est quasi *denuo natus* sit. Et tunc *regnum Dei*, regnum veritatis et justitiæ *videre* in corpore suo *poterit;* nam *regnum Dei videre* est a vitiis et concupiscentiis carnalibus abstinere. Sed quia sic *denuo nasci* inveteratus quisque dierum malorum haud facile valet, quasi admirans bonitatem Dei gratulabundus ait:

Nunquid potest homo nasci, cum sit senex? Nunquid potest in uterum matris suæ iterum introire et nasci? Ac si dicat: Nunquid sine te, Creator Domine, tanta misericordia, tanta clementia fieri valet in homine; ut qui in peccatis male inveteratus senuit, iterum emundatus a peccatis *in uterum matris*, in uterum regenerantis gratiæ *introire possit?* Mater etenim salvandorum omnium ipsa est (quod salva fide dicere possumus) regeneratrix. Conditoris gratia; uterus vero ipsius gratiæ est secreta ejusdem Conditoris prædestinatio. Nam hæc eadem mater in utero secreti sui salvandos suos quodammodo concepit, dum eos ad vitam æternam ante sæcula prædestinavit, ipsosque quotidie materna pietate generat, dum ad innocentiam vitæ misericorditer eos justificando reformat. Et quis ex utero hujus beatæ Matris egressus *iterum introire et nasci poterit*, nisi qui per veram conversionem perfecte humiliatus fuerit? Unde post secundum gradum bonæ conversionis tertius gradus, id est compunctio humiliati cordis, subsequitur, quemadmodum ejusdem veritatis sententia continuo subinfertur:

Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu, non potest introire in regnum Dei. Ex aqua et spiritu homo interior tunc **536** quodammodo *renascitur*, quando in hora intimæ compunctionis unus cum Domino spiritus efficitur, quando creato spiritui increatus Spiritus coadunatur et conjungitur. In hac compunctione cordis et conjunctione Spiritus cœlestis quædam fit regeneratio, quæ sic hominem reformat et regenerat, ut *in regnum Dei*, quod intra se est, *introire* valeat. *Regnum* namque *Dei introire*, est in cor suum, in quo *regnum Dei* esse debet, assidua meditatione redire, ut si forte sponsus ille cœlestis eum visitaturus adveniat in abundantia suavitatis, venientem digno honore eum suscipiat. Verumtamen, quia sic *regnum Dei introire* carnales nesciunt, sed spiritales, apte dicitur in consequentibus.

Quod natum est ex carne, caro est; et quod natum ex spiritu, spiritus est. Quod totum carnale et corruptibile sit, quidquid *natum ex carne* fuerit, ipsa quoque caro illecebrosa innuit. Nam teste Apostolo: *Caro* semper *adversus spiritum concupiscit* (*Gal.* v, 17). Unde etiam hi qui carnales sunt, sola carnalia quærunt et diligunt. *Et quod natum est ex spiritu spiritus est.* Quid hac spiritali nativitate sublimius, cum etiam ipse Deus sit spiritus? Et ideo quid aliud nisi totum spiritale, totum cœleste esse poterit, quidquid anima fidelis de Spiritu sancto concipit et parturit? *Animalis* autem *homo non percipit ea quæ sunt spiritus* (*I Cor.* II, 14), ideoque adhuc de spiritali nativitate ait manifestius:

Non mireris quia dixi tibi: Oportet vos nasci denuo. Spiritus ubi vult, spirat, et vocem ejus audis, et nescis unde veniat, aut quo vadat. Non, inquam, *mireris*, id est mirando perscrutari non valebis, quomodo per septiformem Spiritus sancti gratiam spiritalem nativitatem, quam prædixi, in electis meis iterari faciam. Nam *spiritus ubi vult, spirat*, hoc est voluntaria aspiratione fideles suos præveniendo visitat. Sed sunt nonnulli, qui vocem aspirantis audiunt, et tamen quando *veniat*, vel quando *vadat*, scire contemnunt. Periculosum quidem non est, nescire *unde veniat, aut quo vadat*, sed valde periculosum est nescire **537** quando veniat, aut quando vadat. Nam qui audire vocem aspirantis, observare tempus advenientis vel abeuntis sollicita circumspectione nititur, nasci per conversionem, renasci per compunctionem supra memorato nativitatis ordine merebitur.

Sic est, inquit, *omnis, qui natus est ex spiritu.* Ac si dicat: *Sic omnis* ad verum esse tendit, et ad verum esse pervenit, *qui* post bonæ voluntatis inspirationem sic *natus* per conversionem, sic renatus per compunctionem *fuerit*. Qui autem hæc minime in se expertus est, quid intrinsece ad hæc respondeat, responsione sua Nicodemus iste denuntiat.

Quomodo, inquit, *possunt hæc fieri? Quomodo*, inquit, quo modo, quo studio cogitationes meas verba et opera sic moderari valeo, ut nasci per conversionem, renasci merear per compunctionem? Cui mox moderamina rectæ vitæ proponuntur, cum continuo subinfertur:

Tu es magister in Israel, et hæc ignoras? Tu, inquam, si talis *magister in Israel* esse desideras, ut tu ipse *Israel*, id est vir videns Deum esse valeas nunquid *ignoras* quod ad tale magisterium pervenire non poteris, nisi cogitationes, sermones et actus recto moderamine disposueris? Oportet namque ut in humilitate subditus, in charitate proximi sis veluti socius, si *Magister in Israel* esse volueris, si Deum in dulcedine cordis videre appetis. Et quoniam imperfecti quique minime ad hæc pertingere valent, de persona perfectorum iterum manifestius ait:

Amen, amen dico tibi, quia quod scimus, loquimur, et quod vidimus, testamur, et testimonium nostrum non accipitis. Perfectorum est ea quæ Dei sunt *scire* cordis affectu, *videre* mentis intellectu, *loqui et te-*

stari operis effectu. Sed testimonium illorum imperfecti non accipiunt; nam ea, quæ testantur, imitari contemnunt. Unde iterum Dominus taliter eos admonet dicens:

Si terrena dixi vobis, et non creditis, quomodo, si cœlestia vobis dixero, **538** *credetis?* Hæc, quæ tribus distincta gradibus supra memoravimus de bonæ voluntatis inspiratione, de morum et actuum conversione, de intima cordis compunctione, quasi *terrena* quodammodo esse videntur in comparatione eorum quæ sequuntur, assidua scilicet rerum cœlestium meditatio, cauta et circumspecta cordis cogitatio. Et ideo, si quis ad ea quæ quasi *terrena* sunt non attingit ea quæ cœlestia sunt, quomodo comprehendet? Nam quartus jam gradus succedit, quod est rerum cœlestium meditatio, quam consequenter evangelica exprimit lectio.

Nemo, inquit, *ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo. In cœlum ascendere* est et per piæ devotionis desideria cogitando et suspirando sublevari a terrenis ad cœlestia. Sed hoc modo nemo potest ad cœlestia ascendere, *nisi qui de cœlo descendit*, hoc est qui de toto corde suo, in quo cœlum et sedes Dei esse debet, profunda humilitate se inclinare studet. Et hic est revera per unitatem humilitatis *filius hominis, qui est in cœlo*, illius, inquam, hominis, qui est filius Virginis, cujus cœlum est in corde humili et quieto. Sicque fit ut quintus jam gradus succedat, circumspecta scilicet cogitatio cordis, quam subsequens innuit ordo evangelicæ veritatis. Nam sequitur:

Sicut Moyses exaltavit serpentem in eremo, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Si quis quatuor supra memoratis gradibus, id est bonæ voluntatis inspiratione, morum et operum conversione, contriti cordis compunctione, sancta et cœlesti meditatione provehatur, quinto etiam gradu, hoc est cauta et circumspecta cordis cogitatione *exaltari* merebitur, ut sicut *Moyses* mystico nomine *de aqua sumptus* dicitur, ita et iste de spiritali aqua, gratia videlicet divinæ contemplationis assumptus erudiatur intrinsece et doceatur, quatenus forti et circumspecta custodia cordis *Filium hominis*, filium intemeratæ Virginis per humilitatem et mansuetudinem *exaltare* **539** in semetipso incipiat, *sicut* prius *serpentem* antiquum per superbiam, per iram et vanam gloriam *in deserto*, id est in corde suo *exaltabat*. Nam cor peccatoris tunc male *desertum* et desolatum dici poterit, quando sordibus peccatorum exclusus cœlestis inhabitator illud deserit. Sequitur:

Ut omnis qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Perire tam Deo quam sibimetipsi tunc homo non bene providus et circumspectus dicitur, dum oculo cordis circumvagando per diversa rapitur, quia nec propriam videre valet miseriam, nec divinæ majestatis revereri præsentiam.

540 Qui vero sic, ut supra dictum est, filium hominis exaltando crediderit, nec Deo nec sibimetipsi circumvagando perire valebit, sed *vitam æternam habere* in præsenti inchoat per intimæ contemplationis dulcedinem, quam in futuro sine fine per incommutabilem habebit plenitudinem, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre, et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

PRÆFATIO

541-542 IN HOMILIAS DOMINICALES ÆSTIVALES.

Solemnitates Dominicarum æstivalium inchoaturi, Dominum, cujus istæ Dominicæ et a quo dictæ sunt, humiliter invocemus, ut ipse, qui est via, veritas et vita, viam nobis ad intelligendum quæ in his latent, veritatem ad scribendum, et pro earum observatione vitam nobis concedere dignetur sempiternam.

Spiritualibus enim spiritualia comparantes, illis præcipue qui spiritu facta carnis mortificant, ut in monasteriis Deo vivant, operis nostri studium impendere intendimus, a quibus hoc tantum laboris nostri præmium recipere cupimus, ut si nostræ parvitatis non placet operatio, saltem non displiceat devotio, qui etsi pro velle nostro prodesse omnibus non possumus, obesse tamen quod facturi sumus nulli credimus. Legant igitur litterati et sapientes virorum sapientium et eruditorum expositiones, legant, si volunt, parvi et humiles, qui in monasteriis sunt, nostræ simplicitatis qualescunque adinventiones, et si in his diversum aliquid ab aliorum expositionibus audiunt, non contemnant, dum tantum a fide et sana doctrina discrepare audita non intelligant. Spiritus enim sanctus, dividens singulis prout vult, iste est a quo omne datum optimum et omne donum perfectum est, qui sicut majoribus largiter administrat unde ditentur, ita minoribus dare solet misericorditer unde consolentur. Quæ igitur ipso largiente ad nostram et aliorum consolationem in Evangeliorum intellectu accepimus, ipso adjuvante ad scribenda non in nobis, sed in isto confidentes accedamus.

543 HOMILIA LIX.

IN DOMINICAM I POST PENTECOSTEN PRIMA.

Erat dives, et induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide (*Luc.* XVI).

Cum totus mundus in duobus subsistat ordinibus, divitum videlicet et pauperum, habent in hac parabola divites doctrinam suam, habent in hac parabola pauperes consolationem suam. Habent hic ex divite isto divites quod timeant et expavescant, habent in paupere isto pauperes ut consolentur, et in spem vitæ æternæ convalescant. Admonentur enim hic divites, ut inter divitias mundi et honores ita se habeant, ne, propter breves et caducas præsentis vitæ delicias, cum divite isto qui sepultus est in infernum, æternæ damnationis incidant supplicium. Consolantur hic pauperes, ut si patienter egerint, si in ista sui paupertate memores Dei spem suam in ipso posuerint, consolationemque egestatis suæ ab ipso quæsierint et exspectaverint, cum paupere isto, qui de præsenti vita sublatus, in sinum Abrahæ ab angelis est deportatus, post grave paupertatis tædium suave æternæ consolationis sperare debeant refrigerium.

Possumus etiam in duobus istis, in divite et paupere prælatos et subditos intelligere, quia, qui sicut dignitate, ita etiam scientia Dei, virtutumque ac morum probitate præditi, prælati in Ecclesia Dei vocantur, recte *divitis* nomine censentur et honorantur. Ille vero, qui despectis et abjectis mundi divitiis humiliter propter Deum alienæ voluntati et jussioni subjiciuntur, nomine *pauperis Lazari* apte exprimuntur.

Sed et in divite isto et paupere innocentes et pœnitentes possumus accipere. Nam qui per misericordiam Dei innocentiam suam servaverunt, et per carnis mortificationem, cordisque munditiam Deo placere in sancta conversatione meruerunt, hi profecto sunt qui et *divitis* nomine merito honorantur, et *induti purpura et bysso* memorantur. Qui vero nocenter vixerunt, 544 et quasi ulceribus pleni, putredines vitiorum suorum perfecte agnoscentes, vere se pœnitentiæ submiserunt, ulcerosi *pauperis Lazari* in se nomen susceperunt. His breviter præmissis oculum mentis ad intellectum sacræ evangelicæ lectionis vertamus, relinquentesque divitem et pauperem spiritalem, intueamur divitem et pauperem spiritalem, et, quid in his admoneamur et instruamur, diligenter consideremus. Ait namque Dominus: *Homo quidam erat dives, et induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide. Homo* iste *dives* significat hominem beatum, nullis criminalibus peccatis in vita sua lapsum aut violatum, qui aut a parentibus suis ab istis pueritiæ suæ temporibus Deo traditus, aut etiam omnipotentis Dei inspiratione voluntarie sequestratus a communi hujus sæculi conversatione, transitoria præsentis vitæ gaudia parvipendit, solis cœlestibus et mansuris sine fine gaudiis animum intendit. Hic sane cum in sua A innocentia serviens Deo in spiritalis vitæ observantia, imaginem et similitudinem Dei sollicite in semetipso conservare nititur, recte et congrue *homo quidam*, homo, inquam, singularis dicitur. Qui etiam dum in spiritalis vitæ profectu ex abundanti divinæ pietatis munere desiderabiles virtutum divitias, quibus Deus omnipotens electos et dilectos filios suos in sancta conversatione fovet et nutrit, ditatur et sublimatur, recte *homo quidam dives* nominatur. Cum autem in ipsa sui innocentia et sanctitate eadem humilitate, austeritate atque difficultate corpus suum tractat, qua et conversus peccator in sua pœnitentia, neque minus et per carnis mortificationem, et per cordis munditiam semetipsum stringit, ne peccata admittat; quam homo B peccator laborat, ut commissa deleat et abstergat, recte de eo dici poterit: 545 *Et induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide.* In *purpura* mortificatio accipitur carnis, in *bysso* vero, qui de terra oritur, et cum labore ad candorem perducitur, exprimi potest munditia cordis. Nisi enim mortificationem carnis subsequatur munditia cordis, ut simpliciter propter solum Deum carnem suam noverit mortificare, laudesque inde exterius non requirat, non multum ei proderit suscepta mortificatio carnis.

Multi denique sunt qui se a peccatis pro honestate vitæ continent, ne coram oculis hominum confundantur. Plerique etiam post perpetrata peccata in pœnitentia affliguntur, carnem macerant, et tamen pro pœnitentia et afflictione sua coram humanis C aspectibus laudari et honorari desiderant. Hi omnes *purpura induuntur* in eo quod a peccatis abstinentes carnem suam mortificant, et pœnitentiæ laboribus affliguntur. *Bysso* vero non vestiuntur, quia munditiam cordis non habent, dum pro transitoria laude carnem suam mortificant. Quisquis vero utrumque agit, et quod carnem suam a vitiis abstinendo mortificat, nullamque inde laudem exterius, sed solius Dei retributionem quærit interius, hic recte *purpura et bysso* dicitur indutus. Ibi bene sequitur mentis contemplatio, quæ in verbis sequentibus intelligitur:

Et epulabatur quotidie splendide. Epulum istud, quo beata anima epulari debet in Domino, percipitur D orando, legendo, meditando. Epulum sapientiæ percipit homo in oratione, epulum scientiæ accipit ex lectione. Sed notandum quod dicit, *et epulabatur quotidie splendide.* Perfectus namque homo, qui ad veram vitam tendit, ad hoc omni conamine debet intendere, ut epulum istud per Dei gratiam possit habere *quotidie*. Difficile autem est homini ut epulum sapientiæ, quod orando gustatur et sumitur, *quotidie* possit habere, ut in compunctione intima Deum sapiens, in hoc sapore orationis jugiter valeat immorari. Ergo cum non adest epulum sapientiæ, ut orando Deum valeat prægustare, assumat sibi epulum scientiæ quod ex assiduitate oritur lectionis seu meditationis, et quolibet horum epulo satiatus fuerit, *splendide* epulatus dici poterit. 546 Et bene

verbum hoc positum est *splendide*. Nam raro contingit, ut aliquis ex his tribus epulis percipiens absque fructu remaneat, nisi aliquis splendor mentis inde ei proveniat, ut aut orando Deum sapiat, aut legendo lumen scientiæ percipiat, vel meditando inveniat quod ante nesciebat. Quotidie ergo ex aliquo horum epulo, orationis, lectionis, meditationis percipere debet, qui perfecte oculis summæ majestatis complacere studet. Sequitur :

Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus. — *Lazarus*, qui interpretatur *adjutus*, conversum quemlibet peccatorem significat, cui necesse est, ut adjuvetur orationibus, adjuvetur sanctis exhortationibus, adjuvetur aliorum sanctorum hominum sanctis exemplis et consolationibus. De hoc spiritali Lazaro recte subjungitur: *Qui jacebat ad januam ejus ulceribus plenus. Ulcera* sunt peccata et vitia, quæ cum perfecte cognoscere incipit, non stat, sed *jacet ad januam divitis*, dum secundum eruditionem sanctamque conversationem aut præsidentis, aut alterius cujuslibet sancti hominis, in sua sanctitate et innocentia Deo humiliter servientis, diligenter considerat quid agere, quid fugere debeat. Et bene dicit : *Ad januam divitis*. Per januam enim fit exitus et introitus in domum. *Janua* cujusque divitis, qua ingreditur, est circumspectio cordis, qua ad semetipsum ingreditur, ut se intus recognoscere possit : *janua*, per quam egreditur, est exhibitio boni operis, quo saluti et utilitati proximorum intendit. De hoc exitu et introitu dicit Petrus apostolus de Domino Jesu : *In omni tempore, quo intravit et exivit inter nos Dominus Jesus* (*Act.* I, 21). Intravit Dominus Jesus cum nostri causa ad semetipsum ingressus orabat et interpellabat Patrem pro nobis, sicut de eo in Evangelio scribitur, quomodo *ascendit in montem solus orare*. Et iterum : *Vespere autem facto solus erat ibi* (*Matth.* IV, 24). Sic ingressus rursum exibat, cum totum diem in prædicatione consumeret, cum in ædificatione proximorum vigilaret, cum divina miracula foris indigentibus et quærentibus exhiberet. Talem introitum et exitum unusquisque imitari debet. Introeat ad circumspectionem sui, exeat ad ædificationem proximi. **547** Ad hujus divitis januam jacet quilibet pauper, qui se ulceribus plenum conspicit, qui magnis et gravibus criminibus se involutum novit, jacet, inquam, dum humiliter attendit quomodo ad seipsum ingrediatur, cum ad orationis studium se convertit ; et quomodo rursus egrediatur, cum ad bona opera exercenda, et ad ædificationem proximorum se extendit. Igitur sicut ille qui pronus jacet in terra, nequaquam cito assurgere valet, ita profecto pauper humilis ad januam divitis jacere debet, ut firmiter et stabiliter illi adhæreat, non cursim, aut volando vitam ejus intueatur, sed diligenter introitum et exitum ejus considerans, vitam ejus studeat imitari.

Cupiens, inquit, *saturari de micis, quæ cadebant de mensa divitis. Mensa divitis* est sacra Scriptura ; micæ vero, quæ de hac mensa cadunt, subtiliora et A arctiora præcepta, ad quæ omnes homines attingere non valent. Magnum quippe præceptum est non adulterare. Sed illi qui humiliter jacet ad januam divitis, hoc observasse non sufficit, sed arctiorem et excellentiorem viam servare proponit, de qua Dominus in Evangelio dicit : *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo* (*Matth.* V, 28). Rursus magnum præceptum est homicidium non facere. Sed ille, qui per angustam portam intrare contendit, etiam illud subtile præceptum attendit, quia *qui odit fratrem suum, homicida est* (*I Joan.* III, 15). *De micis saturari cupit* qui hæc minuta et excellentiora studia operibus implere satagit, qui desiderium bonæ et sanctæ vitæ perfecte habuerit. Et recte verbum istud positum B est, *quæ cadebant de mensa*, quia hæc subtiliora præcepta revera *cadunt*, quia a multis observari nequeunt. Pauci enim sunt qui in minimis se custodiunt, qui voluntates et desideria sua tam caute et sollicite observent, ut a vera castitate nunquam in cogitatione labantur. Quis enim, juxta Apostoli sententiam, cor castum se habere gloriabitur? Sequitur :

Sed et canes veniebant et lingebant ulcera ejus. Quicumque mendicus ille est, qui vere se mendicum, pauperem dico et egenum, cognoscit, qui ad januam divitis jacens introitum et exitum ejus humiliter observat, vitam ejus ad imitationem sui sollicite considerat, huic cupienti saturari, sicut diximus, de C mensa divitis salubriter *canes veniunt, ulcera lingunt*, dum prædicatores **548** sancti, *canes* significati, languentis animæ vulneribus et lingua exhortationis, et lingua consolationis subveniunt. Quid enim aliud est canes ulcera lingere, nisi sanandis vulneribus pii exemplo Samaritani modo vinum, modo oleum infundere, quatenus per amaritudinem pœnitentiæ, quod est vinum, putredines vitiorum resecentur, et per consolationis dulcedinem, quod est oleum, sauciatæ vulnera animæ foveantur et sanentur ? Postquam sic humilis Lazarus, verus æternæ salutis mendicus, quasi extracta per linguas canum putredine vulnerum, ad veram pœnitentiam confessionemque peccatorum exsurrexerit, fit tandem per gratiam Dei magnum et memorabile factum D hoc in homine, de quo unigenitus Dei Filius, qui hæc omnia operatur, in sequentibus testatur :

Factum est autem, inquit, *ut moreretur mendicus, et portaretur ab angelis in sinum Abrahæ.* Est mors quædam mors bona, quæ dicitur mors sanctorum ; est mors alia mors mala, quæ dicitur mors peccatorum. De morte bona scriptum est : *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus* (*Psal.* CXV, 15). De morte mala scriptum est : *Mors peccatorum pessima* (*Psal.* XXXIII, 22). Morte pessima illi moriuntur, qui carni carnisque voluptatibus dediti, post concupiscentias suas eunt, et dum cognoscere pœnitendo nolunt, quod faciunt, æternæ damnationis pœnam incidunt. Moritur autem humilis Christi mendicus, conversus utique peccatorum suorum perfectus insecta-

tor, morte bona, morte illa, quæ est vere mors pretiosa in conspectu Domini, quando moritur mundo, quando moritur peccatis et vitiis, quando moritur voluptatibus et concupiscentiis carnis, ita sane, ut quantum est in homine, non permittat dominari in se, quidquid misericordissimos omnipotentis Dei oculos, quem solum amat, quem solum desiderat, possit offendere. Cumque sic in se mortificatur, in Christo, qui vita est videntium, felicius vivificatur. Unde statim subinfertur, quod portaretur ab angelis in sinum Abrahæ. Per *Abraham*, quod *Pater excelsus* interpretatur, Deus Pater accipitur, cujus majestatis celsitudini nihil comparatur. *Sinus* ejus est requies illa internæ dulcedinis, qua humilis Christi mendicus suaviter reficitur, dum post longos atque diutinos pœnitentiæ cruciatus suavissime **549** Divinæ visitationis et consolationis sapore recreatus et vivificatus, egestatis et mendicitatis suæ perfecte obliviscitur. Sed per quos, aut a quibus *portatur* in hunc sinum Abrahæ humilis mendicus? *Ab angelis*. Per *angelos*, qui *nuntii* dicuntur, sancta desideria, sanctæ cogitationes, sanctæ voluntates non immerito exprimuntur, a quibus mirabiliter homo sublevatus, et ad ipsam summæ quietis dulcedinem, quasi in sinum Abrahæ deportatus, tanto securius cum Deo requiescit, quanto minus de his, quæ extra sunt, admittit, vel concupiscit. Sequitur :

Mortuus est autem et dives, et sepultus est in inferno. Qui sit dives iste, in præcedentibus sufficienter audivimus. Sed restat ut videamus qua morte moriatur, qui et vitæ sanctitate et innocentia, tantaque diversarum virtutum excellentia a Deo, sicut audivimus, honoratur et sublimatur. Fit enim plerumque ut talis hic homo, qui indutus purpura et bysso quotidie splendide in mentis contemplatione cum Deo epulatur, ex omnipotentis Dei, sanctæque Ecclesiæ electione in locum regiminis quæratur et assumatur. Sed quia necesse est ut, dum mens cœlesti assuefacta dulcedini ad exteriora spargi cœperit, minus se ad interiora colligere possit. Ipsa sui promotio fit ei duræ cujusdam mortis occasio, dum moritur illi splendori, illi dulcedini, quam antea habuit ex misericordia Dei. Irruentibus enim undique negotiis et sollicitudinibus sæculi, quibus necesse est eum involvi propter amorem eorum, quorum necessitatibus corporalibus et spiritalibus providere debet, quanto magis cura exterior accrescit, tanto divinus ille cœlestis illuminationis splendor, quem aliquando aut ex orationis dulcedine, aut ex lectionis assiduitate, aut meditationis instantia percipere consuevit, intus decrescit. Cumque habere non poterit, quod habuisse se aliquando recolit, fit vita oneri, fit ipsa lux horrori, sicque impletur quod sequitur : *Et sepultus est in inferno.* Infernus locus tenebrarum est et pœnarum. Et bene dicitur *sepultus*. Terra enim obruitur qui sepelitur. Quid est hæc sepultura nisi terrenæ occupationis et sollicitudinis cura, qua opprimente, dum sursum se ad cœlestia, sicut consueverat, erigere non valet, quasi *in* ipso *inferno sepultus* jacet? Nam dolor ille, quo propter intolerabilem quem sentit in se internæ gratiæ defectum **550** in semetipso cruciatur, recte doloribus inferni comparatur. Nam dum tacitus in se considerat quomodo quilibet humilium in sua quiete soli Deo, nulla terrena cura impediente, adhæreat, libenter, si posset, ipsi suæ prælationi abesset. Sed, quia esse non potest, quod desiderat, majora in semetipso cruciamenta tolerat. Unde et sequitur :

Elevans autem dives oculos, cum esset in tormentis, vidit Abraham a longe, et Lazarum in sinu ejus. Cum enim *in tormentis*, hoc est in nimia tortura suæ mentis, quasi levatis post tergum oculis, prioris vitæ recolit, quando post positis labentibus cunctis, solus soli Deo adhæsit, nihilque extra Deum quæsivit vel amavit, *videt Abraham a longe*, videt omnipotentem Deum elongatum a se, quia, quem per assiduam internæ dulcedinis gratiam proximum aliquando habuit, vix a longe cognoscit. Videt *et Lazarum in sinu ejus.* Nam dum in nimia cordis sui amaritudine perpendit et considerat, quemlibet humilem in sua humilitate soli Deo adhærentem, per internæ quietis dulcedinem ad alta sustolli, nulla terrenæ occupationis molestia deprimi, se vero, quasi de terrenis occupationibus obcæcatum, nihil de interno lumine percipere, dolet tranquillitatem suam, quam perdidit, et ne usque ad prava opera corruat pertimescit. Unde clamat voce corporis, clamat voce cordis ad aures pii Conditoris : *Pater Abraham, miserere mei.* Ac si dicat : *Pater Abraham*, qui secundum nominis tui excellentiam paternæ dulcedinis aliquando mihi ostendisti gratiam, *miserere mei*, in multitudine miserationum tuarum memento mei.

Et mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Per *Lazarum* hoc in loco non incongrue intelligimus spiritum pœnitentis, in *digito* Spiritum sanctum per *extremum digiti* spiritum timoris Domini, per *aquam* gratiam compunctionis. In *lingua* vero, per quam sermo profertur, et voluntas hominis aperitur, non inconvenienter voluntas et desiderium cordis exprimitur. Sed et *flamma*, in qua *cruciatur*, terrenæ cura occupationis apte figuratur. Et est quasi dicat : Domine, non sum dignus, quia non mereor, ut spiritum amoris tui, quo aliquando tactus sum, misera anima consolari debeat. **551** Sed *mitte*, obsecro, *Lazarum*, mitte, in me vere pœnitentis hominis spiritum, *ut intingat extremum digiti sui in aquam*, hoc est ut saltem per spiritum timoris accipiam illam aquam compunctionis, quæ contagia peccatorum meorum diluat, ut lingua mea, voluntas utique et desiderium animæ meæ, quo ad te æstuat et suspirat, ex hac flamma et ardore terrenæ occupationis, in qua crucior, aliquod refrigerium consolationis tuæ accipiat. Et quia omnipotens Deus hujusmodi hominem, hominem, dico, se diligentem et invocantem, et si in quibusdam aliquando labitur, nunquam tamen, perire patitur, admonetur verbis sequentibus et docetur,

ut videat ad se intra se, diligenter perpendens et considerans quid illud sit quod maxime ei gratiam divini muneris, gratiam utique internæ dulcedinis impedierit. Nam sequitur :

Et ait illi Abraham : Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala. Ac si dicat : *recordare*, obsecro, quia pro innocentis vitæ tuæ merito, pro bono actionis studio, quo mihi soli placere debuisti, *bona in vita tua recepisti*, quia, dum humanæ laudis favoribus plus æquo exhilaratus et supra te elevatus, minus caute exteriora quæsisti, jure bona interiora amisisti. At contra *Lazarus*, humilis quilibet pœnitens, peccata sua humiliter recognoscens, et si mala fecit, mala in vita sua recepit, quia pro nullis suis laboribus aliquibus humanæ laudis nec lætatus nec delectatus est favoribus.

Nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris. Cognoscit enim se pauperem et egenum, ideoque in suæ humilitatis quiete divinis fovetur consolationibus. *Tu vero* ex occasione terrenæ occupationis, internæ, quæ ex Deo est, consolationis dulcedine privatus in temetipso *cruciaris*. Et quare ista patiatur, ex consequentibus innuit, cum protinus subjungit :

Et in his omnibus inter nos et vos chaos magnum firmatum est, ut hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare. Quæ sunt hæc *omnia ?* Omnia quæ in hoc mundo sunt, aut bona sunt, aut mala sunt, aut prospera sunt, aut adversa sunt. Dum enim homo nimis diligit bona, nimis odit mala ; nimis diligit prosperitatem, nimis refugit adversitatem ; *hæc omnia* firmant *chaos* **552** *magnum.* Faciunt enim confusionem magnam inter Deum et hominem, ne aut visitationis illuminationisque supernæ claritas desuper resplendeat, aut turbata mens per sancti desiderii affectum sursum ad Deum ascendere valeat.

Nec transeunter animadvertenda sunt verba hæc. Per eos namque, de quibus dicitur, *ut hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint*, quantum video, angelicos spiritus, angelicas beatitudines, inæstimabiles illas, quibus fruuntur angeli in cœlis, supernæ claritatis atque suavitatis delectationes non incongrue intelligendas esse æstimo. Quod vero addidit *neque inde huc transmeare*, per hoc, quantum intelligo, sancta hominis desideria et affectus videtur significare. Sæpe namque fit ut per sanctorum ministerium angelorum missa de cœlis supernæ dulcedinis gratia, gratis et sine labore hominis, ex sola et simplici benignissimi Conditoris bonitate hominem præveniat, ita videlicet ut etiam nesciat, dum accipit, unde sit quod accipit. Sæpe etiam fit ut gratuitæ bonitatis suæ manum omnipotens Deus retrahat, et non nisi suis laboribus ad id quod desiderat, homo conscendere valeat. Sed dum omnia hæc, de quibus diximus, prospera scilicet et adversa, ex misera humanæ vitæ mutabilitate ingeruntur, nec respuuntur, firmant inter Deum et hominem confu-

A sionem impenetrabilem ut neque Deus, qui semper promptus est ad misericordiam, in benedictionibus dulcedinis suæ ad cor hominis descendere, neque homo per sanctæ devotionis affectum vel desiderium ad Deum possit ascendere. Hæc est enim nubes illa, de qua dicit propheta : *Opposuisti tibi nubem, ne transeat ad te oratio* (*Thren.* III, 44). Sed quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, in omnibus his homo justus non deficit, sed proficit quia quanto humilius defectum suum cognoscit, tanto magis in Deo proficere incipit. Ait ergo :

Rogo ergo te, Pater, ut mittas eum in domum patris mei (habeo enim quinque fratres) ut testetur illis, ne et ipsi veniant in locum hunc tormentorum.

Pater hominis spiritus est hominis ; *domus patris*
B corpus significat, quod spiritus inhabitat et vivificat. In *quinque* autem *fratribus* quinque sensus hominis intelligimus. Et est quasi dicat : Indignus sum, Domine, illius dulcedinis et **553** gratiæ, qua, tu *Pater* sancte, qui in te nunquam deficis, tuum Lazarum, quemlibet tuorum humilium, per te reficias. Sed *rogo ut mittas eum in domum patris mei ;* rogo, inquam, ut propter multiplicem pietatis tuæ miserationem illa humilitas et pœnitentia, quæ vere pœnitentem hominem decet, mihi donetur, per quam, etsi interioribus sensibus meis, a luce tuæ claritatis obtenebratis, ex abundantia dulcedinis, quæ in te est, consolari nequeo, saltem ne exterioribus sensibus corporis mei ex occasione aut terrenæ prosperitatis, aut terrenæ adversitatis aliquid, quod
C tuæ majestatis oculos offendere possit, admittam. *Ne et ipsi veniant in locum hunc tormentorum*, hoc est, ne tormenta illa quæ ego patior intrinsecus in anima, postea in corpore simul et anima æternis deputatus suppliciis sustineam.

Et ait illi Abraham : Habent Moysen et prophetas ; audiant illos. Hæc verba Abrahæ verba sunt Dei omnipotentis, loquentis in corde hominis, per quæ monet hominem et instruit, qualiter ad amissam supernæ dulcedinis gratiam redire valeat, et quibus rebus futura quæ metuit tormenta effugere debeat. In *Moyse* namque, qui legislator erat, accipitur assidua sacræ Scripturæ meditatio ; in *prophetis*, qui non solum præterita, sed et futura nuntiant, acci-
D pitur prædicatio. *Habent*, inquit, *Moysen et prophetas ; audiant illos.* Ac si patenter dicat : Si quæris ad interna, quæ surgunt ex contemplatione, mentis dulcedinis gaudia redire, si vis in exterioribus sensibus tuis a peccatis et vitiis temetipsum custodire, necesse est ut intendas lectioni, necesse est ut intendas prædicationi. Debes *audire Moysen*, sacram Scripturam frequenter legendo, debes *audire prophetas*, aliorum hominum, sive qui sub te sunt, sive qui alibi sunt, qui, etsi non prædicatione, cœlesti tamen sua conversatione et futuram perennis vitæ gloriam, et futuram æternæ damnationis pœnam quasi prophetando insinuant, vitam imitando. Sæpe etenim fit ut, dum is qui præest aliis prædicat, in ipsis quibus prædicat suum præ-

dicatorem inveniat. Qui enim abjectis et despectis voluptatibus sæculi humiliter propter Deum vivit, non injuste propheta Dei dici poterit. In eo namque quod mala sollicite declinat, ostendit esse tormenta gehennæ, quæ effugere **554** desiderat; in eo autem quod bona humiliter faciat, ostendit esse gaudia patriæ cœlestis, quæ adipisci festinat. Quia vero interdum nec lectionis instantia, nec aliorum hominum, in quibus sanctæ conversationis studium conspicit, constantia occupatum exterioribus curis animum ad internam suavitatem emollire potest, recte positus in tormentis dives subjunxit et ait:

Non, pater Abraham. Sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. Ac si dicat: *Non, pater,* non juvat me ad evadenda, quæ misera anima mea tua gratia destituta in se patitur, tormenta vel lectionis studium vel aliorum hominum sanctæ conversationis exemplum. Sed si miser spiritus meus, *mortuus* in semetipso, per tuæ misericordissimæ visitationis gratiam aliquomodo respiraret ad vitam, tunc demum digna pœnitentia et ea quæ tuæ in me displicent paternitati, in memetipso possem punire, et ad amissam tuæ dulcedinis gratiam redire.

Ait autem illi: Si Moysen et prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent. Ac si dicat: Si non intendunt lectioni, si non intendunt prædicationi, quod est vere Moysen et prophetas audire, *neque, si quis ex mortuis resurrexerit, credent;* quia etsi ad tempus et horam per supernæ dulcedinis gratiam a Deo visitantur, et a morte animæ intrinsecus vivificantur, non durat, neque diu valet vivificatio ista sive resurrectio, nisi adjuvetur et roboretur, et assiduitate lectionis et instantia prædicationis.

Hæc de lectione evangelica adjuvante et donante gratia Spiritus sancti utcunque digessimus ad admonitionem et exhortationem divitum et pauperum, qui in monasteriis sunt, prælatorum videlicet et subditorum, qui in spiritali vita placere Deo contendunt, ut hi qui in subjectione et quiete sunt, audientes hanc, de qua diximus, mortem divitis, et expaventes caveant, ne affectantes sibi onus prælationis sua voluntate aut desiderio in flammam et cruciatum terrenarum sollicitudinum, quæ evadere non possunt qui præsunt, perveniant. Qui autem ex voluntate et electione Dei, vel etiam (quod nonnunquam accidere solet) peccatis et pristinis desideriis suis, quiete sua non contenti meruerunt, quod tantis laboribus exponuntur, quod in locum regiminis assumuntur, **555** audiant, intendant, imitentur, exsequantur doctrinam et admonitionem Abrahæ dicentis: *Habent Moysen et prophetas, audiant illos.* Intendant, inquam, lectioni, insistant prædicationi, secundum Apostolum, qui scribens ad Timotheum inter cætera dicit: *Dum venio, intende lectioni et exhortationi doctrinæ* (*I Tim.* IV, 13). Si enim hoc faciunt, vere Moysen et prophetas audiunt, sicque fit ut secundum sacram Scripturam et recte viventes et recte

A docentes fructum laborum suorum recipiant beatitudinem æternorum gaudiorum.

Sed quia solus Deus est qui hæc in nobis operari debet et potest, ipsius imploremus auxilium, ut qui sua nos gratia in sanctis suis verbis ista docuit, ipsius etiam gratia adjuvemur, ut exsequamur, quatenus et vos pro humili subjectionis vestræ devotione, et nos pro gravi occupationis et administrationis nostræ labore, ea quæ sine labore sunt æternæ beatitudinis gaudia consequamur. Quod ipse præstare dignetur Dominus noster Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Verbis hujus sancti Evangelii pro posse nostro expositis, libet intueri si quam congruentiam vel
B aptitudinem hæc prima Dominica habere possit cum prima illa die creationis mundi. Vellemus enim, si Deo donante possemus, his septem primis Dominicis septem dierum opera per significationem aptare, et quomodo uniuscujusque diei opus unicuique Evangelio in mysterio concordet et respondeat, demonstrare.

Legimus in Genesi quod creata sit lux dicente Domino: *Fiat lux, et facta est lux* (*Gen.* I, 3), etc. Quantum mihi videtur, potest simplici et plano sensu per *lucem* hanc justus Lazarus ille qui portatus est ab angelis in sinum Abrahæ accipi; per *tenebras* dives ille qui induebatur purpura et bysso et epulabatur quotidie splendide, qui mortuus sepultus est in inferno. *Divisit* enim Deus *lucem ac*
C *tenebras*, quando mirabili æquitatis suæ judicio istum in sinum Abrahæ consolandum et remunerandum angelorum ministerio duci voluit qui mala in vita sua recepit; illum vero qui omnibus bonis in vita sua affluebat, in inferno sepeliri, in tormentis cruciari, nec per guttam aquæ refrigerari permisit. Ibi *appellavit lucem diem, et tenebras* **556** *noctem,* quia juxta utriusque meritum divisit præmium, et huic æternæ retributionis diem, isti vero tenebras, id est æternæ damnationis intulit noctem.

Hoc simpliciter in divisione lucis ac tenebrarum possumus accipere. Sed quia morali sensu Evangelium, prout potuimus, transcurrimus, opere pretium est, secundum mysticum sensum Evangelii
D primæ diei opus exponere, et quod nonnulla sit consonantia diei et Evangelii, tam in ista quam et in aliis sequentibus Dominicis, quantum Deus donaverit, insinuare.

Dixit itaque Deus: Fiat lux. Et facta est lux. Et vidit Deus lucem, quod esset bona; et divisit lucem ac tenebras. Appellavitque lucem diem et tenebras noctem. Factumque est vespere et mane dies unus. Cum enim dives quisque, quem virtutum divitiæ adornabant, quem sacrarum epulum Scripturarum reficiebat, emoritur et sepelitur in inferno, emoritur, dico, Deo, vivens mundo per inanem mentis extollentiam; sepelitur quoque in inferno, dum tenebrosa et lethali conscientia cruciatur et obnubilatur, necesse est ut Deus Dominus, Deus

Creator noster lucem fieri præcipiat, et, ut quondam lucem visibilem, sic etiam lucem suam invisibilem, quæ cordis tenebras irradiet et collustret, desuper mittat, lucemque ac tenebras dividat. Lux ista, quam dixit Deus ut fieret, bona et munda, ut mihi videtur, est voluntas, per quam, dum primum cordi immittitur, homo illuminatur, et ad cognoscendum, timendum et amandum Deum præparatur. Quandocunque enim per divinæ aspirationis gratiam aliquod bonæ voluntatis initium in corde hominis ortum fuerit, magna et præclara dies bona hæc voluntas coram Domino erit. Quæ dies, bona, inquam, voluntas, et boni consensus fieri non potest, nisi Deus dicat, cujus dicere est facere ejus.

Post acceptam bonam voluntatem, quid aliud, fratres mei, restat, nisi ut bonæ et sinceræ voluntatis consensum sic Deo in seipso conservet, ut ab omni vanitate et inanitate hujus mundi Deo adjutore hunc custodiat, pro posse suo immaculatum et incontaminatum? Dante Deo et faciente hanc lucem, id est bonam voluntatem, nobisque omnem pro viribus nostris amoventibus et respuentibus vanitatis circumstantiam, bene dici potest **557** de nobis, *et facta est lux*, Dei enim dicere est, ut dixi, ipsius facere. Ipse lucem suam facit in nobis splendescere, ipse nos illuminat, ipse nec bona volentibus, aut si volentibus, sed non valentibus, et velle et posse subministrat. Facta hac luce, bene sequitur:

Et vidit Deus lucem, quod esset bona, et divisit lucem ac tenebras. Illa voluntas, quæ munda est, quæ non aliqua vanitate corrumpitur et maculatur, Deo placita est. Hanc *videt*, quod *bona* sit, et quia bona est, approbat eam et diligit. In hac amabili Dei omnipotentis visione, fit lucis ac tenebrarum divisio. Quid sunt tenebræ nisi mala desideria, illicitæ et confusæ voluptates, noxiæ et turpes cogitationes? Et bene ista *tenebræ* nominantur, quia per ista cor obtenebratur, si non respuantur, si cum amore suscipiantur. Unde magnopere laborandum nobis est ut Deus in nobis dignetur dividere lucem ac tenebras, ne malæ et illicitæ concupiscentiæ, inordinatæ cogitationes sic quodammodo ingruant et prævaleant, ut lux quæ resplenduit in nobis, in noctem peccatorum tenebrescere incipiat, quia per hanc divisionem bonam et plenam magnæ diei in nobis habebimus lucem. Quod autem tota salutis aut perditionis summa consistat et pendeat in voluntate hominis, quantum mihi videtur, verbis sequentibus edocemur:

Appellavitque, inquit, *lucem diem et tenebras noctem.* Ubi enim divinæ inspirationi non aliqua vanitate mistus, sed integer bonæ voluntatis consensus interius cooperatur, etiamsi exterius bonorum operum desit effectus, nequaquam æternæ retributionis auferetur, imo afferetur et donabitur fructus, quia ipse Deus noster *appellat lucem diem*, ipse magni scit pensare et remunerare solam bonæ actionis voluntatem. Qui sicut appellat lucem diem, sic etiam appellat tenebras noctem, quia sicut bona voluntas

A meretur ab eo præmia et diem æternorum gaudiorum, sic mala et injusta voluntas meretur ab eo noctem suppliciorum, etiamsi nunquam subsequatur actus peccatorum.

Ne autem, quod diximus, incredibile videatur, scilicet quod bona et mala voluntas pro operibus coram Domino habeatur, audi ipsum Dominum in Evangelio **558** idem affirmare, ubi ait: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo* (*Matth.* v, 28). Certe magnam diem factam audivimus in divite isto, qui induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide, purpureum habens indumentum, quia mortificationi carnis studebat, byssum, quia munditia corporis et animæ ei placebat. Sed quia non divisit lucem ac tene-

B bras, hoc est, sanctam et mundam voluntatem a vanitate jactantiæ et inanis gloriæ non custodivit, sed per hæc, proh dolor! commaculavit, Deus qui prius appellaverat lucem diem, id est qui pro magno habuit bonam voluntatem, ipse appellavit tenebras noctem, quia injusta desideria, iniquus humanæ laudis appetitus, quem quæsivit, quem amavit, perversæ etiam cogitationes, quod totum erant tenebræ, versæ sunt coram Domino, quia non cognovit, in profundam peccatorum noctem.

Inter hæc invocandus est summopere Deus, ut, si quando diem voluntatis bonæ creat in nobis, ipse quoque hanc in nobis custodiat, faciens ut talis sit voluntas nostra, ut semper diem et nunquam appellet eam tenebras. Quod et ipsum cum illis agere pa-

C ratus est, qui more Lazari humiliantur, qui egestatem et mendicitatem suam veraciter intuentur, qui quidem laudabiliter vivunt, sed laudari non appetunt, qui in magna cordis quiete positi, quieto Deo perfrui plerumque in hac vita merentur. Isti itaque de veri luminis die, quem acceperunt, gaudeant, et Deo gratias agant. In quibus vero per peccati lapsum verus dies fecit occasum, recurrant ad se, et recognoscant quid in se, quid in proximo deliquerint, et pro hoc dignæ pœnitentiæ et satisfactionis munus Deo offerant. Hinc admonet Joannes in Lectione hodierna, ut ad lucem veniamus, nos ipsos recognoscamus, lucem charitatis teneamus, dicens: *Qui non diligit fratrem suum, quem videt, Deum, quem*

D *non videt, quomodo potest diligere?* (*I Joan.* IV, 20.)

Qui ergo seipsum perfecte cognoverit, et dilectionis quam proximo debet non obliviscitur, in illo sine dubio *fit vespere et mane dies unus.* Quid per vesperam nisi cognitio sui accipienda est? Ex vera cognitione sui transitur de vespere in *mane.* Quid est *mane* nisi dulcis et amabilis cognitio Dei? **559** Hæc utraque cognitio, id est vespere nostrum et mane Dei, faciunt in nobis *diem unum.* Quid per *diem unum* [intelligitur] nisi verus Deus, Dominus noster Jesus Christus, qui, remotis cordium tenebris, plenum et perfectum diem amoris sui creat et perficit in electis suis? Ut autem dies ista super nos veniat, ut lux talis nos Deo præcipiente illuminet, id est, ut talis voluntas adsit quæ lux vocari possit, peti-

mus in oratione hodierna auxilium gratiæ ejus, ut A in exsequendis mandatis ejus, et *voluntate et actione* illi placeamus. Quid est enim voluntas, nisi lux? Quid est actio, nisi dies? Igitur quia præpediente diabolo et mundo, et propria carnis infirmitate, seu malorum hominum pravitate, plenam et stabilem lucem habere nequeunt electi, necessarium valde est, ut duæ istæ personæ, dives videlicet et pauper, quod est omnis homo, ad Deum clamet, se et sua omnia Deo commendet. Dicant et orent divites, non de se, sed de Domino præsumentes: ***Deus, in te sperantium fortitudo, adesto propitius invocationibus nostris***, ut si unquam divites in virtutibus et fortes in operibus nostris fuimus, tu has divitias tua virtute et fortitudine in nobis custodias. Dicant et orent pauperes, humiles quique et despecti: ***Et quia sine te*** B ***nihil potest mortalis infirmitas, præsta auxilium gratiæ tuæ*** infirmitati nostræ, ***ut in exsequendis mandatis tuis, et voluntate***, id est luce ***et actione***, plena scilicet die, quam [*cod.* quem] in nobis facias, tibi placeamus.

Respicit ad hunc sensum, ut mihi videtur, hodierna missæ excellentia, ubi homo illuminatus canit præ exsultatione, canit in spe, ut quandoque magnum aliquid accipiat in re, dicens: ***Domine, in tua misericordia speravi, exsultabit cor meum in salutari tuo, cantabo Domino, qui bona tribuit mihi*** (*Psal.* XII, 6). O Domine, inquit, quia per tuam misericordiam aliquantulum illuminatus sum, ideo in tua misericordia speravi, ideo magnam mihi præsumendi de te fiduciam præstitisti, sperans me quandoque illo ven- C turum ubi lux mea ad plenum diem perveniat. Sed interim de medio fiat (34), ***exsultabit cor meum in salutari tuo***, quod luce sua, id est voluntate bona, bono consensu replevit et possedit, cor meum, licet non plene, sed ex parte.

Et bene dico, *ex parte*, quia, qui hanc lucem ex parte cognovi, a bona voluntate **560** ad perfectionem bonorum operum tendere et pervenire cupio et satago. Sed nulla hic esse vel durare potest perfectio. Quare? Quia *videmus nunc per speculum in ænigmate; ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus; cum autem venerit, quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est* (*I Cor.* XIII, 12), *et tunc cantabo Domino, qui bona tribuit mihi*. Quid est *cantabo?* Ibi esse, ubi non plangam, aut orem, sed ubi laudem te, sciens quod nihil mihi ex me, sed omnia bona D ex te. Sed interim modo, quoniam in diebus malorum sumus, ubi invisibiles inimici nostri sæviunt in nos, ubi interdum lucem, nunc post lucem succedunt tenebræ, post Introitum spei et lætitiæ cordis sequitur in Versu oratio animæ adhuc in mundo gementis et dicentis: ***Usquequo, Domine, oblivisceris me in finem? usquequo avertis faciem tuam*** a me? (***Psal.*** XII, 1.) Hinc in Graduali suspirans iterum anima laborans et periclitans inter magnas tentationum turbas, sed tamen multum de Dei misericordia sperans dicit: ***Ego dixi: Domine, miserere mei, sana animam meam, quia peccavi tibi*** (*Psal.* XL, 5). In factis meis, in peccatis meis, non alium, sed meipsum, o Domine, coram te accuso, meipsum peccatorem recognosco. Ideo dico tibi: ***Miserere mei, sana animam meam, quia peccavi tibi. Beatus, qui intelligit super egenum et pauperem, in die mala liberabit eum Dominus*** (*Psal.* XL, 2). Sicut beatus est, qui dicit, ***Sana animam meam, quia peccavi tibi***, sic non minoris beatitudinis est, ***qui intelligit super egenum et pauperem***, qui pauperiem et egestatem suam fideliter intuetur, sciens et considerans quia totum quod boni habet, Christus est, totum quod habet, Christi est. Ille enim dives est qui superbus est, qui de castitate et innocentia sua gloriatur, qui de conversatione sua sibi blanditur et extollitur. Et qui hoc fecerit, ***in die mala***, in die mortis, in die judicii non liberabitur; qui vero intelligit se pauperem et egenum, et tanquam egenus et pauper ante januam Dei quotidie mendicat et pulsat, hunc ***in die mala liberabit Dominus***, quia ipso suscipiente, isto juvante et ducente, liberabitur a peccatis, liberabitur a timore mortis, judicii et pœnarum.

561 Canit post hæc anima beata, cujus solius diaboli insidiæ cavendæ sunt, dicens Domino Deo: ***Domine Deus meus, in te speravi, salvum me fac ex omnibus persequentibus me, et libera me*** (***Psal.*** VII, 2). Quod dicit per pluralem numerum: ***Salvum me fac ex omnibus persequentibus me***, significat prospera et adversa, per quæ duo dives et pauper tentantur et probantur. Hinc est vox illa Abrahæ dicentis ad divitem: ***Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala. Et in his omnibus inter nos et vos chaos magnum firmatum est.*** Hæc duo, quod prospera quærere, quod adversa declinare concupiscimus, faciunt inter nos et Deum chaos, id est confusionem magnam, ne lux cordis, quod est Deus, videatur, sed magis tenebræ pro luce amentur et suscipiantur. Quicunque in prosperis supra modum non extollitur, quicunque in adversis suis nimium dejicitur, hic bona et mala in vita sua non recipit, quia universa et prospera et adversa æquo animo contemnit. Et iste orare et invocare Deum debet, ut eodem opitulante sic per prospera et adversa hujus sæculi transeat, ut ad eum perveniat, dicens: ***Intende voci orationis meæ, rex meus, et Deus meus, quoniam ad te orabo, Domine.***

Igitur quia inter noctem et diem sumus, et dies ac noctes alterno affectu unusquisque nostrum cogitur pati, ac modo sentientes et habentes diem, dicto citius declinamus in noctem, donec omnis nox transeat, et unus dies, qui vesperam non habet, adveniat; ille, qui has vicissitudines ita sustinet, quod non movetur, non lassescit, iste finita missa cum communicaverit, id est **562** cum in corpus Christi transierit, læto corde, læto corpore in fine vitæ suæ cantabit: ***Narrabo omnia mirabilia tua, lætabor et exsultabo in te, psallam nomini tuo, Altissime*** (***Psal.*** IX, 3). Cernens enim invisibile illud præmium, quo perventurus est, incipit in lætitia

(34) Ita cod. Idem est, ac si dicat: Interim, dum de medio fiat, id est dum vita ista finiatur.

cordis sui enarrare omnia mirabilia Dei, incipit rememorari et confiteri de profundo cordis sui omnia peccata sua. Incipit enarrare mirabilia Dei, considerans quod hæc mirabilia ejus sunt, ubicunque et a quocunque peccato se custodivit. Enarrat mirabilia Dei, quod tandiu distulit et exspectavit peccantem, ut non puniret, sed coronaret pœnitentem et emendantem. Tunc de visibilibus ad invisibilia transitum faciens ait : *Lætabor et exsultabo in te, psallam nomini tuo, Altissime.* Duo posuit, *lætabor et exsultabo* propter duplex corporis et animæ gaudium.

Lætabor ergo, inquit, *et exsultabo* : *lætabor* corpore, *exsultabo* spiritu, et hoc ex te, non ex me, *psallam nomini tuo* quia quandiu hic ero, psallere habeo carni meæ, infirmæ menti meæ. Cum autem pervenero ad te, tibi soli psallam, altissimo et glorioso nomini tuo psallam, quia hic gemitus, hic ploratio, ibi sine fine exsultatio. Fratres mei, gemamus et oremus nunc, ploremus hic et humiliemur, ut ad abundantissimum et inenarrabile illud gaudium perveniamus, quod nunquam verbis effari, quod nunquam æstimari potest, et tamen acquiri potest. Ad quod nos perducat, qui vivit et gloriatur cum Deo Patre per immortalia sæcula sæculorum. Amen.

563 HOMILIA LX.

IN DOMINICAM I POST PENTECOSTEN SECUNDA.

Fuit vir unus de Ramathaimsophim de monte Ephraim, etc. (*I Reg*, I).

Verbum Dei, unigenitus Dei, Dominus noster Jesus Christus, cum Judæis dicat : *Scrutamini Scripturas, et ipsæ sunt quæ testimonium perhibent de me* (*Joan.* V, 39), magnum veritatis firmamentum videtur esse, si quis sacram Scripturam sic interpretari valeat, ut mysterium ejus, ipsum Dominum, qui eam instituit, respiciat. Necessario quidem moralis in sacra Scriptura sensus requiritur, ut videlicet infirmi quique in exemplo habeant, quomodo vitam suam et mores corrigere et componere debeant. Sed quia ipsa Veritas dicit quod omnes Scripturæ testimonium de se perhibeant, majus est, ut diximus, veritatis stabilimentum, ut, de quo loquuntur, ad ipsum etiam mystice referantur. Unde et nos eum hic in capite libri notatum esse credentes, hanc litteram in prima libri Regum historia, quantum ipso largiente possumus, ad ipsum, qui est caput nostrum, referre et interpretari tentamus. Sic enim in principio libri Regum legitur :

Fuit vir unus de Ramathaimsophim, de monte Ephraim, et nomen ejus Elcana, filius Jeroboam [Vulg. *Jeroham*], *filii Eliu, filii Thau* [Vulg. *Thohu*], *filii Suph, Ephrathæus. Unius viri* hujus nomine Mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus potest significari, quia præter ipsum solum nunquam homo super terram *viri* nomine in veritate potuit vel poterit appellari, cum omnes homines sicut in iniquitatibus concepti et geniti, nonnunquam per peccati pollutionem reddantur effeminati. Ipse autem Dominus noster Jesus Christus jure *vir unus* dici debuit, quia solus in hoc mundo inter homines ita conversari potuit, quod nunquam cogitatione, verbo vel opere aliquid admisit, nisi quod virile et virtuosum fuit. Hunc autem virum hominem Christum Jesum David 564 quoque in psalmo denotat, et præter istum solum omnes homines peccatorum contagione involutos denuntiat : *Omnes*, inquit, *declinaverunt simul, inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum* (*Psal.* XIII, 3). Ecce unus iste sæpe jam dictus, et semper dicendus, et nominandus est Dominus noster Jesus Christus, qui pro sua singulari innocentia *unius* nomine sæpe significatur in sacra Scriptura.

Sed quod verus homo absque humanæ contagionis culpa in hoc mundo vivere potuit, non ex humana natura sua habuit, sed ex hoc, quod Deus fuit, unus in sancta Trinitate, quam per tria nomina hæc *Ramatha, Sophim, Ephraim* credimus significari posse. *Ramatha* namque *excelsum* dicitur, per quod nomen Spiritus sanctus non inconvenienter accipitur. *Sophim* autem *specula* sonat, per quod ipse Dei Filius, de quo loquimur, figurari poterit, qui per assumptionem humanitatis in Deum visibilem se hominibus exhibuit. Ephraim vero *frugifer* interpretatur, per quem Deus Pater valet designari, a quo effectum suscipit quidquid illud est, quod unquam bonum fructum attulerit. Non ergo Domino nostro Jesu Christo humana natura contulit, quod vita ejus et conversatio vitæ et conversationi omnium sanctorum ab initio usque in finem sæculi dissimilis fuit, sed ex hoc habuit quod Deus erat et homo, et tota sancta Trinitas operabatur cum illo et in illo, cum qua et in qua Deus unus est sine fine et initio.

Et nomen ejus, inquit, *Elcana.* Elcana *Dei possessio* interpretatur, per quem hic ipse homo Christus Jesus figuratur. Non necesse habemus multum de hoc instrui, quomodo ipse vocetur *Dei possessio* quia scimus 565 quod omnis plenitudo divinitatis corporaliter habitaret in illo. Et merito sancta divinitas, cujus oculi mundi sunt, ne iniquitatem videant, illum talem hominem in propriam et specialem sibi possessionem vindicaverat, in cujus cogitationibus, verbis et operibus nunquam aliquid invenit, quod displicere ei potuerit.

Filii Jeroboam, filii Eliu, filii Thohu, filii Suph, Ephrathæus. Interpretationes horum nominum dicamus, et summatim, quod nobis in his videtur, perstringamus. Jeroboam *misericors*, Eliu *Deus iste* interpretatur. Thohu *signum* vel *subter*, Suph *specula*, Ephrathæus *fructifer* dicitur. Breviter enim et simpliciter de his dicere possumus ; quia opus gratuitæ misericordiæ fuerit, quod ille, qui Deus erat super nos, *subter*, id est homo esse voluit propter nos, et qui imago et splendor est substantiæ Dei, conspiciendum se hominibus præbuit ; quod hoc nomen *Suph*, quia *specula* dicitur, significat, et tunc *Ephrathæus*, quod interpretatur *fructificans*, factus est dum prædicando et miracula faciendo corda hominum ad se convertit.

Et habuit duas uxores, nomen uni Anna et nomen secundæ Phenenna. Duæ uxores Domini nostri Jesu Christi fuerunt duæ in eo naturæ, divina scilicet et humana, quas etiam duarum mulierum harum significant nomina. Anna enim *gratia* interpretatur, Phenenna vero *conversio* dicitur. In Annæ nomine humanam naturam Christi possumus accipere. Nam ipsa vere plena fuit gratiæ, in qua Deo ita complacuit, quod per eam omni humano generi, quod illum ad iracundiam provocaverat, repropitiare voluit. Et non sine certa mysterii causa ita signanter dicitur : *nomen uni Anna*. Una, id est singularis et incomparabilis in Unigenito Dei humana fuit natura, quia ipse solus conceptus est de Spiritu sancto, et natus ex Maria virgine sine virili semine. A sæculo non est auditum, ut aliqua mulier sine virili attactu conciperet vel pareret. Unde et Scriptura humanam in Christo naturam designans recte dicit : *nomen uni Anna.*

Per *Phenennam* divina in Christo natura valet intelligi, cui bene convenit **566** hujus nominis interpretatio. Nam *Phenenna*, sicut diximus, dicitur *conversio.* Est nimirum divinæ naturæ operatio, quisquis de malo ad bonum, et ad veram beatitudinem ab infelicitatis *converti* poterit periculo. Recte ergo per illam, quæ *conversio* dicitur. Divina natura exprimitur, quia per summæ Divinitatis potentiam convertitur omne, quod beatæ conversionis donum exsequitur.

Notandum autem quod ait, *nomen secundæ Phenenna.* Verbum hoc *secundæ* eamdem habet significationem, sicut diceretur, *prosperæ.* Nam res secundas ita significamus sicut et prosperas. Si enim *secundæ* pro significatione posterioris hic poneretur, recte in præcedentibus nomen *primæ Annæ* diceretur. Nunc autem dicitur, *nomen uni Anna, et nomen secundæ Phenenna*, ut inde detur intelligi, quod hoc in loco verbum hoc *secundæ* pro significatione prosperæ, non posterioris, debeat accipi. Proprie mulieri huic, per quam divina natura exprimitur, verbum prosperitatis apponitur. Nam quidquid humana in Christo natura pateretur, divina tamen in eo natura in summa prosperitatis tranquillitate persistebat, nullam unquam adversitatis vel perturbationis molestiam in se, quæ sibi ipsi gaudium est, perpeti vel admittere valebat. Sequitur :

Fueruntque Phenennæ filii, Annæ autem non erant liberi. Qui erant hi *filii*, qui *fuerunt Phenennæ*, id est divinæ naturæ Christi, nisi spiritus angelici, quos in beatissima contemplatione vultus sui a tempore creationis suæ paterni amoris fovebat dulcedine? *Annæ autem non erant liberi.* Notandum quod ibi *filii* describuntur ; hic autem habentur *liberi*, qui a libertate dicuntur. Divinæ naturæ Christi fuerant *filii*, quia ei filiali amore adhærebant angeli ; sed humanæ naturæ *liberi* non erant, quia per mortem suam nondum homines ad veram libertatem perduxerat. Quamvis enim Filius Dei humanam naturam assumpserit, cunctis tamen diebus carnis

A suæ homines a captivitate diaboli redire non poterant, quin sub peccati jugo colla depressa haberent, et omnes tam justi quam injusti ad infernum **567** descenderent, donec chirographum decreti, quod adversum nos erat, de medio tulit, et cruci illud affixit.

Et ascendit vir ille de civitate sua statutis diebus. Vir ille est Unigenitus Dei, qui antequam *vir*, id est homo nobis factus esset in tempore, *vir* fuit in æternitate, in divinitatis dispositione, quia omnia tempora præcedit divina æternitas, nec Deo præteritum, futurumve aliquid creditur, sed omnia præsentia ei dicuntur, quia æternitate sua cuncta complectitur. Si enim Apostolus de nobis dicit : *Elegit nos in ipso ante constitutionem mundi* (*Ephes.* I, 4),
B quanto magis in æternitate ipse homo fuit, in quo nos Deus elegit ?

Ascenditque vir ille de civitate sua statutis diebus. Civitas Dei est angelica et humana creatura, cum quibus cœlestem Jerusalem civitatem suam construere disposuit ante tempora sæcularia. *Vir ille*, id est Unigenitus Dei, *de civitate sua statutis diebus ascendit*, dum in illo statu æternæ beatitudinis sanctos angelos, qui per *dies* figurari possunt, confirmavit, quandoque et illuc hominem collecturus, ut perfecta esset civitas ejus. Nemo autem miretur, quod per dies angelos designatos esse dicimus, cum in creatione eorum dixerit Deus : *Fiat lux.* Lux enim et dies dicuntur quia luci et diei æternæ participan-
C tur. Sed cur *ascendit vir ille de civitate sua statutis diebus ?*

Ut adoraret et sacrificaret Domino exercituum in Silo. Idcirco enim firmitatem æternæ perseverantiæ sancti angeli acceperunt, ut laudi et visioni Creatoris sui, ad quam creati fuerant, perpetuo inhærerent, quod est *adorare* : et in defensione essent humani generis, et in ministerium mitterentur propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis, quod est *sacrificare.* Hoc *adorare et sacrificare* factum est *in Silo*, quod interpretatur *avulsio*, id est, in illa avulsione, ubi divisit Deus lucem ac tenebras, et appellavit lucem diem et tenebras noctem, ubi videlicet electos angelos, qui per lucem designantur, ab apostatis angelis, qui per tenebras figurantur,
D segregavit, et quodammodo *avulsit*, **568** et diabolum quidem cum suis sequacibus, qui ei per superbiam contradixerunt, in infernum perpetualiter damnavit, et eos qui in humilitate et obedientia cum Deo perstiterunt, perpetuo secum regnaturos confirmavit.

Et recte Unigenito Dei ascribitur quod ipse *adoraret et sacrificaret Domino exercituum*, id est Deo Patri suo, et sibi ipsi in divinitate sua, quia omnis sanctorum angelorum adoratio, id est in laude Dei perseverantia, et devotio et sacrificium eorum, videlicet in humano genere administratio, Filii Dei in eis est operatio. Nam si in hoc mundo homo, qui adhæret Domino, unus cum eo spiritus efficitur, quanto magis ipse in sanctis angelis, et ipsi in eo

unum sun., et quod illi faciunt, ipse facere non immerito dicitur? Sequitur:

Erant autem ibi duo filii Heli, Ophni et Phinees, sacerdotes Domini. Heli *Deus meus* interpretatur, per quem ille designari valet, cujus nomen est veraciter et substantialiter, quod iste habet figuraliter. Duo *filii Heli*, id est Dei omnipotentis, sunt angelus et homo, quos etiam duorum nominum filiorum Heli exprimit interpretatio. Ophni *discalceatus* interpretatur; Phinees vero *parcens ori* dicitur. Per *Ophni* satis congrue, ut arbitror, angeli designantur, qui vere sunt discalceati, quia ita cognoscuntur esse creati, quod nullo mortalitatis impedimento gravantur. Per *Phinees* humana creatura non injuste potest figurari, quæ ex parte electorum ita parcens est ori, quod non solum injustum et noxium sermonem devitat, pro quo pœna exsolvitur, verum etiam sollicita est pro otioso verbo, pro quo ratio ponitur, ne videlicet per linguæ incuriam ad malorum operum delabatur perfidiam. Bene ergo *duo filii Heli*, id est Angelus et homo, quos sibi Deus genuerat creando, *sacerdotes Domini* dicuntur, quia ipsi Deo se in sacrificium offerunt, angelus in cœlo Deum laudando, et ei jugiter inhærendo, homo in terra ad ipsum Creatorem suum in servitute quotidiana suspirando.

Venit ergo dies, et immolavit Elcana. Dies tunc *venit*, quando **569** Verbum caro factum est, et habitare in nobis cœpit. Antequam dies hic illucesceret, id est priusquam incarnatio Filii Dei fieret, tenebræ super faciem abyssi erant, quia cæcitas delictorum, et ignorantiæ profunda obscuritas corda hominum tegebat. At postquam dies, quem fecit Dominus, illucescere cœpit, dum videlicet sermo omnipotens a regalibus sedibus venit, nox abcessit infidelitatis, et corda hominum lux possidebat fidei et veritatis. *Venit ergo dies et immolavit Elcana.*

Deditque Phenennæ uxori suæ, et cunctis filiis et filiabus suis partes. Partes Phenennæ uxori suæ, id est divinæ naturæ suæ, Dei Filius dedit, dum angelicam et humanam creaturam in laudem et gloriam nominis sui creavit. In *filiis et filiabus* Phenennæ, id est divinæ naturæ, angelos et homines possumus accipere; per *filios* quidem, qui fortioris conditionis sunt quam filiæ, angelos credimus posse intelligi; per *filias* autem homines, eo quod infirmioris naturæ sint quam angeli. His filiis et filiabus, angelis videlicet et hominibus *partes dedit* Dei Filius. Angelis quidem a prima conditione sua, quasi jure hæreditario cœlum tradidit possidendum, ut ibi laudibus Creatoris sui vacarent in perpetuum; terram autem dedit filiis hominum, in qua in sudore vultus sui laborando, quandoque et ipsi in parte electorum ad angelorum pervenirent consortium.

Annæ autem dedit partem unam tristis, quia Annam diligebat. Annæ, id est humanæ naturæ suæ, *unam partem* Dei Filius *dedit*, dum unum hoc, quod necessarium fuit, ei injunxit, ut per ipsam et in ipsa redemptio perficeretur humana. Sed quomodo hanc partem dedit *tristis*? Non ita præcipitanda est mentis sententia, ut credamus posse divinitati aliquam accedere tristitiam, quæ sibi gaudium æternum est. Sed hæc tristitia ipsa fuit miseratio, qua condoluit in perditione sua generi humano. Idcirco autem Annæ *unam partem dedit*, id est humanæ naturæ suæ, quæ per Annam designata est, opus redemptionis nostræ Deus injunxit, *quia Annam diligebat*, quia videlicet **570** humanam naturam non solum in se ipso, verum etiam amabilem habebat in omni genere humano.

Dominus autem concluserat vulvam ejus. In *vulva* carnalis propago concipitur. Unde per vulvam non injuste, ut arbitror, carnis voluptas accipitur. Omnem igitur carnalem voluptatem in humana natura Christi divinitas ita quodammodo *concluserat*, quod licet in similitudine carnis peccati appareret, nunquam tamen aliquam mundanæ voluptatis culpam cogitatione, verbo vel opere contraheret, et dum prædicatione sua delicias et voluptates præsentis sæculi contemni debere docuit, seipsum in exemplum dedit, qui nec tantum, ubi caput suum reclinaret, in hoc mundo habere voluit. Sed quid inter hæc factum est?

Affligebat quoque eam æmula ejus, et vehementer angebat, in tantum ut exprobraret quod Dominus conclusisset vulvam ejus. Secundum veritatem litteræ dubium non est Phenennam Annæ æmulam fuisse. Sed superius per Phenennam divinam in Christo naturam diximus posse intelligi. Sed aliud hic per *æmulam*, quam ibi per Phenennam, potest accipi nisi quis ita velit intelligere, quod divina natura humanam affligeret hoc modo, et vehementer angeret, quia eam mala mundi perpeti, et mortem subire pro salute humani generis ipsa misericorditer disposuisset.

Aliter autem hoc in loco per *æmulam* intelligere possumus Synagogam, quæ Christo apparente in carne tanto contra eum zelo invidiæ exarsit, quod illum injuriis, blasphemiis et irrisionibus crudeliter afflixit, et contra multa bona opera, quæ in eis prædicando, et infirmos eorum sanando faciebat, nil ei nisi convicia reddebant. Novissime autem et *vehementer angebant*, quando eum morte finiri posse suspicantes, comprehensum, ligatum, colaphis et flagellis cæsum, sputis illitum, spinis coronatum interemerunt in ligno suspendentes. Sed inter hæc omnia nulla ei alia objicere valebant improperia, nisi *quod Dominus conclusisset vulvam* ejus, id est quod ipse non secundum carnem viveret, et carnales eorum cæremonias **571** observando, præsentis sæculi voluptatem non appeteret. Nonne tunc exprobrabant ei *quod Dominus vulvam ejus conclusisset*, quando eum reum mortis acclamabant, eo quod Filium Dei se fecisset!

Sicque faciebat per singulos annos. Taliter Judæi Domino Jesu *per singulos annos*, id est per singulas perfectiones improperabant, quas inter eos divina

miracula faciendo ostendebat. Magnus itaque annus, id est perfectio fuit, quando cæcum a nativitate liberavit. Sed ad hanc perfectionem Synagogæ audiamus exprobrationem. *Non est*, inquiunt, *hic homo a Deo, qui Sabbatum non custodit* (*Joan.* IX, 16). Magna rursus erat perfectio, quando Lazarum quatriduanum mortuum vocavit de monumento, et resuscitatum ac solutum abire fecit liberum. Sed ad hoc etiam qualiter Judæi exprobraverint, Evangelium nobis dicit : *Cogitaverunt*, inquit, *principes sacerdotum, ut et Lazarum interficerent, quia multi propter illum abibant ex Judæis, et credebant in Jesum* (*Joan.* XII, 10), sicque faciebat per singulos annos, *cum redeunte tempore ascenderent ad templum Domini, et sic provocabat eam.* Modus est temporis, ut statum non habeat mansionis. Et ideo per tempus motus ille Synagogæ non injuste designatur, quod nunc his, nunc talibus odiis contra Dominum Jesum movebatur. Ad extremum motus suus ad hoc etiam illam perducebat, ut *in templum Domini ascenderent*, id est ut Dominum Jesum, qui ultra omnes sanctos vere fuit templum sancti Spiritus, morte turpissima condemnarent. Ista erat irritatio, qua *provocabat* Synagoga humanam naturam in Christo.

Porro illa flebat, et non capiebat cibum. Fletus iste humanæ naturæ Christi compassio illa fuit, qua perditioni generis humani condoluit. Judæis enim jam et mortem inferentibus hoc fletu æstuabat, quia nec crudelitatem eorum nec mortis dolorem, sed humani generis tantummodo cogitabat liberationem. *Cibum* quoque *non capiebat*, quia Judæis fel in escam ejus dantibus, et in siti sua aceto eum potare volentibus recusabat, tantum ut salus humana perficeretur, quam esuriebat et sitiebat.

572 *Dixit ergo ei Elcana vir suus : Anna, cur fles, et quare non comedis, et quam ob rem affligitur cor tuum?* Ista interrogatio fuit quædam humanæ naturæ excitatio qua eam ad hoc divinitas incitabat, ut humano generi compateretur, et in hac miserationis compassione pro eo usque ad mortis susceptionem affligeretur. Bene ergo dicitur : *Dixit ergo ei Elcana vir suus.* Dicere Dei est facere Dei. Fuit nimirum divinitatis in humana natura Christi operatio, quod *flevit*, id est quod perditioni nostræ condoluit, quod *non comedit*, id est nullam humanæ voluptatis delectationem in hoc mundo appetivit, quod *cor ejus affligebatur*, quod videlicet requiem sibi ipsi non dedit, donec redemptio humana perficeretur.

Nunquid non ego melior tibi sum, quam decem filii? Per *decem filios* decem sensus, quos in humana natura sua Christus habebat, intelligere possumus. Nam sicut verus homo erat, ita decem sensibus in anima et corpore ut cæteri homines, subsistebat. *Nunquid non ego melior tibi sum quam decem filii?* Ego, inquam, divinitas, quæ te, o humana natura Christi, corporaliter inhabito, plus tibi proficio, quam decem sensus tui, quibus in humana carne et in anima rationali subsistis. quia ego tibi fortitu-

A dinem administro, qua redemptionem perficies humani generis.

Surrexit autem Anna, postquam comederat et biberat in Silo. Comedit Anna et bibit, quando Deus homo in ipsa, qua tradebatur, nocte, cœnam suam cum electis et dilectis discipulis suis habuit, ubi carnem suam cum sanguine dedit in escam et potum animæ. Et bene dicitur, *in Silo*, quod, sicut diximus, interpretatur *avulsio;* quia ibi præsens fuit cœtus angelicus, qui, ut præfati sumus, a reproborum consortio angelorum in principio est avulsus. Fuit etiam ibi ordo apostolicus, qui eadem convenientia, qua et angeli, per Verbum, quod *avulsio* dicitur, potest designari. Nam ipsi sancti apostoli, per quos et cum quibus solis eadem cœna perficiebatur visibiliter, B tanta dilectione dulcedini humanitatis ejus inhærebant, quod ab amore sæculi **573** quodammodo *avulsi* erant. *Postquam Anna comederat et biberat in Silo*, id est cum humana natura Christi cœnam suam cum cœtu illo apostolico perfecit, *surrexit*, hoc est ad passionis triumphale certamen se accinxit. Hoc ipsum significabat, cum adhuc in cœna sedens discipulis dicebat : *Surgite, eamus hinc* (*Matth.* XXVI, 46), haud dubium, quin ad passionem.

Et Heli sacerdote sedente super sellam ante postes templi. Sicut qui in sella sedet homo, requiescit, sic divinitas, quæ per Heli designari potest, requievit in homine Christo. Per templum, quod hic habetur, ipse Christus, in quo præ omnibus sanctis jucundum C sibi Deus habitaculum fecerat, satis congrue designatur. Per *postes* autem *templi* Deus Pater et Spiritus sanctus possunt accipi, qui hoc templum sic continebant et sustentabant, quod ne levi quidem peccati pollutione aliquando dissolvi poterat. Et hoc quidem secundum humanam naturam dicitur. Nam secundum divinitatem Deo Filio cum Patre et Spiritu sancto æqualis potestas esse cognoscitur. *Heli sacerdote sedente super sellam ante postes templi.*

Cum esset Anna amaro animo. Sæpe jam diximus, per *Annam* humanam in Christo naturam esse designatam. Hæc *amaro animo* fuit, quando jam in passionis articulo constituta dixit : *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Matth.* XXVI, 38). Sed nunquid credendum est quod Dominus Jesus, qui se sponte D sua ad passionis et mortis ignominiam obtulit pro ipsa passione aliqua commoveretur amaritudine? Non, sed ita *amaro animo* erat, quod genus humanum in perditione adhuc constitutum, et animas ad infernum descendere dolebat. Fuit etiam in hoc *amaro animo* humana natura Christi, quod Judæos, de quibus processerat, tam crudeliter in necem suam conspirare videbat, quos propter hoc ipsum scelus, quod in eo exercuerunt, perpetuæ damnationis periculo subjacere sciebat. Sed cum sic *amaro animo esset*, quid fecit?

Oravit Dominum flens largiter. Nonne tibi videtur Dominum Jesum *orasse* et *largiter flevisse*, quando **574** *factus in agonia prolixius orabat, et factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in ter-*

ram? (*Luc.* XXII, 43, 44.) O quam magnus fuit fletus et humano dolori omnino incognitus sudor ille sanguineus, quem de corpore suo Dei Filius profluere voluit, dum in passione sua pro Redemptione humana Deo Patri preces effudit!

Cum sic oraret et largiter fleret, Deo Patri *votum vovit*, quod si quando opus redemptionis humanæ, ob quod eum in mundum miserat, perficeret, ad laudem et gloriam nominis sui omnes illi electorum animas adduceret.

Et votum vovit dicens : Domine, inquit, *exercituum, si respiciens videris afflictionem famulæ tuæ, et recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ, dederisque servæ tuæ sexum virilem, dabo eum Domino omnes dies vitæ ejus.* Si diligenter attendere velimus, etsi non his verbis, pro ipsa tamen, quæ hic designata B est, causa Dominum Jesum in passione sua orasse cognoscemus. Tria hic æqualis significationis verba habentur, id est, *famula, ancilla, serva*, per quas designari valet omnis electorum Ecclesia, quæ in tribus temporibus exstitit, ante legem videlicet, sub lege, sub gratia. Per *famulam* Ecclesia, quæ erat in patriarchis, recte designatur, quæ in spe futuræ redemptionis Deo fideliter famulabatur. Per *ancillam* figurari possunt hi, qui sub legali vinculo depressi, legi quasi *ancillæ* Dominæ serviebant, et libertatem filiorum consequi non poterant. Per *servam* sub gratia constitutos intelligi posse credimus, qui non servili timore coacti, sed filiali amore devicti, divina præcepta servare noverant. Pro his C ergo omnibus Deo Patri in humana natura sua hoc modo supplicabat Dei Filius : Domine Deus, Pater omnipotens, qui me pro salute mundi incarnari disposuisti, *si respiciens videris afflictionem famulæ tuæ*, id est si ad eos, qui ante legem in fide tibi famulabantur, oculos misericordiæ tuæ converteris, et illos a diutina afflictione quia in inferno deprimuntur, absolveris : *nec oblitus ancillæ tuæ*, hoc est si eorum qui sub lege tibi serviebant, veram libertatem filiorum tribuendo **575** memineris *dederisque servæ tuæ sexum virilem*, si videlicet nunc in tempore gratiæ per me redemptionem humani generis perfeceris, et electos tuos, qui in inferno detinentur, et qui adhuc in mundo sunt, a captivitate diaboli perfecte liberaveris et (quod interpositum est) D *recordatus mei fueris*, id est hoc totum mei et meæ obedientiæ causa feceris, *dabo eum Domino omnes dies vitæ ejus*, ibi videlicet electorum tuorum cœtum tibi reconsigno, ubi non dies mortis, sed *omnes dies vitæ* erunt, ubi tu in eis glorificaberis, et ipsi in te perpetuo gaudebunt.

Vinum et siceram non bibet, et novacula non ascendet super caput ejus. Vinum et sicera poculum est ebrietatis, quod immutat mentem hominis. In illo, inquam, beatitudinis regno, quo tibi, o Deus Pater, per meæ redemptionis mysterium electos tuos adduco, ita mentes eorum in te confirmabuntur, quod nunquam aliqua interveniente instabilitatis vel subversionis causa ab æternitatis amore mutabun- A tur. *Et novacula non ascendet super caput ejus.* Novacula ferrum est acutissimum, quo capilli raduntur, et quo facile homo vulneratur. Per novaculam enim subtiles diaboli suggestiones figurate intelliguntur, quas nullus homo præter ipsum solum, qui Deus et homo fuit, tam vigilanti cura præcavere potuit vel poterit, nisi per eas in aliqua parte, vel cogitatione, aut verbo seu opere, vel in tribus his omnibus peccati vulnere sancietur. Unde David quoque in psalmo loquitur : *Sicut novacula acuta fecisti dolum* (*Psal.* LI, 4). *Novacula*, inquit, *non ascendet super caput ejus.* Per *caput* mens potest accipi, quia sicut a capite membra reguntur, sic cogitationes in mente disponuntur. Cum ergo in gloria futuræ resurrectionis omnis electorum cœtus jam in virum perfectum occurrerit, et in mensuram ætatis plenitudinis Christi profecerit, *novacula non ascendet super caput ejus*, quia tunc tanta pax et securitas erit, quod nunquam amplius diabolus per subtiles suggestiones suas, mentibus sanctorum saltem vel aliquod noxiæ cogitationis vulnus infligere valebit. Sequitur :

576 *Factumque est, cum illa multiplicaret preces coram Domino, ut Heli observaret os ejus. Factum* istud factum magnum est, et mirabile opus scilicet redemptionis humanæ, quod nobis sæpe in sacra Scriptura commendatur, ubi, sicut hoc in loco, *factum est* habetur. Nam proprie ibi *factum est* præponitur, ubi in sequentibus magnum aliquid et memorabile vel secundum litteram, vel secundum mysterium Scriptura loquitur. Igitur factum magnum fuit redemptio humana, quod factum cunctis Dei præminet operibus, quia miserationes ejus sunt super omnia opera ejus. Cum ergo humana natura Christi factum istud laboraret perficere, *preces multiplicavit*, quia omnis vita ejus, tota, inquam, illius in hoc mundo conversatio, omnia opera ejus et verba multiplices preces fuerunt coram Domino; quia in his omnibus hoc tantum attendebat et desiderabat, ut per eam Deus in perditione sua subveniret, et repropitiaretur generi humano. In hac precum multiplicatione, in omni, inquam, vita ejus et conversatione, *Heli observabat os ejus*, quia Dominus Deus Pater omnipotens, qui per Heli designari potest, et ipse Dei Filius secundum divinitatem suam se ipsum in humana natura sua ita observavit, et in tali custodia habuit, quod nunquam lapsus est verbo, nunquam vel minima peccati pollutione, cogitatione vel opere attingi aut corrumpi potuit.

Porro Anna loquebatur in corde suo tantumque labia illius movebantur, et vox penitus non audiebatur. Æstimavit ergo eam Heli temulentam. Humana natura Christi, quam per *Annam* designari sæpe jam diximus, *loquebatur in corde suo*, quia ex quo corporis nostri necessitate frui cœperat, desiderium hoc in corde suo gerebat, ut opus redemptionis humanæ perficeret, ob quod consummandum de cœlis ad terras descenderat. *Tantumque labia illius movebantur, vox vero penitus non audiebatur.* Per *labia*, quæ foris apparent in homine, exteriora opera hu-

manitatis Christi possumus intelligere. Per continuos enim triginta tres annos, quibus homo inter homines conversari **577** voluit, *tantum labia illius movebantur*, quia exteriora opera illa, quæ causa salutis nostræ fecit, tantummodo ab eo exercebantur. Sed cum quasi purus homo videretur, et putaretur, agnosci non potuit, si in his omnibus redemptionem humani generis operaretur. Sed unde hoc, *nisi quod vox penitus non audiebatur?* Quod videlicet desiderium illud, quo ad perficiendam redemptionem humanam æstuabat, non aperiebat, quod tunc primum manifeste apparuit, quando ipse Dei Filius passionis et mortis pœnam subire voluit. *Æstimabat ergo eam Heli temulentam.*

Dixitque ei: Usquequo ebria eris? Digere paulisper vinum, quo mades. Temulentus quasi ebrius dicitur, B et proprium est ebrii ut mente mutetur, et a sensu suo alienetur. *Æstimabat ergo*, inquit, *eam Heli temulentam.* Æstimari proprie hoc dicitur quidquid pro magno et pretioso habetur. Pro magna utique æstimatione Deus Pater habuit, magnum, inquam, et gloriosum in oculis ejus fuit, quando humanam naturam in Unigenito suo ab omni humano sensu, ab illo, dico, qui pronus est in malum, ita alienatam vidit, quod nunquam cogitatione, verbo vel opere aliquid, quod ad peccati pollutionem pertineret, intus seu exterius sentire vel admittere potuit. *Et dixit ei: Usquequo ebria eris?* Ac si diceret: O humana natura, in Unigenito meo ab omni sensu peccati, quo cæteri homines corrumpuntur, te omnino C alienam video. Sed *usquequo ebria eris*, id est quandiu singularem innocentiam tuam, in qua sensu totius humanæ contagionis cares, ita occultas, quod per eam perditioni generis humani in morte non subvenis? *Digere paulisper vinum, quo mades.* Per *vinum*, quod lætificat cor hominis, jucunditas illa et lætitia, et forte desiderium illud designari potest, quod habuit humana natura Christi ad consummandum opus humanæ redemptionis. Unde Dei Patris omnipotentis, et ipsius Filii Dei divinitatis ad humanam naturam suam hæc quodammodo verba fuerunt: *Digere paulisper vinum, quo mades*, id est illud desiderium, quod habes ad redemptionem humani generis, quo ita abundas, **578** ut jucunditas et lætitia cordis tui sit, quod per passionem et mortem D tuam idem humanum genus redimatur, quandoquidem operibus perfice, ut digestio illa ita in fideles, membra videlicet corporis tui, transeat, quod cunctis per orbem nationibus salus æterna proveniat, cum hoc, quod semper in occulto desiderasti manifeste perfeceris, eos scilicet, qui in corpus tuum per fidem transituri sunt, pretio sanguinis tui redemeris.

Sed hoc *paulisper*, id est parum interim erit. Nam per redemptionem tuam gentes nunc tantummodo sunt illuminandæ; Judæi vero, de quibus processisti, crudeliter in necem tuam conspirantes, sunt excæcandi. Hoc utique divinitatis fuit judicium, ut gentes per mortem Christi ad fidem converterentur, Judæi A vero in illius morte debitores, a cognitione Dei repellerentur.

Respondens Anna: Nequaquam, inquit, *Domine mi.* Unigenitus Dei Dominus noster Jesus Christus sicut ex duabus naturis subsistebat, sic nihilominus et duas voluntates habebat, humanam, quæ est carnis, et divinam, quæ est deitatis. Divinæ naturæ voluntas fuit gentium vocatio et Judæorum repulsio; humanæ autem naturæ voluntas erat, ut sine excæcatione Judæorum fieret illuminatio gentium. Unde ad verba divinitatis, quæ tantummodo redemptionem gentium denuntiant, responsio quodammodo fuit humanitatis: *Nequaquam, Domine mi.* Non expedit, inquit, mi Pater, quem ex forma servi *Dominum* appello, cui æqualis et consubstantialis in divinitate existo, ut qui per obedientiam tuam de paterno sinu tuo in mundum veni, nunc tam parvus fiat mortis meæ fructus, quod solummodo populus gentium salvetur et redimatur, populus vero Judæorum, de quibus hoc ipsum corpus, in quo per mortem generi humano subvenio, assumpsi, a gratia tua et ab æterna beatitudine excludatur. Si ergo recte attendamus, etsi non eisdem verbis, eodem tamen sensu, et eadem significatione, jam in agonia passionis positus, protulit et ista Dominus noster Jesus Christus: *Pater mi, si possibile est, transfer calicem istum* **579** *a me* (*Marc.* XIV, 36). Transferri a se calicem postulat, non quidem timore patiendi, qui ob hoc ipsum in hunc mundum venire dignatus est, ut pro salute humani generis passionis et mortis ignominiam subiret, sed ex compassione, quam super priorem populum habuit, hæc ad Patrem verba dixit, quia ægre ferebat, si ab illis calicem propinatum biberet, quos ob hunc ipsum reatum æternæ damnationis subire sciebat periculum. Sed quia divina voluntas humanæ voluntati præponenda erat, continuo revertens in semetipsum, hoc quod ex humanæ naturæ voluntate renuerat, divinæ voluntatis potestate confirmat: *Verumtamen, ait, non mea voluntas, sed tua fiat* (*ibid.*). Non hoc, inquit, fiat quod humano affectu loquor, sed propter quod ad terras tua voluntate descendi.

Nam mulier infelix nimis ego sum. In his verbis, si quis mystice attendere velit, humana natura Christi in seipsa omnes humanæ naturæ miserias in conspectu divinitatis exponit, et cum ista dicit, nos in se transfert, corpus nostrum membrorum suorum in se affectum suscipit. *Nam mulier infelix nimis ego sum.* Ego, inquam, humana natura, a primo tempore creationis, in primo homine Adam, et post ipsum in omnibus hominibus *sum infelix nimis*, quia omnes homines ad inferni claustra descendunt tam justi quam injusti, nullus æternæ felicitatis præmium valet consequi. Ergo, o Deus Pater, propter meam humanam naturam, absque originali peccato conceptam et genitam, et sine actuali crimine in hoc mundo conversatam, ad omnem humanam naturam utraque peste corruptam, id est originali et actuali peccato vitiatam, oculos pietatis converte, et super hoc miserere,

quod vinum, et siceram et omne quod inebriare potest, A *non bibi*, quod videlicet jam triginta tres annos in hoc mundo conversatus, mea humanitate hoc non potui efficere, ut homines ita in te delectarentur, et sic mentes eorum a terrenis desideriis et a cupiditate carnali mutarentur, quod eos in corpus meum possem trajicere.

580 Sed et aliter hoc, quod dicit: *vinum et siceram, et omne quod inebriare potest, non bibi*, possumus intelligere. Est enim quasi humana natura Christi suam singularem innocentiam Deo Patri et sui ipsius divinitati exponat, ut illius recordetur, et per hanc omni humano generi, quod eum ad iracundiam provocaverat, misereatur et repropitietur. *Vinum*, inquit, *et siceram*, *et omne*, *quod inebriare potest*, *non bibi*. Quasi dicat: Hoc te, o summa divinitas, B ad misericordiam flectat et moveat, quod me humanam naturam Christi tui sic in hoc mundo vides conversatam, quod nunquam, sicut cæteri homines, in quorum similitudine et habitu appareo, aliquam mundanæ voluptatis delectationem, per quam mens mea a te mutaretur, admittere volui cogitatione, verbo, vel opere. Sed quid feci?

Effudi animam meam in conspectu Domini, hoc est ita rationalem animam, per quam in humana carne subsisto, ab omni corruptione custodivi extraneam, et ita non tantum in anima, sed et in corpore omnis peccati tam conversatione quam nascendi ordine immunis sum, ut summæ divinitati jucundum esse possit et delectabile, oculos majestatis suæ, quos ab omni genere humano propter iniqui- C tatem avertit, super me deducere.

Sed et subtilius inquirendus, quod ait: *Effudi animam meam.* Hoc est quasi dicat: Ego Unigenitus tuus eo quod mihi tecum sit una divinitas, æqualis gloria, coæterna majestas, dum per obedientiam tuam humanitate mea humano generi subvenire decrevi, ipse *animam effudi*, me ipsum videlicet in utero matris meæ feci, non illa me effudit, id est originem mihi dedit, quam ego creavi, in qua corpus humanum mihi aptare volui. Et quia Deus sum et homo, et in divinitate humanitas, et in humanitate operatur divinitas, ideo totum, quod vixi, fuit *in conspectu Domini*, quia nunquam tale quid commisi in omni vita mea et conversatione, unde Deus D oculos suos posset avertere.

581 *Ne reputes ancillam tuam quasi unam de filiabus Belial.* Belial *absque jugo* interpretatur. Filii Belial, id est filii inobedientiæ Adam et Eva fuerunt, qui jugo Domini se subjicere renuerunt, cum similes Deo esse cupientes, mandatum Domini transgressi sunt. In his ergo et omnes homines usque ad ipsum solum Filium Dei filii Belial fuerunt, quia per eamdem protoplastorum inobedientiam in prævaricatione nascebantur, in prævaricatione vixerunt dum originali crimini, in quo nati sunt, actuale peccatum adjecerunt. Unde humana natura Christi, quæ nec in iniquitatibus concepta, nec in peccato conversata fuit, ad Deum Patrem recte dicere potuit: *Ne reputes ancillam tuam quasi unam de filiabus Belial.* Quasi dicat: Æquitatis tuæ est et misericordiæ, o Deus Pater, quod ad reconciliandum tibi genus humanum, hoc in me Unigenito tuo perpendas, quod me inter illos reputare non potes, qui tibi per originale et actuale peccatum a primo Adam usque nunc exstiterunt inobedientes. Nam ego per obedientiam tuam in hunc mundum veni, in obedientia tua tandiu homo inter homines conversatus sum, per obedientiam tuam jam passionis et mortis subire volo supplicium. Cum hoc in me perpenderis, justum est, ut per me generi humano repropitieris.

Quia ex multitudine doloris et mœroris mei locuta sum usque in præsens. In multitudine doloris, et mœroris humana natura Christi *locuta* est, quando querelam suam in conspectu divinitatis exposuit, eo quod in omni ejus in hoc mundo conversatione, in cunctis hominibus, diabolus, sicut et ante, tyrannidem suam exerceret, et nulli ingressus regni cœlorum indulgeretur, sed omnes tam justi quam injusti ad infernum descenderent. *Ex multitudine*, inquit, *doloris et mœroris mei locuta sum usque in præsens.* Secundum hoc enim quod in præcedentibus exposuimus, hora tunc passionis instabat, quando ista dicebat. *In multitudine*, ait, *doloris et mœroris mei locuta sum usque in præsens.* Quod est, quasi dicat: Dolorem illum et mœrorem, ex quo homo factus sum, 582 semper habui, quod quanquam humanæ redemptionis causa hominem assumpserim, omnes tamen sub diaboli potestate captivos esse et ad infernum descendere vidi. Sed jam in præsenti dolor iste finiendus erit, quia jam per passionem crucis et mortis meæ electos meos captivitate diaboli liberare, et flammeum illum gladium, qui paradisum obstruxit, sanguine meo exstinguere disposui, ut omnibus illuc liber pateat ingressus, quicunque mihi per fidem aut conjuncti vel adhuc sunt conjungendi.

Tunc Heli ait ei: Vade in pace, et Deus Israel det tibi petitionem tuam, quam rogasti eum. Ergo Deus pater, et ipsa humanæ naturæ Christi divinitas deprecationi ejus annuit, et ad perficiendam redemptionem humani generis eam excitat, et dicit: *Vade in pace.* Accingere, inquit, ad triumphum passionis et mortis, per quam pacificanda sunt sive quæ in cœlis sunt sive quæ in terris (*Ephes.* I, 10). *Et* Dominus *Deus det tibi petitionem, quam rogasti eum.* Quænam humanæ naturæ Christi fuit petitio, nisi ut per mortem ejus non solum gentium, verum etiam Judæorum perficeretur redemptio, et lapis unus angularis ambos in se parietes venientes e diverso reciperet.

Sicut enim prædiximus, secundum humanam naturam suam interitum Judæorum Dei Filius ægre ferebat, de quibus secundum carnem processerat. Et quia preces, quas pro ipso populo ad Deum Patrem effudit, incassum transire non poterant, statim post ascensionem ipsius magna pars ejusdem

populi credidit, et ex ipso sancta Ecclesia initiari cœpit. Et si ex parte cæcitas in eodem populo contigit, plenissime tamen adhuc in fine mundi effectus precum Domini nostri Jesu Christi videbitur, quia cum plenitudo gentium introierit, tunc omnis Israel salvus erit (*Rom.* XI, 25). Hujus ergo salutis beatitudinem eamdem humana natura Christi eidem populo in subsequentibus exoptat, dicens :

583 *Utinam*, inquit, *inveniat ancilla tua gratiam in oculis tuis!* Ac si dicat : O Deus Pater, utinam aliquando tempus adveniret, quod ancilla tua, vetus scilicet illa Synagoga, ad gratiæ tuæ libertatem, a qua ob erroris sui obstinatam contentionem repulsa est rediret! *Abiit* ergo *mulier in viam suam*, *et comedit*. Ut ergo Judæorum et gentium perficeretur redemptio, *mulier* hæc *in viam suam abiit*. Quænam *via* ejus fuit? Via ejus utique fuit, quando de cœlis in uterum Virginis et de utero Virginis in hunc mundum venit, et *salutem operatus est in medio terræ* (*Psal.* LXXIII, 12).

Rursus *in viam suam abiit*, quando pro nobis pati, mori, sepeliri et a sepulcro resurgere voluit. Sed et aliud per hanc *viam* intelligere possumus. Post lapsum enim primi hominis, universæ humanæ naturæ hæc via fuit, quod et mori in corpore, et post mortem carnis, mortem etiam animæ ad infernum descendendo subire debuit.

Hanc eamdem viam, etsi non per prævaricationis culpam, ob humanæ tamen salvationis causam Filius Dei abiit, quia et in corpore sententiæ mortis addici voluit, et ejus anima ad educendas omnes electorum animas ad inferni claustra descendit.

584 Cum ergo et in corpore mortis pœnam subiisset, et cum anima ad infernum descendisset, *comedit*, quia per divinitatis potentiam resurgens a mortuis nos in se transtulit et corpus humilitatis nostræ corpori claritatis suæ configuravit. Vel ista comestio jucunditatem illam significat, qua misericorditer delectabatur ereptis a captivitate diaboli animabus electorum suorum per mortis et resurrectionis suæ triumphum.

Quod autem gratia et beatitudo, quam tunc semel per mortem et resurrectionem electis suis acquisivit, usque in finem sæculi in omnes salvandos perseveret, subsequentia verba mystice intellecta demonstrant :

Vultusque illius, inquit, *non sunt amplius in diversa mutati*. Si ergo nunc, sicut ante, tam justi quam injusti a diabolo captivi in mortem ducerentur, vultus utique illius in diversa mutarentur. Sed jam hoc modo *vultus illius in diversa non mutantur;* quia omnibus per veram innocentiam, vel post perditam innocentiam per dignam pœnitentiam intrare volentibus, statim post hujus carnis terminum, regni cœlorum patet introitus.

585 HOMILIA LXI.

IN DOMINICAM II POST PENTECOSTEN PRIMA.

Homo quidam fecit cœnam magnam, *et vocavit multos. Et misit servum suum hora cœnæ dicere invitatis ut venirent, quia jam parata sunt omnia* (*Luc.* XIV).

Præsumptionis argui timemus, quod super verba et sententias sanctorum expositorum, et præcipue beati Gregorii, qui excellenter exposuit parabolam istam, aliquid dicere vel exponere audemus. Sed parvitatem nostram in hoc humiliter excusamus quia ea, quæ facimus, non præsumptione sed devotione, ob amorem proximorum, quibus prodesse in his cupimus, maxime attendamus. Quamvis enim ad intellectum et sapientiam beati Gregorii nos, qui insipientes et imperiti sumus, nequaquam attingere possimus, tamen quia in expositione hujus parabolæ non spiritalibus sed sæcularibus hominibus pro loco et tempore tunc loquebatur, nihil in hoc honori et gloriæ ipsius subtrahere nos credimus, si spiritalibus spiritalia comparantes, ad ædificationem eorum, qui in monasteriis sunt, ea, quæ Deus donaverit, dicere humilitas nostra attentaverit. Ait itaque Dominus :

Homo quidam fecit cœnam magnam, *et vocavit multos*. Homo iste est unigenitus Dei Filius, qui utique Deus et homo est, et non solum homo, sed et *homo quidam*, homo singularis, quia solus sine peccato conceptus et natus, solus in hoc mundo sine peccato est conversatus. *Qui fecit cœnam magnam*, quando semetipsum tradidit nobis, quando instante hora passionis sacrificans, nobis sacrosanctum corpus et sanguinem suum æternæ salutis præparavit convivium : *Accipite*, inquit, *et comedite : hoc est corpus meum* (*Matth.* XXVI, 26). Nisi enim cœna ista præcessisset, hoc est nisi sacrosanctum corpus et sanguinem suum per se nobis consecrasset et dedisset, ad convivium vitæ **586** æternæ nullus hominum pervenire potuisset. Unde ipse ait : *Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (*Joan.* VI, 54). Et iterum : *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam* (*ibid.* 55). *Qui vocavit multos*, quia quotquot Christianæ fidei sacramentum susceperunt, ad convivium vitæ æternæ vocati sunt.

Et misit servum suum hora cœnæ dicere invitatis ut venirent, quia jam parata sunt omnia. Hora cœnæ hora passionis fuit. Peracta enim passione et resurrectione sua, *misit servum suum*, cœtum videlicet apostolicum, quando ascendens in cœlum dixit eis : *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit* (*Matth.* XXVIII, 19; *Marc.* XVI, 16). Hæc dicere fuit quodammodo servum suum mittere *dicere invitatis ut venirent, quia jam parata sunt omnia*. In hora enim illius cœnæ, quando ille, qui est cibus angelorum, in ara crucis Deo Patri se obtulit in redemptionem generis humani, *parata sunt omnia*, confractus est infernus, reseratus est paradisus, dimissa et deleta sunt originalia crimina in terris, reddita sunt vitæ præmia in cœlis. Sed post istam, quæ facta est

nobis in Filio Dei, æternæ salutis præparationem, post missi servi, cœtus videlicet apostolici, prædicationem, quid tandem factum sit audiamus.

Et cœperunt, inquit Dominus, *simul omnes excusare*. Qui sunt isti *omnes* a convivio Dei se excusantes? Illi utique, qui *villam* habent, qui **587** *quinque juga boum* habent, qui *uxorem* habent, hoc est qui divites sunt in substantia hujus sæculi, quod est *villa*; qui cum divitiis sanitatem corporis habent, quod sunt *quinque juga boum*; cumque per hæc duo, tertio, id est, voluptate carnis, quæ per *uxorem* accipitur, libere utuntur, excusant se, ne veniant ad convivium Dei. Nam dum plus terrena quam cœlestia diligunt, ipsi sibi viam vitæ perennis intercludunt. Sic, sic, dum per præsentis vitæ contemptum ad Dominicam cœnam venire renuunt, pauperes et debiles eliguntur, qui quanto minus in hoc mundo habent unde delectentur, tanto citius vocantis intrinsecus vocem Domini audiunt et sequuntur. Unde Dominus : *Exi cito*, inquit, *in plateas et vicos civitatis, et pauperes ac debiles, cæcos et claudos introduc huc*. Sic factum est : Plenæ enim sunt domus Dei, quod sunt monasteria, pauperum. Pauperes sunt qui vim Deo faciunt, qui divitibus in suis voluptatibus permanentibus regnum cœlorum per sanctæ conversationis studium diripiunt. Ait ergo Dominus : *Dico vobis, quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam*.

His præmissis secundum sensum generalem, ad nosmetipsos mentis oculum convertamus, et quomodo specialiter in quolibet salvando homine verba evangelicæ hujus lectionis compleantur, videamus. Ait namque Dominus :

Homo quidam fecit cœnam magnam et vocavit multos. Quandiu quis in mundo est, et peccata mundi diligit et facit, *homo* tantum dicitur; postquam autem separare se a mundo, et a peccatis mundi, incipit *homo quidam*, homo singularis digne appellatur. Hic vere *cœnam magnam facit*, quando per pœnitentiam, cordisque contritionem ad veram peccatorum tendit remissionem. Unde scriptum est : *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus; cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies* (*Psal.* L, 19). Hæc est *cœna*, et vere *magna*, qua delectatur Deus et pascitur, quemadmodum iste protestatur, dicens : *Ecce ego sto ad ostium, et pulso, si quis aperuerit mihi, intrabo* **588** *ad illum, et cœnabo cum illo* (*Apoc.* III, 20). Qui *vocat multos*, quando seipsum, qui non unus, sed quasi multi, et multiplex fuit, multiplicitatem suam humiliter confitendo, accusare coram Deo incipit. *Vocat multos*, quando post perfectam confessionem ad perfectam multorum, quæ commisit, peccatorum satisfactionem viriliter semetipsum constringit; post perfectam confessionem et perfectam satisfactionem, tandem per misericordiam Dei proficit ad veram cordis compunctionem vel mentis contemplationem, quam *hora cœnæ* figuraliter exprimit, de qua Dominus mox subjunxit et ait :

A *Et misit servum suum hora cœnæ, dicere invitatis ut venirent, quia jam parata sunt omnia*. Servus, qui mittitur, unus idemque homo est, qui fecit cœnam magnam in conversione, qui vocavit multos in confessione et satisfactione, qui etiam *mittit* in mentis contemplatione. Mittit homo seipsum, mittit ad seipsum, mittit pro se ipso. Hoc est enim quod subjungitur : *Dicere invitatis ut venirent*. Dicere ejus est desiderare ejus. Desiderat namque ut omnes invitati veniant, hoc est, ut corpus et anima et spiritus, quod est totus homo, cœnæ illi assidue interesse laborent, in qua *jam parata sunt omnia*. Quæ *omnia* nisi bona et mala, prospera et adversa? In æterno perennis vitæ convivio *parata* hæc *omnia* non inveniuntur quia bona ibi sine B malis, prospera sine adversis, perpetuis Dei conviviis æternaliter apponentur. Sed et in æterna damnatione [simili modo hæc *omnia parata* non erunt, quia mala ibi sine bonis, adversa sine prosperis reprobis perenniter imminebunt. Nunc autem *parata sunt omnia*, quia in cœna illa, quæ *jam*, id est in præsenti hac vita fit, de qua aliunde Dominus : *Ecce ego*, inquit, *sto ad ostium, et pulso; si quis aperuerit mihi, intrabo ad illum, et cœnabo cum eo et ipse mecum*, in hac, inquam, cœna *parata sunt omnia*, bona videlicet et mala, prospera et adversa. Ibi enim ex dono et misericordia Dei recte homo cognoscere incipit, qualiter pro malefactis Deo satisfaciat, qualiter bona opera sua, C si in Deo et propter Deum facta sunt, custodire debeat. His diligenter consideratis, sit inter spiritum et animam et corpus, **589** quemadmodum dicitur in consequentibus :

Et cœperunt, inquit, *simul omnes excusare*. Per *omnes* istos, qui *simul se excusare cœperunt*, omnes utriusque hominis sensus convenienter intelligi possunt. Nam ubi ex supernæ visitationis gratia homo recognoscere incipit, quid factis, quid dictis, quid cogitationibus illicitis admiserit, ista humilis peccatorum recognitio est apud Deum quasi quædam excusatio, quæ hominem perfecte pœnitentem coram oculis Dei excusabilem reddit et innocentem.

Primus dixit : Villam emi, et necesse habeo exire, et videre eam. Per *primum* istum spiritus hominis D satis convenienter potest intelligi, qui dum per aspirantem supernæ visitationis gratiam imperfectionem suam perfecte cognoverit, non quasi contradicendo, sed negligentias et transgressiones suas medullitus pœnitendo et confitendo excusare se incipit, quia indignum se judicat, ut cœlesti huic convivio seu cœnæ, vel ad momentum quidem, admitti debeat. *Villam*, inquit, *emi*. Per *villam* hanc amor sæculi, superbia, avaritia, et cætera hujusmodi non inconvenienter possunt intelligi. Sed cum nullum commutationis commercium fieri possit nisi inter vendentem et ementem, quis est ille qui villam istam venalem portat, nisi hostis antiquus, qui homini ad cœnam Domini venire cupienti callide obviat, si quo modo eum aut amore sæculi, aut superbia, aut

avaritia ab intentione et desiderio boni avertere valeat. Conqueritur igitur Spiritus spiritalis cœnæ avidus, quod hanc ab eo *villam emerit*, per quam spiritalium convivio epularum indignum se fecerit, et dicit : *Villam emi, et necesse habeo exire, et videre eam.* Ac si dicat : Ego et diabolus in foro uno convenimus. Pretium meum, quod attuli, Deus erat, qui per aspirantem gratiam suam jugiter me intrinsecus visitare consueverat. Pretiosum hoc immortalitatis pretium ipse minister mortis mihi abstulit, et *villam suam*, id est amorem sæculi, superbiam, avaritiam et cætera hujusmodi misero cordi meo substituit. Et quia misero mihi diabolica circumvento fallacia tunc placuit, lethali **590** huic commutationi voluntarie consentire, ideo *necesse habeo* modo *exire et videre eam.* Voluntas etenim versa est mihi in necessitatem. Nam quod tunc erat voluntarium, modo factum est mihi necessarium. Mei namque per omnia impotens factus, subsistere intra me non valeo. Modo enim ad superbiam, modo ad malitiam, modo ad avaritiam, et ad cætera, quæ mundi sunt, etiam invitus et nolens cogor defluere. Hæc est illa mortis et perditionis *villa*, quam *emi*, ad quam *necesse habeo* non solum *exire*, sed etiam (quod deterius est) *videre eam* compellor, id est diligere. Talis iste exitus erat mihi aliquando abominabilis, modo vero factus est mihi dulcis atque delectabilis, quia illicitas sæculi cogitationes vicissim cordi meo succedentes non abjicio, imo delectabiliter suscipio et intromitto.

Unde, rogo te, habe me excusatum. Quis est iste, cui dicitur, *habe me excusatum*, nisi ipse spiritus hominis, qui quodammodo loquitur ad se intra se? Ejus denique rogatio est assidua qua seipsum ad satisfaciendum Deo suscitat exhortatio. Rogat ipse seipsum omnimodis propter Deum insistere laboribus, ut per veram pœnitentiam puramque confessionem hic semetipsum accusare studeat, quatenus coram oculis divinæ majestatis excusari in futuro mereatur. Sequitur :

Et alter dixit : Juga boum emi quinque, et eo probare ea. Per *alterum* hunc, qui similia excusationis verba protulit, anima hominis satis convenienter intelligi poterit. Nam ut primus ille, qui est spiritus, pro amissa internæ dulcedinis gratia affligendo se prædicto modo excusare se cœperit coram Domino, anima nihilominus ad cognoscendum et pœnitendum multiplices exteriorum excessus sensuum excitatur, quemadmodum præmissis jam verbis apte demonstratur : *Juga boum*, inquit, *emi quinque, et eo probare ea.* Ac si patenter dicat : Ad cœnam Domini, ad quam vocata sum, venire desidero, internam supernæ dulcedinis gratiam in memetipso utcunque experiri cupio ; sed *juga boum emi quinque*, quia quinque rationales sensus mei bovini modo et **591** pecuales facti sunt, quia more pecudum ea solummodo, quæ carnis sunt, quærunt et diligunt, et sicut bos ideo subjugatur, ut vel invitus ad laborem compellatur, sic incurvata ego carnisque dominio miserabiliter subjugata, ad bonum, quod agere debeo, etiam dum volo, erigere me non valeo.

Et hoc satis ex eo liquet, quia, quæ aliquando fortis exteriorum sensuum meorum custos esse vellem, quæ ad meditandum, ad legendum cæterisque bonis operibus insistendum constanter sedere vellem, modo *eo*, quia ad nullum horum utiliter me continere valeo. *Eo* quidem *probare* modo *ea*, modo illa. *Eo probare*, si quid oculis vel auribus de sæculi hujus occurrat vanitatibus, et dum sic quasi de loco ad locum transferor, Deo abominabilis et mihimetipsi per omnia inutilis efficior. Sic, sic, dum anima, quæ carnem vegetat, exteriorum sensuum suorum excessus flendo ac pœnitendo coram Deo discutit et examinat, eodem modo, ut spiritus, sibi ipsi loquitur intrinsecus : *Rogo te, habe me excusatum.* Rogat se, ut ad se inter se redeat, excessus suos perfecte pœniteat, ut per veram pœnitentiam ad veram innocentiam redire valeat. Ex hac spiritus et animæ pœnitentia et satisfactione etiam corpus torporis sui ignaviam deflere incipit, sicut consequenter adhuc evangelista subjungit, dicens :

Et alius dixit : Uxorem duxi, et ideo non possum venire. In *uxore* possumus intelligere concupiscentiam et voluptatem carnis. Nec prætereundum quod, duobus precedentibus excusari se petentibus, tertius iste, qui significat corpus, excusatum se haberi non postulat, sed tantum non posse se venire denuntiat. Sed quid per hoc nobis innuitur, nisi quod etiam electus discipulus Domini Paulus apostolus in semetipso expertus conqueritur? *Scio*, inquit, *quod non inhabitat in me, hoc est, in carne mea, bonum. Nam velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio* (*Rom.* VII, 18). Spiritus quidem hominis cœlestia desiderando in altum tendit, caro autem repugnans spiritui semper impossibilitatem suam prætendit, **592** dicens : *Non possum venire.* Ac si dicat spiritui : Laborem quidem exigis a me, per quem indeficiens æternæ dulcedinis convivium una mecum assequi possis, sed ad votum succurrere tibi non valeo, quia *uxor, quam duxi*, hoc est carnis concupiscentia et voluptas, cui subjaceo, a magnæ hujus cœnæ retrahit convivio. Tendens autem ad Deum animus, quid tandem ad hæc facere debeat, sequens ordo verborum demonstrat. Nam sequitur :

Et reversus servus nuntiavit hæc Domino suo. Servus iste, quem spiritum hominis diximus, tunc vero *ad Dominum suum revertitur*, quando ad insinuandum divinæ miserationis clementiæ dolorem suum et miseriam humiliter ad Deum convertitur. Pius autem et misericors Dominus, quid ad hæc tandem faciat, mysticis verbis evangelista demonstrat :

Tunc iratus, inquit, *paterfamilias dixit servo suo : Exi cito in plateas et vicos civitatis, et pauperes ac debiles, cæcos et claudos introduc huc.* Irasci aut mutari, cum omnino alienum sit a Deo, nostro tamen more irasci dicitur, cum salubri nos contra nos furore excitat, ut pro reatu negligentiæ suæ mens districte sævire, salubri erga se ipsam ira con-

tabescere incipiat. Sic autem bene irascenti, et ardenter de sui torporis ignavia se ulciscenti, protinus ipse Dominus alloquitur eam sicut audivimus : *Exi cito*, inquit, *in plateas et vicos civitatis*. Per *plateas* possumus intelligere latam et spatiosam sæcularis vitæ conversationem, per *vicos civitatis* arctum et angustum spiritalis vitæ propositum. Exire Deus omnipotens hominem docet *in plateas*, ut sollicite consideret latas pristinæ conversationis suæ vias. Ibi profecto *pauperes* invenit, dum paupertatem suam humiliter recognoscit, dum transactum in sæculo tempus nihil nisi egestatem et miseriam sibi contulisse perpendit, per quam æternæ beatitudinis divitiis nudatum se conspicit. Ibi etiam *debiles* invenit, quia, si quid bonum egisse se in sæculo recogitat, debile et infirmum, utpote non humiliter, sed superbe et arroganter propter favorem **593** inanis gloriæ factum reputat. Postquam hoc modo in plateas exierit, exeat etiam necesse est *in vicos civitatis* quærere ibi *cæcos et claudos*, id est sollicite consideret quandiu in spiritalis vitæ proposito a cognitione rectæ veritatis, sicut cæcus, erraverit, quoties in his quæ agenda erant justitiæ operibus, male claudicaverit.

Possumus et alio modo intelligere quod dicit, *pauperes ac debiles*, *cæcos et claudos introduc huc*. Quatuor ista, quatuor præcedentibus sunt opponenda. Contra villam *pauperes*, contra juga boum *debiles*, contra uxorem, in qua concupiscentiam et voluptatem carnis intelligendam diximus, *cæcos et claudos* ponere debemus. Sed quid est cæcus, quid est claudus? *Cæcus* est qui ignorat, *claudus* est qui errat. Amor namque et consuetudo carnalis concupiscentiæ et voluptatis parit ignorantiam. Excæcat enim hominem, quod periculum suum cognoscere nescit. Sed et hoc, quod antea malum et iniquum cognovit, quasi bonum et æquum reputare incipit. Ex hac denique ignorantia nascitur error. Merito enim errat, qui errorem suum ignorat. Hoc est enim quod ait propheta : *Ebrietas et luxuria aufert cor* (*Ose.* IV, 11). Ergo quod ait Dominus, *pauperes ac debiles*, *cæcos et claudos introduc huc*, ita est ac si diceret : Quia ad amissa dulcedinis meæ gaudia redire desideras, oportet ut multiformem vanitatis tuæ reatum humiliter recognoscas. Memento in humili cordis tui conscientia, ubi villam, ubi juga boum emeris, hoc est ut per immoderatam superbiam te supra te incaute extuleris, quoties per curiositatem mentis vagando extra te grandia de tuis, abjecta de aliorum meritis senseris. Sicque *pauperes ac debiles introduc huc*, pauperem te cognoscens in virtutibus, debilem in virtuosis justitiæ actibus.

Post pauperes et debiles, *cæcos et claudos* nihilominus *introduces*, cæcitatem ignorantiæ tuæ humiliter cognoscendo, pro multiplicitate erroris tui humiliter Deo satisfaciendo. Huic misericordissimo Domini consilio congruit consilium beati Joannis in Lectione hodierna dicentis : *Filioli mei, diligamus* **594** *non verbo tantum et lingua, sed et opere et veritate* (*I Joan.* III, 18). Non opere, sed verbo et lingua diligit, qui verbis tantum peccatorem se confitetur, sed post confessionem nullum pœnitentiæ opus ostendit. Ille autem diligit non verbo et lingua, sed opere et veritate, qui peccata, quæ confitetur, digna satisfactione diluit, et eamdem satisfactionem in vera humilitate custodire satagit.

Nec prætereundum quod dicit, *pauperes ac debiles*, *cæcos et claudos introduc huc*. Idem enim est ac si dixisset : Non educ eos, sed *introduc*. Non educ eos illuc, ubi prius eras, sed *introduc huc*, hoc est ad me, in cor tuum, ubi jam ego sum, ubi medicabiliter loquor ad te. Hæc Domini verba sunt inenarrabilia pietatis ejus opera, quibus operatur et facit in homine quod scit pauperem se ac debilem, cæcum et claudum recognoscere, quod potest digne pro peccatis suis Deo satisfacere. Omnia tamen hæc, quia ex timore adhuc et in timore facit homo, tandem a timore ad amorem pertingere cupiens, quasi in hunc modum alloquitur Deum, dicens :

Domine, factum est ut imperasti, et adhuc locus est. Verbum hoc : *imperasti*, timorem sonat, timorem ostendit, ideoque non inconvenienter etiam timorem exprimit. *Domine*, inquit, *factum est ut imperasti, et adhuc locus est.* Ac si dicat : Totum Domine, quod usque nunc vixi, sub timore vixi; si quid feci quod bonum vel rectum coram te possit dici, sub timore, non ex amore feci. *Et adhuc locus est.* Sedisti et sedes in me, Domine, in sede timoris; pone etiam nunc, obsecro, in me sedem amoris. *Locum* illum, qui adhuc *vacuus* est in me, amor tuus suppleat, Domine, amor tuus possideat, Domine, ut ex amore potius quam timore ultra tibi adhæream, pro amore tuo potius quam timore agere, quæ agenda sunt, deinceps valeam. Ad hunc denique sensum sic accipiendum et tenendum ducit nos Oratio hodierna, qua dicimus : *Sancti nominis tui*, *Domine, timorem pariter et amorem fac nos habere perpetuum.* Non enim ad perfectum sufficit timor, nisi adsit et amor; neque amor, nisi comitetur timor. Ad **595** desideratam autem amoris dulcedinem qualiter homo pertingere valeat, sequentibus verbis mystice nos Dominus informat. Nam sequitur :

Et ait dominus servo : Exi in vias et sepes, et compelle intrare, ut impleatur domus mea. Licet aliquando per *vias* intelligantur actiones hominis, possumus tamen hoc in loco viarum nomine cogitationes hominis, per *sepes* vero custodiam cogitationum accipere. Et est quasi dicat Dominus : Si quæris a me, ut sedem amoris mei ponam in te, *exi in vias et sepes*, sepiendo et muniendo cogitationes tuas diffluere eas et vagari circa noxia et inutilia non permittas. Sed quia hoc durum est homini et difficile, adjecit atque ait, *et compelle intrare.* Quasi diceret : Ad hunc quem desideras amoris mei et internæ dulcedinis gustum aliter pertingere non poteris, nisi te intrare compuleris, hoc est nisi vim quamdam cordi tuo, ne per illicitas cogitationes effluat, intuleris. Per hanc enim compulsionem et vim, tandem

oportet te promereri, *ut impleatur* domus mea, quod est anima tua, quæ tunc vere implebitur, quando perfecto timore et amore meo possidebitur. Quod autem sola sit humilitas, cui mirifica magnæ hujus, de qua jam dictum est, præparetur suavitas, manifestat Dominus in fine Evangelii, cum dicit :

Dico autem vobis quod nemo virorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam. Ac si dicat : *Dico vobis*, ego qui veritas sum, ego qui falli nec fallere possum, quod illi qui sibi *viri* videntur, qui de sua virtute gloriantes, fortes se et perfectos arbitrantur, licet *vocati* sint, quomodocunque in spiritali vita laboraverint, nunquam tamen pervenire possunt ad suavissimum gustum internæ illius dulcedinis, quam per me in me præparare et servare consuevi humilibus meis. Cœnæ istius gustatio est dulcedo orationis, mentisque contemplatio. Ad istius modi gustus frequentiam omnino desiderandam, et a Deo postulandam docet nos Spiritus sanctus in oratione hodierna qua dicimus : *Sancti nominis tui, Domine, timorem pariter et amorem fac nos habere perpetuum ;* **596** *quia nunquam tua gubernatione destituis, quos in soliditate tuæ dilectionis instituis.* Quid est *soliditas dilectionis*, nisi gustus contemplationis, per quem vere homo solidatur in voluntate dilectionis Dei ? Quoscunque Deus in hac soliditate dilectionis suæ instituit, hoc est quibus frequentem gustum hujus cœnæ præbuerit, illos nunquam sua gubernatione destituit. Gubernatio Dei est benignum consilium Dei, quod fidelibus suis invisibiliter tribuit, sicut audivimus in Evangelio, ubi dixit : *Exi cito in plateas et vicos civitatis, et pauperes ac debiles, cæcos et claudos introduc huc.* Nam hi tales, si in aliquo interdum excedunt, mox gubernante Deo ad solitum orationis portum confugiunt, atque per prædicti gustus frequentiam ad humilem et perfectam peccatorum suorum cognitionem et pœnitentiam redeunt, quod vere est gubernatio Dei. Quoscunque autem in hac, quam audivimus, soliditate dilectionis suæ non instituit, illos sua gubernatione sæpe destituit. Gubernantur enim non a bono, sed a malo ; gubernantur a se, non a Domino.

Sed et non incongrue, quantum mihi videtur, ad diem secundæ hujus Dominicæ, secundum diem creationis possumus referre, de qua dicitur :

Dixit quoque Deus : Fiat firmamentum in medio aquarum, et dividat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum, divisitque aquas, quæ erant sub firmamento, ab his quæ erant super firmamentum (*Gen* I, 6-7).

Sunt *aquæ superiores*, sunt et *aquæ inferiores*, quas si mystice intelligimus, necesse est, ut ab invicem dividamus. Aquæ superiores sunt, ut æstimamus, bona et spiritalia desideria ; aquæ inferiores, mala et carnalia desideria. Ecce aquæ et aquæ, quæ provida discretione necessario sunt dividendæ ; ut videlicet ita singula discernamus, ne bona pro malis, mala pro bonis recipiamus, ut mens nostra semper intenta sit desideriis bonis et spiritalibus, et summopere resistat malis desideriis et carnalibus.

A **597** Sunt et aliæ aquæ, quas debemus dividere, bona scilicet et majora, et bona minora, mala majora et mala minora. Dividenda sunt hoc modo mala majora et mala minora, ut homo singula quæque dijudicet et examinet, ut minora minus pœniteat, majora vero majori pœnitentia et satisfactione diluat. Quænam sint mala majora vel minora, ex parte jam audivimus in lectione evangelica. Malum est *villam emere*, id est ad amorem et superbiam sæculi declinare ; malum est etiam *quinque juga boum emere*, id est curiositati et vanitati quinque sensus suos hominem subjugare ; majus tamen malum est *uxorem ducere*, id est concupiscentiæ et voluptati carnis tanta delectatione servire, ut nec velit nec possit ad convivium Dei venire. Unde ne-B cesse est ut qui singulis deliquit, ita majora et minora discutiat et dividat, ut pro singulis digne pœniteat, singula debita satisfactione purgare studeat.

Sunt etiam bona majora et minora, ut prædictum est, quæ discutere et examinare debemus, quæ in lectione evangelica nihilominus invenire possumus. Est, ut ita dicam, minus bonum a malis abstinere actibus ; majus vero bonum cor mundum custodire a malis cogitationibus. Unde, ut opinor, minus quodammodo bonum est, *exire in plateas et vicos civitatis ;* majus autem *exire ad vias et sepes.* Qui enim solerti diligentia in semetipso meditando discutit, quid in sæculari et spiritali vita deliquerit, et pro his satisfaciens Deo ultra se a malis operibus custo-C dire disposuerit, bonum quidem exitum *in plateas et vicos* civitatis fecit. Qui vero opera virtutum, quæ facit, in humilitate custodierit, omnique custodia cor suum a malis cogitationibus servaverit, meliorem revera exitum in vias et sepes fecit.

Quapropter, ut supra memoravimus, *aquas ab aquis* ita dividamus, ut bonis meliora præponamus, de bonis ad meliora transeamus. Si quis sic aquas ab aquis dividit, quisquis pejora a malis, meliora a bonis dijudicando discernit, huic non injuste convenit, quod Apostolus dicit : *Spiritalis dijudicat omnia, ipse vero a nemine judicatur* (*I Cor.* XIV, 24). **598** Quomodo a nemine judicatur ? Ab illo homine, qui Deus et homo, judex vivorum et mortuorum, quandoque adveniet, spiritalis iste homo non judi-D cabitur, quia qui nunc omnia, sicut diximus, discernit et dijudicat, nil districto judici indiscussum reservat, ideoque non judicandus judex aliorum cum judice Christo sedebit, quemadmodum in Evangelio ipse Dominus discipulis suis repromittit, dicens : *Vos, qui secuti estis me, sedebitis super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel* (*Matth.* XIX, 28).

Ut autem ad hanc judicandi dignitatem homo veniat, necesse est ut *firmamentum* forte et stabile Deus in illo faciat, hoc est ut mentem illius ita firmet et stabiliat, ne sicut in priori Dominica in divite et paupere prænotavimus, divitias divinitus sibi collatas male amittat, et iterum quasi sepultus in inferno mendicare incipiat ; aut si forte, ut plerum-

qua fit, lapsus fuerit, si exutus purpura et bysso ad pauperlatem devenerit, iterum per misericordiam Dei amissas divitias recipiat, et, juxta id quod sequens littera ait, *dies secundus* fiat.

Possumus dicere quod quasi dies primus fuerit, quando indutus purpura et bysso epulabatur quotidie splendide, hoc est quando mortificata carne cum vitiis et concupiscentiis ascendere plerumque potuit in dulcedinem orationis ad gratiam contemplationis. Sed quia bona recipit in vita sua, hoc est quia dona divinitus sibi collata quasi sua reputavit, magisque suam quam Dei gloriam pro eis quæsivit, eadem bona quæ acceperat male gloriando perdidit. At ubi miserante Deo paupertatem suam recognoscit, et humiliter mendicare incipit, *factum est* in eo *vespere et mane dies secundus*. Quid per vesperam nisi cognitio sui? Quid per mane nisi cognitio Dei valet intelligi? Cognoscit semetipsum, quod videlicet nil boni propriis viribus habere poterit: cognoscit Deum, a quo habuit bona, quæ inaniter perdidit. Sicque fit ut per hanc humilem cognitionem Dei et sui *dies* fiat *secundus*, id est secundo divina inspiratione illuminatus purpuram et byssum recipiat, iterumque **599** splendide cum Domino epulari valeat. Ad hanc cognitionem sui et nostri perducat nos unigenitus Filius Dei Jesus Christus Dominus noster, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LXII.

IN DOMINICAM II POST PENTECOSTEN SECUNDA.

Puer Samuel ministrabat Domino coram Heli, et sermo Domini erat pretiosus (*I Reg.* III), etc.

Lectiones Veteris Testamenti, quas de vocatione Samuelis, nocte cum legerentur, audivimus, ordinante Spiritu sancto, qui auctor est utriusque, Veteris videlicet et Novæ Scripturæ, bene hodiernæ sancti Evangelii lectioni videntur congruere. Nam sicut in Evangelio, ita et hic tres invenimus vocationes, quarum utrasque ad tria tempora, ad tempus videlicet ante legem, ad tempus sub lege, ad tempus sub gratia congrue referre possumus. Ad cœnam magnam æternæ dulcedinis vocavit Deus omnipotens electos suos primo ante legem, secundo sub lege, tertio sub gratia, quia singulis his temporibus semper erant aliqui, qui ad gustandam æternæ dulcedinis cœnam anhelabant. Sed licet vocarentur, nullus tamen quo vocabatur venire poterat, quandiu in carne ille non venerat, per cujus passionem redimendum erat genus humanum, Unigenitus utique Filius Dei, qui ab æterno cum Patre et Spiritu sancto in sua hoc habebat prædestinatione, ut ad subveniendum perdito homini tandem in fine sæculi de celsitudine suæ æternitatis ad infima nostræ mortalitatis descenderet. Hæc misericordissima prædestinatio Dei Patris et Spiritus sancti, per operationem Filii Dei tandem consummanda in fine mundi, mystice, quantum conjicere possum, in exordio earumdem lectionum figuraliter exprimitur, cum dicitur:

A *Puer Samuel ministrabat Domino coram Heli, et sermo Domini erat pretiosus.* In verbis istis totam simul **600** sanctissimam Trinitatem notare possumus. *In Heli* cujus nomen interpretatur *Deus meus*, Deum Patrem; in *Domino* Spiritum sanctum; in *puero Samuel*, quod interpretatur *nomen ejus Deus*, Deum Filium, de quo alibi dicitur: *Et vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod interpretatur nobiscum Deus* (*Matth.* I, 23). Qui cum Deus et homo sit, apte utrumque nomen ei congruit, nomen *pueri* propter innocentiam, simplicitatem et munditiam, quam habebat præ cunctis hominibus in assumpta propter nos humanitate. Nomen *Samuelis* propter excellentiam, qua æqualis erat Deo Patri in divinitatis æternitate. Ab æterno Deus erat pro nobis B vero *puer*, pro nobis homo fieri volebat.

Sed quomodo Domino, id est Spiritui sancto, *coram Heli*, coram Deo Patre *ministrabat*, quibus nec essentia minor, nec potentia inferior erat? Equidem non est dictum propter minoritatem aliquam, vel inæqualitatem, quæ nulla est inter Patrem et Filium et Spiritum sanctum, sed propter dispensationem humanæ naturæ, quam suscepturus erat in se pro humani generis salute. Sed quia secretissimum hoc humanæ reparationis consilium adhuc mortalibus erat incognitum, consequenter adjecit Scriptura dicens: *Et sermo Domini erat pretiosus.* Pretiosus dicitur, quasi rarus. Quæcunque res homini abundat, hanc interdum levius pensat; quod autem rarum, illud pretiosum reputat et charum. C Unde non incongrue *sermo Domini* tunc temporis *pretiosus* fuisse dicitur, quia, etsi aliqui erant, qui revelante **601** Spiritu sancto in semetipsis aliquid scire de Deo aut intelligere poterant, qui dicere aliquid de Deo vel docere scirent, rarissimi erant. Unde autem hoc fuerit, insinuat subsequens Scriptura, quæ dicit:

In diebus illis non erat visio manifesta. Simpliciter per *dies illos* accipere possumus dies temporis illius quod erat ante adventum Christi, sive ad altiorem sensum, sanctos illos homines, qui eo tempore fuerunt, qui propter lumen fidei et vitæ meritum non incongrue *dies* nominari potuerunt. *In* illis namque *diebus non erat visio manifesta*, quia Deus nondum D homo factus erat, nondum videndum se mortalibus præbuerat, per quem nox humanæ cæcitatis illuminanda erat. Sed nec adhuc, quando venit, quando humana carne vestitus homo inter homines conversari cœpit, visio manifesta erat, quia pauci erant, qui eum cognoscerent, qui eum Creatorem et Redemptorem suum crederent. Sed unde hoc, nisi quod sicut in alio Evangelio legitur, *spiritus nondum erat datus, quia Jesus nondum erat glorificatus?* (*Joan.* VII, 39.) Ubi autem per mortem passionis glorificatus, ubi post resurrectionem suam super cœlos elevatus, misso desuper discipulis suis Spiritu sancto tenebras humanæ cæcitatis et ignorantiæ ex parte illuminavit, tunc primum visio manifesta fieri cœpit, quia non solum apostoli, sed et apostolorum imita

tores multa, quæ ante nesciverunt, scire de Deo et intelligere cœperunt. Sed eadem visio manifesta adhuc per misericordiam Dei durat in sancta Ecclesia, quia eamdem gratiam, quam per Spiritum sanctum tunc discipulis suis dedit, hanc electis et dilectis filiis suis per ejusdem Spiritus sancti illuminationem adhuc quotidie, etsi non tam plenarie ut tunc apostolis, ut linguis omnibus loqui valeant, tribuit, multa tamen dulcia sacræ Scripturæ secreta, quæ prius abscondita erant, per invisibilem visitationem suam manifestat et aperit. Sed antequam omnia ista fierent.

Factum est in quadam die, ut subjungitur, *Heli jacebat in loco suo, et oculi ejus caligaverant, nec poterat videre lucernam Dei, antequam exstingueretur.*

602 Plerumque ubi in sacra Scriptura verbum hoc *factum est* legitur, magnum aliquid insinuat, aliquid pretiosum et dignum memoria significat. Sic et hoc in loco dicere possumus quia vere magnum et magnificum *factum* erat, quod *Heli in loco suo jacebat.* Si per *Heli* Deum Patrem intelligimus, quid per *locum suum*, in quo jacebat, sentiendum credimus? *Locus Heli*, locus, inquam, Dei Patris, *in* quo suaviter ab æterno requiescebat, unigenitus Filius ejus erat, in quo requievit in æternitate secundum divinitatem, in quo requievit in tempore secundum humanitatem. Nam præter eum solum nunquam homo inventus est sine peccato. Et bene dicit *jacebat*, quia antequam sæcula fierent, priusquam angelus vel homo esse inciperet, semper erat in requie, quia nunquam aliquid ei abscessit, nunquam aliquid ei accessit, nunquam enim major erat, nunquam minor erat. Nequaquam honor divinitatis ejus eo minor esset, si homo conditus non fuisset, neque ideo creatus est homo, ut Deus beatificaretur ab eo. Sed ideo creatus est, ut ille beatificaretur a Deo. *Jacebat enim ille in loco suo*. Quando aut quomodo? *In quadam die*, hoc est in singulari sancti Spiritus illuminatione, quia Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus sicut semper unum erant, sic semper simul et in uno requiescebant.

Sed sic æternaliter Deo Patre in Filio suo cum Spiritu sancto requiescente, *oculi ejus caligaverant, nec poterat videre lucernam Dei, antequam exstingueretur.* In oculis ejus primos parentes nostros Adam et Evam intelligere possumus. Adam quasi dexter Dei oculus erat; Eva vero quasi sinister, quæ decepta a serpente non ad dexteram, sed ad sinistram respiciebat. *Vidit enim*, ait Scriptura, *lignum, quod esset pulchrum visu et ad vescendum suave, tulit et comedit* (*Gen.* III, 6). Ipsi *oculi* Domini, heu! miserabiliter *caligaverant*, quando aversis a vera luce oculis mentis suæ, ad quam æternaliter contuendam creati erant, ad serpentem, ea, quæ mortis et tenebrarum erant, suadentem respiciendo contra Deum intumuerant.

603 Sed et *oculos* ejus fuisse legem et prophetas dicere possumus, quibus quasi quibusdam oculis pietatis suæ de cœlo super terram aspexit, quando per legem et prophetas humanæ cæcitatis et ignorantiæ tenebras illuminare cœpit. Sed et isti oculi nihilominus *caligaverant*, quia paucissimi exstiterunt qui ea, quæ de Christo erunt, aut in lege aut in prophetis, ipso etiam apparente aut videndo prout justum esset crederent, aut credendo prout justum erat diligerent. Unde apte sequitur:

Nec poterat videre lucernam Dei, antequam exstingueretur. Lucerna dicitur quæ in se continet lumen. Et ideo non incongrue per *lucernam* humanam naturam in Deum assumptam æstimo intelligendam. Sicut enim lumen in lucerna, sic divinitas latuit et abscondita erat in assumpta humanitatis forma. Sed hanc lucernam verus Heli Deus omnipotens *videre non poterat antequam exstingueretur*, hoc est antequam Unigenitus ejus homo factus pro homine, sicut homo moreretur pro homine. Quod dictum est: *Non poterat videre lucernam Dei, antequam exstingueretur*, non ita intelligendum est quod aliquid fuerit, quod Deus omnipotens, cujus nutu cuncta subsistunt, non potuerit. Impotentia ejus erat justitia ejus. Videre, id est diligere humanam naturam non potuit, quia non debuit. Justum namque non erat ut a Deo homo diligeretur, quandiu originalis culpa criminis obnoxius teneretur. Sed postquam exstincta est lucerna, postquam inobedientia hominis per obedientiam Filii Dei deleta et evacuata est, tunc prior illa impotentia Dei mutata est ad potentiam. Placatus enim per mortem Filii sui, diligere humanam naturam potuit, quia jure debuit, quam ante diligere nec potuit nec debuit. Triginta annis et eo amplius homo inter homines conversatus est. Sed nequaquam hoc ad perfectam salutem perdito homini sufficere potuit, quousque exstinctus est, quousque in morte occubuit. Sed antequam omnia ista fierent in re, quæ adhuc fuisse diximus in prædestinatione, *Samuel*, prout sequens ait Scriptura:

604 *Dormiebat in templo Domini, ubi erat arca Dei.* In principio lectionis, ubi præfigurabatur mysterium incarnationis Filii Dei, appellatus est *puer Samuel*, hic vero, ubi sola divinitatis illius celsitudo, in qua æqualis est Patri et Spiritui sancto, insinuatur, non puer, sed *Samuel* tantum nominatur. *Samuel*, inquit, *dormiebat in templo Domini, ubi erat arca Dei.* Per *arcam Dei* divinitas Dei Patris, per *Samuelem*, sicut prædictum est, coessentiva Patri majestas Filii Dei; per *templum Domini* coæterna Patri et Filio essentia Spiritus sancti.

In templo Domini, ubi erat arca Dei, Samuel dormiebat, quia in æternitate sua cum Patre et Spiritu sancto æternaliter requiescebat. Sed quia non Patris, non Spiritus sancti, sed Filii persona dispensationem redemptionis humanæ suscipere debuit, quomodo ab æterno, et ante tempora ad perficiendam eadem redemptionis nostræ dispensationem Deus Pater Deum Filium vocaverit et ordinaverit, ostendit sequens Scriptura, quæ dicit:

Et vocavit Dominus Samuel. Qui respondens ait: Ecce ego. Et cucurrit ad Heli et dixit: Ecce ego: vo-

casti enim me. Qui dixit : Non vocavi; revertere et dormi. Et abiit et dormivit. Sicque factum est per ter.

Prima Domini vocatio erat illa Dei Patris et Spiritus sancti, quæ ante tempora facta est, incarnationis Christi prædestinatio. Secunda vocatio temporalis erat, quæ facta est ante legem in typo Abel, in arca Noe, in immolatione Isaac filii Abrahæ. Nam quid præfigurabat arca Noe, quæ inundantibus aquis diluvii submergi non poterat, nisi sanctam Christi carnem, quam inundans super genus humanum originalis et actualis unda criminis non contigerat? Vel quid erat Abel occisio, Isaac immolatio, nisi quædam futuræ passionis Christi vocatio, ut ita dixerim, et præfiguratio? Tertia vocatio facta est sub lege, quia quidquid in cæremoniis legalibus fiebat, hoc totum **605** erat quasi quædam vocatio, quæ futuram Christi incarnationem et passionem prætendebat.

Nec prætereundum quod sicut tres in verbis, quæ præmisimus, Dei Patris habemus vocationes, sic etiam tres invenimus in eis Filii Dei ad Patrem responsiones. In prima vocatione, quæ facta est in æternitate, legimus quod responderit, quod cucurrerit, quod ad obediendum vocantis voluntati Patris summa se devotione obtulerit. *Ecce ego*, inquit, *vocasti enim me.* Sic in secunda, sic in tertia vocatione semper idem respondit, dicens : *Ecce ego, quia vocasti me; ecce ego, quia vocasti me.* Responsio et cursus iste nihil aliud erat, ut æstimo, nisi prompta voluntas et fervens dilectio, quam semper et ante tempora, et in tempore, ante legem, et sub lege habebat ad obediendum Deo Patri in redemptionem generis humani. Dicere autem Heli ad Samuelem primo, secundo et tertio : *Non vocavi te, fili mi. Revertere et dormi*, moram illam exprimebat, quæ singulis illis temporibus, tempori videlicet ante legem, tempori sub lege intercesserat, in quibus Unigenitus Dei ad redemptionem generis humani venire non poterat, differente hoc Deo Patre in tempus opportunum, in tempus ante tempora præfinitum. Singulis namque temporibus offerebat se Filius Deo Patri in redemptionem generis humani, dicens propter magnam dilectionem, quam habebat ad hominem : *Ecce ego, quia vocasti me.* Ille vero ait quodam modo : *Non vocavi*, hoc est nondum erit in re, quod in æterna prædestinatione mea tecum disposui super salute generis humani.

Revertere et dormi. Reverti jubebat, quem necdum ad salvandam humanam naturam hominem fieri volebat. Sed quod ista reversio, ista humanæ reparationis dilatio nequaquam Filium turbaverit, quod in nullo dulcedinem sempiternæ quietis suæ, quam cum Patre et Spiritu sancto æternaliter habebat, mutaverit vel minoraverit, sequenti verbo ostendit Deus Pater, cum dicit : *Dormi.* Ac si dicat: In mea æternitate, coæterne mihi Fili mi, mecum requiesce, **606** quia nondum tempus est, ut vo-

A luntas tua impleatur, ut humana per te natura redimatur. Sequitur

Porro Samuel necdum sciebat Dominum, neque revelatus fuerat ei sermo Domini. Omnia, quæ sciebat Pater, quæ sciebat Spiritus sanctus, sciebat etiam Filius. Sciebat quidem Dominum secundum divinitatis suæ excellentiam, sed *necdum sciebat* eum per humanæ naturæ experientiam. *Neque revelatus ei fuerat sermo Domini. Sermo Domini*, qui super salute generis humani in secretissimo sanctæ Trinitatis consilio factus fuerat, revelatus quidem ei erat in prædestinatione, sed *revelatus ei nondum fuerat* in operis consummatione, quia nondum homo factus erat, nondum morte sua hominem redemerat. Evoluto tempore, quod erat ante legem, B evoluto tempore, quod erat sub lege, tempus gratiæ successit, in quo tandem Deus Pater per Filium suum impleri voluit, quidquid in æternitatis suæ prædestinatione cum eodem Filio suo et Spiritu sancto super redemptione lapsi hominis cogitavit et disposuit. Unde et sequitur :

Et venit Dominus et stetit; et vocavit, sicut vocaverat secundo : Samuel, Samuel. Et ait Samuel : Loquere, Domine, quia audit servus tuus. Ac si dixisset : *Loquere, Domine.* Nam tuum loqui, tuum est operari, tandem per me Filium tuum, Pater clementissime, tuæ miserationis operatio consummari faciat, quidquid pietatis tuæ clementia super perdito homine ab initio mecum præordinaverat. C *Loquere, Domine, quia* Filius tuus secundum divinitatem, *audit*, hoc est obaudit paternæ voluntati tuæ fieri *servus tuus* secundum humanitatem.

Et dixit Dominus ad Samuelem : Ecce ego facio verbum in Israel, quod, quicunque audierit, tinnient ambæ aures ejus. Magnum Deus Pater verbum fecit in Israel, quando Unigenitum suum misit in mundum, quando per mortem Filii mortem destruxit servi. *Quod quicunque audierit, tinnient ambæ aures ejus.* In tinnitu ambarum aurium, arbitror, quod timor et amor **607** Dei satis convenienter possit intelligi. Nam antequam Verbum caro fieret, antequam Deus immortalis mortalitatis nostræ miserias in se susciperet, una tantum auris hominis tinniebat, quia Deum tantum sicut Creatorem ti- D mebat. Sed postquam Deus homo factus est, *ambæ aures*, auris videlicet timoris et amoris tinnire cœperunt, quia tunc primum homo Deum, quem tantummodo sicut Creatorem prius timuit, timere et amare, timere, inquam, sicut Creatorem, amare sicut Redemptorem didicit. Non enim magnopere dilectio pertinuit ad creationem, sed ad redemptionem. Nam nihil homini creatio profuisset, nisi redemptio accessisset. Sed et ideo Deus omnipotens magis pro recreatione quam creatione amari debuit. Nam quod hominem creavit, in hoc non laboravit, multum vero laboravit, quando eum recreavit. Ibi non solum multa abjecta, sed etiam multa ignominiosa pertulit, ibi ipsam ad ultimum

ignominiosæ mortis pœnam experiri voluit. Unde consequenter, quasi ex ipsius persona Filii subjunxit Scriptura et ait :

In die illa suscitabo adversum Heli omnia, quæ locutus sum super domum ejus. In *Heli* Deum Patrem intelligendum diximus; in Heli ipsum Filium secundum divinitatem suam intelligere possumus; *in domo autem Heli* accipiatur humana natura, quam suscepturus erat in se Filius Dei. Per *omnia* illa, quæ in æternitatis suæ dispositione super eamdem domum Heli, super eamdem domum Dei Patris locutum se fuisse dixit, universas, quantum mihi videtur, necessitates et miserias mortalitatis nostræ figuraliter expressit, quas in carne sua pro humani generis salute pati voluit. Ista omnia suscitavit ipse adversum se, non in die æternitatis, sed in die susceptionis humanitatis (nam in divinitate nulla ei passibilitas accedere potuit), quia sic ipse voluit.

Nec prætereundum quod suscitaturum se omnia ista dixit *adversum Heli*. In Heli intelligi potest, sicut diximus, divinitas Patris, divinitas ipsius Filii, divinitas Spiritus sancti. Igitur bene dictum est : *Suscitabo adversum* **608** *Heli omnia quæ locutus sum super domum ejus.* Nam quod homo factus, quod homo inter homines conversatus est, et quæcunque pertulit in assumpta humanitate, omnia fuerunt *adversum Heli*, quia omnia adversa fuerunt divinitati. Sed quia prævidit sine his omnibus humanam naturam salvari non posse, subjecit et ait :

Incipiam et complebo. Ac si diceret : *Incipiam* homo pro homine nascendo, *complebo* homo pro homine patiendo et moriendo.

Prædixi enim ei, quod judicaturus essem domum ejus in æternum propter iniquitatem, eo quod noverit indigne agere filios suos, et non corripuit eos. Quantum conjicere valeo, videtur mihi quod hoc in loco per *domum* possit intelligi humana natura, quæ cœpit in Adam et Eva, quæ habitaculum Dei altissimi dici et esse debuisset, si in honore, ad quem condita erat, perstitisset. *Iniquitas*, quæ in domo illa fiebat, prævaricatio et inobedientia ipsorum erat. Ergo quod ait : *Prædixi enim quod judicaturus essem domum ejus in æternum propter iniquitatem*, idem est ac si dixisset, *prædixi* ante tempora, *prædixi* in tempore, promisi per legem, promisi per prophetas, ut per incarnationem meam mundum visitarem, *ut domum Heli*, humanam videlicet naturam, *propter iniquitatem* paternæ transgressionis damnatam, et *judicarem*, et judicium ipsius ipse portarem.

Sed unde mihi hoc? *Eo videlicet quod noverat indigne agere filios suos et non corripuit eos.* Possumus dicere quod *duo filii* veri Heli fuerint duo primi parentes nostri, qui tunc profecto *indigne agebant*, quando seducti fraude maligni per inobedientiæ malum a Deo reciderunt. Istud indigne agere eorum, *noverat* Deus *Pater*, antequam fieret, *et non corripuit eos. Non corripuit*, quia fieri per-

A misit. Corripuisset quodammodo, si fieri non permisisset. Sed quia *non corripuit*, hoc est, quia occulto judicio suo fieri permisit.

609 *Idcirco juravi*, ait Dominus, *domui Heli, quod non expietur iniquitas domus ejus victimis et muneribus usque in æternum.* Ac si diceret : Quia tantum est malum prævaricationis eorum, quod per hoc totum genus hominum cum ipsis descendit ad interitum, idcirco juravi, *idcirco* in æternitatis meæ dispositione cum Patre meo et Spiritu sancto hoc firmavi, *quod non expietur iniquitas domus ejus*, quod est humana natura, *victimis et muneribus*, legalibus videlicet cæremoniis et observationibus, nisi ipse ego homo pro homine factus fuero, atque per mortem meam mortem illorum destruxero.

B *Dormivit autem Samuel usque mane, aperuitque ostia domus Domini.* Dormitio Samuel usque mane præfiguravit, sicut paulo ante dictum est, quietem illam, quam habuit noster Samuel, Filius utique Dei, cum Patre et Spiritu sancto in æternitate. Sed tunc quodammodo quasi mane evigilavit, quando homo factus, a quietissima tranquillitate æternitatis ad labores nostræ mortalitatis descendit. *Aperuit ostia domus Domini.* Per *ostia domus Domini* Vetus et Novum Testamentum potest intelligi, quorum utrumque *ostium domus Domini* non injuste appellatur, quia per illorum observantiam domus Domini, quod est regnum cœlorum, intratur. Duo hæc *ostia* tunc *aperuit*, quando legalibus et evangelicis

C præceptis hominem docuit, quomodo per bonæ vitæ meritum diu interclusum cœlestis patriæ introitum promereri posset. Sed et alia duo *ostia domus* Domini in diebus carnis suæ *aperuit* Filius Dei. Aperuit ostium innocentiæ, aperuit et ostium pœnitentiæ, quæ vere duo ostia sunt, quæ homini cœlestis regni aditum pandunt. Ostium innocentiæ aperuit in baptismate, ubi culpa evacuatur, et innocentia redonatur. Post ostium innocentiæ aperuit ostium pœnitentiæ, ut si suscepta per baptismum innocentia corrumperetur, subsequentis pœnitentiæ ac satisfactionis remedio purgaretur. Sequitur post hæc :

Et Samuel timebat indicare visionem Heli. Quæ erat visio ista? Totum **610** utique quod vidit in

D humano genere. Denique humanæ naturæ dolorem et miseriam, quam pridem viderat per potentiam divinitatis, tunc per experientiam humanitatis videre cœpit, quando universos dolores nostros præter solum peccatum in se suscepit. Vidit grandia et innumerabilia humani generis peccata, vidit quotidie electorum suorum animas ad infernum descendere. Sed *timebat indicare visionem Heli.* Ex quo factus est homo, semper erat in timore per misericordissimæ compassionis affectum, quam habuit super humani generis perditione. Sic enim prædixit propheta de illo, dicens : *Et requiescet super eum spiritus timoris Domini* (*Isa.* xi, 2). Timebat itaque Dominum non pro se, sed pro nobis, timebat non pro suis, quæ nulla erant, sed pro nostris peccatis, quæ

magna et innumerabilia erant. Sed et hoc timebat, quia propter magnitudinem scelerum redemptionem generis humani protrahi et differri videbat. Sic enim ipse de se in quodam Evangelii loco testatur dicens : *Baptismum habeo baptizari, et quomodo coarctor, ut perficiatur* (*Luc.* XII, 50). Baptismus iste passio Christi fuit, ubi noster baptismus cœpit. Coarctabatur utique in timore ut baptismus iste perficeretur, ut per crucem et sanguinem suum humana natura redimeretur. *Sed necdum indicavit Heli.* Indicare illius fuit mori illius. Et quia tempus passionis et mortis ejus nondum advenerat, ubi peccata nostra Deo Patri ita recensenda erant, quod prorsus delenda erant, recte dicitur, quod timeret indicare visionem Heli. Ubi autem Deus Pater, imo ipse Filius se ipsum ad passionem vocavit, ibi vere impletum est, quod post pauca Scriptura subjungit dicens :

Indicavit itaque ei Samuel universos sermones, et non abscondit ab eo. Tunc vere indicavit Samuel Heli universos sermones, quando Unigenitus Dei seipsum in ara crucis pro peccatis omnium fidelium suorum obtulit Deo Patri.

611 HOMILIA LXIII.

IN DOMINICAM III POST PENTECOSTEN PRIMA.

Erant appropinquantes ad Jesum publicani et peccatores, ut audirent illum (*Luc.* XV).

Septem istæ Dominicæ, quas nunc celebramus, septem illis diebus, in quibus Deus cœlum et terram creavit, satis in mysterio, ut mihi videtur, congruere et concordare videntur. Ibi, quid die tertia Dominus fecerit vel dixerit, legimus, et factum illud diei tertiæ huic Dominicæ tertiæ et Evangelio congrue satis aptari potest. Dixit die tertia Deus : *Congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt in locum unum, et appareat arida. Et vocavit Deus aridam terram, congregationesque aquarum appellavit maria. Et vidit Deus quod esset bonum, et ait : Germinet terra herbam virentem, et facientem semen, et lignum pomiferum, cujus semen in semetipso sit super terram. Factumque est ita. Et vidit Deus quod esset bonum. Factumque est vespere et mane dies tertius* (*Gen.* I, 9-13).

Congregantur, ut mihi videtur, aquæ in locum unum, quando homo, ad vitam æternam prædestinatus, vagas et fluxas cogitationes suas, quæ per aquas hic accipi possunt, in unum locum, id est infra cor suum ad se inter se colligit, et in quibuscunque peccavit, coram Domino sibimetipsi displicere adversus seipsum consurgendo incipit. Congregatis aquis, hoc est collectis cogitationibus hominis intrinsecus, quid nisi appropinquantes sunt ad Jesum publicani et peccatores? Sed non congregantur aquæ, nisi præcedat dicere Dei. Dicere Dei est facere ejus. Ille etenim est qui mirabiliter operatur, quod homo seipsum potest recognoscere, et in vera cognitione se ipsum deflere, atque punire. Tunc utique apparet arida, quia jam arescere et contabescere a peccatis incipit, in quibus prius
A magnum succum et delectationem habere visus est.

612 *Et vocavit Deus aridam terram.* Arida enim terra nominatur, quando homo in carne sua arefactus a peccatis, spiritum suum novit per pœnitentiæ lamenta conterere, et corpus per exterioris satisfactionis studium exercere. Sicut enim terra idcirco teritur et scinditur, ut fructus uberes afferat, sic necesse est ut homo beatus vomere pœnitentiæ et satisfactionis in terra sua ita scindatur et conteratur, ut Deo dignum fructum de semetipso offerre queat.

Congregationesque aquarum appellavit maria. Ille homo, qui aquas, id est fluxas et vagas cogitationes suas, ut maneant intra se, congregaverit, et seipsum veraciter peccatorem esse recognoscit, bene
B *congregationes aquarum appellavit maria. Mare* enim dictum est ab amaritudine. Et bene per *mare* cor per pœnitentiam amaricatum accipi potest. Dum enim homo pristinas conversationis suæ vias intuetur, et solerter considerat, totum quod fecit, et in quibuscunque deliquit, totum sibimet in amaritudinem quamdam et dolorem convertit. Quo facto, videamus quid sequitur :

Et vidit Deus quod esset bonum. Videre Dei est diligere Dei. Talem namque hominis profectum videt, quia approbat, diligit et ait : *Germinet terra herbam virentem.* Germinat terra herbam virentem, quando homo virorem et germen bonorum operum profert. Semen facit, quando interius collustratus, aliis exemplum bonæ conversationis, perfectæ hu-
C militatis et patientiæ suæ demonstrat, ut, qui prius male vivendo aliis erat destructioni, jam bene vivendo sit ædificationi. Lignum quoque pomiferum erit, quando, qui 613 prius invalidus fuit in voluntate et scientia, validus jam et fortis et in voluntate et in scientia consistit.

Sed inter hæc necesse est ut *semen sit in semetipso super terram.* Quid est semen in semetipso esse, nisi pro bonis actibus laudem ab ore proximorum non quærere? Cujus etenim semen in semetipso non est super terram, sed temporales favores appetit, is profecto, cum hinc de terra in morte tollitur, in futura vita nihil de mercede invenit, sicut etiam de talibus ipse Dominus ait : *Amen dico vobis, recepe-*
D *runt mercedem suam* (*Matth.* VI, 2). Hinc est quod veniente Domino ad nuptias fatuæ virgines de exstinctis lampadibus suis conqueruntur et a nuptiis excluduntur, quia, dum laudes humanas affectabant, lumen sanctæ operationis, quo coram Domino lucere debuissent, exstinctum invenerunt.

Hæc idcirco dixi, quia, ut video, evangelicæ lectioni multum concordant, et quicunque ordine isto progrediuntur, bene ad Jesum, id est salutare suum, Christum, vel ad Jesum, hoc est ad salutem animæ suæ appropinquant. Idcirco enim nunc Deo appropinquamus per bonam conversationem, ut in cœlo ejus æternitati appropinquantes æternam ab eo mereamur remunerationem percipere.

Qui vero sunt appropinquantes illi nisi duo po-

puli, *publicani et peccatores?* Per *publicanos* illi accipi possunt, qui publice in sæculo peccaverunt, et quorum peccata in notitiam aliorum devenerunt; per *peccatores* vero illi, qui non in aperto peccaverunt, et tamen de peccato se excusare nequeunt. *Omnes* enim, ut ait Apostolus, *peccaverunt, et egent gloria Dei* (*Rom.* III, 23). Sive enim simus publicani sive peccatores, omnes misericordia Dei indigemus. Cur, quæso, isti appropinquant ad Jesum? Nimirum, *ut audiant illum.* Ex verbis enim quæ audiunt, admonentur, ut recogitare et rememorari incipiant quam male et quam perdite vixerint. Audiunt etiam in mandatis ejus qualem pœnitentiæ et satisfactionis modum tenere debeant. Discunt quoque ibi **614** quidnam sit quid Conditori suo placeat, sive quid displiceat. Sed quia quanto vigilantius homo Deo appropinquaverit, tanto magis a malignis spiritibus impugnatur, recte tentationes illorum denotantur, cum protinus subinfertur:

Et murmurabant Pharisæi et Scribæ dicentes: Quia hic peccatores recipit, et manducat cum illis. In murmure isto occultæ tentationes accipi possunt, quas adversarii nostri die noctuque submittunt. Per hos Pharisæos et Scribas duæ quædam tentationes, ut æstimo, possunt designari, quibus nonnunquam homines conversos maligni spiritus solent circumvenire. Quando enim homo ad conversionem venit, submurmurant, id est immittunt tentando hostes illi invisibiles, ut more Pharisæorum ab aliis divisus, singulariter et privatim vivere incipiat, et majora ac sanctiora, quam communis monasterii regula exigat, arripere audeat, et ob hoc se sanctiorem, et Deo acceptiorem præ aliis se esse existimet.

Sunt vero e contra alii, qui more Scribarum præ cæteris doctiores volunt videri, et ob hoc alios plerumque dedignantur et despiciunt. Istis duabus tentationibus nonnunquam spiritales impugnantur. Nam, ut a Deo, cui se totos devoverunt, per aperta flagitia recedant, maligni spiritus impossibile dijudicant et ideo talia submurmurant, istis, dico, occultis tentationum aculeis insequuntur, et invisibiliter dolentes dicunt: *Quia hic peccatores recipit, et manducat cum illis.* Dedignantur etenim et dolent quod illos, quos tanquam proprios servos possidebant, per misericordiam Dei amiserunt. Et tamen, ut ita dicam, aliquantum mitius hoc tolerarent, si hoc, quod sequitur, per infinitam misericordiam ejus cum peccatoribus fieri nescirent. Dolent quidem, quod clementer suscipit peccatores, sed cum *manducare* non dedignatur *cum eis*, tale est opus, talis est misericordia, unde prorsus cruciantur et sauciantur intrinsecus. Manducat quippe cum peccatoribus suis, quando illis dignanter conjungitur præstando et concedendo eis, ut et illi intra se manducationem **615** ei faciant mundis et sinceris cogitationibus, bonis et sanctis desideriis, dulci orationis frequentia, nonnunquam digna pœnitentiæ satisfactione, ita ut iste in eis delectetur et jucundetur, et illi econtra de multiplici gratia ejus consolari et recreari mereantur. Inde fit

A plerumque quod ex hac interiori dulcedine ita recreantur et animantur, ut etiam ad mensam altaris ad sacrosanctum corpus Dominicum manducandum accedere præsumant, quod vere signum est interioris dulcedinis et gratiæ, quam nos si digni essemus, oporteret cum Deo habere. Murmurantibus inter hæc contra nos Pharisæis et Scribis, quomodo resistere debeamus, sequenti nos Dominus docet parabola.

Quis ex vobis, inquit, *homo, qui habet centum oves.* Verbum istud, *quis*, non est forte putandum superflue et inepte dictum esse. Quidquid enim æterna illa Sapientia dixit, totum grande, totum magni ponderis fuit. Cujus utique verba, ubi eo donante, intelligimus, gratias agamus; ubi vero minime a nobis intelligi possunt, sciendum tamen nihil ponderosius, nihil B melius esse, ubi ille aperuit os suum et docebat. Totum enim quod Moyses, quod prophetæ locuti sunt, bonum erat; attamen ut homo Moyses, quamvis sancta diceret, non mundus per omnia, sed pollutus labiis erat. *Quis ex vobis*, inquit, *homo?* Quandiu in peccatis homo vivit, quasi nullus est, quia ad verum esse non tendit. Totum autem, quod Deus in homine creavit, totum bonum est, quemadmodum scriptum est: *Et vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona* (*Gen.* I, 31). Totum igitur bonum est. Sed id quod ex se homo habet, id est peccata, nihil est. Peccatum enim nihil est nisi privatio boni. Quod cum homo cognoverit et a peccatis resipiscit, fit *quis homo*, id est aliquis homo, qui prius dum C peccaret, nihil, ut diximus, erat.

Nec prætereundum quod ait: *Quis ex vobis.* Idem enim est ac si dicat: *Ex vobis* Pharisæis et Scribis, id est malignis spiritibus, ille *quis homo* non est quia jam bonus et laudabilis effectus est, **616** et a vobis recessit. Vel *ex vobis* publicanis et peccatoribus non est, quia jam peccator esse desiit, et se a vobis separavit et alienavit. Sed ille *quis homo, qui habet centum oves, si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deserto, et vadit ad illam quæ perierat?* Quando homo nascitur, nequaquam *centum oves habet*, id est perfectam innocentiam, quæ per *centum oves* accipi potest, quia in peccatis conceptus et natus est. Regeneratus autem per baptismum *centum oves* possidet, quia et originalia et actualia peccata perD fecte ei dimittuntur, et perfectæ innocentiæ donatur. Sed quia pene nullus est homo, qui innocentiam, quam in baptismate suscepit, ita immaculatam et integram, ut deberet, custodiat, pulchre dicitur: *Et si perdiderit unam ex illis*, id est si in aliquo peccato capitali lapsus fuerit, et innocentiam suam perdiderit, *nonne dimittit nonaginta novem in deserto?* id est si qua sunt in eo bona, dimittere debet, quia pro magno non debet habere, sed *dimittere in desertum*, hoc est ita se semper debet respicere, quasi eum Deus deseruerit, et se Deum turpiter peccando deseruisse et contempsisse, *et vadere ad illam quæ perierat, donec inveniat illam*, id est donec per veram pœnitentiam ad veram redeat innocentiam.

Et cum invenerit illam, imponit in humeros sua

gaudens. Quia in humero portantur onera, bene per A *humeros* exteriores labores possunt accipi. Inventa itaque et restituta innocentia humeris imponi debet, quia nunquam labor noster et satisfactio intermitti debet. Non enim semel vel bis, sive annum pœnituisse sufficit, sed toto tempore vitæ nostræ in vere humili et perfecta pœnitentia oportebit nos perdurare.

Et notandum quod ait : *Gaudens*, quia corporalis hujus exercitationis laborem cum gaudio portare debemus, non ex tristitia, id est non propter timorem gehennæ, aut necessitate, ut inviti et coacti, sed gaudenter et hilariter : *Hilarem enim*, ut Apostolus ait, *datorem diligit Deus* (*II Cor.* IX, 7). Et Psalmista : *Voluntarie*, inquit, *sacrificabo tibi* (*Psal.* LIII, 8).
617 Quod et ipsum beati et spiritales quique, quibus datum est nosse mysterium regni Dei, agere parati sunt, quia, qui spiritalia intelligunt, ad implenda spiritalia nequaquam hebetes et negligentes sunt. Unde videmus quod pœnitentia illa sæcularium hominum, quam foris ostendunt, non ex gaudio, non in veritate, sed magis necessitate fiat, dum peracta publica pœnitentia ad priora iterato reversi, pejora prioribus admittunt. Pœnitentia igitur justorum, quia assidua esse debet, et labor continuus, bene in oratione hodierna orant et supplicant Deum *protectorem in se sperantium, sine quo nihil est validum*, ut minus per se validis supernum mittere dignetur laborantibus auxilium.

Igitur vere pœnitens *inventa*, sicut diximus, ove, C *domum veniens, convocat amicos et vicinos, dicens : Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat.* Domum redire est ad cor et conscientiam venire. Illi enim felices, qui internæ dulcedinis gratiam habere appetunt, crebro domum redeunt, quia, quid intrinsecus lateat, quid agatur, quid versetur, scire volunt, et quanto subtilius seipsos discutiunt, tanto dulcius habent pro Domino laborare. Econtra qui ad exteriora vagantur, et domum suam, id est conscientiam suam, visitare pigri sunt, non in gaudio, sed in mœrore et tristitia labores suos portabunt. Bene autem, dum domum reditur, *amici et vicini convocantur*. *Amici* dicuntur qui mutua inter se dilectione constringuntur, *vicini* qui juxta nos positi sunt. In amicis et vicinis istis corporales exer- D citationes possunt accipi. Hos *amicos et vicinos* homo tunc *convocat*, quando in interiori homine aliquando compunctus cunctorum dolorum laborumque suorum, quos pro Domino passus est, ita dulciter reminiscitur, ut eis miro modo congaudere incipiat, et eosdem labores sive afflictiones suas veluti *amicos* charos habeat, veluti *vicinos* prope se stringat, sciens quod per exteriores exercitationes ad interiores tendat consolationes. Sicque in hæc prorumpit verba, *congratulamini mihi*. Hæc verba **618** verba sunt hominis seipsum ad conservanda bona opera sua exhortantis, ut videlicet ea bona, quæ se egisse meminit, in humilitate conservet, ne favore aliquo perdat, quia tunc ei in vita æterna congratulabuntur. Et est quasi dicat ad se ipsum : Si pro bonis actibus humanos favores non quæsiero, sed ea in humilitate conservavero, gratulabor de eis, et ipsi mecum gratulabuntur in vita æterna, quod est quasi dicere, *congratulamini mihi*. Et tunc vere *ovem meam inveni*, quia, ut de Dei misericordia spero, per pœnitentiam et satisfactionem innocentiam meam recepi.

Postquam hoc modo homo exterior ovem suam invenerit, humeris imposuerit, et domum venerit, quale gaudium talis peccator et pœnitens faciat, Dominus nos docet. *Dico*, inquit, *vobis quod ita gaudium erit super uno peccatore pœnitentiam agente*. *Dico*, inquit, *vobis*, ego qui sum immutabilis veritas, ego veritatem dico vobis. Quid dico vobis? Dico B vobis *quod ita*, et non aliter, sed hoc modo, hoc ordine *gaudium erit super uno peccatore* per pœnitentiam ad innocentiam redeunte, *quam*, id est et non *super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia.* Ibi quippe gaudium erit de reparata per pœnitentiam innocentia, hic gaudium est de conservata justitia, quæ *non indiget pœnitentia.* Verbum hoc *quam* pro *et non* ponitur, sicut est illud in psalmo : *Bonum est sperare in Domino, quam sperare in principibus* (*Psal.* CXVII, 9), id est et non sperare in principibus. Ergo, quia homo ex duobus, corpore videlicet et anima, constat, ideo duas Dominus similitudines proposuit. Et licet præcedens similitudo satis emineat, tamen, ut video, hæc sequens similitudo eminentior et dignior exstat, quia ad interioris hominis suavitatem spectat, quam sic proponit dicens :

Aut quæ mulier habens drachmas [cod. *dragmas*] *decem*. Per mulierem hanc, emollitam per Dei gratiam animam accipe, quæ fit *quæ*, id est aliqua mulier bona sectando, quæ priùs quasi nulla coram Domino erat peccando. *Habens*, inquit, *drachmas decem*. Dicerem, in **619** decem drachmis decem præcepta posse designari, si una perdita non obstaret. Potest autem in decem drachmis intelligi, quod et per septem filios et tres filias Job intelligitur. Denarius numerus, qui septem et tribus constat, mysticum aliquid innuit. Quid enim per septem nisi dona Spiritus sancti, quid per tres nisi fides, spes et charitas accipitur? Has *decem drachmas* mulier, id est anima a Deo emollita possidet, quando dona Spiritus sancti cum tribus virtutibus, fide, spe et charitate obtinet.

Sed quia difficile est, et paucorum est in donis Spiritus sancti et tribus virtutibus ita posse eminere, nisi aliquando subtrahantur, drachma *una*, ut mihi videtur, *perditur*, cum levi adversitate emergente charitas Dei ac proximi amittitur. Qua perdita *accendat* necesse est anima *lucernam* suam, id est exstinctum lumen geminæ dilectionis accendat per doctrinæ illuminationem, *evertat domum*, id est sordes peccatorum ejiciendo per cordis emundationem, *quærat* diligenter per mentis contemplationem.

Et vere diligenter quærere debet, quia in mentis contemplatione talis est adhibenda diligentia, ut non solum malarum, sed et illarum quæ alio tempore non obsunt cogitationum procul omnis amoveatur circumstantia. Ad hunc sensum iterum nos ducit Oratio hodierna, quia sicut sine protectore et adjutore nostro Christo in corporali exercitatione nihil est validum, ita sine eo in mentis contemplatione *nihil est sanctum;* quia et rector noster esse debet in bonis operibus, dux in bonis et sanctis desideriis.

Inventa itaque drachma *convocat amicas et vicinas, dicens : Congratulamini mihi, quia inveni drachmam meam.* Amicæ et vicinæ istæ sunt, ut æstimo, virtutes animæ, quas mulier ista, id est beata anima
620 in illo gustu divinæ præsentiæ cœlitus illapsas percipere meretur, de quarum amicitia et vicinitate gratulatur dicens : *Congratulamini mihi.*

Ac si homo interior se ipsum pro conservandis virtutibus exhortetur et dicat, si de amicis et vicinis meis, id est, de virtutibus quadam mihi dilectione conjunctis et astrictis, non in me, sed in Domino gloriari voluero, gratulabor de eis, et ipsæ gratulabuntur mecum in æterna retributione, quod est quasi dicere, *congratulamini mihi.* Et tunc vere drachmam meam inveni, quia interiorem cordis mei gratiam, quam perdideram, Deo miserante recepi.

Sic et sic accensa lucerna, eversa domo, quæsita diligenter et inventa drachma iterum, quod *ita*, et non aliter gaudium fiat, Dominus affirmat : *Ita*, inquiens, *dico vobis, gaudium erit coram angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente.*

Quid est quod in superiore similitudine gaudium *in cœlo* fieri super uno peccatore pœnitentiam agente dicitur, hic vero *coram angelis Dei?* Per cœlum nonnunquam in sacro eloquio præsens Ecclesia designatur, in quo cœlo fit gaudium, quotiescunque coram Ecclesia aliquis peccator convertitur. Istud vero gaudium animæ, quod fit intrinsecus, cum ipse Dominus venire dignatur ad animam, fit solummodo *coram* eo et *angelis ejus.* Sunt quippe angeli hujus mutui amoris conscii, et fideles paranymphi, discurrunt medii inter sponsum et sponsam, hinc animæ vota Deo offerentes, illinc de superis dona magnifica reportantes.

His omnibus Deo adjuvante in electis suis consummatis et perfectis fit *vespere et mane dies tertius.* Per *mane* cognitio Dei, per *vesperam* cognitio sui accipitur. Seipsum enim
621 homo, qualis sit, cognoscere potest, et ex suimet cognitione ad veram Conditoris cognitionem pertingere. Et in hoc vespere et mane tertia dies erit, quia ad sanctæ Trinitatis cognitionem, quantum fas est mortalibus, admittitur. Fit quoque tertia dies, quando et in verbis et in operibus, sive cogitationibus suis ita se metiri et custodire novit, ut ad noxia et inutilia quæque nolit redire.

Ad hæc spectat lectio, in qua Petrus hortatur
A dicens : *Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis* (*I Petr.* v, 6). Humiliari primum debet homo per satisfactionem, quæ fieri non potest nisi per veram cordis humilitatem, et qui sic humiliatur in exterioribus, exaltatur procul dubio *in tempore visitationis* interius. Quæ enim major exaltatio esse poterit, quam ut homo cinis et pulvis de interiori dulcedine aliquid gustare mereatur?

Unde et merito oramus ut ille qui protector est in se sperantium, *multiplicet super nos misericordiam suam.* Vere enim est misericordia ejus, quando homo peccata deserere, et ad Deum
622 converti potest. *Multiplex* vero *misericordia* ejus est, quando isdem peccator ad interiorem illam gratiam, quæ
B indicibilis est, admittitur.

Qui et rector et dux noster esse debet, rector in exterioribus, dux in interioribus, *ut sic transeamus per bona temporalia, ut non amittamus æterna.* Temporalia bona, per quæ transire optamus, non aurum, non argentum, non lapides pretiosi sunt aut aliquid rerum visibilium, sed temporalia bona nostra sunt et exterioris hominis pœnitentia, et interioris hominis dulcedo et gratia, ad quam suspiramus, quam interim, donec in via sumus, comitem habere desideramus, et sic habere optamus, ut non amittamus æterna, quia si hic laudem temporalem pro illa recipere quærimus, sempiternam amittemus.

Ad hanc igitur humilitatem et exaltationem, de
C qua diximus, perducat nos Dominus noster Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

623 HOMILIA LXIV.

IN DOMINICAM IV POST PENTECOSTEN PRIMA.

Estote ergo misericordes, sicut et Pater vester cœlestis misericors est (*Luc.* vi).

Quarta hæc Dominica, in qua non in parabolis, sicut in tribus illis præcedentibus Dominicis, sed manifesto et lucido sermone discipulos suos docuit Dominus quartæ diei illi non injuste comparatur, in qua primum Deus Pater solem, lunam stellasque creavit, quibus reliquam creaturam suam illuminavit et decoravit. Sic enim de die illa legimus : *Dixit autem Deus : Fiant luminaria in firmamento cœli, et*
D *dividant diem et noctem, et sint in signa, et tempora, et dies, et annos. Ut luceant in firmamento cœli, et illuminent terram. Et factum est ita. Fecitque Deus duo luminaria magna, luminare majus, ut præesset diei, et luminare minus, ut præesset nocti, et stellas, et posuit eas in firmamento cœli, ut lucerent super terram, et præessent diei et nocti, et dividerent lucem ac tenebras* (*Gen.* i, 14-18).

In firmamento cœli intelligere possumus sanctam Ecclesiam, per luminaria hujus firmamenti evangelica præcepta, quibus illuminatur eadem sancta Ecclesia. Hæc luminaria posuit Deus in Ecclesia sua, ut dividant, hoc est ut discernant diem ac noctem, id est prælatos et subditos, bonos et malos, perfectos et imperfectos, et ut sint *in signa* directionis,

in tempora conversionis, *in dies* perfectionis, *in annos* retributionis. Sunt nobis *in signa* directionis, quia docent nos viam quæ ducit ad patriam. Et si in hac et ab hac via male vivendo erravimus, sunt nobis *in tempora* conversionis, quia docent nos quomodo a mala vita nostra moveamus nos, quomodo ad currendam viam vitæ, a qua deviavimus, per conversionem accingere nos debeamus. **624** Sunt nobis *in dies* perfectionis, quia in eis invenimus qualiter summam perfectionis attingere possimus. Sunt nobis *in annos* retributionis. In his enim docemur, quibus meritis proficiamus in annos æternæ remunerationis. Et hoc est quod sequitur :

Ut luceant in firmamento cœli, et illuminent terram. In præcedentibus per firmamentum cœli sanctam Ecclesiam intelleximus; hic vero per firmamentum firmatam et stabilitam in Deo mentem hominis accipere possumus, in qua, dum prædicta luminaria eo modo, ut prædiximus, lucere incipiunt interius, illuminant etiam terram, quod sunt exteriora opera ejus.

Fecitque Deus duo magna luminaria, luminare majus, ut præesset diei, luminare minus, ut præesset nocti. Per duo magna luminaria duo intelligimus testamenta; per luminare majus Novum Testamentum, per luminare minus Vetus Testamentum. Et bene luminare majus novæ et evangelicæ doctrinæ similitudinem exprimit; Vetus autem Testamentum quasi luminare minus appellare possumus. Multo enim excellentior est evangelica quam legalis perfectio. In illa dicitur : *Diliges amicum, odio habebis inimicum;* in ista dicitur : *Diligite inimicos vestros, bene facite his qui oderunt vos.* Luminare majus fecit Deus, ut præesset diei, id est bonis et perfectis; luminare minus, ut præesset nocti, id est sæcularibus et minus perfectis. Quod autem addidit, *et stellas*, bonos quoque doctores et prælatos signanter expressit, de quibus aliunde Scriptura dicit : *et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates* (*Dan.* XII, 3).

625 *Et posuit eas in firmamento cœli, ut lucerent super terram, et præessent diei ac nocti, et dividerent lucem ac tenebras.* Posuit Deus stellas, id est doctores suos in firmamento, in Ecclesia sancta, *ut luceant super terram*, hoc est ut illuminent terram, id est terrena corda doctrinæ suæ splendore, et præsint diei ac nocti, hoc est bonis et malis, perfectis et imperfectis, sæcularibus et spiritalibus, et ut dividant lucem ac tenebras, ut sciant, quali doctrina præesse et prodesse debeant, bonis et mundi contemptoribus, qui lucis nomine censentur; quæ etiam illis doctrina congruat, qui nox sunt, quibus tenebræ peccatorum adhuc incumbunt. Parum enim aut nihil Doctor proficit, si spiritales ut sæculares, sæculares ut spiritales docere voluerit.

Hæc omnia quæ de die quarta præmisimus, ad quartam hanc Dominicam non inconvenienter conferre possumus, in qua quædam cœlestis doctrinæ luminaria emicant, quæ divisionem quamdam inter

A diem et noctem faciunt. In hac enim et prælati quos per diem intelligendos diximus, doctrinam suam inveniunt; ex hac nox, id est minus perfecti adhuc subditi, lumen recte et humiliter vivendi accipere possunt. Ita enim eam Deum distinxit atque divisit, ut anterior pars ejus ad prælatos spectet, prælatos instruat; posterior vero pars, quæ a similitudine incipit, ad doctrinam subditorum non inconvenienter referri possit. Ait namque :

Estote ergo misericordes, sicut et Pater vester cœlestis misericors est. Quomodo *Pater* noster *cœlestis misericors est?* Pater noster cœlestis Deus omnipotens ex magna miseratione et misericordia, quam habuit super genus humanum, misit unigenitum Filium suum in mundum, ut per eum nos redimeret,

B per passionem ejus et mortem miseriis nostris subveniret. Sed et nos ad similitudinem ejus vere *misericordes* erimus, si, juxta exemplum beati patriarchæ Abrahæ, unigenitum nostrum illi dederimus. Unigenitus noster est spiritus noster. Unigenitum nostrum Deo Patri pro suo Unigenito damus, si soli illi spiritum et animam nostram dicaverimus, **626** si immunem ab omnibus, quæ desiderari contra Deum et amari possunt exterius, inviolatum eum Deo et immaculatum, quantum in nobis est, servaverimus et custodierimus. Hoc est quodammodo esse nos misericordes, sicut et Pater noster cœlestis misericors est.

Sed quia prima pars lectionis hujus evangelicæ

C specialiter, ut dictum est, prælatos respicit, specialiter eos his verbis docet Dominus, ut misericordes sint, ut misericorditer tractent, quæ tractanda sunt in subditis, ut semper superexaltent misericordiam judicio, ut et ipsi misericordiam consequantur. Quod tamen fieri non potest, nisi in loco prælationis suæ ita vivant sicut vivendum, eis sequentia Domini verba insinuant :

Nolite, inquit, *judicare, et non judicabimini: Nolite condemnare, et non condemnabimini. Dimittite, et dimittemini. Date, et dabitur vobis.* Quod dixit, *nolite judicare*, non ita dicit, quasi juste judicandi eis demat potestatem, quod dispositionis suæ ordine ad judicialem provexit dignitatem. Vult enim eos habere juste judicandi potestatem, sed non vult

D habere eos judicandi voluntatem. Non enim dixit : *non judicate*, sed, *nolite judicare.* Addiditque, *et non judicabimini.* Ac si diceret : Ut districti judicii mei sententiam evadere possitis, sedem judicii, sedem humilitatis elata mente, superbo corde quærere et desiderare vobis non velitis.

Sed quomodo dicit : *Et non judicabimini*, cum nec levis quidem iniquæ cogitationis excessus transeat coram Deo indiscussus? Pro perverso quolibet et illicito opere, quod non purgaverit subsequens satisfactio pœnitentiæ, procul dubio examinabitur; pro voluntate autem, qua ab elationis vitio, a dominandi et judicandi desiderio liber est, non judicabitur. Sed sicut sedem judicii, locum regiminis velle et desiderare non debet, sic etiam cum non

sua sed Dei voluntate et ordinatione assumptus A fuerit, si occurrerit damnandi occasio, damnare quidem debet, damnandi autem voluntatem habere non debet. Unde et dixit: *Nolite condemnare*, 627 *et non condemnabimini*. Verbum namque hoc *nolite*, quod denuo Dominus repetit, hic sicut et in præcedentibus ad internam voluntatem hominis respicit. Damnare quidem debet subditum, in quibus, et pro quibus damnandus est, sed cum dolore cordis sui ac compassione, potius ex necessitate quam voluntate. Sic enim damnans non modo non condemnabitur, sed et æterna retributionis remunerabitur gloria. Sequitur:

Dimittite et dimittemini. Verba denique hæc primo sic intelligenda sunt ut si per optatam remissionis gratiam impunitus dimitti a Domino quærit, ad B dimittendum delinquenti in se proximo semper promptus et paratus assistere velit.

Sciendum tamen est quia illatas injuriarum molestias sic exterius demittere ad perfectum non sufficit, nisi seipsum homo interius dimittere, hoc est, perfecte submittere noverit. Bene etenim se dimittit, qui in humilitate et per humilitatem omnibus se submittit. Sic namque dimissus dimittitur, cum sublevante et erigente manu supernæ visitationis inexhausto internæ dulcedinis convivio misericorditer admittitur. Sed et verbum hoc, *dimittemini* ad finem hominis referre possumus. Ibi vere dimittetur, cum deposito corpore, a quo hic retinetur, in æternæ vitæ gaudia recipietur. Sequitur: C

Date, et dabitur vobis. Ac si dicat: Non solum exteriorum, si qua est substantia rerum, necessitati pateat proximorum, sed et si quid ex internæ sapientiæ et scientiæ divitiis me donante attingere meruistis, larga devotionis manu aliis impendite. Sic enim dantibus *vobis dabitur*, sic percepta donorum meorum gratia ex abundanti pietatis meæ manu adaucta vobis multiplicabitur. Quæ autem et qualis hæc divini muneris augmentatio sit, qua 628 suos hic et in futuro remunerandos promittit, manifestius ostendit, cum dixit:

Mensuram bonam et confertam et coagitatam, et supereffluentem dabunt in sinum vestrum. Quatuor has mensuras quatuor illis Domini verbis, de quibus jam diximus, congrue satis coaptare possumus. D *Mensura bona* pertinet ad hoc, ut video, quod dicit, *nolite judicare;* mensura *conferta* ad hoc quod dicit, *nolite condemnare;* mensura *coagitata* ad hoc quod dicit, *dimittite, et dimittemini;* mensura *supereffluens* ad hoc quod dicit, *date et dabitur vobis.* Unde continuo subjunxit, et ait:

Eadem quippe mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis. Mensura bona est, ut æstimo, gratia Dei, qua bene metitur homini, quando eum non judicat, quem a voluntate judicandi, ab appetitu dominandi alienum considerat. Sed quia multo plus confert homini, cum non condemnatur, quam cum non judicatur, quasi *conferta mensura* datur, quando is, qui voluntarie non damnavit, nec damnare quæsivit, a Deo non condemnatur. Et qui ista duo evaserit, hoc est qui opus judicandi sine voluntate judicandi exercens potius coactus et dolens quam gaudens et volens, damnandum damnaverit, hic *mensura coagitata* donabitur, quando stolam illam primam accipit, hoc est quando deposita carnis sarcina remunerabitur in anima. Nec incongrue remuneratio illa animæ, quasi *coagitata* mensura nominatur, quia universæ cogitationes hominis, quibus inutiliter hic multoties diffluebat, ibi quodammodo coagitabuntur, ibi ad unum et in unum colliguntur, ibi ad desiderandum et amandum solum id quod Deus est, soli Deo uniuntur. Hoc in hac vita nullo modo fieri potest; *corpus* enim, *quod corrumpitur, aggravat animam* (*Sap.* IX, 15).

629 Sed tamen eadem coagitata mensura, eadem remuneratio animæ necdum plena, necdum perfecta beatitudo est vel dici potest, quandiu de resuscitando corpore cogitat, quandiu illud quod socium laboris habebat, socium etiam præmii habere desiderat. Cum autem resurrectio generalis advenerit, et corpus suscitatum de pulvere, animæ unitum in gloria fuerit, hæc est quarta, hæc est *supereffluens mensura*, quæ omnia excedit, ubi una remuneratio, una beatitudo, una immortalitas, una perennis gloriæ dignitas animam et corpus sine fine manebit.

Ad hanc autem gratiam non suis meritis, sed sola prævenientis et subsequentis misericordiæ Dei dulcedine homo pertingere poterit, sicut mystice nobis per hoc Dominus insinuat, quod eamdem æternæ remunerationis gratiam non effluentem, sed *supereffluentem* mensuram nominat. Est enim quædam gratia Dei, quæ fluens gratia potest dici; est et gratia Dei, quæ effluens gratia potest dici, est et adhuc gratia Dei, quæ *supereffluens* grstia potest dici.

Fluens gratia est visitans gratia, quæ de inexhausto æterni fontis dulcedine descendens, quanto suavius cor, quod contigerit, æternitatis amore succendit, tanto perfectius ab infirma actione exterius suspendit, sicque fluens interius, dum per totas cordis medullas diffunditur, mirum in modum effluens, hoc est, ædificans efficitur, dum eam, quæ intrinsecus operatur, gratiam, homo exterior per sanctæ operationis adeo magnificare incipit efficaciam, ut non solum sibi, sed et omnibus, quibus contigerit eum interesse, verbis et exemplis valeat prodesse. Huic procul dubio *supereffluens* gratia, id est remunerans gratia addetur, quæ hic inchoata, in futuro 630 plene perficietur, ubi non ad mensuram dat Deus spiritum, sed magnitudo præmiorum omne humanum excedit meritum.

Nec prætereundum quod dicitur: *Dabunt in sinum vestrum.* Qui sunt, qui *dabunt?* Vel quis *sinus* noster, in quem dabunt? Datores isti intelligi possunt angelici spiritus, summæ Trinitatis ministri, per quorum ministerium salutis nostræ dispensatur mysterium.

Quia sicut ex malignorum spirituum suggestionibus et immissionibus mentes nostræ immunditiæ

et levitatis afficiuntur motibus, sic, quod æquitatis A et virtutis est, de sinu misericordiæ Dei per officium sanctorum angelorum administratur homini. *Dabunt*, inquit, non in manum, sed *in sinum*, id est in quamdam æternæ beatitudinis certitudinem, quæ non incongrue per sinum intelligitur. Certius enim servatur quod in sinu quam quod in manu portatur.

Sed et congruo ordine Dominus, postquam dixit, mensuram bonam, et confertam, et coagitatam et supereffluentem dabunt in sinum vestrum, adjecit et ait : *Eadem quippe mensura qua mensi fueritis remetietur vobis*. Quasi diceret : Si voluntatem judicandi non habetis, mensura bona remetietur, quia non judicabimini.

Si voluntatem damnandi non habetis, mensura conferta remetietur vobis, quia et vos non condem- B nabimini. Si dimittitis, mensura coagitata remetietur vobis, quia dimittemini, hoc est, cum a corpore, quod semper gravabat vos, morte interveniente dimittemini, collectis et unitis ad Deum et in Deum cogitationibus vestris remunerabimini in anima, quod vere est mensura coagitata.

631 Si datis, mensura supereffluens remetietur vobis, quia duplex stola in resurrectione vobis dabitur, ubi cum anima corpus beata immortalitate vestietur et glorificabitur. Sequitur :

Dicebat autem et illis similitudinem. Quibus *illis*? Ecce hic occurrit, quod præmisimus de die quarto, in quo dixit Dominus : *Fiant luminaria in firmamento cœli, et dividant diem ac noctem* (*Gen.* I, 14).

Hæc enim sunt luminaria, hoc sunt evangelica præ- C cepta et documenta, quæ dividunt diem ac noctem. Dies, ut prædiximus, sunt boni et perfecti prælati, nox, subditi. Divisit Deus hic per luminaria sua diem ad noctem, id est prælatos et subditos, quia præcedentia Evangelii hujus verba, sicut jam ex parte audivimus, spectant ad prælatos ; sequentia vero ad subditos.

Illos etenim, qui dies sunt, qui sicut gradu et dignitate, ita etiam sensu et scientia debent præeminere quasi in puro et aperto veritatem docuit. Docuit utique manifesto sermone, qualiter in prælatione sua vivant. Istos vero, qui adhuc nox sunt, qui minus perfecte adhuc sapiunt, per similitudinem docuit, qualiter subesse debeant. D

Unde bene dicitur : *Dicebat autem et illis similitudinem*. Nam qui minus perfecti sunt, et ea quæ veritatis sunt, minus per se sapiunt, illorum esse per similitudinem et in similitudinibus audire et cognoscere, quæ scienda et dicenda sunt. Unde et Dominus noster, ubi turbis et imperfectis loquebatur, nihil, ut ait Scriptura, sine parabolis loquebatur. Ait autem :

Nunquid potest cæcus cæcum ducere ? Nonne ambo in foveam cadunt ? Incipit hic quasi tangere vitium quoddam, quod plerumque minus perfectis 632 subditis prævalet, vitium utique elationis, quo temere facta prælatorum reprehendunt et judicant, se, si præesse contingeret, utilius præesse putant, A atque ea, in quibus prælatum sicut reprehensibilem despiciunt, nunquam si præesse deberent, facturos se cogitant et dicunt. Hos, ut video, in similitudine hac monet Dominus et instruit, ut cognoscere cæcitatem suam incipiant, ut in humilitate subesse velint et studeant. *Nunquid*, ait, *potest cæcus cæcum ducere?* Ac si dicat : Quare cogitas mala in corde tuo? *Cæcus* es, *cæcum ducere* non potes. Cæcus es in ea parte qua hæc quæ tibi non conveniunt, appetis, quia esse vis quod Deus esse te noluit ; extollis te super hoc quod Deus esse te disposuit.

Nunquid potest cæcus cæcum ducere? Nonne ambo in foveam cadunt? Potest intelligi in *fovea* tenebrosum cor, et tenebrosa conscientia. Et est B sensus : Cæcus es, agnosce cæcitatem tuam. Nam si voluntati tuæ Deus te permitteret, si permittente illo, præesse te, sicut desideras, contingeret, ipse tu cæcus ex tenebroso corde et tenebrosa conscientia tua in deterius caderes, et ille, qui tibi commissus foret, qui duci per te ad lumen veritatis deberet, in cæcitate sua, in ignorantia peccatorum suorum permaneret.

Non est discipulus super magistrum. Magistri est esse super discipulum ; discipuli non est esse super magistrum. *Discipulus* es, ut discipulus subesse debes. Ad hoc enim ordinatus a Deo es, ut sis discipulus. Erigere te super magistrum ne quæsieris, quod commissum tibi non est, attentare ne præsumpseris.

Perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister C *ejus*. Perfectio discipuli in eo non solum constat si laudabilem vitam magistri exterioribus tantum 633 actibus imitetur ; sed vere *perfectus erit, si sit sicut est magister ejus*, hoc est, si esse illud quod Deus ei ordinavit, humiliter tenuerit, sicut et magister ejus in illo esse est, quod ei Deus disposuit. Hoc est enim ordinatum a Deo esse magistri, ut præsit ; hoc est ordinatum a Deo esse discipuli, ut ille cum humilitate subsit.

Plerumque enim prælatus onus regiminis libenter excuteret, loco prælationis libenter abesse vellet. Sed quia ordinationi Dei contraire nec audet nec valet, (*non est enim potestas*, ut Apostolus ait, *nisi a Deo ; quæ autem sunt, a Deo ordinata sunt* [*Rom.* XIII, 1]), D esse suum esse a Deo sibi ordinatum humiliter tenet.

Et hoc in prælato magna est perfectio. Sic certe *perfectus omnis erit*, si talis exemplo magistri esse suum fortiter et humiliter tenuerit. Sequitur :

Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo est, non consideras? Non dicit : *In oculo magistri*, vel *in oculo patris*, sed *in oculo fratris*. Sic enim eum exterius nominat, sicut haberi eum in corde ejus, a quo reprehenditur et contemnitur, considerat. Per oculum, et in *oculo* intelligitur mentis intentio. *Festuca in oculo fratris* sunt, ut æstimo, leviora et inevitabilia peccata illa quæ accedunt et tangunt plerumque prælatum, nunc ex propria infirmitate, nunc ex laboriosa exteriorum curarum occupatione. *Trabes* vero in

oculo subditi tumor superbiæ convenienter potest intelligi.

Ille etenim, qui sic, quemadmodum diximus, non sua, sed Dei voluntate et ordinatione in locum regiminis assumptus, in prælatione sua, non suam, sed Dei voluntatem observare studet, hic sane si aliquando peccat, Deus, qui oculum, id est, **634** intentionem fidelis cum Deo cordis ejus considerat, peccatum ejus ut festucam reputat, quia veniale judicat. Facilius enim et misericordius ei relaxat, quem sub onere suo laborare conspicit, quem onus suum fideliter secum portare perpendit.

Hujus rei evidens exemplum habemus in Aaron, qui tumultuantis populi illius, cui præfuit, devictus insania, facto vitulo grande peccatum peccavit Domino.

Sed quia coactus fecit, et nisi fecisset, populus ab eo recessisset, peccatum ipsius quasi festuca coram Deo fuit. Misericorditer enim illud Dominus portavit, quia non factum, sed intentionem facti consideravit.

Ea namque intentione eessit et satisfecit populo in vituli conflatione, ut per hoc eum usque ad reditum Moysi de monte suspenderet, ne penitus aversus a Domino rursus Ægyptum repeteret.

Sic et adhuc bonus prælatus, cujus cor cum Deo ipsius est, si forte aliquando peccat, aut ex propria fragilitate, aut ex imminentis, sicut dictum est, occupationis necessitate, vel cum condescendens aliquando infirmioribus cedit ad minora, ut per hoc a majoribus et gravioribus peccatis eos suspendat, peccat quidem Domino, sed tamen id ipsum ejus peccatum, quia ex bona intentione procedit, festuca quodammodo est, quia veniale coram Deo est.

Sed quod festuca est in oculo prælati, *trabes* quodammodo fit in oculo subditi, qui non simplici et humili, sed duplici et superbo cordis **635** oculo facta ejus considerans et judicans, ei, cui humiliter subesse debuit, rationabilius se et utilius præesse posse credit.

Talibus ejus cogitationibus obviat quodammodo verbis istis Dominus: *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo est, non consideras?* Ac si dicat: Quem pro patre habere debueras, vix pro *patre* consideras.

Quomodo reprehendere et damnare eum in exterioribus actibus non pertimescis, cujus tu oculum, cujus cordis intentionem nescis? Quomodo tu pro festuca, pro leviori quoque peccato eum in corde tuo spernis et judicas, qui *trabem*, id est grande peccatum superbiæ, *in oculo*, id est in intentione tua non consideras?

Illud pro quo reprehenditur a te, festuca est, quia leve et veniale est coram me. Sed quia non sufficit ei, quem superbia cæcavit, subdito cogitare hæc, quæ diximus de prælato, nisi addat etiam loqui, reprehendit et hoc Dominus atque redarguit, cum protinus subjungit et dicit:

Aut quomodo potes dicere fratri tuo: Frater sine, A *ejiciam festucam de oculo tuo, ipse in oculo tuo trabem non videns?* Quasi dicat: *Quomodo potes dicere,* quomodo præsumis os tuum aperire ad reprehendendum et redarguendum prælatum tuum in levioribus excessibus, *ipse in oculo tuo trabem non videns,* ipse superbiam et superbam intentionem cordis tui non considerans?

Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc perspicies ut educas festucam de oculo **636** *fratris tui. Hypocrita* dicitur *simulator.* Et est, quasi dicat Dominus: Hypocritam te nomino, quia simulatorem te deprehendo.

Non enim talis es qualem te fingis. Fingis et ostendis te foras quasi humilem, quasi subjectum, quasi discipulum, ego autem attendo te non humi-
B lem, sed elatum, non discipulum, non subditum, sed quasi superpositum.

Ejice primum trabem de oculo tuo, hoc est ejice primum superbiam, quæ tibi oculum cordis excæcavit, quæ te supra te elevavit, et emundato per humilitatem ac illuminato oculo mentis *perspicies, ut educas festucam de oculo fratris.*

Cum te perfecte humiliaveris, et ei cui subesse debes, humili te subjectione submiseris, *tunc perspicies*, tunc vere ea in quibus nunc cæcus es, videre incipies, tunc, si monendum in aliquo magistrum tuum videris, et tibi et sibi utiliter monere poteris.

Non contradicit hoc Dominus, nisi monere aliquando prælatum possit subditus. Sed præsumere
C illud non debet, nisi cum summa humilitate, cum summa subjectione, cum summa mentis tranquillitate.

Nam si superbe fecerit, admonitio ejus nihil proderit. Admiscet enim se diabolus superbiæ, et non potest prælatus verba diaboli audire, vel æquanimiter portare, neque ea, in quibus emendandus esset, propter verba superbiæ, quæ vere verba sunt diaboli, potest emendare.

Si autem humiliter fecerit, admiscet se Deus humilitati, ut verba **637** Dei, verba, inquam, humilitatis, quæ vere verba Dei sunt, humiliter prælatus audiat, et corrigere se in his in quibus corrigendus est, velit et valeat.

Hæc pax et unanimitas, ut inter prælatos et subdi-
D tos vigeat et maneat, petimus a Domino in Oratione hodierna, qua dicimus: *Da nobis, Domine, ut et mundi cursus pacifice nobis tuo ordine dirigatur.*

Ordo Dei sunt prælati et subditi. Illis ordinavit, ut præsint; istis ordinavit, ut subsint. Mundi cursus præsens vita est, in qua laboramus. In æterna vita non est cursus. Hic **638** currimus, ibi stabimus; hic laboramus, ibi a laboribus quiescimus.

Petimus igitur a Domino, et assidue petere debemus, ut quandiu hic currimus, cursus noster pacifice nobis suo ordine dirigatur, ut ab utroque ordine, suo ordine vivatur, ut illis in humilitate præsidentibus, et istis in humilitate eis, quibus sub-

esse debent, se subjicientibus, Ecclesia sua tranquilla devotione hic lætetur, et in futuro ab eo remuneretur qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

639 HOMILIA LXV.

IN DOMINICAM II POST PENTECOSTEN SECUNDA.

Samuel autem mortuus est, planxitque eum omnis Israel (*I Reg.* XXVIII).

Dominica ista, quæ quarta est in numero Dominicarum æstivalium, congruam quamdam habet similitudinem ad quartam diem creationis, in qua Deus omnipotens solem, lunam stellasque creavit, quorum splendore præcedentium trium dierum opera collustravit et ornavit. Nam sicut obscurato sole plena et clara lux diei non est, sic in præcedentibus tribus Dominicis lumen quoddam erat humanæ eruditionis, non tamen clarum, quia in parabolis. In hac vero Dominica quasi creato sole plena quodammodo et clara lux nitescit, in qua remota parabolarum obscuritate plano apertoque sermone æterna Dei nos docet sapientia quæ sint mala quæ declinemus, quæ sint bona quæ agere debeamus. Quid enim apertius et clarius eo quod ait : *Estote misericordes, sicut et Pater vester cœlestis misericors est. Nolite judicare, et non judicabimini, nolite damnare et non condemnabimini; dimittite et dimittemini; date et dabitur vobis?* (*Luc.* VI, 36-38.)

Habet etiam non incongruam similitudinem eadem hæc quarta Dominica ad quartam ætatem sæculi, in qua excellentiam quamdam novæ dignitatis, quæ in tribus decursis tunc ætatibus non erat, Deus omnipotens inchoavit, scilicet quod populum suum, plebem Israeliticam regalis honoris magnificentia primum sublimavit. Primus regum istorum, quos eis præfecerat, erat Saul. Sed quia iste Domino displicuit, destructo regno illius, regnum David instituit. Iste vere Domino placuit, sicut ipse testatur Dominus ubi dicit : *Inveni mihi virum secundum cor meum.* Hæc in quarta, sicut prædiximus, ætate sæculi facta satis congrue leguntur in **640** quarta hac Dominica, primum quidem, quomodo Saul in principio regni sui bonus et electus, postmodum vero quomodo reprobus effectus, ab hostibus interierit, deinde quomodo regnum David surrexerit, atque roboratum sit. Hæc omnia nobis præscribuntur, nobis leguntur, non ut bella eorum sciamus, sed ut in abscondito rerum mysterio lumen eruditionis nostræ quæramus. Nos enim sumus, sicut ait beatus Petrus, *genus regium et sacerdotale* (*I Petr.* II, 9), qui per reges illos significamur, qui illorum periculo vigilare contra periculum nostrum edocemur. Videtur mihi in Saule bonum quemlibet catholicum posse intelligere, qui regnum suum, quod a Deo suscepit, corpus utique et animam suam, utiliter regit, qui mortem Christi semper ante oculos habet, quam in primordio lectionis, sicut nocte, cum legeretur, audivimus, præfiguratam invenimus.

Samuel autem mortuus est, planxitque eum omnis Israel. In Samuele, qui interpretatur *nomen ejus Deus*, Dominus noster Jesus Christus congrue est accipiendus. *Planctus*, quo omnis Israel mortuum Samuelem plangebat, planctum illum præfigurabat, quo omnis multitudo Deum credentium mortem Christi lugebat, quemadmodum apostoli ejus et sanctæ illæ mulieres fecerunt, de quibus scriptum est : *Mulieres sedentes ad monumentum lamentabantur flentes Dominum* (*Luc.* XXIII, 27), et reliqua fidelium turba, qui nimio dolore in passione et morte ejus consternati sunt, quemadmodum dicit evangelista : *Et omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, et videbant, quæ fiebant, percutientes pectora sua revertebantur* (*ibid.*, 48).

641 *Et sepelierunt eum in Ramatha, urbe sua.* Quod est sancta Ecclesia, quæ vere urbs est ejus, in qua sic sepultus est, quod per divinitatis suæ potentiam, per assiduæ protectionis suæ clementiam nunquam ab ea recedere potest. Omnis igitur qui hanc mortem Christi assidue cordi et memoriæ suæ præscripserit, ad laudabile factum Saulis quod subjungitur assurgere potest.

Et Saul abstulit magos et ariolos de terra, et interfecit eos qui pythones in ventre habebant. Magi dicuntur et sunt qui fallaciis his homines deludunt, qui magicarum [*fort.* magiarum] suarum præstigiis aliquid humanis visibus obtendunt quod verisimile est, et tamen verum non est, quemadmodum magi illi in Ægypto fecerunt qui coram Pharaone virgas suas quasi dracones essent ostenderunt, quæ non dracones, sed veræ virgæ fuerunt. Illi autem dicebantur *arioli*, qui in quibuslibet rebus augurari [*cod.* auguriari), solebant, quæ eas in dubiis rebus salus secutura, quæ eis esset prosperitas futura. *Pythones in ventre habentes* nominabantur, qui in spiritu immundo futura prævidebant atque prædicebant.

Nomine *magorum*, qui facere se ostendunt quod non faciunt, possunt intelligi, ut arbitror, homines illi qui per quamdam hypocrisin esse se ostendunt quales non sunt, qui, cum mali et imperfecti sint, bonos se et perfectos æstimari ab hominibus appetunt. *Arioli* vero nominari possunt qui bona quidem faciunt, sed, ut glorificentur ab hominibus, eisdem bonis suis actibus requirunt. *Pythones in ventre habentes* dici possunt qui magi et arioli sunt, et inter utraque tamen vitia hæc nequissimo spiritu superbiæ, qui per pythonem potest accipi, inflantur et intumescunt. Etenim quicunque ille est qui non simulat esse se quod non est, qui salutem et prosperitatem suam in ore hominum non ponit, qui humanam laudem pro factis suis non requirit, insuper etiam in omnibus actibus suis semper humilitatem custodit, hoc est quodammodo magos et ariolos de terra abstulisse, hoc est eos qui pythones in ventre habebant interfecisse.

Aliter potest intelligi per *magos* falsitas; per *ariolos* prosperitas. Vel utrumque comprehendamus, per magos **642** et ariolos falsam prosperitatem,

vel falsam spem intelligamus. *Magos et ariolos de terra auferre* est nulla falsæ prosperitatis spe hominem seducere se.

Ablatis hoc modo de terra magis et ariolis, restat ut et eos qui pythones in ventre habebant interficiat. Pythones in ventre habentes illos, sicut prædiximus, nominabant qui in spiritu et per spiritum immundum futura prophetabant. Sicut est in Spiritu sancto prophetare, prænuntiare hominem sibi ipsi et aliis quanta sint bona cœlestis regni, quanta sint mala inferni, sic est in pythone, hoc est in spiritu malo prophetare inæstimabilia futuræ vitæ bona parvi pendere, inenarrabilia mala inferni leviora atque tolerabiliora quam sunt æstimare et dicere. Igitur quicunque ille est qui nulla falsa spe seductus constanter pro æterna vita laboraverit, qui nullo falso timore correptus fortiter in misericordia Dei speraverit, promittens sibi gaudia regni cœlestis, si bene egerit, prædicens sibi supplicium inferni, si male vixerit, iste eos qui pythones in ventre habebant, laudabiliter in seipso interficit. Contra hunc sane forti certamine maligni spiritus acies suas instruunt, contra hunc mirabili furore sæviunt, quemadmodum figuraliter exprimitur in consequentibus, cum dicitur:

Congregatique sunt Philisthiim, et venerunt et castrametati sunt in Sunam. Castra militantium sunt. Et congrue quidem per castra Philisthiim multitudo malignorum spirituum exprimitur. *Congregantur Philisthiim*, quando maligni spiritus ad pugnandum et præliandum contra spiritalem virum malitiæ et nequitiæ suæ telis armantur. *Veniunt et castrametantur in Sunam*, quod interpretatur *pecus*, vel *dentes*, sive *pupilla*, quando acie oculorum interioris hominis suggestionum suarum tenebrosa caligine obducta et obnubilata, pecuali et carnali tentatione eum impugnant, ut in cogitationibus suis, quas per *dentes* intelligimus, carnalia desideria circumferre, carnalibus desideriis delectabiliter se in se pascere incipiat. Sed quid contra tales has tentationes spiritalis homo interdum faciat, subjectus ordo verborum signanter insinuat dicens:

643 *Congregavit autem et Saul universum Israel, et venit in Gelboe. Universum Israel congregat*, quando, collectis sensibus suis, vigilias, jejunia sua orationesque continuat, si quo modo congregatis adversum se malignis spiritibus resistere valeat. Sed quia plerumque contingit ut homo infirmus, tentationum immanitate prostratus, a cœpta laborum instantia tanto velocius resiliat quanto tardius Deum venire sibi in auxilium considerat, congrue subinfertur: *Et venit in Gelboe.* Gelboe interpretatur *volutatio* sive *decursus*. Venire *in Gelboe* est in cogitationibus suis modo huc, modo illuc se volvere, a cogitatione in cogitationem, ab infirma voluntate ad infirmam actionem diffluere; fitque in eo abominabilis quidam *decursus*, quando ab altitudine spiritalis fervoris atque constantiæ ad ima decurrit torporis et negligentiæ. Quotidianus iste decursus fit ei

A causa majoris doloris atque defectus. Unde et sequitur:

Et vidit Saul contra Philisthiim et timuit, et expavit cor ejus nimis. In corde vita hominis est; ideoque convenienter per cor et in corde vitalis sensus hominis accipi potest. *Videt Saul* quod est homo spiritalis, *contra Philisthiim et timet*, quando fortem impugnationem malignorum spirituum non sustinens cedit et succumbit tentationibus. *Expavet cor ejus nimis*, quando in vitali sensu suo, quod est cor, fidei et spei illius, quam habere ad Deum deberet, firmitas infirmari incipit, quasi invalida sit manus Dei ad subveniendum ei, quasi magnitudo tentationis magnitudinem excedat divinæ miserationis. Cavendum denique est homini, cum tentatur, ne nimis B cor ejus expaveat, ut fides et spes sua de statu suo non cadat. Hoc est enim vera fides et spes hominis ad Deum, ut quantæcunque sint tentationes et necessitates, quas patitur, nunquam de misericordia Dei desperet, bonis operibus, quantum potest, divinæ miserationis respectum fiducialiter quærat et exspectet. Veram hanc fidem et spem homo ille habebat, qui dicebat: *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum* (*Psal.* XXVI, 3). Ille autem, cujus cor consistentium adversum se castra inimicorum ita **644** timuerit, quod in fide et spe, quam in cunctis necessitatibus suis habere ad Deum deberet, titubaverit iste est, de quo consequenter subinfertur.

C *Consuluitque Dominum, et non respondit ei, neque per somnia, neque per sacerdotes, neque per prophetas, neque per sacrificia. Consulit Dominum* nunc legendo, nunc orando, si forte aut ex lectione aliquid occurrat, per quod a somno inertiæ suæ suscitetur, aut ex oratione aliquid dulcedinis Deo miserante et visitante capiat, per quod ad amissi fervoris constantiam reformari incipiat. Sed *non respondet ei Dominus, neque per somnia, neque per sacerdotes, neque per prophetas, neque per sacrificia.* Per *somnia*, quæ veniunt homini nesciente ipso homine, quomodo veniant, videtur mihi voluntas bona, quam occulta miseratione sua Deus inspirat homini, satis convenienter posse intelligi, per *sacrificia* bona et justa opera. Inter somnia et sacrificia duo posita sunt, D *sacerdotes* videlicet et *prophetæ*, per quos duos motus animi, amorem utique et timorem possumus accipere, qui duo illa, quæ præmisimus, bonam scilicet voluntatem et bona opera suscitare debent in homine. Amor enim bonam voluntatem generat, timor ad bonæ operationis studium hominem excitat. Igitur quicunque, juxta hoc quod præmisimus, aut falsa spe seductus, ad negligentiam atque inertiam corruit, aut qui falso timore deceptus de misericordia Dei in tribulationibus et laboribus suis non præsumit, hic si forte aliquando aut legendo aut orando consulit Dominum, *non respondet ei neque per somnia*, *neque per sacerdotes*, *neque per prophetas*, *neque per sacrificia*, quia neque per amorem excitat eum ad bonam voluntatem, neque per ti-

morem erigit eum ad bonam et perfectam operationem. Sed quid tandem miser ille faciet, ostendit sequens Scriptura, quæ dicit.

Dixitque Saul servis suis : Quærite mihi mulierem habentem pythonem, et vadam, et sciscitabor per illam. Servi ejus sunt sensus ejus. Dicere servis suis ut *quærant* sibi *mulierem habentem pythonem*, est totis sensibus suis mollitiem **645** carnis quærere, pristinos labores fugere, levitatem sectari, in torpore et desidia sua delectari, contemnens derelictum se a Deo, nec considerans, quomodo aut in quo Deum offenderit, utrum in se, an in prælatis vel in aliis proximis suis iram Domini meruerit, ut in eisdem per pœnitentiam et satisfactionem suam Deum placare sibi studeat, in quibus peccare Deo non timuerat. Et est, quasi dicat : Dure et aspere vivere propter Deum cœperam, sed quia reliquit me Dominus, quia subvenire mihi dedignatur in his, quæ invenerunt me tribulationibus meis et necessitatibus, quid frustra laboro? Agam sicut cæteri homines, qui adeo non laborant, et tamen salvari sperant. Sic denique a pristina sui constantia ad inertiam et mollitiem inclinari et tamen in eadem levitate sua velle salvari, hoc est quodammodo dicere servis suis, sensibus suis : *Quærite mihi mulierem habentem pythonem, et vadam ad* eam, *et sciscitabor per illam.*

Et dixerunt servi ejus : Est mulier habens pythonem in Endor.

Mulier ista est anima effeminata, spiritu superbiæ, qui per *pythonem* intelligi potest, inflata, quæ molliter et enerviter vivit, et pari tamen honore et amore sicut antea dum laudabiliter vixit, haberi ab hominibus appetit. Responsio servorum esse mulierem habentem pythonem in Endor dicentium, responsio est bonorum sensuum a cœpta mollitie atque desidia revocare hominem cupientium. Endor namque interpretatur *fons generationis.* Et est quasi dicant : Si ista feceris, si mulierem, id est mollitiem hanc et torporem, cui te dedisti, atque desidiam dominari tibi permiseris, multa mala venient de te. Est enim *in Endor, in fonte generationis,* generans tibi quidquid injustitiæ est et iniquitatis. Erit utique tibi ipsi perditioni, cæteris vero hominibus, qui tecum sunt, scandalo ac destructioni. Sed qui salvandus non est, hoc servorum responsum, istud internorum sensuum suorum consilium spernit et abjicit, cadit in deteriora, sicut consequenter sequens ostendit Scriptura, quæ dicit :

Mutavit ergo habitum suum, vestitusque est aliis vestimentis, et abiit **646** *ipse et duo viri ejus cum eo, veneruntque ad mulierem nocte. Mutat habitum*, quando spiritalis vitæ propositum aut ex toto, quod nonnunquam fit, deserit, aut persistens in congregatione longe aliter se quam solebat agere et habere incipit, ut, qui summæ prius erat constantiæ, summæ sit inertiæ ac negligentiæ; qui bono et simplici oculo omnia prius conspexerat, malitioso et perverso corde cuncta quæ videt in malam partem A vertere incipiat. *Vestitur aliis vestimentis*, quando deposito ornatu virtutum, relictis, inquam, operibus justitiæ, cadit ad injustitiæ et peccati opera, quæ sunt quasi alia vestimenta.

Abiit ipse et duo viri cum eo. Qui sunt *duo viri ejus ?* Possumus dicere quod quasi unus vir sit falsa spes, alter vero vir sit desperatio. Comitatur eum ex hac parte vir ille qui dicitur falsa spes, quando falsa spe cœlestis præmii turpiter et juxta mollitiem carnis suæ vivere incipit, et in ipsa tamen mollitie sua atque desidia salvari se putat. Comitatur eum ex parte altera vir ille, qui dicitur desperatio, quando falso timore deceptus desperat, quod per auxilium gratiæ Dei a tentationibus et passionibus his liberari, vel quod ad pristinam mentis constan- B tiam atque fervorem aliquo modo resurgere valeat.

Veneruntque ad mulierem nocte. Et ait illi : Divina mihi in pythone, et suscita mihi quem dixero tibi. Et ait mulier ad eum : Ecce, tu nosti quanta fecerit Saul, quomodo eraserit magos et ariolos de terra. Quare ergo insidiaris animæ meæ, ut occidar ? Hæc verba mulieris verba sunt animæ ad pristinum statum suum hominem revocare cupientis. *Ecce, tu nosti*, inquit, *quanta fecerit Saul*, ac si dicat : Cognosce, miser homo, quid in primordio conversionis tuæ feceris, in quanta perfectionis constantia vitam tuam constitueris, *quomodo magos et ariolos eraseris de terra*, hoc est quomodo omni falsitate atque prosperitate mundi despecta solius Dei timore et C amore pro æternæ vitæ laboraveris retributione. *Quare ergo insidiaris animæ meæ, ut occidar ?* Quare ad hanc devolutus miseriam mortem tuam non attendis, insuper etiam malis tuis actibus *vitæ meæ*, saluti meæ insidiando tecum me occidere festinas et interire?

647 *Et juravit ei Saul in Domino dicens : Vivit Dominus, quia non eveniet tibi quidquam mali propter hanc rem.* Juramentum istud fit inter corpus et animam, quando homo ad quamdam consuetudinem perducit ignaviam suam, quando perfectum timorem futuri judicii, quem prius habuerat, falsa spes cœlestis præmii ita extenuat, ut, quod prius quasi grande nefas in semetipso arguit et reprehendit, hoc non solum non pertimescat, sed in quadam etiam D libertate atque securitate audenter agere incipiat. Dicitur ergo *jurare*, quasi jure firmare, quia jure firmat ut in ipsa torporis sui desidia juste salvari debeat, quandoquidem ei Deus omnipotens pietatis suæ auxilium subtraxerit, ne ad pristinam cordis corporisque constantiam resurgere possit.

Dixitque ei mulier : Quem suscitabo tibi ? Verba hæc verba sunt animæ trepidantis, ab interitu suo hominem revocare cupientis. Et est quasi dicat : Deus omnipotens, qui aliquando tibi vivebat, qui per visitationis suæ gratiam vivificare te intrinsecus solebat, jam tibi mortuus est, sancti ejus mortui tibi sunt. *Quem suscitabo tibi?* Quid jam facere tibi potero quem tendere ad interitum considero ?

Qui ait : Samuelem suscita mihi. Verba mulieris

loquentis et Saulis respondentis ostendunt nobis mirabiles conflictiones illas quas sustinet homo in se, dum modo homo interior dolet, sicut dictum est, et ingemiscit quod per torporis sui ignaviam indignum se fecerit gratiæ Dei, modo homo exterior quasi falsa spe seducens se reluctatur, quodammodo et dicit, *Samuelem suscita mihi*. Quasi dicat : Perire me existimas eo quod temperatis pristinis laboribus meis aliquantulum remissius vivere me consideras. Sed nequaquam ita erit. *Samuelem suscita mihi*, hoc est Deum omnipotentem invoca pro me. Salvari enim potero sicut cæteri homines, qui sine magno laborum certamine vivunt, et tamen salvari confidunt. Post hæc subjunctum est :

Cum autem vidisset mulier Samuelem, exclamavit voce magna, et dixit ad Saul : Videt mulier, id est anima, *Samuelem*, quando timore vel **648** amore Dei interdum tangitur, et compungitur; *clamat quasi voce magna*, quando considerata levitate sua et iniquitate ita terretur, quod ad pœnitentiæ lacrymas movetur et accenditur, et quasi in hæc verba corpus suum, quod in Saule accipitur, alloquitur quodammodo dicens : *Quare imposuisti mihi? Tu es enim Saul*. Saul interpretatur *expetitus* sive *abutens*. Et est quasi dicat : Omnia mala hæc induxisti super me, quia *tu es Saul*, tu es qui misericordia Dei *abuteris*, qui oblitus es miserationum Domini, qui tandiu te sustinuit, qui exhibitam tibi benignitatem Conditoris augmentum tibi fecisti perditionis. Contra hujusmodi animæ clamorem rursum Saul, quod est corpus, falsam spem et falsam consolationem suam obtendit, dicens :

Dixitque ei rex : Noli timere. Quid vidisti? Et ait mulier ad Saul : Deos vidi ascendentes de terra. Ac si dicat : Sanctas inspirationes, quibus ex supernæ dulcedinis gratia aliquando visitabar, jam quasi de longe intueor, sanctarum cogitationum et affectionum, quas aliquando habebam, per quas de terrenis ad cœlestia sublevabar, jam reminiscor, ideoque non immerito timeo, quæ post tanta Dei beneficia jam ad infirma relapsa tecum perire me video.

Dixitque ei : Qualis est forma ejus? Ac si dicat : Si tanto dolore afficeris, quare ad formam prioris conversationis tuæ vitam tuam non instituis?

Quæ respondit : Vir senex ascendit, et ipse amictus est pallio. Quasi dicat : Deus omnipotens, cum quo et in quo quasi in juventute quadam florebam, quando solum illum debitæ charitatis ardore diligebam, jam quasi *vir senex ascendit*, quia ex superbia et torporis mei nequitia jam mihi inseuuit, quia amor ejus mihi refriguit.

Et ipse amictus est pallio. Pallio utique carnis et carnalis vitæ tuæ ita obtectus est mihi et absconditus, quod nullus fulgor solitæ visitationis ejus atque consolationis mihi paret, quia lumen cognitionis et amoris ejus, quod aliquando in me erat, jam exstinctum considerat. Sed, dum sic homo cum seipso confligit, dum modo per desiderium **649** cordis resurgere ad Deum nititur, modo per desidiam carnis

A reliditur et dejicitur, fit aliquando ad horam in homine, quod sequitur :

Intellexit ergo Saul quod Samuel esset, et inclinavit se super faciem suam in terram, et adoravit. Ad intellectum suam redit, Deum esse in se recognoscit. *Inclinat se super faciem suam in terram* corpore Deo se humiliando; *adorat*, precibus quantis valet divinæ pietatis clementiam invocando.

Dixit autem Samuel ad Saul : Quare inquietasti me, ut suscitarer? Responsio hæc Samuelis responsio est Dei omnipotentiæ, qua inclinanti se hoc modo super faciem suam in terram et adoranti interdum respondet, non tamen ea pietatis dulcedine qua ante respondere ei consueverat, sed secundum infirmitatem fidei atque spei, quam jam defecisse in eo considerat.

B *Quare inquietasti me*, inquit, *ut suscitarer?* Suscitari proprie dicitur, qui aut dormit, aut qui mortuus est. Omnipotens autem Deus, qui nec dormit, nec moritur, ea similitudine quasi de somno vel de morte suscitatus homini loqui dicitur, qua et homo, tepore animi pigrescens, malo quodam somno dormire quodammodo atque mori dicitur. Ergo quod ait, *quare inquietasti me, ut suscitarer*, idem est ac si dixisset : Quievi aliquando in te, quando per pietatis meæ gratiam possedi te, sed tu *inquietasti me*, quia me repulisti a te, sed nunc quasi mortuus loquor tibi, quia mortuum te video, nullumque vitalis actionis signum in te invenio.

Et ait Saul : Coarctor nimis, siquidem Philisthiim
C *pugnant adversum me, et Deus recessit a me, et exaudire me noluit, neque in manu prophetarum, neque per somnia*. Ac si dicat : Maligni spiritus et peccata malignorum spirituum instinctu mihi dominantia possederunt me, et invaluerunt contra me, *et Deus recessit a me*, dereliquit me, *et exaudire me noluit, neque in manu prophetarum, neque per somnia*, quia nec bonam voluntatem in corde habeo, nec corpore ad bona opera consurgere valeo.

Vocavi ergo te, ut ostenderes mihi quid faciam. Ostendunt nobis **650** hæc verba multimodas atque diversas illas conflictationes, quas homo patitur, et sentit in se, dum modo prorsus desperans dicit : *Dominus recessit a me*, modo in ipsa sui desperatione rursus Deum incipit invocare. Sed hujus-
D modi invocationem, quæ fit sine fide et spe, Deus quidem audit, sed non exaudit, sed quasi in hæc verba respondens dicit :

Quid me interrogas, cum Dominus recesserit a te, et transierit ad æmulum tuum? Ac si dicat : Quid pro salute tua me invocas, de cujus misericordia desperas?

Et notandum quis sit *æmulus* iste Saulis ad quem relicto Saule Dominus se testatur transisse. *Æmulus* Saulis, qui superbia et desperatione cecidit, erat David, qui in cunctis actibus, in cunctis cogitationibus, in universis tribulationibus suis ac necessitatibus semper in Domino sperabat, semper de misericordia Dei cum summa humilitatis reverentia præsumebat. Ab illo recessit, ad istum transiit, quia

nihil ita Deum offendit, sicut desperationis iniquitas, nihil ita placat Deum, sicut fidei et spei integritas et sinceritas. Hæc est vera et perfecta fides et spes, ut nunquam homo ita cadat, nisi resurgere se posse per misericordiam Dei credat. Hujus itaque rei evidens exemplum habemus in duobus istis regibus. Peccavit Saul, peccavit et David. Iste peccavit, et propter desperationem in peccato suo periit; ille peccavit et propter fidem et spem, quam ad Deum habuit, salvari a peccato suo promeruit. Quicunque ergo imitator est Saulis, qui ita in Deo dubitat, quod desperat, ut per misericordiam Dei salvari possit vel debeat, in hoc sine dubio subjecta Samuelis verba implebuntur dicentis :

Faciet tibi Dominus sicut locutus est in manu mea, et scindet regnum de manu tua, et dabit illud proximo tuo David, quia non obedisti voci Domini, neque fecisti mandatam iram furoris ejus in Amalec. Idcirco quod pateris, fecit tibi Dominus hodie. In *Amalec*, qui interpretatur *populus lambens*, de quo præcepit Dominus Sauli dicens : *Vade et percute Amalec, et demolire universa ejus, et non concupisces ex rebus ipsius aliquid* (*I Reg.* XV, 3), sive superbiam, sive deformia et turpia carnis **651** peccata atque desideria, quæ vere *iram furoris Domini* suscitant, non incongrue æstimo intelligenda, quæ in initio regni sui in primordio utique conversionis suæ homo ita Deo jubente interficere in se debet, ut et universa ejus demoliatur, et interfecto in se peccati opere exterius nihil sibi relinquat, quod concupiscat, vel unde delectetur interius. Sed *mandatam iram furoris Domini in Amalec* ille *non facit*, qui carnalia peccati opera exterius deserit, sed carnalibus adhuc desideriis et cogitationibus delectabiliter seipsum intrinsecus pascit, qui signa superbiæ non relinquit, hoc est qui habitum, non animum mutat, qui sub veste humilitatis elatum cor portat. Et est quasi dicat Deus : Elegi quidem te, ut essem et regnarem in te, sed *quia non fecisti mandatam iram furoris Domini in Amalec, scindam regnum de manu tua*, ut potestatem illam, quam super regnum tuum, corpus utique et animam tuam aliquando me donante habebas, deinceps habere non valeas. Insuper etiam, *Dabit Dominus Israel tecum in manus Philisthiim.* Quia a dominantibus tibi malignis spiritibus ita obcæcaberis, quod ipse etiam lumine cognitionis meæ, quod adhuc in te est penitus privaberis. Sed tolerabile quidem malum hoc esset, si huic aliud, quod gravius est, post hanc vitam non succederet.

Cras etenim tu et filii tui mecum eritis. Cras, inquam, hoc est, cum tempus præsentis vitæ transierit, et districtus futuri judicii mei dies advenerit, *tu et filii tui*, id est opera tua, *mecum eritis*, ubi tremendo judicio meo assidetis, non ut salvemini, sed ut damnemini.

Sed et castra Israel dabit Dominus in manus Philisthiim, quando post peractum judicium corpore simul et anima malignis spiritibus subjicieris, ubi in æterno inferni supplicio æternaliter cum illis subjacebis. Sed quando aut quomodo loquitur hæc Deus homini? Tunc videlicet, quando eum aut lingua doctoris increpat, vel certe voce Scripturarum æternum ei comminatur supplicium, nisi resipiscat. Sed qui salvandus non est, hic nec lingua doctoris ædificatur, nec invectione Scripturarum **652** ab iniquitate sua revocatur, sed de correptione cadit ad desperationem, sicut consequenter ostenditur, cum protinus subinfertur :

Statimque Saul cecidit porrectus in terram. Cadit porrectus in terram, quando non porrigit se Deo nec cœlestibus, sed quasi totus ad terram prostratus, totus terrenis et carnalibus desideriis deditus, peccata quod flendo et pœnitendo mundare potuit, nova quotidie peccata cumulare incipit. Sed unde hoc? Ex eo videlicet quod subjungit Scriptura dicens :

Extimuerat enim verba Samuelis, et robur non erat in eo, quia non comederat panem tota die illa. Bonum utique est, ut verba Samuelis, verba Dei omnipotentis homo timeat, sic tamen, ne propter timorem ad desperationem corruat. David peccavit, et verba Domini, quæ per Nathan prophetam audivit, timuit quidem ; sed non extimuit, sed ipso etiam timore pœnam evasit, quam meruit, quia robur fidei habuit ; speravit enim in Domino, et salvatus est. Saul verba Samuelis audivit, et non modo timuit, sed extimuit, quia robur fidei non habuit. Desperavit enim, et desperatus est. Sed jam ad nos redeamus, et quid spiritali homini timorem hunc, qui ad desperationem ducit, pariat, videamus.

Et robur, inquit Scriptura, *non erat in eo, quia non comederat panem tota die illa. Panis* iste est, ut arbitror, doctrina sacræ Scripturæ. *Tota dies illa*, in qua panem istum non comedisse probatur, tranquillitatem illuminatæ mentis non incongrue significat, quam in initio conversionis suæ aliquando cum Deo habuerat. Ideo utique omnia hæc, quæ audivimus, Deo permittente, homo patitur, quia dum adhuc diem habebat, dum in prosperitate illuminatæ mentis adhuc cum Deo erat, *panem* hunc sacræ Scripturæ, unde robur fidei ac longanimitatis patientiæ acquiritur, parvipendit, neque more manducantis assiduo dentibus memoriæ in cibum animæ suæ transferre satagit. Sequitur :

Ingressa est itaque mulier illa ad Saul (conturbatus enim erat valde) dixitque ad eum : Ponam *coram te* **653** *buccellam panis, et comedens convalescas, ut possis iter agere. Mulier* ista est adhuc, sicut prædiximus, infirma anima, quæ quasi *buccellam panis ponere coram Saule* nititur, dum exteriorem hominem suum ad pœnitentiam et confessionem hortatur quæ per buccellam panis non incongrue significatur ut comedens ad agendum iter convalescat, hoc est ut quasi quibusdam pœnitentiæ dentibus confringens, peccata sua atque comminuens, consideret quantum in pravis actibus prostratus jaceat, si forte resumpta spe ad perficiendum cœptum iter vitæ spiritalis, a quo male negligenterque vivendo cecidit,

pœnitendo negligentias suas ac confitendo resurgere possit. A

Qui renuit et ait : Non comedam. Dicere *non comedam* est pœnitendo et confitendo redire nolle ad veniam.

Coegerunt autem eum servi ejus et mulier, et tandem audita voce eorum surrexit de terra, et sedit super lectum. Surgere istud non est bonum surgere, sed malum. *Surgit de terra*, quando eo usque devolvitur, quod etiam superbire incipit de terrena et carnali vita sua, et ea, pro quibus humiliari et timere debuit, quadam præsumptionis audacia irreverenter et sine timore agere præsumit. *Sedet super lectum*, quando pulsantibus vitiis nullo modo resistit, sed in delectatione carnis suæ quamdam sibimetipsi requiem facere incipit. Congrue enim per *lectum*, in quo requies carnis est, ipsa caro intelligi potest. Recto autem ordine subjunxit Scriptura dicens :

Mulier autem illa habebat vitulum pascualem in domo, et festinavit, et occidit eum, tollensque farinam miscuit, et coxit azyma. Et posuit ante Saul *et ante servos ejus.* In *vitulo pascuali* lascivia carnis satis convenienter **654** potest significari. Appositum sibi vitulum cum servis suis Saul quodammodo comedit, quando cum universis sensibus suis homo desperatus ad malum inclinatur, lascivisque delectationibus suis servire atque delectabiliter in eis pascere seipsum cœperit. In farina vero subtilitatem sacræ Scripturæ intelligendam æstimo. *Tollere farinam et miscere*, est puritati sacræ Scripturæ pravum et iniquum intellectum admiscere. Mista hoc modo farina, mista, inquam, pravo intellectu sacra Scriptura, recte subjungitur *et coxit azyma*, quod est panis absque fermento, quia panis, id est doctrina illa, quæ inde procedit, non erigit cor hominis ad Deum sed deprimit, magisque excæcare hominem videtur quam illuminare. Unde apte mox infertur :

Qui cum comedissent, surrexerunt et ambulaverunt per totam noctem illam. Surgere, per totamque noctem ambulare est excæcatum in superbia et malitia sua hominem eo usque pergere, quod justo Dei judicio in manus Philisthiim, in manus videlicet malignorum spirituum corpore et anima traditur, cum quibus sublata sibi spe vitæ æternæ, sine fine cruciabitur. Ecce regnum Saulis, regnum utique injustitiæ et perditionis, quod idcirco voluit Deus, ut præscriberetur nobis et legeretur, ut quanto frequentius audimus et legimus, tanto constantius contra illud vigilemus, ut si forte surgere contra nos incipiat, summo conamine reprimatur, ne crescat et prævaleat, quatenus ad regnum David, quod est regnum justitiæ, consurgere mereamur. Quod ipse præstare dignetur Dominus noster Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

655 HOMILIA LXVI.

IN DOMINICAM V POST PENTECOSTEN PRIMA.

Cum turbæ irruerent in Jesum, ut audirent verbum Dei, et ipse stabat supra stagnum Genesareth (*Luc.* v).

Quatuor Dominicis præcedentibus transactis, quinta jam in ordine succedit, quæ quintæ illi diei creationis mundi non injuste aptari potest. Quidquid enim ibi operis Dominus legitur fecisse, totum, ut mihi videtur, evangelicæ lectioni et orationi concordat.

Ut autem primum ad litteram dicamus, magnum et evidens divinæ miserationis opus hoc præsenti Evangelio commendatur, quod tota nocte laborantibus discipulis tam copiosum victum præbere dignatus est. Si enim una tantummodo nocte laborantibus victum benigne præbendo adfuit, qua putamus pietatis magnitudine hic et in futuro illis aderit, qui non una nocte, sed continuis diebus et noctibus vigilare et laborare in ejus student laudibus? Unde quinta beatitudo, quam misericors Dominus misericordibus repromittit dicens : *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur* (*Matth.* v, 7), quintæ huic Dominicæ non immerito inscribitur. Hinc Petrus in Lectione hodierna, idem quod et Evangelium commemorat, commendat dicens : *Omnes unanimes in oratione estote, fraternitatis amatores, compatientes, misericordes* (*I Petr.* III, 8). Nunc de die quinta, ut cœpimus, dicamus. B

Dixit quinta die Deus : Producant aquæ reptile animæ viventis, et volatile super terram sub firmamento cœli. Creavitque Deus cete grandia, et omnem animam viventem atque motabilem, quam produxerant aquæ in species suas, et omne volatile secundum genus suum. Et vidit Deus quod esset bonum, benedixitque eis dicens : Crescite et multiplicamini, et replete aquas maris, avesque multiplicentur super terram. Et factum est vespere et mane dies quintus (*Gen.* I, 20-23). C

656 In aquis istis, quæ producunt reptile animæ viventis, compunctionis gratia potest designari. Nam quando homo primum peccata sua Deo miserante incipit recognoscere, et ita, dico recognoscere quod etiam deflere et lugere ea coram Domino potest, illud est quodammodo aquas producere reptile animæ viventis. Illud est quod hodiernum Evangelium dicit, turbas irruere in Jesum. Et bene aquæ istæ producunt reptile animæ viventis. Anima enim moriens est homo, quando peccatis delectatur, in peccatis conversatur. A peccatis autem Deo adjuvante conversus fit veraciter anima vivens, ut bene de eo dici valeat quod alibi legitur : *Et factus est homo in animam viventem* (*Gen.* II, 7). D

Factus autem in animam viventem, videt jam, et sollicite considerat in quibus peccatis et vitiis dudum repebat, et per hæc fit volatile super terram sub firmamento cœli. Per *reptile* possumus intelligere peccata, per *volatile* bona opera. Volatile fit homo, qui prius reptile erat, quando volat de pœnitentia ad satisfactionis operationem, de spiritu timoris ad spiritum amoris. Et per hæc volat super terram, quando terram suam, id est carnem suam tali dominio incipit superare et domare, ut semper sub se eam deprimat, ne seducat, ne quando spiritum decipiat. Et hoc *sub firmamento cœli*, hoc

est sub firmata et ita stabilita mente bona opera debet agere, ut non permittat ea super cor transire, id est ut laudes humanas non requirat, quia si transitoriæ laudis gloriam non quæsierit, procul dubio super cor non transeunt, sed sub firmatæ mentis custodia soli Deo conservabuntur :

Creavitque Deus cete grandia et omnem animam viventem atque motabilem, quam produxerant aquæ in **657** *species suas, et omne volatile secundum genus suum.* Videtur mihi per hæc tria tres ordines posse notari, quos Deus omnipotens in Ecclesia ordinavit, atque constituit. Per *cete grandia* carnales; per *animam viventem et motabilem* spirituales; per *omne volatile* prælatos. Quia enim cete abundant carnibus, bene per cete grandia carnales et sæculares possunt accipi, per animam viventem et motabilem spirituales. Quod non dicit *mobilis*, sed *motabilis*, per hoc designat nobis quemdam bonum motum, qui fit in homine, quia verbum hoc *mobilis* et in malo et in bono; *motabilis* vero raro nisi hic invenitur, et in bono accipi potest. *Creavit itaque Deus cete grandia*, quia sæculares et carnales in eo quo sunt ordine vult esse et bene esse. Non enim omnes spiritales possunt esse. *Creavit* etiam *omnem animam viventem atque motabilem*, id est spiritales, quorum anima non mobilis, sed motabilis sit quia bene anima illa *motabilis* dicitur, quam totam, ut ita dicam, Deus movit, quam de peccatis ad bona et sancta opera, de spiritu timoris ad spiritum amoris misericorditer promovit. De qua bene dicitur *quam produxerant aquæ in species suas*, quia per aquas et flumina lacrymarum producitur, imo reducitur ad antiquam speciem, hoc est ad innocentiam et priorem animæ pulchritudinem, quam peccando perdidit, per quæ iterum ad imaginem et similitudinem Dei reformari meretur.

Sed quia ad profectum conversorum seu sæcularium magisterium deesse non debet prælatorum et doctorum, recte subditur : *Et omne volatile secundum genus suum.* Quod dicit *secundum genus suum*, per hoc ostendit quia aliud præesse debet illis esse qui spiritales sunt, aliud præesse debet illis esse qui carnales sunt. Et hoc est esse *volatile secundum genus suum.* Alia enim doctrina impendenda est spiritalibus, alia carnalibus; nec ea quæ spiritalibus dicuntur exponenda sunt carnalibus, sed quod utrisque congruit suo in tempore doctor quisque docere et proferre debet. Fit et ipse homo quasi *omne volatile*, quando totus, quantum hic possibile est, per dulces cordis affectiones ad Deum sublevatur, cunctasque ei a Domino vitæ præsentis vanitates penna contemplationis transvolare donatur. Sequitur :

Et vidit Deus quod esset bonum, benedixitque eis dicens : Crescite et **658** *multiplicamini, et replete aquas maris, avesque multiplicentur super terram.* Videre hoc Deus dicitur quod diligere comprobatur. Diligit enim profectum suorum, et benedictionem dat suam dicens : *Crescite et multiplicamini.* Hæc est benedictio ejus, qua spiritales et carnales benedicit, carnalibus, ut ita dicam, simpliciter dicens *cresci-te* nascendo et generando quia non est voluntatis ejus ut omnes sint spiritales. Vult enim ut spiritales procreentur a carnalibus. Spiritales vero hac benedictione benedicuntur, ut *multiplicentur*, id est ut in bonis actibus sint proficientes, in virtutum numerositate semper progredientes et eminentes. Post hanc virtutum multiplicitatem congrue *replere aquas maris* jubentur. Quid per *aquas maris* nisi profunda sacræ Scripturæ scientia? Has aquas maris homo tunc replet, imo adimplet, quando vigilanter eadem, quæ de Scripturis sacris didicit, vel audivit, operibus exsequi pro modulo suo non intermittit. Tunc et *aves multiplicantur super terram*, quia talibus plerumque elementi dispositionis suæ ordine Dominus tales magistros et doctores præficit et providet, qui eis utiliter præesse et prodesse sciant. Vel sic aves multiplicantur, quando ipsi beato homini bona opera, bona desideria adjiciuntur, et quotidie in eo augmentantur. Hæc omnia quinta die facta legimus. Hæc evangelicæ, ut video, lectioni non injuste coaptari possunt. Ait namque evangelista :

Cum turbæ irruerent in Jesum, ut audirent verbum Dei, et ipse stabat secus stagnum Genesareth. Turbæ istæ, quæ irruunt in Jesum, turbatos in pœnitentia hominis sensus non incongrue exprimunt. Nam quandiu homo peccata diligit, peccatis congaudet, nequaquam turbatos ad pœnitentiam sensus habet. Cum vero, supernæ miserationis gratia se visitante, ante oculos mentis præterita peccata sua reduxerit, et pro eidem illicitis actibus, quæ commisit, turbari et affligi per spiritum timoris incipit, hoc est quodammodo turbas irruere in Jesum. Tunc etiam, ut prædiximus, producunt aquæ reptile animæ viventis. Producere enim aquas reptile est turbas irruere in Jesum? Quare irruunt in Jesum? *Ut audiant verbum Dei*, hoc est, ut per verbum et præcepta Dei doceantur, quomodo ad eum pervenire valeant, qui est Verbum Dei Patris.

659 Et notandum quod *irruerunt* in eum quia per hoc innuitur, ut quemadmodum aliquando ad peccata proni et veloces exstitimus, tantum nunc festini et strenui auditores esse debemus verbi Dei. Sed quia per seipsum nihil homo habet, vel per se agere valet, recte subjungitur : *Et ipse stabat*, id est Dominus stare incipiebat, *secus stagnum Genesareth.* Stagnum dicitur, quasi *stans aqua*. Fit, ut mihi videtur, quasi *stans aqua* in homine, quando carnalis vitæ concupiscentia a sua, qua fluebat, dissolutione, per Dei misericordiam stare; id est quiescere incipit. Venit namque Dominus ad plurimorum corda, (non enim est, qui se abscondat a calore ejus) stare suum ibi non facit, ubi et in bono opere, et in perfecta pœnitentia homo non perseverat. A quibuscunque vero ita irruitur in eum, quod et in bonis actibus et in pœnitentia stabiles sunt, juxta illos stabit, quia esse suum in eis facit. Stat autem Dominus *juxta stagnum Genesareth*, quod interpreta-

tur, *generans sibi auram*, dum per hanc stantem compunctionis aquam, ipso Domino adjuvante generat sibi homo auram, id est spem æternæ salutis quia hac aqua stabilis pœnitentiæ datur ei spes perpetuæ tranquillitatis et pacis.

Et vidit duas naves stantes secus stagnum Genesareth. In *duabus navibus* istis interior et exterior homo noster valet intelligi. Hæ duæ naves *stant secus stagnum*, quando statum quemdam homo sibi facit, seipsum cognoscendo et in pœnitentia perseverando quia, etsi sunt, qui peccata sua recognoscunt, sed [si] in pœnitentia non perseverant, secus stagnum nullo modo stant. Hi vero secus stagnum sunt stantes, qui velut in stagno sive aqua limpidissima seipsos clare intuentes, quid in corpore, quid in anima peccati contraxerunt, recognoscunt, et quidquid illud est quod peccaverunt, stabili pœnitentia satisfacere proponunt. Hoc *videre* dicitur Deus quia hoc diligit Deus, hoc bene placitum est in oculis ejus. Sic secus stagnum stantes, id est in vera pœnitentia perdurantes, veri et boni illi piscatores fiunt, de quibus subditur:

Piscatores autem descenderant et lavabant retia. Piscatores isti nos sumus, qui in his duabus navibus laborare debemus, ut tale quid agamus et operemur, quod Domino Deo nostro gratum **660** et acceptum, et nobis salubre ac proficuum sit. Quam tamen piscationem non nisi *descendendo*, id est humiliando nos possumus perficere. Omnia enim bona nostra in profunda cordis humilitate debent consummari. Post hæc *lavari* debent *retia*, quod sunt, ut video, sensus nostri. Retia autem lavare est pollutos sensus peccatis, fletibus emundare. Lotis vero retibus, id est emundatis a peccatis sensibus nostris, bene in typum eorum, quæ intra nos Dominus gerit, subjungitur.

Ascendens autem in unam navim, quæ erat Simonis, rogavit eum a terra reducere pusillum. Per *unam navim, quæ erat Simonis*, qui dicitur *obediens*, potest anima hominis intelligi, quæ se Deo devovit, et ejus mandatis obedire proponit. In unam hanc navim Dominus potius *descendere* quam ascendere, ut mihi videtur, dici potuisset. Omnis enim gratia ejus ad nos desursum descendit; sed per suum descensum ad nos, ad se ascendere facit nos. Non enim per se in sua persona ascendit, sed in nobis ascendit, quando nos ascendentes facit. Et ideo quidquid in homine operatur, totum ei ascribitur. *Ascendens autem in unam navim, quæ erat Simonis, rogavit eum a terra reducere pusillum.* Reducitur homo a terra, id est a terrena vita sua pusillum, quando Deo donante primum opera peccati incipit relinquere. Sed hoc *pusillum* est et exiguum, si adhuc voluntates et desideria peccandi nescit contemnere. Pusillum est ergo peccata relinquere. Sed illud pusillum magnum quodammodo fit, quando etiam voluntates et desideria peccandi relinquere incipit.

Nec prætereundum quod dicitur *rogavit*. Quosdam Dominus tanquam pius, tanquam mansuetus

A *rogat*, quosdam districte venire ad se compellit. Illos enim quodammodo rogat, quos sua solummodo visitatione et amabili dulcedine, absque omni mundi istius confusione, ad se de sæculo conversos venire facit; illos vero, ut ita dicam, compellit, quos diu renitentes, aut infirmitate, sive aliqua alia adversitate emergente tandem mundi contemptores et sui amatores efficit.

Quo facto *sedens* incipit *docere de navicula turbas*. Sessio ista requiem Dei, quam ei a peccatis quiescendo, et pro peccatis **661** nos humiliando facimus, designat. In qua sessione vel requie *docet de navicula*, hoc est de humiliata anima *turbas*, turbatos videlicet sensus hominis, qualiter seipsos recognoscere et deflere, et Deo satisfacere de-

B beant. Ista omnia, quæ modo diximus, fiunt per spiritum timoris. Sed cessante spiritu timoris, fit sublimiter in homine, quod subjungitur:

Ut cessavit autem loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum. Cessat Dominus loqui ad turbas, quando homo diu pro peccatis turbatus, etiam per pœnitentiam purgatus, de timore æternæ damnationis jam aliquantulum intra se cessare incipit. Sic itaque ad spem indulgentiæ promotus ducitur jam de gradu timoris *in altum*, id est in altum illud, quod vere est altum, spiritum utique amoris. De quo *alto* propheta David ait: *Accedet homo ad cor altum* (*Psal.* LXIII, 8). Ecce, qui sic purificatam et illuminatam animam suam Deo largiente ducit in altum, fit, ut

C præmisimus, *volatile super terram sub firmamento* cœli; quia de spiritu timoris vere volitat in altum, id est spiritum amoris.

Vel sic, *ducit in altum*, quando in altum sacræ Scripturæ sensum totum convertit intellectum, ut videat et intelligat quid sequi debeat. Sed quia solus Deus per misericordiam suam operatur in homine, ut et per spiritum timoris turbæ irruant in Jesum, et ut per spiritum amoris navim suam ducere possit in altum, recte in Oratione hodierna, in qua, ut mihi videtur, sensus Evangelii comprehenditur, oramus et dicimus: *Deus, qui diligentibus te bona invisibilia præparasti, infunde cordibus nostris tui amoris affectum.* Hæc enim omnia, quæ in primordio Evan-

D gelii diximus, *bona* sunt *invisibilia*, per quæ eum, quem prævidit dilectorem suum futurum, ad amorem suum præparat, atque sic per bona invisibilia præparatum *ducit in altum*, dum amoris sui infundit affectum. Sed, ducta navi in altum, bene laxari jubentur retia in capturam.

Et laxate retia in capturam. Diximus per *retia* sensus hominis posse intelligi. Hæc retia quasi ligata erant, quandiu homo sub timore erat. Timor enim ligat, amor solvit. Mitigato timore libere et expedite *retia*, id est sensus hominis *laxantur* per amorem *in capturam*; in capturam dico bonarum et justarum voluntatum, seu sanctorum desideriorum **662** et sensuum utilium sufficientiam. Et quia spiritus amoris plus docet hominem de cognitione peccatorum

quam spiritus timoris, recte Simonis responsum nostrum salubre est documentum.

Præceptor, inquit, *per totam noctem laborantes nihil cepimus; in verbo autem tuo laxabo rete.* Hæc verba, verba sunt hominis, seipsum veraciter considerantis, et de consideratis malis intime pœnitentis et dicentis: O Domine, præceptorem meum te esse recognosco; tua enim mihi præcepta dedisti. Sed ego omnium præceptorum tuorum transgressorem me esse recolo et video. *Per totam* enim *noctem laboravi*, id est totum quod vixi, in nocte, id est in ignorantia fuit, et quoniam in nocte et ego et sensus mei fuimus, *nihil cepimus*, id est illud quod nihil est, scilicet peccatum et malum, quod nihil est nisi privatio boni, hoc *cepimus*, hoc, inquam, et non aliud consecuti sumus. *In verbo autem tuo*, hoc est de promissionibus tuis, quibus spem et indulgentiam peccatoribus promisisti, magis ac magis animatus *laxabo rete*, quia totis sensibus meis conversus ad te, ad infinitum misericordiæ tuæ sinum confugio.

Et cum hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam. Bene et congrue dicitur, *et cum hoc fecissent*, quia quicunque ea quæ præmisimus, perfecerint, Deo miserante *copiosam multitudinem piscium* id est vivacium sensuum intra se concludent, et aggregabunt. Sed quia, quandiu in hac vita sumus, in his retibus, id est in his sensibus, quibus Deum sapere deberemus, esse non possumus (*corpus* enim, *quod corrumpitur, aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem* (*Sap.* IX, 15) fit plerumque, hæc ruptio navium [*f.* retium], quæ subjungitur:

Rumpebatur autem rete eorum. Rumpitur rete, quando boni cogitatus, sanctæ affectiones a corde excidunt, et id quod inutile et quod noxium est, cor ingreditur.

Sed ruptis retibus *annuere* debemus *sociis*, *qui sunt in alia navi, ut veniant et adjuvent nos.* Socii isti in alia navi sunt, ut prædiximus, membra corporis nostri. His sociis, ut veniant et subveniant nobis, annuere debemus, quia per exteriores labores corporis ad interiorem illam nos redire oportet gratiam cordis.

663 *Et venerunt et impleverunt ambas naviculas, ita ut mergerentur.* Accedentibus laboribus corporis exterius, implentur ambæ naviculæ, corpus utique bonis actibus, anima bonis sensibus. Notandum quod non dicit, *ut submergerentur*, sed *ut mergerentur.* Quanto enim electi in Deo proficiunt, tanto magis coram Domino in profundam cordis humilitatem sese demergunt. Et quia, qui hoc ordine in sancta Ecclesia profecerit, non sibi soli, sed et aliis verbo et exemplo prodesse poterit, divino interdum nutu agitur, ut ad prælationem etiam contra suam voluntatem assumatur. Et hoc est quod in evangelica narratione subjungitur.

Quod cum videret Simon Petrus, procidit ad genua Jesu dicens: Exi a me, quia homo peccator sum, A *Domine.* Per *genua Jesu* recte prædicatores et prælati intelliguntur, nam sicut per genua homo erigitur et deponitur, sic etiam prælati, quantum subditi seipsos debeant deponere, id est humilia et abjecta de se sentire, admonere necesse habent et ab amore terrestri erigere ad amorem cœlestem. Unde David per genua Jesu primos sanctæ Ecclesiæ prædicatores, scilicet apostolos, intelligens, in persona Domini sic de eis ait: *Genua mea infirmata sunt a jejunio* (*Psal.* CVIII, 24). Jejuni quippe a timore et amore Dei erant, quando imminente passionis articulo, relicto eo omnes fugerunt. *Simon* ergo *Petrus procidit ad genua Jesu*, quando ille, qui aliquando Simon, id est *obediens*, et *Petrus*, id est *agnoscens*, obediens Deo, agnoscens seipsum fuit, sumitur ad B prælationem. Qui bene procidisse dicitur, quia licet foris surrexisse videatur per prælationis honorem, intus tamen gravem mentis patitur dejectionem, dum a solita retrahitur quiete, et amica sibi privatur dulcedine.

Sed dum videt et perpendit quod omnipotentis Dei ordinationi contraire non valet, ad illum, a quo omne datum optimum, totaque salus et gratia speranda est, convertitur, orans ut talis ei actio talisque vita et prædicationis virtus tribuatur, unde perpetuo nomen ejus collaudetur. *Exi*, inquit, *a me, Domine, quia peccator homo sum.* Ac si dicat: *Exi a me in* prædicatione, *exi a me* in operatione, id est ita *exi a me* in prædicatione, ut doceas me quid dicam, et sic *exi a me* in C **664** operatione, ut agere valeam quod acceptum sit coram te omni tempore. *Quia peccator homo sum;* si enim illud exierit a me quod ego sum, nihil est nisi peccatum.

Stupor enim circumdederat eum, et omnes qui cum illo erant in captura piscium, quam ceperant. Stupor mentis est alienatio, qua homo a se alienatur, quando in stuporem convertitur. Qui profecto *stupor*, id est mentis alienatio, *circumdat* eum, quando per exteriores curas distenditur, et a solitæ contemplationis dulcedine quodammodo alienus efficitur. In qua mentis alienatione ex exteriorum rerum occupatione, *omnes qui cum illo erant*, omnes videlicet sensus et motus illius qui cum illo erant *in captura piscium*, id est quas tunc secum habebat, quando subtiles et D nobiles sensus et intellectus ex sacra Scriptura, quasi piscator quidam extrahere solebat, admittit, nec jam, uti solitus erat, nobilium piscium, scilicet nobilium sensuum captura gaudere valebit.

Similiter quoque Jacobum et Joannem filios Zebedæi, qui erant socii Simonis. Per *Jacobum*, qui interpretatur *supplantator*, accipitur *bona operatio*, per Joannem *dulcis oratio.* Hi duo *filii* sunt *Zebedæi*, quod interpretatur *iste fluens*, id est hominis, qui per gratiam Dei ubertim aliquando lacrymis fluere solitus, bonorum filiorum procreatione Deo videlicet dignæ operationis profectu, et dulcis orationis instantia abundabat. Qui profecto filii bene *socii Simonis* dicuntur, quia boni operis sublimitas, et internæ dulcedinis assiduitas magnam, ut ita dicam, societatem

habent cum Simone, hoc est cum homine Deo devote obediente.

Et ait ad Simonem Jesus: Noli timere, ex hoc enim homines eris capiens. Ac si prælatum nimis pro se sollicitum Dominus consoletur et dicat: Times quidem ex eo quod aliis debes præesse, et tibi minus prodesse; si minorem fructum in te et majorem fructum in subditis videris, *noli timere; ex hoc enim homines eris capiens*, id est multorum animas ad viam vitæ æternæ perduces.

Jam sequitur, ut mihi videtur, remuneratio et subditorum et prælatorum, eorum qui pie subesse, et si præesse contingat, in humilitate student præesse.

665 *Et subductis ad terram navibus, relictis omnibus, secuti sunt eum. Subducuntur ad terram naves*, cum corpore et anima ad terram viventium pervenerimus, ubi vere, *relictis omnibus*, sequi perfecte Dominum poterimus. Ad hæc obtinenda et quærenda iterum ducit et docet nos Oratio hodierna, in qua sic petimus, ut ille qui diligentibus se bona invisibilia præparavit, infundat cordibus nostris sui amoris affectum, *ut enim in omnibus et super omnia diligentes*, hoc est sive simus in omnibus et cum omnibus in subjectione, sive simus super omnes in prælatione, *promissiones ejus, quæ omne desiderium superant*, subductis ad terram navibus nostris, *consequamur.* Quod ipse præstare dignetur, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

666 HOMILIA LXVII.

IN DOMINICAM V POST PENTECOSTEN SECUNDA.

Factum est, cum sedisset rex in domo sua, et Dominus dedisset ei requiem undique ab universis inimicis suis, etc. (*II Reg.* VII.)

Sicut quartam Dominicam istam congruam quamdam similitudinem habere diximus cum quarta ætate sæculi, in qua Dominus plebi Israeliticæ reges constituit, quorum primus erat Saul, de quo tunc recitatum est, quomodo Domino displicuit, quomodo destructo regno ejus, ipse reprobatus a Deo per manus hostium interiit; sic quinta hac Dominica congruo et pulchro satis ordine legitur, quomodo regnum David, qui vere Domino placuit, consurrexerit, et in manu Domini roboratum sit. Illud regnum Saulis regnum significat injustitiæ et peccati, quod nisi funditus in homine destruatur et intereat, non potest surgere regnum David, quod est regnum justitiæ et pietatis.

Et quia Dominica hæc quinta tota respicit ad munditiam cogitationum, et custodiam cordis, totum quod de regno David legitur, totum ad regnum illud, quod intra nos Deo constituere debemus, tendere videtur. Quisquis enim, sicut præmisimus, factus est volatile super terram sub firmamento cœli, cujuscunque animam produxerunt aquæ in species suas, et Dominus Jesus irruentibus turbis in eum stare secus stagnum Genesareth comperit, regnum David veraciter in eo consurrexit, quod

A quandoque in eo pleniter perficietur, cum subductis ad terram navibus, relictis omnibus, Dominum sequentur. De quo regno Davidis refert liber secundus Regum.

Factum est, cum sedisset rex in domo sua, et Dominus dedisset ei requiem undique ab universis inimicis suis, dixit ad Nathan prophetam: Videsne quod ego habitem in domo cedrina, et arca Dei posita sit in medio pellium? In rege David hominem quemlibet fidelem, et in Deo perfectum potes intelligere, qui per Dei misericordiam, amoto et sublato a se regno injustitiæ, transiit et pervenit ad regnum justitiæ, ad regnum illud, cujus thronus, sicut in consequentibus ait, in sempiternum stabilietur; destructo in homine regno injustitiæ, et

B firmato regno justitiæ, revera, sicut litteræ textus incipit et præmittit, *factum est, cum sedisset rex.* Grande et memorabile *factum* Dei omnipotentis est, cujus infinitæ bonitatis opus est, si unquam regnum iniquitatis in aliquo cadat, et laudabile æquitatis regnum consurgat.

Nec prætereundum quod rex ipse David interpretatur *manu fortis*, sive *visu desiderabilis.* Homo enim fidelis, quem per David posse significari diximus, si bene ordinatum cordis sui regnum vult habere, debet et *manu fortis*, sive *visu desiderabilis* esse. Est *manu fortis*, quando perfectus esse laborat in activa vita; est *visu desiderabilis*, quando concupiscibilia illa æternæ vitæ gaudia mente utcunque videre et desiderare incipit in contemplativa vita. *Sedet in*

C *domo sua*, cum in corpore suo, quæ est quædam domus animæ, a carnalibus concupiscentiis et vitiis quietem quamdam Deo donante potest habere. *Dat ei Dominus requiem undique ab universis inimicis suis*, cum, sedatis motibus perversis et vitiis exterius, **667** omnem etiam voluntatem peccandi aufert interius.

Cum factum istud magnum, sicut audistis, erit, quod rex in domo sua sederit, quod Dominus requiem undique ab universis inimicis suis dederit, dicit ad Nathan prophetam: *Videsne quod ego habitem in domo cedrina?* Nathan interpretatur *donum Dei.* Loquitur ad Nathan homo, quando divinæ inspirationis dono visitatur, ex qua amabili et dulci

D visitatione de donis Dei sibi præstitis gratulatur et hilarescit, de malis imminentibus, de tentationibus vicissim succedentibus tristatur, ingemiscit et queritur dicens: *Videsne quod ego habitem in domo cedrina, et arca Dei posita est in medio pellium?* Cedrus fortitudinem habet et odorem. Hæc duo homo habere debet: fortitudininem, ut peccatis fortiter resistat; odorem, ut bonæ opinionis fragrantiam de se aliis emittat. *Videsne*, inquit, *quod ego habitem in domo cedrina?* ac si dicat anima beata: Ex dono Dei et Domini mei est quod domus mea cedrina est, hoc est quod fortitudinem hanc habeo, per quam forti animo peccatis in corpore peccati resistere valeo. Sed et cum fortitudine non deest odor; quia etsi non propter solius dile-

ctionis tuæ dulcedinem peccare desisterem, saltem A ne malæ opinionis odor de me exiret, unde aliis occasionem peccandi præberem, peccata perhorrescerem. Ecce homo ille qui factus est volatile super terram, qui volitavit de spiritu timoris in altum amoris, qui laxavit retia sua, id est sensus suos, in capturam bonarum virtutum, bonarum affectionum, sanctorum desideriorum, ecce quomodo ædificavit sibi domum cedrinam.

Sed licet cedrina sit domus ejus, ut et fortitudinem habeat et odorem, deest adhuc aliquid, unde in præsenti semper lugeat et doleat. Quid est hoc? *Et arca Dei*, inquit, *posita sit in medio pellium?* In arca Dei anima hominis potest intelligi, quæ tunc vere dicitur et est *arca Dei*, quando in se continet Filium Dei, quando in se portat et servat manna B dulcedinis verbi Dei. Quæ arca tandiu posita manet *sub pellibus*, quandiu corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, quo usque pelles mortalitatis nostræ **668** gestamus, ex quibus, pellibus in mente peccatis impetimur et impugnamur. Hinc, quantum video, sensus iste concordat Evangelico sensui, et verba David verba sunt Petri, et verba Petri sunt verba Davidis, hominis cujuslibet de profectu suo nunc gratias agentis, nunc de defectu suo ingemiscentis. Ille dicit: *Videsne quod ego habitem in domo cedrina, et arca Dei posita sit in medio pellium?* Iste unus idemque homo dicit: *Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus; in verbo autem tuo laxabo rete; et hoc cum fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam* (*Luc.* v, 5, 6). Quia quamlibet domus nostra sit C cedrina, tamen quandiu arca Dei posita est sub pellibus, quasi per totam noctem laborantes, illud, quod nihil est, peccatum capimus. Sed inter hujusmodi verba respondet Nathan regi; quia illud donum Dei, interna illa suavitas, quæ cor reficit, hominem sursum ad Conditorem suum, ne in his vicissitudinibus tentationum desperet, confortat et sublevat dicens:

Dixitque Nathan ad regem: Omne quod est in corde tuo, vade et fac, quia Dominus tecum est. Quod nihil aliud esse æstimo, nisi quasi Dominus bonis et sanctis desideriis hominis dicat invisibiliter: Bene omnia mente pertractasti, bona et perfecta est coram me voluntas tua. Ideo *vade* de bonis ad meliora, de virtute in virtutem, *quia Dominus tecum est*. Sequitur:

Factum est in nocte illa, et ecce sermo Domini ad Nathan dicens: Vade et loquere ad servum meum David: Hæc dicit Dominus: Nunquid tu ædificabis mihi domum ad habitandum? Quid per *noctem* nisi præsentis vitæ ignorantia designatur, in qua semper homo erit, quia ad plenam Dei cognitionem nunquam in præsenti pervenit, quamlibet a Deo illuminetur et visitetur? Inde est quod et hodiernum loquitur Evangelium, *rumpebatur autem rete eorum* (*Ibid.*); quia præsentis vitæ ignorantia quædam est ruptio retium, ut nullo modo, sicuti vellemus, sapere et continere in cordibus possumus Deum. Attamen in nocte ista factum sermonem Dei operatum, *ad Nathan loquitur*. **669** quia nos primitus tenebris ignorantiæ involvimur, cor autem nostrum dono gratiæ Spiritus sancti illustrat et perfundit, datque nosse et intelligere sermonem Dei. Et quid loquitur nobis sermo Domini?

Numquid tu ædificabis mihi domum ad habitandum? Ægre, inquit, fert animus tuus vicissitudines tentationum, molestias insurgentium vitiorum, voluntatis tuæ esset ut arca Dei in medio pellium posita non esset, in nocte præsentis vitæ versari nolles, quia ibi esse velles ubi de plena die cognitionis meæ gauderes. Sed, *nunquid tu ædificabis mihi domum ad habitandum?* Hoc est, nunquid in corpore mortis poteris ædificare mihi domum ad habitandum perpetuo in te quod non erit, nec esse debet nisi post hæc?

Sed et verba hæc unicuique bono prædicatori et prælato loquitur Dominus, quem propter aliorum ædificationem sumpsit ad prælationem: *Numquid*, inquiens, *tu ædificabis mihi domum ad habitandum?* Tu, quicunque es, quem assumpsi ad prælationem, si per exteriores curas distentus, stabilem mihi in te non poteris ædificare mansionem, noli timere, quia profectus ille et ædificatio proximorum magnus quandoque tibi fructus erit præmiorum.

Neque enim habitavi in domo, ex die qua eduxi filios Israel de terra Ægypti usque in diem hanc.

Per *filios Israel* possumus intelligere primos parentes nostros Adam et Evam; per *terram Ægypti*, paradisum. Ego, inquit, Deus omnipotens, humanam naturam in primordio ita creavi, ut esse meum in illa esset, si non peccasset. Sed quia obedire noluit, et vetitum pomum tetigit, ac per hoc *de terra Ægypti* illos *eduxi*, et ante paradisum collocavi, *ex illo die usque in diem hanc in domo non habitavi*, quia omnis homo, qui domus mea esse deberet, licet perfectus sit, aliquid de peccatis in se sensit, unde non potest in eo stabilis fore domus habitationis meæ. Quapropter, quia non in hac vita, sed in futura erit, quod quæris, sufficiat tibi quod *Fui tecum in omnibus, ubicunque ambulasti,* D *et interfeci inimicos tuos, fecique tibi nomen grande juxta nomen magnorum, qui sunt in terra. Dedi* pro certo *tibi nomen grande*, quando de carnali et sæculari homine spiritalem te feci hominem. Et hoc nomen imposui tibi **670** *juxta nomen magnorum*, id est perfectorum, *qui sunt in terra*, ut tu non de numero imperfectorum, sed perfectorum meorum esses et magnorum. Hæc munera mea juxta magnificentiam meam et utilitatem tuam tibi in præsentiarum contuli; restat adhuc magnum aliquid, infinitum aliquid, quod in futuro tibi præparavi et dono donare proposui. Sequitur:

Cumque completi fuerint dies tui, et dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen quod egredietur de utero tuo, et firmabo regnum ejus. Cumque dies et

annos vitæ tuæ compleveris, et tempus istud plenum miseriarum, tribulationum, tentationum laborumque pertransieris, *suscitabo semen* tuum, semen dico spiritum tuum, qui bonum semen fructum multum attulit. Cum *egredietur de utero tuo*, id est cum de vinculis corporis absolutus fuerit, et tu in Domino cum patribus tuis dormieris, eum ad vitam æternam suscitabo, *et firmabo regnum ejus.*

Ipse ædificabit domum nomini meo, et stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum. Ego ero ei in patrem; et ipse erit mihi in filium. Ipse spiritus hominis, quem sic suscitavero, *ipse ædificabit domum nomini meo*, ipse domus mea erit, hic me possidebit, et a me possidebitur, et in regno meo *regnum ejus usque in sempiternum stabilietur.* Ibi quod Patris est, Filio meo exhibebo quia comparticipem et cohæredem regni mei fieri concedo.

Qui, si inique aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum, et in plagis filiorum hominum.

Misericordiam autem meam non auferam ab eo, sicut abstuli a Saul, quem amovi a facie mea. Cum aula illa cœlestis maculam nullam recipiat, sed omnes sancti, omnes perfecti sint, qui illo perveniunt, intuendum quid illud *aliquid* sit, in quo ibi *inique* agere quisquam electorum possit. Est plane, est quantum ego conjicere possum, illud *aliquid inique* agere nihil aliud, nisi quod sancti illi animarum spiritus in æternam claritatis gloriam assumpti, de resuscitando corpore suo, quod in pulvere terræ jacet, adhuc recogitant, optantes coagonistam suum consortem esse coronæ illorum et gloriæ, qui quondam socius et particeps fuit laboris et **671** ærumnæ. Quod *inique agere* licet modicum ac veniale sit, tamen sanctorum animæ, quæ totæ in Deum deberent esse suspensæ, aliquantula interim, donec corpus suum recipiant, a Deo reflectit intentione. Quam sententiam, quantum possum intelligere, Dominus affirmat, in eo quod subjungit, *arguam eum in virga virorum*, tanquam dixisset: Si illud *aliquid inique agere* unicuique electo meo est inevitabile, non miretur, non turbetur. *Arguam* enim *eum in virga virorum*, hoc est veraciter sciat quod hæc est *virga* non mulierum, sed *virorum*, omninum dico perfectorum et fortium meorum, quia nullus tantæ perfectionis et sanctitatis ab initio erat, vel usque in finem erit, quin hanc virgam meam, hanc tristem sententiam post mortem sustineat, ut corpore suo tandiu careat, donec in generali resurrectione duplicem stolam corporis et animæ recipiat.

Sed et arguam eum in plagis filiorum hominum; quia plagas illas quas meruit iniquitas filiorum hominum, ipse sustinebit, plagas videlicet istas, ut sicut omnis homo, sive bonus sive malus in cinerem et in pulverem terræ tempore præfinito revertitur, cinisque cinerem, terra terram suscipit; sic et ipse in cinerem et terram revertetur.

Misericordiam autem meam non auferam ab eo, sicut abstuli a Saul, quem amovi a facie mea. Quid in Saule nisi primum illum ejectum, scilicet diabolum possumus intelligere quem sic Dominus noster a facie sua amovit, ut nunquam ad eamdem gloriam, quam amisit, resurgere possit aut velit? Deus itaque omnipotens, qui fidelis et verax est in promissionibus suis, ab eo quem *in virga virorum et in plagis filiorum hominum* redarguit, misericordiam suam non aufert, sicut abstulit a primo illo ejecto, quem amovit a facie sua.

Sed fidelis, inquit, *erit domus tua et regnum tuum usque in sempiternum ante faciem meam. Secundum omnia verba hoc locutus est Nathan ad David. Ingressus est autem rex David, et sedit coram Domino, et dixit: Quis ego* **672** *sum, Domine Deus meus, et quæ domus mea, quia adduxisti me hucusque?* Quid est quod promissum est, *secundum omnia verba hæc locutus est Nathan ad David*, moxque subjunctum: *Ingressus est autem rex, et sedit coram Domino*, nisi quod electus quisque loquente Nathan, id est dono Dei se visitante, et de spe resurrectionis et gloria immortalitatis, quam in anima et corpore percepturus est, prædicente, mox cor ingreditur, *et sedet coram Domino*, quia hoc est cor ingredi, et sedere coram Domino, seipsum tantis bonis, tantis Dei omnipotentis dignationibus indignum per omnia æstimare et recognoscere. In quo beato ingressu et felici sessione utitur homo his verbis dicens ad Dominum: *Quis ego sum, Domine Deus meus, et quæ domus mea, quia adduxisti me hucusque?* Hæc, inquit, beatitudo, hæc gratia superexcedit universa merita mea; quæ nulla essent, si misericordiæ tuæ donum me non adjuvasset.

Sed et hoc parum visum est in conspectu tuo, Domine Deus meus, quia dilexisti me, *nisi loquereris etiam de domo servi tui in longinquum. In longinquum locutus es*, quia, quid de anima mea, quid de corpore quandoque futurum sit, notum fecisti. Non rogo, ut virgam virorum et plagas filiorum hominum a me auferas.

Ista enim est lex Adam, Domine Deus. Primus ille parens noster Adam hanc virgam promeruit, cui dictum est: Cum operatus fueris terram, non dabit fructus suos, sed *spinas et tribulos germinabit tibi* (*Gen.* III, 18). Ille primus plagam hanc sustinuit, quod mortis sententiam subiit, cum dictum est ei: Terra es, et in terram ibis. Et ideo, quia ista est lex Adam, et ita coram te præordinatum, tantum obsecro, ne misericordiam tuam a me auferas, sed, sicut locutus es, cum completi fuerint dies mei, suscita semen meum, id est spiritum meum ad vitam, fac, ut in sempiternum contempletur gloriam tuam, corpusque meum, licet modo putrescat, in incorruptionem et immortalitatem in die judicii resuscita et redde. Amen.

673 HOMILIA LXVIII.

IN DOMINICAM VI POST PENTECOSTEN PRIMA.

Amen dico vobis: Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum (*Matth.* V).

Dominica hodierna, quæ ab exordio Dominicarum,

quas celebravimus, sexta ponitur in ordine, sextæ A diei congruit, in qua Deus Pater post creationem cœli et terræ, et omnium quæ in eis sunt, sexta die nobilem creaturam, hominem videlicet creavit ad imaginem et similitudinem suam. De hac sexta die ita in Genesi scriptum est : *Dixit quoque Deus : Producat terra animam viventem in genere suo, jumenta, et reptilia, et bestias terræ secundum species suas. Factumque est ita*, etc. (*Gen.* I, 24.) In terra, quæ animam viventem producere jubetur a Domino, homo peccator valet intelligi, qui tunc animam viventem producit, cum Spiritus sancti afflatu attactus, iniquitates et peccata sua recognoscere incipit, sicque peccata sua cognoscendo in animam viventem efficitur, quia prius anima moriens erat, dum peccatis et vitiis subjacebat. Quæ peccata dum reco- B gnoscere cœperit, hæc omnia *in genere suo producit*, dum singula quæque peccata, prout ea commisit, digne pro eisdem pœnitendo Deo satisfacit. Producit *jumenta et reptilia terræ et bestias secundum species suas*. Per jumenta, ut mihi videtur, accipere possumus ignorantiam, per *reptilia* carnis concupiscentiam vel immunditiam, per *bestias terræ* cordis malitiam intelligere possumus. Jumenta producit homo, dum in amaritudine cordis reminiscitur, quanta peccata ignorans Deum fecerit, quanta in ignorantia sui commiserit; producit et reptilia, dum quidquid per carnis immunditiam vel concupiscentiam deliquit, pœnitere cœperit; producit et bestias terræ, cum ea, quæ per cordis malitiam et superbiam C perpetravit, recognoscere incipit. Et bene hæc *jumenta*, **674** *reptilia et bestiæ secundum species suas produci* jubentur. Diversæ enim sunt species peccatorum. Quidam enim graviora peccata committunt, quidam leviora peccata incidunt. Nam, qui ex industria et per obstinaciam, et superbiam cordis peccant, gravius delinquunt quam qui ex ignorantia, et carnis concupiscentia et infirmitate in peccata corruunt. Et ideo secundum species malitiæ, juxta modum culpæ, pœnitentiæ quoque mensura debet expendi. Qui enim ex obstinacia et superbia cordis malitiose peccavit, majore pœnitentia et satisfactione indiget quam qui ex ignorantia et carnis fragilitate deliquit.

Sed quia homo nil potest per semetipsum, recte D ante hæc verba præmissum est : *Dixit Deus*, quia, ut hæc in homine perficiantur, opus est ut ipse Deus hoc in corde ejus dicat et faciat. Unde et sequitur : *Factumque est ita*. Dicere Dei est, quando primum cordi hominis voluntatem pœnitendi et cognoscendi peccata sua immittit. Quod cum in corde hominis dixerit, necesse est ut perficiatur in re quod prius Deo donante erat in voluntate. Sequitur :

Et fecit Deus bestias terræ juxta species suas, et jumenta et omne reptile terræ in genere suo. Quamvis ordo peccandi talis sit, ut homo prius ex ignorantia et carnis concupiscentia delinquat, tamen, quia gravius est peccare ex industria, peccare ex superbia, ideo peccatum, quod per obstinaciam et superbiam committitur, hic proponitur. Venalia quippe coram Deo sunt illa peccata quæ aut ex ignorantia, aut ex carnis infirmitate admittuntur. Et quia inter ignorantiam et carnis concupiscentiam gravior est excessus ignorantiæ, **675** quam carnalis infirmitatis (ut enim Apostolus ait : *qui ignorat, ignorabitur* (*I Cor.* XIV, 38)) ideo etiam ignorantia carnis fragilitati præponitur. Facit ergo Deus bestias terræ secundum species suas, quando ex dono gratiæ suæ homini attribuit, ut singulas species peccatorum recognoscat, et sicut malitiose et perverse ex industria et superbia peccavit, ita affectuose et constanter eadem peccata sua pœnitendo Deo satisfaciat. Facit quoque jumenta et omne reptile terræ in genere suo, dum minora et venalia peccata, quæ ex ignorantia aut ex B carnis infirmitate commisit, quasi *in genere suo*, id est juxta modum culpæ pœnitere cum facit. Sequitur :

Et vidit Deus quod esset bonum, et ait : Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. Quando videt Deus in homine quod malitiam cordis, quæ ex industria et superbia venit, per humilitatem correxit, et per scientiam, quam ex sacra Scriptura aut a doctoribus et magistris suis, vel a sancta conversatione eorum inter quos commoratur, accepit, ignorantiam suam commutavit, hoc diligit Deus, hoc approbat in homine, hoc bonum in oculis ejus videtur. Multi denique, in sæculari habitu positi, multa per ignorantiam peccata committunt, qui cum C ad Deum redierint, lumenque scientiæ susceperint, graviter se dolent commisisse; et inter se in angustia spiritus gementes dicunt : O si ego in sæculari vita positus hæc coram Domino tam gravia esse præscissem, nunquam Deo teste hæc vel talia agere præsumpsissem. Hunc gemitum, hunc dolorem, quem pro peccatis suis homo per scientiam acquisivit, videt et diligit Deus, sicque ex virtute Dei fit ut hoc quod sequitur, in eo perficiatur : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Licet de imagine et similitudine Dei diversi diversa sentiant, tamen hoc nobis in præsenti loco sufficiat, quod quasi ad imaginem Dei homo noster exterior formatur, dum per sanctificationem et bonorum operum perfectionem Christus imitatur; et similitudinem Dei D homo noster interior recipit, quando ad puritatem, munditiamque cordis Deo auxiliante pervenerit. Sequitur :

676 *Et præsit piscibus maris, et volatilibus cœli, et bestiis, universæque terræ, omnique reptili quod movetur in terra.* In *piscibus maris*, ut mihi videtur, vivaces sensus hominis, vel motum timoris; *in volatilibus cœli* motum amoris intelligere possumus, quibus duobus motibus, bestiis, universæque terræ, omnique reptili quod movetur in terra, id est malitiæ, ignorantiæ et carnis concupiscentiæ dominari debemus. His piscibus maris et volatilibus cœli possumus coaptare verba sancti Evangelii, quæ hodierna die in sexta Dominica legimus, in quibus ita loquitur Dominus

Amen dico vobis, nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Et postmodum : *Qui irascitur fratri suo; qui dixerit raca; qui dixerit fatue.* In *piscibus maris* Scribas possumus accipere, qui vivacitate sensuum suorum sacras Scripturas intelligebant; *in volatilibus cœli* Pharisæos possumus intelligere, quia justitia vitæ suæ, quasi volatilia cœli supra cæteros elevabantur. Ac si diceret Dominus : Faciamus hominem talem, qui præsit piscibus maris, cujus justitia superabundet justitiæ Scribarum ; præsit etiam volatilibus cœli, ut justitia ejus emineat justitiæ Pharisæorum. Præsit quoque bestiis, ut bestiali more fratri suo non irascatur ; præsit universæ terræ, ut fratri suo non dicat, raca ; præsit omni reptili quod movetur in terra, ne dicat fratri suo, fatue. Ita ergo motibus timoris et amoris præsit his omnibus, præsit dico ne prævaleant, ut peccatis domitis et subactis bona possit facere, et sic imagini et similitudini nostræ conformetur. Hoc igitur totum, quod nunc prædictum est, primum operatur Deus in voluntate hominis ; postea perducit et in effectum. Unde et sequitur :

Et creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum, masculum et feminam creavit eos. Creat Deus hominem *ad imaginem suam* in exteriori homine, dum eum exterius honeste et laudabiliter facit vivere. Creat eum *ad imaginem Dei* in interiori homine, **677** quando eum per munditiam et puritatem cordis soli Deo complacere et adhærere facit. *Masculum quoque et feminam creat eos.* In masculo ille intellectus potest exprimi, quo homo spiritum suum scit regere, et illa quæ supra nos sunt cœlestia et æterna rimatur et intelligit. In femina vero inferior sensus, quo carnem et ea, quæ carnis sunt, scit regere, inutilia abscidere, utilia administrare. De hoc masculo et de hac femina Paulus apostolus dicit : *Vir non debet velare caput, quia imago et gloria Dei est ; mulier vero debet velare caput, quia gloria viri est* (*I Cor.* xi, 7). Vir igitur, per quem ratio hominis intelligitur, et in quo imago Dei est, non debet velari, non debet in inferioribus et terrenis detineri, non debet prohiberi quin ad Deum et ad cœlestia extendatur et sublevetur, quantum potuerit ; mulier vero, inferior sensus, quem ad temporalia et exteriora dispensanda accepimus, veletur, ne nimis ad inutilia prolabatur, et ad minus necessaria progrediatur. Sequitur :

Benedixitque illis Deus, et ait : Crescite, et multiplicamini, et replete terram, et subjicite eam, et dominamini piscibus maris, et volatilibus cœli, et universis animantibus, quæ moventur super terram. Ac si dicat Dominus, *crescite* in bonis operibus, *multiplicamini* in virtutibus. Vel *crescite* in operatione, *multiplicamini* in scientia. Et propter illud crescere, et propter illud multiplicari nolite, sed *subjicite terram* vestram per humilitatem, quam replestis per bonam operationem. *Et dominamini piscibus maris, et volatilibus cœli, et universis animantibus, quæ moventur super terram.* In *piscibus maris, et volatilibus cœli*, ut supra memoravimus, duo motus, timoris et amoris, in *universis animantibus* omnia opera bona et virtutes valent intelligi. In verbis istis quidam effectus bonorum operum esse videtur, dum homo a Dei gratia quoddam dominium accipit, in piscibus maris et volatilibus cœli, dum duobus illis motibus, timoris et amoris Domini aliquantulum pro voluntate sua uti cœperit. Dominatur et universis animantibus, quæ **678** moventur super terram, cum opera bona, in quantum homini possibile est, perficit in re, quæ prius Deo donante habebat in voluntate. Istud dominium, quod in verbis istis a Deo accipit homo, Domini revera est benedictio, de qua benedictione jam ante sic præscriptum fuerat : *Benedixitque illis Deus et ait : Crescite et multiplicamini, et replete terram, et subjicite eam.* Ac si diceret : si istud in vobis est, si crescitis in bonis operibus, et multiplicamini virtutibus, si subjicitis terram vestram per humilitatem, ne extollamini, ego Dominus majestatis benedico vobis. Statimque post hæc benedictionis verba rursus subinfert dicens :

Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, et universa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam. Herba res infirma est, *lignum* forte et solidum est. Et per hæc duo, quæ homini dantur in escam, duæ quædam species infirmorum et fortium in sacra Scriptura denotantur, quæ nobis ad imitandum proponuntur. Et ut hæc quæ dicimus possimus exemplificare, ponamus ante oculos aliquos sanctorum, qui non tantum fortes fuerunt, sed etiam infirmi, quorum primum infirmitates multiplicatæ sunt, sed postmodum in virtute Dei nostri infirmitatem suam in fortitudinem commutaverunt. Tunc David rex et propheta herba fragilis fuit, quando vidit Bethsabee, et tulit eam, et Uriam gladio filiorum Amon interfecit, duo simul scelera committens, adulterium et homicidium. Tam fragilis herba fuit David. Sed lignum forte postea factus est, quando Nathan venit ad eum, ex ore Domini increpans eum, ex cujus verbis tanto pœnitentiæ igne inflammatus est, ut septem diebus jaceret in terra, non comedens panem neque bibens aquam. Ecce, qui primum herba fragilis fuit, ad quantam ligni fortitudinem devenit per pœnitentiam?

Nonne et Petrus, apostolorum princeps, herba nimis infirma fuit, dum propter vilis ancillæ vocem negavit Dominum majestatis, Magistrum, Creatorem et Redemptorem suum? Sed lignum **679** forte postmodum factus est, cum respexisset eum Dominus, cum egressus foras flevit amare. Talem herbam terræ, et talia ligna dedit nobis Dominus in escam, hoc est in exemplum, ut, ubi videmus, quomodo infirmitates sanctorum olim multiplicatæ sunt, sed postea de infirmitate sua per Dei adjutorium convaluerunt, speremus et nos, si infirmi sumus, et si nondum fuimus, tamen, quia fieri possumus, Dei

gratia succurrente, a fragilitate nostra nos posse li- A berari, ac si dicat Deus : Herba sanctorum meorum, infirmitas eorum afferat vobis semen, afferat vobis spem et confidentiam vestræ salutis, et dum in quolibet justo et electo meo conspicitis, quia infirmus erat, quomodo per gratiam et misericordiam meam lignum, id est fortis factus est, et vos de salvatione vestra confidite, quia, qui eos ex infirmitate convalescere feci, et vobis in infirmitate laborantibus fortitudinem de cœlo ministrabo. Considerate etiam et quod hæc ligna *sementem suam* habebant *in semetipsis*, quoniam se non extollebant, sed totum nomini et honori meo ascribebant. Et vos horum exemplo sementem vestram, id est opera vestra bona in vobismetipsis habere, ne inde elevemini per superbiam, B sed cuncta in escam et salutem vobis convertite. Sequitur :

Et cunctis animantibus terræ, omnique volucri cœli, et universis, quæ moventur in terra in quibus est anima vivens, ad vescendum. In his quatuor, quæ hic sunt distincta, quatuor peccatorum gradus possunt accipi, quibus ad peccandum procedimus. In *cunctis animantibus terræ* peccati delectatio, in *volucribus cœli* peccati consensus, in *universis quæ moventur in terra* peccati operatio, in quibus est anima vivens, peccati consuetudo valet intelligi. .

Et satis congrue in animantibus terræ peccati delectatio notatur, quia dum homo peccato delectatur, quasi ad peccandum animatur. In volucre autem cœli C recte peccati consensus potest exprimi, quia cum homo ad peccandum consentit, jam quasi mente ad id volat, nec teneri vel inhiberi facile valet. **680** Sed et *in universis, quæ moventur in terra*, ideo peccati operatio non injuste valet intelligi, quia dum homo peccatum in carne operatur, membra corporis sui ad hoc movet, ut peccatum peragatur. Peccati vero consuetudo in verbis his, *in quibus est anima vivens*, apte potest præfigurari, quia peccator homo, dum in peccati consuetudinem venerit, quasi totus in peccato vivit. Hi sunt quatuor gradus sive processus peccatorum, quos etiam Deo opitulante possumus convertere ad numerum et processum virtutum. Possumus enim in istis quatuor intelligere quatuor cardinales virtutes, prudentiam, temperantiam, fortitudinem et justitiam. Sed et alio modo D ista quatuor in bono possumus accipere. Cum enim homo ad hoc animatur, ut bono condelectetur, bona est ejus delectatio ; cui si consensum boni et operationem boni, imo perseverantiam boni adjunxerit, ibi satis juste, satis digne sequitur ;

Viditque Deus cuncta, quæ fecerat, et erant valde bona. Bonum quippe *valde* est, si delectationem boni, et consensum boni, et operationem boni habuerit, et in his omnibus perseverantiam boni tenuerit, hoc *videt*, hoc diligit, hoc laudat Deus. Sequitur :

Et factum est vespere et mane dies sextus. In *vespere* cognitio sui, in *mane* cognitio Dei valet intelligi. *Fit* ergo *vespere et mane dies sextus*, quando a cognitione sui et a cognitione Dei ad plenam et perfectam perfectionem pervenerit. Sed quare dixi, *ad plenam et perfectam perfectionem?* Quia in prima die creationis, ubi legitur : *Et factum est vespere et mane dies unus*, ibi nondum ad plenam perfectionem pervenit, sed nec in secunda, nec in tertia, nec in quarta, nec in quinta, sed tantum in sexta, in qua imagini Dei conformatur. Et hæc est plena et perfecta perfectio, quando semetipsum totum offert Domino, sicut et in fine Evangelii habemus : *Si offers munus tuum ante altare.*

Sed ut de singulis his diebus parum quid loquamur, videamus quid sit, quod in prima die sic scriptum est : *Et* **681** *factum est vespere et mane dies unus.* Dies unus fit in homine, quando a Deo voluntatem recedendi a malis et accedendi ad bona susceperit, quæ voluntas quasi *unus dies* est. Secunda dies est bona operatio cum bona voluntate. Tertia dies est, quando in cogitatione, in locutione et opere se custodire cœperit, actusque suos regere procuraverit. Huic tertiæ diei quarta conjungitur, si custodiæ cogitationum, verborum et operum suorum diligenti cura invigilans perseverantiam in his tenuerit. Dies quinta fit in homine, quando homo non solum quinque exteriores corporis sui sensus ad Deum convertit, sed etiam quinque interioribus sensibus suis Deum videre, audire, gustare, odorari et tractare cœperit. Dies sexta fit in homine, quæ ad hodiernam Dominicam respicit, cum ad imaginem Dei formatur, in qua plenam et perfectam perfectionem recipit. Diem sextam sequitur dies septima, cui benedixit Deus, in qua ab omni opere quod patrarat, requievit, per quem septimum diem æterna nobis requies designatur, ubi a laboribus vitæ præsentis requiescimus, ubi de æterna Dei visione gaudebimus, ubi semper in ipso jucundabimur. His itaque prælibatis textum sancti Evangelii ingrediamur:

Amen dico vobis, nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Verba sancti Evangelii, quæ hodierna die in sexta Dominica legimus, verba sunt ardua et sublimia, sumpta de sermone Domini, quem fecit in monte, quem solos perfectos et electos discipulos Domini decuit audire. Nam cum turbas in convalle docuisset et curasset, illis in inferioribus remanentibus, nec sequi eum in montem valentibus, ipse cum discipulis in montem ascendit, ibique sedens excellentiorem viam spiritalis et cœlestis vitæ eis ostendebat, ad quam cætera turba ascendere non valebat, nec capere eam idonea erat

Hujus doctrinæ sublimitas adhuc spiritalibus viris, qui Dominum in montem secuti et qui spiritalem vitam aggressi sunt, servanda proponitur, qui cum **682** apostolo Petro Deo dicere possunt : *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te* (*Matth.* XIX, 27). Hæc verba et nos dicere possumus, qui ducatu ejus sæculum reliquimus, et spiritalis vitæ propositum adivimus, et si non ea veritate et perfectione dicere valemus, qua Petrus dicebat, tamen quia specietenus fecimus, quod facere potuimus, hoc

quod adhuc in veritate nobis deest, ipse in nobis A bonitate et pietate sua perficiat. Nobis ergo ad angustam viam eum sequentibus perfectam hanc doctrinam proponit sequendam. Neque enim Petro, vel Andreæ, vel Joanni, modo his verbis loquitur, sed nobis adhuc in carne commorantibus loquitur dicens : *Amen dico vobis, nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.*

Justitia Scribarum et Pharisæorum hæc erat ut mandata legis et cæteras justitias sibi propositas summo studio observarent, quatenus ex observatione legis probabiliores et honestiores cæteris redderentur. Sed quæ erant mandata, quæ eis erant proposita? Decem utique præcepta, in quibus ita eis præcipiebatur : *Non occides, non mœchaberis, non* B *furtum facies,* et cætera his similia. Hæc, ut prædiximus, Scribæ et Pharisæi diligenter observabant, non propter amorem Dei, sed ne honore terreno privarentur, sed ob sanctitatem vitæ favore populi extollerentur.

Horum justitiæ Dominus superabundare vult filiorum suorum justitiam, ut, quidquid boni in præsenti vita faciunt, totum propter solius Dei amorem, et propter spem, quæ reposita est in cœlis, faciant. Ac si nobis dicat Dominus : Vobis electis filiis meis loquor, qui mecum de convalle hujus sæculi in montem ascendistis, quia *nisi abundaverit justitia vestra* super justitiam illorum, qui in clericali officio sunt constituti; abundaverit etiam supra justitiam illo- C rum, qui continenter in sæculo viventes conjugio sibi copulati, *non intrabitis in regnum cœlorum.* Regnum cœlorum non hoc solum esse credimus, quod nunc in præsenti per fidem exspectamus, et quod post finem sæculi in æterna vita a Deo percipere speramus, **683** sed illud regnum, quod in dulcedine cordis cum Deo in præsenti possidere debemus, de quo ipse Dominus ait : *Regnum Dei intra vos est* (*Luc.* XVII, 21).

Istud regnum viribus nostris non possumus obtinere, ut in dulcedine cordis ipsum habere frequenter mereamur, nisi hoc in nobis ipse implere dignetur, hoc, quod sexta die, qui sextam hanc Dominicam respicit, dignatus est operari. Ideo Dominica hodierna plus nos ad amorem Dei et proximi dilectio- D nem illicit quam præcedentes Dominicæ, quamvis omnes charitatem renonent et repræsentent. Unde et in Oratione hodierna Deo orantes dicimus : *Deus virtutum, cujus est totum quod est optimum, insere pectoribus nostris amorem tui nominis, et præsta in nobis religionis augmentum.*

Bene itaque Dominum ac Redemptorem nostrum Deum *virtutum*, non virtutis cognominamus, quem non pro una virtute, sed pro multis interpellamus, quia non sufficit nobis ut ex dono gratiæ ejus illam virtutem adipiscamur, ut bona faciamus, nisi etiam illud ab eo perceperimus, ut magno cautelæ studio bona opera nostra custodiamus. Ita profecto ipse est Deus virtutum, cujus plane, ut mox sequitur, totum est quod est optimum. Semper quippe bonum est, ut peccata declinentur et caveantur sive propter transitoriæ laudis appetitum et honorem, seu ob metum æternæ damnationis id perficiatur. Optimum vero est, si propter solius Dei amorem et æternæ patriæ dulcedinem et remunerationem peccata caveantur et comprimantur. Hoc ergo optimum, quia ipsius solius est, idcirco cum in Oratione hodierna petimus dicentes, *insere pectoribus nostris amorem tui nominis*, non dicimus, da nobis, vel immitte in cor nostrum amorem tuum, sed dicimus, *insere pectoribus nostris amorem tui nominis.* Petimus enim, Domine, quatenus gratia tua agatur, ut amor tui nominis visceribus cordis nostri ita inseratur, et sic medullis animæ nostræ adhæreat, ut strictius teneatur, ne facilius amittatur. Sic Domine, amorem tui nominis cordi nostro inserendo, *præsta in nobis religionis* **684** *augmentum*, ut justitia nostra augeatur, et justitiæ Scribarum et Pharisæorum superabundet.

Qualis autem sit hæc religio quam a Deo postulamus, Jacobus apostolus in Epistola sua nos docet, ubi ait : *Religio munda et immaculata apud Patrem hæc est : Visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc sæculo* (*Jac.* I, 27). Pupilli dicti sunt, qui patre privati sunt; viduæ vero, quæ virum amiserunt. In pupillis, quos visitare jubemur, boni et justi sensus possunt accipi, qui a Patre cœlesti in nobis generantur, qui tunc quasi pupilli fiunt, cum Patrem cœlestem, a quo generati sunt, amittunt, et in quadam orbitate ab eo deseruntur. Hos pupillos visitare debemus, quia magno studio ad hoc est invigilandum, quatenus bonos et justos sensus jugiter in nobis aggregemus et reparemus.

Visitandæ sunt et viduæ. In viduis, ut æstimo, intelligendæ sunt sanctæ et dulces affectiones, quæ debent esse sponsæ viri nostri, Regis sempiterni. Quæ dulces affectiones tunc viduæ fiunt, cum sponso suo et viro suo pro voto et voluntate sua perfrui non possunt. Has viduas, has sanctas et dulces affectiones visitamus, si earum desiderium, in quantum possumus, adjuvamus, et ad amorem viri sui eas dulciter et delectabiliter exsuscitamus. Et bene dicit has viduas visitandas in tribulatione earum, quia nimirum tribulatio sanctarum affectionum est, cum virum suum amittunt, cum, quantum libet, extendere se in amorem ejus, et perfrui eo quem desiderant, non licet.

Si autem hos pupillos et has viduas ita visitaverimus, hoc quod sequitur implere valebimus : *Et immaculatum se custodire ab hoc sæculo.* Maculam acquirit homo coram Domino, si bona opera agit, et inde laudes transitorias hominumque amicitias requirit. Sed ille se immaculatum custodit ab hoc sæculo, qui omnia bona opera, in quantum potest, pro Dei amore agere satagit, et inde humanas laudes non appetit, sed æternam solummodo remunerationem desiderat. Hæc est religio munda et im-

maculata, quam religionem in 685 nobis augeri in Oratione hodierna postulamus. Sequitur :

Audistis quia dictum est antiquis : Non occides ; qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Quid est ira ? Ira est ulciscendi libido, quæ, dum adhuc in corde hominis repit, nec per verba, nec per aliquod indicium, unde agnosci valeat, foris ostenditur, hujus, inquam, iræ reatum etiam in corde occulto judicio, homo in seipso punire valet. Unde est quod hic dicitur, *reus erit judicio*. Tribunal quippe mentis debet conscendere, et seipsum ante se statuere, et pro occulta ira semetipsum districte judicare, dicens Domino in oratione : *Dimitte nobis debita nostra*. Et in tali judicio culpa, quæ per iram contracta est, expiabitur. Sequitur :

Qui autem dixerit fratri suo raca, reus erit concilio. In priori versu ira, quæ tantum in corde est celata, prænotatur ; in isto autem versu ira, quæ per sonum vocis aliquantulum prodiit, demonstratur. *Raca* enim sonus est vocis iram et indignationem mentis exprimentis. Et quia hæc ira talis est, ut ex sono vocis paululum ira, quæ latebat, aliis appareat, non sufficit ut reatum hunc homo suo judicio puniat, sed hæc ira ad *concilium* referenda est. *Concilium* est conventus judicantis Ecclesiæ. Nam quia ira aliquantulum processit, et inde scandalum videntibus venit, necesse est ut ad conventum judicantis Ecclesiæ, ad justitiam magistrorum referatur, ut culpa, quæ per sonum vocis innotuit, etiam per verba magistrorum puniatur et corrigatur. Sequitur :

Qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis. Quis hæc Domini verba secundum litteram posset observare ? Si enim omnes qui fratri suo *fatue* dicerent, rei essent gehennæ ignis, quis posset salvus fieri, quia plerumque, etsi non constanter, tamen ridiculose dicimus, *fatue ?* Absit ergo, ut unusquisque homo propter hoc reus fiat gehennæ ignis, si exterioribus tantum verbis, ut hæc Domini verba resonare videntur, *fratri suo dixerit, fatue !* Sed 686 quia ipse Dominus, qui hæc loquitur veritas et sapientia est, qui nunquam talia verba protulit, quæ a veritate discordarent, vel quæ ab hominibus impleri non possent, ideo opus est ut verba veritatis aliter quam exterius resonare videntur, intelligamus, ut veritas verborum stare possit.

Igitur ubicunque verba Domini in tanta districtione et severitate resonant, ut vix aut nullatenus impleri valeant, ibi pondus verborum ejus justa ratione temperandum est. Ubi vero tanta mansuetudine et dulcedine redundant, ut quique infirmi et desides ex mansuetudine verborum ejus, levitate morum proni fiant ad malum, ibi necesse est ut aliquo districtionis temperamento condiantur.

Videamus ergo quid sit, *qui dixerit fratre suo, fatue, reus erit gehennæ ignis*. Quid est verbum ? Verbum est formata cordis cogitatio, quam intus format homo, deinde exterius profert per sonum verborum. Verba ex creatione Domini accepimus, ut

A per verba exteriora affectum cordis nostri aliis notum faciamus. Quamdiu enim mortalitatis hujus miseriam inhabitamus, corda nostra nequaquam scire et intueri invicem valemus, nisi ea quæ latent in corde, per verba proferamus. *Quis enim*, ut Apostolus ait, *novit hominum, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est ?* (*I Cor.* II, 11.) Itaque verba ista sano intellectu, ut mihi videtur, ita accipere possumus, ut dicamus : *Qui dixerit fratri suo fatue*, sic dico *dixerit*, ut in corde et in cogitatione sua, ubi verbum formatur, ibi fratrem suum stultum dixerit, et hoc non ex propassione, quod est repentina delectatio, sed ex deliberatione eum fatuum crediderit, et hoc firmiter in corde tenendo, in hac obstinacia usque ad finem vitæ duraverit, hic certe reus est

B gehennæ ignis, quia nullus superbus regnum Dei possidebit. Qui enim fratrem suum in corde suo stultum reputaverit, certum profecto est quoniam se sapientiorem esse existimat. Et in hoc superbus est, et ideo reus est gehennæ ignis, nisi per pœnitentiam hanc superbiam diluerit. Debemus ergo dextrum oculum ad simplicitatem proximi nostri convertere, considerantes quoniam sapientia 687 nostra stultitia est ante Deum, et quod illius simplicitas multo probabilior et acceptabilior sit coram Domino, quam nostra sapientia. Sequitur :

Si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offer munus tuum.

C Ecce misericors et miserator Dominus solita usus gratia, post verba aspera locutionis, verba profert medelæ et exhortationis. Sic et in alio Evangelio, dum de diligendis inimicis sermonem faceret, *diligite inimicos vestros* (*Luc.* VI, 27), statim intuens quoniam quorumdam hominum mens tanta viget obstinacia, ut nunquam ex corde inimicos possint diligere, medicinale præceptum opposuit, dicens : *Benefacite his qui oderunt vos, orate pro persequentibus et calumniantibus vos.* Ac si diceret : Si ad hoc pervenire non potestis, ut inimicos vestros diligatis, restat ut saltem hoc faciatis quod facere potestis, ut bene eis faciatis, et in orationibus vestris eos assumatis. Ita ergo et in præsenti loco more medici sa-

D lutari consilio nos instruit dicens : *Si offers munus tuum ad altare. Munus* nostrum, quod Deo offerimus, psalmodia nostra est, suspiria nostra sunt, quæ ex intimo cordis affectu procedunt, lacrymæ nostræ sunt, quas, si Deo annuente habere possumus, gratum ei munus offerimus. *Altare* vero, super quod munus nostrum debemus offerre, Christus est, super quem incensum fidei, spei et charitatis immolamus. Altare quoque est cor nostrum, quod summus ille et verus Pontifex Dominus noster Jesus Christus unctione Spiritus sancti consecravit, in quo et requiescere nimis amabile et delectabile est ei.

Munus ergo nostrum ante altare offerimus, cum communicare carni et sanguini Filii Dei voluerimus. Sed cum 688 recordamur, quia fratrem nostrum

læsimus, accedere ad hanc communionem nequaquam præsumamus, nisi prius ad reconciliationem fratris nostri veniamus. Quod si præsens est corpore, humiliter prosternamur ei, veniam postulantes pro commissis; si vero absens est corpore, intimo cordis affectu prosternamus nos humiliter Domino et proximo nostro, quem provocavimus, qualiter facere deberemus eo præsente. Quod si hujus pietatis et charitatis affectum humiliter non exhibemus proximo absenti, quando hanc humilitatem et pietatem assumeremus eo præsente?

Igitur ad obtinendum hujus charitatis affectum in Oratione hodierna auxilium postulamus a Domino dicentes: *Ut quæ sunt bona nutrias, ac pietatis studio quæ sunt nutrita custodias.* Nutrit in nobis bona Dominus, cum clementia et bonitate sua nos adjuvat, ut bona opera possimus agere. Tunc vero ea quæ pietatis studio sunt nutrita custodit, dum omne quod in dilectione Dei et proximi expendimus, quod est pietatis studium, ipse dilector et conservator animarum custodit, ne per elationem aut humanum favorem perdamus.

Unde, quia nihil a nobis et per nos possumus, ipsum adjutorem et protectorem in hodierno officio invocamus, dum canimus: *Dominus fortitudo plebis suæ et protector salutarium Christi sui est* (*Psal.* XXVII, 8). Sed quia hæc omnia, quæ perstrinximus, nequaquam homo obtinere poterit, nisi mortificationem Jesu in se ipso habuerit, ideo in Lectione hodierna Paulus dicit: *Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis* (*Gal.* III, 27). Ipse ergo, in quo baptizati sumus, per quem, et in quo omnia habemus, det nobis, ut ipsum induere mereamur, Jesus Christus Dominus noster, qui vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

689 HOMILIA LXIX.

IN DOMINICAM VII POST PENTECOSTEN PRIMA.

Cum turba multa esset cum Jesu, nec haberent quod manducarent, convocatis Jesu discipulis suis ait: Misereor super turbam, quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducent (*Matth.* VIII).

Hodierna Dominica, quæ ab exordio Dominicarum æstivalium, quas celebravimus, septima in ordine succedit, septimæ diei congruit et respondet, in qua Deus Pater, perfectis et creatis omnibus, ab universo opere quod patrarat requievit, sicut in libro Genesi scriptum est: *Igitur perfecti sunt cœli et terra, et omnis ornatus eorum. Complevitque Deus die septimo opus suum quod fecerat, et requievit ab omni opere quod patrarat. Et benedixit Deus diei septimo, et sanctificavit eum, quia in eo cessavit ab universo opere quod creavit Deus, ut faceret* (*Gen.*, II, 1-3).

Per *cœlum* angelica, per *terram* humana natura potest designari. Hæc utraque natura, angelorum videlicet et hominum, tunc perfecta est, quando ad æternitatem creata est ea perfectione, quæ congruit incipienti naturæ. *Omnis* autem *ornatus* angelicæ creaturæ perfectus est, quando post lapsum malo-

A rum angelorum facta est confirmatio bonorum angelorum, et illis propter superbiam a Deo dejectis, istis datum est in munere, ut nunquam cadere possent. Hic erat omnis ornatus angelicæ creaturæ.

Sed et omnis ornatus humanæ naturæ tunc perficietur, cum omnes electi et justi occurrent in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, cum Filius tradiderit regnum Deo Patri, et erit Deus omnia in omnibus. Quid est tradere regnum Deo Patri? Tradere regnum Deo Patri est omnes sanctos perducere ad visionem Dei Patris, quod vere magnus et ineffabilis erit ornatus ultra omnem modum humanæ æstimationis. Ille ornatus cœpit a Christo, et consummabitur in Christo. **690** Quare dico hunc ornatum cœpisse a Christo? Ideo utique,

B quia ipse primus, ipse solus in omni humano genere apparuit et vixit sine peccato, et quod ipse fecit et potuit, vult, ut ex ipsius gratia et auxilio possit et homo, esse, inquam, sine peccato, quia talia dedit remedia, per quæ perfecte et integre peccatricis animæ obduci et sanari possunt vulnera. Certe cum in Baptismate unusquisque nostrum regeneratur, omnia ei peccata dimittuntur, et sine dubio ab omni liberi sumus peccato. At si hunc deinceps ornatum perdiderimus, et post baptismum peccatis involvimur, si per veram ad Deum convertimur peccatorum agnitionem et pœnitentiam, nulli dubium, quin ad veram quam perdidimus redeamus innocentiam, et iterum ornatus noster perfectus erit, quantum in hoc mundo possibile erit. Qui or-

C natus omnis perficietur, cum in Christo unusquisque electorum felici fine et exitu consummabitur, et ad veram requiem diei septimi, quod est Christus, pervenerit, ubi nihil de peccatis timebit, quia nullum ibi prorsus peccatum erit. Quem ornatum, quia instigante et suadente diabolo homo ille primus per inobedientiam et superbiam suam sibi et nobis perdidit, et non nisi per Mediatoris Dei et hominum incarnationem recipere potuit, apte subjungitur:

Complevitque Deus die septimo opus suum quod fecerat, et requievit ab omni opere quod patrarat. Dies iste septimus magnum et verum illum diem, Dominum nostrum Jesum Christum potest designare, qui idcirco, ut mihi videtur, diei septimi no-

D mine bene censetur, quia in ipso complacuit Deo Patri omnem plenitudinem divinitatis cum septiformi gratia sancti Spiritus corporaliter inhabitare, sicut evangelista **691** quodam loco ait: *Egressus est Jesus a Jordane plenus Spiritu sancto* (*Luc.* IV, 1). Qui non solum quando baptizatus est, plenus erat Spiritu sancto, sed ex quo conceptus et natus est, semper singulare et speciale Spiritus sancti templum fuit. In quo die septimo Deus Pater opus suum complevit, quia totum illud opus conceptionis et incarnationis ejus sola supervenientis Spiritus sancti gratia in beata Virgine operata est. Et quoniam nihil ibi homo operatus est, sed totum divinum opus fuit, veraciter et fideliter Deus Pater in Filio suo opus suum quod fecerat dicitur complesse.

Sed quia per solam ejus incarnationem homo qui A perierat non potuit reparari, nisi etiam pro nobis pati dignaretur et mori, congrue, ut video, subinfertur: *Et requievit ab omni opere quod patrarat.* In eo enim solummodo Deus Pater requiem invenit, quem solum a peccatis omnibus liberum invenit, et per eum nobis requiem dedit, quando per sanguinem crucis ejus universa, quæ in cœlis et in terris erant, pacificavit. Ante passionem quippe et mortem suam, ut ita dicam, non requievit, quia quod natus est et cum hominibus conversatus est, plenam et perfectam salutem nobis non contulit, dum eo vivente humanum genus, sicut ab exordio, ad inferos descendit; sed in passione et morte sua primum requiem cœpit habere, quando eo tradente spiritum in manus Patris omnis inimici potestas est ablata, et B quæ dudum clausa fuerat regni janua, aperta est et reserata. Et ideo quia tunc requies ejus, et nostra in eo requies cœpit, bene dicitur, *et requievit ab omni opere quod patrarat.* Huic sententiæ Paulus in Lectione hodierna concordat dicens: *Nunc vero liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificatione, finem vero vitam æternam* (*Rom.* VI, 22). Hinc quia istum septimum diem in nullis operibus suis, sed in requie sua, quæ vesperam non habet, Dominus voluit sanctificare, bona est aptitudo et consonantia diei septimæ ad septimam hanc Dominicam, quæ requiem illam designat sanctorum in Christo nunc morientium, et cum Christo in cœlis quiescentium.

692 Quæ tamen septima dies currit cum sexta, quia sicut sexta est laborantium, ita septima est quiescentium; et post labores et tentationes vitæ præsentis præmium in cœlis percipientium. Hic labor, ibi requies, qua requiescitur in Deo; et ibi esse nostrum non habebit mortem, ubi vita semper præsto erit. Sed nunquid in opere creaturæ suæ Christus laboravit? Minime; dixit enim, et facta sunt universa. Et ideo ab omni opere quod patrarat requievit. In se ipso enim requievit, quia in divinitate sua, quæ nec aucta vel minuta est in eo aliquando, cuncta simul erant, quæ creanda fuerant. Quam sane creaturam non idcirco creavit, quod aliqua indigentia in ipso esset, vel opus haberet adjutorio creaturæ suæ, sed ut ejusdem creaturæ in- D digentia et imperfectio in Christo Creatore perficeretur, et per mortem ejus in melius reformaretur. De quo die adhuc subditur: *Et benedixit Deus diei septimo, et sanctificavit eum, quia in eo cessavit ab universo opere quod creavit Deus ut faceret.* Quali benedictione Deus Pater Filium suum benedixit? Tali utique benedictione, quod custodivit eum ab omni actuali peccato, et in hac Filii sui benedictione omne humanum genus a primo parentum nostrorum liberavit maledicto. Et quem sic benedixit, etiam sanctificavit. In quo sanctificavit? Quia totum eum sanctum et immaculatum tangi non permisit originali peccato. Et quare sic benedixit et sanctificavit? Quia in eo cessavit ab universo opere A quod creavit Deus, ut faceret. Is enim, qui secundum divinam naturam ad omnia bona sufficiens, ut Deus erat, secundum humanam naturam potuisset habere originale peccatum. Sed *in eo cessavit* quia et actuale et originale peccatum, quod in cunctis regnavit, prorsus ab eo alienum fuit. Igitur, quia nunc in hoc tempore quasi in sexta die laboramus, et de sexta ad septimam, de hoc mundo ad patriam, ubi quiescamus, quotidie tendimus et migramus, hujus septimæ Dominicæ lectionem evangelicam audiamus, ut quid in eadem septima acturi vel accepturi simus cognoscamus.

693 *Cum turba multa esset cum Jesu, nec haberent quod manducarent.* Quoniam individua summæ Trinitatis omnipotentia communi cooperatione ab B æterno componens omnia, dulci admodum repausatione quasi lassabunda resedit, dum ab omni opere, quod patrarat die septimo, requievit, dulcia, uti credimus, æternæ quietis præfiguravit gaudia, quæ etiam ordine suo septima hæc præsignare videtur Dominica, quando beatæ electorum animæ corruptibili carnis deposito onere, felici sabbatismo repausantes, intra sinum beatitudinis amodo requiescunt a laboribus suis. Sed ne arbitremur, vita et moribus ignobiles, actu et conversatione degeneres, tam sublime dignitatis fastigium posse attingere, consideremus a primordio verba lectionis evangelicæ. *Cum turba*, inquit, *multa esset cum Jesu, nec haberent, quod manducarent.* Est etenim *turba*, C mundi hujus turbatione turbida, quæ, quanto minus studio virtuosi laborat operis, tanto minus habere creditur laudis; unde nec *turba multa* dicitur, nec etiam *cum Jesu* esse perhibetur. *Turba* quidem dicitur *multa* multiplici refulgens virtutum gloria, quæ postpositis terrenis omnibus, fide et spe solis intendit cœlestibus, cui interdum secreta visitatione Dei grave pondus hujus relevatur exsilii, dum præventa ab ipso in benedictionibus dulcedinis lætificari meruerit in lætitia vultus ejus. Hæc nimirum congrue satis *cum Jesu* perhibetur esse, cui bene non erit sine ipso. Nam innumeris se involutam credit miseriis, dum tantæ suavitatis interesse non valet gaudiis. Quem licet solum et unicum amet, inquirat et desideret, nondum tamen habet *quod manducet*, quia gustare hac in vita mortalis potest infirmitas paratas a Domino æternæ refectionis epulas; manducare vero nondum plenis valet faucibus, donec corruptibile hoc deposuerit corpus, quando comedens et bibens supra mensam Domini, jam ultra non timet de convivio æternitatis excludi. Unde dum præfinitum a Deo Patre tempus advenerit, terminus videlicet, quem præterire nullus mortalium poterit, cum spiritus et animæ justorum ad vera incommutabilitatis gaudia ex hac **694** mortalitatis transferendi sunt miseria; fit profecto, uti credimus, in cœlesti civium supernorum curia hoc quod in præsenti subjungit evangelista:

Et convocatis Jesus discipulis suis, ait illis: Misereor super turbam, quia ecce jam triduo sustinent me,

nec habent quod manducent. Cum enim discipulos Jesu vocari et esse dubium non sit, quos in diebus carnis suæ speciali magisterio enutrivit et docuit, nimirum hoc in loco discipulorum nomine beatos angelorum spiritus valemus advertere, qui perenni incommutabilitate divino assistentes conspectui, nunquam ab ejus sunt disciplina semoti. Hos quippe tales tantosque æternæ majestatis discipulos in secreto divinitatis a primordio eruditos, ipse scientiarum Dominus ad se quodammodo *convocat*, dum arcanum eis consilium suæ dispensationis insinuat. *Convocat* etiam æterna Dei sapientia eadem cœlestium spirituum agmina, dum eorum ministerio educi de carcere mortis hujus jusserit, quos conformes fieri imaginis Filii sui ante sæcula præordinavit. Nec mirum, si universitatis Conditor administratoriis insinuat spiritibus, hæc, quæ agenda de salvandis sunt hominibus, cum etiam cuncta, quæ facturus est super terram, servis suis prophetis revelaverit, quemadmodum unus eorum gloriando ait: *Non faciet Dominus verbum super terram, nisi revelaverit servis suis prophetis* (*Ose.* III, 7). Etsi prophetis suis terreni corporis adhuc inclusis in carcere, verbum suum, quod facturus est super terram, non dedignatur revelare; multo magis supernis revelatur cœlestis patriæ civibus electorum quorumlibet de morte ad vitam transitus, quatenus agnita compassione Conditoris benignissimi super peregrinantes diu cohæredes regni sui majori congratulatione repausationis expandant gremium, obviam tendentes *turbæ jam triduo sustinenti* Dominum. Turba etenim, quæ, inquantum potuerit, cogitatione, verbo et opere, a peccatis se abstinet, *ecce jam triduo* digna exspectatione *Dominum sustinet.*

695 Est et aliud laboriosæ exspectationis triduum, grave scilicet jugum cunctorum filiorum hominum, quorum prima dies, dies nativitatis accipienda est et tempus infantiæ; secunda tempus adolescentiæ et juventutis; tertia dies et hora metuendæ mortis. Prima namque die tanta districtione occultum sustinet judicium Domini, quod nec inter primos nativitatis vagitus puer tantillus immunis a crimine esse poterit, licet proprio reatu pene nullam adhuc contagionis maculam contraxerit. Nam ita ex radice primæ originis vitiatur omnis homo, ut nec infans unius diei mundus sit a peccato, tantaque ignorantia animæ, mundi hujus implicatur miseriis, ut diem discernere nesciat a tenebris.

Qui dum sub tutoribus et procuratoribus curis magnis enutritus, tenerioris ætatis transierit annos, secunda jam dies, tempus, inquam, juventutis et adolescentiæ aderit, in qua multo durius, multo laboriosius Dominum sustinebit. Nam cum vana sint juventus et adolescentia, gravius adversus animam militare mox incipiunt carnis desideria; et nunc male arridens prosperitas animum erigit, nunc adversitas modicum quid lædens elatum dejicit. Hæc sunt revera sagittæ acutæ humano infixæ generi,

A hæc est manus gravissima Domini, unde David sanctus in persona universæ carnis gemens et tribulatus lacrymosis proclamat suspiriis: *Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, et confirmasti super me manum tuam.* (*Psal.* XXXVII, 3).

Jamjamque audivimus qualiter duobus super memoratis diebus sagittas Domini fortiter infixas sustinemus, qualiter super afflictos regni sui exsules graviter confirmata est manus districti judicis; nunc tertium consideremus diem, ultimum scilicet vitæ terminum, quando anima egrediens timore maximo sustinet Dominum, ubi magnus valde et timendus adversæ fit potestatis concursus, terribilis et metuendus pestiferi vastatoris conflictus, ubi horrenda facies dæmonum, quæ terreat, ubi manus extranea,
B quæ, si permissa fuerit, animam egredientem rapiat. Sed quia novit miserator Dominus quæ et quanta in hora **696** mortis agonizans patiatur spiritus, ipsis etiam cœli indigenis manifestius adhuc affectum innuit misericordissimæ suæ compassionis: *Ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducent.* Ecce, inquit, peracto jam triduo, ecce finito vitæ temporalis termino, quem nullus mortalium valet transgredi, qui justo voluntatis meæ arbitrio humano constitutus est generi, meæ convenit omnipotentiæ jam triduo me sustinentem miserationis meæ prævenire suffragio, ut qui, me volente, me jubente, jam diu grave sustinuit pondus exsilii, me propitiante tandem aliquando ad patriam mereatur reduci.

C *Et si dimisero eos jejunos in domum, deficient in via. Si*, inquit, egredientes de corpore pauperes meos *jejunos dimisero*, si desiderata jucunditatis meæ dulcedine satiare eos distulero, donec *in domum* suam redeant, donec depositum scilicet corporis tabernaculum recipiant, *in via* procul dubio longæ exspectationis *deficient*, quia sine me non habent quod manducent.

Quidam autem ex eis de longe venerunt. De longe quidem ad Creatorem suum *veniunt*, qui ab ipsis etiam annis infantiæ Conditori suo deserviunt, qui jugum Domini suave ab adolescentia portant, qui opera carnis virtute spiritus quotidie mortificant, qui dum, ut dictum est, triduo Dominum laboriose
D sustinuerunt, et lacrymosa recordatione ad gaudia patriæ cœlestis diutius suspiraverunt, exeuntibus de corpore mortis tanto largior eis divina aderit misericordia, quanto longius in hac peregrinationis conversati sunt miseria.

Sunt etiam alii nonnulli, qui hoc modo ad Dominum *de longe veniunt*; quia post multa perpetratæ contagionis facinora ad eum per pœnitentiam redeunt. Quos nihilominus egredientes de corpore intra sinum misericordiæ collocat, ne *in via* salutis, quam exspectabant, male pereuntes *deficiant*. Nunc vero evangelica insinuat veritas quantum salvationi electorum angelica congratuletur dignitas. Nam sequitur:

Unde poterit quis istos saturare **697** *panibus in*

solitudine? Verba hæc plena suavissimæ admirationis, plena sunt angelicæ congratulationis. Mirantur præ gaudio magno valde spiritus angelici investigabiles divitias bonitatis Christi. Nam *unde*, inquiunt, o Creator Domine, ineffabilis multitudo misericordiæ tuæ, quæ ita magnificata est super filios hominum, ut omnem exsuperet sensum et intellectum. Et quia hanc perscrutari plenius nequeunt, eidem Conditori supplici interrogatione dicunt : *Quis* ergo, Domine, tuos saturare famelicos, *quis* consolari tandiu valet afflictos, nisi tu miserator et misericors, cujus nomen ineffabile, cujus nomen indicibile et inexcogitabile? Tuum est enim ex abundanti plenitudine majestatis tuæ istos *saturare in solitudine*, in interiori videlicet homine, ut te solum per suavitatis abundantiam in visceribus animæ sentiant, ubi tibi soli domum solitudinis nonnunquam ædificabant.

Turba etenim fidelis sustinens Dominum, ut supra dictum est, inter varios vitæ præsentis turbines delectabiles interdum Conditori suo ædificat solitudines, dum ad se intra se omnes recolligit intentiones animi, ut unus cum Domino mereatur spiritus effici. Hæc est revera solitudo eximiæ dulcedinis, quæ hoc in loco angelicis magnificatur præconiis.

Est et solitudo alia, quæ spiritali mysterio in præsenti est accipienda, anima videlicet quæ educta carcerali custodia corporis, duplicem nondum recepit stolam immortalitatis, sed velut sola quodammodo æternæ beatitudinis quiete perfruitur, dum caro corruptibilis in terram, de qua sumpta est, redigitur. Et quis hanc electorum solitudinem consolari poterit nisi is qui animæ diligenti solus ad omnia sufficit? Est enim quædam saturitas, qua electi Dei saturantur, quando de malis et miseriis laboriosæ hujus vitæ liberantur, cohabitatio videlicet sanctorum angelorum, cohabitatio sanctarum animarum, cum quibus in æternæ lucis amœnitate quiescentes consolantur et reficiuntur. Ista plane saturitas bona est, suavis est, jucunda est; plena tamen satietas non est, quia non est de *panibus*. Ubi enim panis administratio deest, plena refectio esse non potest.

698 In panibus jucundissimam sanctæ Trinitatis visionem accipere possumus. Deus Pater panis est, quia plena et perfecta sanctorum angelorum sanctarumque animarum refectio est. Deus Filius panis est, quia plena et perfecta sanctorum angelorum sanctarumque animarum refectio est. Deus Spiritus sanctus panis est, quia plena et perfecta sanctorum angelorum sanctarumque animarum refectio est. Sine istis panibus non erit plena satietas, quia in beatissima sempiternæ Trinitatis visione tota angelorum, tota omnium simul electorum constat felicitas. Istam sane satietatem nemo potest dare nisi solus Deus, qui solus eis erit omnia in omnibus. hunc solum desiderio animæ suæ David sanctus sufficere credidit, qui nil in cœlo vel in terra præter ipsum solum desiderans ait : *Quid enim mihi est*

A *in cœlo, et a te quid volui super terram?* (*Psal.* LXXII, 25).

Sed dum sic solam divinitatis præsentiam electi quique desiderant, desiderio illorum virtutes angelicæ hac, ut dictum est, voce concordant : *Unde poterit quis istos saturare panibus in solitudine?* Quis istos, inquiunt, saturare sufficiat, quos sola tuæ divinitatis dulcedo delectat, quibus sola tuæ visionis claritas perpes et indeficiens erit satietas? Sed hæc, quæ dicta sunt a beatis angelorum spiritibus Deo Redemptori, in voce exsultationis acclamantibus, mox, quemadmodum evangelista perhibet, verba pietatis interrogando respondet :

Quot panes habetis? Cum enim ipse fons scientiæ nil nescire valeat angelis suis hæc profecto, quæ
B nesciunt, interrogando manifestat. Nam interrogatio Dei manifestatio ipsius est. *Quot panes* habeant, ipse panis vivus interrogat, ut unde pauperes suos satiare velit, eis notum faciat, quod peregrinos diu et exsules æterni velit convivii esse participes. Nam idem est ac si dicat : Quis panem vitæ et immortalitatis vobis distribuit? quis in perennitatis gloria stabiles vos ab initio fecit? Ego quidem panis vivus, sicut plenitudine divinitatis meæ satiare vos nunquam desii, sic **699** istos lætitia vultus mei adimplere disposui. Qui, dum limo parente editos ad hanc noverunt esse gloriam promovendos, promotioni eorum, quantum congaudeant, consequens responsio illorum patenter indicat. Nam inquirente, ut supra
C diximus, ipso scientiarum Domino quot panes habeant, *septem* se habere denuntiant. Septem, inquiunt, panes a te, universorum Conditor, quodammodo accepimus, dum septiformis nos adimplevit gratia tui Spiritus, quæ insatiabili nos desiderio satiat. inexplicabili plenitudine replet et inebriat. Sed et hoc nobis novæ jucunditatis gaudium ingerit, quod sorte electorum numerum nostrum toties adaugere omnipotentiæ tuæ complacuit. Nec mirum si de salvandis fidelibus exsultatio tanta et tam magna angelicis erit spiritibus, si ipsa Veritate teste, gaudium est in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente. Sed invicta æternæ majestatis bonitas tam benignam angelorum congratulationem intuens, jubet continuo nobili ipsorum ministerio,
D animas pauperum suorum de hoc educi exsilio, jubet de lacu miseriæ diu peregrinantes ad se cum jubilo laudis deducere. Unde et sequitur :

Præcepit Jesus turbæ discumbere super terram. Turbam quoque triduo sustinentem bene *super terram discumbere præcipit*, dum de hoc mundo transeuntem ab omni perturbatione liberam reddit. Itemque alio modo *discumbere super terram præcipit*, dum animam super corpus elevari ad cœlestia jusserit. Quæ autem æternæ beatitudinis mox succedant præmia, hæc quæ subjuncta est aperta declarat sententia :

Accipiens, inquit, *septem panes gratias agens fregit, et dabat discipulis suis, ut apponerent.* Jam supra dictum est quod septem debeant panes accipi

septem dona Spiritus sancti, quæ dum benignissimus remunerator propriis accipiens manibus suis misericorditer distribuet cohæredibus, maximas tunc *gratias agere* dicitur, quia gratia eis super gratiam ipso donante multiplicabitur, quibus non solum gratiam adoptatæ veniæ, verum etiam gratiam incommutabilis largitur gloriæ, quando **700** ipse Deus erit omnia in omnibus, et unicuique nostrum plenaria dabitur manifestatio septiformis Spiritus. Nam quid in frangendis septem panibus rectius advertere valebimus, nisi quod tunc æterna Dei Sapientia, septena designans signacula, occultos scientiæ thesauros sibi conregnantibus quasi frangendo aperit, et semetipsum, sicuti est, oculis electorum visibilem reddit? Et quia eadem beatæ remunerationis gloria per spiritus administratorios dispensanda creditur, aperte adhuc evangelica narratione subjungitur: *Et dabat discipulis suis ut apponerent.* Datur namque a Deo Patre electis his discipulis, spiritibus scilicet administratoriis, potestas pariter et scientia, quo in loco electa quælibet apponenda sit anima, ut secundum meriti dignitatem inter novenos ipsorum ordines aliquo in gradu congrua sibi donetur sedes et requies. Quæ dum perpetim coronanda illis apponitur, fit profecto quod continuo subinfertur:

Et habebant pisciculos paucos, et illos jussit apponi. Pauci isti *pisciculi* illi non incongrue accipiendi sunt sancti, quos ita Dominus omni benedictione spiritali benedixit, quod velut pisces electissimos in sagena charitatis suæ de fluctibus mundanæ tempestatis extraxit, sublatosque de regione umbræ mortis in regione vivorum jamdudum apponi beatis jussit angelis, ubi nondum recepta stola duplici, numerum fratrum suorum lætabunda exspectatione præstolantur impleri. Qui autem nunc debitum carnis persolverint, et hos, qui ad vitam præcesserunt, in præmio beatitudinis consortes habere meruerint, quasi piscibus nimiæ suavitatis saginati jucundissima illorum delectantur præsentia, quorum multa vere lætantium videre merebuntur millia. Unde et sequitur:

Et manducaverunt et saturati sunt. Manducantes quidem plena saturabuntur dulcedine, quibus apponendæ sunt hujusmodi, ut dictum est, suavitatis deliciæ, quibus sine labore et fastidio præsentia incircumscriptæ majestatis perpes et indeficiens erit refectio, quibus dulcis commanentia beatorum omnium deliciosum epulationis præbet **701** convivium. Et si tanta justorum erit lætitia duplici nondum immortalitatis stola recepta quanto magis, dum corpus incorruptibile jam ultra non moriturum recipiunt, quemadmodum hæc, quæ sequuntur, verba confestim innuunt.

Et sustulerunt quæ superaverant fragmenta. Redacta nunc in pulverem terræ salvandorum corpora satis congrue tenuissima quædam dicenda sunt fragmenta. Sed hæc eadem abjecta jam et deposita, sursum tollenda sunt in resurrectionis gloria, quatenus tunc sine corruptione corpora sua æternaliter possideant, in quibus nunc ipsum corruptorem animarum et corporum viriliter exsuperant. Tunc nimirum absorpta funditus morte in victoria, spiritaliter in eis *septem sportarum* complebuntur mysteria. Nam sicut sportæ multis et diversis texuntur virgulis, donec ad summum mensura ejusdem compleatur operis, sic omnimodis consummata virtutibus electorum corpora, ab omni prorsus corruptela efficiuntur extranea, quæ ita mundans septiformis Spiritus gratia inebriat, ut nil præter summum illud bonum tam in corpore quam in anima sentiant. Qui autem vel quales ineffabile hoc perennitatis gaudium obtineant, qui inæstimabiles cœlestium deliciarum epulas percipiant, textus evangelicæ narrationis mox insinuat.

Erant autem qui manducaverant quasi quatuor millia. In *quatuor millibus* omnes perfectos intelligimus, qui per puram et perfectam innocentis vitæ conversationem hic cooperante gratia Dei promerentur, quod præparatis in visione Dei deliciis æternæ beatitudinis admittentur. Quia vero non solum perfecti, sed et imperfecti et peccatores in claritate visionis æternæ cum Christo in Deo epulaturi erant, recte hic dicitur: *Erant autem qui manducaverant quasi quatuor millia.* Non ait simpliciter quatuor millia, sed *quasi quatuor millia;* quia non solum perfecti ibi coronabuntur, sed et imperfecti, qui male vixerunt, sed post mala sua ad pœnitentiam conversi sunt, in numero perfectorum per misericordiam Dei salvabuntur. Qualis autem salvandorum **702** omnium finis sit et consummatio, qualis sempiterna illorum laus sit et jubilatio, paucissimis his innuitur verbis:

Et dimisit eos. Recepta quidem carne sua immortali perpetim glorificatos dimittit, quos ita in secretiora divinitatis suæ perenni familiaritate admittit, ut nec minima saltem cogitatione mentis jam ultra exeant ab intuenda gloria divinæ magnitudinis, habentes in præsentiarum ipsum tantæ majestatis Dominum, habentes quoque permanentem sine fine commanentiam supernorum civium. Tunc revera omnis electorum populus desiderabile summæ quietis sabbatismum celebrat, quem, ut in exordio Lectionis hujus prænotavimus, septima hæc Dominica præfigurat, tunc tutissima tranquillitate in gremio summæ pacis repausantibus, videre perspicacius licebit quantus, qualis, quam suavis est Dominus.

Tunc congregatis omnibus in templum cœleste missæ hodiernæ Introitus. *Omnes gentes, plaudite manibus* (*Psal.* XLVI, 2), in introitu regni cœlestis in veritate et perfecta jucunditate inchoabitur et cantabitur. Quando enim finita et deposita tota præsentis vitæ corruptibilitate ad septimum diem pervenerimus, ubi verum sabbatismum Domino sabbatizamus, in veritate canticum istud cantari poterit, quia tunc de percepta æternæ vitæ beatitudine omnes gentes plaudent manibus, jubilabunt Deo in

voce exsultationis, et lætum de hoste triumphum ferentes, merito imponent versum cantando : *Subjecit populos nobis et gentes sub pedibus nostris* (*Psal.* XLVI, 4). Qui sunt populi isti, et quæ gentes? Sunt, ut video, *populi* isti maligni spiritus, quos tunc subjectos sancti habentes, de insidiis et laqueis eorum ulterius non curabant ; *gentes* vero vitia et peccata, quæ sub pedibus suis, ne insurgant et dominentur eis, ultra potenter conculcabant. Ibi invitantis se dulciter et advocantis Domini Dei vocem audituri sunt dicentis : *Venite, filii, audite me, timorem Domini docebo vos* (*Psal.* XXXIII, 12). Ex servis enim facta filii, non servili sed filiali timore Domino servient et adhærebunt in perpetuum.

703 Illic ab angelis et universa sanctorum multitudine audituri sunt : *Accedite ad eum et illuminamini, et facies vestræ non confundentur* (*Psal.* XXXIII, 6). Accedere enim ad eum et illuminari ab eo talis erit gratia et beatitudo, quæ omnem ab universis electis Dei longe faciat confusionem. Tunc Alleluia, hoc est laudem devotionis suæ cœli pro ereptione sua celebriter cantabunt : *Eripe me de inimicis meis, Deus meus, et ab insurgentibus in me libera me* (*Psal.* LVIII, 1). Ac si electa quælibet anima Deo dicat : De illis inimicis meis, quondam in me surgentibus et impugnantibus, amodo eripies me et liberabis, ut perpes mihi pax sit tecum et cum sanctis tuis. Nulla quippe ibi erit visibilium vel invisibilium inimicorum pugna et tentatio, sed cessabunt ista ibi, quia post præsentes tentationes, æternas et sine fine mansuras percipient consolationes.

Ad ipsum gaudium et requiem spectat Offertorium : *Sicuti in holocausto arietum et taurorum.* Holocaustum *totum incensum* dicitur. Et quid ibi erunt animæ sanctorum nisi totum incensum? Semper enim novi amoris incendio in Deo suo ignescunt et liquefiunt. In tali amore et desiderio positi, in veritate Domino oblati, concinere possunt : *Et nunc sequimur in toto corde et timemus te, et quærimus faciem tuam, Domine.*

Dominum in hoc mundo toto corde sequi vellemus, sed, proh dolor ! obsistente carnis infirmitate, toto corde sequi **704** eum et timere nullo modo possumus. In illa autem vita beata vere toto corde Dominum sequemur, quia nulla Deo contraria agendo ulterius ab eo discedemus, et faciem ejus quærentes nunquam confundet, sed juxta mansuetudinem et multitudinem misericordiæ suæ nobiscum facturus erit.

Cum sic vitam æternam possederimus, certe sicut Paulus in Lectione hodierna ait : *Fructum nostrum in sanctificatione habebimus.* Et ibi noxia cuncta submoventur, sicut in Oratione hodierna petimus dicentes : *Deus, cujus providentia, in sui dispositione non fallitur, te supplices exoramus, ut noxia cuncta submoveas, et omnia nobis profutura concedas.* In hoc enim mortalitatis tempore nunquam noxia cuncta submoveri possunt, ubi noxia quæque quotidie succedunt. Sed ibi noxia cuncta perfecte submoventur, et submotis et amotis noxiis omnibus, per eum, cujus providentia in sui dispositione non fallitur, omnia profutura conceduntur. Ad hanc vitam, in qua noxia cuncta submoventur et omnia bona et suavia sufficienter administrantur, perducat nos qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

705 HOMILIA LXX.

IN EAMDEM DOMINICAM SECUNDA.

Cum turba multa esset cum Jesu, nec haberent quod manducarent, convocatis Jesus discipulis suis ait : Misereor super turbam, quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducent (*Marc.* VIII).

Scire nos et investigare spiritali oportet intelligentia quid in se mysticæ dignitatis septima hæc contineat Dominica. Nam, ut ipse innuit Dominicæ narrationis ordo novum quid et eminens elucet in mysterio. Per septimam quidem hanc Dominicam accipi satis congrue valet jucundissima hæc sabbatismi requies, quam etiam in primordio creationis septima præfiguravit dies, in qua ab omni opere quod condidit individua Trinitatis omnipotentia, quasi lassabunda requievit.

Præfiguravit quoque tunc in mysterio requies summæ Trinitatis requiem, qua in fine sæculorum Deus et homo requievit a laboribus suis, dum, calcato torculari passionis, triumphato in cruce principe mortis animam suam sine æstimatione pretiosam in manus paternas tradidit, et in corde terræ triduana repausatione ipsum corpus Dominicum requievit.

Sic revera consummatis omnibus quæ de ipso erant, requiescere cœpit ab omni opere quod patrarat, et tunc desideratum diu æternæ refectionis convivium turba multa intrare meruit, de qua præsens sancti Evangelii lectio innuit :

Cum turba multa esset cum Jesu, nec haberent quod manducarent. Turba multa, turba, inquam, multæ dignitatis magnique meriti antiquus ille electorum populus **706** aptissime valet intelligi ; quem congrue cum Jesu fuisse evangelista innuit, quia venturum eum in fine sæculorum fide et patientia exspectavit.

Et quia de lacu mortis et inferni per sanguinem Christi Jesu se educendum fore oraculis prophetarum credidit, credendo et amando et exspectando apud inferos cum illo fuit. Ubi tamen per multa annorum millia *quod manducaret non habuit* ; quia nondum desideratis paradisi deliciis interesse meruit ; donec idem Agnus immaculatus. Agnus veræ innocentiæ, crucis oblatus patibulo escam redemptionis eidem paravit populo. Sed quia hoc eadem redemptio non sine angelico adimplenda erat ministerio, bene convocasse discipulos suos, angelicos videlicet spiritus, dicitur, quemadmodum Evangelica narratione continuo subinfertur :

Et convocatis discipulis suis. Peracta namque, ut dictum est, jussione paterna, convocavit idem

Rex gloriæ et Dominus virtutum supra memoratos A suæ majestatis discipulos, sub disciplina summæ Trinitatis semper ab initio eruditos, ut tartarea inferni claustra debellaturum eum antecederent, et portas mortis, portas infernales ante faciem tanti regis tantique magnifici triumphatoris tolli præciperent. Convocavit, inquam, electissima hæc discipulorum agmina, nuntians jam consummata humanæ redemptionis fore mysteria dicens:

707 *Misereor super turbam, quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducent.* Ecce, inquit, tempus venit miserendi, tempus quo sanguine meo flammeus ille gladius debeat exstingui, ut floridus paradisi hortus afflictis diu regni mei pateat cohæredibus, me Redemptorem *jam triduo* in inferno sustinentibus. Me, inquam, ante legem, B sub lege et sub gratia quasi *triduo* sustinent *nec* tamen *habent quod manducent*, quia nondum educti ab inferis, nondum in lucem translati de tenebris, me panem vitæ, quem esuriunt, me fontem vitæ, quem sitiunt, gustare in deliciis suavitatis meruerunt

Et si dimisero eos jejunos in domum suam, deficient in via. Si enim jam peracto triduo *jejunos eos dimisero*, si ad cœnam magnam, pretio sanguinis mei præparatam, eos invitare distulero, donec *in domum suam* redeant, donec in gloria resurrectionis corpus incorruptibile recipiant, *in via*, quæ ad vitam ducit, *deficient*, quia præter me, qui via, veritas et vita sum, aliam non invenient. *In via*, inquam, id est in fide, qua me laboriosa exspectatione C sustinuerunt, *deficient*, si non modo morte mea intercedente desideratum diu regnum percipient.

Quidam autem ex eis de longe venerunt. Nunquid non Abel justus *de longe venit*, cujus sanguis clamare de terra in prima ætate sæculi cœpit? Nunquid non alii multi ante legem et sub lege longas inferni sustinuere tenebras, donec in plenitudine temporis per Jesum Christum misericordia facta est et veritas? De quorum liberatione quam ineffabile angelicis spiritibus fuerit gaudium, quale quantumque novæ exspectationis tripudium, satis evidenter dulcissima hæc declarat responsio, qua velut ambigua interrogatione eidem respondent Domino:

Unde poterit quis istos saturare panibus in solitudine? D Quæ vel qualis ista sit civium supernorum interrogatio, cœlestium conscius secretorum Paulus dulcisono declarat eloquio, qui dispensationem sacramenti absconditi principibus **708** et potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientiæ notam testatur fieri, ita ut nonnulli divini secreti judicii, quæ sensu et intellectu nequeunt comprehendere, videant et intelligant in exercendis quotidie sacramentis Ecclesiæ. Licet enim oppositum diu inimicitiarum parietem jam destructum chorus angelicus cerneret, licet super turbam jam triduo sustinentem misereri se miserator Dominus diceret, ignorans tamen si jam consummatis omnibus per semetipsum descensurus esset ad inferos, aut si forte longiores adhuc dilationis moras prætenderet, donec novissima canente tuba duplicem singulis stolam immortalitatis redderet perscrutari plenius cupiebat thesaurum absconditum latentis misericordiæ, unde vel quis istos saturare in inferni posset solitudine. Est, inquiunt, miserator Domine, longa valde et laboriosa exspectatio, qua te electissima hæc turba sustinet in inferno, ubi locus horroris et vastæ est solitudinis, quandiu sola deerit claritas tuæ visionis. Et quis, Dominator Domine, turbam hanc saturare in infernali poterit solitudine, quos sola delectat præsentia majestatis tuæ? Nullæ quidem deliciæ, nulla novæ refectionis mensa tuis ultra paratur famelicis, si tu Agnus immaculatus, Agnus jam immolatus adimplere eos lætitia vultus tui distuleris. Sic nimirum civibus cœlestis patriæ humanæ redemptioni congratulantibus, sic Redemptori benignissimo suavi interrogatione respondentibus, quid piis misericordiæ blandimentis ipse nihilominus interrogando responderit; ordo narrationis evangelicæ consequenter innuit.

Et interrogavit eos: Quot panes habetis? qui dixerunt: Septem. Consideremus ergo quid suavitatis, quid dulcedinis in se benignissima hæc interrogatio contineat, cum ipsum fontem scientiæ nil nescire nullus ambigat. Quot panes habeant, ipse cognitor universorum interrogat, interrogando notа eis faciens hæc quæ facturus erat, quia nondum perfecte scire poterant spiritus angelici, quod ad cœnam magnam, cœnam Agni immaculati jam captivi illi erant revocandi. Unde idem est ac si diceret: Quis divini **709** adipe frumenti æternaliter vos satiatos reficit? Quis perpetuis vos suavitatis meæ deliciis interesso fecit? Ego quidem panis vivus epulari vos æternaliter faciens indeficienti Divinitatis meæ convivio, super hos etiam afflictos multitudinem viscerum meorum ultra continere non valeo, sed consummato promissionis tempore, nunc tandem eos ad epulas æternæ invitabo dulcedinis, quas magno eis pretio proprii paravi sanguinis.

Sic nimirum beata angelorum agmina de redemptione turbæ hujus triduo Dominum sustinentis pleniter instructa *septem* se *panes* habere pronuntiant, quibus hanc eamdem turbam abundanti suavitate satiari desiderant. Nam quid septenarius iste panum numerus nisi septiformis ille accipiendus est Spiritus? *Septem*, inquiunt, panes a te datore omnium accepimus, dum septiformis nos adimplevit gratia tui Spiritus, ut perpes tuæ visionis claritas sine fastidio plena et indeficiens nobis sit satietas. Sed nunc, Dominator Domine, novum ac singulare nobis ingerit gaudium, quod captivus ille sanctorum populus, educendus jam de domo carceris, imminutum diu numerum nostri adaugebit ordinis. Horum profecto congratulationem invicta ejusdem Redemptoris bonitas intuens, nec ultra eos, qui in tenebris erant, per semetipsum visitare differens, quali repausationis gremio, quam jucundo placidæ quietis habitaculo redemptos suos mox col-

locari jusserit, manifesta ratione sermo evangelicus consequenter innuit :

Et præcepit turbæ discumbere super terram. Præcepit, inquit, Jesus *turbæ discumbere super terram*. Per hanc procul dubio *terram*, super quam discumbere electissimam præcepit turbam, quid dignius, quid sublimius hoc in loco advertere valebimus, quam paradisum voluptatis, quem a principio plantavit Dominus? Hæc est nimirum terra florida, terra habitabilis et spatiosa, quam confessio latronis, sero pœnitentis possidendam obtinuit, dum crucifixus illi Redemptor **710** benignissimus ait: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso* (*Luc.* XXIII, 43). In hac etenim melliflua paradisi terra ereptus de imperio mortis et inferni sanctorum populus lætabundus valde discubuit. Nam ipsum triumphatorem mortis pariter discumbentem videre meruit. Tunc revera delectabiliter jucundata est æternæ divinitatis bonitas, quæ cohabitare filiis hominum suas esse testatur delicias. De cujus mirifica largitate quæ vel quanta tunc perceperit præmia beatitudinis, consequens innuit ordo evangelicæ narrationis.

Accipiens, inquit, *septem panes*, *gratias agens fregit*. Jam supra dixisse ad memoriam redeat, quod septem panibus septem quoque dona Spiritus sancti sano intellectu accipi valeant, quæ, dum propriis *accipiens* manibus redemptis suis idem Redemptor distribuit, maximas tunc revera *gratias egit*, quia gratiam eis super gratiam multiplicavit, quibus non solum adoptatam delictorum veniam, verum etiam incommutabilem largitus æternitatis gloriam. Nunc vero novum quid latentis mysterii exprimit, quod panes supra memoratos propriis frangere manibus tantæ majestati complacuit. Nam panum istorum fractio plenaria accipienda est septiformis Spiritus manifestatio. Septena namque dissolvens signacula, omnem eis latentem intrinsecus virtutem aperuit, et se et Patrem unum esse in substantia plena cognitione patefecit. Hanc nimirum incircumscriptæ majestatis notitiam vitam procul dubio esse perpetuam ipse electus Dei Patris Filius innuit, ubi Patrem taliter alloquens : *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* XVII, 3). Sequitur :

Et dabat discipulis suis, ut apponerent. Et apposuerunt turbæ. Bene quidem panes turbæ apponendos discipulis, id est, angelicis spiritibus dedisse dicitur. Nam ipsis ministrantibus digna laboribus sanctorum merces recompensabitur. Et quia certum constat causam totius judicii illorum nihilominus ministerio determinari, idem **711** Filius hominis evidenter talibus pronuntiat verbis : *Mittet*, inquit, *Filius hominis angelos suos, ut colligant de regno ejus omnia scandala* (*Matth.* XIII, 41). Si enim beata angelorum mittuntur agmina, ut de regno Dei, universa colligant scandala, nimirum missi in ministerium electorum spiritus administratorii veniunt, eisque secundum meriti dignitatem digna remunerationis præmia distribuunt. Unde cum educta ab inferis captivata diu captivitas perceptura jam esset deliciosas paradisi epulas, supradictis quoque discipulis, spiritibus videlicet angelicis, data est ab ipso Mediatore Dei et hominum potestas pariter et scientia, quo in loco electa quælibet apponenda esset anima, ut inter novenos ipsorum ordines congruo dignitatis gradu sedes illi daretur et requies. Sequitur :

Et habebant pisciculos paucos, et ipsos benedixit, et jussit apponi. Angelicos quidem spiritus, quos per *discipulos* spiritaliter intelligendos supra memoravimus, nunc mystico *pisciculorum* nomine iterata valemus significatione advertere. Electos namque hos pisciculos, vere in oculis suis **712** parvos et exiguos, benedictio summæ Trinitatis manu potentis misericordiæ retinuit, dum Lucifer, qui mane oriebatur, tanquam fulgur de cœlo cecidit. *Benedixit*, inquit, *illos*, ne iniquitati consentientes sedem suam ad aquilonem ponerent, et similes se altissimo æstimarent. Unde vero et incircumscripto lumini perenni incommutabilitatis statu eos jussit apponi, ut ex ipso, in quem prospicere desiderant, abundantissima semper dulcedine satiari valeant. Horum profecto beatitudinis et gloriæ, dum consortes facti sunt et comparticipes supra memorati illi Christi exsules, quanta mox satiati sint suavitatis abundantia, consequenter evangelica declarat sententia :

Et manducaverunt, *et saturati sunt.* Manducantes quidem convivantes inter tot angelorum millia *saturati* revera *sunt* suavitate mirifica. Nam et ipse qui vera et indeficiens est refectio beatorum omnium, conviva eis factus est et convivium.

713 HOMILIA LXXI.

IN EAMDEM FORTE DOMINICAM TERTIAM POST PENTECOSTEN TERTIA.

David sedens in cathedra sapientissimus princeps inter tres, ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus (*II Reg.* XXIII).

Nomine *David* istius Christum in divinitate sua non inconvenienter intelligere possumus, qui secundum interpretationem ejusdem nominis recte *manu fortis* sive *aspectu decorus* dici valet, cum in divina natura sua tantæ fortitudinis existat, quod cœlum et terram psalmo concludat, et ita desiderabilis sit aspectu, ut illius visio angelorum et omnium sanctorum sit refectio. Ipse etiam *sedens in cathedra* dicitur, per quod verbum incarnatio ejus non absurde intelligitur, quia sicut qui sedet in cathedra requiescit, sic et divinitas in humanitate quievit. Sed et hoc modo per *sedentem in cathedra* Christus secundum humanam naturam valet intelligi, quia sicut in cathedra proprie sedes doctorum dicitur, sic et ipse doctrinam, quam per semetipsum hominibus impendit, totam utique in diebus carnis suæ exhibuit, quia nos terrenæ corruptionis sordibus invo-

luti, loquentem de cœlo audire non poteramus, et ad divinitatis ejus audienda vel capienda verba idonei non eramus.

Quod autem verbum hoc *sapientissimus* valde convenienter ad ipsum pertineat, nullus qui recte sapit ignorat. Quis unquam hominum ejus se sapientiæ coæquare potuit vel poterit, qui in omni vita, in tota, inquam, conversatione sua in hoc mundo omnia in sapientia dixit et fecit? Cui etiam verbum hoc *princeps*, quod subsequitur apte congruit, quia ipse verus homo natus de Virgine, sapientia, humilitate et fortitudine supra omnes homines fuit, qui solus sine peccato in hoc mundo conversari potuit. *Princeps* quidem homo fuit inter homines, quia, **714** sicut diximus, vita ejus et conversatio omnium aliorum hominum ab initio sæculi vitam et conversationem supereminebat, sed tamen *inter*, non juxta vel supra *tres* fuit, per quos *tres* personas, Patrem et Filium et Spiritum sanctum intelligere possumus. Dominus noster Jesus Christus *inter tres* exstitit, quia infra substantiam sanctæ Trinitatis secundum humanam naturam fuit.

Ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus. Liquet ergo quod hoc tenerum nuncupetur, quidquid facile frangitur et cito flectitur, sicut et infans tenera habere dicitur membra, eo quod leviter sunt frangenda. Unde verbum hoc *tenerrimus* Domino Deo valde congrue in mysterio valet aptari, quia nusquam aliquid est in cœlo sive in terra, quod tam leviter frangi possit et a duritia sua flecti. Quomodo ergo dicimus frangi illum et flecti posse, cui summa fortitudo cognoscitur esse? Sic utique, quod nullus est tam flagitiosus, nemo tantis est peccatorum sordibus involutus quin super ipsum misericordia sua eum, ut ita dicamus, frangat et flectat, si tantum pœniteat et ex vere pœnitenti corde peccasse se solummodo dicat. Etsi in contemptu ejus quisque usque ad extremum vitæ suæ terminum perduraverit, si in ipso mortis articulo non desperans pœnitendo et confitendo eum quæsierit, frangitur utique et flectitur, quia per misericordiam gravibus peccatis longævi peccatoris absque ulla difficultate propitiabitur. Recte ergo et miseris peccatoribus valde consolabiliter dicitur *quasi tenerrimus*, quia est misericordissimus.

715 Et notandum quod ait, *ipse est quasi tenerrimus*, quod est veluti dicat: Ad similitudinem divinitatis suæ, in qua per ingenitam bonitatem est *tenerrimus*, quia misericordissimus, etiam in humana natura sua, quam nostri causa assumpsit, in misericordia et miseratione est præstantissimus. Qui etiam non injuste *ligni* dicitur *vermiculus*, quia sicut vermis sine commistione de terra nascitur, sic ille absque conceptu, de nobili terra, carne videlicet natus est virginea. Nec sine causa non *vermis* vocatur sed *vermiculus*, quia licet ipse solus sine peccato conceptus, natus et conversatus sit in hoc mundo, supra omnes tamen est humillimus. Inde est etiam quod, cum dicitur, *ipse est quasi tenerrimus*, mox additur, *ligni vermiculus*, quia illa misericordia ex ineffabili et incomparabili procedit humilitate, quod cum ipse immunis sit omnis peccati tam nascendi ordine quam conversatione, non dedignatur tamen, ut prædiximus, reconciliari magnis etiam et desperatis peccatoribus.

Item alio modo intelligere possumus ipsum Dominum nostrum Jesum Christum in passione sua fuisse *quasi tenerrimum ligni vermiculum*, quia ibi, dum justus pro injustis, innocens pro peccatoribus non solum gravia, sed et indigna ultra omnes peccatores pertulit, coram oculis hominum quasi despectissimus apparuit. Sed ubi apparuit *tenerrimus*, id est despectissimus, ibi procul dubio erat fortissimus. Audiamus igitur quanta tenerrimi hujus fortitudo, et quam convenienter comparari possit ligni vermiculo. Sicut enim vermiculus, qui in ligno est, nullo sciente vel vidente clam lignum comedit, sic et Dominus noster Jesus Christus in passione sua originale peccatum, quod primi parentes, Adam scilicet et Eva in ligno commiserunt, clam comedit quodammodo et consumpsit. Clam dico et nullo sciente inconsumpsit: quia inter tot et tantas irrisiones, inter tot verberum, sputorum, colaphorum et crucis aliarumque passionum ignominias nullus scire vel investigare potuit, si aliquid tale in eo esset, ut aliena consumere et delere peccata posset, qui in proprio corpore tam indigna et abjecta sustinuit. Adhuc manifestius fortitudo tenerrimi hujus ligni vermiculi commendatur in sequentibus:

716 *Qui octingentos*, inquit, *interfecit impetu uno*. In passione namque sua Dominus Iesus *octingentos interfecit*, quia octo principalia vitia et universitatem omnium vitiorum, quæ ex his generantur, omnem quoque potestatem malignorum spirituum, qui incentores sunt eorumdem vitiorum, gladio passionis suæ *interfecit*, sic dico *interfecit*, quod nunquam talem in fidelibus potestatem exercere prævalebunt qualem ante adventum ejus tam super justos quam super injustos habuerunt. Ante incarnationem Filii Dei maligni spiritus communiter super omne humanum genus principatum obtinuerunt, tyrannidem suam supra modum exercuerunt, ita quod nullus tantæ sanctitatis erat, nullus tam districtæ vitæ disciplinam, in hoc mundo gerebat, quin hoc fixum esset, quod post mortem ad inferos, sicut peccator et flagitiosus, descenderet. Sed in carne Domino apparente et post mortem crucis cum potestate magna et majestate inferni claustra penetrante, sua eis ablata est potestas, et non solum eam in cunctis justis et fidelibus perdiderunt, verum etiam in peccatoribus quibusque et injustis amiserunt.

Intueamur ergo primum latronem illum juxta ipsum Jesum in cruce pendentem, qui usque ad extremum pene halitum in obstinacia perduravit perfidiæ suæ, quomodo per unam confessionem eadem hora paradisum promeruit, et scire poterimus quod maligni spiritus iniquæ potestatis suæ tyrannidem in ipsis etiam peccatoribus amiserunt,

si tamen in morte sua cum vera pœnitentia inventi fuerint. Hæc Dominus Jesus fecit in illo *uno impetu*, quando spiritum suum in manus Patris tradidit et exclamans voce magna exspiravit, et anima ejus divinitatis suæ potentia ad inferos descendit. Sed et per *unum* hunc *impetum* accipere possumus sancti Spiritus adventum. Licet ergo descendendo ad inferos resurgendo et ascendendo Dominus omnia vitia et ipsos malignos spiritus interfecit, specialiter tamen tunc eos exstinxit, quando Spiritu sancto tanquam *impetu* quodam misso de cœlis, corda fidelium illustravit. Hæc sunt mira et magnifica opera istius David sedentis in cathedra, Dei videlicet et hominis Christi Jesu, quæ fecit et in humanitate divinitas et in divinitate humanitas. Sequitur :

717 *Post hunc Eleazar, filius patrui ejus Aoy* [Vulg. *Ahohites*] *inter tres fortes, qui erant cum David, quando exprobraverunt Philisthiim.* Per *Eleazar*, qui interpretatur *Dei adjutorium*, non injuste ordo apostolicus potest intelligi, quia apostoli adjutores Christi erant et vicarii. Unde ipsi, cum in passione sua a militibus sacerdotum ac pharisæorum quæreretur, ipsos apostolos suos sciens adjutores futuros esse, ab interfectione eorum his verbis prohibet quærentes se : *si ergo*, inquit, *me quæritis, sinite hos abire* (*Joan.* XVIII, 8).

Et notandum quod *filius patrui ejus* dicitur *Aoy*. Patruus Domini Jesu secundum carnem exstitit Judaicus populus, qui nomini *Aoy* potest figurari quia frater dici potuit Domini Dei omnipotentis, Patris videlicet illius, non quidem secundum merita, sed secundum legalia, quæ ei dederat, præcepta. Ipse namque populus solus tunc in tempore scientiam Scripturarum et notitiam, Dei habebat : unde et illi cognatione quodammodo conjunctus erat, et bene nomen hoc *Aoy*, quod interpretatur *spinarum*, ipsi Judaico populo congruit propter crudelitatem illam quam in Dei Filium, cognatum videlicet suum secundum carnem, Dominum Christum impie et malitiose exercuit. Hujus nimirum populi *filius* ordo fuit apostolicus quia ex eo carnaliter erat progenitus.

Princeps, ait, *inter tres fortes*. Iste ordo apostolicus propter excellentiam illam, quod ipsum principem vivorum ac mortuorum palam in hoc mundo conversantem et docentem sequi et audire meruit, *princeps* quidem in cunctis mortalibus fuit, sed tamen *inter*, id est infra *tres fortes* erat, videlicet Patrem et Filium et Spiritum sanctum. Licet enim, ut dictum est, apostoli *principes* super omnem terram essent constituti, tamen ad sanctæ Trinitatis substantiam et ad divinitatis ejus potentiam pertingere omnino non valebant. *Qui erant*, inquit, *cum David, quando exprobraverunt Philisthiim*. Ista duobus modis possumus intelligere, in una significatione possunt hæc ita accipi, quod tunc tres fortes isti, scilicet Pater et Filius et Spiritus sanctus, quibus in tribus personis est una Deitas, æqualis **718** gloria, coæterna majestas, tunc essent cum vero *David* videlicet Domino Jesu Christo, quando ipse cum divinitatis suæ potentia, quam habet cum Patre et Spiritu sancto, ad inferos descendit et Philisthæis illis, id est malignis spiritibus, quibus in hoc mundo infirmus homo et despectus apparuit, opprobrium sempiternum dedit, capta præda eorum, id est animabus omnium justorum, et prostravit eos, ita quod nunquam amplius contra electos Dei elevare caput audeant, sic ut illos post mortem sicut antea fecerunt, secum ad infernum deducere valeant.

Possumus etiam per Philisthiim, qui interpretantur *cadentes potione*, Judæos non inconvenienter accipere, qui sic inebriati erant per malitiam, quod etiam proruperunt ad insaniam, ita ut Domino cœlestia eis præponenti et multa bona opera in eis facienti, infinita objicerent opprobria. Postremum ad cumulum infelicitatis suæ ultra modum auxerunt improperia. In tot et tantis exprobrationibus, quas homo pro humano genere Dei Filius ab impiis pertulit, tres fortes erant cum eo quia divinitas, quæ in tribus subsistit personis, nunquam ab eo recessit.

Item sub alia significatione apostolos hic possumus accipere, quod Scriptura hoc in loco significet, cum dicit : *qui erant cum David, quando exprobraverunt Philisthiim*, quia ipsi improperiis illis omnibus interfuerunt, quæ Judæi Redemptori nostro ignominiose objecerunt. Triginta annis, quibus in hoc mundo latuit nulla ab impiis improperia pertulit, nec infra hos annos sanctos sibi apostolos conjunxit, sed postquam evolutis tot annis prædicationis verbo insistere cœpit, ordinem apostolicum elegit, quo etiam præsente et secum conversante innumeras usque ad mortem crucis exprobrantium molestias a Judæis sustinuit.

Et congregati sunt, inquit, *illuc in prælium. Congregati sunt* adversarii Christi, quos suscitaverunt maligni spiritus, *illuc*, id est in humanitatem ejus, quæ per verbum hoc *illuc* intelligi valet quia localis fuit et contra eam insidiando et improperando et ad ultimum interimendo durum satis bellum exercuerunt. Sed tamen *huc*, id **719** est divinitatem ejus, quæ per *huc* accipi potest, quia ubique præsens est, attingere non potuerunt. Quia igitur sancti apostoli his omnibus exprobrationibus interfuerunt, non injuste eos credimus significari hic, dum dicitur : *Qui erant cum David, quando exprobraverunt Philisthiim et congregati sunt in prælium.* In his, quæ subsequuntur, clarius perspicere valemus, quam recte per *Eleazar*, quod interpretatur *Dei adjutorium*, ordinem apostolicum intelligere possimus. Nam manifestius Scriptura hic insinuat et exprimit, quomodo post passionem, resurrectionem et ascensionem Christi Domini adjutor ejus exstitit.

Cumque, ait, *ascendissent viri Israel, ipse stetit et percussit Philistheos, donec deficeret manus ejus et obrigesceret cum gladio.* Per *viros Israel* sicut per Philisthæos non incongrue accipere possumus

Judæos. Quid est ergo *cum ascendissent viri Israel?* Quando homo ascendit, in altum se sublevat: *ascenderunt* ergo Judæi quia, postquam Christum Dominum interemerunt suspendentes in ligno, et ille per resurrectionis potentiam hanc devicisset ignominiam, adhuc se contra ipsum per superbiam tentaverunt erigere, cupientes de terra memoriam illius auferre. Sed sic ipsis in superbia erectis, et nomen Christi delere sub cœlo cupientibus *stetit* ordo apostolicus, per adventum Spiritus sancti in veritate confirmatus et stabilitus *stetit* dico, quia partem Christi defendit contra publicos hostes illos, Judæos, fortiter et viriliter gladio verbi Dei dimicando, *et percussit*, inquit, *Philisthæos*. Gravi nimirum ordo apostolicus Philisthæos, Judæos scilicet percussione prostravit, dum illum, quem ipsi propter lethale odium, quod, in eum habebant, interemerunt, resurrexisse et ascendendo ad dexteram Dei Patris consedisse publice et secure prædicatione sua affirmavit. Nec destitit tandiu testimonium veritati perhibere, *donec deficeret manus ejus et obrigesceret cum gladio*, id est usque dum in eo vita penitus defecit, et ob insuperabilem prædicationis constantiam occisus est. *Defecit* ergo *manus*, id est vita apostolorum, *et obriguit cum gladio*, dum contra eos principum hujus mundi crudelitas sæviret, dum tot cruciatibus anxii, **720** tot persecutionibus pressi, et tandem ad mortem traditi occubuerunt. Et bene dicitur *cum gladio* quia cum verbo Dei occubuerunt, quod per gladium intelligitur. Quomodo cum verbo Dei eos occubuisse dicimus? Sic nimirum, quod prius de verbo Dei reticere noluerunt, donec per immensitatem crudelitatis persequentium vitam occisi amiserunt. Nonne *defecit manus* Jacobi, *et cum gladio obriguit*, quando ab Herode propter ipsum verbum necatus occubuit? Sed quantus mortem eorum fructus sequeretur, aperte hoc in loco Scriptura declarare videtur. Ait enim:

Fecitque Deus salutem magnam in die illa. Sancti apostoli postquam ad comprobandam veritatem Dei corpora sua ad mortem tradiderunt, *facta est salus magna in die illa*, id est in Ecclesia, quæ tunc illuminari cœperat in eorum doctrina. Innumerabiles namque populi salutem animarum sunt consecuti quia vera esse tum non dubitabant, quæ etiam ipsa morte sua sancti apostoli comprobaverunt.

Et reversus est, inquit, *populus, qui fugerat, ad cæsorum spolia detrahenda.* Populus Judæorum et gentium per inobedientiam tunc aufugerant, quando ipsis adhuc viventibus, et prædicationi verbi Dei ad convertenda et emollienda corda eorum insistentibus, iis quæ dicebantur ab eis, non credendo resistebant. Sed dum, ut diximus, ipsam Veritatem, quam verbis prædicabant etiam morte sua comprobare non dubitabant, *reversus est populus ad cæsorum spolia detrahenda*, hoc est, ad apostolorum Christi morte punitorum merita imitanda et rectæ fidei defensores facti sunt, cujus ante paululum hostes et persecutores fuerunt. Vel sic *reversus est populus, qui fugit, ad cæsorum spolia detrahenda*, dum quique fideles mortua eorum corpora auferre et venerari certatim cupiebant, et vel aliquid de reliquis illorum contingere gaudebant, quos olim viventes despexerant. Sed hunc ordinem apostolicum recte sequitur ordo martyrum. Sic enim littera hæc continet:

721 *Et post hunc Semma filius Aggæ* [Vulg. *Age*] *de Merari* [Vulg. *Arari*. Et non injuste nomen hoc *Semma*, quod interpretatur *ubi est* vel *audiens*, ordini martyrum congruit, quia in tempore eorum, dum tanta sæviebat rabies persecutionum, celebre inter populos infidelium verbum erat: *Ubi est?* quia nimirum, tam in speluncis petrarum et in cavernis terræ quam in publicis locis, ubique inquiri jubebantur quicunque Christianæ religionis cultores esse audiebantur. Audiamus subsequentium interpretationes nominum, et consideremus quam bene et hæc conveniant huic ordini martyrum. Agga *loquens* vel *meditans*, Merari vero *montanum* interpretatur, ipsi enim sancti martyres in lege Domini die noctuque meditantes semper de *montanis*, id est de excelsis et cœlestibus loquebantur. Horum in temporibus hæc statio Philisthiim erat, de qua in præsenti legimus:

Et congregati sunt Philisthiim in statione. Statio proprie nuncupatur, ubi in solemnitatibus personarum spectabilium fit conventus, sicut et *statio* domini papæ dici solet, ubi ipse ad solemnitatem celebrandam cum personis majoribus convenerit. Sic et hoc in loco stationem Philisthiim intelligere possumus, solemnem, ut ita dicam, conventum, quem dæmones qui Philisthiim nomine figurantur, habebant in hujus mundi principibus. Et quia principes voluptates sæculi et avaritiam sectabantur, ideo et totus pene mundus per eos quasi in statione dæmonum erat, quia eisdem succumbebat vitiis, sicut et consequens littera manifestat:

Erat quippe ibi ager plenus lente. Per *agrum* intelligitur mundus; per *lentem* voluptates et concupiscentias ejusdem mundi accipere possumus. *Ager quippe lente plenus fuerat*, quia totus mundus voluptatibus et carnali concupiscentiæ deditus erat, ita ut omnis eorum intentio esset, quatenus vanis oblectationibus pro desiderio suo libere uti potuissent. Unde est etiam quod, sicut in alia veteri legitur historia, Esau pro uno lentis edulio vendidit primogenita sua (*Gen.* XXV, 33). Et quia a sanctis martyribus hæc spernenda et cœlestia esse appetenda prædicabatur, ideo eos Philisthiim, id est dæmones per vicarios suos, principes videlicet et amatores sæculi crudeliter **722** persequebantur; sicque factum est, cum terror et dominium malignorum spirituum, qui per principes et in principibus operabantur, totum fere mundum obtinuisset, ita ut pauci essent qui in paupertate Christiana cœlestia se appetere publice fateri auderent, quod multi propter crudelitatem persecutionis eorum a fide, quæ est in Christo Jesu, exciderent. Unde apte subjungitur:

Cumque fugisset populus a facie Philisthinorum, A Ita malignis spiritibus, per principes hujus mundi contra fideles quosque avaritia et cupiditate sævientibus, *fugit populus*, utique quia nonnulli, sicut diximus, exciderunt ab integritate fidei immanitate crudelitatis eorum perterriti. Sed sic fugientibus populis a facie Philisthiim, quid inter hæc fecit ordo martyrum? *Ille stetit in medio agri*, hoc est quod in potentia virtutis Dei confortatus a tramite rectæ fidei deviare noluit, et nec prosperis nec adversis mundi unquam moveri potuit. Sed quid fecit? *Tuitus est eum*, hoc est catholicam fidem prædicatione sua defendit, et eam defendendo etiam crudelem mortem imperterritus sustinuit.

Tunc quoque percussit Philisthæos, id est malignos spiritus sive hujus mundi principes quia dum ipse B mori pro veritate non dubitavit, fideles in fide Christi corroboravit, et multos etiam ab infidelitatis errore converti fecit. Unde sequitur : *et fecit Dominus salutem magnam*. Facta est per interfectionem salus magna, dum multi eorum exemplo compuncti vanas superstitiones idolorum desererent, et nonnulli etiam corpora sua nihilominus propter Deum ad supplicia traderent. Sequitur :

Nec non et ante descenderant tres. Post Christum et apostolos ordinem quoque martyrum ordo subsequitur patriarcharum, prophetarum, et antiqui temporis sacerdotum, prior quidem tempore, sed posterior dignitate. Ideo et putamus eos in ordine hujus litteræ idcirco tribus illis, id est Christo, apo- C stolis et martyribus postpositos esse quia profecto minoris erant dignitatis, quanquam in diebus suis præ cæteris, qui tunc temporis erant, virtutum pollerent meritis. Et quos illos tres præcederent, Scriptura non tacet, *nec non et ante*, inquiens, *descenderant tres*. Et notandum quod 723 ait, *descenderant*. Per istud descendere possumus hoc intelligere quod quanquam juste viventes, omnes tamen post mortem introibant in inferiora terræ, id est ad infernum. Nam adhuc facta non erat incarnatio Filii Dei, et necdum chirographum illud decreti, quod adversum eos erat, Christus affixerat cruci. *Qui erant*, inquit, *principes inter triginta*. Prædicti namque patres *principes erant inter* triginta, inter eos videlicet, qui fidem sanctæ Trinitatis et Decalogum D legis observabant. Et licet in diebus patriarcharum lex data non esset, nonnulli tamen in creaturis Creatorem cognoscentes legitime vivebant. Inter hos patriarchæ *principes erant* quia virtutibus eminebant.

Et venerant tempore messis ad David in speluncam Odollam. Per *speluncam Odollam*, quæ *congregatio* sive *testimonium eorum* interpretatur, infernus satis congrue designatur. Nam omnes tam justi quam injusti ante adventum Christi illuc congregabantur, et hoc erat testimonium eorum, ut quomodocunque viverent, post mortem in illum unum locum cuncti pariter descenderent. *Tempus messis*, quod in hoc loco ponitur, tunc fuit, dum in plenitudine temporis granum illud frumenti quod in terram ceciderat, abscissum est, hoc est, quando Filius Dei, verus homo, de Virgine natus, in morte occubuit. Illo quoque mortuo in cruce et anima ejus cum divinitatis suæ potentia ad inferos descendente, isti, de quibus prædiximus, *venerunt ad speluncam Odollam ad David*, videlicet ad ipsum Dominum Christum, qui eos non inventos in mundo visitaverat in inferno, interpellantes eum hac voce lacrymabili : *Advenisti, desiderabilis quem exspectabamus in tenebris*. Hoc igitur tempus nondum advenerat, in quo hæc compleri deberent, sed tamen aderat in prædestinatione. Unde et Scriptura pro futuro præterito utitur tempore. *Venerant*, inquit, *tempore messis ad David in speluncam Odollam*. Sed antequam hæc fierent, quid interim ageretur in mundo, subsequentia insinuant verba :

Castra autem Philisthiim posita erant in valle gigantum, et David erat in præsidio. Quid est ergo *castra Philisthiim posita erant in valle gigantum?* nisi quod maligni spiritus tanta peccatorum 724 cæcitate, tam profunda ignorantiæ obscuritate universo mundo dominabantur, et illa profunditas vitiorum tam valida et, ut ita dicam, tam gigantea erat, quod nemo effugere poterat. Nonnulli quidem illo tempore, sicut isti de quibus modo locuti sumus, ab actuali peccato, in quantum licuit, abstinebant, et pie ac sobrie in spe vivebant, sed tamen per originale crimen omnes sub dominio eorumdem malignorum spirituum constituti fuerant. Nam *David* noster, Dominus Jesus adhuc *erat in præsidio*, id est in cœlo, in sinu paternæ majestatis requiescebat, et necdum in assumpta humanitate mundum suo imperio sanguinis sui incausto in crucis ligno attitulaverat. Sequitur :

Porro statio Philisthinorum tunc erat in Bethlehem. *Bethlehem* civitas erat Judæorum, quæ interpretata *domus panis* dicitur. Et recte *domus panis* interpretatur quia Deus legem et doctrinam suam dedit populo Judaico, qui in ea commorabatur. In hac igitur civitate Bethlehem *statio erat Philisthinorum*, quia solemnem conventum suum maligni spiritus in Judaico populo fecerant, dum accepta divinæ legis scientia ipse iniquitatis et avaritiæ opera exercebat. Tanto magis enim quisque sedem malignis spiritibus in seipso præparat, et culpam suam in conspectu Domini exaggerat, quanto ipse perverse vivendo melius scit quid facere vel vitare debeat. Unde et diabolus in illo populo magis regnabat, qui post cognitionem Dei iniquitati et voluptatibus sæculi deserviebat, quam in gentibus, qui nec per legem nec per prophetas instructi erant. Sed, dum medium silentium tenerent omnia et nox in suo cursu iter perageret, impleri cœpit, quod Scriptura mox subjungit.

Desideravit igitur David aquam de lacu. Postquam homo divina præcepta violando ab æterna beatitudine excludi promeruit, *desiderium* veri *David*, scilicet unigeniti Filii Dei semper hoc fuit, ut talis

sibi *aqua* afferretur, per quam sitis sua exstingueretur, id est ut quandoque per suam incarne præsentiam corda hominum, quæ tenebrosa per ignorantiam, et lutulenta quodammodo per peccata erant, veram scientiam consequerentur et munditiam. Per ingenitam **725** namque sibi pietatis et misericordiæ dulcedinem humanam sitiebat salutem. Unde et humanis interesse miseriis suave duxit, quemadmodum in libro Sapientiæ ait : *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum* (*Prov.* VIII, 31). Ex hoc eodem desiderio et ista prolata sunt verba : *O si quis mihi potum aqua daret de cisterna in Bethlehem juxta portam! Cisterna* aquam habet de cœlo. Et recte per *aquam cisternæ* illa compunctio intelligitur, quæ de amore Dei et desiderio regni cœlorum nascitur. Desideravit igitur Filius Dei, ut aliquando tempus adveniret, quod sic in cordibus hominum charitas Dei diffunderetur, ut non solum propter peccata, sed etiam propter amorem Dei et cœlestis regni desiderium compungerentur. Nam antequam ipse homo propter homines fieret, nullus propter regnum cœlorum sic compungi potuit, nisi (36) optime sciret, quod post mortem ad inferna descenderet. Postquam, quod desideravit, per incarnationem suam Christus implevit, omnes electi in hac spei fiducia compunguntur, quod post hanc vallem lacrymarum januam vitæ ingrediantur. Per cisternam quoque, quæ, sicut diximus, desuper aquam habet, baptismus satis congrue intelligi valet. Nam sacramentum baptismatis desursum est, non de infimis. Hanc igitur aquam baptismatis Filius Dei, antequam homo fieret, in prædestinatione sua hauriendam esse in *Bethlehem*, id est in Ecclesia scivit. Et recte dicitur *juxta portam*, quod est quasi dicat, prope introitum regni cœlorum quia nisi quis per hanc aquam regeneretur, portas cœli non ingredietur. Sed, antequam ipse mundum visitaret, ignotum erat quid hæc essent. Multi quidem in fide et in spe futura esse prævidebant, sed nondum in re habebant. Unde et verus noster David, id est Filius Dei hæc impleri desideravit, et ista quodammodo pietatis ejus sententia fuit, dum humanæ miseriæ condoluit : *O si quis mihi potum aquæ daret de cisterna in Bethlehem juxta portam!* id est o si aliquando tempus adveniret, quod per aquam baptismatis, quod futurum est in Ecclesia, siti meæ potus daretur, ut per hoc salus humana, quam sitio, compleretur, et homines remissionem peccatorum consequerentur, ac ingressum cœlestis **726** regni mererentur? Nonne quando dixit : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu, non potest introire in regnum cœlorum* (*Joan.* III, 5), potum hunc quæsivit?

Irruperunt ergo tres fortes castra Philisthinorum et hauserunt aquam de cisterna, quæ erat in Bethlehem juxta portam, et attulerunt ad David. Horum trium fortium nomine, sicut et in superioribus, patriarchas, prophetas et sacerdotes possumus intelligere. *Fortes* utique fuerunt, qui illo tempore *castra* A *Philisthinorum irruperunt*, id est qui malignis spiritibus per virtutum merita contraire potuerunt, in quorum tunc mundus constitutus erat potestate. Sed et per hoc, quod ait *irruperunt*, quod dictum est quasi *intus ruperunt*, hoc possumus intelligere, quia licet exterius adhuc in re istam, de qua diximus, gratiam non potuerunt consequi, intus tamen in spiritu consequendæ gratiæ omnem cordis sui intentionem, quantum poterant, in Deo figebant. *Hauserunt* utique *aquam de cisterna, quæ erat in Bethlehem juxta portam*, quia crediderunt futurum esse in Ecclesia baptismi sacramentum, ac per hoc regni cœlorum patefieri debere introitum. Nunquid eximius ille patriarcha Noe, qui Deo jubente arcam, in quam exundante diluvii aqua ingrederetur, fabricabat, B etiam ipso revelante non didicerat quod hujus arcæ fabrica futuram Ecclesiam significaret, aqua diluvii aquam baptismatis, per quam omnes extra arcam, id est Ecclesiam delerentur, intra arcam, id est Ecclesiam salvarentur? Nonne David quando dixit : *In ecclesiis benedicite Deo Domino de fontibus Israel* (*Psal.* LXVII, 27), futuri aquam baptismi in spiritu prævidit? Nunquid non hoc ipsum præcipuo illi et eximio symmistæ Dei Isaiæ revelatum fuerat, quando in lætitia cordis sui dicebat : *Exsultet desertum, exsultent solitudines Jordanis?* Utique non ignorabat, quando, ut stabiliretur et confirmaretur, ita orabat : *Consilium tuum antiquum verum fiat.* Nonne tibi videtur hos omnes *hausisse aquam de cisterna, quæ erat in Bethlehem juxta portam* hoc C modo, ut diximus?

Et attulerunt, inquit, *ad David*. Quid est *attulerunt ad David*, nisi quod fidem et spem suam Deo obtulerunt deprecantes eum, ut quod habebant **727** in fide et in spe, per semetipsum aliquando perduceret in re? Sed quid sequitur?

At ille noluit bibere. Licet multi perfecti, qui illo tempore esse poterant, in fide et spe Deo adhærerent, ille tamen eos trajicere in corpus suum noluit, id est transferre ad consortium angelorum distulit, quia peccatum illud originale, per quod inimici facti sunt ad invicem angelus et homo, nondum deletum fuit in sanguine suo, sed tamen quid fecit? *Libavit eam Domino.* Igitur Filius Dei fidem antiquorum Pa- D trum ejus in carne præsentiam suspirantium, hoc modo *libavit Domino*, scilicet Patri suo, quod eos per inspirationem suam edocuit, ut ipsi sacrificium fidei suæ offerrent Deo. Hæc, quæ subsequuntur, verba compassionis illius sunt judicia, qua eis, qui illi in fide adhærebant, condoluit, *Propitius*, inquit, *sit mihi Deus, ne faciam hoc.* Quod est quasi diceret : *Deus*, omnipotens Pater, qui in prædestinatione sua incarnari me disposuit, propitiationem suam, qua per me humano generi misereri decrevit, acceleret, ut aliquando tempus veniat, quod per ejus obedientiam homo propter homines fieri debeam, *ne faciam hoc*, id est ne originali exigente peccato, qui mihi in fide conjuncti sunt, extra corpus meum relinquam;

(36) *Nisi* pro *quin*, ut alias plures.

sed Mediator hominum per humanam naturam factus ad Deum ultra eos spernere non valeam.

Num sanguinem hominum istorum qui profecti sunt, et animarum periculum bibam? hoc est, nunc eos in corpus meum non valeo nec debeo recipere quos originale peccatum, id est inobedientia, per quam *profecti sunt* de paradiso, et actuale crimen, quod est *periculum animarum*, commaculat. *Noluit ergo bibere.* Hoc ipsum est quod diximus, quia Dei Filius eos in corpus suum noluit nec debuit trajicere, quos licet fidem ejus habentes, crimen involvit originalis culpæ. Sequitur: *Hæc fecerunt tres robustissimi.* Quinam tres isti, nisi jam sæpe dicti patriarchæ, prophetæ et sacerdotes temporis antiqui? Quæ et qualia isti fecerunt? Utique hæc, quod, sicut jam diximus, castra Philisthiim irruperunt, et hauserunt aquam de cisterna, quæ est in Bethlehem juxta portam, **728** hoc est, quod per fidem et spem, qua Deo adhæserunt, se de communi vita cæterorum mortalium, in quantum poterant, abstraxerunt, et eum quandoque crediderunt esse venturum, qui aquam baptismatis consecraret in absolutionem criminum, ac in ejus sanguinis per fontem regenerationis diu clausæ portæ cœli essent aperiendæ. Hac fidei et spei suæ longanimitate hoc fecerunt, quod Filius Dei ultra se continere non potuit, quin misericordia super humanum genus motus sit, et, ut præfati sumus, hoc desideraret, ut humana salutis eorum causa natura assumpta eos trajicere in corpus suum posset. Designatis ergo pariter his tribus patriarchis, prophetis et sacerdotibus ingreditur modo specialiter commendare dignitatem ordinis patriarcharum; ait enim:

Abisai quoque frater Joab, filius Sarviæ, princeps erat de tribus. Abisai *pater sacrificii* interpretatur, cujus nomine non inconvenienter ordo patriarcharum designatur. Nam specialiter de pluribus eorum legitur quod Deo obtulerunt sacrificium. Primus pater sacrificii Abel fuit, qui de primitiis gregis sui agnum Deo obtulit; deinde Noe, qui ædificans altare Domino holocaustum super illud immolavit. Sed et ille summus patriarcha Abraham magnus pater sacrificii exstitit, qui jubente Deo unicum hæredem, si ab eo permissus fuisset, immolare decrevit, et alii quamplures quos omnes enumerare longum est. Hic ordo patriarcharum sacrificia multa Deo in diebus suis obtulit, sed inde salvari non potuit. Quare? quia *frater* erat *Joab*, quod *inimicus* interpretatur, et *filius Sarviæ*, quod *vinctus* vel *angustiatus* dicitur. In hoc enim *frater* erat *inimici* et *filius vincti* vel *angustiati*, quia, sicut hunc mundum, qui inimicus Dei exstitit, et sub jugo diaboli ligatus et constrictus fuit, post mortem infernus absorbuit, sic et ipse post hanc vitam nihilominus ad inferos descendit. Nam pro inimicitia illa quæ in primis parentibus per inobedientiam facta fuerat, nondum mors Mediatoris intercesserat. Ipse ordo *princeps erat de tribus*, quia præeminebat prophetis et sacerdotibus.

Ipse est, qui levavit hastam suam contra trecentos, quos interfecit. **729** Hasta longior est cæteris armis, quam milites ferre solent, et per eam longanimitas recte figurari potest. Quæ longanimitas bene patriarchis ascribitur, nam ipsi diutius præ cæteris hominibus in hoc sæculo degentes, in fide et spe redemptionis suæ longa fatigati sunt exspectatione. Deducamus in medium Noe patriarcham, et consideremus longanimitatem illius constantiam. Nongentos quinquaginta annos in hac vita commorabatur, nec tamen ætatis devictus tædio longanimiter et potenter servire destitit Deo suo. Et bene de ordine isto dicitur, *qui levavit hastam suam contra trecentos.* Nam per longanimitatem illam, quam diximus, quantum illo in tempore licuit, malas concupiscentias et prava quælibet opera et verba in semetipso mortificare studuit.

Nominatus in tribus et inter tres nobilior, eratque eorum princeps. Hoc ipsum est, sicut præfati sumus, quod ipse prophetis et sacerdotibus et antiquior tempore et nobilior virtutum erat dignitate. Nam ille quidem normam bene vivendi per legem non acceperat, et tamen juste et legitime conversari noverat. *Sed usque ad tres primos non pervenerat.* Quasi diceret: Licet ordo patriarcharum magnæ excellentiæ per virtutum merita exstiterit, ad Christum tamen et apostolos ac majores, qui recte primi non tempore sed dignitate dicuntur, pertingere non potuit. Sequitur:

Et Banaias filius Joiadæ, viri fortissimi, magnorum operum de Capsehel. Banaias *cæmentarius* interpretatur, quod nomen recte ordini prophetarum congruit. Nam per eorum, quæ in mundo reliquerunt, verba ac scripta, sancta ædificari cœpit Ecclesia. Qui ordo propheticus bene *filius Joiadæ*, id est filius *cognitionis Dei* dicitur. Nam præ omnibus, qui ante eum in mundo fuerunt, divinam cognitionem habebat, et cœlestium secretorum conscius erat. Neque enim faciebat Dominus verbum super terram, quod non revelaret servis suis prophetis. *Filius*, inquit, *Joiadæ viri fortissimi.* Ordo prophetarum, dum filius cognitionis Dei dicitur, utique et ipsius, cujus cognitionem habebat, filius esse significatur. Huic recte congruit, quod ait: *Viri fortissimi, magnorum operum*, quia ipse fortissimus **730** est omnium spirituum, et juxta Prophetam: *Magna opera Domini exquisita in omnes voluntates ejus* (*Psal.* CX, 2). *De Capsehel*, inquit, hoc est, de *congregatione Dei*. Congregatio Dei bene vocari possunt spiritus angelici. De illis nimirum ipse est, non quasi unus ex illis, sed creator eorum et præsidens ejus, tanquam factor creaturæ suæ. Hujus *viri fortissimi*, quia filius fuit ordo propheticus, ideo apte subjungitur de eo:

Ipse percussit duos leones Moab, et ipse descendit et percussit leonem in media cisterna in diebus nivis. Per *duos leones Moab* reges Juda et Israel possunt intelligi, qui hujus mundi avaritiæ dediti non bene regebant populum Dei. Hos ordo propheticus quodammodo *percussit*, dum propter injustitiam illis

iram Dei imminere in prophetia sua dixit. Nonne A gravis ictus percussionis fuit, dum quidam eorum veniens in Bethel, Jeroboam stante super altare et thus jaciente nasciturum esse regem, nomine Josiam, qui sacerdotes sacrificiorum super ipsum altare immolaret, prædixit, et rege manum extendente, ut idem vir Dei propter hæc verba apprehenderetur, manus ejus, quam extenderat contra eum, exaruit, nec eam retrahere ad se valuit? (*III Reg* XIII.) Sic et Elias propheta Achaz regem quodammodo percussit, quando illi in vineam Naboth descendenti, ut eam occiso illo injuste possideret, occurrit, et ei in sermone Domini dixit: *Occidisti, insuper et possedisti. In hoc loco, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lingent quoque sanguinem tuum* (*III Reg.* XXI, 19). Gravissima etiam alius B quidam eorum Micheas videlicet, eumdem regem percussione prostravit, quando sibi a Domino revelatum dixit, quod ad decipiendum eum spiritus mendax permittente Deo in ore omnium prophetarum suorum esset, quatenus fallaci pacis promissione per eos consolatus ascenderet et caderet in Ramoth Galaath. Per tertium *leonem*, quem hic ponit, ordo sacerdotalis intelligi poterit. Hunc quoque *in media cisterna in diebus nivis* quodammodo ordo propheticus percussit, dum illum pro eo quod in templo Domini, ubi pro suis, deinde pro populi delictis legitimas hostias Deo offerre debuit magis ad satisfaciendum avaritiæ suæ intendebat, **731** prophetico sermone increpavit. Sequitur:

Ipse quoque percussit virum dignum spectaculo. C Per *virum* hunc intelligere possumus Judaicum populum, qui idcirco dicitur *dignus spectaculo*, quia sublimis populus factus est a Deo, et cunctis gentibus terrarum propter dignitatem, quam consecutus fuerat, magnum præstabat spectaculum. *Habentem*, inquit, *in manu hastam.* Populus Judaicus *hastam in manu habebat*, quia et legem et templum et patriam possidebat. Hunc quoque non bene Dei sui utentem legibus, eodem modo propheticus ordo percussit, quo et prædictos tres leones, reges scilicet Israel et reges Juda eum percussisse diximus. Itaque ait: *Cum descendisset ad eum in virga. Virga* correptio illa fuit qua sermo propheticus injustitiam arguit. *Vi extorsit hastam de manu Ægyptii*, quia in D prædicatione sua futurum esse prædixit, quod potestas illa et gloria Judaici populi, qui propter nigredinem peccatorum *Ægyptii* nomine designatur, qua multis nationibus præerat, auferenda et ad nihilum redigenda esset, et eos scelerum suorum merita vindicta inveniret, et per potentiam Dei et per potentiam principum, quos eis suo imperio venire permisit, sicut fuit Antiochus, qui ascendens in Jerusalem intravit in sanctificationem cum superbia, et sublatis omnibus et facta magna cæde populi abiit in terram suam; et prius Nabuchodonosor, ac deinde post incarnationem Dominicam et passionem et ascensionem Christi Romani principes Titus et Vespasianus, qui urbe succensa totam Judæorum gentem devastaverunt, et partim occisam, partim in captivitatem duxerunt. Hæc quidem omnia eis ventura esse propheticus ordo prædixit. Unde et recte hic dicitur:

Hæc fecit Banaias filius Joiadæ et ipse nominatus inter tres robustos, quia et ipse magnus exstitit in tribus illis ordinibus, quos prædiximus, patriarcharum videlicet prophetarum et sacerdotum, qui erant inter triginta nobiliores, **732** id est illis qui tantum fidem sanctæ Trinitatis cum observatione legalium præceptorum habebant, virtutibus præstantiores. *Verumtamen ad tres non pervenerat*, quia Christo et apostolis ac martyribus multo inferior erat.

Sed et hæc eadem verba, quæ ad ordinem prophetarum retulimus, etiam ad Christum apte referre possumus. Per *Banaiam*, qui *cæmentarius* interpretatur, Dominus noster Jesus Christus intelligi valet, quia ipse est cæmentarius ille qui cœlestem Jerusalem construens structuram ejus de vivis et electis lapidibus componit. *Ipse percussit duos leones Moab*, originale videlicet et actuale crimen, quod per *duos leones* intelligi poterit. Et *ipse descendit et percussit leonem in medio cisternæ in diebus nivis.* Per hunc tertium leonem potest mors accipi, quam Christus interfecit, dum ipse in morte occubuit. *In media cisterna*, inquit, quia videlicet juxta vaticinium Psalmistæ, *salutem operatus est in medio terræ* (*Psal.* LXXIII, 12). Ipse quoque *percussit virum dignum spectaculo habentem in manu hastam.* Vir iste antiquum hostem potest designare, qui ideo *dignus spectaculo* dicitur, quia necesse est, ut diligenti cordis providentia incursus illius præcaveatur. Hunc *habentem in manu hastam*, id est potestatem et dominium super omne humanum genus, gladio passionis suæ interemit Christus. Itaque *cum descendisset ad eum in virga*, hoc est cum se humiliasset usque ad mortem crucis, quæ per virgam valet intelligi, *vi extorsit hastam de manu Ægyptii*, id est virtute divinitatis suæ potestatem principis tenebrarum, qua universo mundo dominabatur, abstulit. *Et interfecit eum hasta sua* quia ipsa potestas, quam super justos et injustos exercebat, causa interfectionis ejus exstitit. *Hæc fecit Banaias filius Joiadæ*, verus videlicet ille cæmentarius, Filius Dei, qui ipso angulari lapide existente, omnes vivos lapides conjungit unumquemque in suo ordine.

733 HOMILIA LXXII

IN DOMINICAM VIII POST PENTECOSTEN PRIMA.

Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces (*Matth.* VII).

Verba hujus sancti Evangelii pars quædam est sermonis, quem Dominus in monte fecit, quem turba in convallibus manens audire non potuit, sed soli discipuli audire potuerunt, qui tantæ perfectionis erant quod et operibus eadem quæ pius Magister edocuit adimplere meruerunt. Qui bene *in monte* quia doctrina hæc magna et mirifica mon-

tium est, id est electorum et perfectorum, qui sub divini magisterii censura viventes, Domino ac Magistro suo Christo fiducialiter dicere possunt cum Petro: *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te* (*Matth.* XIX, 27). Omnia derelinquit, qui non solum ea quæ foris possidentur, terrena bona relinquit, sed etiam universis desideriis et voluntatibus injustis abrenuntians, quidquid transitorie delectabat et secundum carnem dulce videbatur, despicit. Hujuscemodi sæculi abrenuntiantibus, imitanda et sequenda est sine dubio summa perfectionis, quam commendat sermo evangelicus.

Attendite, inquit Dominus, *a falsis prophetis*. Nomine falsorum prophetarum malignos spiritus ano intellectu accipere possumus, qui ideo non incongrue *falsi prophetæ* dicuntur, quia pro hoc solummodo die noctuque laborant, ut mendacio suo et falsitate hominem a vera, quæ Christus est, veritate faciant declinare, et bonum malum, malum bonum æstimare. Unde Dominus salutem electorum suorum desiderans, simul etiam malitias et insidias falsorum prophetarum considerans, *attendite*, inquit, id est totos sensus, totum desiderium vestrum sursum tendite, sive ad id solum tendite, ne consentiatis, ne malum pro bono, ne falsum pro vero recipiatis.

734 *Veniunt enim ad vos*, inquit, *in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Quid est quod falsi isti prophetæ *in vestimentis ovium* venire dicuntur, qui tanquam incorporei et invisibiles spiritus nunquam vestibus utuntur? *Verba*, ait Dominus alibi, *quæ ego loquor vobis, spiritus et vita sunt, caro non prodest quidquam* (*Joan.* VI, 64). Caro verborum Domini littera est. Sed *littera occidit*, *spiritus est qui vivificat* (II, *Cor.* III, 6). Nos itaque in carne verborum, id est in littera vivificantem spiritum sequamur, et qualiter prædicti prophetæ in vestimentis ovium veniant, spiritaliter videamus.

Mystice per *vestimenta ovium* suggestiones diabolicæ, per *oves* simplicitas vel innocentia, sive rationabiles sensus accipiuntur. Et bene per vestimenta suggestiones malignorum spirituum exprimuntur. Nam, sicut homo vestimentis tegitur, ne nudum corpus ejus videatur, sic et illi, ostensa justitia in aperto, ita se vestiunt et palliant, ut non facile utrum inutiles aut bonæ suggestiones eorum sint discerni queat. Videntur enim tam innocentes et simplices cogitationes, quas cordi immittunt, ut nonnunquam cum desiderio suscipiantur, et susceptæ justæ et sanctæ esse credantur. Norunt enim si apertis flagitiis impugnarent, si capitalibus criminibus, id est homicidiis, adulteriis et his consimilibus spiritales homines impeterent, nonnullos tam strenuos, tam prudentes esse, qui, licet cum labore et difficultate resisterent, tamen Deo adjuvante eos ad nihilum redigerent. Et idcirco *in vestimentis ovium veniunt*, quia valde rationabilibus, valde innoxiis actibus, quasi sub specie sanctitatis hominem decipiunt. Quibus, eo modo, ut diximus, in vestimentis ovium

A venientibus, **735** quid sint et quid in occulto agant Dominus insinuat.

Intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Maligni namque spiritus intrinsecus, id est in intentione sua, quæ tota perversa est et iniqua, sunt lupi graves, lupi rapaces. Quod aliud sit intentio, aliud cogitatio, Paulus manifestat dicens: *Vivus est sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti pertingens usque ad divisionem animæ et spiritus, compagum quoque et medullarum, et discretor cogitationum et intentionum* (*Hebr.* IV, 12). Quatuor hæc verba, quæ ponuntur, *compages*, *medullæ*, *cogitationes*, *et intentiones* distantiam esse inter cogitationes et intentiones demonstrant. Per *compages* cogitationes designantur, quia sicut per compages membra mem-
B bris, ossa ossibus conjunguntur, sic etiam cogitationes cogitationibus vicissim adhærent et conglutinantur. Per *medullas* vero ipsæ cogitationum, intentiones quæ ex imo cordis prodeunt figurantur.

Fit nonnunquam ut homo bona et laudabilia animo se concepisse et cogitasse arbitretur. Sed, cum legendo vel audiendo verbum Domini desuper illuminatus fuerit, tunc procul dubio, quod tota intentio cogitationum ejus perversa et inutilis fuerit intuetur. Sunt enim falsi isti prophetæ, de quibus attendendum est, intrinsecus, id est in intentione sua lupi rapaces. Proprium est lupo aliena rapere ad devorandum, aliena semper anhelare, et quod nequit devorare, vivere non patitur ex ingenita suæ
C malitiæ feritate. Sic et sic maligni spiritus ad devorandas electorum animas semper sunt parati et quamvis nihil eis conferat, nil de pœnis imminuat, imo tormenta ampliora sibimet acquirant, quod animas perdere festinant, tamen ex insita sibi malitia et odii immanitate a cæsione et impugnatione justorum nunquam volunt cessare. Qui cur *lupi rapaces* dicantur, videamus.

Dicitur enim *rapax*, quasi ad rapiendum audax. Audax autem est, qui audet audenda et non audenda. Quod utique invisibilibus illis hostibus nostris bene aptatur, qui tunc audent audenda, **736** quando pro magno non habent, cum eos qui in sæculo sunt et sæculariter vivunt, ad quæcunque flagitia voluerint præcipites ducunt, et deserta a Deo corda
D eorum sibi vindicant et subdunt. Audent vero non audenda, quando eos, qui in spiritali conversatione, in virtutum profectu laudabiliter processerunt, duris tentationum stimulis impugnare et supplantare audaciter festinant. Itaque, sicut per semetipsam Veritas a falsis prophetis attendere et cavere nos dignanter edocuit, sic quoque manifestius verbis Salomon idem commendat, ubi ait:

Omni custodia serva cor tuum quia *ex ipso vita procedit* (*Prov.* IV, 23). Decet enim, ut, qui corde et animo ad perpetuæ beatitudinis mansionem festinant, omni custodia cordis intima, quantum prævalent; studeant custodire, et spiritalibus illis nequitiis, quos nulla carnis infirmitas, nulla necessitas aliquando impedit vel retardat, vigilanter resistere.

Adsunt dormientibus, non desunt surgentibus, præveniunt nos in oratione vigilare cupientes et sub velamine pietatis talia promittunt et immittunt, quæ, postmodum Deo inspirante cognita, non ad gaudium sed ad dolorem et luctum trahunt. Quod qui observare neglexerit, et non a falsis prophetis istis attenderit, manet in morte; qui vero contra insidias eorum cor firmum et præmunitum habuerit, vitam æternam hæreditabit. Unde ad eorum malitiam manifestius cognoscendam et cavendam Dominus subjungit et ait:

fructibus eorum cognoscetis eos. Et qui sint *fructus eorum*, statim insinuat dicens: *Nunquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus? Fructus eorum* fructus inutiles, fructus eorum *spinæ sunt et tribuli.* Per spinas et tribulos possunt accipi duo genera tentationum, quibus spiritales homines antiquus hostis maxime solet impugnare; per *spinam*, inquam, quæ fortis est et dura, pungit, lacerat, et cruentat, avaritiam; per *tribulum*, qui quidem mollis est attactu, sed pungit æque, lacerat et cruentat, mollem et immundam libidinis concupiscentiam.

737 Sciendum autem non solum, avaritiam dico, appetitum temporalium rerum, sed et ambitionem favoris et honoris humani. Quæ videlicet spina, id est immoderatus amor appetendi ea quæ non essent appetenda, ex vetusti parentis nostri culpa ita infixa manet nobis et ingenita, ut vix aut nullatenus ab hac peste liberari queamus. Qui primi parentes nostri, cum in honore magno essent et tam dignitate quam et scientia omni mundanæ creaturæ præeminerent, plus scire et ea scire et appetere desiderabant quæ scire et appetere non expediebat. Hac itaque spina, id est morbo avaritiæ semper pungimur, semper cruentamur. Semper enim honores, semper laudes affectamus, semper extolli, semper supra id quod sumus haberi et honorari quærimus; his tribulis, id est carnalium desideriorum incentivis semper impellimur, multoties vulneramur et laceramur. Quandiu enim corpus, quod corrumpitur, portamus, cui necessitates edendi et bibendi negare non possumus, tandiu tribuli malarum concupiscentiarum in nobis reperiuntur, quæ vix sedantur, vix ne regnent in nobis comprimuntur. Sit superbia, sit ira, sit invidia quæ nos devastat; hæc, ut ita dicam, aliquando compescitur in nobis. Sola est avaritia, sola mala concupiscentia, quæ aliam legem in membris nostris repugnantem legi mentis nostræ exsuscitat. Dum enim per multa annorum spatia mira corpus affligitur abstinentia, adhuc hostis noster, id est caro nostra, quam gerimus, illecebrosis, proh dolor! nos impedit desideriis.

His duabus tentationibus, vir ille sanctissimus David, de quo Dominus, *inveni*, inquit, *virum secundum cor meum*, liberari se postulat, dum dicit: *Inclina cor meum in testimonia tua, et non in avaritiam* (*Psal.* CXVIII, 36). Et subinde: *Averte oculos meos, ne videant vanitatem* (*ibid.*, 37). Cum enim per visum oculorum vanitates et species exteriores hauriuntur,

A mox male visa male interius concupiscuntur. Ab hac vanitate revocat nos Salomon dicens: *Fallax gratia, et vana est pulchritudo* (*Prov.* XXXI, 30). Quidquid enim deforis apparet in homine pulchritudinis, nihil est, nisi putredo vermium et cinis. Hæc duo tentationum genera Salomon exprimit, ubi ait: *Sanguisugæ duæ sunt filiæ dicentes: Affer, affer* (*Prov.* XXX, 15). Per sanguisugam 738 diabolus, accipitur, qui sugit sanguinem humani cordis, ut vitam animæ, quod est Christus, tollat de cordibus hominum. Hujus filiæ sunt avaritia et luxuria, duo illa insaturabilia, semper *affer, affer* dicentia quia hæc duo sunt vitia, per quæ maxime omne genus humanum tentatur et impugnatur ex quibus universa mala oriuntur et in omnem terram stillicidia iniquitatis B diffunduntur. Igitur maligni spiritus, dum spinas istas et tribulos nobis infixerint, *nunquid*, ait Dominus, *colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus?* Non utique. Nam longe aliud est *uva* quam *spina*, longe aliud de *ficis* quam de tribulis colligitur. Per *uvas* exprimitur fervor timoris, per *ficus* dulcedo amoris. Hi sunt duo motus, per quos mala declinamus et bona agere delectamur. Fervor timoris facit hominem a malis declinare, dulcedo amoris facit eum insistere bonis. Hujus timoris et amoris assiduitate ita nos vallari et præmuniri oportet, ut si quando prosperitatem dat Deus in carnalibus vel spiritualibus, nunquam timoris instantia a memoria excidat in prosperis, aut dulcedo divini amoris tepescat in adversis.

C *Sic omnis arbor bona fructus bonos facit, mala autem arbor fructus malos facit.* Hujus verbi adjectio, dicendo, *sic omnis arbor*, superiorum est, ut mihi videtur, conjunctiva recapitulatio. Nam idem est ac si dicat: *Sic* attendendo, *sic* se a falsis prophetis custodiendo *omnis arbor bona*, id est omnis bonus, qui spem habet quandoque resurgendi ad vitam, *fructus bonos*, fructus suaves timoris et amoris Dei ex se producit *mala autem arbor*, id est malus homo, qui circa se custodiam non exhibet, *fructus malos* spinarum et tribulorum, id est avaritiæ et libidinis profert, quorum dominio turpiter addicitur, quia spem resurgendi ad vitam non habet.

Possumus autem in tribus versibus istis tria denotare tempora. In primo, ait, *sic omnis arbor bona*, D tempus præsens, quod est in bona operatione; in secundo *non potest arbor bona*, tempus illud, quod nunc est in requie animarum; in tertio, *omnis arbor*, tempus futurum, quod erit in æterna remuneratione. 739 *Omnis* itaque *arbor bona* Deo fructum exhibere studeat in bona operatione, quia exuta corpore ad aliud tempus perveniet, quod nunc est in requie animarum, ubi profecto erit quod Dominus hic ait.

Non potest arbor bona fructus malos facere, neque arbor mala fructus bonos facere. Animæ namque electorum inter mira et stupenda Conditoris sui bona constitutæ, *fructus malos* non proferunt, quia ulterius peccare nequeunt. Arbor quoque mala, id est anima peccatrix, post finem vitæ hujus nec bonos

fructus in posterum potest agere, nec de præteritis, quæ commisit, malis unquam Deo permittitur satisfacere, sed pœnas perpetuas habebit exsolvere, quia, sicut unumque dies mortis invenerit, ita ante Deum judicabitur, juxta quod subditur :

Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur. Notandum quod non ait omnem arborem, quæ non fecit, sed *quæ non facit fructum bonum*, excidendam et in ignem mittendam. *Omnis arbor*, id est omnis homo, qui pauca bona et multa mala commisit, si in extremis suis dignis pœnitentiæ lamentis in vera cordis contritione seipsum recognoverit et pœnituerit, vere, ut ita dicam, *fructum bonum facit*, et hic beatus est et beandus, cœlestis utique consortii præmio adjungendus. Et quia in regnum illud cœleste macula nulla introibit, quidquid de peccati nævo secum adduxerit, in igne purgatorio purgari et eleemosynis seu orationum victimis redimi deinceps poterit. Et talis arbor non excidetur, neque in ignem mittetur. Sed econtra sunt nonnulli qui omni tempore vitæ suæ piis laboribus, piis actibus insistere decertaverunt, sed, proh dolor! postmodum ad deteriora lapsi, felici in Deo consummatione opera sua non consummaverunt, et ita de hoc sæculo migrantes a consortio justorum excidentur, et in ignem æternæ damnationis mittentur. Et quia quæ, sit pars salvandorum et quæ pars damnandorum, non facile hic internosci et sciri valet, procul dubio in tempore remunerationis apparebit, quando resurgent non ad vitam, imo ad vitam, ut vivi in morte infelicius **740** moriantur. Tunc justus lætus latusque exitus ad vitam pandetur, quando absorpta morte in victoria in divinum quemdam affectum toti mutabuntur. Et quia quod hic in operatione latet ibi in retributione patet, *igitur*, inquit, *ex fructibus eorum cognoscetis eos*.

Primo dixerat, *a fructibus eorum cognoscetis eos*; et iterum, *ex fructibus eorum cognoscetis eos*. Vident enim tunc justi perfecte et manifeste quam inutiles, quam scelerati essent fructus malignorum spirituum, quibus repugnaverunt, quibus non consenserunt; vident et cognoscent, qui nunc latent, fructus justorum et peccatorum, quomodo ad omnia flagitia proni ferebantur, quibus etiam tunc reddetur secundum nequitiam adinventionum ipsorum. De quibus protinus subinfertur.

Non omnis qui dicit mihi : Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed, qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, iste intrabit in regnum cœlorum. Ille veraciter et fideliter non semel, sed repetita confessione Dominum, Dominum suum confitetur, qui eumdem Creatorem suum simul et Redemptorem credit, et eamdem fidem operis attestatione adornavit. Sed non omnis qui eamdem fidem tenet et operibus contradicit, cœlorum regnum introibit. *Sed qui facit voluntatem Patris mei*, id est qui a falsis prophetis attendendo omni custodia cor suum conservando *uva*, id est fervore timoris, *ficu*, id est dulcedine amoris, spinam avaritiæ et tribulos A libidinum devicerit, et bonos bonæ arboris fructus fecerit, ille quandoque ad alta cœli sublatus de perpetua omnipotentis Dei visione gaudebit.

Hinc est quod hæc Dominica in numero octava est, quæ nobis octavam illam diem futuræ resurrectionis nostræ præsignat, quando cum corpore et anima resurgemus, ubi aut ad æterna gaudia pro bonis, aut ad gehennæ supplicia pro malis decurrendi sumus. Quamvis enim septem istæ Dominicæ, quas celebravimus, satis festivæ sint et celebres, tamen hæc octava Dominica maxima est et celeberrima, in qua, ut ita dicam, præludium quoddam futuræ nostræ resurrectionis præscribitur, quando electi Dei universis infirmitatibus carnis exuti, toti in Deum **741** pergunt, et deinceps quasi unus cum B Domino spiritus erunt.

Ad hujus tantæ dignitatis gloriam, quam justi tunc de manu Domini sunt accepturi, totum spectat hodiernum officium, quando post generale judicium in ipso cœli introitu tot millia salvandorum monachorum, clericorum et Deo dicatarum virginum chorus coram summo Pontifice Jesu Christo stantes, in magno jubilo cordis prorumpunt Domino sic psallentes : *Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui* (*Psal.* XLVII, 10). Ac si cœlestis harmoniæ concentu invicem congratulantes Domino dicant : O Domine Deus, cujus magnitudinis non est finis, cujus sapientiæ non est numerus, cujus pax exsuperat omnem intellectum, quod mundum C et diabolum devicimus, quod carni propriæ repugnavimus, quod beatitudinis tuæ consortes jam esse fecisti, ex sola et gratuita misericordia tua suscepimus, et hoc *in medio templi tui*, id est in Christo, qui templi tui, quod non sumus, mediator fieri, et homini Deum morte sua reconciliare voluit. *Secundum nomen tuum, Deus, sicut et laus tua in fines terræ* (*ibid.*, 11). Omnis homo ideo proprio et speciali nomine vocitatur, ut quis sit agnoscatur. Et est quasi dicant : Totum hoc, quod aliquando in terra incolatus nostri de te audivimus, per quod te aliquantulum tanquam per speculum et in ænigmate scire et agnoscere digni inventi sumus, jam nunc facie ad faciem videmus. Sed et ampliora et magnificentiora quam dicta sint nobis de te, percepimus, D quia *secundum nomen tuum, sic et laus tua*, id est secundum nominis tui magnificentiam facere nobiscum magnificasti, qui non solum animas nostras, sed et fines terræ, id est corpora nostra de pulvere resuscitando mirifice glorificasti. *Justitia plena est dextera tua* (*ibid.*). Ille Filius tuus, qui per *dexteram* intelligitur, solus plenus est totius justitiæ, nulla nostri sunt merita, nulla est justitia, per quam ad tantæ dignationis tuæ admitti possemus bona. *Magnus*, inquiunt, *Dominus et laudabilis nimis*. Magnus tu Dominus *in civitate* tua, id est in electis tuis; laudabilis nimis *in monte sancto tuo*, id est in angelis tuis; magnus in civitate; quia electorum tuorum corda ad hoc præparasti, ut tu in eis tanquam in civitate **742** tua magnificeris, laudabilis vero nimis

in monte sancto tuo quia ab omnibus angelorum ordinibus, quos in illud suavissimæ contemplationis, et divinæ claritatis tuæ pelagus recepisti, semper incessabili voce laudaris et adoraris.

Convenit satis et bene additur ad Dominum Oratio, in qua sic oratur et dicitur : *Largire nobis, Domine, semper spiritum cogitandi quæ recta sunt propitius et agendi, ut qui sine te esse non possumus, secundum te vivere valeamus.* Quod idem est ac si dicant : Carne mortali aliquando circumdati multimodas vicissitudinum mutabilitates patiebamur, et si interdum tibi adhærere donatum est, subito corpus, quod corrumpitur, ad consuetas mutabilitates iterum atque iterum nos revocavit. Sed nunc, o Domine, non momentanee aut unius diei, et horæ spatio, sed semper continuato et perpetuo spiritum cogitandi et agendi quæ recta sunt, largire, ut qui sine te esse non possumus secundum te vivere valeamus.

Secundum eum vivere est æternæ beatitudinis et gloriæ ejus participes existere, ut quemadmodum ille summe bonus et beatus, immortalis sine peccatis, plenus et affluens omnibus bonis et deliciis, sic et illi omni bonitate et beatitudine seu immortalitate sublimes effecti, nullis deinceps peccatorum sarcinis impediti, summis et ineffabilibus bonis remunerantur, quod utique est secundum eum vivere. Ibi Deus sine tempore homo factus in tempore, ab omni electorum multitudine facie ad faciem videbitur, ubi profecto veraciter adimplentur verba apostoli Pauli dicentis in lectione hodierna : *Quicunque spiritu Dei aguntur, hi Filii Dei sunt* (*Rom.* VIII, 14). Non enim tunc timore servili coercentur, nec mercenaria cupiditate illiciuntur, sed semper spiritu Dei, spiritu libertatis, quemadmodum Filii Dei aguntur.

Imponunt adhuc pii cœlestis patriæ habitatores dulci melodia canorum Alleluia : *Te decet hymnus, Deus in Sion, et tibi reddetur votum in Jerusalem* (*Psal.* LXIV, 1). Omnis illa Deo dilecta civitas, cujus muri lapides vivi, cujus fundamenta sanctorum constant agmina, ideo Sion, id est *specula*, dicitur, eo quod singulorum affectus pateant singulis, **743** et dum nil ibi, nisi quod sanctum est, cogitatur, nil nisi quod honestum est, concupiscitur, magnum inter cætera et mirificum exhibet gaudium, quod de fraternæ conscientiæ abditis nil sibi sentiunt occultatum. Nec mirum tanta eis inde gaudiorum provenire augmenta, sua in invicem scire et nosse corda, cum et in hoc mortalitatis tempore valde jucundum et gratum esset, si quis boni alicujus hominis cogitationes sanctas, desideria justa, quibus cum Deo et in Deo delectatur et reficitur, scire et videre potuisset. Tunc justi et electi omnes, quod nunc canunt et expetunt in spe, procul dubio accepturi sunt in re. Tunc recepta duplici, corporum et animarum stola cœlestis symphoniæ concentu concrepant per sæcula.

Unde et versus, qui eadem insinuare videtur gaudia, mox additur a cantantibus. *Replebimur in bonis domus tuæ; sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate* (*ibid.*, 5). Beatus Petrus princeps apostolorum et alii coapostoli ejus, quamvis perennibus laureis sint insignes, tamen in bonis Dei nondum replentur, quandiu de resuscitando corpore, quod in terræ pulvere jacet, sollicitantur. Sed cum mors absorpta fuerit in victoria et post generalem resurrectionis diem, bina, ut diximus, corporis et animæ sublimantur stola, pleno potiti gaudio repleri se fatentur in bonis domus Domini, et templum illud mirabile in æquitate asseverant in sæcula. Vere enim templum illud mirabile est in æquitate, ubi miranda Omnipotentis æquitas non solum sanctos et innocentes quosque collegit, sed et per mirabilem æquitatem suam injustos et peccatores quosque tales per pœnitentiam effecit, quos regni sui cohæredes fieri voluit, et in quibus per sæcula tanquam in templo suo habitare præordinavit et elegit. Quam mirandam æquitatem nunquam per sæcula finiendam longus et bene distinctus notularum cantus non incongrue significare videtur.

744 Congruunt his sane *Offertorium* et *Communio*, ut plena missæ hujus perficiatur jubilatio : *Populum humilem salvum facies, Domine, et oculos superborum humiliabis, quoniam quis Deus præter te, Domine?* (*Psal.* XVII, 28, 32.) Populum suum, populum humilem salvum faciet Dominus, secum collocando in cœlestibus, oculos superborum humiliabit, quos cum capite suo, id est diabolo æternis condemnabit ignibus, et præter eum non erit Deus aut Dominus, qui solus sufficit omnibus. Sed hæc omnia, quæ perstrinximus, quoddam, ut ita dicamus, carmen lætitiæ est, et exsultationis animarum sanctarum, post judicium cum Deo et Domino suo ad cœli palatium tendentium. Audiamus nunc quæ sit merces pervenientium, et quid offeratur, vel quid dicitur jam cum Christo regnantibus : *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus* (*Psal.* XXXIII, 9). Tunc ad nuptias Agni introducti edere et bibere super mensam Domini in regno ejus jubentur, et transiens ipse Dominus ministrabit eis quia semper nova gaudia, novas delicias in seipso præstabit, ut sit ipse præmium amantium se, præmium æternum amantium in æternum. Gustus ille æternæ dulcedinis indicibilis est, imo inexcogitabilis acquiri potest, æstimari non potest. Quicunque tunc excommunicatus et foris ejectus, inter festivæ hujus missæ celebratores locum et communionem non acceperit, quid miser acturus erit? Melius esset natum non fuisse, quem peccatis exigentibus huic conventui contigerit non interesse. Suppliciter itaque rogemus Jesum Christum advocatum nostrum, ut eo mediante et propitio Deus Pater in superna Jerusalem, quæ est mater nostra, ubi beata et plena reposita sunt gaudia, quandoque pacem et communionem nobis dare dignetur, ut gustare et videre mereamur ipsum qui desideratur sine tædio, quo saturemur sine fastidio. Quod ipse præstare di-

gnetur cujus imperium permanet in sæcula sæculorum. Amen!

745 HOMILIA LXXIII.

IN DOMINICAM VIII POST PENTECOSTEN SECUNDA.

Confirmatum est igitur regnum in manu Salomonis, et affinitate conjunctus est Pharaoni regi Ægypti [*III Reg.* III].

Dominica ista, quæ octava est in numero septem Dominicarum, quas celebravimus, octavam nobis illam diem futuræ resurrectionis præsignat, quando cum corpore et anima resurgemus, sicut etiam ubicunque pro octava scribitur, dies generalis judicii figuratur. Hujus octavæ diei insigne præconium insinuant nobis tam lectiones nocturnales, quam etiam officium hodiernum. Legimus enim hac nocte quomodo post mortem David confirmatum sit regnum in manu filii ejus Salomonis. Igitur cum appropinquarent dies David, ut moreretur, et Adonias filius ejus ipso ignorante succedere ei in regno tentaret, ipse accersitis ad se Sadoc sacerdote et Natham propheta Salomonem filium suum ungere in regem præcepit, eumque regnare post se constituit. Post mortem vero regis David ita Scriptura subjungit: *Confirmatum est igitur regnum in manu Salomonis, et affinitate conjunctus est Pharaoni regi Ægypti*. Per *David* Deus Pater, per *Salomonem* Dei Patris Filius valet intelligi; *regnum* vero *Salomonis* æternitas est ejusdem Filii æterni Patris, quod regnum tunc *confirmatum est in manu Salomonis*, in manu Filii Dei Patris, quando ipse coæqualis, coæternus, coomnipotens eidem Patri manens in æternum, hoc, quod ab initio erat, æternaliter ab eodem est genitus, ac super omnia et quæ in cœlis sunt, et quæ in terris vivunt, constitutus, omnia cum eodem Patre disponit, omnia sub manu omnipotentiæ suæ concludit.

In hoc vero paternæ majestatis coessentia dum quasi absconditus lateret in divina natura sua, humanæ tandem condolens miseriæ, humanæ consulens saluti, *affinitate conjunctus est Pharaoni* 746 *regi Ægypti*. *Pharao*, quod interpretatur *exterminans* vel *dissipans*, genus non incongrue designat humanum, quod in primo parente nostro, Adam scilicet et Eva, collatam sibi divinitus cœlestis dignitatis honorem et gloriam, heu! male dissipavit per inobedientiam. Quod genus humanum dicitur *rex Ægypti*, quod interpretatur *tenebræ*, quia ante adventum Christi omnis homo in regione erat umbræ mortis, tum quia male seipsum regebat in præsentis vitæ tenebris, tum quia post tenebras hujus sæculi ad tenebras descendit inferni. Huic ergo regi Ægypti, huic humano generi *affinitate conjunctus est* verus Salomon, verus, inquam, Filius Dei. Affinitas illa, qua æterni Patris Filius prædicto regi Ægypti est conjunctus, caro illa est, quam pro nobis assumpsit, et in qua, cum esset invisibilis, visibilem se hominibus præbuit. Et quia affinitas solet dici, ubi ex parentibus uxoris fiunt propinqui, quæ sit affinitas illa, qua humano generi conjunctus est

A Filius Dei, expressius adhuc sequenti littera datur intelligi.

Accepit namque filiam ejus, et adduxit eam in civitatem David. *Filiam* prædicti hujus regis Pharaonis caro est, ut diximus, et natura nostri generis, quam ita verus Salomon noster *accepit*, ita divinæ naturæ conjunxit, ut disjungi ab ea nunquam possit. Nam *adduxit eam in civitatem David*, *donec compleret ædificare domum suam et domum Domini, et murum Jerusalem per circuitum*. *Civitas David regis* est patria æternæ beatitudinis, aula regni cœlestis, civitas, inquam, Dei viventis. *In hanc ergo civitatem*, in hanc procul dubio Jerusalem cœlestem verus Salomon, Dominus noster Jesus Christus, assumptam mortalis nostræ carnis naturam *adduxit*, 747
B quando peractis et consummatis omnibus, propter quæ venerat, post passionis et mortis ignominiam, post descensionem ad inferos, post resurrectionem a mortuis, super omnem angelicam dignitatem in seipso hanc collocavit in cœlestibus.

Donec compleret, inquit, *ædificare domum suam, et domum Domini, et murum Jerusalem per circuitum*. Quæ est igitur hæc domus tam inclyta, quam Salomon, præpotens rex et dominus adhuc ædificat in terra? Nos revera, qui adhuc in hujus mortalitatis peregrinamur miseria, nos sumus domus illa, quam cœlestis Sapientia veri Salomonis ædificat et complet adhuc in terris. Tunc enim quasi ædificando domum suam, domum, inquam, sanctifica-
C tionis facere nos cœpit, cum per sacramentum baptismi ad veram fidem venire nos fecit, et ita quandiu sumus in corpore, bona desideria inspirando, bona opera augendo non desistit ædificare, *donec compleat*, id est donec, quantum in hoc mutabilitatis tempore est possibile, perfectos nos virtutum meritis faciat. Soluta vero corporeæ habitationis molestia, cum jam ad perfectæ securitatis introducti fuerimus gaudia, ibi revera *domus Domini* erimus, quia liberati prorsus a peccatis et vitiis, quæ nos impugnabant, nulla jam amplius vel in cogitatione vel in opere tangi vel tenuiter poterimus macula. In hac siquidem æternæ glorificationis beatitudine nunc cum ipso redemptionis suæ auctore electorum repausant animæ, donec, peracto generali judicio, du-
D plici, corporum simul et animarum, immortalitate vestiti, perfecte configurati fuerint claritati Conditoris sui. Tunc enim verus ille Salomon, Dominus noster Jesus Christus, Mediator Dei et hominum, *murum Jerusalem* complet *per circuitum*, cum, sicut præfati sumus, tanto immortalitatis decore suos adornabit electos, ut conformes et comparticipes æternitatis illius corpore et anima sine fine cum ipso appareant in gloria.

Ad hunc etiam ultimæ examinationis diem illud judicium respicit, quod in exordio regni sui de duabus mulieribus rex Salomon fecit. Legimus enim quia 748 in initio regni sui venerunt ad eum duæ mulieres meretrices, causam suam ad justum regis judicium deferentes, quarum una parvulum suum,

quem nuper enixa fuerat, intempestæ noctis silentio A ablatum sibi ab altera affirmabat, quæ dormiens quidem filium proprium oppresserat. Cumque illa econtra non ita esse responderet, filiumque suum vivere affirmaret, atque in hunc modum coram rege contenderent, gladium sibi rex afferri præcepit puerumque in duas partes dividere, et tali judicio rei veritatem cognoscens, vivum infantem reddi matri præcepit (*III Reg.* 3).

Per has duas mulieres, ut quidam expositores volunt, prælati sanctæ Ecclesiæ accipi possunt. Mulier quæ dormiens filium oppressit, prælati illi sunt, qui filios suos, id est subditos opprimunt, dum nec verbo nec exemplo præesse et prodesse illis satagunt. Sed econtra matres verissimæ dicuntur et sunt, qui bene vivendo, bene regendo subditis suis præsunt, B qui verbo sanctæ prædicationis incitare eos non desinunt ad profectum vitæ eminentioris. Hi ergo sub districti judicis examinatione juste discernuntur secundum meritorum qualitatem. Nam boni prælati pro apportato laudabili fructu, quem in subditis suis lucrati sunt, gloriosæ remunerationis sublimabuntur magnitudine ; hi vero, qui filios suos oppresserunt, dum vitam subditorum neglexerunt, vacui ac sine honore remanebunt.

Possumus etiam in his mulieribus, licet arduum videatur et difficile indoctis, sensum indagare intelligentiæ subtilioris. Per has etenim duas mulieres duæ accipi possunt affectiones, bonæ videlicet et malæ, quæ in cubiculo humani cordis mansionem C sibi vindicant, a quibus etiam quandiu in hac vita sumus, liberari raro admodum possumus. Bona affectio est, cum homo piæ actionis laboribus insistere deliberat; mala affectio est, cum pro bono opere, quod gesserit, humanam laudem requirit, verbi gratia, est homo, qui hoc donum a Deo accepit, ut salutaris doctrinæ eloquentia aliis prodesse possit, cumque piæ exhortationis occupatus fuerit studio, occulte nonnunquam illi hæc se ingerit cogitatio, ut in doctrina sua plus humanam affectet laudem, quam proximorum quærat ædificationem.
749 Hic ergo quasi dormiens nocte filium oppressit, quia mercede operis sui inaniter gloriando seipsum privavit. Sed si hanc vanitatem in se recognoscendo a tali intentione retraxerit animum, per D Dei gratiam vivum recipere merebitur filium suum. Est etiam homo, qui hoc ex Deo habet donum, ut tempore orationis maculas veteris vitæ abluere possit fonte lacrymarum. Hic etiam, si pro collato sibi divinitus compunctionis munere plus ab hominibus laudari et amari appetit, quam soli Deo placere, quasi mulier, quæ filium oppressit, a fructu remunerationis vacuus remanebit. Attamen si digne pœnitendo pro his Deo satisfecerit, Deo adjuvante filium suum iterum poterit recipere. Istæ ergo duæ mulieres, istæ duæ affectiones ita in cubiculo humani cordis sibimetipsis sunt conjunctæ, ut ipse homo, in cujus corde hæc aguntur, haud facile possit ea cognoscere. Nam quandiu in hoc mutabilitatis tempore sumus, ad plenum cognoscere et discernere nequaquam possumus qui sint illi qui in simplicitate Domino serviant, vel qui pro laboribus suis laudem humanam requirant. Sed cum dies judicii advenerit ubi verus Salomon, Dominus noster Jesus Christus, ad judicandum vivos et mortuos in solio regni sui sederit, ibi jam clara luce manifestum erit cunctis quæ mulier filium oppresserit, vel cujus filius vixerit, veræque matri vivus filius suus reddetur ; altera vero vacua et sine honore expelletur. Et quis ad hæc discernenda, quis ad cunctorum hominum opera discutienda idoneus, nisi ille cujus sapientiæ non est numerus ?

750 Ergo quia districtus judex et Dominus justo valde judicio mercedem singulis reddet pro suis laboribus, studeamus nos, qui spiritali censemur nomine, ut in veritate Domino servientes, opera nostra viva et integra ad tribunal referamus Christi, ne cum in præsenti piis laboribus insistere videamur, in die judicii mercede vacuemur. Quemadmodum enim in carnali generatione agitur, quod et illa mulier, quæ vivum infantem parit, et illa, quæ mortuum generat, pari doloris [*cod.* doloris laboris] laborat cruciatu, sic in spiritalium filiorum, bonorum videlicet operum fiet partu Nos siquidem, qui spiritalis vitæ stabilitatem professi sumus, si pro bonis operibus nostris solius Conditoris nostri placere desideramus oculis, remuneratione ditabimur æternæ beatitudinis ; si pro laboribus nostris laudem quærimus hominum, pondus quidem portamus laborum, sed futuræ mercedis minime consequemur gaudium. Studeamus ergo ita justitiæ operibus insistere, ut solam solummodo pro his gratiam quæramus misericordiæ divinæ in cunctis quæ agimus, non nostram, sed Conditoris nostri laudem quæramus, quatenus ipse qui est dives in misericordia, præmium fiat laborum nostrorum, honor fiat et exsultatio indeficiens ac perennis gloria. Quod ipse præstare dignetur Dominus noster Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et gloriatur per infinita sæculorum sæcula. Amen.

751 HOMILIA LXXIV.

IN DOMINICAM IX POST PENTECOSTEN PRIMA.

Homo quidam erat dives qui habebat villicum ; et hic diffamatus est apud illum quasi dissipasset bona ipsius (*Luc.* XVI).

Quia Dominus ac Redemptor noster electos suos et fideles futurorum bonorum præordinavit hæredes, quanta animi prudentia eorum sit possessio conquirenda, præsenti plenius declaravit parabola. Ait enim :

Homo quidam erat dives qui habebat villicum. Divitis hujus nomine Redemptoris exprimitur forma, cujus in domo revera abundant divitiæ et gloria. Hujus dispensator et *villicus* homo quilibet intelligitur sensu rationis præditus, qui velut Dominici juris familiam regendam suscepit corporis et animæ substantiam. Cui nimirum familiæ digne et fideliter noscitur præesse, si pervigili studio sensus animæ

carnisque membra Dei solius præparet obsequio. A Sed sub peccato venundatus homo Conditoris sui sæpe abutitur bono, dum creditam sibi substantiam minus caute regit, dum sua quærens, quæ Domini sunt negligit. Unde et de eodem villico præsenti subinfertur loco:

Et hic diffamatus est apud illum quasi dissipasset bona ipsius. Dissipamus bona Domini nostri credita fidei, dum ad usum pravæ operationis inflectimus, quidquid ad exercenda Divinæ voluntatis opera virtutis et ingenii percepimus. De hujusmodi imprudentiæ reatu heu male diffamamur apud Deum, qui est ultionum Dominus, sub severis admodum testibus accusamur. Nam quamvis certum sit, Deitatis oculos in omni loco speculari bonos et malos, sunt tamen tutores et actores nostri, in hoc ipsum B a Deo Patre dispositi, ut cuncta, quæ gerimus, ad thronum æquitatis per eos esse referenda noverimus. Sed licet fama ignobilis in auribus Domini Sabaoth crebro referatur de nobis, condolens tamen Deus humanæ miseriæ peccantibus concessa non subtrahit munera misericordiæ. **752** Patienter enim sustinens differt punire, quos vult pœnitentia corrigi, non negligentia perire. Ergo nobis totum vitæ tempus in desidia et vanitate deducentibus, cum diu laboraverit sustinens, tandem zelans et ulciscens facit revera, quod in præsenti dicitur parabola.

Et vocavit illum ad se, et ait illi. Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ, jam enim non poteris villicare. Vocat nos Dominus ad se, cum per C sententiam mortis terminum imponit vitæ. Requirit a nobis rationem villicationis; quia quantum fidei, quantum studii circa bona ejus impenderimus, subtilius discutit et examinat. Quæ, quia non integre servasse, sed male, proh dolor! dissipasse convincimur, ulterius *villicare*, id est, bonis eisdem ad exercenda justitiæ opera uti non permittimur. In tali autem rerum cardine positus, quid egerit hic villicus, non aure tantummodo corporis, sed etiam intimo percipiamus auditu cordis. Sequitur:

Ait autem villicus intra se: Quid faciam, quia Dominus meus aufert a me villicationem? Hujus exemplo villici redeamus ad nos intra nos, tempore accepto pensantes corde sollicito, quia ablato villica- D tionis officio, nulla valet esse boni operis exhibitio. Subtracto enim usu vivendi, ne ad momentum quidem conceditur facultas bene faciendi. Perpendat etiam et advertat fidelis quisque, quid in sequentibus dicat villicus iste:

Fodere non valeo, mendicare erubesco. Quid rectius exemplo fodiendi quam perfecta et digna peccatorum confessio valet exprimi? sicut enim qui fodit, exteriora contegit, imo recondita extrahit: sic qui vera et humili cor aperit confessione, ejicit quidquid sordidum latebat in pectore: si quid vero laude dignum egisse se meminerit, conscientiæ latebris diligentius contegit. *Fodere* **753** ergo, hoc est peccata confiteri, post obitum fas non erit, cui, cum liceret, id agere studii non erat. Inanis tunc et sine fructu reputabitur confessio, nam in inferno quis confitebitur Domino? (*Psal.* VI, 6.) Magni etiam fit ruboris nota, *mendicare* in illa necessitatis hora. Miser est ille et infelix valde, cui contracta jam misericordiæ Dei manu opem contigerit postulare. De ejusmodi mendico utique juste spernendo in Proverbiis dicitur Salomonis: *Propter frigus piger arare noluit, mendicabit ergo æstate, et non dabitur ei* (*Prov.* XX, 4). Qui enim ignaviæ deditus et torpori, in hujus vitæ frigore justitiæ non instat labori, tempore æstatis, in diebus scilicet æternitatis, inops et pauper mendicabit, quia vocibus importunis veniæ respectum postulabit, sed *non dabitur ei*, quoniam super impios et desides claudentur viscera misericordiæ Dei. Invenit autem sapiens hic villicus consilium suæ per omnia prudentiæ dignum, quo confidenter usus, venturæ miseriæ damnum valeat effugere. Nam sequitur:

Scio quid faciam, ut cum amotus fuero a villicatione, recipiant me in domos suas. Talem, inquit, dum valeo, meis debitoribus gratiam præstabo, ut cum defecerit virtus mea, eorum subventionis consequi merear beneficia.

Convocatis itaque singulis debitoribus Domini sui dicebat primo: Quantum debes Domino meo? Hic interioris hominis aures ponamus, ut diligentius investigare valeamus, cur evangelista dicat, *convocatis singulis debitoribus*, quasi relationem facturus de pluribus, et non amplius exprimere videatur quam duos. His verbis evidentius nos instruit quod nosse et perpendere convenit, quia in duabus tantummodo causis debitores existimus nostri Conditoris, scilicet, in charitate Dei perfecta, et in dilectione proximi non ficta. Nam in his duobus mandatis universa lex pendet et prophetæ. Ut ergo ad integrum intelligamus, quid primum Domino debeamus, verbis evangelistæ intendamus, dicentis: *Convocatis*, inquit, *singulis debitoribus Domini sui dicebat primo: Quantum debes Domino meo? At ille dixit: Centum cados olei.* Digne satis nomine *olei* pura et sincera exprimitur dilectio Dei, quia sicut oleum cuique admistum liquori semper eminet, **754** sic omnia superat et excedit amor Deitatis, qui nunquam excidet. *Centum* ergo *olei cadis* integritas et perfectio signatur divinæ charitatis. Hujus dilectionis Domino debitores sumus, quia in omnibus et super omnia Deum diligere mandatum accepimus. Sed quoniam in hoc præcepto peccatis exigentibus sæpe sit transgressio, assensum præbeamus villici istius consiliis pie nobis et fideliter consulentis. Ait enim:

Accipe cautionem tuam, sede cito, scribe quinquaginta. Quid est *sedere* nisi cor et corpus humiliatum Dei conspectibus exhibere? In hac vera humilitate accipiamus cautionis studium, melioris scilicet et rectioris vitæ propositum, stabilis et ad finem usque perdurantis pœnitentiæ exhibentes opera. Quid est *scribere quinquaginta?* Firmiora enim quæ scribimus quam quæ dicimus permanent. Sic omni die,

omni tempore, quoad vivimus, pœnitentia nobiscum durare debet. Et hæc scribenda est non segniter aut tarde, sed *cito* et *velociter*, hoc est sagaci et ferventissimo corde. Talibus enim pœnitentiæ hostiis promerebitur Deus. Sequitur:

Deinde alio (36*) *dixit: Tu vero quantum debes? Qui ait: Centum coros tritici.* Quia tritico vita hominum pascitur et nutritur, recte per *centum coros tritici* plena et perfecta exprimitur dilectio proximi. Eadem enim charitas non verbo et lingua, sed in omni fratris necessitate operum est exhibitione probanda. Unde dicit Joannes: *Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* (*I Joan.* III, 17.) Cados igitur olei, ut prædictum est, ad dilectionem Dei, *coros* vero *tritici* ad dilectionem proximi pertinere hinc recte colligitur, quod primo debitori dicitur: *Quantum debes domino meo?* secundo autem: *Tu vero quantum debes?* Suppresso *domini* vocabulo. Nam in ænigmate olei admonemur Domino reddere debitum perfectæ dilectionis; in descriptione vero tritici proximo jubemur manum porrigere subventionis.

Est et alia excellentior ejusdem dilectionis via, cum mansuetudine et patientia ferre quidquid a proximo nobis molestiæ infertur vel injuriæ. Charitas enim patiens et **755** benigna est, quæ de nullo vindictam expetens omnia sustinet, omnia suffert. Sed quia compellente fragili, quam gerimus, carne, ab hujus dilectionis multoties deviamus calle, audiamus itidem quid faciendum censeat villicus idem.

Ait illi: accipe litteras tuas, et scribe octoginta. Quid est *litteras accipere*, nisi verborum cœlestium meditationem cordium tabulis inscribere. Frequens enim Scripturarum meditatio, si jugiter versetur in animo, ima pectoris penetrare non valebit quidquid extrinsecus doloris vel molestiæ accedit. Valet etiam plurimum ad obtinenda patientiæ merita *scribere octoginta*. Numerus iste, ut luce clarius patet, resurrectionis ubique formam prætendere solet, quia resurrectio Dominica die octavo noscitur facta. Scribamus ergo octoginta, videlicet sine momenti interpositione memoriam habentes futuræ resurrectionis nostræ, et quia omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque, prout gessit in corpore. Qualis sit in illo examine tremor, quantæ formidinis terror, si jugiter meminerimus, fratri quomodocunque lædenti facile veniam dabimus. Sequitur:

Et laudavit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset, quia filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt. Vere (quod graviter dolendum est) filii hujus sæculi instantius laborant pro negotiis et actibus suis, quam filii lucis pro acquisitione æternæ salutis. Divites enim mundi præterire dolent horam vel momentum, quo nil se addidisse viderint sumptibus divitiarum. Sed quis, rogo, tali studio spiritali valeat instare negotio? O A quoties in nostris negotiis succumbimus, qui operibus virtutum congregandis plerumque tædium subimus! Villicus iste prudens bene et utiliter sibi in posterum providens, revera, ut est laude dignus, sic laudandis quibusque proponitur imitandus. Cujus exemplo instructi, ea nobis prudentia de futuris consulamus, ut divinæ laudis testimonio quandoque approbari mereamur.

Hæc breviter secundum consequentiam litteræ diximus, sed ad altiorem **756** sensum per *filios hujus sæculi* filios hujus temporis, filios videlicet sanctæ Ecclesiæ, per *filios* autem *lucis* homines antiqui temporis, homines Veteris Testamenti, quos lege sua, quam dederat omnipotens Deus, illuminabat, non inconvenienter possumus accipere. His sane B præceptum erat in lege: Diliges amicum, et odio habebis inimicum. Et quoniam hujusmodi præceptum illi sequebantur, prudentes quodam modo æstimabantur. Sed *filii hujus sæculi*, filii novæ gratiæ, qui secundum datam Novi Testamenti gratiam non solum amicos, sed etiam inimicos propter Deum diligunt, vere *prudentiores sunt filiis lucis in generatione sua*, quæ est generatio sanctæ Ecclesiæ, quæ per baptismum et pœnitentiam spiritales quotidie Deo filios non cessat generare.

Et quia eo tendit tota hæc parabola, quomodo is qui dissipaverat bona domini sui, quidquid exterioribus vel interioribus sensibus suis deliquit, per dilectionem Dei et proximi emundaverit, et per hoc laudari a Domino meruerit, possumus etiam per C *filios lucis* malignos spiritus intelligere, quos in ea quidem dignitate et excellentia Deus omnipotens creavit, quod *filii lucis* æternaliter esse debuissent, si in obedientia et dilectione Conditoris sui humiliter perstitissent. Sed quia ab illa æternæ lucis claritate sic per malitiam et superbiam sui deciderunt, quod ad genuinam illam dilectionem Dei et hominis nunquam redire possunt, recte *filii hujus sæculi*, filii videlicet sanctæ Ecclesiæ *prudentiores* illis *sunt* et dicuntur, qui etiam post lapsum et prævaricationem redire possunt per Dei et proximi dilectionem.

Et bene dicit, *in generatione sua*. Generatio ista generatio cœlestis est, generatio illa, qua ex Deo D generati sunt, gratia utique baptismatis, per quam, qui filii iræ et filii diaboli fuerunt, filii gratiæ, filii Dei possunt renasci. Et illa cœlesti generatione illud acceperunt, quod prudentiores esse possunt filiis lucis, malignis videlicet spiritibus, in eo quod post delictum et prævaricationem redire, et amissam recuperare salutem sciunt et possunt per geminam, sicut **757** diximus, Dei et proximi dilectionem. Quia vero sacrosancta hæc evangelicæ lectionis doctrina, omnes qui salvari cupiunt, universaliter respicit, omnibus convenit: specialibus suis dilectoribus, quibus ista communia non sufficiunt, quasi speciale mandatum proponit in fine parabolæ, cum dicit

(36*) Ita cod.

Et ego vobis dico : Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut, cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula. Ac si dicat : Ista omnia in parabola locutus sum generaliter omnibus salvari cupientibus. Necesse enim est ut qui bona Domini, sic ut prædictum est, dissipaverunt, Deum et proximum diligendo, eamdemque dilectionem factis et dictis ostendendo emendare studeant, quod deliquerunt, ut dum sic Deo reconciliantur, eo quod prudenter fecerint, laudem et præmium ab ipso mereantur. Qui hæc, inquit, generaliter omnibus locutus sum, ego dico *vobis* discipulis, *vobis* specialibus filiis meis, *vobis* imitatoribus meis, qui reliquistis omnia, et secuti estis me, ut non solum ista faciatis, sed etiam majora his et sublimiora adjiciatis : *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis*, talem, inquam, tamque sollicitam sensibus vestris custodiam adhibete, ne sit dissensio inter eos, sed exteriores sensus vestros interioribus, interiores vero Deo Creatori humiliter subjicite, quod est vere de mammona iniquitatis amicos facere.

Neque injuste per *mammona iniquitatis* interiores exterioresque sensus hominis accipimus. Qui enim quotidie **758** peccatis commaculantur, non inconvenienter divitiæ iniquitatis appellantur. Quantumcunque enim juste, quantumcunque sancte vel exterioribus vel interioribus sensibus suis unquam homo vixerit, quandiu in hac vita subsistit, nævo iniquitatis carere non poterit. Et bene dicit, *facite vobis amicos.* Quandiu enim spiritus et caro sibi invicem adversantes a se dissentiunt, interiores exterioresque sensus nostri non amici, sed inimici nostri sunt. Oportet igitur ut, sicut docet nos Dominus, de *mammona iniquitatis amicos nobis faciamus*, hoc est ut non abutentes divitiis in interioribus exterioribusque sensibus nostris divinitus nobis concessis, et carnem spiritui, et spiritum Creatori suo subjiciamus, *ut, cum defecerimus*, cum morte interveniente ex vitæ hujus miseriis exempti fuerimus, secundum læta hæc Domini promissa ipsi *nos recipiant in æterna tabernacula.*

Tabernacula ista sunt corpora nostra, quæ nunc quidem carnalia, infirma, mutabilia sunt sed spiritalia et æterna erunt in æternæ beatitudinis gloria, ubi fruemur eis sine miseria, sine omni corruptionis molestia, ubi caro spiritui nunquam adversabitur, ubi solus iste, qui condidit nos, spiritui, animæ et corpori nostro æternaliter præsidebit et dominabitur, Jesus Christus Dominus noster, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

759 HOMILIA LXXV.

IN DOMINICAM IX POST PENTECOSTEN SECUNDA.

Homo quidam erat dives, qui habebat villicum, et hic diffamatus est apud illum quasi dissipasset bona ipsius (*Luc.* XVI).

In hac Domini parabola, sicut et in cæteris Domini parabolis, sapientes et eruditi multiplicem invenire possunt doctrinam ædificationis, qui sic verba sonantis parabolæ exterius audiunt, quod interius spiritalis intelligentiæ documenta requirunt. Insipientibus vero et negligentibus, et ea, quæ extrinsecus audierunt, surda aure cordis prætereuntibus sola quidem superficies litteræ est quodammodo quasi parabola, dum in ea nulla requirunt salutis et doctrinæ commoda. Nam ad tempus velut parabolam audiunt, sed boni operis efficacia hæc, quæ audierunt, adimplere negligunt. Nos vero, in quantum Deo donante scimus et possumus, sic audiamus sonantem litteram præsentis parabolæ, ut ex hac aliquid sumamus ad usum ædificationis nostræ.

Homo quidam, inquit, *erat, dives, qui habebat villicum. Homo* iste *dives* est revera homo ille singularis, ut sano intellectu advertere possumus, qui singulariter solus *dives* et potens est præ omnibus, qui divitias bonitatis suæ sic fidelibus suis distribuit, ut licet alius plus, alius minus ab eo accipiat, nullum tamen expertem divitiarum suarum relinquat. *Villicus* autem istius divitis est, ut arbitramur, spiritus et anima cujusque hominis, cui idem dives multa bona, multas divitias dividit, dum corpus incolume, dum sensus exteriores et interiores rectos et rationales tribuit. Quod si villicus iste tantis bonis tantisque divitiis non bene utitur, nec corpus vel sensus suos bene villicando et regendo servituti Domini sui subjugare nititur, timendum valde est, quod continuo subinfertur :

760 *Et hic diffamatus est apud illum quasi dissipasset bona ipsius.* Licet in omni loco oculi Domini malos et bonos videant, et nec minima eum intentio cogitationum nostrarum latere valeat, sunt tamen præordinati ad hoc custodes nostri, angelici videlicet spiritus, qui opera nostra sive bona sive mala horis et momentis omnibus divinis renuntiant conspectibus. Gaudent sane et exsultant ipsi custodes nostri, si qua in nobis bona et recta viderint, quæ cum lætitia et exsultatione Deo Creatori nostro renuntiare possint; malis quoque operibus nostris, quæ, heu! plerumque multa committimus, licet compatiantur et condoleant, ea tamen ex debito officii et ministerii sui nihilominus divinæ majestati renuntiant. Quibus renuntiantibus de nobis ea, pro quibus justo judicio argui debeamus et reprehendi, male quodammodo diffamamur quasi dissipasse bona Domini nostri. Dissipamus utique bona Domini nostri malis desideriis et iniquis operibus, dum nil Deo dignum, nil saluti nostræ necessarium sensibus utriusque hominis operari satagimus.

Sunt etiam alia bona aliæque divitiæ, quas spiritalis quisque villicus, bonus videlicet quilibet prælatus Deo largiente accipit, cui doctrinam et scientiam, multaque dona virtutum plerumque distribuit, quatenus propriæ saluti bene vivendo provideat, et utilitati proximorum docendo et exhortando prodesse valeat. Qui dum recte vivendo et sapienter docendo, tam propriæ saluti quam fraternæ charitati providerit, quasi dissipasse videatur bona Domini sui, sic diffamari apud illum incipit. Sed sic diffa-

mari non ad infamiam, sed ad bonam spectat famam, non ad ignominiam respicit, sed ad gloriam. **761** Diffamatur quidem et magnificatur ab omnibus tum pro meritis et exemplis sanctæ conversationis, tum pro sapientia et sermonibus salutiferæ exhortationis. Cum sic utique diffamari apud homines et prædicari cœperit, si humanis tamen favoribus delectatus non fuerit, diffamatus quidem est, sed non *apud Dominum*, cui soli bonæ conscientiæ reservat testimonium. Si autem inaniter in semetipso humana laude gloriatur et extollitur, et ea quæ Dei sunt, præsumptuose sibimetipsi ascribere non veretur, non bene, sed male diffamatus esse dicitur, quia tum vana elationis præsumptio coram Deo et angelis ejus tristis et ignominiosa erit diffamatio. Nam bona Domini sui quasi dissipando dispergit, si de his, quæ bene fecerit vel bene docuerit, propriæ laudis gloriam requirit. Unde etiam notandum est cur non simpliciter *dissipasse*, sed *quasi dissipasse* dixerit. Cum enim dicitur *quasi dissipasse*, latenter innuitur non plenam dissipationem fecisse, quia non ex toto, sed ex parte bona Domini sui dissipat, qui licet male gloriando semetipsum magnificet et extollat, et bona divinitus sibi collata non Deo, sed meritis suis ascribat et retribuat, piis tamen operibus insistere non cessat, et quamvis in conspectu interim Judicis recta minoretur intentio, in oculis tamen hominum corporalis nequaquam minoratur exercitatio. Ut autem ab hac vanitate tandem convertatur, et resipiscat, hunc miserator Dominus ad se vocare non dedignatur, quemadmodum evangelista consequenter insinuat

Et vocavit illum ad se, et ait illi: Quid hoc audio de te? Quod vocatio hæc pietatis sit et gratiæ, ex hoc plane intelligi valet, quod non solum vocasse, sed etiam vocasse dicitur *ad se*. *Vocat* revera misericorditer illum *ad se*, quem per internam inspirationem redire facit ad se intra se, cui etiam intrinsecus, per linguam compunctionis, insinuat qualiter favores inanis gloriæ declinare debeat, ne forte hic, et non in futuro mercedem remunerationis suæ accipiat. *Quid hoc*, inquit, *audio de te? De te*, inquam, cui villicationis meæ curam commisi, quiddam audio quod justo æquitatis meæ judicio in te reprehendo. Nam ut te virum bonum et perfectum, ut villicum bene dispensantem coram hominibus **762** ostendis et simulas, cum non talis sed alius in conspectu meo appareas; ego, inquam, quem nec minima latet cogitatio, scio et considero quid occulte submurmuret in corde tuo, quod videlicet non prudenter, non humiliter administrare studeas villicationem tibi creditam, quod de laboribus tuis non meam, sed propriam requiras gloriam.

Redde rationem villicationis tuæ. Hanc ego *rationem* dedi animæ tuæ, rationalem dico intelligentiam, qua te recte et utiliter villicando solis oportebat intendisse cœlestibus, non terrenis, non caducis, sed perennibus, ut villicationem tibi commissam non pro vanitate hujus sæculi, non pro inani jactantia, sed pro sola nominis mei ministrantes gloria. Sed tu hanc mihi *rationem* abstulisti, et tuæ hanc voluntati, tuæ laudi superba mentis elatione dare non timuisti, dum pro administratione villicationis non mihi, sed hominibus placere statuisti.

Jam enim non poteris villicare. Nisi hanc eamdem *rationem*, quam abstulisti, mihi soli *reddas* et retribuas, nisi omnes rationales sensus tuos ita officio villicationis impendere summopere studeas, ut solam meæ remunerationis gratiam in simplicitate cordis requiras, *jam enim non poteris villicare*, id est non utiliter, non fructuose villicationem tuam poteris dispensare.

Sed cum salvandus iste villicus hoc a Domino intrinsecus audierit, ad se reversus, et salubriter compunctus, semetipsum alloquens ait:

Quid faciam, quia dominus meus aufert a me villicationem? Possumus hoc in loco intelligere per villicationem supernæ visitationis gratiam, quæ cum villico supra memorato, bono videlicet prælato subtrahitur, magnam utique villicationem a se auferri non immerito conqueritur. Nam minorari sensu et intellectu spiritali mox incipit, quando beata hæc villicatio, superna visitatio, ipsi ablata fuerit. Unde et hanc eamdem minorationem dolens et ingemiscens his verbis exprimit dicens.

Fodere non valeo, mendicare erubesco. Sicut is qui terram fodit, id quod latebat invertit et ejicit, ita divina quis edoctus inspiratione, sensum spiritalem in littera latentem quasi fodiendo perscrutatur et extrahit. Sed quia ablata **763** villicatione, subtracta ut diximus, interna visitatione, hoc modo spiritaliter *fodere non valet*, miseriam et paupertatem suam videns, merito ingemiscit et dolet. *Fodere*, inquit, *non valeo*, quia nil spiritalis intelligentiæ ad ædificationem meam vel utilitatem proximorum in Scripturis more solito videre vel invenire valeo. *Fodere non valeo*, quia terram cordis mei per vim compunctionis, ut solitus eram, emollire nequeo. *Fodere non valeo*, quia nil divini saporis, nil bonarum cogitationum de terra cordis mei proferre valeo.

Et quia illuminatione desuper venientis gratiæ visitari vel consolari non mereor, ad tantam mendicitatem et inopiam mentis deveni, quod coram te, Domine, et coram hominibus erubesco confiteri. Sed, cum jam, ut dictum est, fodere spiritaliter non valeam, et mendicum me esse valde erubescam, necesse est ut mendicitati et imbecillitati meæ prudenti consilio provideam.

Scio, inquit, *quid faciam, ut, cum amotus fuero a villicatione, recipiant me in domos suas.* Jam supra diximus quod beata hæc villicatio illuminatæ mentis sit visitatio. Sed ab hac villicatione quodammodo suspenditur et amovetur, cui in oratione solita deest divinæ suavitatis gratia, et in lectione nulla spiritalis refulget intelligentia. Ut autem gratia hæc et intelligentia recuperari et renovari valeat, prudenter sibimetipsi provideat, ut debitores Domini sui in domos suas illum recipiant. Per *domos*, in quas amotus

iste a villicatione desiderat recipi, studium orationis A et lectionis, ut æstimamus, non incongrue valet intelligi. Nam si sublata spiritalium bonorum villicatio fuerit, sine assidua orandi et legendi instantia haud facile recuperari poterit. Unde sapienter sibimetipsi providens, quale apud se consilium invenerit, his verbis insinuat dicens : *Scio quid faciam*. Scio qualiter indigentiæ et necessitati meæ in posterum provideam, orationi videlicet et lectioni omne studium, omnem laborem diligentius impendam, *ut cum amotus* a villicatione *fuero*, id est cum spiritalia bona in me minorari sensero, tunc ea quæ legendo et orando gustavi, ad memoriam **764** redeant, et me quasi in domo orationis et lectionis receptum a superveniente inopia defendant. Qui cum mala ingruentia hoc modo prævenerit, et orando ac legendo semetipsum præ- B munire ac tueri curaverit, fit profecto quod consequenter evangelista ait :

Convocatis singulis debitoribus domini sui, dicebat primo : Quantum debes domino meo? Non sine causa, ut credimus, *singulos* dicitur *debitores* convocasse, cum non plures quam duo videantur convenisse. In his namque duobus debitoribus geminam dilectionem, Dei et proximi sano intellectu advertere possumus. Nam in his duobus mandatis, in dilectione scilicet Dei et proximi omnis homo debitor est Conditoris sui. Unde beatus iste villicus receptus in supra dictas domos orationis et lectionis, hos duos debitores in semetipso invenit, et quantum primus domino suo debeat, fideli interrogatione requirit : *Quantum*, inquit, *debes domino meo ?*

At ille dixit : Centum cados olei. Sicut oleum cunctis, quibus admiscetur, supereminet liquoribus, sic super omnia et præ omnibus solus diligendus est Deus. Et ideo per *centum cados olei* recte intelligi valet perfecta dilectio Dei. Unde villicus iste seipsum ad meliora provida interrogatione excitat, dum, quot vel *quantum* Deo creatori *debeat*, anxia mente requirit et interrogat. Qui dum divinæ charitatis præceptum nonnunquam se prævaricasse conspicit, ad pœnitentiam seipsum provocans et exhortans ait :

At ille dixit : Accipe cautionem tuam, et sede cito, et scribe quinquaginta. Cautionem suam homo pœnitens *accipit*, quando cautioris et districtioris vitæ propositum vere pœnitendo subire disponit. Ut autem vera et fructuosa sit pœnitentia, sedeat *cito*, *scribat quinquaginta*. Per numerum quinquagenarium plerumque in Scripturis designatur pœnitentia peccatorum. Peccatori vere pœnitenti necesse est ut sedeat, ut se in profunda cordis humilitate submittat et inclinet, et in hac humilitate non tarde, sed *cito*, non negligenter, sed ardenter *quinquaginta*, quod vera est pœnitentia, *scribere* festinet. Stabiliora sunt et firmiora quæ scribimus, quam ea quæ dicimus. **765** Et ideo humiliter, ferventer, firmiter scribendus est modus pœnitentiæ in tabulis cordis, ut usque ad terminum vitæ nunquam recedat a memoria, quia humilis, fervens et stabilis esse debet pœnitentia. Sequitur :

Deinde alio [sic cod.] *dixit : Tu vero quantum debes? qui ait : Centum coros tritici*. Sicut per oleum dilectionem Dei intelligendam diximus, ita et per triticum, quo vita hominis pascitur et nutritur, dilectionem proximi intelligere valemus. Et ideo prudens iste villicus, quia utriusque dilectionis transgressorem se esse meminit, pro utraque trangressione dignam agere pœnitentiam semetipsum monet et instruit.

Accipe, inquit, *litteras tuas et scribe octoginta. Litteras* suas prævaricator fraternæ charitatis *accipit*, dum, assidua Scripturarum meditatione edoctus, videt et intelligit quam perfecte, quam fideliter proximus noster in Deo diligendus sit. Sed quia nonnunquam transgressorem se esse conspicit in hac charitate fraterna, necesse habet *scribere octoginta*. Quoniam in die octava facta est resurrectio Dominica, non incongrue per numerum octonarium designatur generalis resurrectio nostra. Et ideo salvandus iste villicus, semper quasi scriptum habere debet præ oculis tempus futuræ resurrectionis, et præcogitare corde pavido nunquam desinat quid in die illa tremenda pro debito fraternæ dilectionis districto Judici respondeat. Quod si pervigili mente perpenderit, non solum proximos tanquam seipsum diligit, sed etiam peccantibus in se libenter ignoscit, et ut ipse veniam multorum criminum mereatur a Domino promptus semper est et paratus, parvas et veniales quascunque injurias dimittere proximo. Qui dum sic, ut dictum est, *quinquaginta*, id est C veram pœnitentiam, et *octoginta*, id est tempus futuræ resurrectionis tabulis cordis inscribere nititur, irriguum superius et irriguum inferius accipere quodam modo merebitur. Irriguum superius est ut diligatur Deus; irriguum inferius est ut diligatur proximus. Irriguum superius tempore orationis anima fidelis accipit; irriguum inferius studium lectionis illi tribuit. Sequitur :

Et laudavit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset. **766** Qui prius *villicus iniquitatis* erat eo quod dissipando bona Domini sui imprudenter egerit, nunc laudari et magnificari a Domino meruit, eo quod pro transgressione geminæ charitatis pœnitendo et satisfaciendo prudenter fecerit.

Quia filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in D *generatione sua sunt*. Per *filios hujus sæculi* auditores et factores Novi Testamenti non incongrue possunt accipi ; per *filios* autem *lucis*, Patres conditores Veteris Testamenti, quos ideo *filios lucis* nominat, quia scientia scriptæ legis quam acceperant, illos illuminabat, qui juxta præceptum legis peccantes et inique agentes, punire tantum noverant et occidere, et ideo prudentes sibi videbantur esse. *Filii* autem *hujus sæculi*, filii, inquam, gratiæ et Evangelii, qui non solum diligentes se diligunt, sed etiam juxta præceptum Domini, odientibus se et persequentibus bene faciunt, *prudentiores sunt filiis lucis in generatione sua*, in generatione videlicet evangelicæ veritatis, in generatione fidei et baptismatis. Quia vero eosdem filios hujus sæculi ad perfectum Dominus

vult adducere, nova eis præcepta charitatis dignatus est proponere.

Et ego vobis dico : Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Per *mammonam*, quod interpretatur *divitiæ*, divitias tam spiritales quam carnales valemus accipere. Unde intra nos has, ut ita dicam, divitias iniquitatis invenire possumus, de quibus amicos nobis fidelissimos provideamus. Nam ipse sensus et intellectus interioris hominis non nunquam, proh dolor ! appellari potest *mammona iniquitatis*, dum plerumque post internæ jucunditatis gaudia vana quæque meditatur et inania. Attamen idem sensus et intellectus hominis multis plerumque spiritalibus superabundat divitiis, quas orando et legendo ardenter congregat, dum in dulcedine cordis semetipsum cum Domino pascit et satiat. Sed quia hæ tales divitiæ mutabiles et transitoriæ sunt, idcirco *mammona iniquitatis* merito appellari possunt, quia omnis rerum transeuntium mutabilitas mystice appellatur iniquitas et vanitas. Hanc utique vanitatem Salomon in spiritu prævidens, quasi gemens et dolens proclamat dicens : **767** *Vanitas vanitatum, vanitas vanitatum et omnia vanitas* (*Eccle.*, I, 2). Et quia hac vanitatis seu mutabilitatis incertitudine electorum ac perfectorum sæpius perturbantur animæ, idcirco spiritales quique villici de supra dicto mammona iniquitatis, hoc est de prægustata internæ suavitatis gratia sibi *amicos* faciant, qui eos, *cum defecerint*, cum nil intrinsecus divini saporis habere potuerint, *in æterna tabernacula recipiant.*

Quod superius per *domos* intelligendum esse prænotavimus, hoc iterum per *tabernacula* hoc in loco intelligi posse credimus, studium videlicet orationis et lectionis. Nam hæc sunt optimæ domus, et optima Deo militantium tabernacula, continuæ scilicet orationis et lectionis studia. Ut autem in his domibus et in his tabernaculis in tempore necessitatis recipi valeant, certos et familiares sibi amicos in hora internæ visitationis provideant. Colligant ergo quidquid interius orando prægustaverunt, quidquid legendo spiritalis intelligentiæ perspexerunt, et ea **768** in secreto cordis custodiant, ut postea ab hoc fervore deficientes, inde refici et consolari valeant.

Sunt et alii amici, quos nobis omni devotione, omni cordis intentione providere debemus, quorum misericordia et auxilio potissimum indigemus, id est Pater et Filius et Spiritus Sanctus. Nam nulla major, nulla jucundior amicorum societas esse poterit, quam si homo mortalis, terra et cinis, Deum Patrem et Filium et Spiritum Sanctum amicum sibi et proximum fecerit.

Sunt et alia innumera amicorum millia, virtutes videlicet angelicæ omnesque cives cœlestis patriæ, quorum jucundis et beatis confœderari et associari studeamus amicitiis, ut cohabitare eis in æternis quandoque mereamur tabernaculis, præstante Do- A mino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

769 HOMILIA LXXVI.

IN EAMDEM DOMINICAM TERTIA.

Non simus concupiscentes malorum sicut et illi concupierunt (*I Cor.* x).

In lectione hac hodierna beatus Paulus apostolus quinque nobis membra præscribit, quæ, sicut nobis inde intelligi datur, non sine certa causa mysterii ita ordinate et distincte posuit. Neque enim ille aliquid sine causa dicere vel scribere potuit, in quo et per quem Deus loquebatur, sicut ipse de seipso testatur : *An experimentum*, inquit, *quæritis ejus, qui in me loquitur, Christus ?* (*II Cor.* XIII, 3.) Unde in B his verbis ejus, in quibus quædam commemorat, quæ olim acciderunt patribus, aliquid salutis nostræ inquirere debemus, quia sicut ipse paulo post dicit : *Hæc omnia in figura contingebant illis ; scripta sunt autem ad correctionem nostram.* Si enim scripta sunt ad correctionem nostram, dum illa in suis Epistolis commemorat beatus Apostolus, qui eo Spiritu loquebatur, qui etiam secreta Dei rimatur ; nos aliquid ex his mystice voluit colligere, unde nosmetipsos emendare valeamus et corrigere. *Non simus*, ait, *concupiscentes malorum*, *sicut et illi concupierunt.*

Neque idololatræ efficiamini, sicut quidam ex istis, quemadmodum scriptum est : Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere. Neque fornice- C *mur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, et ceciderunt una die viginti tria millia ; neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentaverunt, et a serpentibus perierunt. Neque murmuraveritis, sicut quidam eorum murmuraverunt et perierunt ab exterminatore.*

Per ista quinque quæ tam signate ponuntur, quinque incrementa peccati, per quæ homo culpabilem se coram Deo facit, non injuste designantur, id est delectatio, consensus et actus peccati, consuetudo et defensio peccati. **770** Dicamus autem quare in quinque his membris, quæ hic posita invenimus, hos quinque gradus peccati mystice designatos esse putemus.

Quædam ergo hic inveniuntur, quæ secundum D litteram graviora sonant, ubi tamen non statim pœna sequitur, quædam autem hic habentur, quæ secundum humanam æstimationem leviora et magis venialia videntur; quæ gravissima animadversione punita esse describuntur. Cui enim non videatur illum magis coram Deo culpabilem existere qui idololatra efficitur, quam eum qui tentat Deum, vel qui murmurat contra Dominum ? Et tamen duo hæc ultima, quæ videntur esse minima, pœna sequitur maxima. In hoc quod in primis dicitur : *Non simus concupiscentes malorum*, delectationem peccati notatam esse intelligimus, quam his verbis monet Apostolus, ut cavere debeamus. *Concupiscentes* enim *malorum sumus*, dum in his delectari incipimus, quæ per suggestionem diaboli cogitatio-

nus concepimus. Per suggestionem autem, qua nunquam in præsenti vita carebit homo, si delectatio vel consensus non sequatur, anima non corrumpitur, sed tamen cum in cogitationem vel in memoriam peccatum venerit, speciositas ejus quasi quodam modo decoloratur. Sicut enim aliquando pallor in cute faciem hominis inficit, qui tamen, si alia infirmitate caro non gravetur, ad sanitatem ei non officit, sic, ut nunc describamus faciem mentis sicut et corporis, ad coaptandum propositæ similitudinis schema, intelligamus cutem animæ cogitationem quodammodo esse, quæ tunc pallore quodam, ut ita dicamus, pulchritudinis suæ colorem immutat et amittit, dum suggestio peccati se per cogitationem ingerit. Sicut autem, ut jam diximus, homini non nocet, si summatim facies ejus pallore suffundatur, dum **771** dolore aliquo infirmitatis corpus non sauciatur, sic anima per suggestionem peccati, quæ in memoriam et cogitationem venit, non læditur, si per delectationem peccati vulnere non tangitur.

Sed si post suggestionem, qua tantummodo in cogitatione speciositas animæ fœdatur, etiam delectatio peccati sequatur, statim vulneratur, quia unde in affectu delectatur, inde sauciatur. Si autem fragilitate nostra devicti delectationi resistere non valemus, saltem hoc sollicita circumspectione præcavere debemus, ne per incuriam incircumspectæ mentis voluntas vel consensus peccati subrepat, quia anima, quæ per suggestionem in cogitatione fœdatur, in delectatione vulneratur, in consensu necatur.

Sicut enim in homine, qui vulneratur, sanitas quidem corporis corrumpitur, sed adhuc vitali spiritu subsistit, et salutaris medicinæ antidotum vulneri ejus aptari poterit, sic nihilominus anima, quæ in delectatione labitur, peccati quidem vulnere sauciatur, sed, dum illud peccatum, licet sanitati animæ contrarium, non tamen sit peremptorium, salutis remedium divinæ miserationis respectu citius consequi valebit, si delectationi voluntatis consensum non jungit. Idcirco enim delectatio prohibetur, ne, dum, quæ Deo et saluti suæ contraria sunt, homo frequentius meditatur, consensus peccati subsequatur.

Si ergo memoria per suggestionem, ut ita dicamus, decolorata et defœdata, voluntate autem per delectationem vulnerata, sauciata, etiam tertium illud, quod est ratio hominis, qua bonum a malo, commodum ab incommodo, verum a falso debet discernere, ad consensum peccati inclinatur, procul dubio, si mystice attendamus, anima scelus incurrit idololatriæ, per quam peccati morte perimitur. Ab hac morte immunes nos Apostolus esse desiderans admonendo subjungit in consequentibus: *Neque idololatræ efficiamini, sicut quidam ex ipsis, sicut scriptum est: Sedit populus manducare, et bibere, et surrexerunt ludere.* Idololatra homo efficitur, dum sponte peccatis et vitiis subjicitur. Ad tantam namque dignitatem fuerat creatus, quod nemini nisi soli Deo creatori suo deberet esse subjectus. Sed dum pro Deo factore suo, **772** cui

A soli omnis debetur adoratio, sicut scriptum est: *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies* (*Matth.* IV), turpi se mancipat corporis servituti, ad obediendum carni, ad satisfaciendum desideriis suis, quasi idolum quoddam sibi facit, ante quod inclinatur et procumbit. Cumque sic per consensum peccati inclinatus idololatra efficitur, statim illud, quod subjunctum est, adimpletur: *Sedet populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere.* Sedet populus manducare et bibere, quando populus cogitationum ea quæ per consensum delectationis concepit, cum dulcedine quadam ruminare quodammodo et masticare incipit, et in his quamdam sibi sedem, id est requiem facit, ut nec velit consurgere et a pulvere terrenæ voluptatis se excutere. Post

B istud manducare et bibere sequitur quasi ludus quidam, quod est dissolutio spiritus, ut ea quæ corde meditatur homo et tractat, per lascivum et petulantem corporis motum aperiat.

Si ergo ab hac dissolutione omni studio et sollicitudine homo seipsum non retrahit, tertium, id est ipsum peccati actum incurrit, quem in his verbis beatus Apostolus mystice nobis describit: *Ne fornicemur*, inquit, sicut *quidam ex ipsis fornicati sunt.* Fornicari itaque dicitur, quando anima illa, quæ soli cœlesti sponso, ad cujus imaginem et similitudinem creata est, in amoris amplexibus conjungi deberet et adhærere, relicto eo cui dotata est in baptismate, corruptorem suum sequi-

C tur, et ita oblectandis carnis suæ sensibus intricatur, ut ea non timeat actibus perficere, quæ nefas fuit vel ad horam mente concipere. Hanc igitur fornicationem æternus, nisi resipiscat homo et revertatur, interitus sequitur, quemadmodum Psalmista loquens ad Dominum protestatur: *Perdidisti*, inquit *omnem qui fornicatur abs te* (*Psal.* VII, 27.) Ab hac ergo fornicatione omni nos vigilantia custodire debemus et circumspectione, ut per suggestionem diaboli in delectationem peccati [non] incidamus, vel etiam in illum consensum (quod absit!) labamur, ut si facultas daretur, libenter ea quæ mente concepimus, opere perficeremus. Illo tamen intervallo, quo pravæ voluntatis **773** nostræ compotes effici non possumus, ad nosmetipsos intra nos redire

D studeamus, ne illo tempore, quo occasio peccatum perficiendi occurrit, malorum operum perpetratione a Deo recedamus.

In duobus namque præcedentibus, ubi delectatio et consensus peccati prænotatur, pœna non præscribitur; tertium autem, id est fornicationem, ipsum videlicet actum peccati, statim pœna sequitur: *Et ceciderunt*, inquit, *una die viginti tria millia.* Per numerum istum *viginti*, qui ex decem duplicatis consistit, exteriores et interiores sensus, qui nihilominus decem sunt, non incongrue, ut arbitror, intelligi possunt. Per *tria millia* fidem sanctissimæ Trinitatis, quam in baptismo accepimus, intelligere possumus. Vel per *tria millia* cogitationum, verborum et operum perfectionem desi-

gnatam esse intelligamus. Quando enim homo a Deo fornicando in malorum operum perpetrationem incidit, cadunt viginti tria millia, quia omnem præteritorum bonorum laborem perdit, quæ interiorum vel exteriorum sensuum ministerio peregit. Si unquam aliquid in fide, quæ per dilectionem operatur, vel sacra meditatione, aut verborum utilitate seu bonorum operum perfectione Deo obsequii exhibent pro nihilo ante Deum reputabitur, cum ita Creatoris et sui ipsius obliviscitur, ut pravum consensum in malorum actuum perducat effectum. Non sic autem eum dicimus bona transacta perdere, nisi (37) recuperari et restaurari possint, si, postquam homo peccando prævaricatus fuerit, iterum ad cor suum redeat, et hoc, quod illicite egisse se meminit, ante Conditoris faciem districta et stabili pœnitentia delere studeat.

Post actum peccati consuetudo sequitur, quæ nobis in sequentibus ab Apostolo prohibetur; *Neque tentemus*, inquit, *Christum, sicut quidam eorum tentaverunt, et a serpentibus perierunt.* Tentare secundum litteram levius sonat quam fornicari. Sed, juxta sensum, quem proposuimus, multo gravius delinquit qui Deum tentat, quam qui fornicatur. Fornicatur, ut diximus, qui pravum consensum opere perficit; tentat Deum, qui peccatum in consuetudinem ducit et ubi non licuit cadere, ibi etiam libeat jacere. Nunquid ergo Deum non tentat, qui peccatum peccato adjicit, et quasi sibi ipsi in cogitationibus suis dicit, quod aut Deus mala sua **774** non videat, aut videns vindicare non valeat, quem ideo patientia Dei longanimiter exspectat, ut ad pœnitentiam eum adducat.

Quicunque ergo peccandi consuetudine et infecti et devicti a via sua mala nolunt reverti, eos profecto illa horribilis pœna sequitur, ut a serpentibus pereant, qui lethale venenum mordico ore infundendo hominem necant. Serpentes maligni spiritus sunt, qui semper ad animam occultis suggestionibus serpunt, et tam diu venenifero morsu suæ machinationis ferire non cessant, quoadusque eam per inolitæ pravæ consuetudinis vitium perire faciant. Unde summopere nobis præcavendum est, ut si instigante diabolo consensum et actum peccati incidamus, in consuetudinem tamen peccandi nequaquam labamur, ne a serpentibus pereamus, id est, ne a malignis spiritibus in laqueum perditionis pertrahamur. Sequitur :

Neque murmuraveritis, sicut quidam eorum murmuraverunt, et perierunt ab exterminatore. Istud in littera sonat, quasi sit levissimum. Sed hoc est super omnia illa quæ diximus gravissimum, quia per istud murmur defensio peccati designatur, quæ vere est blasphemia irremissibilis et delictum maximum, quod non nisi *exterminatori*, id est diabolo relinquitur ad ulciscendum. Qui ergo murmurat, non in aperto, sed in occulto mussitat. Sic omnis, qui peccatum suum defendere mavult quam corrigere. hoc in animo suo proponit, ut si etiam proditum fuerit delictum suum et arguatur, magis in obstinatæ mentis nequitia perdurare, quam confiteri et emendare reatum suum velit.

Hic est quartus ille mortuus, quem quidem Dominus Jesus audivit mortuum, sed resuscitare noluit, pro quo ait : *Sine mortuos sepelire mortuos suos* (*Luc.* IX, 60). Tres namque mortuos Dominum in diebus carnis suæ resuscitasse legimus, puellam filiam archisynagogi in domo, adolescentem filium viduæ extra portam, Lazarum quatriduanum lethali putredine jam fœtidum. De tribus his mortuis, eo quod notum sit, breviter nobis ita dicendum est, quod primus mortuus homo sit, qui peccati delectatione vincitur; secundus ille, qui pleno consensu ad malorum operum perpetrationem ducitur; tertius, qui etiam consuetudine peccati illigatur. Hi ergo, licet non æquali facilitate, omnes tamen ad vitam recuperari possunt. **775** Sed quartus ille mortuus, per quem peccati defensionem accipimus, minime resuscitatur, quia rarum est, ut ille, qui temerario ausu peccatum defendit, a pertinacia mentis suæ convertatur. Hoc igitur peccatum ad neminem pertinet, nisi ad solum exterminium diaboli, quia et ipsum est diabolicum. Ipse enim diabolus semper in sua malitia vult perdurare, et magis in æterno gehennæ supplicio perpetuo damnari quam humiliari et a superbiæ suæ statu revocari. Hæc sunt quinque peccati incrementa, quæ nobis Apostolus notat mystice in hac quam exposuimus lectione hodierna. Deinde subjungit et ait :

Hæc autem omnia in figura contingebant illis; scripta sunt autem ad correctionem nostram, in quos fines sæculorum devenerunt. Omnia namque quæ tunc carnali Israeli carnaliter et visibiliter acciderunt, nobis spiritaliter aptari et ad correctionem provenire possunt, nobis, inquam, *in quos fines sæculorum devenerunt*, in quibus videlicet finem mundus accepit, qui spiritali censemur nomine, et quibus mundus debet crucifixus esse. Illos ergo, in quos fines sæculorum devenerunt, qui videlicet sæculo actu et habitu renuntiaverunt, ut nequaquam de statu rectitudinis suæ glorientur, sed in vera humilitate se conservent, in his verbis Apostolus admonet :

Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat. Qui sunt qui stare se existimant, nisi hi qui in sancta conversatione viventes, ab infantia innocentiam suam Deo servaverunt, vel aliquandiu in sæculo demorati, in matura ætate mundum dereliquerunt, et spiritalis vitæ consortium adierunt, ac ibi per veram pœnitentiam amissam in mundo recuperaverunt innocentiam? Hi namque, qui in sæculo positi sæcularibus curis et actibus sunt dediti, stare se non existimant, sed in casu suo se salvari non posse publice profitentur et affirmant. Nos itaque sumus, qui idcirco nos stare

(37) Id est *ut non*.

existimamus, quod sanctæ conversionis habitum suscepimus. Sed unusquisque nostrum *videat, ne cadat*, id est sollicite seipsum circumspiciat, semper ad custodiam mentis suæ recurrat, ne per elationem corruat, dum se in virtutum culmine stare putat.

776 Si ergo veræ humilitatis fundamentum cordi suo supposuit, stare se et salvari posse confidat. Si autem elationis vitium in se deprehendit, continuo casum pertimescat. Iterum ergo beatus Apostolus mysticis verbis a defensione peccati nos compescit, cum subjungit :

Tentatio vos non apprehendat, nisi humana. Humanum itaque est, si fragilitate carnis devictus homo in delectationem ac consensum, vel etiam ipso actu peccati labitur; humana nihilominus tentatio est, si cum peccaverit, consuetudine peccati irretitur; peccata autem defendere, et in ipsis usque ad finem vitæ magis perseverare velle quam corrigi, omnino diabolicum est. Contra hanc tentationem et diabolicum peccatum divinæ miserationis beneficium nobis ad memoriam revocat, cum protinus subdit :

Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis. Quisquis ergo in hoc mortale præcipitium fertur, et ad hanc universæ malitiæ consummationem venit, ut peccatum suum defendat, et semetipsum desperando magis in eo perseverare eligat, quam ut in humilitate se corrigat, et a tentatore suo vinci vult quam vincere, ille profecto ***supra id quod potest, tentatur.*** Petrus non est tentatus supra id quod potuit, qui post lapsum statim ad pœnitentiæ lamenta rediit, et tentatorem, qui eum superando ad horam prævaluit, in potentia virtutis Dei devicit, ut, qui ante ad vocem ancillæ ostiariæ extimuit, et negationis crimen incidit, postea ante armatos reges et præsides staret imperterritus et magna constantia diceret : ***Obedire oportet Deo magis quam hominibus*** (*Act.* v, 29). David quoque supra posse tentatus non est, quia ipse, postquam adulterium et homicidium perpetravit, non est lapsus in desperationem, sed diabolo casus sui auctori, in corde contrito et humiliato prævaluit. Et quia peccasse se Domino confiteri non erubuit, pœnitentiæ fructum, id est indulgentiam percipere ab eo promeruit.

Judas autem proditor tentatus est supra id quod potuit, quia dum peccatum illud maximum commisit, quod totius mundi gloriosissimum pretium vendidit, semetipsum, mox in barathrum desperationis præcipitare non timuit, 777 qui eamdem remissionis gratiam, quam Petrus et David a Domino consecuti sunt, promereri potuisset, si se in spiritu humilitatis ab obstinata mentis suæ perfidia mutare voluisset. ***Fidelis autem Deus, qui non patitur vos tentari supra id quod potestis :***

Sed faciet cum tentatione etiam proventum, ut possitis sustinere. *Cum tentatione proventum facit Dominus*, cum non solum bona, verum etiam mala in bonum cooperari adjuvat se diligentibus.

A Fidelem ergo Deum in omnibus verbis suis imploremus, ne nos supra id, quod possumus, tentari permittat, ne nos in profundum malorum, quod est defensio peccati et desperatio, præcipitari sinat ***sed faciat cum tentatione etiam proventum, ut possimus sustinere***, hoc est tales nos efficiat, ut non solum ea quæ bona fecimus, verum etiam mala, quæ commisimus, ad salutem nobis valeant provenire, dum nosmetipsos magis magisque humiliantes, pro his Deo satisfaciamus digno fructu pœnitentiæ. Quod ipse præstare dignetur Dominus noster Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

B

778 HOMILIA LXXVII.

IN DOMINICAM X POST PENTECOSTEN PRIMA.

Cum appropinquaret Dominus Jerusalem, videns civitatem flevit super illam dicens : Quia si cognovisses et tu ! (*Luc.* XIX.)

Finitis octo Dominicalibus evangeliis, quibus octo beatitudines, per quas ad octavam illam resurrectionis gloriam tenditur, assignavimus alia itidem evangelia sequentia in octonario suo Dominica jam transacta, in qua de villico legitur, notavimus et inchoavimus. Hæ vero Dominicæ sequentes, quarum prima Dominica hodierna est, ad septem dona Spiritus sancti, ut mihi videtur, possunt referri, quæ quædam, ut ita dicam, potiones sunt, quibus et per
C quas æger, id est peccator quilibet sanari et salvari debet.

Et non incongrue septem his Dominicis sequentibus dona Spiritus sancti ascribuntur, cum et Paulus magis in Lectione hodierna quam in alia multiformia Spiritus sancti commemoret dona dicens : ***Divisiones gratiarum sunt, idem autem Dominus. Alii datur per Spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum***, et cætera, quæ ibi enumerat.

Sed sciendum quod præcedens Dominica, in qua alium octonarium inchoavimus, tota ad prælatos respicit, qui quasi quidam medici sunt, per quos medicamenta Spiritus sancti tribuenda et infundenda sunt ægrotantibus in peccatis. Sicut enim medicus
D diversa habens medicamenta, primo dat potionem, per quam purgato stomacho ad alia, quæ adhibenda sunt, medicamina utiliter suscipienda præparat ægrotum : sic prælatus bonus, qui fidelis esse debet medicus animæ, primum per spiritum timoris instruere debet peccatorem, ut recognoscat, pertimescat et pœniteat quæ fecit, sicque per spiritum timoris, qui ad hodiernam Dominicam respicit, purgato animæ stomacho, incipit quodammodo Dominus appropinquare ægroto, sicut præsens narrat evangelium dicens :

Cum appropinquaret Dominus Jerusalem, videns civitatem flevit super illam. Hæc omnia, quæ semel visibiliter facta a Domino leguntur, quotidie adhuc in sancta Ecclesia in salvandis suis invisibiliter agi

et operatur. Per *Jerusalem* enim, cui quondam Dominus *appropinquabat*, beata quælibet anima potest designari, cui tunc quodammodo Dominus appropinquat, quando **779** spiritu timoris intrinsecus attacta, ut peccata sua declinet, bona sectetur, bonam desuper voluntatem inspirat. Et quia homo nil per se boni agere prævalet, recte de Domino dicitur : *videns civitatem flevit super* illam. Visio Dei est gratia Dei ; oculi ejus dona gratiæ illius. Quando homo in peccatis adhuc conversatur, et propriæ voluntati dimittitur, sunt, ut ita dicam, aversi ab eo oculi Domini. Quem Dominus tunc dignanter intuetur et respicit, quando ipsum hominem, qui seipsum non videbat, qualis peccando factus sit, videre jam et cognoscere facit. Post istud Domini *videre*, sequitur ipsius *flere*, sequitur ipsius *dicere*.

Et bene dico *ipsius*, quia totum ei, quod ipse in homine operatur, merito, quasi ille faciat, ascribitur et assignatur. Quemcunque ergo Dominus sic in donis suis viderit, quod liberatum a peccatis et a sæculo, bonorum hominum consortio adunaverit, hunc postmodum flentem et lugentem facit. Dat enim beatæ illi animæ flere quoddam dulce et bonum, quod fit *super illam*, quando amariter pro peccatis suis compungitur, et pro desiderio æternæ vitæ accensa in fletibus dulciter pascitur et recreatur. Est flere quoddam malum et inutile, cum homo ira et amaritudine commotus, seu alia aliqua præsentis vitæ incommoda deplorat. Ille profecto fletus inutilis venit, ut ita dicam, de inferiori cordis, iste fletus est irriguum illud superius, quod vere ascendit de superiori cordis nostri. In quo nimirum felici fletu et luctu, homo vere pœnitens hæc inter se verba ingeminat et ruminat dicens :

Quia si cognovisses et tu. Quod est dicere : O misera anima mea, si pridem, quando peccatis condelectabaris, ea quæ nunc Deo donante nosti, *cognovisses*, jure flevisses, merito pœnituisses, et talia, quæ egisti, quæ commisisti, committere exhorruisses. Sic illuminato aliquantulum homini per gratiam Dei fit quædam dies de qua subjungitur :

Et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi. Quædam enim *dies* tunc oboritur, quando ille, qui prius tenebrosa peccatorum nocte circumdatus erat, Deo miserante desuper collustratus et illuminatus, **780** ad pœnitendum et satisfaciendum Deo pro peccatis suis viriliter præparatur. In hac cordis illuminatione, *in hac die* pœnitentiæ et doloris, illud quodammodo promeretur et acquirit quod æternam ei *pacem* conferat, qui aliquando tenebrosus per peccata, non quæ pacis, sed quæ æternæ inquietudinis erant, sibimetipsi acquisivit et coacervavit. De talibus Paulus ait : *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino* (*Ephes*. v, 8). Sed quia in hac die illuminationis homo diu esse non potest, statim, ut mihi videtur, tentationes, quas passurus est, denotantur, cum subjungitur :

A *Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis, quia venient dies in te, et circumdabunt te inimici tui vallo, et circumdabunt te, et coangustabunt te undique, et ad terram prosternent te, et filios tuos, qui in te sunt*, et *non relinquent in te lapidem super lapidem*. Quatuor his verbis, quæ hic ponuntur, *circumdabunt te, coangustabunt te, ad terram prosternent te, et non relinquent in te lapidem super lapidem*, quatuor vitia quatuor cardinalibus virtutibus prudentiæ, fortitudini, temperantiæ, justitiæ opposita possumus denotare. Sicut enim in his quatuor virtutibus universæ virtutes velut in cardine suo pendent, versantur et operantur, sic in his quatuor vitiis, imprudentia, inconstantia, intemperantia, injustitia, universa vitia et delicta comprehenduntur et peraguntur.

B Et bene, ut video, imprudentia *vallo* comparari valet quia in vallo duo sunt, profunditas et altitudo, et quanto profundius, tanto est obscurius, et quanto profundius et obscurius, tanto de terra, quæ ex utraque parte ejicitur, fit altius. Unde per hanc obscuritatem et tenebras *valli* ignorantia potest figurari, quam imprudentia parit in homine. Et per hoc quod bis ponit *circumdabunt*, hoc ut mihi videtur, designat quod duplex est ignorantia. Est enim una ignorantia nostri, alia ignorantia Dei. Et quanto plus his ignorantiis imprudens homo efficitur, tanto minus Deum factorem et redemptorem suum recognoscit, tanto minus seipsum, qualis sit, pensare potest. **781** Et hæc duplex ignorantia parit ex se
C superbiam, quæ, ut bene æstimo, in altitudine *valli* potest designari. Si enim homo seipsum in veritate inveniret, si se ante faciem suam recte statueret, et ex sui cognitione tenderet ad notitiam Dei, omnibus se minorem et inferiorem reputaret, raro se super cæteros extollendo superbiret, sed semper humilia et abjecta de se sentiret.

Potest quoque alio modo intelligi, quod bis ponitur *circumdabunt*, quia dum sic ex duplici ignorantia, Dei et sui, superbire incipit, *circumdant* eum *inimici*, maligni videlicet spiritus, intus superbia in corde, exterius vero *circumdant* eum superbiæ actibus in corpore.

Sic prævalente superbia, quam parit imprudentia
D et ignorantia, aliud vitium, scilicet inconstantia, opposita fortitudini, subsequitur, quod verbis sequentibus notatur, dum subditur : *Et coangustabunt te undique*. Et non incongrue, quod dicitur, *coangustabunt te*, vitio inconstantiæ aptari potest. Quia sicut charitas perfecta cor dilatat et amplificat, ita ut non solum ad amicos et proximos se extendat, verum etiam inimicis non claudenda esse viscera existimet, sed benefaciat his, qui se oderunt : sic inconstantia, quæ est levitas mentis, cor angit et coangustat, ut minime socialem et fraternam charitatem tenere, et ex inconstantia mentis nullum in bonis rebus statum possit habere. Sicque fit ut, qui aliquando, audito verbo Dei, patientem in adversis, fortem se in patientia, constantem in humilitate esse delibera-

vit, tam modici et angusti cordis fiat, quod nec minimæ adversitatis casum tolerare queat.

Ex hac inconstantia labitur ad intemperantiam, quæ est opposita temperantiæ, cui vitio sequens verbum satis congruit quod dicitur, *et ad terram prosternent te.* Ad terram homo prosternitur, quando gulæ et luxuriæ servire incipit; ad terram prosternitur, cum carni suæ quæ per terram accipitur, immoderate consentiendo succumbit.

Et notandum, quod ait, *et filios tuos qui in te sunt.* Quid per *filios* nisi voluntates et desideria mala accipi possunt? Sunt nonnulli, qui ad terram, peccando carnis magis infirmitate quam mentis voluntate, prosternuntur. Sed, dum **782** Deo miserante dolent et resipiscunt, ibi nequaquam prosternuntur *filii.* E contra sunt alii qui tali voluntate et desiderio peccant, ut et peccare et peccata iterare dulce habeant, et quod adhuc opere non perpetrarunt, in voluntate habent, ut aliquando perficiant, et desideriis suis satisfaciant; et hi tales cum filiis ad terram prosternuntur, quia et a voluntate et actione mala sese temperare nolunt.

Sic et sic homo factus imprudens, inconstans, intemperans ad quartum labitur vitium, quod est injustitia, quæ opposita est justitiæ. Cui vitio hoc adnotare possumus, quod dicitur, *et non relinquent in te lapidem super lapidem.* Quia et si aliquid robustum et bonum opus in eo est, quod per *lapidem* possumus intelligere, totum post ista, quæ diximus, destruetur, quia totum coram Deo perdit et amittit.

Hæc sunt quatuor vitia, quæ destruunt quatuor bona in homine, humilitatem, charitatem, castitatem, perseverantiam. Imprudentia enim, quæ parit superbiam, destruit humilitatem; inconstantia, quæ levem et instabilem reddit hominem, destruit charitatem; intemperantia, qua homo seipsum temperare nescit a peccatis, exstinguit castitatem; injustitia cunctorum bonorum aufert perseverantiam. Jam quatuor vitia quatuor cardinalibus virtutibus opposita habes, audi in consequentibus, ex quibus procedentibus meritis hæc vitia dominentur nobis.

Eo quod non cognoveris, inquit Dominus, *tempus visitationis tuæ.* Multæ et diversæ sunt visitationes Domini, quædam minores, quædam eminentiores, quibus unumquemque electorum suorum visitare dignatur. Est homo, quem Deus visitat, quando eum corporali flagello castigat, ut corpus, quod inutiliter aliquando ad peccata enutrivit, divino cinctus verbere, ad priora flagitia ulterius non permittat exsurgere. Visitat et alio modo dilectorem suum, cum aliquid adversitatis et injuriæ illic permittit occurrere, ubi prosperitatis et lætitiæ occursum sperabat. Et hæc visitatio bona est et utilis, si cognoscatur, si non contemnatur. Rursum visitatur, quando amicorum seu charorum suorum adversitatibus læditur et turbatur, de quorum bonis et prosperis hujus mundi **783** ultra modum lætabatur. Item visitatio alia est, qua homo visitatur, quandocunque verbum prædicationis audit. Raro enim verbum Domini audit, nisi admoneatur, ut videat quantum boni neglexerit et quantum mali commiserit. Et hæc est visitatio ejus, si statim bonum neglectum per eum reparetur, et malum commissum pœnitentia diluatur.

Est et alia adhuc visitatio Domini, superexcellens universas, visitatio illa assidua, qua suorum in oratione filiorum visitare dignatur corda, in qua renatis et renovatis in ea suavem infundit dona virtutum. In hac visitatione, si homo sibi et suis meritis aliquid attribuit, non recte *tempus visitationis suæ* agnoscit. Ad hoc tempus visitationis necesse est ut unusquisque se observare et custodire studeat. Nam si ante tempus orationis ab illicitis rebus se non continuerit, hujus beatæ visitationis quomodo particeps erit? Sunt, pron dolor! qui omni die de mane in vesperam aridi et infructuosi perdurant, nec de hac visitatione aliquid curant. Et sicut tales infelices sunt, sic e diverso beati illi et beatificandi, qui semper secretum suum quærentes, ad cor introrsus redeunt, a Domino se visitari votis omnibus exoptant.

Possumus ista, quæ ad quatuor vitia perstrinximus, ad alia quatuor bona convertere, quia dulce et jucundum est, ubi in divinis Scripturis verba Domini in bonum interpretari possunt. *Quia si cognovisses et tu.* Appropinquans Dominus Jerusalem, id est misertus animæ peccatricis, et eo modo, sicut diximus, videre eam, et flere super eam dignatus, læta promittendo alloquitur dicens: *Quia si cognovisses et tu, et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi.* Quod idem est ac si dicat: Quod teipsam me donante agnoscis, quædam *dies* facta est in te, et adhuc abscondita sunt ab oculis tuis majora bona, majores illuminationes quæ venturæ sunt tibi. Et continuo quænam hæc bona sint subinfert, *quia venient dies in te.* Per dies istos possumus intelligere bonos motus, bonas affectiones, sacras virtutes sive bona opera, quæ homini beato Dominus noster infundendo distribuit, quando seipsum et Deum videre et recognoscere incipit.

784 In his præcipuæ et sanctæ illuminationis diebus, *circumdant* eum *inimici vallo.* Per inimicos, ut mihi videtur, possumus accipere sacras affectiones peccato hominis inimicantes. Nam dum homo totus Deo illuminante intrinsecus per bonos motus, per bonas affectiones et virtutes movetur, incipit sibimet ipsi inimicari, et seipsum detestando peccata suo odio habere et persequi. Unde admonet Dominus in Evangelio: *Esto consentiens adversario tuo, dum es cum illo in via* (*Matth.* v, 25). Adversarius iste noster est verbum Dei, cui tunc consentimus, cum hoc in nobis adversamur et persequimur, quod verbo Dei repugnat in nobis. Isti beati inimici nostri quatuor bona in nobis operantur, quæ quatuor verbis *circumdabunt, vallabunt, coangustabunt, ad terram prosternent et non relinquent in te lapidem super lapidem*, non incongrue possunt notari. In vallo accipe confessionem, in verbo *coangustabunt te* cordis contritionem, per *prosternere ad terram* corporis satisf.

factionem, *non relinquent in te lapidem super lapidem* humilitatis observationem.

Et bene, ut video, per vallum confessio [notatur], quia quanto profundius est vallum, tanto robustius et firmius erit. Et hoc apte confessioni congruit. Quanto enim altius et perfectius homo confitendo terram suam, hoc est peccata sua et terrena opera quasi effodiendo et diligenter discutiendo ejicit, tanto robustior contra malignorum spirituum tentamenta consurgit. Quia vero duplex esse debet confessio, bis, ut æstimo, ponitur *circumdabunt*, *circumdabunt*. Oportet enim, ut homo non solum actum peccati, sed et voluntatem et consensum peccati confiteatur et aperiat. Sed quia ad perfectionem non sufficit quod homo peccata sua labiis tantummodo confitetur, nisi etiam dolore cordis intrinsecus pro eisdem peccatis compungatur, bene sequitur, *et coangustabunt te undique*. Quid per hanc angustationem nisi cordis contritio? Dignum est enim ut facta confessione corde contrito angatur pro peccatis suis. Et hoc *undique*, quia non uno momento, non una die, nec in uno loco, sed in omni loco contribulatum spiritum debet habere, sicut et de Anna legitur, **785** *qua vultus ejus non sunt amplius in diversa mutati* (*I Reg.* I, 18). Et beatus Pater noster Benedictus idem fieri docet in duodecim gradibus suis: *Ubicunque fuerimus, sedentes, ambulantes, vel stantes inclinato simus capite, defixis in terram aspectibus, omni hora reos nos de peccatis nostris existimemus.*

Ex hac angustatione, quam sic beatus homo pro peccatis suis habet, fiet quod subjungitur: *Et ad terram prosternent te.* Per hoc *prosternere ad terram*, possumus satisfactionem accipere, quam Deo, post factam confessionem et cordis contritionem homo debet persolvere. Se nempe quodammodo cum filiis suis ad terram prosternit, quando totis voluntatibus, totis desideriis ad satisfaciendum Deo convertitur.

Post ista omnia necessarium est ut *non relinquatur lapis super lapidem.* Tunc lapis super lapidem non relinquitur, cum de firmis et fortibus operibus suis super alios non extollitur, sed ea in humilitatis custodia semper observare nititur. Possumus etiam in lapide et lapide duplicem duritiam cordis intelligere. Duritia cordis est ut homo bonum non faciat. Et hoc est *lapis super lapidem.* Hi duo lapides non relinquuntur, sed auferuntur, quia facta confessio, exhibita cordis contritio, perfecta corporis satisfactio, faciunt in homine quod et bonum velit, et bonum facere possit, quod prius noluit et facere non potuit. Cur autem ita confiteri, cur contritionem cordis habere, quare taliter satisfacere debeat homo, sequentibus, ut æstimo, notatur verbis:

Eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ. Quod idem est ac si Dominus unumquemque suorum admoneat, et quoties visitationibus ejus ingratus exstiterit, enumeret et dicat: Primo te visitavi, quando per baptismum regeneravi; secundo visitavi, quando sensum et intellectum ad discernendum bonum et malum donavi. Sed non cognovisti hoc *tempus visitationis* meæ, quia sensum ad deteriora convertisti. Iterum tertio visitavi, quando de sæculo liberatum ad spiritalis vitæ quietem perduxi, ubi multa utilia, multa bona et **786** mihi placita vidisti et audisti. Sed non cognovisti tempus visitationis meæ, quia multa neglexisti, et plurimorum mandatorum meorum transgressor exstitisti. Igitur qui visitationes istas contempsit, dignum revera est, ut confiteatur, spiritu conteratur, corpore satisfaciat, bona sua in humilitate custodiat, quia per ista emundatus et purificatus, et ex parte illuminatus ad plenos et perfectos dies pervenire potest, de quibus subditur:

Et ingressus in templum, cœpit ejicere vendentes in illo et ementes. Qui sunt vendentes et ementes isti nisi spiritus maligni? Sit, ut ita dicam, aliquis electus, qui ad culmen perfectionis, Deo adjuvante, pervenerit, nunquid vendentes et ementes istos non patietur? Patietur plane, emptionem et venditionem eorum sustinebit qui id quod suum est, objiciunt et offerunt, ut nostra nobis bona tollant; virtutes a nobis emere volunt, ut stercus vitiorum ingerant, et ad ultimum optimum pretium nostrum, quod est Christus, de cordibus nostris auferant. At ille, si domum cordis ingreditur, non inquantum volunt, inimici prævalent, quia incipit potenter *ejicere* et eliminare eos.

Et bene dicitur, *cœpit*, quia nemo in primis summus, sed paulatim et per incrementa temporum Deo donante incipit proficere et de virtute in virtutem ire. Sed et alio sensu potes accipere quod dicitur, *cœpit*. Domini est enim incipere, nostrum est bona voluntate bonorum laborum operatione ei cooperari et adjuvare. Quod si obedienter et fideliter fecerimus, dicit ille cujus dicere est facere:

Scriptum est. Scribit enim, id est fixum facit in nobis, ut meminerimus et ante oculos mentis ponamus quod cor nostrum *domus orationis* esse debuit, sed nos, proh dolor! illud *speluncam latronum* fecimus. Non enim sufficit nobis, quod peccata peccatis adjecimus; insuper etiam *speluncam latronum* nos ipsos fecimus, quando peccata nostra non reverebamur occultare, et nunquam in confessione, prout dignum esset et nobis utile, potuimus aperire. Talia dicente Domino, talia scribente eo in homine, erit sublimiter quod dicitur:

787 *Et erat quotidie docens in templo. In templo* cordis humani, quod inhabitare dignatur, *docet quotidie*, quia docet electum suum bona agere, mala declinare. Et ubicunque sic docet in præsenti, in illo erit in futuro quiescens et regnans. Ad hunc sensum evangelicum bona est aptitudo Orationis hodiernæ, in qua sic oramus: *Deus, qui omnipotentiam tuam parcendo maxime et miserando manifestas.* Si rex quisquam dives ac præpotens in hoc mundo juxta divitiarum magnitudinem et potentiam suam, obsessa civitate lætum de hostibus triumphum re-

ferret, nullus fortassis considerata fortitudine et potestate ejus de victoria miraretur. At si forte contingeret, ut idem dives et præpotens homo, sive filius ejus, ab inferiori aliqua persona in faciem cæderetur, injuriis et contumeliis afficeretur, nonne si hoc ulcisci nollet et clementer ignosceret, magis de clementia ignoscendi quam de crudelitate vindicandi potentia ejus laudaretur et prædicaretur? Si homo mortalis per talem patientiam et misericordiam potentiam suam præcipue manifestat, multo magis Deus, qui major et melior et potentior est omnibus, miserando et parcendo peccatoribus omnipotentiam suam declarat. Non enim solummodo potentia ejus vocatur, quod se ulciscitur **788** de malis, quod in cœlo et in terra dominatur, sed hoc magis omnipotentia ejus est et omnipotens misericordia, quod malos tolerat, peccatoribus misereri et parcere novit, et inde amplius laudatur, diligitur et prædicatur.

Quod, quia ita est, *multiplica*, o Deus, *super nos misericordiam tuam*, ut tibi sicut nos docuisti, confiteri, tibi corde contrito placere, tibi satisfacere, tibi in humilitate bona nostra custodire valeamus, *ut ad tua promissa currentes*, hoc est tuæ visitationis tempus agnoscentes, ingressum tuum in templum cordis nostri mereamur, et ejectis vendentibus et ementibus, malignis videlicet spiritibus, domus nostra sit domus orationis, in qua nunc jugiter docendo nos sedeas, ut cœlestium bonorum mereamur fieri consortes, ubi perpetuo in nobis sis quiescens et regnans. Quod ipse præstare dignetur qui vivit et dominatur per infinita sæcula sæculorum. Amen.

789 HOMILIA LXXVIII.

IN DOMINICAM XI POST PENTECOSTEN PRIMA.

Duo homines ascenderunt in templum, ut orarent, unus Pharisæus et alter publicanus (*Luc.* XVIII).

Sicut superioris Dominicæ Evangelio, appropinquante Jesu et flente super civitatem Jerusalem piam et misericordiam ejus erga peccatricem quamlibet animam advertimus visitationem, sic hodiernæ lectionis mysterium modum præscribit bonæ conversionis, quem vere operari debet in homine donum Spiritus pietatis.

Duo, inquit evangelista, *homines ascenderunt in templum ut orarent.* Templum quodlibet manufactum collecta lapidum diversitate surgit in altum, in quo non alterius rei frequentanda sunt negotia, sed continuæ pacis et laudis habenda est memoria. Per hoc templum manufactum, quantum ego video, bona quælibet intelligitur congregatio, quæ de vivis et electis lapidibus, beatis videlicet animabus collecta et constructa, quotidie proficit in altum, dum de virtute in virtutem proficiens, dignum Deo omnipotenti sese præparat templum. Corda enim electorum divinæ mansionis sunt locus, testante Paulo apostolo, qui ait : *Templum Dei sanctus est, quod estis vos* (*I Cor.* III, 17). Et ipse Dominus de quolibet dilectore suo : *Veniemus*, inquit, *et mansionem apud*

A *eum faciemus* (*Joan.* XIV, 23). Ad quod profecto templum non facili et laborioso valde ascensu pervenitur, quia ascensiones in corde suo disponentibus laboriosior tunc erit ad virtutes ascensus, quam prius ad vitia fuerit latam et spatiosam sæculi viam incedentibus.

Post illud ascendere bene subinfertur verbum hoc *ut orarent*, quia nimirum ascendentes isti nequaquam torpori et ignaviæ debent subjacere, sed totis viribus ad proferendos bonæ operationis fructus insudare, quod est utique *orare*. Non enim solummodo vocatur oratio cordis compunctio, et verborum ad Deum frequentatio, sed tota vita hominis quasi oratio esse dicitur, **790** si sancte, si juste vivere, si immaculatum cor habere pro posse

B conatur. Tunc sermo apostoli *sine intermissione orare* (*I Thess.*, V, 17) præcipientis adimpletur, si talis vita hominis erit, ut habitus vitæ ejus et conversationis sit coram Domino velut acceptabile thymiama orationis.

In duobus hominibus istis unus idemque homo quilibet potest accipi, qui, licet qualitatem non habeat in essentia, est tamen, ut mihi videtur, non unus, sed quasi duo, quando in templum venit quia in primordio conversionis semper caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem, et hi duo homines, exterior videlicet et interior, innumerabiles inter se patiuntur certaminum molestias. Horum duorum hominum repugnantiam Paulus in se sentiebat, quando gemebundus ait :

C *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis* (*Rom.* VII, 22, 23). Qui duo homines demonstrantur, dum dicitur : *Unus Pharisæus, et alter publicanus. Pharisæus* interpretatur *divisus.* Et congrue tunc homo divisus, et a Deo divisus dici potest, quando per hoc solummodo, quod sæculum reliquit, ad perfectionem quamdam sese pervenisse arbitratur, et quantum adhuc imperfectionis coram oculis summi inspectoris habeat, veraciter non intuetur. Unde apte subjungitur :

Pharisæus autem stans hæc apud se orabat. Idcirco

D *stare* dicitur, licet non stet in veritate, quia in consideratione sui se existimat stare, solumque pro hoc retributionis gloriam exspectat, quod prioris vitæ abrenuntiavit voluptatibus. Stans autem hæc apud se orasse dicitur :

Deus, gratias tibi ago, quia non sum sicut cæteri homines, raptores, injusti, adulteri. Cum innumera sint flagitia, **791** quæ Deo odibilia sint et gravia, videtur mihi, quod tria hæc ideo præ cæteris nominatim excipiantur, quia universa vitia his tribus innexa et omnino cohærentia inveniuntur. Sicut enim tria sunt bona principalia, in quibus totius salutis nostræ consistit summa, diligere videlicet Deum toto corde, tota anima, tota mente : sic e diverso tria hæc, rapina, injustitia, adulterium, mor-

tem afferunt et vitam animæ, quod est Christus, A adimunt. Per hæc tria Deus omnipotens honoratur, et diligitur, per ista tria, si non caveantur, contemptui omnino habetur. Toto corde, id est toto intellectu diligit, qui se ab amore carnalium illecebrarum sequestrans, quid de Deo Creatore et Redemptore suo credere et intelligere oporteat, agnoscit, et hunc bonum intellectum cordis totum convertere satagit ad servitium sui Creatoris et Redemptoris. Diligit tota anima, id est tota voluntate, qui, ut Domino, cui se devovit, complaceat, totam cordis voluntatem ad bonæ operationis dirigit pietatem. Diligit tota mente, id est tota memoria, qui in omnibus memor Domini sui, non extollitur per prospera, nec nimium dejicitur per adversa. Quicunque per hæc tria bona non profecerit, nec tali modo Dominum Deum dilexerit, B *raptor est*, *injustus* est. *Raptor* est malus et indignus, qui toto intellectu suo Deum non diligit, sed intellectum et ingenium bonum de Deo avertit, quid Creatori et Redemptori suo debeat, scire contemnit. *Injustus* est qui, sicut intellectu, ita etiam voluntate sua a Deo avertitur, et per desideria mala illectus quotidie ad pejora labitur. *Adulter* est, cum (quod dici nefas est), sponsam suam, æternam videlicet Dei sapientiam, cujus amator esse deberet, deserit, et adulterinis mundi amplexibus tota mente, tota scilicet memoria sese interserit, toto amore se supponit.

Inde ergo Pharisæus iste gratias agit, quod non C sit sicut cæteri hominum, raptores, injusti, adulteri. Ac si dicat: Raptoris nomen non teneo, quia totum intellectum ad diligendum Deum et Dominum meum pro posse meo mancipavi. **792** Injustus non sum, qui tota anima, id est tota voluntate ei deservire, et ei subjici sum paratus. Adulter non sum, quia omnem mundi concupiscentiam tota mente, tota scilicet memoria mea eliminavi et abjeci. Et his bonis sublimatus, non sum *velut etiam hic publicanus*. Non sum ille, inquit, qui in publicis aliquando negotiis implicitus fas nefasque glomeravi, quod libuit, quamlibet infame, licitum putavi.

Jejuno bis in Sabbato, decimas do omnium quæ possideo. Bino Sabbati jejunio, quantum mihi videtur, corporis et animæ exprimi valet castigatio, D qua *in Sabbato*, in requie scilicet spiritalis vitæ gloriatur, et dum perfectionis tenorem sese apprehendisse autumat, quasi jejunus a vitiis sabbatismum celebrat. *Decimæ omnium quæ possidentur*, debita Deo sunt officia sensuum, quos perfecte se dicit possidere, dum omnium, quæ gerit, summam et perfectionem in Dei opus se existimat referre. Pharisæus itaque iste, eo quod tot de se bona intumescendo enumerat, male prius stetisse perhibetur, sed invisibili dono Spiritus sancti admonitus, deposita paulatim mentis arrogantia, meliori via stare conatur, et, quasi longo laboris exercitatus studio, ad profundam cordis humilitatem pervenit, secundum quod evangelista subjungit:

Et publicanus a longe stans, nolebat nec oculos ad cœlum levare, sed percutiebat pectus suum dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori. Stat publicanus a longe, quando jam non alta, sed humilia de se homo sentire incipit, et indignum ac reprehensibilem seipsum dijudicat in vera peccati cognitione *Nolle* vero *oculos ad cœlum levare*, est ex profunda cordis radice se humiliare. Pectus percussionibus atterere est pro perpetratis flagitiis digne Deo satisfacere. Interiora enim cordis abdita, unde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, blasphemiæ, propriis, si posset, fortasse manibus cruentaret, ut vel sic Deo satisfaceret, ac tentationum certamina exsuperaret.

793 Et quia post salutiferam peccati cognitionem, veramque cordis humilitatem, dignamque satisfactionem, noxiam tollit confusionem, ut necessariam esse demonstret confessionem, mox januam oris aperit in pœnitentia confessionis dicens: *Deus, propitius esto mihi peccatori*. Tanto enim gravius soli Domino se peccasse confitetur, quanto illum puriorem et sanctiorem præ omnibus mortalibus intuetur. Hinc quantum unusquisque in cognitione peccati veraciter debeat humiliari, et quam fructuosa sit satisfactio, si digna non desit confessio, David propheta innuit dicens: *Quia misericordiam et veritatem diligit Deus; gratiam et gloriam dabit Dominus* (*Ps.* LXXX, 8). Diligit Dominus misericordiam, quia diligit, ut peccator pia super animam suam moveatur misericordia in vera peccati cognitione, ne facile proprii cordis contemnatur miseria, juxta quod scriptum est: *Miserere animæ tuæ placens Deo* (*Eccli.* XXX, 24). Diligit et veritatem, dum veram et voluntariam piæ mentis approbat humilitatem. Dabit et gratiam, quia coram oculis summi Judicis gratiam invenit, qui dignæ satisfactionis munus Domino obtulerit. Sequitur et gloria, quia propositum Dei et sententia pacis erit super confitentes ei. Et vere beatus, cui jam peccata non imputantur, ubi dissimulante Deo mala ipsius et remunerante bona, miro modo etiam mala in bonum cooperantur. Vel sic: *Misericordiam et veritatem diligit Deus*. Misericordiam, ut cognoscamus peccata nostra; veritatem, ut confiteamur peccata. *Gratiam et gloriam dabit Dominus*, gratiam in peccati remissione, gloriam in peccatoris justificatione vel præmii remuneratione. Sequitur:

Dico vobis: Descendit hic justificatus in domum suam ab illo. Vere bonum descensum facit, qui ex profundæ humilitatis radice seipsum submittit. *In domum suam*, quia non alienam, sed proprii cordis perscrutatur scientiam. *Ab illo*, ab illo utique, qui prius fuerat Pharisæus, superbus et elatus, humilis jam in oculis suis publicanus.

794 *Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur. Omnis qui se exaltat* per superbiam, cooperante et adjuvante Deo humiliabitur per pœnitentiam, *et qui se humiliat* per pœniten-

tiam, *exaltabitur* per veram justitiam et innocentiam.

Ad hunc sensum evangelicum magnam habet aptitudinem Oratio hodierna, quæ in duo membra divisa, ad duos homines, Pharisæum et publicanum respicit. Primum membrum : *Omnipotens sempiterne Deus, qui abundantia pietatis tuæ et merita supplicum excedis et vota*, ad Pharisæum, qui merita sua jactabat, et vota sua Deo grata iste putabat ; secundum membrum : *Effunde super nos misericordiam tuam, ut dimittas quæ conscientia metuit, et adjicias quod oratio non præsumit*, ad publicanum, qui nec oculos ad cœlum levare volens, eo quod conscientia peccatrix eum remordebat, tantum peccatorum remissionem efflagitabat.

Duo autem homines isti, sicut in lectione evangelica præmisimus, unus idemque est homo, qui in primordio conversionis suæ Pharisæus, postmodum seipsum veraciter agnoscens, humilis in oculis suis fit publicanus, et ex abundantia divinæ pietatis, quæ et merita supplicum excedit et vota, multum confidens, dimitti sibi per misericordiam Dei peccata, quæ commisit, humiliter precatur, et remunerationem æternorum, quam oratio nondum præsumit, adjici sibi exorat. Quæ autem *merita* et *vota* nostra sunt? Sunt, ut mihi videtur, *merita* hominis peccatoris abrenuntiare sæculo, peccata relinquere, converti ad Dominum. *Vota* vero ejus sunt, quando in bona conversatione jam stabilitus, sub sancta professione Deo se semper serviturum promittit, et nulla ratione hæc vota irrita fieri aliquando consentit. Hæc *merita* et hæc *vota* sunt ex pietate Dei, quia nec converti de sæculo, nec vota sua Deo quisquam offerre potest nisi ex dono Dei.

795 Præterea quærendum quid *pietatis* ejus, et quid *abundantia pietatis* ejus sit? *Pietas* ejus est, quando hominem vocat, et venire facit de sæculo. Et hæc pietas ejus magna et prædicanda. *Abundantia* vero *pietatis* ejus est, cum in bona conversatione eo usque electum suum ducit et provehit, quod promeretur remissionem peccatorum et operationem virtutum, et post hæc, *quod oratio non præsumit*, remunerationem dabit æternorum præmiorum. Hæc oramus, et hoc optamus in Oratione hodierna, ut ille cujus pietate sunt merita et vota nostra, supereffluenti abundantia pietatis suæ effundat super nos misericordiam suam, ut in his quæ conscientia metuit, mereamur remissionem, et virtutum operationem, et in futuro æternorum bonorum remunerationem.

Spectat ad hæc Introitus missæ, quem in templum hoc spiritalem vitam ingressus merito imponit, congrue non verborum strepitu, sed ex cordis affectu Deum invocans et dicens : *Deus in loco sancto ejus, Deus, qui inhabitare facit unanimes in domo, ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suæ* (*Psal.* LXVII, 6, 7, 36). Ac si dicat : Sentio et video quia tu Deus in loco sancto isto, eo quod concordia et unanimitas sit in hac domo tua, et ideo, qui das virtutem et fortitudinem plebi tuæ, necessariam quoque mihi virtutem et fortitudinem tribue.

Nec discordat ab his Lectio hodierna, in qua Paulus quiddam de se loquitur, quod homini peccatori, sed pœnitenti satis convenire videtur : *Tradidi*, inquit, *vobis imprimis quod accepi, quomodo Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum Scripturas, et quia sepultus est, et quia resurrexit tertia die secundum Scripturas, et quia visus est Cephæ et post hæc undecim. Deinde visus est plusquam quingentis fratribus simul, deinde apostolis omnibus. Novissime autem omnium tanquam abortivo visus est et mihi. Ego enim sum minimus apostolorum, qui non sum dignus vocari apostolus* (*I Cor.* XV, 3-9). Per Petrum, qui est Cephas, bonus quilibet prælatus, **796** per undecim apostolos et alios quingentos fratres boni et spiritales homines possunt accipi, qui Deum, quantum in hac vita fas est, in cordibus suis videre et contemplari meruerunt, in quorum medio iste conversatus, de illorum jugi et quotidiana contemplatione congaudet, et de se abjecta et indigna sentiens, *novissime*, inquit, *omnium tanquam abortivo visus est et mihi. Ego enim sum minimus*, quia peccator sum inutilis et indignus; *gratia autem Dei sum id quod sum* (*ibid.*, 10), quia quod mundum reliqui, et portum quietis hujus intravi, ex singulari dono ejus accepi.

Additur post hæc, et cantatur : *In Deo speravit cor meum, et adjutus sum, et refloruit caro mea* (*Psal.* XXVII). Quod est utique vox conversi peccatoris, sic dicentis : In mundo et peccatis adhuc positus spem habui in Domino, et ecce adjutus sum, et refloruit caro mea, corpus videlicet meum ad principium bonorum operum. Et bene dicitur, *refloruit*, quia sicut in flore spes est fructus, sic in eo quod venit, et mundum reliquit, flos quidam est, et in hoc flore spes manet majorum bonorum et futurorum gaudiorum. Et quia sic adjutus est, et sic refloruit caro ejus, *ecce*, inquit, *ex voluntate mea confitebor ei* (*ibid.*, 7). Quid est, *ex voluntate mea confitebor ei*? Hoc est laudabo et glorificabo eum tota voluntate mea, et pro omnibus bonis ejus sempiternas laudes, quoad vivo, frequentabo. *Ad te, Domine*, inquit, *clamabo, Deus meus, ne sileas a me ne quando taceas a me, ne discedas a me* (*ibid.*, 1). Oro, inquit, o Domine, quia clamo ad te, ne sileas a me, hoc est ne sis absconditus mihi, sed dare, sed præstare digneris operationem virtutum. Vel sic : Oro te, ne sileas a me, ut remissionem peccatorum nunc mihi tribuas, ne quando taceas, id est ne quandoque taceas in judicio tuo reprobando me et damnando, dum audire recusas dicentes : *Domine, Domine, aperi nobis*.

Imponitur Alleluia, quod laudem significat. *Domine Deus salutis meæ, in die clamavi et nocte coram te* (*Psal.* LXXXVII, 2). Laus et gratiarum actio est ista vox peccatoris. Et est quasi dicat : Tu Deus salutis meæ, tu salvasti me, tu adjuvisti me. **797** Et idcirco die ac nocte clamabo coram te *die*, id est lætis et prosperis, *nocte*, id est in adversis semper te

laudabo, et magnificabo; ad te solum respiciens coram te clamabo.

Ad hæc Offertorium congruit, in quo iterum in laudem prorumpit dicens? *Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me* (*Psal.* XXVIII, 2); inimicos, dico, invisibiles hostes meos, non delectasti in perditione mea.

Et bene post ista omnia in fine missæ fit, ut ita dicam, quædam exhortatio in Communione, quomodo ille qui tali ordine progreditur, vitam suam coram Domino debeat disponere. *Honora Dominum de tua substantia* (*Prov.* III, 9). Videtur mihi quod substantia ista corpus et animam nostram possit designare, in *primitiis frugum* custodia sensuum, in *horreis* quinque sensus nostri, visus, auditus, gustus, odoratus et tactus. In qua substantia nostra
B Deum fideliter honoramus, quando pro ejus amore bonis operibus insudamus, et ei primitias frugum nostrarum damus, dum ante omnia custodiam sensuum exteriorum et internarum cogitationum munditiam habere studemus, ut videlicet, quando primum nocte et **798** mane surrexerimus, ipse solus primus cogitetur, invocetur, suscipiatur, et ita vere primitiis nostris honorasse Deum videbimur.

Sed et alio modo primitiis nostris eum honoramus, si nullis terrenis actionibus vel operibus antea insistimus, donec debitum et consuetum famulatum ei exhibuerimus, quia tunc omni die eo adjuvante majoris prosperitatis salus et gratia ad universa quæ agenda sunt, occurrit. Horrea quoque nostra
C implentur saturitate, quando totis sensibus nostris ita doctrinam Dei suscipimus, ut exinde saturati pinguedinem et fructum animabus nostris acquiramus. Quisquis enim verbum Dei audit, et sine fructu audit, ille utique non saturatur, nec inde pinguescit, sed quasi jejunus fame tabescit.

Et vino torcularia redundabunt. Per torcularia corda nostra accipe, in vino dulcedinem Dei. Impletis horreis nostris saturitate redundabunt torcularia nostra vino, id est corda nostra expressa et compressa timore et amore Dei redundabunt vino compunctionis, vino internæ dulcedinis, quod potatum et prægustatum in hac vita vere lætificat cor hominis.

799 HOMILIA LXXIX.

IN DOMINICAM XII POST PENTECOSTEN PRIMA.

Exiens Jesus de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilææ inter medios fines Decapoleos (*Math.* VII).

Septem istis Dominicis septem dona Spiritus sancti assignavimus. Primum donum spiritus timoris, Dominicæ primæ, in qua subversio et destructio civitatis Jerusalem describitur, in qua subversione et destructione murorum nihil aliud nobis insinuari existimo, nisi, ut homo peccator per spiritum timoris adjutus, videat et recogitet, ne hoc in morte patiatur, quod Dominus civitati illi futurum comminabatur. Et bene donum spiritus timoris primum est in munere, quia si homo gehennam et æternæ
A damnationis sententiam non timeret, sero vel nunquam sæculum relinquere et ad Deum converti diligeret.

Initiatus autem et compunctus per spiritum timoris transit ad spiritum pietatis, quod donum Spiritus sancti ad sequentem Dominicam respicit, quando homo templum, id est spiritalem vitam ingreditur, ut ibi adoret, quatenus pro admissis sceleribus veniam consequatur. Et non incongrue, ut video; illa Dominica ad spiritum pietatis respicit, quia magna pietas est Dei omnipotentis, cum hominem peccatorem exaudire et peccatis ejus propitiari dignatur.

Post ista duo dona tertium donum spiritus scientiæ subsequitur, quod tertium donum tertiæ huic Dominicæ, in qua surdus et mutus a Domino curatus est, non injuste ascribitur. Est enim vere magnum donum Spiritus sancti, quando homo incipit scire quod aliquando nesciebat, hoc, inquam, scire quod seipsum nesciebat, quod, qualis erat peccando, non videbat, quod surdum se et mutum fuisse non agnovit. Qui, ut dixi, dono spiritus scientiæ illuminatus, dum vere se surdum et mutum fuisse cognoverit, et quod totum tempus vitæ suæ Deo contrarie vivendo inutiliter peregerit, et dum aliorum vitam, qui Deo in bonitate et simplicitate cordis sui deserviunt, intuetur, nonne tibi videtur merito **800** Deum invocare, et superni adjutorii opem quærendo hodierni officii Introitum ex corde decantare: *Deus, in adjutorium meum intende; Domine, ad adjuvandum me festina* (*Psal.* LXIX, 2). Scio, inquit, o Domine, et cognosco quod hucusque inutiliter vixi, et tibi valde contraria, mihi inutilia, factis, dictis et cogitationibus peregi. Et nunc, Domine, in hac sancta conversatione, prout dignum esset, nescio te laudare et honorare. Ideo *in adjutorium meum intende, ad adjuvandum me festina*, ut tuo munere et tua gratia dignam tibi pro peccatis meis satisfactionem exhibere, et dignam nomini tuo laudem valeam offerre.

Ad hæc verba oratio non discordat hodierna, in qua sic oramus: *Omnipotens et misericors Deus, de cujus munere venit ut tibi a fidelibus tuis digne et laudabiliter serviatur, tribue, quæsumus, nobis, ut ad promissiones tuas sine offensione curramus.* Est enim mira dignatio et misericordia omnipotentis
D Dei, cum ista per spiritum timoris, et pietatis et scientiæ in homine operatur, et ut ei digne et laudabiliter serviatur, inspirare dignatur. Quid est *digne et laudabiliter* ei *servire? Digne* Deo servit qui digna et bona opera corpore operatur. *Laudabiliter* servit, qui eadem bona in humilitate cordis custodit, et pro eisdem bonis actibus suis laudem terrenam non quærit. Et qui sic digne et laudabiliter Deo servierit, ad promissiones ejus sine offensione currit. Quæ sunt *promissiones* ejus, nisi beatitudo et gloria æternæ vitæ? Ad has promissiones sine offensione currit, qui sibi nil de bonis actibus attribuit, sed ei totum, a quo totum, quod habet, accepit, ascribit. Nimis enim offendit qui Deo, quod suum est, tollit, et sibi, qui per se nil valet, nil habet, attribuit.

Hinc Paulus idem in Lectione hodierna commendat, qui nos sine offensione currere docet, dicens : **801** *Non quod sufficientes simus cogitare aut dicere aliquid ex nobis, quasi a nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Quod si ministratio mortis fuit in gloria, quomodo non magis ministratio spiritus erit in gloria?* (*II Cor.* III.) Ministratio mortis fuit, quando ea operabamur, per quæ mortem animæ incidimus. Quæ ministratio mortis fuit in gloria, cum pro his, quæ male gessimus inaniter lætari et gloriari dignum duximus. Quod si in his, quæ Deo odibilia erant, extolli et gloriari non verebamur, quid mirum quod de bonis actibus nostris suggerente tentatore nostro inutiliter gloriamur et extollimur? Primus ille parens noster Adam in paradiso vana gloria tentatus est et superatus. Secundus Adam, cujus vita et conversatio ultra omnes mortales fuit, per vanam gloriam se tentari permisit. Et ideo mirum non est, si eodem vitio etiam perfectissimi impugnentur, qui tamen, etsi impugnantur, exemplo Domini sui non superantur. Ecce quomodo Oratio Lectioni et Lectio Orationi concordet, audisti, vide quomodo et Evangelium non discordet, ubi Dominus facto miraculo in exemplum nostri ad fugiendam vanam gloriam, præcepit ne cui dicerent.

Ergo quia cuncta simul invicem respondent et concordant, audi quod non incongrue ad sanatum respiciat Offertorium, cujus bene audientis, recte ex Dei munere loquentis, hæc, ut mihi videtur, verba sunt : *Precatus est Moyses in conspectu Domini Dei sui, et dixit : Quare, Domine, irasceris in populo tuo? Memento Abraham, Isaac et Jacob, quibus jurasti dare terram fluentem lac et mel* (*Exod.* XXXII). Moyses interpretatum dicitur *de aqua sumptus*. Quod nomen bene homini illi congruit, qui *de aquis*, id est de carnalibus hujus mundi concupiscentiis eductus et liberatus fuerit. Sed et tunc nomen Moysi, id est de aqua sumpti juste ei imponitur, cum Deo donante pœnitendo et lugendo in aquis lacrymarum crimina sua diluere et emundare potest, et per eas mundus jam coram Domino effectus, bene dicitur de *aqua sumptus*. Ille talis Moyses quid orat, quid precatur? *Memento Abraham, Isaac* et *Jacob*. In tribus nominibus istorum **802** Patrum tres virtutes fidem, spem et charitatem accipe : in Abraham fidem, in Isaac spem, in Jacob charitatem, *Memento*, inquit, *Abraham, Isaac et Jacob*. Ac si homo mediatorem suum Christum Dominum in hæc compellet verba : *Memento Abraham*, hoc est memorare, Domine, fidei meæ, quam tibi ostendi et exhibui. Licet enim modica sit et indigna fides mea, tamen in hoc fidelis coram te volo inveniri et æstimari, quod mundum reliqui, et ad te confugi, ad te veni. Memento quoque *Isaac*, id est immensæ spei meæ recordare, qua in te et de te confido, sperans me per te cunctorum remissionem accipere peccatorum, et dimissis tandem peccatis meis, tuorum me quandoque in æterna vita participem fieri gaudiorum. Memento etiam *Jacob*, dilectionis dico meæ, qua te et proximum meum, inquantum tu dederis, diligere curabo.

Item alio modo potes accipere quod dicit *Memento Abraham, Isaac et Jacob*. Nam idem est ac si dicat : sicut quondam electus tuus Abraham, primus omnium propter amorem tuum terram et cognationem suam reliquit : sic et ego, etsi minus perfecte, hujus imitator factus, terram meam, cognationem meam, omnium amicorum meorum solatio destitutus reliqui. Unde quia, quantum te donante potui, feci, sit, quæso, in conspectu tuo acceptabile, et memor esse digneris, qui etiam voluntates bonas comprobare dignosceris. Memento quoque *Isaac*. Isaac quondam oblatus est tibi jugulandus et immolandus, et nisi divinitus pater admonitus fuisset, filium occidisset. Sed et in hoc aliquid habeo, quod imitatus sum ex parte. Isaac ille tuus sum ego, qui tibi, Domine, corpus et animam meam obtuli et sacrificavi, quotidie pro te immolor et sacrificor ; et si invitus aliquando patior, tamen, quia districta est regularis vitæ disciplina, totum propter te sustineo. Et hoc, quæso, gratum tibi sit et acceptum, qui dignanter intueris vota et sacrificia humilium. Memento etiam *Jacob*, qui Laban pro Rachel et Lia diu servivit, nocte et die, gelu et æstu urebatur. Jacob tuus, servus utique tuus sum, si nosse digneris, **803** qui me spontanee in servitutem tuam contradidi, et sicut Jacob pro Rachel et Lia servivit, sic et ego pro activa et contemplativa vita tibi deservio : pro activa, inquam, vita, ut aliquid in hac vita tibi placitum, mihi necessarium, in virtutum operatione exercere valeam ; pro contemplativa vero, ut de tua dulcedine interim modicum quid accipiam, et post hanc dulcedinem æternæ suavitatis satietatem obtineam. Jacob quondam nocte et die, gelu et æstu urebatur, et ego nunc gelu, nunc æstu nimio deficio. Gelu durissimum mihi imminet, quandocunque dilectionis tuæ ardor in me exstinctus fuerit ; æstu nimio afficior, quando non solum malarum concupiscentiarum, sed et iræ, invidiæ, inanis lætitiæ, immodicæ tristitiæ ignibus absumor et excrucior. Horum omnium, Domine, dignanter recordare, et quemadmodum jurasti Abraham, Isaac et Jacob dare terram fluentem lac et mel, sic et mihi da interim *lac*, id est doctrinam parvulorum. Da et *mel*, ut capere et imitari queam doctrinam perfectorum.

Et quid post tantas Moysi preces facturus erat Dominus? Audi quid sequitur : *Et placatus factus est Dominus de malignitate quam dixit facere populo suo* (*Exod.* XXXII, 14). Facturus est modo et ita Dominus populo suo, genti suæ, quæ ei tota se devotione committit. Placatur de malignitate sua, quando debitam peccatis nostris amovet ultionem ; placatur de malignitate sua, cum id quod in nobis male vivit, sedatum et quietum esse facit. Sic placato Domino nunquid non bene in vocem laudis et gratiarum actionem quivis homo, qui aliquando surdus et mutus erat, erumpere potest dicendo :

Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus A *ejus in ore meo? In Domino laudabitur anima mea, audiant mansueti et lætentur?* (*Psal.* XXXIII, 2-3.) Item *Alleluia* imponit, ut majoris laudis reverentiam Domino exhibeat: *Domine, refugium tu factus es nobis a generatione et progenie* (*Psal.* LXXXIX, 1). Quod est dicere: Tu, Domine, solus refugium meum, qui liberasti me a generatione pravorum et iniquorum, et perduxisti ad progeniem justorum hominum. Et, quia hoc dignanter fecisti, peto, Domine, ut de temporali progenie justorum ducas me 804 ad immortalem generationem sanctorum tuorum.

Ad hæc omnia magnam congruentiam habet evangelica lectio, in qua et consolationem et doctrinam magnam habemus. Consolationem dico in B hoc quod hunc sanare dignatus est propter aliorum hominum petitionem, qui per se nullam salutem quæsivit. Et exhinc colligere possumus quod nunquam pereat, quem communis sanctæ Ecclesiæ oratio adjuvat, licet per se minus, quam deberet, Domino supplicare videatur; et si talis aliorum precibus adjuvatur et liberatur, multo magis salvus erit, qui et pro se orare, et pro quo sancta Ecclesia non cessat orare.

Lucet et ex alia parte doctrina Domini, cujus non solum dictis instruimur, verum etiam omnibus operibus ejus docemur et ædificamur. Unde, sicut mihi videtur, quod evangelista tali diligentia descripsit, quo pergeret, quo deveniret, non sine C certi causa mysterii fecit, sed, sicut dixi, quia totum quod gessit, doctrina nostra fuit. Illo Dominico exitu iter illud et exitum demonstrat, quem Dominus in homine beato, quem ad vitam prædestinavit, facere dignatur.

Exiens, inquit, *Jesus de finibus Tyri per Sidonem ad mare Galilææ, inter medios fines Decapoleos.* In Tyro, quod interpretatur *angustia*, homo habitat, quando mundum adhuc tenet, mundum quærit et diligit. Sed inter ipsa mundi gaudia nonnunquam Deo donante angustiatur, dum reminisci cœperit, quia si ita mors extrema eum invenerit, quod æternæ damnationis sententiam subibit. Et hæc talis angustia maxime homines sæculum relinquere facit. Si enim quisque sciret, se tantum in hoc D mundo victurum, et quod post bona præsentia futura regni Dei gaudia possideret, nunquam ad Deum converteretur, nunquam mundum relinqueret, quin potius, etsi ad votum omnia non suppeterent, propriam tamen voluntatem ante omnia habere placeret. Sed, dum Dominus Jesus, qui omnia operatur in omnibus, *exitum* facit in eo, ita, quod eum de mundo exire fecerit, bene potest dici quod Jesus *exierit de finibus Tyri.* Exitum enim 805 istum duo quidam fines faciunt in homine, Spiritus videlicet timoris et pietatis, quia per timorem et pietatem homo incipit facere finem angustiarum suarum. Inde solita est illa vox conversorum, in spe æternæ vitæ adipiscendæ jam quiescentium: Ecce, inquiunt, imposuit Dominus finem angustiis meis.

Exitu isto facto, id est relictis prioribus angustiis, veniat necesse est *per Sydonem*, quando peccata præterita et bestialem vitam suam in seipso insequitur et persequitur et corde pœnitendo et ore confitendo, et hoc tandiu, donec Deo miserante in exstinguantur et mortificentur.

Post hæc restat ut veniat *ad mare Galilææ.* Pro mare amaricatum per pœnitentiam cor hominis accipe, quod merito tunc amaricatur, cum multiplices vanitates suas intuetur. Quamvis enim multum de infinita pietate Domini confidat, tamen, dum meditari et recogitare incipit quam justus Judex sit Dominus, quod nunquam obliviscitur, sed scire vult, quem nihil latet quot monita, quot annos, quot dies, in quibus Deo servire debuit, inutiliter vixerit, flere dulce habet, et inquantum delectabiliter peccavit, intantum amariter pœnitere et lugere diligit. Ex hac autem amaritudine *transitum* quemdam, quod *Galilææ* sonat, facit, quia de peccatis ad virtutes transit, et lætis in Domino succedentibus tristitia cuncta superabit. *Inter medios*, inquit, *fines Decapoleos.* Per *Decapoleos* decem præcepta sive decem sensus interioris et exterioris hominis possunt accipi. Sed, si ad decem præcepta volumus referre utrosque *fines* decem præceptorum, primum et ultimum videamus.

Et, ne absurdum tibi videatur quod primum præceptum finem nominavi, sicut et ultimum, audi quod uniuscujusque rei pars prima tam proprie vocitetur finis sicut et ultima pars ejusdem rei. Primus finis eorumdem præceptorum est: *Non habebis Deos alienos in conspectu meo;* ultimus vero; *Non concupisces.* Deos alienos sibi facit qui aliquid præter Deum diligit, et quidquid illud est, quod homo Deo præponit et diligit, recte Deus ejus 806 nominatur. Concupiscit vero qui peccati consensum recipit, et quisquis consentiendo peccato delectatur, quasi jam peccati actum perpetravit, quemadmodum et Dominus in Evangelio ait: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo* (*Matth.* V, 28). Ille autem non concupiscit, qui, etsi peccati cogitatione subito impellitur, tamen ad peccati actum perficiendum non delectatur. *Inter* hos itaque *fines* medium Jesum tenemus, si deos alienos nobis non facimus, hoc est, si nihil in hoc mundo amori Dei præponimus. Non concupiscimus quoque, si delectationibus malis nullum consensum præbemus. Et quia ad utrumque hominem utraque mandata respiciunt, unum ad interiorem, aliud ad exteriorem, diligendo Deum animam custodimus, non concupiscendo corpus a malis actibus conservamus. Sic Deum super omnia diligendo, sic a malis abstinendo fiet quod subjungitur:

Et adducunt ei surdum et mutum, et deprecabantur eum, ut imponat illi manum. Quinam *adducunt surdum et mutum* nisi aut sancti angeli, quorum immissionibus bonis et sanctis homo nonnunquam

adjuvatur; sive voluntates bonæ et desideria sancta, quibus desuper missis ad Deum ducitur! Et bene dicitur *surdus et mutus*. Quando enim primum de sæculo venit, in ea parte adhuc *surdus est*, quod verbum Domini utiliter audire non potest. *Mutus* quoque est quia nil boni cum Deo et de Deo loqui potest. Cum enim ad tempus orationis convertitur, venit mundus et obduratum eum non permittit quidquam cum Deo loqui aut orare, et innumeris cogitationum turbis impeditus, dum alii in magna dulcedine cordis coram Deo assistunt, ipse quasi mutus tacet; quia turba illa, quæ cæcum, ne clamaret, increpavit, hunc, ne ad Deum clamet, impedit et obsistit. Et quia sic obsurduit, et miserabiliter obmutuit, necessarium est ei ut bona desideria adducant eum per affectum, deprecentur per actum, ut Deus omnipotens manum imponat, id est ut ille intus in corde hominis opus suum operari incipiat. Quod, dum dignanter **807** fecerit, et bona operari in homine cœperit, *apprehendit eum de turba seorsum*. Ecce turba, de qua diximus, ecce turbati sensus hominis, quorum perturbationibus nec bonum loqui, nec bonum audire potuit. Sed apprehensus a Domino de turba seorsum ducitur, dum de importunis cogitationum tumultibus liberatur.

Mittuntur post hæc *digiti in auriculam*. In digitis Dei dona Spiritus sancti, vel in digitis Dei verba Domini possunt accipi. Isti Domini digiti non in aurem, sed in *auriculam*, quod diminutivum verbum est, mittuntur, quando verba et sermones Domini humili corde audiuntur, et in nimia dulcedine suscipiuntur, sicut et Salomon ait: *Animæ esurienti amara dulcia sunt; anima vero satiata favis illudit* (*Prov.* XXVII, 7). Anima esuriens est, quæ Deum vere esurit et sitit. Huic sapit et vere dulcescit quidquid de Deo audierit; dulce est ei et jucundum, quandocunque in verbo Domini de peccatis suis admonita compungitur, quia revera ex hac pœnitudine, quam habet pro peccatis suis, pervenire meretur ad interiorem illam dulcedinem cordis. Anima autem satiata favis illudit, quia profecto anima illa, quæ satiata est vanitatibus hujus sæculi, favis verbi Dei illudit et audire contemnit. Missis digitis in auriculam sputo tangitur lingua, sicut consequenter evangelista subjungit:

Et expuens tetigit linguam ejus. In sputo, quod ex capite defluit in os, dulcedo illa quæ de capite nostro Jesu Christo ad nos descendit, potest designari. Hoc profecto sputo tangitur lingua hominis, cum intus divino sapore tactus, talem linguam habere incipit, per quam recte Deo peccata sua valeat confiteri, ut videlicet is, qui prius delicta sua solummodo propter metum gehennæ confitebatur, postmodum quanto amplius in omnipotente Deo videt quod amet, tanto magis illum se offendisse doleat, et ex dilectione magis quam timore peccata sua confiteatur. Sic tacta lingua audi adhuc modum curationis. Sequitur:

Et suspiciens in cœlum, ingemuit et ait: Epphetha, A *quod est adaperire*. **808** Per *cælum* cor hominis, sive Scriptura sacra accipitur. In hoc cœlum homo suspicit, quando cor suum inspicit, scire volens quid in eo agatur, et in hoc cœlo cordis sui quasi quidam arbiter sedens, bona a malis secernit, bonas et utiles cogitationes ad se colligens intra se ponit, inutiles et noxias a se abjicit. Post hoc suspicere in cœlum bene auditur, *ingemuit*. Quid est gemitus? gemitus est, quando spiritus hominis ex intimo cordis cum dolore trahitur. Et per hoc, ut mihi videtur, designatur quod homo ille, qui cœlum suum, id est cor suum, recte seipsum considerando intuetur, quasi gemendo spiritum ex intimo cordis cum dolore trahat, quando spiritalem sensum ab interioribus trahit, qui dolor cordis fit quædam vivifi- B catio cordis.

Sed et per *cœlum* sacra Scriptura accipitur, quam homo tunc recte inspicit, cum in ea, unde doceatur aliquid, Deo donante, invenit. Sed et hoc modo *cœlum* inspicit, cum ad cœlestia suspensus cœlestia cogitare et meditari fit idoneus.

Post istud suspicere et gemere bene sequitur, et ait: *Epphetha, quod est adaperire*. Dicere Dei facere suum est. Aperit enim cor interius ad intelligendum, ut sciat et videat, quod humili et contrito corde Deo in oratione sua aperire et confiteri debeat quidquid unquam deliquit. Et sic intrinsecus Deo miserante seipsum agnoscens sequitur, ut per bonam operationem aliis innotescat, et aperiat C quod bene intrinsecus intelligit. Aperto corde intrinsecus ad intelligendum congrue, ut video, secundum hunc sensum subjungitur:

Et statim apertæ sunt aures ejus et solutum est vinculum linguæ ejus et loquebatur recte. Aures enim cordis, quæ dudum clausæ erant, ad obediendum Deo, *aperiuntur*, *vinculum linguæ solvitur*, *ut recte loquatur*, quia tunc recte loquitur, cum bona operatur. Sed quia plerumque solet evenire ut homo, dum bona opera agit, in his, quasi de suis meritis sint, glorietur, audiat necesse est præceptum Domini et corde teneat; quod subjungitur:

809 *Et præcepit illis ne cui dicerent*. Est aliquid quod Dominus fieri jubet; est et aliud in quo consilium D dat. In arbitrio tuo est, si velis consilio ejus acquiescere an non, nec ideo damnaris, si non acquiescis. Si autem præceptorum ejus non times transgressor esse, magnum erit, si non resipiscas, periculum animæ tuæ. Præceptum Domini est ut vanam gloriam fugiamus, qui, ut nos suo informaret exemplo, miraculum quod fecit, ne cui diceretur præcepit. Vult enim ut bona nostra in humilitate facientes ab humana laude abscondamus, ne quando eadem bona vana gloria perdamus. Et ideo bene in oratione hodierna petimus, *ut ad promissiones Domini sine offensione curramus*; quia tunc sine offensione currimus, si vanam gloriam fugiamus.

Sed quærendum quid sit quod Dominus alibi Apostolis dicit: *Videant opera vestra bona, et glorif*

Patrem vestrum, qui in cœlis est (Matt. v, 16), et A hic mandat *ne cui dicerent.* Hæc ratio est his qui perfecto corde Deum quærunt, non obest, si videantur opera eorum. Quid enim obfuit apostolis, quando mira signa coram populo faciebant, qui Spiritu sancto confortati, omnipotentis Domini virtuti omnia tribuebant? Ideo illis dicitur: *Videant opera vestra bona.* Istis vero dicitur: *Ne cui dicerent* (38).

Sed quid est quod sequitur: *Quia quanto eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant,* nisi quod quanto magis quisque secretum suum quæsierit, et laudes humanas subterfugerit, tanto magis Deo disponente etiam in hoc mundo prædicatur et exaltatur, et econtrario, qui hic laudari et extolli desiderat, multo minus de honoribus et favoribus hujus sæculi quam velit, accipiat? At si justus quisque in hoc mundo B nunquam laudetur, nunquam magnificetur, laus quædam melior et certior ei a Domino reponitur et conservatur, cum in fine vitæ advenientibus sanctis angelis magno laudis triumpho et admiratione de hac mortalitate ad cœli gaudia anima deducitur, ubi inter dulcia angelorum carmina sublevata 810 audire meretur: *Bene omnia fecit, et surdos fecit audire et mutos loqui.* Vere magnum laudis est præconium, quod dicunt *bene omnia fecit* nam et mala, quæ aliquando commisit, miro modo Deo donante, omnia ei in bonum sunt cooperata, quia *surdos* sensus suos bene *fecit audire, mutos* sensus suos bona et utilia *loqui.*

Sic educta de carcere mortis hujus, et finitis laboribus suis, quasi laudem missæ sua definit (missa C enim laus missa dicitur), omnia quippe opera sua, in quibus et per quæ Deum in hoc mundo laudare et honorare studuit, ad Deum jam misit, et tunc vere sanctorum omnium communioni adjungetur, de qua nulla necessitate interveniente excludetur. Unde ut ad illam sanctorum communionem perveniamus, doceat nos cantus Communionis hodiernæ: *De fructu,* inquit, *operum tuorum satiabitur terra, ut educas panem de terra, et vinum lætificet cor hominis* (*Psal* CIII, 13). Per terram anima, per panem doctrina Verbi Dei, in vino spiritale gaudium, in oleo misericordia, in pane æterna refectio potest designari. Fructus operum nostrorum, quæ Deus in nobis operatur, et per quem terra nostra, id est anima nostra satiari et refici debet, quadriformis est. D Panem de terra Dominus educit, quando panem verbi sui in corde electorum suorum quotidie crescere et augmentari facit et ejusdem salutaris panis pabulo eos intrinsecus reficit et enutrit. Panem quoque de terra educit, cum eum, quem jam pane verbi sui educavit et confortavit, ad informandum et pascendum alios doctrinæ panibus aliis præponit.

Educitur et vinum, quod lætificat cor hominis, quando homo pane isto satiatus ad spiritale illud gaudium cordis, quod vere lætificat et inebriat mentes filiorum Dei, pertingere Deo donante potest. Quod vinum duplici modo bibitur, dum aut homo pro peccatis suis compungitur, aut ex dulci recordatione æternorum accensus, dulci lacrymarum vino inebriatur et infunditur. Hæc duo prima in præsenti vita sunt adipiscenda.

811 Alia duo, *ut exhilaret faciem in oleo et panis cor hominis confirmet* (*ibid.*, 15) in futura vita obtinenda. In futura etenim vita in *oleo facies nostra exhilaratur,* quia ibi misericordiam Dei cogniti, perpetua lætitia in visione vultus Domini exhilarabimur. Et quia plena est ibi saturitas de pane angelorum, panis ille vivus, quem nunc desideramus et esurimus, ibi nos saliabit et confortabit. *Satiabit,* dico, et non satiabit quia et comeditur et esuritur, bibitur et sititur, et tamen nunquam fastiditur. Quo pane satiari nos faciat qui vivit et regnat per infinita sæcula sæculorum, amen.

812 HOMILIA LXXX.

IN DOMINICAM XIII POST PENTECOSTEN PRIMA.

Beati oculi qui vident quæ videtis. Dico enim vobis quod multi prophetæ et reges voluerunt videre quæ videtis, et non viderunt, et audire quæ auditis, et non audierunt (*Luc.* x).

Quoniam prior Dominica, in qua surdus et mutus a Domino curatus legitur, ad donum spiritus scientiæ respicit, bene hodierna Dominica spiritus fortitudinis opus suum operatur, et congruo satis ordine præcedentem subsequitur. Dum enim homo adjuvante spiritu scientiæ, seipsum scire et cognoscere poterit, necessarium est ei deinde, ut confortante eum spiritu fortitudinis, recte aperiat et revelet in confessione in quibuscunque eum peccatrix conscientia accusaverit. Et revera quicunque per spiritum timoris ad spiritum pietatis, de spiritu pietatis ad spiritum scientiæ, de spiritu scientiæ ad donum spiritus fortitudinis provehuntur, beatos cordis oculos, quibus Deum videant, habere comprobantur. *Beati oculi,* inquit, *qui vident quæ vos videtis. Dico enim vobis quod multi prophetæ et reges voluerunt videre quæ videtis, et non viderunt, et audire quæ auditis, et non audierunt.*

In prophetis et in regibus duo ordines prælatorum et subditorum possunt designari; in prophetis prælati, in regibus subditi, qui se ipso bonorum prophetarum, id est magistrorum suorum doctrina et institutione regere noverunt, quorum beati essent oculi, si Deum viderent per fidem, et audirent per dilectionem. Sunt enim nonnulli qui vident per fidem, quia Deum credunt, et tamen non audiunt, quia Deum non diligunt. Sunt etiam multi prophetæ, multi reges, qui et videre per fidem, et audire per dilectionem desiderant, et tamen desiderii sui effectum non consequuntur. Et ideo soli illi beati, qui et videre per fidem et audire per dilectionem merentur. Et quia talium beati sunt oculi, fit nonnunquam, ut de talibus tales Dominus eligat, quos sponsæ suæ Ecclesiæ, beatis dico animabus præficiat, et magistros constituat, sicut verbis sequentibus denotari video, cum subjungitur.

Et ecce quidam legisperitus surrexit, tentans Do-

(38) Desunt quædam in Cod.

A *minum et dicens : Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo?* In legisperito bonus aliquis prælatus potest designari, qui idcirco bene nominatur *legisperitus*, quia notitiam et scientiam sacræ Scripturæ debet habere, in qua Deo donante videat qualis vita qualisque doctrina ejus esse debeat. Qui legisperitus, dum in locum regiminis *surreait*, in nimia mentis humilitate his verbis utitur ad Dominum dicens : *Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo ?* Quasi dicat : Quia tu Domine, qui Dominus et Magister es omnium quæ sunt in cœlis, ad hoc me assumpsisti et elegisti, ut vicarius tuus sim in terris, et quanto **813** plus aliis sum timori, tanto magis te timere debeo ; doce me quomodo caute et sancte in loco tuo vivam, quomodo doceam, quia, etsi me-
B ipsum neglexero, ut subditis meis provideam, per hoc vitam æternam non possidebo. Si autem mihi provideo, et illorum salutem neglexero, iterum in hac parte salvari nequeo. Quod, quia ita est, scire vellem, te insinuante, qualis in vita et doctrina mea esse debeam, qualiter per hæc ita subditis meis prospiciam, ut et ego cum eis et ipsi mecum vitam æternam possideant. Post hanc legisperiti interrogationem audi responsum Domini.

At ille dixit ad eum : In lege quid scriptum est, quomodo legis ? His verbis post talem interrogationem Dominus prælatum ad sacram Scripturam mittit, ut, si qualiter vivere et docere debeat scire appetit, veritatem sacræ Scripturæ quærat. Agnita autem veritate, quod est quasi dicere, *in lege quid scriptum*
C *est ?* Dignum valde est ut veritatem teneat cum humilitate, quod est dicere, *quomodo legis ?* Quia hæc duo bona, veritatem scilicet et humilitatem totum opus divinæ paginæ ubique prædicat et commendat. Dum ergo *quid scriptum sit*, *quomodo legat* interrogatur, ipso suo responso, quod veritatem in cognoscendo et humilitatem in proferendo debeat tenere, edocetur :

Diliges, inquit, ***Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omnibus viribus tuis, et proximum tuum sicut teipsum.*** Cum dicit, ***Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo***, ibi ostenditur veritas ; cum dicit, *et proximum tuum sicut teipsum*, ibi ostenditur humilitas. Est enim summa
D veritas diligere Deum, et vera humilitas diligere proximum. Et bene, ut video, quemadmodum veritas ad dilectionem Dei, ita humilitas ad dilectionem proximi pertinet. Sicut enim diabolus per superbiam de cœlo ruendo nunquam ad dilectionem Dei et proximi poterit redire, sic nullus hominum proximum suum sicut seipsum valet diligere, nisi qui vere humilis est corde. Et ubi humilitas non est, ibi dominante superbia semper erunt inimicitiæ et odia. Prælatus itaque, si diligendo **814** Deum conservat veritatem, si diligendo proximum conservat humilitatem, recte respondisse, recte seipsum docuisse comprobatur, dicente Domino : *Recte respondisti, hoc fac et vives.* Sed quia prælatus ad quantam adhuc perfectionem tendere debeat, nosse desiderat, congrue subinfertur :

Ille autem volens justificare seipsum. Quid est *velle justificare seipsum ?* Hoc est nullam aliam voluntatem habere, nisi recte agendi, et quæ Deo placent pro posse suo exsequendi. Justitia enim non est, quamvis justum plerumque videatur, quod illi, qui minoris gratiæ indigens est, major gratia exhibetur, et ei, cui major gratia necessaria esset, minor gratia impenditur. Hoc prælatus considerans, intime rogat, ut sibi Deus dignanter ostendat quem maxime in subditis suis diligere debeat, dicens :

Et quis est proximus meus ? Domine, inquit, qui vis ut sim legisperitus, qui me ad hoc constituisti, ut sim magister et prælatus, ostende mihi quem proximorum meorum secundum tuam justitiam maxime diligere, et cui magis subvenire debeam. Quæ voluntas prælati, quod grata et accepta sit Deo, ex hoc recte innuitur quod dicitur continuo :

Suspiciens autem Jesus. Hanc enim justificationem suspicit, quia diligit et approbat, et illum, qui pro proximo haberi debeat inducit et quis sit, ostendit dicens : *Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, et incidit in latrones.* Homo iste quidam, homo est peccator, qui, contempta visione æternæ pacis, *descendit in Jericho*, id est in defectum et mutabilitatem devenit flagitiorum et peccatorum. In quo descensu *incidit in latrones.* Latrones dico malignos spiritus, qui diversis modis attentantes eum, per diversa peccata et vitia ruere fecerunt eum. *Qui etiam despoliaverunt eum*, non veste visibili, sed invisibili, veste dico innocentiæ, quam, ut Deo immaculatam conservaret, accepit in baptismate. Sic veste innocentiæ spoliatus, magnum esset, si plagas latronum istorum non sustineret. **815** *Et plagis*, inquit evangelista, *impositis abierunt semivivo relicto.* Plagæ aliud sunt quam vulnera, et vulnera aliud sunt quam plagæ. *Plagæ* dicuntur, quando caro verberibus et tunsionibus atteritur, et intumescente carne putredo nonnunquam erumpit. Et quid per hanc deformitatem plagarum nisi malarum et immundarum sordes concupiscentiarum possumus accipere, quas latrones, invisibiles scilicet hostes nostri homini imponunt et immittunt, quibus nolentem invitumque in spiritali vita attentare præsumunt, et ea objiciunt et ingerunt quæ aliquando delectabiliter fecit ? Sed impositis plagis istis, *abeunt semivivo relicto.* Bene *semivivus* dicitur. Nam in ea parte qua Deum aliquantulum recognoscit, vivit, in ea vero parte qua per peccata lapsus est vere coram Deo mortuus est. Quicunque ille est qui ita latrones incidit, qui sic spoliatus, si plagas eorum pertulerit, necesse est ut habeatur pro proximo, dignum est ne sacerdos et levita prætereant eum, de quibus consequenter Evangelium ait :

Accidit autem ut sacerdos quidam præteriret, et viso eo pertransivit. Similiter et levita cum esset secus locum pertransivit. In sacerdote, in levita, in Sa-

maritano unus idemque prælatus potest designari, qui satis digne sacerdotis et levitæ nomen sortitur, quia sacerdos debet esse orando, levita legendo, et tamen nisi sit Samaritanus infundens oleum et vinum, non plene vel recte officii sui persolvit debitum, unde videtur mihi, quod Dominus in hac parabola quam legisperito proposuit, quasi, quid velit, prælato aperiat dicens: Sacerdos es, te ipsum mihi quotidie immolando et sacrificando in ara cordis tui, studium tui est, quomodo mihi complaceas in orationibus, in vigiliis, in jejuniis. Levita es tu meus, divinas paginas assidue recitando et legendo, Sed ista omnia non sufficiunt mihi in te, nisi pii Samaritani opus imitari videam te, cujus gesta sint et tua gesta, quæ sic diligenter ab evangelista sunt descripta:

Samaritanus autem quidam iter faciens, venit secus eum, et videns **816** *eum misericordia motus est. Et appropians alligavit vulnera ejus, infundens oleum et vinum.* Ecce ordo, ecce talis modus curationis esse debet, hæc sunt Samaritani medicamina, per quæ ad pristinam sanitatem sauciatam in peccatis curare debet animam.

Iter debet *facere* de loco ad locum, quia de sollicitudine sua ad illius sollicitudinem, de cura sui ipsius ad illius curam debet transire. Debet quoque *venire secus eum*, quia bonis et amabilibus dictis, bonis nunc exemplis tandiu eum sequi debet, donec videat eum. Quid est quod dico, *donec videat eum*, nisi donec miserias peccatorum ejus diligentius in confessione discussas cognoscat, et ut piis admonitionibus suis plus et plus eum videntem seipsum faciat? Visa tandem miseria ejus cor obduratum non debet habere, sed magna super eum moveri misericordia, cujus tanta est peccatricis animæ miseria.

In qua misericordia duo ei bona impendere debet, hoc est *appropiare ei, et alligare vulnera ejus.* Quid est homini appropiare, nisi seipsum peccatori quasi peccatorem ostendere, et in humilitate verborum omnibus modis se reum confiteri, et peccatori assimilare? Solet quippe bonus prælatus, cui animarum cura commissa est, homini peccatori injustitias suas confiteri erubescenti in hunc modum consolando dicere: Ne timeas, ne expavescas, et ego in talibus, aut etiam gravioribus lapsus sum, et si lapsus non sum, adhuc labi possum. Et per hanc suimet accusationem Deo mediante omnem aufert confitendi timorem et pudorem. Sic appropiando et sic pie subveniendo *alligare* etiam debet *vulnera* ejus admonendo, et ad hæc oleum et vinum infundere. Et vide quam congrue oleum ad appropiationem, vinum ad alligationem pertineat. Per hanc enim quam dixi appropiationem infundit oleum, quod significat consolationem; per alligationem infundit vinum, quod designat timorem, quia utrumque necesse est, et *appropiare* oleum consolationis infundendo, *et ligare*, id est terrore vinum timoris infundendo. Nam consolandus est spe veniæ, ne desperet; et terrendus **817** supplicio pœnæ, ne eadem iterare præsumat. Post datam consolationem, post exhibitum terrorem, imponit eum in jumentum suum.

Et imponens, inquit *eum in jumentum suum, duxit in stabulum, et curam ejus egit.* Quoniam Evangelium expresse non dicit cujus fuerit jumentum, vel Samaritani, vel illius, qui incidit in latrones, possumus duobus modis intelligere, et ad prælatum et ad subditum referre quod dicitur, *et imponens illum in jumentum suum.* In jumento corpus hominis potest accipi, super quod jumentum homo ponitur, quando rigide et districte Deo in corpore suo satisfacit, quiquid unquam coram Domino per non bonæ actionis studium commisit. Sed et hoc modo possumus intelligere, quod Samaritanus, bonus videlicet prælatus illum sauciatum in jumentum suum ponat, quando ex nimia compassione et miseratione ad satisfaciendum pro eo et cum eo seipsum offert et opponit, et ut majori spe peccator animetur, nunc vigilias, nunc jejunia et orationes ac flagella assiduat. Et illud revera *ducit eum in stabulum*, hoc est in cor suum, prius superbum, nunc in peccati cognitione fetidum et humiliatum, quia ex hac prælati condescensione incipit fetorem cordis sui magis magisque recognoscere et abominari, et quæ prius levia et minima æstimabat, grandia putare et uberius Deo miserante deflere. Tali modo curatus, tendit ad alteram diem de qua mox subditur:

Et altera die protulit duos denarios, et dedit stabulario dicens: Curam illius habe, et quodcunque supererogaveris, ego, cum rediero, reddam tibi. Prima dies est cognitio sui, *altera dies* cognitio Dei. Ex eo enim unusquisque justus esse incipit, quo seipsum, quod peccator est, agnoscit; et quanto humilius se recognoverit, tanto magis divinæ cognitioni appropinquat. Vel prima dies est quando per dignam pœnitentiam deflet malum quod perpetravit, *altera dies*, quod per negligentiam bonum non fecit. *Duo denarii* duo sunt præcepta, dilectionis Dei et proximi. Sive in *duobus denariis* notitia sacræ Scripturæ, quæ in historico sensu et morali sensu **818** habetur, potest designari. Hi duo denarii recte cedunt in usus *stabularii*, illius dico, qui semper stabularius esse studet, qui semper in humilitate fetorem scelerum suorum ante oculos cordis sui ponit quia duo præcepta charitatis observare, sacram Scripturam diligere, et curam illius habere præcipitur. *Cura* dicitur ab *urendo cor.* Et est quasi prælatus stabularium suum admoneat et exhortetur dicens: Sacram Scripturam assidue legendo cor tuum adure, et quandocunque aliqua lascivia vel levitas mentis tibi accesserit, ad Scripturam currens totum ibi absume. Nam, si hoc feceris, non tepidum, non frigidum, sed *cor urens* et fervens in Deo habebis.

Et quodcunque supererogaveris, ego, cum rediero, reddam tibi. Quid est: *ego, cum rediero, reddam tibi?* Quis reddet, et quid reddet? *Ego*, inquit, ego Magister tuus, ego Judex tuus, a Deo in hoc mundo constitutus, *ego reddam tibi* illud *quodcunque*, id

est illud ineffabile gaudium, quod super omnia est, quod modo *erogas*, hoc est, quasi *extra rogas* quia nondum habes, nondum vides illud, inquam, *cum rediero*, id est cum in generali resurrectione resurrexero, et ad corpus rediero, et te videbo. *Reddam tibi*, et hoc tali certitudine tibi promitto, quasi in mea hoc habeam potestate. Et ne forte hoc miremur, et incredibile esse fortassis dicamus, audiamus quid Petro et aliis apostolis eorumque sequacibus, quos radicatos et fundatos in charitate sua mundi contemptores, aliis in hoc mundo præesse voluit dicat : *Amen dico vobis, quod vos qui reliquistis omnia, et secuti estis me, sedebitis super sedes judicantes duodecim tribus Israel* (*Matth.* xxiv, 28). Unde frivola et absurda mihi non videntur verba prælati dicentis *ego, cum rediero, reddam tibi*. Nam idem est, ac si dicat, et veraciter a Magistri sui Jesu Christi minime discrepando verbis dicere potest : Quia in sanitate animæ tuæ vicem Christi gero, judex tuus cum Deo ero, opus Dei in judicio cum Deo implebo, et sicut condemnare possum impios, possum remunerare justos, tibi si recte pœnitueris, si bene vixeris, vitam æternam, quod est illud *quodcunque*, dabo. Ad hæc prælati **819** verba videntur mihi satis concordare sequentia :

Quis horum trium tibi videtur proximus fuisse illi qui incidit in latrones? At ille dixit : Qui fecit misericordiam in illum. Vade, et tu fac similiter. Quasi dicat : Quæsisti et interrogasti qui proximus tuus esse debeat, et ipse judicasti quod ille proximus sit, *vade* igitur, *et tu fac similiter*, hoc est quem videris miserrimum, illum habeto proximum. Quare dico, et quem dico miserrimum? Hunc dico miserrimum, quem maxime nosti peccatis obnoxium, et quem magis nosti peccatis obnoxium, hunc tibi habeto proximum, et si hoc feceris, erit quod vis. Quid vis? Justus esse vis. Et vere justus eris, si ista feceris.

Videtur mihi ad hæc omnia magnam habere congruentiam hodierni officii excellentia, in qua ille, qui vicarius Christi est, inter Deum et populum sibi commissum medium se ad interpellandum Deum Patrem offert dicens : *Respice, Domine, in testamentum tuum et animas pauperum tuorum ne derelinquas in finem. Exsurge, Domine, et judica causam tuam, et ne obliviscaris voces quærentium te* (*Psal.* lxxiii, 19-23). Salus, inquit, istarum animarum, quas mihi commisisti, causa tua est, non mea ; ideo obsecro te ut respicias in testamentum tuum, hoc est ut ostendas mihi viam veritatis, qua incedam, recte diligendo et docendo te. Et iterum rogo ut respicias in testamentum tuum, id est ut in humilitate diligam te, in humilitate doceam te. Et quoniam ego et subditi mei pauperes tui sumus, noli animas pauperum tuorum in finem derelinquere, sed exsurge et judica causam tuam, non meam ; memor esto opprobrii servorum tuorum, quia magnum super nos cadet opprobrium, si te et proximum nostrum minus, quam debemus, dilexerimus.

A Nec discordat ab istis *Alleluia : Venite, exsultemus Domino, jubilemus Deo salutari nostro. Præoccupemus faciem ejus in confessione et in psalmis jubilemus Deo* (*Psal.* xciv, 1, 2). Quod, ut mihi videtur, vox est subditorum mutuo se cohortantium ad pœnitentiam et dicentium : *Venite, exsultemus*, hoc est extra saltum quemdam faciamus, de peccatis et **820** vitiis ad virtutes nos convertendo ; *jubilemus Deo* in cordis amaritudine pœnitendo, *præoccupemus faciem ejus* confitendo, *et in psalmis jubilemus ei* peccata nostra satisfaciendo. Post factam confessionem, post exhibitam satisfactionem, jam sperare et præsumere possunt de Dei misericordia, quemadmodum propheta David ait : *Sacrificate sacrificium justitiæ* (*Psal.* iv, 6). Et subinde addit : *Et sperate*
B *in Domino* (*ibid.*), hoc est, dum vos Domino per pœnitentiam et satisfactionem sacrificium gratum obtuleritis, post hæc *sperate in Domino*, et præsumentes de bonitate ejus dicere potestis : *In te speravi, Domine, dixi : Tu es Deus meus, in manibus tuis tempora mea* (*Psal.* xxx, 15, 16), hoc est, tu, Domine, solus spes nostra, quia, quod ad te venimus, ad te confugimus, totum de te sperantes et præsumentes fecimus, ex cujus singulari dono id accepimus. Jam quid post hæc futurum sit nobis, nos nescimus. Tu solus nosti, quia *in manibus tuis tempora nostra*.

Ad hæc Oratio hodierna respicit, quæ et Evangelium et totum officium missæ comprehendit, in qua
C sic oramus : *Omnipotens sempiterne Deus, da nobis fidei, spei et charitatis augmentum, et ut mereamur assequi quod promittis fac nos amare quod præcipis.*

Oportet enim in fide orare, ut Dominus respiciat in testamentum suum, et animas pauperum suorum in finem non obliviscatur. Oportet ut spem nostram in eum ponamus, in cujus manibus sunt tempora nostra. Oportet ut ardenti charitate eum amemus, cujus corpori et sanguini communicamus, qui seipsum dat panem de cœlo, habentem omne delectamentum, et omnem saporem suavitatis. Et ut mereamur illud *quodcunque*, illud inenarrabile gaudium, quod per ora prælatorum promittit, consequi, faciat nos amare quod præcipit. Præcipit enim et docet per prælatos suos ut cor fervens et urens in eo habeamus.
D Et si hoc dederit, merebimur sine dubio assequi quod promittit, quod nihil est aliud, nisi vita æterna. Ad quam nos ducat, cujus imperium sine fine permanet in sæcula sæculorum. Amen.

821 HOMILIA LXXXI.

IN EAMDEM DOMINICAM SECUNDA.

Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho et incidit in latrones (*Luc.* x).

Homo iste *quidam* ipse est Deus Dei Filius, vere *quidam*, vere *homo* specialis et singularis. Ideo dico *singularis*, quia solus inter peccatores ab omni peccati aspergine liber in hoc mundo vixit et immunis, in quo, ut Apostolus ait, *Deo Patri complacuit inhabitare corporaliter omnem plenitudinem divinitatis* (*Coloss.* i, 19).

Qui descendebat ab Jerusalem in Jericho. Jerusalem *visio pacis*, Jericho *luna* interpretatur. *Descendit* plane Dominus Jesus Christus *ab Jerusalem in Jericho*, quando de visione pacis, de patria et regno supernæ suæ civitatis in defectum et mutabilitatem hujus mundi a Deo Patre missus est.

Qui videlicet descendens, id est humana natura mirifice indutus, *incidit in latrones*, quia gens illa Judaica, de qua secundum carnem processit, mox natum persequi cœpit, et more latrocinantium persequi et insidiari usque ad mortem non desiit. *Qui etiam despoliaverunt eum.* Corpus illud Dominicum, speciosum divinitatis templum, proprium tunc per manus Judæorum amisit indumentum, quando apostoli, qui pridie quasi amici et domestici ei adhæserant, in ipso mortis articulo relicto eo fugerunt. Quos idcirco vestimentum Domini dicere possumus. Nam quemadmodum vestis corpus hominis circumdat et ornat, sic nimirum et Christus quasi vestimentis suis se induit et ornavit, dum apostolos de omni mundo sibi elegit et univit.

Et plagis, inquit, *impositis.* Plagæ totas Christi exprimunt persecutiones, quas non invitus patiebatur, sed tanquam esuriens delectabatur et saturabatur. In domo nempe eorum, qui **822** eum diligegebant, plagis plagatus est, sævissimis scilicet injuriis et blasphemiis, terroribus, opprobriis, flagellis, sputis et colaphis.

Et ad ultimum mortis amaritudine consummato, *abierunt semivivo relicto.* Filius nempe Dei, quasi *semivivus* relictus esse dicitur, quando in humana natura mortem ad horam gustare voluit, qui secundum divinam naturam impassibilis, immortalis, invisibilis, nihil passibilitatis aut miseriæ unquam pati potuit.

Accidit autem ut sacerdos quidam descenderet eadem via, et viso illo præteriit. Per sacerdotem hunc, levitam et Samaritanum tres ordines accipi possunt, illorum videlicet qui ante legem, sub lege, sub gratia fuerunt. Et bene per *sacerdotem* ordo patriarcharum aliorumque justorum, qui ante legem erant, designatur, qui vere sacerdotes Domini erant, eo, quod legem aliam non habebant, nisi quod semetipsos hostiam vivam, sanctam Deo placentem in ara cordis quotidie mactare satagebant, et in sacrificiis, quæ offerebant, Deum quodammodo mitem et placatum sibi reddebant. De quibus bene dicitur quod *eadem via descenderint*, quia ab illa paradisi via qua primus parens noster Adam descenderat, omnes exsulabant, et quia necdum mors nostra per mortem Christi fuerat destructa, post hujus mortalitatis tenebras ad inferos absque retractatione descendebant. Qui profecto *viso* homine illo Deifico, per fidem, dico et non per speciem, *præterierunt*, quia adventum ejus in carne non exspectaverunt, et ita non adepta salute viam universæ carnis ingressi apud inferos per multa annorum millia captivi sunt detenti.

A **823** *Similiter et levita, cum esset secus locum, et videret eum, pertransiit.* In levita, quantum video, ordo justorum illorum, qui sub lege erant, non incongrue figuratur. Qui levitæ *secus locum* fuisse memorantur, quia secus legem erant, legemque habebant et legebant, in qua totum absconditum erat, quidquid per incarnationem, passionem resurrectionem et ascensionem Domini in fine temporum fieri congruebat. Sed et illi per fidem tantummodo eum viderunt, sed non adepta salute, quam quærebant et suspirabant, soluto carnis debito *pertransierunt*.

Samaritanus autem iter faciens, venit secus eum, et videns eum semivivum relictum, misericordia motus est. Per Samaritanum gentilitas, ut æstimo, de-
B signatur. Samaritanus enim *custos* interpretatur. Et bene per Samaritanum gentium populus figuratur, qui fide baptismatis suscepta ad universa Domini sui mandata custodienda et observanda parabatur. Qui videlicet populus *stabat*, nec ac Dominum Deum fidei passibus, uti deberet, properabat, quando immunditiis idololatriæ deditus erat. Unde et alibi ad undecimam horam in vineam Domini vocatis dicitur: *Quid hic statis tota die otiosi?* (*Matth.* XX, 6). Qui, quoniam pro vita sua laborare neglexerant, et pro Deo idola adorabant, quasi tota die otiosi stabant. Sed populus ille, qui diu steterat, *iter* quodammodo *fecit*, quando adjutus et compunctus a Deo, mentis gressibus ad Deum credendo venire
C cœpit. *Venit quoque secus eum*, quia æstuanti et desideranti auditu percepit, quæ et qualia et quam ineffabilia bona humano generi præbuit. *Vidit etiam eum*, quando eadem misericordiæ et pietatis opera agnovit et dilexit, nihilque de se præsumens, sed de præteritis timens et pœnitens, *misericordia moveri* cœpit. Pia enim super animam suam misericordia flectebatur, ea videlicet misericordia, quam Salomon commendat et suadet dicens: *Miserere animæ tuæ placens Deo* (*Eccle.* XXX, 24).

Et appropians alligavit vulnera ejus, infundens oleum et vinum. Et *appropians* per fidem, *alligavit* cordi suo vulnera Christi per spem, quia nimirum **824** sancta Ecclesia sive beata quælibet anima, Domini et Redemptoris sui vulnera propter spem vitæ
D nequaquam transeunter videre debet et attendere, sed sollicite cordi suo quasi fasciculum quemdam alligare, quia quomodo ei digne pro eis respondeat, semper eam oportet considerare et retractare. Hinc iterum Salomon admonet dicens: *Ad mensam magnam sedisti? Considera quæ apponuntur tibi et scito quia talia oportet te præparare* (39) (*Prov.* XXIII, 1). Tunc enim similia præparamus, cum super innumeris beneficiis eis ingrati non existimus, dum admirantes et amplexantes supereminentem charitatem ejus, id tantillum quod sumus, in tantæ dilectionis et dignationis vicem pro posse nostro rependere studemus.

Infundens, inquit, *oleum et vinum.* Per oleum et vinum duos motus accipe, timoris et amoris, per

(39) Vulgat. non eadem præcise habet.

quos mala declinantur et bona peraguntur. Beata A anima tunc infundit oleum et vinum, dum cordi suo per Dei adjutorium infundit amorem et timorem, timens Deum eo quod est suus Creator, diligens eo quod Redemptor, intus fundens bona faciendo propter amorem, extra fundens a malis declinando propter timorem.

Et imponens illum in jumentum suum, duxit in stabulum, et curam ejus egit. Jumentum corpus hominis non injuste significat, super quod beata illa anima vulneratum illum hominem, id est spinatum, colaphizatum, crucifixum, lanceatum Dominum suum imponit, quando mortificando carnem suam cum vitiis et concupiscentiis beatam Filii Dei passionem sequi et imitari studet, juxta quod Apostolus de se ait: *Ego autem stigmata Jesu porto in corpore meo* B (*Gal.* VI, 17). Ducit et in stabulum, quando in humile et fetidum cor suum inducit Christum, quod tunc quasi fetidum erit, cum in amaritudine animæ recogitare et remeditari incipit quam ignominiosissimis et sordidis actibus sese coinquinaverit, et sic per pœnitentiam ejecto et deterso peccati stercore, de Christo, quem induxit in stabulum cordis et corporis sui, gaudebit possessore.

Ducit et eumdem angelorum Dominum in stabulum suum, quando sanctissimo **825** corpori et sanguini Domini sui communicat, quod revera magnam et mirificam æternæ vitæ alimoniam animabus nostris administrat. Cujus corpori et sanguini digne et fideliter tunc communicamus, si ad imitandum C passionem Christi et memoriæ commendando, quæ pro nobis passus est, totos nos ardentissima charitate exhibeamus. Sunt enim nonnulli, qui quidem carnem suam castigant et mortificant, sed Christum in stabulum cordis sui non ducunt, quia bona opera, quæ faciunt, in humilitate non custodiunt, dumque ea sibi, non Deo ascribunt, miserabiliter quod laborant perdunt. Illi itaque laudabiliter Christum in stabulum ducunt qui, complantati similitudini mortis ejus, carnem domant ac mortificant, et ne in superbiam elati, mercedem, quam a Deo obtinere sperant, aliquando amittant, virtutem Christi, quæ est humilitas Christi, custodire assumunt. Felix quæ hac virtute, id est humilitate comite et adjutrice vallata fuerit, quia quæcunque est anima D illa, quæ vere in oculis suis humiliatur, uni Domino et angelicis spiritibus nota, Deo et Domino suo curam dignam exhibere potest, ut bene de ea dici possit, *et curam ejus egit.* Curam enim magnam et sollicitudinem habet, quomodo Christum in corde suo conservet, quomodo jugiter ab ea foveatur, quid potissimum dilectus ejus diligat, quo delectetur et gaudeat inquirit, totumque quod est quod vivit, illi, quantum valet, impendit, quod est utique *curam Christi agere.*

Et altera die protulit duos denarios, et dedit stabulario dicens: Curam illius habe, et quodcunque supererogaveris, ego, cum rediero, reddam tibi. Quærendum quænam sit prima dies, et quæ *altera dies.* Prima dies dies nominari potest cognitionis, *altera dies* dies illuminationis. *Duo denarii* duo sunt præcepta dilectionis Dei et proximi, sive duo Testamenta. Prima ergo dies est dies cognitionis, qua homo seipsum in vera cordis humilitate recognoscere incipit. Et ex hac suimet cognitione ad alteram tendit diem, quæ dies est illuminationis, qua desuper illuminatus ad notitiam et scientiam Dei **826** proficit. In qua nimirum die *duo denarii* proferuntur, quia duo illa præcepta, dilectionis Dei et proximi, sive duorum Testamentorum verba nobis sequenda proponuntur. Totius namque sacræ Scripturæ auctoritas ad hoc solum tendit, hoc solum edocet, ut declinemus a malo et faciamus bonum. Declinando a malo, imago denarii, id est similitudo Christi, quam perdidimus peccando, in nobis reformatur; faciendo bona, eadem imago Christi in nobis adornatur.

Hi duo denarii bene stabulario donantur, cui et dicitur, *curam illius habe, et quodcunque supererogaveris, ego, cum rediero, reddam tibi.* Per stabularium ipse homo humilis, cordis sui præpositus et custos intelligitur, cui vulnerati et crucifixi illius hominis Jesu Christi Filii Dei cura injungitur. *Curam*, inquit, *illius habe. Cura* dicitur, eo quod *cor urat.* Et est quasi spiritus hominis seipsum intrinsecus adhortetur et dicat: Ne languescas, ne torpescas, ne inertia solvaris, sed *cor urens* et ardens in dilectione Dei habeto. *Et quodcunque supererogaveris*, hoc est quantumcunque laboris impenderis pro consequendo illo æternæ beatitudinis præmio, quod super omnia est, quod universa superexcellit, quod ideo *quodcunque* dicitur, quia ineffabile et interminabile est, *ego*, cum in extremo judicii examine *rediero*, id est cum corpore et anima resuscitatus fuero, *reddam tibi*, quia tunc tu eamdem possidebis mecum gloriam, quam ego ante diem judicii habiturus sum Deo adjuvante in anima.

De hoc reditu David manifeste loquitur dicens: *Exibit spiritus ejus, et revertetur in terram suam, in illa die peribunt omnes cogitationes eorum* (*Psal.* CXLV, 4). Exibit spiritus, quando corpus in morte deponimus; revertetur autem in terram suam, cum in resurrectione carne resumpta perpetuæ immortalitatis remuneratur gloria. In illa die resurrectionis peribunt omnes cogitationes eorum, quia quidquid pii laboris et studii, quidquid sanctæ et assiduæ meditationis et boni desiderii pro adipiscenda vitæ æternæ gloria hic impenditur et peragitur, hoc pacto tunc peribit, quia accepto primo, quod super omnia erogatur, quo amplius **827** et pretiosius nihil acquiri potest, ab his omnibus homo requiescere habebit.

Proposito hoc exemplo, Pharisæum, qui se justum credidit, Dominus interrogatione sua scire facit, quantum desit ei, et quantum imperfectionis habeat. *Quis* inquit, *horum trium videtur tibi proximus fuisse illi qui incidit in latrones? At ille dixit: Qui fecit misericordiam in illum. Et ait illi Jesus: Vade, et tu fac similiter.* Ac si dicat: **828** Si sacerdos et

levita proximi mei, asseris, non sunt, sed hi proximi, qui fide et dilectione me suscipientes, compati et condolere mihi sciunt, *vade, et tu fac similiter*, hoc est vade, et convertere de falsa justitia tua ad veram justitiam, *fac similiter*, id est fac, ut concordet vita tua sponsæ meæ, Ecclesiæ meæ, quæ me credendo suscepit, et merces magna operi tuo erit.

HOMILIA LXXXII.

IN DOMINICAM XIV POST PENTECOSTEN PRIMA.

Dum iret Jesus in Jerusalem, transivit per mediam Samariam et Galilæam (*Luc.* XVII).

In præcedentibus Dominicis, qualiter Deus per spiritum timoris, pietatis, scientiæ, fortitudinis homini appropinquare dignetur, audivimus, jam hodierna Dominica, quia via homo ad ipsum adjuvante spiritu consilii, qui hac Dominica operatur, venire debeat, edocemur. Hoc enim quod in præcedentibus Evangeliis audivimus, totum est via Jesu, per quod iter facit ad cor hominis, et suo itinere, quod facit ad nos, *in Jerusalem* venire facit nos, sicut præsens Evangelium dicit, *dum iret Jesus in Jerusalem, transibat per mediam Samariam et Galilæam.*

Per *Jerusalem*, quod interpretatur *visio pacis*, cœlestis illa Jerusalem, sive spiritalis vitæ requies potest designari, in qua homo requiescere debet, quantum Deo miserante conceditur, a peccatis et a mundo. Sed quia adhuc sumus in itinere, et necdum pervenimus ad patriam, transeundum est nobis non tantum per Samariam, sed per mediam Samariam et Galilæam. *Samaria* interpretatur *custodia*, Galilæa *transmigratio*. Inter nos enim et Jerusalem cœlestem media debet esse Samaria et Galilæa, quia quandiu hic sumus, omni custodia ab illicitis actibus nos debemus custodire, et de Samaria in Galilæam, id est de vitiis ad virtutes transitum habere. Qua via et itinere Jesu, qua custodia vitæ, et transitu beato facto ingreditur Jesus quoddam castellum, quemadmodum subjungitur:

Et dum ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi. Quoddam castellum, ipsum, ut mihi videtur, hominem designat, quod ex Dei munitione singulare quoddam castellum erit, quando aliquantulum præmunitur contra diabolum et vitia; quod tunc Jesus ingreditur, cum animam hominis visitare et lætificare sua præsentia dignatur. Sed licet iter suum Deus in homine promoverit, et ista omnia in homine fecerit, tamen quia nullatenus sine tentationum incursibus esse valet, bene dicitur, *occurrerunt ei decem viri leprosi*. Qui sunt decem viri leprosi? Decem viri totus homo est, qui quinque sensibus interioribus et exterioribus consistit. Et quia viri a virtute dicitur, decem sensus hominis viri sunt et viri dicuntur, quando alicujus virtutis se esse putat homo, et pro hoc quod aliquid boni se egisse et in Deo profecisse se sperat, inaniter et incaute extolli incipit, et gloriari. Qui viri omnimodis sunt leprosi, quia magna lepræ immunditia est, de seipso præsumere, et supervacue gloriari. Et quo-

A niam hoc vitium elationis non latet Deum (omnia enim nuda et aperta sunt ei) bene et congrue decem isti viri dicuntur occurrisse ei.

829 Et nota, quod dicit *occurrerunt*. Fit etenim nonnunquam in bonis et probatis hominibus, dum eo quo dictum est ordine processerunt, ut de bonis meritis aliqua eos interdum tangat jactantia mentis; quæ tamen quia non ex industria, vel deliberatione, sed quasi incursu quodam sensibus hominis subito se ingerit, apte evangelista verbum istud posuit: *Occurrerunt ei decem viri leprosi.* Sed licet occursus sit, ipse tamen occursus suggerente diabolo dulcis plerumque et delectabilis fit homini intrinsecus, et quanto in eo delectatur, tanto a Deo elongatur.

Unde apte subjungitur, *qui steterunt a longe.* Vi-
B detur sibi stare, sed non stat, cum aliquid de meritis bonis se existimat habere; et ideo *stat a longe*. Longe est enim a Deo altum cor, et accedere ad Deum non potest nisi humile cor. Occursu isto facto in homine, levanda est vox, sicut sequens Evangelii textus de viris illis infert dicens:

Et levaverunt vocem. Vox ista desiderium est cordis, per quod Deus advocatur, et invitatur, quam audire concupiscit. Vocem enim oris sine desiderio cordis raro audire dignatur. Et bene dicit, *levaverunt*, quia quod in summo et in alto positum est, nullus levare dicitur, sed quod in terra jacet, illud proprie de inferioribus sursum levari dicitur. Tunc itaque vox levatur, quando ab his quæ in terra et deorsum quæsivit homo, desiderium suum levat, et
C de infernis ad alta sese sustollit et erigit. Imum enim et infimum est quærere transitoria, et illud præmium quærere in terris, quod quærendum et sperandum esset de cœlis. Quæ vox desiderii sursum levata, quid dicit, quid orat?

Jesu præceptor, miserere nostri. Quasi dicat: Utrumque nomen, et Salvatoris et præceptoris, tibi, o Domine, congrue impono: Salvatoris in eo quia per ineffabilem misericordiæ tuæ gratiam salvare me redimendo a peccatis venisti. Salvator, inquam, meus es tu, quia salutem meam operatus es in me. Et sicut te amplector et diligo quasi Salvatorem, ita quia reum me esse cognosco, mihi quod tuum est attribuendo, idcirco te *præceptorem* meum, id
D est quasi judicem et **830** condemnatorem timeo. Sed quia Salvatorem meum te cognosco, clamo: *Miserere mei.* Post hujusmodi cordis elevationem subdit evangelista:

Quos, ut vidit, dixit: Ite, ostendite vos sacerdotibus. Plane quotiescunque peccator intima ad Deum cordis desideria attollit, *videt* hoc Deus. Videre Dei est, sicut sæpe diximus, diligere Dei. Diligit quippe, quod homo præceptorem et Salvatorem cognoscit, et per spiritum consilii salubre consilium subministrat ei. Ut enim in præcedenti Dominica spiritus fortitudinis, cujus fortitudo necessaria est in confessione, operabatur, sic etiam in hac Dominica cum spiritu fortitudinis spiritus consilii operatur. Sicut enim ibi homo confortante eum

spiritu fortitudinis mala opera sua confiteri non A erubuit, sic etiam hic adhibito spiritu consilii, occursum lepræ, quæ fit in corde, minime abscondere debet in confessione, jubente Domino et dicente : *Ite, ostendite vos sacerdotibus. Ite*, inquit, desiderio, *ostendite* vos bonis operibus.

Et factum est, dum irent, mundati sunt. In alio Evangelio legimus, Dominum ad quemdam dixisse leprosum : *Vade, ostende te sacerdoti, et offer munus tuum, quod præcepit Moyses in testimonium illis* (*Matth.* VIII, 4). In cujus hominis lepra perpetrata designari valent opera, quæ procul dubio non sequitur remissio, nisi vera oris præcedat confessio. Sed hic, ubi tantum occursus fit, ut ita dicam, lepra, id est inanis gloriæ de bonis operibus, dicitur : *Et factum est, dum irent, mundati sunt.* Magnum B hoc documentum, magnum consolationis nostræ est adjumentum, quod isti leprosi, dum irent, mundantur. *It* homo, et *mundatur*, quando humiliter se in corde suo recognoscit, et dum est in voluntate confessionis, ista humilitas aufert voluntatem elationis, et si veraciter, et non falso, cum opportunum fuerit, occursum hujus lepræ confiteri delibera· de Dei misericordia, quæ bonam voluntatem intueri dignatur, statim ei remittitur, et coram eo emundatur. Quod nimirum David affirmat de seipso dicens : *Dixi : Confitebor adversum me injustitiam* 831 *meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei* (*Psal.* XXXI, 5). Impietas peccati tumor et arrogantia est elationis, quam, dum se adversum se veraciter confiteri velle homo decernit, mox in- C dulgentiæ gratiam a Domino accipit. At si fallaciter in corde suo, ut confiteatur, proponit, etiam dum vacat ei, minime confitetur, et longe ab eo remissionis gratia efficitur. Sequitur :

Unus autem ex illis, ut vidit quia mundatus est, regressus est cum voce magna magnificans Deum. Ecce ex illis decem leprosis *unus* homo efficitur, *unus*, inquam, quando totus omni intentione ad Deum revertitur, et unus ille ad Deum *regreditur*, qui quasi digressus a Deo fuit, quando immunda elationis lepra illum commaculavit. Regreditur enim per humiliati cordis pœnitentiam, qui quasi digressus a Deo fuit, ut diximus, per elatæ mentis extollentiam. Et satis congrue vitio superbiæ aptari potest im- D munditia lepræ, quia scriptum est : *Immundus est ante Deum qui exaltat cor suum.* Sed *unus* iste, dum relictis peccatis superbiæ regreditur, et per pœnitentiam ac satisfactionem Deo reconciliatur, Deum *magnificare* incipit. Deum magnificat, qui seipsum humilem et indignum et peccatorem æstimat. Deum vero non magnificat, sed quasi parvum in oculis suis facit qui seipsum altum et alicujus meriti esse putat, cum nihil sit, nec aliquid habeat, nisi quod ex Dei munere ministratur ei. Ergo unus iste magna voce Deum laudat, et magnificat, quando ex profunda cordis humilitate Deo soli gloriam, sibi deputat ignominiam, de cujus adhuc devotione figuraliter subjungitur :

A *Et cecidit in faciem suam ante pedes Jesu, gratias agens. Et hic erat Samaritanus.* Pedes Domini, quibus devotas suorum perambulat mentes electorum, sunt, ut in plerisque Scripturæ locis audistis, misericordia et judicium. Ante hos pedes cadit homo, cum ante faciem suam semper habet et misericordiam Dei et judicium Dei, sperans de Dei misericordia, et timens de judicio. Et modo hunc, modo illum amplexatur 832 pedem, quia ne recordatio solius judicii desperationem inducat, pedem misericordiæ amplexatur ; ne misericordiæ solius recordatio negligentiam et incuriam ingerat, timorem judicii ante oculos mentis semper ponit. Utrumque enim pedem non amplectitur, qui in elatione mentis versatur, pedemque misericordiæ ante faciem B suam non habet, dum opus misericordiæ Dei obliviscitur, et quasi misericordiæ Dei derogat, qui ipsa pauca, quæ videtur habere, bona, sibi arrogat. At, dum nil suis meritis attribuit, et Deum in humiliando seipsum magnificaverit, postmodum sequitur, ut *gratias agat*. Gratias agit homo, dum, quod sensu et affectu Deo tribuit bonis nihilominus operibus ad ædificationem aliorum ostendit. Quicunque tali ordine progreditur, est et erit *Samaritanus*, quod interpretatur *custos*, de quo evangelista subnectit, *et hic erat Samaritanus*. Vere enim Samaritanus, id est custos mentis erit, qui post acceptam gratiam emundationis ac pœnitentiæ, humilitatem, quæ custos virtutum est, bene vivendo in finem non deserit.

C *Respondens autem Jesus, dixit : Nonne decem mundati sunt, et novem ubi sunt ?* Quando homo totis desideriis suis Deo soli adunatur, et satisfactionem suam obtulerit, Dominus Jesus dans responsum interrogationibus suis, hominem introrsus revocat, ut super inenarrabilibus bonis ejus admirantem faciat, dicens : *Nonne decem mundati sunt ?* Ac si patenter Veritas dicat : Quod tui decem sensus mundi sunt a lepra elationis, non ex te habes, sed ex me. *Et novem ubi sunt ?* Ter tria novem efficiunt, et hoc trinario numero verba, opera et cogitationes possunt designari. Et est quasi Dominus dicat : Prius te extollebas de operibus sanctis, sermonibus bonis, desideriis rectis, nunc *novem* isti *ubi sunt ?* D Nusquam comparent, nusquam sunt apud te, quia mundati sunt per me.

833 *Non est inventus qui rediret, et daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.* Quando propriam gloriam, non meam quæsisti, non es inventus, ut redires et dares gloriam Deo, sed ex quo aliena a te fecisti, quæ mihi displicuerunt in te, jam bonus factus *alienigena*, non tuam, sed meam omnimodis requiris gloriam. Et quoniam nihil tibi adscribis, sed soli mihi omnia tua attribuis, *Surge, et vade, quia fides tua te salvum fecit. Surge*, dico, in prælatione, *vade* in ædificatione, ut bonum, quod interius gustasti, aliis innotescat, *quia fides* illa, quod te custodisti a peccatis, et omnia bona opera tua Deo soli attribuisti, *te salvum fecit.*

et perpetuæ saluti in futura vita te associabit. A

Sed et alio modo ad unumquemque electum verba hæc possunt referri, cui Deus in fine vitæ ab omni lepra peccatorum emundato dicit: *Surge, vade, quia fides tua te salvum fecit. Surge*, inquit, de inferiori tuo, relinque carnis claustra, *vade* ad paratas tibi in domo Patris mei mansiones, et quoniam soli mihi fidem conservasti, totum mihi, quod ex me habebas, tribuisti, perpetuo salvus eris, perpetuo faciem meam in gaudio videbis.

Respicit ad hunc sensum evangelicum hodierni officii excellentia, in qua homo a lepra emundatus Christo commendatur, et ut deinceps in magna custodia vivere studeat, admonetur. Sic enim cantamus: *Protector noster aspice, Deus, et respice in faciem Christi tui, quia melior est dies una in atriis* B
tuis super millia. Christus *unctus* dicitur. Unctus Dei et Christus Dei homo dicitur, quando ille, qui prius aridus erat, et succum dulcedinis Dei in se non habuit, donis Spiritus sancti perungitur et infunditur. Petimus itaque in Introitu missæ ut ille, qui protecto noster est, Christum suum nobis dando, semper nos unctos suos respiciat, semper nos in hoc custodiat, ut nomini ejus, non nostro, gloriam demus, *quia melior est dies una in atriis ejus super millia*, hoc est in corporibus et in animabus nostris, quæ per atria Domini possunt intelligi, melior est una dies cognitionis et illuminationis ejus *super millia*, id est antecellit et superexcellit universa opera et merita nostra. Ista meditantes, ista C
facientes sunt dilecta tabernacula Domini, de quibus subditur: *Quam dilecta tabernacula tua, Domine*
834 *virtutum, concupiscit et deficit anima mea in atria Domini* (*Psal.* LXXXIII, 1). Sunt enim tabernacula illa, in quibus Dominus ambulare et inhabitare dignatur, et hi tales sunt, quorum cor et anima concupiscit et deficit in atria Domini.

Talibus Paulus in Lectione hodierna loquitur dicens: *Spiritu ambulate, et desideria carnis ne perficiatis. Manifesta sunt autem opera carnis, quæ sunt adulteria, fornicationes, immunditia, luxuria, idolorum servitus, et his similia* (*Gal.* V, 16-19). Spiritu ambulant, qui carnalia desideria, etiamsi impugnent, opere perficere non appetunt. Quandiu enim vivimus, caro concupiscit adversus spiritum, et spi- D
ritus adversus carnem. Sed illi beati, qui spiritu ambulant, et desideria carnis non perficiunt.

Sed sciendum quod carnalia desideria non tantum sunt et dicuntur adulteria et fornicationes, sed et spiritualis quædam fornicatio animæ esse pronuntiatur, quando homo fornicatur a Deo. Quando, quæso, fornicatur a Deo? Tunc utique, cum ira, superbia, vana gloria peccat, quando humanæ laudis amor captatur, et bona multiformis gratiæ Dei, quæ sibi contulit, ad se potius quam ad ipsum, a quo totum accepit, referri desiderat. De talibus David ait: *Perdidisti omnem, qui fornicatur abs te* (*Psal.* LXXII, 27). Hinc imponitur: *Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine* (*Psal.* CXVII, 8), id est, melius est, imo optimum confidere in virtute Dei, quam præsumere in suis meritis. *Bonum est sperare in Domino, quam sperare in principibus* (*ibid.* 9). Qui principes, et qui servi nostri sunt? Interiores sensus nostri sunt principes, exteriores sensus servi nostri. Non in principibus neque in servis istis sperandum, sed potius in Domino Deo nostro sperandum et præsumendum. Quare? *Quoniam Deus magnus Dominus, et Rex magnus super omnem terram* (*Psal.* XCIV, 3). Ipse solus magnus et laude dignissimus, ipse solus Rex magnus, qui operatur omnia in omnibus, quoniam ipse est, de quo offertorium clamat: *Immittet angelus Domini in circuitu timentium eum, et eripiet eos; gustate et videte quoniam suavis est Dominus* (*Psal.* XXXIII, 8, 9). Angelus iste, quem Deus in circuitu timentium se immittit, donum gratiæ illius est, sine cujus munere homo nunquam videre et gustare valet quoniam suavis est Dominus.

835 Post ista omnia bene sequitur Communio: *Panis, quem ego dedero, caro mea est pro sæculi vita* (*Joan.* VI, 52). Quæ congrue fini Evangelii concordat, ubi dicitur, *surge, vade*, quia hoc est panem dare, scilicet post finem hujus vitæ Divinitatis et humanitatis Christi dulcedine electos quosque æternaliter satiare. *Custodi, Domine, Ecclesiam tuam propitiatione perpetua, et quia sine te labitur humana*
836 *mortalitas* in elatione, *tuis semper auxiliis abstrahatur a noxiis* superbiæ et extollentiæ mentis, *et ad salutaria*, vere humilitatis bona, te ducente *dirigatur*. Quod ipse præstare dignetur Dominus noster Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LXXXIII.

IN DOMINICAM XV POST PENTECOSTEN PRIMA.

Nemo potest duobus dominis servire (*Matth.* VI).

In præsenti hujus sancti Evangelii lectione Dominus noster Jesus Christus de magna perfectionis summa loquens, ad eamdem perfectionem discipulos exhortatur et instruit, omnemque sollicitudinem, tam in spiritualibus, quam in carnalibus rebus, de cordibus eorum tollendam esse admonuit. Putandum est enim non de visibili esca et potu sive vestitu tantopere eos, ne sollicitentur, admonuisse, sed potius pro invisibili esca et potu ac spiritali vestitu animæ et spiritus sollicitari non debere, eo quod in consequentibus ait: *Ne solliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis.* Pro quo tunc electi et perfecti exemplo apostolorum ejus non sunt solliciti, si quemadmodum Dominus in fine hujus Evangelii ait, *primum regnum Dei et justitiam ejus quærant*, id est ut cor suum, quod regnum Dei semper esse debet, omni custodia et puritate conservent, quia tunc spiritalem animæ cibum et potum, quo in Deo et cum Deo reficiantur, et indumentum justitiæ, quo per bona opera foris adornentur, absque sollicitudine in promptu et in usu habere possunt.

Bene autem enumeratis septem donis Spiritus

sancti a secundo octonario huic Dominicæ et Evangelio donum spiritus intellectus inscribitur, quia non imperfectis, non negligentibus, sed solis perfectissimis Christi apostolis et eorum imitatoribus, qui oculo spiritalis intelligentiæ illustrantur, sequenda proponitur. Ait ergo :

Nemo potest duobus dominis servire; aut enim unum odio habebit, et alterum contemnet. Duo isti domini valde sibi invicem contrarii, Christus est et diabolus, sive amor Dei et amor sæculi, quibus nemo pariter servire valet, quia quisquis hunc, qui jure contemnendus est, scilicet diabolum odio habuerit, alteri qui super omnia diligendus est, vero Domino Jesu Christo adhærebit. Sed et amor Dei et amor sæculi nulla ratione simul possunt haberi, quia præsentem mundum despicere est, transitoria non amare, est vere hominis pure Deum diligentis. Mundum vero diligere et transitoria ambire, proprium est perversorum, Deum odio habentium, et diabolo ex affectu servientium. Unde ne ab amore Domini avertamur, et mundi amore abducamur, iterum admonet et ait :

Non potestis Deo servire et mammonæ. Per *mammonam*, quod interpretatur *divitiæ*, non solum amor et appetitus temporalium rerum accipitur, sed et quidquid illud est, quod homo intenderit et plus quam Deum dilexerit, mammona recte nominatur. Porro non in Deum tendere, sed aliud quam Deum amare et quærere, est utique mammonæ servire.

Ideo dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis, neque corpori vestro, quid induamini. Ac si patenter Veritas dicat : Quomodo duobus dominis istis nemo servire potest, nemo eos pariter diligere, nemo potest pariter odio habere vel contemnere, *ideo dico vobis*, ut vos, tanquam perfecti, discipuli mei, verum Dominum diligatis, falsum odio habeatis; et qui primum regnum **837** Dei et justitiam ejus quærere, id est qui totum cor nostrum ab amore carnalium avertere et immaculatum mihi custodire debetis, pro eo qui *manducetis*, id est quem gustum contemplationis per amorem sublevati habere possitis, et quo *induamini*, hoc est quænam bona opera faciatis, nolo ut solliciti sitis. Si enim tales, quales vos esse oportet, estis, et a curis sæculi et a sollicitudinibus vitæ hujus vos sequestraveritis, donum gratiæ meæ, quod desideratis, opera justa, per quæ mihi placeatis, habere potestis. Sunt enim nonnulli, qui præpostero ordine ante meritum exigunt præmium, et dum se pravis quibusdam actibus coinquinaverunt, et post concupiscentias suas ierunt, audent nihilominus omni orationum instantia totius puritatis Dominum invitare, et pro cibo et potu spiritali tunc demum incassum sollicitari. Talibus justo Dei judicio contemplationis gustus non debetur, qui regnum Dei et justitiam ejus quærere minus convincuntur. Sequitur :

Nonne anima plus est quam esca, et corpus plus A *quam vestimentum? Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, et Pater vester cœlestis pascit illa.* Per *volatilia cœli* boni angeli possunt accipi, quorum intuitu homo terræ incola, involutus carni, quid faciendum sibi sit potest colligere, et quantum fas est mortalibus, in eorum comparatione esse sine sollicitudine. Illi *non serunt, neque congregant in horrea*, id est *non serunt* legendo, *non metunt* fructum lectionis percipiendo, *neque congregant in horrea*, id est ea quæ legerunt in memoriam recolligendo. *Sed Pater cœlestis pascit* illos pastione incomparabili, cujus vultum semper et absque ullo fine beati et immortales videbunt, et immortaliter pascentur hoc summo bono, quo pleni sunt, quo pleni permanebunt. Et est B quasi Dominus dicat : Si sanctos angelos meos talibus pascuis reficere consuevi, nunquid non etiam vobis, si puritati operam dederitis, dulcedinis meæ abundantiam dare paratus sum, quos sanguine meo redemi?

Nonne vos magis pluris estis illis? Hic quæstio oboritur. Nam si per volatilia cœli boni, ut diximus, angeli possunt designari, quoniam modo homo cinis et pulvis pluris pretii sit, quam illi, non facile valet intelligi. Sed adjuvante nos Spiritu sancto dicamus quod possumus, quodque **838** eo revelante sana fide, sano intellectu sentimus. Est angelica creatura dignior in conditione, sed homo magis pluris pretii illis est in redemptione, quia Deus Pater Filium C suum, pretium illud magnum et inæstimabile, pretium satisfactionis nostræ pro nobis redimendis dedit, nobis, inquam, nobis dedit, quia pro nobis incarnatus, nobis est datus, nobis crucifixus et mortuus, nec propterea venit in mundum, ut angelum, qui non peccaverat, restauraret, sed ut hominem, qui se peccatis exigentibus morti obnoxium fecerat, redimeret et liberaret. Sequitur :

Quis autem vestrum cogitans potest adjicere ad staturam suam cubitum unum? Sicut homo ad staturam suam cogitando cubitum non valet adjicere, sic homo ad perfectionis summam, quæ per *cubitum* designatur, *cogitando* non valet pervenire, nisi etiam per bona opera seipsum studeat dilatare et extendere. Unde in laude sponsæ, quæ se Sponso suo D Christo bene vivendo conformavit, in Canticis dicitur : *Statura tua assimilata est palmæ* (*Cant.* VII, 7). Quid per palmam nisi victoria Christi? Ubinam facta est victoria Christi? In morte ejus. Victoria ejus fuit, quando de hoste triumphans, mortem moriendo devicit. Ad hujus victoriæ imitationem nullus, ut diximus, *cogitando* potest venire, sed mortificando carnem suam cum vitiis et concupiscentiis.

Et de vestimento quid solliciti estis? Considerate lilia agri, quomodo crescunt; non laborant, neque nent. In præcedenti similitudine Dominus nobis exemplum tribuit de bonis angelis, de puritate cordis; in sequenti vero similitudine, quæ de malis angelis, qui per *lilia* possunt intelligi, proponitur, exemplum

nobis tribuit de operatione, quæ per *vestimentum* accipitur. Et non incongrue per *lilia agri* maligni spiritus possunt accipi, qui in tanta honoris et decoris pulchritudine conditi erant, ut non solum cœli, sed et terræ, quæ per agrum accipitur, ornamentum essent, si in sua gloria et dignitate Deo obediendo perstitissent. Quorum superbiam David intuens ait : *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper* (*Psal.* LXXIII, 23). Hinc est, quod primus ille angelus, qui contra Deum superbiendo intumuit, ait : *Ponam sedem meam ad aquilonem, sedebo in monte testamenti, similis ero Altissimo* (*Isai.* XIV, 13). Hinc Paulus ; *Qui elevatur*, inquit, *super omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur* (*II Thess.* II, 4).

839 *Non laborant, neque nent.* Maligni etenim spiritus *non laborant* superbiendo, nec laboriosum deputant, quod die noctuque in seductione justorum detinentur et laborant. *Neque nent.* Notum est quod is qui net, filum de sinistra ad dexteram trahit. Ac per hoc recte, ut æstimo, innuitur quia electi per omnem quæ in præsenti est vitam, quæ per dexteram significatur, huc tendunt. Hoc modo maligni *spiritus non nent*, quia non ad dexteram, sed ad sinistram trahunt omne quod agunt. Omnis enim labor et conatus eorum ad hoc solum tendit, quomodo justos a dextera ad sinistram, id est ab æterna vita ad æternam damnationem dejicere possunt. De quorum adhuc fortitudine Dominus subjungit, et ait :

Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est, sicut unum ex istis. Per *Salomonem*, qui interpretatur *pacificus*, Christus accipitur, *gloria ejus* caro ejus sive sancta Ecclesia intelligitur, per *unum* istud, unum, inquam, iniquorum omnium caput designatur. De hac gloria Paulus ait : *Vir, quidem imago et gloria Dei est; mulier autem gloria viri est* (*I Cor.* II, 7). Quæ mulier Ecclesiam designat, cujus vir et sponsus est Christus. Ipsa quoque non incongrue dici valet *gloria ejus*. *Salomon* itaque noster *in omni gloria sua coopertus non est, sicut unum ex istis*, quia sicut propter nimiam dignationem et dilectionem infirmus pro infirmis factus *in gloria*, hoc est in carne assumpta esurire, sitire cæterasque mortalis vitæ miserias præter peccatum sustinuit ; ita etiam in tota sancta Ecclesia nullum suorum uni huic, de quo diximus, hosti scilicet antiquo, qui caput nequitiæ in cœlo contra Deum erexit, in fortitudine æquiparari voluit, qui licet angelicæ dignitatis statum superbiendo perdiderit; angelicæ tamen subtilitatis vim non amisit, quia neque siti neque fame laborat, non dormit neque dormitat. Hinc colligere possumus quod hæc omnia Dominus ad consolationem suorum proposuerit, quia si tantam fortitudinem maligni spiritus a Deo reprobati acceperunt, quantam putamus consolationis et fortitudinis gratiam præstabit his, qui eum toto corde diligunt et quærunt? Unde consequenter subjungitur :

Si autem fenum, quod hodie est, et **840** *cras in clibanum mittitur, sic Deus vestit, quanto magis vos modicæ fidei?* Sicut superius per lilia malos spiritus posse designari diximus, propter dignitatem conditionis, sic etiam *fenum* dici possunt propter superbiam suam et inobedientiam. Hoc *fenum hodie*, id est in præsenti *est*, *cras autem*, id est in futuro, *in clibanum mittetur*, in incendium videlicet æternæ damnationis, dicente Domino in judicio : *Ite, maledicti, in ignem æternum, qui præparatus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* XXV, 41). Et est, quasi Dominus roborando et consolando fidelibus suis dicat : Si hoc fenum Deus sic vestit, id est si tam miræ fortitudinis et subtilitatis vim adversariis suis non negavit, *quanto magis vos* ad bona opera confortabit, et oblata vobis omni sollicitudine cibum lectionis, potum orationis, vestimentum sanctæ operationis abunde ministrabit.

Nolite ergo solliciti esse dicentes : Quid manducabimus, aut quid bibemus aut quo operiemur? Hæc enim omnia gentes inquirunt. Electi enim sic regnum suum, id est cor suum eliminatis immunditiis debent custodire, ut, in quantum mortalibus fas est, semper cœlestia quærere, semper cœlestia queant meditari, quoniam tunc juxta præceptum Domini raro habent sollicitari, quid manducent legendo, quid bibant orando, quo operiantur bene operando. *Hæc enim omnia gentes inquirunt.* Omnia hæc, id est cibum lectionis, potum orationis, vestimentum operationis *gentes inquirunt*, et habere volunt, qui tamen regnum Dei et justitiam ejus quærere nolunt, sed multa vitiorum spurcitia fœdi *gentes* per omnia sunt, quia secundum hoc quod geniti sunt, vivunt. Qui licet omnia hæc inquirant, tamen quia *gentes* sunt, et carni deserviunt, jure illis hoc negatur, quod regnum Dei et justitiam ejus quærentibus gratis et abunde desuper erogatur.

Scit enim Pater vester quia his omnibus indigetis. Pater vester cœlestis copiosus in misericordia, *quia his omnibus* suos novit *indigere*, scit etiam manum suam aperiendo largam benedictionis suæ gratiam indigentibus exhibere, si tantummodo verba hæc sequi non refugiant, quibus Dominus præsens Evangelium suum concludit dicens :

Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis. Regnum Dei, ut diximus, cor hominis est, quod semper homo beatus quærere, **841** et in custodia debet habere, quia, quid in eo agatur, quid versetur, sive bonum sive malum, debet perpendere. *Justitia autem ejus regni* est, tanta custodia et puritate cordis intima præmunire, ut solus ille Rex regum et Dominus dominantium in eo obtineat principatum et dominium. Taliter quærentibus regnum Dei et justitiam ejus *omnia hæc*, quæ prædiximus, *adjicientur*, id est *cibus* in lectione, *potus* in oratione, *vestimentum* in bona operatione. Revera quæcunque anima circa cordis sui custodiam exstiterit sollicita, quæcunque regnum Dei esse voluerit, hoc quod manducet, quod bibat, quo operiatur, **842** facile inveniet, quia talis anima, ut sæpe videmus, divinæ Scripturæ epulis re-

fecta, si aliis præesse debeat, ea quæ Deo revelante sentit, dulciter et fructuose proferre poterit, et post lectionis instantiam dulcem in oratione percipiet abundantiam, post orationis dulcedinem ad quæcunque opera bona convertitur, Deo adjuvante prosperabitur. Ut autem *omnia hæc* nobis *adjiciantur*, regnum Dei et justitiam ejus ante omnia nos quærere concedat, qui est Rex justitiæ, Dominus noster Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LXXXIV.

IN DOMINICAM XVI POST PENTECOSTEN PRIMA.

Ibat Jesus in civitatem quæ vocatur Naim, et ibant discipuli ejus cum eo, et turba copiosa (*Luc.* VII).

Scientes quia in medio umbræ mortis ambulamus, qualiter peccatis mori et justitiæ vivere possimus dignum est ut animadvertamus, quatenus de morte ad vitam translati, non de nobis, sed in Domino potius discamus gloriari. Quod enim ille cujus domum decet sanctitudo, Naim civitatem venire, quod discipulis et turbis comitantibus unicum matris filium dignatus est redonare vitæ, totum, inquam, hoc mysteriis venerabile optandam et inquirendam commendat salutem animæ. *Naim* namque *commotio* vel *fluctus* interpretatur. Civitas Naim non incongrue, ut æstimo, quamlibet spiritalem conversationem, vel specialiter quamlibet beatam animam exprimit, quæ dum pro peccatis suis, vel pro desiderio vitæ æternæ crebris commota suspiriis et gemitibus, continuos lacrymarum fluctus emittere non cessat, *civitas Naim* non inconvenienter dici poterit. Ad hanc Dominus et Salvator noster Jesus Christus tunc quodammodo intrat, quando per pietatis suæ gratiam invisibiliter eam intus visitat et illuminat. Eunt *cum eo discipuli ejus*, per quos bonas, sanctas et justas affectiones intelligere possumus, quia animam illam, ad quam iste visitandam et illuminandam introierit, bonis voluntatibus, sanctis desideriis suscitat et accendit. *Et turba copiosa.* In *turba copiosa* boni et compositi mores animæ possunt intelligi, qui quasi *turba copiosa* Dominum sequuntur, quando bonorum exercitatione operum exterius ostenduntur.

Cum autem appropinquaret portæ civitatis, ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suæ. Portæ civitatis nostræ Dominus appropinquat, dum cor nostrum dignanter illuminat Cui portas nostras aperimus, dum in veræ humilitatis confessione pandimus quod fecimus (*Justus* enim, ut scriptum est, *in principio accusator est sui* [*Prov.* XVIII, 17], et pro reatu negligentiæ unicum bonum nostrum nos amisisse inconsolabiliter confitendo ingemiscimus.

Sed per *portam civitatis* bonus aliquis prælatus non inconvenienter figuratur, per quem introitus Deo ad animam præparatur. Dum enim prædicatores sancti, fidelem animam prædicatione sua et doctrina ad amorem Dei erudiunt et accendunt, ipsi quidem *porta civitatis* fiunt, quia sponsum ad sponsam, Deum **843** videlicet ad beatam animam introducunt. Igitur *portæ civitatis* Dominus *appropinquat*, quando per inspirationis suæ gratiam verbum salutis doctori, quo utiliter tangere cor hominis possit, misericorditer subministrat. Sic, sic portæ civitatis Domino appropinquante, sic, inquam, doctore divinæ inspirationis instinctu verbum salutis, verbum veritatis prædicante, tandem impletur quod sequitur :

Ecce, inquit Evangelista, *defunctus efferebatur filius unicus matris suæ*. Per *defunctum* istum, qui *filius unicus matris suæ* fuisse describitur, exstinctus in anima fervor amoris et dulcedinis Dei non immerito figuratur. Quia, quemadmodum ille, qui unicus est matris suæ, tenerius fovetur, amplectitur et amatur, sic unicum illud bonum intimi saporis, donum dico divinæ dulcedinis et amoris, super omnia illa bona, quæ unquam in hac vita consequi beata anima poterit, ambitiosius quærit, ardentius concupiscit, vehementius diligit. Sed quia *unicus* iste *filius* desiderabilis divinæ dulcedinis fervor, plerumque in electis exstinguitur, quasi defunctum extra portam efferunt, quando expergefacti aliquando ad vocem prædicatoris miserabiliter deplorant, quod per affectionem dulcedinis internæ illum non sapiunt, pro cujus amore præsentis sæculi dulcedinem parvipendunt atque despiciunt. Sequitur :

Et hæc vidua erat et turba civitatis multa cum illa. *Vidua* ista eadem est, quæ et per civitatem exprimitur, fidelis anima, cujus maritus sermo Dei est, et dicitur ex cujus assiduitate et memoria unicus ille filius, dulcis scilicet fervor amoris Dei concipitur et generatur. Sed dum indurata in se anima verbo Dei non tangitur, verbo Dei non delectatur, quasi mortuo marito vidua reputatur Quia quemadmodum mortuus maritus cum vivente uxore positus, non gaudium, sed dolorem et gemitum mulieri viduæ multiplicat, sic verbum Dei quasi mortuum in anima jacet, dum quidem audit illud, sed non sapit, dum nullum jucunditatis et lætitiæ spiritalis fructum intrinsecus ex eo capit.

Verumtamen, quod propter defectum **844** gratiæ interioris a studio cessare non debeat bonæ operationis, mystice innuitur, cum protinus infertur : *Et turba civitatis multa cum illa.* Turba civitatis multa bona et justa sunt opera intelligenda, quia tendens ad Deum anima, licet viduata sit marito, licet orbata sit filio, licet inquam, divini eloquium sermonis nullo modo ei sapiat, licet exstincto in se fervore amoris et dulcedinis divinæ nullum vitalis, hoc est spiritalis refrigerium dulcedinis sentiat interius, a bonis tamen operibus nullo modo cessare debet exterius. Nam, quod ab anima illa gratia miserationis et consolationis divinæ longinqua non sit mystice innuitur, cum subjungitur :

Quam cum vidisset Jesus, misericordia motus est super illam dicens : Noli flere. Videre Jesu est diligere Jesu. Quod autem ait, *quam cum vidisset Jesus*, et ad viduam, et ad turbam referre possumus. Videt etenim et viduam dolentem, videt et turbam

sequentem, quia et dolorem, quo subtracta dulcedinis internæ gratia intus affecta sauciatur, et studium bonorum operum, quibus exterius non cessat insistere, libenter considerat, misericorditer diligit et approbat. Unde, ut ait evangelista, *motus super illam misericordia*, mox consolationis et gratiæ subintulit verba dicens : *Noli flere*. Dicere Dei est facere Dei. Et est quasi dicat : Voluntatem flendi habere velles, velles per intimi saporis delectationem ad desideratum amoris mei pertingere fervorem, sed *noli flere*, noli, inquam, dolorem cordis tui foris ostendendo, ad ostentationem, dico, inanis gloriæ manifestando illud, quod a me sperare debes, doloris tui præmium delere. Ego enim sum, qui in te ista feci, qui gratiam dulcedinis meæ ad horam subtraxi tibi, non in ira, non in vindicta, sed in misericordia mea, ut abundantius eam recipias, et sollicitius eam in humilitate conserves. Habito hujusmodi familiari cum beata anima colloquio, tandem quod misericorditer promittit, secundum subjectæ litteræ consequentiam fideliter adimplere incipit. Nam sequitur :

Et accessit, et tetigit loculum. Accedit quippe, cum primo per inspiratum **845** timorem affectum pœnitentis efficit; *tangit* vero *loculum*, dum humili et parvo cordis loco tactu supervenientis gratiæ in amore cœlestium gaudiorum inflammato amabilius et dulcius sese ingerit. Sicque fit ut perfecta compunctio timoris tradat animo compunctionem divini amoris. Cordi denique humiliato, quod vera humilitas humiliat, summa majestas nimis facile se ad manendum inclinat. *Super quem enim*, ait, *requiescam, nisi super humilem et quietum, et trementem sermones meos?* (*Isa.* LXVI, 2.) Cum ergo hi duo motus, stimulus videlicet timoris, et fervor amoris mentem imbuerint, ampliorem duntaxat donorum Dei gratiam homini accedere, pandit denuo sermo narrationis evangelicæ.

Hi autem qui portabant, steterunt. Depositis namque carnalium desideriorum illecebris, *stare* fortiter in Domino, et post concupiscentias suas nequaquam ultra ire consentit, et quod minus potuit per naturam, jam possidere incipit per gratiam. More quippe stantis perstat immobilis, quia exterius minime per concupiscentiam sparsus, in veri luminis mansione mentis figit gradus.

Et ait : Adolescens, tibi dico : Surge. Non puerum, non senem, sed *adolescentem* esse decernit, cujus animum ardens dilectionis ignis in interiorem quietis intimæ securitatem, orationis ascensu, vehementer accendit. Quis namque puerum, quis senem inveteratum ineptos esse ad amorem nesciat ? quis adolescentem in affectione amoris fervere ambigat ? Dicat itaque Dominus, dicat non puero, non seni, sed *adolescenti, adolescentem* esse præcipiat quod idem est ac si dicat : *Tibi dico* ut sis *adolescens*, hoc est non frigidus, non torpens, sed dilectionis meæ magnitudine fervescens, quatenus in charitate fundatus et radicatus valentior surgas, ad bona omnia promptus et paratus. *Surge*, inquit. Despiciens etenim infima, tenet ad cœlestia appetenda subleva, et *surge* jam vivus et validus, qui paulo ante tristi funere exanimis jacebas, et mortuus. Cum ergo electum quemlibet tali inspiratione Dominus alloquitur, fit mirum in modum quod sequitur :

Et resedit qui erat mortuus, et **846** *cœpit loqui.* Quod non simpliciter sedisse, sed resedisse perhibetur, hoc profecto innuit quod etiam aliquando grata et accepta Deo opera faciendo laudabiliter sedit ; et qui *mortuus* memoratur fuisse, prius credendus est vixisse. Nam lapidi et ligno, cui vita denegatur, mortis nomen non assignatur. Laudabili igitur sessione residet qui in pristina comtemplatione requiescit ; et, *qui erat mortuus, reviviscit*, dum ipsa vita, quæ est Christus, pro voto et desiderio animi jam perfrui incipit. *Et cœpit loqui.* Nam dum mentem ejus torrens ille voluptatis amica suavitate repleverit, aptum profecto est, ut rivi prodeant non solum bonæ actionis, sed et sanctæ et fructuosæ prædicationis, quatenus pridem torpentes loquendo et exhortando accendere possit, in cujus meditatione ignis divinus exarsit. Sequitur :

Et dedit illum matri suæ. Dat illum matri suæ, quando mater anima quidquid boni habet, non ex se, sed ex donante Deo habere se recognoscit, et non sibi nec meritis suis, sed illi soli a quo habet, humiliter attribuit. Recte autem post hæc subjunctum est.

Accepit autem omnes timor : Quia postquam veraciter in se donum Dei recognoverit, incipit in timore conservare quidquid ex Deo habet, ut nulla levitate perdat, quod solius Dei donum esse considerat. Unde sequitur :

Et magnificabant Deum. Deum quoque magnificat qui seipsum, ut ita dixerim, parvificat. Sic nimirum seipsum humiliando, Deum exaltando, humiliter gratias agere incipit Deo discendo :

Quia propheta magnus surrexit in nobis, et quia Deus visitavit plebem suam. In duobus membris versiculi hujus duos illos motus animi, timorem videlicet et amorem accipere possumus. *Propheta magnus surgit* in homine, quando visitat Deus cor hominis per timorem. Timor enim est qui prophetat de timore futuri supplicii. Et quia Deus charitas est, *visitat Deus plebem suam*, quando tangit cor hominis per amorem, ut et propter timorem futuri supplicii a malis sollicite se custodiat, et propter amorem et spem vitæ cœlestis bonis, quibuscunque potest, incessanter insistere studeat.

847 Ad hunc timorem et amorem suscitet nos qui creavit et redemit nos, nosque a morte animæ resuscitatos in stadio vitæ præsentis perire non permittat. Sed quos puerilis sensus ineptos, et annosa criminum vetustas velut exstinctos reddidit, spiritali animæ adolescentia fervere et vigere concedat, quatenus carnalia desideria spiritali dominatione calcantes, domum Domini quandoque lætantes introire mereamur, præstante Domino nostro Jesu

Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LXXXV

IN DOMINICAM XVII POST PENTECOSTEN PRIMA.

Cum intraret Jesus in domum cujusdam principis Pharisæorum Sabbato manducare panem, et ipsi observabant eum (*Luc.* XIV).

Sicut diximus aliquando, si meminit charitas vestra, de tribus octonariis, in quos divisimus ordinem Dominicarum æstivalium, tertius in hac Dominica octonarius inchoatur, qui, ductus usque in adventum Domini docet nos et instruit quo studio, quo laboris exercitio vigilandum nobis sit contra ea quæ principalia vitia dicuntur, quibus homo, quandiu in hac vita subsistit, impugnatur et inquietatur.

Et recte quidem æterna Dei sapientia in principio octonarii hujus contra primum summum, ut ita dixerim, vitium, quod est superbia, disputat. Quod recte primum et summum dicitur, quia et summum angelum dejecit, et primum hominem decepit. Et quia hoc Domini miraculum, quod in curatione hydropici ostendit, *Sabbato* factum est, tota vis lectionis hujus ad Sabbatum tendit, quia quietem vitæ spiritalis, quæ per sabbatum exprimitur, in qua vacare a vitiis, invigilare virtutibus debemus, nobis commendat.

Convenit huic Sabbato *Alleluia* hodierni officii, in quo canimus dicentes : *In exitu Israel ex Ægypto, domus Jacob de populo barbaro, facta est Judæa sanctificatio ejus, Israel potestas ejus* (*Psal.* CXIII, 1, 2). Ægyptus est mundus, populus barbarus sunt vitia. Ex Ægypto exeunt qui relicto sæculo vitia carnis derelinquunt. Quibus convenit versus :

Facta est Judæa sanctificatio ejus, quando præbet eis Deus post veram confessionem veram sanctificationem. *Fit Israel potestas ejus*, quando sicut de
848 effectu malarum actionum, sic etiam de consensu malarum cogitationum, expurgati per misericordiam Dei ad hoc posse perveniunt, quod possunt *Israel* fieri, hoc est quod possunt videre Deum in dulcedine cordis sui. Hanc sanctificationem a vitiis, et hoc posse videndi Deum in dulcedine illuminati cordis, petimus in oratione hodierna, qua dicimus : *Da, quæsumus, Domine, populo tuo diabolica vitare contagia, et te solum Deum pura mente sectari.*

His bræviter præmissis, antequam sensum Evangelii ingrediamur, summam quamdam ex eadem lectione dicimus, quam non solum simplicioribus, sed etiam altiora in verbis Dei sapientibus et quærentibus, utilem esse credimus.

Sabbatum istud, in quo Dominus et Salvator noster in domum principis Pharisæorum intravit, ubi et hydropicum sanavit, significat nobis bonam quamlibet et spiritalem conversationem, in qua sabbatizandum est a servilibus operibus, quæ fieri in Sabbato per legem prohibebantur, id est a peccatis et vitiis, quæ per servilia opera designantur. Quia vero Unigenitus Dei hominem infirmum Sabbato curavit, nec Sabbatum per hoc violavit, per hoc innuitur quia, quanto dies sanctior, tanto ad agenda quæ bona sunt aptior est et convenientior.

Quod autem legisperitos et Pharisæos, si Sabbato curare liceret, interrogat, ipsisque tacentibus apprehensum hydropicum sanat, per hoc mystice nobis insinuat quia, etsi sint Pharisæi, qui quasi ex quadam perfectione et spiritalis disciplinæ 849
rigore, hominem in Sabbato constitutum, hominem spiritalis vitæ sanctimoniam professum si supplantante diabolo in aliquod lethale crimen deciderit, contemnendum dicant et abjiciendum, sic æ misericordissimæ (quia omnes homines vult salvos fieri) non esse voluntatis, ut pereat, ut desperetur, sed ut colligatur, curetur et sanetur. Sane si nihil plus in hac sacra Evangelii lectione utilitatis esset, iste solus versiculus ad consolationem et exemplum divinæ pietatis sufficere nobis posset. Verum quia manna est verbum Dei, diversum legentibus se et discutientibus præstans dulcedinis, ædificationis et doctrinæ delectamentum, teramus, manducemus, ruminemus, si quid forte ex hac sacra Evangelii lectione, ex ipsius Dei dono nobis occurrat quod sapiat, quod ædificet, quod doceat.

Cum intraret Jesus in domum cujusdam principis Pharisæorum Sabbato manducare panem, et ipsi observabant eum. Pharisæi, qui *divisi* interpretantur, typum eorum præferunt, qui relicta communi sæculi vita a peccatis et vitiis se diviserunt. Quorum *princeps* bonus quivis prælatus est et dicitur : *Domus* hujus principis vel sancta Ecclesia generaliter, vel *sancta* quælibet congregatio, vel specialiter quælibet bona anima accipitur. *Intrat Jesus in domum principis Pharisæorum*, quando vel sanctæ Ecclesiæ, vel sanctæ cuilibet congregationi, vel beatæ cuilibet animæ per visitationis suæ gratiam appropinquat.

Sed, quando, aut quare intrat? *Sabbato manducare panem.* Sabbatum, quod erat dies requietionis, significat quietem mentis. Dum enim homo a peccatis et vitiis, tum etiam a perturbationibus, quæ in spiritali vita occurrere possunt, quamdam sibimetipsi quietem facit, Deum omnipotentem domum suam introducit. Libenter quidem ibi intrat, ut panem comedat. Cibus Dei salus nostra est. Ergo cum pie sancteque vivendo saluti nostræ insistimus, cum Deo reficimur, et in nobis Deum reficimus.

Post mutuam hanc Dei cum homine et hominis cum Deo refectionem, 850 fit tandem quod sequitur, *et ipsi observabant eum.* Judæi observabant eum malitiose, observabant eum, ut reprehenderent et a se repellerent ; isti observant eum, ne perdant eum. Observant plane quando veniat, observant quo modo veniat, an per dulcedinem amoris ut mulceat, an per spiritum timoris ut terreat. Observant eum, ne aliquid, quod venientem offendat vel retardet, admittant ; observant quomodo per puritatem cordis sanctæque operationis studium venientem apud se manere faciant. Tales observatio-

nes placent Deo. Sed quia talis est præsentis vitæ mutabilitas, quod nullum bonum hominis tam purum esse potest, cui aut ex infirmitate ipsius hominis, aut ex malitia antiqui hostis malum non admisceatur, sicut nec malum aliquod est quod plerumque bonum non sequatur, continuo subinfertur :

Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum. Sumus enim in quadam medietate, et eorum qui supra nos sunt, et eorum qui infra nos sunt. Supra nos Deus est cum angelis suis et sanctis animabus ; ibi quoque nullum malum est. Infra nos est diabolus cum apostaticis spiritibus et perditis animabus ibi quoque nullum bonum est. In horum medietate nos sumus, sicut diximus, mixti boni cum malis, mali cum bonis, quorum quidam tendunt et ascendunt ad superos, quidam ex nobis tendunt et descendunt ad inferos. Ergo quia talis est hæc nostra medietas, ut in male constituti malum effugere non possumus, sed plerumque, quanto proficiens in virtutibus sagacior homo est ad agenda bona, tanto facilius subrepit, quæ primum hominem stravit, superbia, post bona illa quæ præmisimus, subjungitur : *Et ecce homo quidam hydropicus.* Fit homo *hydropicus* coram Domino, quando aut pro collatis sibi a Deo virtutibus, aut etiam pro bonis suis actibus intumescit in se et inflatur, et per hoc defraudat seipsum præmio suo, quod merebatur. Quem tamen omnipotens Dominus, quia pius est, non patitur perire, sed docet eum et admonet, quomodo ad se intra se debeat redire. Unde sequitur :

851 *Et respondens Jesus dixit ad legisperitos et Pharisæos dicens. Legisperiti* appellantur, qui et a Deo interius, et per doctrinæ scientiam edocti exterius, sciunt et cognoscunt bona quæ agenda sunt. Pharisæi dicuntur qui bona quæ sciunt et cognoscunt, bonis operibus exsequuntur.

Si licet Sabbato curare ? Ista Domini interrogatio nostra doctrina est. Ideo enim ipse interrogat, ut nos ignorantes scientes faciat, ut sciamus, inquam, quia licitum est nobis, ut Sabbato curemur, hoc est si delinquimus, iterum ad Sabbatum, iterum ad quietem mentis nostræ recurrere festinemus, et vitium, quod nos læsit, humiliter nosmetipsos agnoscentes emendemus. Tunc enim vere impletur in nobis quod sequitur :

At illi tacuerunt. Tacent hi qui clamabant, quando in ipsa mentis quietudine, homine humiliter incumbente, vitia conquiescunt.

Ipse vero apprehensum sanavit ac dimisit. Apprehendere est, dum hoc quod longe est a se, quasi vi quadam homo trahit ad se. Apprehendit itaque Deus hominem, qui se ab ipso peccando elongaverat, quando eum in quadam internæ dulcedinis familiaritate stringit ad se. Sicque implebitur apostolicum illud quod dicitur : *Qui adhæret Deo, unus spiritus est cum ipso* (*I Cor.* VI, 17). Sanat eum, quia per talem hanc sui apprehensionem, veram hominis salutem operatur. Dimittit eum, quando vere humiliat eum. Dicitur enim *dimittere*, quasi

A *demittere.* Bene igitur homo dimittitur, quando per veram humilitatem Deo submittitur. Quia vero impossibile est ut homo in hac vita unquam ad tantam perfectionem, tantamque cordis ac corporis sanctimoniam ascendat, quin cadere valeat, docet nos rursum Dominus, quomodo resurgere post lapsum debeamus. Nam sequitur :

Et respondens ad illos dixit : Cujus vestrum asinus aut bos in puteum cadit, et non continuo extrahit eum in die Sabbati? Secunda hæc Domini interrogatio rursum est perfecta nostra eruditio. Asinus, sicut dicit lex, animal est immundum, bos animal mundum. Asinus est sensus noster, quando ad cogitanda ea quæ immunda vitæque castimoniæ et sanctificationi contraria sunt, inclinamus. **852** Bos est sensus

B noster, quando munda quæque et rationabilia meditamur. Asinus noster in puteum cadit, quando ex immunditia cogitationum in concupiscentiam carnis labimur. Bos noster in puteum cadit, quando ex mundis cogitationibus et sanctis desideriis, quibus cæteris hominibus præstare nos credimus, superbiendo intumescimus. Ergo quod ait Dominus : *Cujus vestrum asinus aut bos in puteum cadit, et non continuo extrahit eum die Sabbati?* per hoc docet nos ut, si aliqua immunda cogitatio in carnalem concupiscentiam, quod est immunditia carnis, vel aliqua munda cogitatio in superbiam, quod est immunditia cordis, nos præcipitaverit, non in his moram faciamus, sed *continuo* et asinum et bovem nostrum

C de puteo perditionis hujus extrahamus, et hoc *in die Sabbati*, in illuminatione videlicet cordis nostri. Sed quia paucorum est ista virtus, apte subjunctum est :

Et non poterant ad hæc respondere illi. Respondere Deo dicuntur, qui hanc Domini doctrinam factis exsequuntur. Quia vero nemo est, qui hæc continuo faciat, qui aut ex concupiscentia carnis, quæ surgit ex immunditia cogitationum, aut ex immunditia cordis, quam parit superbia mentis, in eadem hora, qua in se ista senserit, facile se evolvere possit, subjungit Dominus doctrinam, ut si evadere non possint puteum istum, quin incidant, doctrinam habeant, quomodo resurgere valeant. Sequitur ergo :

Dicebat autem et ad invitatos parobolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos :

D *Cum invitatus fueris ad nuptias, ne discumbas in primo loco, ne forte honoratior te sit invitatus ab illo. Et veniens is, qui te et illum invitavit dicat tibi : Da huic locum ; et tunc incipies cum rubore novissimum locum tenere.* Quid, rogo, quid his verbis Dominus docemur, nisi ut superbiam fugiamus, humilitati operam demus? Nos quoque, nos sumus, qui tunc quasi invitati nuptias intravimus, quando relicto sæculo spiritalis vitæ propositum agressi sumus. Admonet ergo nos Dominus ut non *in primo*, sed in *novissimo loco discumbamus*, hoc est ut **853** nullius honorem dignitatis nobis affectantes, alicui hominum nos præferamus, nostra æstimatione omnium infimos, omnium nos novissimos dicamus et credamus. Sunt enim nonnulli qui se omnium

ultimos, omnium novissimos interdum dicunt et A fatentur, nullius se meriti esse inter cæteros, cum quibus sunt, spiritalis vitæ æmulatores conqueruntur. Qui tamen, si ab aliis secundum sua verba judicarentur vel haberentur, afflicti in semetipsis et conturbati dolerent, gemerent, contradicerent, illis a quibus contemnerentur et injuriarentur, in nullo inferiores clamarent et protestarentur. Ille vero recte et vere novissimum locum tenet qui et humilia de semetipso sentit, et si ab aliis contemnitur, humiliter et patienter sustinet; qui sic in novissimo loco recumbit, quod per veram se humilitatem omnibus propter Deum humilibus submittit. Hic etsi non ante, in novissimo tamen vitæ suæ tempore audire meretur a Domino : *Amice, ascende superius.* Ascendere superius jubetur, quando exemptus ex B vitæ hujus miseriis, æternæ beatitudini adjudicabitur. Ibi implebitur quod sequitur :

Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus. Coram simul discumbentibus gloriabitur, quando coram sanctis angelicis spiritibus et sanctis electis animabus æternitatis beatitudine coronabitur.

Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur. Omnis, inquit, *qui se exaltat* in conscientia, *humiliabitur* in pœnitentia; *et qui se humiliat* in pœnitentia, *exaltabitur* in gloria. Hæc sunt verba sancti Evangelii, quæ pro modulo nostro exponendo transcurrimus. Nunc parabolam diligentius intueamur, si quid subtilius in ea donante Deo invenire vel videre valeamus.

C *Cum invitatus fueris ad nuptias, ne discumbas in primo loco.* Nuptiæ nec dici nec esse possunt, ubi principales duæ illæ personæ, sponsus videlicet et sponsa non adsunt. Quasi ad nuptias homo invitatur, quando ad sponsalem illam dilectionis Dei dulcedinem, in qua seipsum Deus animæ dat, per supernæ aspirationis gratiam intus vocatur. In his **854** tandem nuptiis quomodo se contineat, qualiter sedeat, sequens dictio demonstrat :

Ne discumbas, inquit, *in primo loco.* Duo tantum loca nominat hic Dominus, *primum* videlicet et *novissimum.* Congrue autem per hæc duo loca accipi possunt duo motus animi, motus videlicet timoris et motus amoris. Motu timoris homo tangitur, quando ex recordatione peccatorum et timore pœnarum D compungitur; motu amoris tangitur, quando ex sola dulcedine dilectionis Dei et desiderio regni cœlorum compungitur. Sed quia sunt nonnulli, qui sufficere sibi credunt, si in spiritu timoris saltem plangere peccata sua possint, nec possibile æstimant, ut ad internam illam dulcedinem, quæ ex amore Dei nascitur, aliquomodo pertingere valeant, recte ait Dominus, *ne discumbas in primo loco.* Primus locus locus est timoris, quia primum est, ut homo Deum timeat, propter timorem Dei et admissa defleat, et admittenda caveat. Sed in hoc primo loco non est discumbendum, non est quiescendum, sed ad locum *novissimum,* qui est motus amoris, toto cordis corporisque annisu satagendum et festinandum. Neque enim tam pauper, tamque impotens est qui eum vocavit, quin promovere et perducere eum possit ad quod vocavit. Adjecit ergo, et ait :

Ne forte honoratior te sit invitatus ab illo. Per honoratiorem istum sano intellectu intelligere possumus Spiritum sanctum, qui quasi *forte invitatus* a Domino dicitur, quando fortuito, id est subito et ex improviso, inopinata visitationis suæ gratia in auxilium hominis a Deo mittitur. Nec prætereundum quod dicit, *honoratior te.* Est enim quasi dicat : Si tu pro bonis tuis actibus et virtutibus, quas accepisti, honorabilem te et honorandum existimas, est *honoratior te,* multoque majore honorandus, colendus, venerandus honore, a quo hæc omnia habes, sine cujus nutu et gratia nihil vales.

Sed quid est quod sequitur : *Et veniens is qui te et illum invitavit, dicat tibi : Da huic locum?* Veniens iste, qui hunc et illum invitat, est omnipotens Deus qui et hominem invitat aspirando, Spiritum sanctum invitat **855** in auxilium homini mittendo, quia, quæcunque in homine operatur, per gratiam Spiritus sancti operatur. Dicit quidem, da huic locum, quando expulsis peccatorum sordibus acceptabile habitaculum Spiritus sancti cor hominis facit. Ibi vere impletur quod sequitur :

Et tunc incipies cum rubore novissimum locum tenere. Rubor iste memoriam passionis et sanguinis Christi videtur exprimere. *Cum rubore novissimum locum tenere incipit,* quando ex memoria passionis et sanguinis Christi succensus igne divini amoris, totum cordis sui affectum transfert in Deum. Hoc est enim quod sequitur : *Sed cum vocatus fueris ad nuptias, vade, recumbe in novissimo loco.*

Sed cur dicit, *vade?* Ideo quia sunt nonnulli qui sentiunt aliquando intrinsecus vocari se per gratiam Dei, et tamen non vadunt, quia in sui torporis ignavia jacentes, vocantem gratiam sequi nolunt. Ille autem vadit, qui vocanti gratiæ Dei bene vivendo cooperari non negligit. In novissimo loco recumbit, quando per divini amoris dulcedinem in Deo requiescere incipit. Et bene per novissimum locum amor Dei exprimitur, quia vere ibi homo innovatur. In hac saluberrima innovatione hominis impletur quod sequitur :

Ut dicat tibi qui te invitavit : Amice, ascende superius. Ac si dicat : Amicum te nomino, quia et peccata tua pœnitendo et mandata mea operibus exsequendo, amice mecum egisse te recognosco. *Ascende superius. Ascende* de cognitione tui ad cognitionem mei. Quia vero plena et perfecta Dei cognitio hic non datur, sed in æternam vitam electis Dei reservatur (*hæc est* enim, ait Dominus, *vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum* [*Joan.* XVII, 3]) apte subjungit : *Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus. Gloria* ista, ut in celsitudine divinitatis et humilitatis meæ me, sicuti sum, cognoscere possis, nunc, id est in præsenti vita non erit; cum autem præsentis vitæ **856** miserias transieris, et promissa regni cœle-

stis gaudia adeptus fueris, *tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus*, sanctis videlicet angelis meis et electis hominibus. Ibi enim vere gloriaberis, ubi æternaliter faciem meam contemplando, æternæ beatitudinis incommutabilitate in mea mecum gloria firmaberis. In præsenti vita non erit ista gloria, *quia omnis qui se exaltat humiliabitur, et omnis qui se humiliat exaltabitur.* Per *omnem* istum, *qui se exaltat*, protoplastum primum, parentem nostrum Adam, non inconvenienter accipimus, qui ideo non injuste *omnis* dicitur, quia omnis humano propago in ipso fuit, ex ipso processit. Omnis iste exaltavit se, quando in paradiso dicente per serpentem diabolo, *eritis sicut dii*, æqualis Deo voluit fieri. Sed dum super se exaltari voluit, infra se humiliatus cecidit. *Omnis* igitur, qui imitator est Adæ, *qui se exaltat* super se, *humiliabitur* ad exemplum Adæ. Quæ est ista humiliatio, nisi præsentis vitæ miseria, afflictio et turbatio, cui semper subjacebunt, quia redundantem in se exaltationem Adæ semper in hac vita dolebunt?

Sed sicut Adam vetus exaltando se dolores et gemitus suis imitatoribus contulit, sic Adam novus, unigenitus Dei Filius humiliando se dolores nostros portavit, et portando evacuavit. Sequitur ergo: *Et qui se humiliat, exaltabitur.* Quis est iste qui se humiliat, nisi ipse qui hæc loquitur, Dominus et Salvator noster qui de altitudine suæ divinitatis, ad infima nostræ descendit infirmitatis. *Omnis* igitur qui, ad imitationem ejus alta relinquendo, humilia desiderando, *se* in præsenti vita *humiliat*, in futura vita *exaltabitur*, ubi cum Patre et Filio et Spiritu sancto sine fine gaudebit et exsultabit. Ad hanc exaltationem perducat nos unigenitus Dei Filius, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

857 HOMILIA LXXXVI.

IN DOMINICAM XVIII POST PENTECOSTEN PRIMA.

Accesserunt ad Jesum Pharisæi, et interrogavit eum unus ex eis legisperitus tentans eum: Magister, quod est mandatum magnum in lege? (*Matth.* XXII.)

Licet tota sacra Scriptura sit vera doctrina, per quam credentibus et justis æternæ beatitudinis promittitur vita tamen sacrosanctæ evangelicæ lectionis verba, quæ ipsa Dei sapientia in carne apparens proposuit et docuit, superexcellunt universa, quia hæc sunt via et veritas, per quam nunquam fallitur homo aut seducitur, qui ad veram perfectionem et æternam remunerationem pervenire nititur. Quod si interdum verba litteræ aliquantulum durius sonare videntur, tamen sensus mysticus, qui intus latet, admodum dulcis est et suavis. Non enim multum utilitatis conferret, quod semper revoluto anni circulo legitur de interrogatione hac, qua Judæi de Christo cujus Filius sit interrogant, cum Dei gratia cunctis sit notum fidelibus, quod beatæ Mariæ semper virginis filius sit secundum humanitatem, et æterni Patris Filius secundum divinitatem. Sed in magno hujus lectionis mysterio quædam nobis su-

A blimis valde et eminens vitæ nostræ, quam assequi et habere debemus, commendatur perfectio. De qua lectione, etsi aliquid Deo donante videmus, hoc ipsum quod oculis cordis utcunque sublucet, nequaquam, sicuti deberemus et vellemus, proferre valemus. Sed quia ad omnia dicta et facta nostra ductor et doctor noster debet esse Spiritus sanctus, dicamus ad honorem Dei quod possumus.

Accesserunt ad Jesum Pharisæi. Pharisæi interpretantur *divisi*. Fit, ut mihi videtur, in homine, necdum de sæculo converso, bona quædam divisio, dum cogitare incipit de animæ suæ periculo. Ex qua cogitatione et inspiratione, qua sollicitatur pro anima sua, dividi incipit a mundo et conjungi Deo. Sed quandiu nondum mutato sæculari habitu **858** con-
B jungitur mundo, in ea parte disjunctus est Deo. In hac bona et salubri divisione facit accessum quemdam ad Jesum. Jesus interpretatur *Salvator*, sive *Salutaris*. Ex illa divisione, qua dividi incipit a mundo sensu et cogitatione, facit ad Jesum quemdam accessum, quia salutis et felicitatis suæ quærit profectum.

Post illud accedere surgit, dum pristinam conversationem relinquit. Surgit *unus ex eis*, qui aliquando erat ex multis; fit vir unus ille de Ramatha (*I Reg.* I, 1), quia unum illud, quod est necessarium, inquirit, quod David propheta desideravit, qui dicebat: *Unam petii a Domino, hanc requiram* (*Psal.* XXVI, 4). Post necessarium istud surgere legis etiam
C doctor debet esse. Legis doctrina hæc est: Declinare a malo, et facere bonum. Hanc doctrinam legis discat ac firmiter teneat, ut vigilanter et circumspecte declinet a malo et prudenter faciat bonum. Quam nimirum legem cum didicerit et opere adimpleverit, legis doctor sit necesse est, quatenus, si prælatus est, aliis in regimine, verbo et exemplo quod didicit proponat. Si vero prælatus non est, doctor tamen legis sit in vita sua, ut legant omnes in quorum medio est, in ejus vita, hoc quod prædicare ei non commissum est per linguam.

Qui legisperitus tentare et interrogare debet Dominum, dicens: *Magister, quod est mandatum magnum in lege?* Sicuti est tentatio mala, sic est et tentatio bona. Tentare proprie hoc dicitur, sive bonum
D sive malum sit, quando homo seipsum probat, scire volens si hoc quod facere deliberat, possit facere, aut non possit. Bene itaque homo tentat Deum, cum in spiritali vita positus probat seipsum, si in fragili corpore aliquid servitutis et laboris Deo valeat impendere, **859** et si adhuc quod vellet non potest perficere præ infirmitate, iterum iterumque tentat; quod est utique bonum et laudabile tentare. Tentat etiam Deum, cum in oratione sua divinum implorat auxilium; et si semel ac secundo et tertio audiri non meretur, repulsam suam patienter ferens iterum accedit, et pulsat ad januam misericordiæ Dei, exspectans, si quando tandem mereatur exaudiri; tentat et interrogat in lectione, tentat in oratione, tentat in assidua meditatione. In hac bona et

sancta tentatione, tali, ut evangelista dicit, utitur A interrogatione : *Magister : quid est mandatum magnum in lege? Magister* nomen est timoris. Et est quasi dicat : Patrem meum nominare te non audeo, quia filialem tibi dilectionem non exhibui ; tantum *Magistrum* meum te appello et vocito, quia ut Magistrum meum te timere debeo, sub magisterio tuo amodo vivere volo, quia, quæ hactenus feci et commisi, a te non didici, et quia tu es qui doces hominem scientiam, et *beatus homo*, ut Psalmista ait, *quem erudieris, Domine* (*Psal.* XCIII, 12). Doce me facere quid velis, et ostende quod sit *magnum mandatum in lege*. Parva et minima pœnitentia opus non habeo, quæ illis sufficit qui tibi placuerunt in sua innocentia. *Magnum mandatum* magnæ pœnitentiæ mihi ostende, et doce me quo tibi pro magnis B peccatis meis sciam et valeam satisfacere et quantum dederis, secundum numerum et modum culparum mearum pœnitentiæ meæ extendam et offeram modum. Videtur, et ita sonat littera, quasi interrogatio ista Pharisæi Dominum tentantis malitiosa esset. Sed si continuo respondentis et docentis eum Domini nostri verba attendimus, aperte quod non mala, sed bona esset tentatio invenimus. Sequitur :

Ait illi Jesus : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua. Multis modis verba ista a sanctis doctoribus sancte et utiliter sunt exposita ; et ideo minus necesse putamus, ut diu his eisdem verbis immorari debeamus. Sed ne omnino tamen intacta relinquamus, **860** C primum videamus, si possimus, quid sit quod ait.

Hoc est maximum et primum mandatum. Vere *maximum et primum est. Primum* quo initiamur, *maximum* quo consummamur. *Diliges*, inquit, *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua.* Tria sunt ista, cor, anima, mens. Ad hæc tria conferre possumus alia tria, de quibus dicit Joannes in Epistola sua : *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt, quia omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ* (*I Joan.* II, 15, 16). Sed quid est *cor?* Cor caro est, *anima* spiritus, *mens* virtus et fortitudo animæ. Sed ut hujus rei exemplum ponamus, e multis unum dicamus. Pharao somnium vidit, quod dormiens corpore vere D in anima vidit, sed evigilans quid portenderet nescivit. Postea Joseph veniebat, et mente somnium cognoscens quod iste ignorabat ille luculenter exponebat. Igitur ad *cor*, quod est caro, respicit concupiscentia carnis ad *animam*, quæ est spiritus, respicit concupiscentia oculorum, ad *mentem*, quæ est virtus et fortitudo animæ, respicit superbia vitæ. *Ex toto corde* Deum diligere, est despecta et objecta concupiscentia carnis, cordi illi, in quo prius regnabat amor mundi, dulcem Christi dilectionem infigere, ut sicut prius commessationibus, ebrietatibus, cæterisque delectabilibus hujus mundi rebus, ad nutriendam in se et perficiendam carnis voluptatem inserviebat sic ad sectandam vitæ castimoniam ad ea, quæ sanctitatis sunt et justitiæ, viriliter semetipsum accingere studeat. Postquam hoc modo peccata sæculi reliquerit, paulatim consurgens ad majora, et jam voluntatem peccandi per misericordiam Dei continere in semetipso et superare poterit. Qui sic per misericordiam Dei imbutus fuerit, hic Dominum Deum suum ex toto corde diligit.

Sed restat ut ex *tota* etiam *anima* diligere Deum debeat. Ex tota anima Deum diligere est concupiscentiam **861** oculorum abigere. Concupiscentia oculorum est favor et inanis gloria sæculi, quam homo ille debet abigere, qui ex tota anima Deum vult diligere, ut qui favoribus sæculi prius applaudebat, qui placere hominibus actu et habitu prius quærebat, contemni propter Deum in spiritali vita et contumeliis affici non solum non refugiat, se in spe futuræ vitæ patienter sustineat. Hoc etiam suo exemplo electus Christi discipulus Paulus nos instruit, ubi dicit : *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem* (*Galat.* I, 10). Et Psalmista : *Qui hominibus placent, confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos* (*Psal.* LII, 6).

Post duo ista sequitur tertium, ut *ex omni mente* sua homo diligat Deum. Ex omni mente Deum diligere est a tertio vitio, quod est superbia vitæ, sollicite semetipsum custodire. Quia anima vivimus, congrue per superbiam vitæ superbiam animæ intelligimus. Ille recte et perfecte ex omni mente Deum diligit, qui ex ea parte, qua Deo debet vivere, quod est anima, quantum potuerit, elationis vitium excludere studuerit, ut, si sæculum reliquit, si contemptus hominum patienter sustinet, aut sustinuit propter Deum, non inde in se, hoc est in anima sua infletur, sed in eadem humilitate, quasi nihil aliquid magni fecerit propter Deum vel sustinuerit, se coram Deo contineat, illi soli, quem amat et desiderat, ex operibus suis solummodo placere appetat. Hoc est vere *ex toto corde, et ex tota anima, et ex omni mente Deum diligere.* Et ut ea quæ latius distinximus, breviter comprehendamus, primo initiamur, secundo provehimur, tertio consummamur.

Secundum autem simile est huic : Diliges proximum tuum sicut teipsum. Quid est dicere : *Simile est huic*, nisi quod subsequens dilectio proximi similis esse debet præcedenti dilectioni Dei ? Quidquid enim homo de cognitione et dilectione Dei percipere meruit, hoc proximo suo nunc exemplo, nunc verbo adaperiat, et vere convincitur diligere proximum sicut seipsum.

862 *In his duobus præceptis tota lex pendet et prophetæ.* Quod simpliciter possumus intelligere, scilicet quod in his duobus mandatis dilectionis Dei et proximi tota lex et prophetæ impleantur et perficiantur.

Sed notandum cur non dixerit, *tota lex impletur*, sed, *tota lex pendet et prophetæ?* Lex et prophetæ quasi pendebant, quia ante adventum Christi neque in terra neque in cœlo erant. Quomodo dico eos neque in terra neque in cœlo fuisse? Ideo dico eos

in terra non fuisse, quia corda hominum ab imis A elevantes de terra, id est de terrenis, non loquebantur, sed Christum annuntiantes de Christo loquebantur. In cœlo quoque idcirco eos dico non fuisse, quia nullus, licet sanctus et perfectus esset, cœlorum regnum introire potuit, sed omnes ante adventum et mortem Christi ad inferos descenderunt. Venit Christus, et cum ligno crucis legem et prophetas suspendit. Suspendio crucis cogente lex et prophetæ spiritum emiserunt, quia spiritualem sensum prius ignotum de se aperuerunt. Quod autem in his duobus mandatis dilectionis Dei et proximi legem et prophetas pendere dicimus, duo ista mandata duobus lignis crucis Christi non incongrue aptamus; unum dilectioni Dei, quia propter dilectionem Dei Patris Christus ad terras descendit; B aliud dilectioni proximi, quia propter hominem redimendum Christus mori non despexit. Sequitur :

Congregatis autem Pharisæis interrogavit eos Jesus dicens : *Quid vobis videtur de Christo? cujus filius est?* Per Pharisæos, sicut supra memoravimus, divisos a sæculo hominis sensus accipere possumus, qui etsi non semper noxialiter, inaniter tamen plerumque disjecti atque dispersi, vere quodammodo tunc *congregantur*, quando superveniente supernæ visitationis gratia ad capienda et degustanda Divinæ dulcedinis dona, ad illum solum, quem amant et desiderant, uniuntur et colliguntur. Sic sic congregatis **863** ad altiora et diviniora internæ dulcedinis gaudia provehens eos et erudiens, suaviter C quodammodo intonat vox divinæ pietatis. Nam hoc est quod sequitur :

Interrogavit eos Jesus. Omnipotentis Dei *interrogare* est ad ea, quæ ignota sunt, hominem excitare. *Quid vobis videtur de Christo? cujus filius est?* Per *quid* ineffabilis dulcedo cordis accipi poterit, qua Deus omnipotens casta filiorum et dilectorum suorum corda in tempore visitationis suæ infundit et reficit. Istud *quid*, ista dulcedo quæ sentiri corde et gustari valet, sed comprehendi et explicari verbis non valet, vere de uncto spiritu est et procedit, vere ex unctione Spiritus sancti in cor hominis descendit.

Sed inter hæc duo, inter *quid* et *Christum*, quoddam est medium, scilicet *videtur*, quia ex cœlesti D illa dulcedine, quæ cordi hominis ex unctione sancti Spiritus infunditur, vere homo *videns* efficitur, dum ex splendore divini illius luminis homo fit gnarus, quorum prius erat ignarus, et non solum in interioribus suis, sed et in exterioribus, et circa exteriora ea sapit, quæ prius ignoravit. De ista dulcedine, quæ talia operatur in homine, quærit Deus, *cujus filius* sit; unde in corde hominis generetur, quomodo acquiratur, ut sua inquisitione hominem scientem faciat quomodo per misericordiam Dei ad eam pervenire mereatur. Unde quanta hæc ejus inquisitio sive interrogatio in filiis suis, in electis et dilectis suis operetur, subsequens responsio Pharisæorum figuraliter exprimere videtur. Nam sequitur :

Dicunt ei : David. Per David, *qui visu desiderabilis* vel *manu fortis* interpretatur, cognitio veri, et operatio boni non incongrue figuratur. Quærente Domino, imo magis, ut ita dicam, dulci inspiratione sua hominem erudiente, unde filius iste gignatur, quibus meritis dulcedinem istam homo promereatur, respondet, *David. Respondet* homo interroganti Deo, quando humiliter obedire incipit Dei verbo. Dicit, *David*, quando ex instinctu inspirationis divinæ, et ad cognitionem **864** veri, et ad cooperationem boni totus tendere et anhelare incipit. Huic respondet invisibiliter Deus verbis sequentibus :

Quomodo ergo David in Spiritu vocat eum Dominum, dicens : Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis. Non negat Dominus quin filius iste, dulcedo ista divinæ unctionis, ex cognitione veri et operatione boni possit acquiri, sed modum quemdam quærit, modum videlicet illum, *quomodo David vocet eum in spiritu.* Quærit sane unde istud desiderium primum surgat in homine, quod est *vocare in spiritu Dominum*, et quomodo ista dulcedo postea acquiratur ab homine, quod est *filius;* non ut ipse, qui omnia scit, a nobis discat, sed ut nescientes nos sua interrogatione scientes faciat. Unde quod quærit, continuo ipse exponit, cum dicit : *Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis.* Ac si dicat : Verum est, ut dicis, quia ex cognitione veri et operatione boni filius iste gignitur, interna hæc cordis suavitas concipitur. Sed est medium quoddam, quod solius Dei est, humilitas videlicet mentis, quam sola Dei gratia homini conferre potest, quæ congrue per verbum illud *sede* exprimitur. Est enim *sedere* in humilitate et placida mentis tranquillitate Christo adhærere. Potest homo Deo subveniente et labore proprio innitente, ad cognitionem veri, ad operationem boni utcunque pertingere; ad veram et perfectam cordis humilitatem et quietem nunquam homo laboribus suis potest ascendere, nisi omnipotens Deus ex magnifica sua gratia in cor hominis faciat eam descendere. Unde recte dicitur : *Dixit Dominus Domino meo*, spiritui meo. Nam dum dicitur, *Dixit Dominus*, omnipotens Deus est intelligendus, cum subjungitur, *Domino meo*, spiritum hominis non inconvenienter accipiendum esse æstimo. Spiritus hominis fit *Dominus* hominis, quando superiori suo, quod est Deus, unitus per dulcedinem internam associatur, et inferiori suo, quod est corpus, per timorem et amorem Dei principatur et dominatur. Sed quam suavis sit ista humilitas, quam amabilis sit ista a sola gratia Dei descendens in cor hominis mentis tranquillitas, vera illa Veritas innuit nobis, cum dicit : *Sede a dextris meis.* **865** *A dextris* dicit, non a sinistris. Ac si dicat : A sinistris, hoc est ab adversitatibus mundi hujus, sive ex conviciis aut contumeliis illatis tibi ab aliis, nolo humilieris, sed volo ut *a dextris meis*, a diversis gratiarum mearum donis suaviter humiliatus, a torrente voluptatis meæ suavius poteris et inebrieris.

Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Scabellum ideo pedibus supponitur, ut pedes subleventur et sustententur. Sed quid per pedes? Intellectus utique et affectus. Inimici illi, quos ineffabilis misericordiæ Dominus *scabellum pedum* horum se pollicetur positurum, sunt boni sensus, bona desideria, sanctæ cogitationes, et quæcunque sunt alia bona, quæ ad ineffabilem illam dulcedinem perducunt et adjuvant hominem. Ista omnia quasi inimici quidam hominis sunt. Inimicantur enim et adversantur ei, dum eum fugiunt, dum accedere ad eum et appropinquare nolunt. Sed dum omnipotens Deus per suam pietatem hominem ad veram perduxerit humilitatem, mentisque tranquillitatem, in qua et per quam vera cordis dulcedo acquiritur, *inimicos ejus ponit scabellum pedum* ejus, B quando omnia ista, bona videlicet desideria, bonos sensus, sanctas cogitationes ita ei subjicit, ut fiant etiam quasi quoddam sustentamentum pedum ejus, per quod et in intellectu et in affectu suo sublevetur ad Deum. Et est quasi dicat : Modum, quo ista fiant, a te quæro, quem, quia tu nescis, per meam inquisitionem tibi manifesto. Iste est modus : *Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis.* Et bene, quia ad illud speciale internæ dulcedinis gaudium, in quo munda mens contemplatur Deum, nunquam homo condescendere poterit, nisi ex supernæ visitationis gratia perfecte humilitatus fuerit. Ipsius enim est, gratia sua cor hominis visitare et humiliare, et in eadem humilitate tenere; ut ita dicam, et servare, donec eo usque C perveniat, quod per misericordiam Dei dominari inimicis suis incipiat. Hoc est enim quod ait, *sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* **866** Donec inimici illi tui, quod sunt sensus boni et cætera bona, quæ prius tibi adversabantur quodammodo et inimicabantur, scabellum pedum tuorum ponantur, hoc est donec intellectus tuus per cognitionem boni illuminetur, donec affectus tuus per ipsius dulcedinis immissionem sublevetur. Hæc est solius Dei virtus et operatio, quam si ipse operari per misericordiam suam in homine desierit, quis ad capiendam et consequendam eam idoneus esse poterit? Unde post omnia ista subjunxit evangelista : D

Et nemo poterat ei respondere verbum ; neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare. Hæc verba nos miseri melius in nobis ipsis cognoscimus et intelligimus quam exponere possimus. Audito modo isto, quem æterna nobis Sapientia proposuit, nemo ei verbum respondere potuit, quia ad ineffabile illud divinæ dulcedinis sacramentum suis viribus vel meritis pertingere nullus hominum poterit. *Neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare*, quia nullus hominum quantumcunque castus quantumcunque justus, illam sibi audaciam assumere debet, ut *ex illa die*, ex illa cœlesti illuminatione, quando aut quomodo ex occultis pietatis divinæ thesauris producatur, et medullis A humani cordis infundatur, scire cupiat, cum scire non debeat. Dicit enim ipse Dominus : *Spiritus ubi vult spirat, et vocem ejus audis, et nescis unde veniat aut quo vadat* (*Joan.* III, 8). Sed quod scire non possumus, sentire in nobismetipsis per misericordiam Dei mereamur, quatenus ipsius visitante gratia in vera humilitate radicati, eo usque perveniamus, ut prædicti inimici nostri scabellum pedum nostrorum ponantur, hoc est ut in intellectu per cognitionem boni illuminemur, et in affectu per supernæ dulcedinis infusionem sublevemur. Quod ipse præstare dignetur Dominus noster Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

867 HOMILIA LXXXVII.

IN DOMINICAM XIX POST PENTECOSTEN PRIMA.

Ascendens Jesus in naviculam, transfretavit, et venit in civitatem suam. Et ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lecto. Et videns Jesus fidem illorum, dixit paralytico : Confide, fili; remittuntur tibi peccata tua (*Matth.* IX).

Quod Dominus noster Jesus Christus, qui est salus et fortitudo omnium in se sperantium, hominem istum prius in ea parte quæ sublimior et dignior est, quod est anima, peccata dimittendo sanavit, et postea in ea parte quæ inferior est, quod est corpus, optatæ sanitati redonavit, per hoc manifeste nos edocere voluit, quia ex infirmitate animæ corporis plerumque infirmitas nascitur. Nam dum anima peccatorum languore attrita contabescit intus, justo omnipotentis Dei judicio debilitatur et corpus, ut quid intus patiatur carnis cruciatibus foris erudiatur.

Sed, et si nihil aliud in hac sacra Evangelii lectione nobis luceret, propter magnificam illam omnipotentis Dei miserationem, qua miserum istum, qui pro salute sua non rogavit, propter fidem aliorum hominum, sola spe, sine verborum supplicatione eum Domino offerentium sanavit, magna nobis esset consolatio, quorum spes et res tota pendet in Deo. Si enim illum sanavit, qui non rogavit, propter solam, ut diximus, spem offerentium, multo libentius pietatis suæ remedium confert illis, qui omnimoda devotione cordis et animæ illi soli se subjiciunt, qui et sperando et orando die noctuque pro salute sua pedibus ipsius indefesse procumbunt. Istorum vere oratio nunquam peribit. Nunquam enim sine magni fructus effectu transibit. Ipse enim qui melius novit quid nobis prosit et necessarium sit, etsi non semper ad votum, semper tamen audit nos ad salutis nostræ profectum et effectum. Fidelis namque oratio comparatur telo. Telum cum jacitur, nunquam cadit, nisi feriat aliquid. **868** Sic et oratio, quæ ex fervente spiritu, quasi ex quodam arcu ad Deum transmittitur, semper aliquid ferit, quia aut illi, a quo fit, sive illi, pro quo fit, vel etiam utrisque ad gratiam et salutis remedium provenit.

Sed et sacrosanctum illud Evangelium Christi et

Ecclesiæ continet sacramentum. Præscribit enim A nobis misericordiam illam, quam per sanctam humanitatem suam humano generi fecit. Præscribit nobis etiam misericordiam et veritatem illam, quam in die judicii cum bonis et malis, cum electis et reprobis facturus erit.

Ascendens, inquit evangelista, *Jesus in naviculam, transfretavit, et venit in civitatem suam*. His paucis verbis, universa Christi sacramenta comprehenduntur, Christi videlicet incarnatio, passio, resurrectio et ascensio, quæ scire nos convenit, quia sine fide horum sacramentorum nemo salvari poterit. Hæc sunt quatuor illa animalia, quæ circa majestatem Domini scribuntur, homo videlicet et vitulus, leo et aquila, ut admoneamur in specie hominis quod Deus invisibilis homo visibilis factus sit B pro nobis. Per vitulum, pro nobis in cruce passum; per leonem, quia devicta morte resurrexit; per aquilam, quia ascendendo sanctam humanitatem suam in cœlum transvexit. *Ascendens*, inquit, *Jesus in naviculam*.

Per naviculam potest accipi humiliata caro Christi. Per naviculam humiliatam carnem, humilitatam conscientiam beatæ virginis Mariæ nihilominus possumus intelligere. In naviculam Jesus ascendit, quando de immaculato castissimæ Mariæ virginis utero humanitatis formam assumpsit. Et quare dicit, *ascendit*, **869** cum convenientius diceretur, *descendit?* Bene, quia ejus ad nos descensus, noster ad eum fuit ascensus. Per hoc enim, C quod ad suscipiendas in se nostræ infirmitatis miserias ipse ad nos descendit, fecit ut de calamitatibus et miseriis, quibus subjacemus, ad gaudia vitæ, quæ præparavit diligentibus se, et nos quandoque ascendere possemus.

Ascendens in naviculam transfretavit. Per verbum *transfretavit*, tota in hoc mundo Christi conversatio potest intelligi. Potest et in eodem verbo intelligi Christi passio et resurrectio. *Transfretavit*, dum in hoc mari magno, scilicet, in hoc mundo omnes calamitates et miserias humanæ infirmitatis, præter solum peccatum, patiendo laboravit. Proprie *transfretavit*, quando moriendo et resurgendo hæc omnia superavit, et simplici morte sua, quam pertulit in carne, a duplici morte corporis et animæ nos li- D beravit. *Transfretavit*, quando data nobis per resurrectionem suam spe resurgendi, ad æternam nos vitam reparavit. Sic ascendendo et transfretando *venit in civitatem suam*.

In civitatem suam venit, quando cum omnibus electis illis hominibus, qui surrexerunt cum ipso, quorum innumerabilis, ut credere possumus, erat multitudo, in cœlum ascendit, et sanctissimam illam humanitatem suam vultui majestatis æternæ præsentatam super omnes choros angelorum exaltavit et collocavit. Et bene dicitur, *venit in civitatem suam*, quia regnum cœlorum, quod semper civitas ejus fuit secundum divinitatem, fecit civitatem suam secundum humanitatem. Ascendit itaque, sicut diximus, nascendo, transfretavit moriendo et resurgendo, venit in civitatem suam ascendendo.

Et ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lecto. Paralyticus iste significat totum genus humanum, languore peccatorum sauciatum et debilitatum. Sed et nos miseri per eumdem paralyticum signati sumus, qui in carne quasi in lecto jacemus, dum eam plus debito diligentes et foventes, quietem, quam non deberemus, ultra quam debeamus, et interdum necessarium habeamus, ei indulgemus. Per eos vero qui obtulisse Domino paralyticum memorantur, nec tamen nominantur, sive sancti angeli, sive universi beati homines illi, qui cum Domino surrexerunt, et in cœlum ascenderunt, vel **870** etiam beatæ justorum animæ, quæ ex eo tempore, quo Christus surrexit et ascendit, ad cœli gaudia translatæ, vel quotidie transeunt, apte figurantur.

Nec supervacue ponitur, *et ecce*, quia statim, ut Christus ascendit, videntes sancti angeli, sanctam et glorificatam illam humanitatem Christi, tanta dilectionis dulcedine ei astricti sunt, quod per illam dilectionem totum genus humanum, quorum ipse causam et naturam suscepit, diligere cœperunt, in tantum ut non desisterent ab illa hora Deo paralyticum istum, quod est genus humanum, offerre. Nam sanctissimæ ejus humanitati humanitatem illam, cujus ipse particeps et consors fieri dignatus est, sine intermissione commendabant et commendant. Sed et sancti illi, qui cum Christo surrexerunt, sive beatæ illæ justorum animæ, quæ post resurrectionem et ascensionem Christi rebus humanis exemptæ, cum Christo regnant in cœlo, quotidie nos Deo offerunt, quia intercedentes pro nobis mortalitatis nostræ miserias, quas illi per misericordiam Dei evaserunt, ipsius miserationi die et nocte suggerunt et innotescunt. Miserans enim omnipotens majestas tantos humanitatis nostræ dolores et miserias, tales offerentes, tales, inquam, patronos et intercessores, qui quotidie pro peccatis nostris essent apud ipsum intercedentes, sua nobis providit misericordia, sicut specialiter de beatissima domina nostra virgine Maria habemus in oratione ipsius, qua Domino per ipsam supplicamus et dicimus: *Quam idcirco de hoc sæculo transtulisti, ut pro peccatis nostris apud te fiducialius intercedat*. Nam quomodo nos miseri inter diversa et innumera hujus sæculi peccata et crimina, cujus maxima pars in gentilitate et Judaismo posita contradicit Christo, servit diabolo, et cum ex ipsis etiam qui Christiani vocantur, decimus vix homo debitam fidem servet Creatori suo, quomodo, inquam, ne dicam salvari, sed etiam aliquandiu subsistere possemus, si istos offerentes, beatissimam videlicet dominam nostram, quæ specialiter et indesinenter orat pro humano genere, nec non et sanctos angelos, cæterosque, de quibus dictum est, Christi electos quotidie pro peccatis nostris apud Deum intercedentes in cœlo non haberemus? Tanti enim sunt coram Domino, quod orationes eorum et merita tutissima **871** nostræ

vitæ et miseriæ sunt suffragia. Unde continuo subinfertur :

Et videns Jesus fidem illorum, dixit paralytico. Dei videre est Dei approbare, Dei eligere et amare. *Videns*, hoc est approbans et amans fidem, *illorum*, hoc est vel eorum, qui in fide et veritate semper cum Domino persliterunt, sanctorum videlicet angelorum, qui nunquam a Deo recesserunt sive eorum, qui in carne adhuc positi, fidum cor ad Deum habuerunt, electorum videlicet hominum ac spirituum, qui in fragili vita fideliter Deo servierunt.

Dixit paralytico : Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua. Fides enim hoc non solum dicitur, quod homo credit in Deum, sed quod etiam fidum cor habet ad Deum. Quia vero filiorum est amare, per tria hæc verba, *confide, fili, remittuntur tibi peccata*, tria nobis Dominus voluit insinuare, scilicet fidem, dilectionem, peccatorum remissionem, docens nos per hoc et admonens, quia nisi homo habeat fidem, fidem dico quæ per dilectionem operatur (*fides* enim *sine operibus mortua est* [*Jac.* II, 26]), ad remissionem peccatorum pervenire non potest.

Hæc nimirum verba omnipotens Deus tunc quodammodo dixit, quando propter fidem et meritum paralyticum offerentium, misso de cœlo dilectis discipulis suis Spiritu sancto fidem suam ad curationem paralytici, generis scilicet humani, per eosdem apostolos suos per universum mundum voluit prædicari, ut qui crederent et baptizarentur remissionem peccatorum consequerentur et qui, corrupta fide quam in baptismo susceperunt et promiserunt, rursum peccatis inquinarentur, per pœnitentiam et lacrymas rursum rebaptizarentur et sanarentur. Post collata hæc humano generi divinæ miserationis dona, statim surrexerunt qui impugnaverunt fidem sanctæ Ecclesiæ et destruere voluerunt. Unde sequitur :

Et ecce quidam de Scribis dixerunt inter se : Hic blasphemat. Per Scribas istos malignos spiritus accipere possumus qui quoniam pro diis coli et haberi voluerunt, quidquid servitutis et honoris per fidem et fidei operationem a creatura Creatori impendebatur, vel adhuc impenditur, et tunc oderunt et **872** nunc et semper odio habebunt. Sed et hæreticos per Scribas istos intelligere possumus, qui contra Ecclesiam Dei se erexerunt, et perversa doctrina sua fidem catholicam ab ipsis apostolis eorumque successoribus sanctæ Ecclesiæ traditam impugnantes destruere nitebantur, dicentes : *Hic blasphemat. Hic blasphemat*, quodammodo dicebant, astruentes fidem catholicam quamdam esse blasphemiam, nec per baptismi regenerationem hominem pertingere posse ad peccatorum indulgentiam et remissionem. Sunt etiam nonnulli ex ipso numero salvandorum, qui desperant interdum de misericordia Dei, quasi ob enormitatem scelerum suorum veniam consequi non possint peccatorum, dicentes intra se : Tanta peccatorum immunditia pollutus, tantis cordis et animæ sordibus et nequitiis involutus sum, ut etiam indignus sim, quo salvari debeam aut possim. De his omnibus recte dicitur, *hic blasphemat.* Est enim desperatio blasphemia in spiritum sanctum, qui dicitur, et est remissio peccatorum. Sed sive sint hæretici fidem Christi impugnantes, sive isti, qui desperando de misericordia Dei, Deum sunt blasphemantes, quos tamen ille, qui est vera spes et salus hominum, salvare disposuit, quasi in hæc verba alloquitur, et dicit :

Et cum vidisset Jesus cogitationes eorum, dixit : Ut quid cogitatis malum in cordibus vestris? Non dicit : ut quid cogitastis, sed *ut quid cogitatis?* ostendens quia pœnis illis quas hic peccatis suis meruerunt, quorum hic remissionem nec quæsierunt nec speraverunt, ibi sine fine æternaliter subjacebunt. Et quia injusti et peccatores non tantum cruciantur pœnis, quas ante diem judicii sustinent in anima, quantum timore futuræ damnationis, qua post diem judicii æternaliter damnabuntur et in anima et in corpore, sequens iste versus mystice videtur exprimere.

Quid est facilius dicere : Dimittuntur tibi peccata tua, aut dicere : Surge et ambula? Ista Domini interrogatio, ipsius est operatio. Nam, sicut sæpe dicere solemus, dicere Dei est facere Dei. Dicit quodammodo ista Deus miseris peccatoribus, quando in ipsis constituti pœnis, ad augmentum doloris, propria conscientia sua torquentur in semetipsis, accusantes se, licet sero, **873** et increpantes, quod, dum potuerunt, tantas miserias declinare, noluerunt. *Quid est facilius*, inquiunt, *dicere : Remittuntur tibi peccata, aut dicere : Surge et ambula?* Ac si dicant : Facilius, imo felicius fuisset nobis miseris et peccatoribus, peccata nostra, pro quibus patimur ista tormenta, per pœnitentiam et lacrymas abluisse, quam non credendo et desperando de misericordia Altissimi ad tantas miserias devenisse, ut dicatur nobis, *surge et ambula.* Futurum enim est nobis ut resurgere debeamus. Sed resurrectio ista erit nobis ad mortem, non ad vitam, non ad refrigerium alicujus consolationis, sed ad cumulum æternæ damnationis, cui ita addicendi erimus, quod nunquam inde resurgere poterimus. Hæc sempiterna impiorum damnatio, non incongrue nobis exprimitur in verbo *ambula.* Nam sicut ille qui ambulat, semper fatigatur et laborat, sic et isti quasi semper ambulantes sunt, quia semper de pœnis in pœnas transeunt. Sequitur :

Ut autem sciatis quoniam Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata. Tunc ait paralytico : Surge, tolle lectum tuum, et vade, in domum tuam. Filium hominis se appellat, quia in sola forma humanitatis, in qua judicari, pati et mori voluit, omne genus humanum judicaturus apparebit. Ibi vere implebitur quod dicitur : *Ut autem sciatis quoniam Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata*, quia boni et mali ibi cognoscent et videbunt quod Filius hominis, qui et Filius Dei, solus ille fuit et est, qui peccata dimittere potuit et potest, cujus misericordia est quod

justi salvantur, cujus justitia est quod impii damnantur. Unde sequitur :

Tunc ait paralytico : Surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam. Paralyticus humanum genus est, sicut diximus, cui tunc dicitur, *surge*, quando omnis humana creatura jubetur resurgere*: Canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti, et nos immutabimur* (*I Cor.* xv, 52). *Tollit lectum suum*, quando unita corpori anima unius cujusque resuscitatur. *In domum suam vadit*, quando præparatas sibi a Deo mansiones unusquisque intrabit. Hoc est enim quod sequitur :

Et surrexit, et abiit in domum suam. Mox enim, ut cœlestis illa tuba **874** insonuerit, et resuscitatum de pulvere terræ corpus suum unusquisque reinduerit, *abit in domum suam.* Abeunt justi in domum gaudii et quietis, abeunt injusti in domum perditionis et in domum æternæ damnationis.

Videntes autem turbæ timuerunt, et glorificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus. Turbæ istæ turbæ sunt angelorum, turbæ sunt omnium redemptorum, turbæ sunt omnium damnatorum. Omnes istæ turbæ videntes, quomodo justo Dei judicio pii salvantur, quomodo justo Dei judicio impii damnantur, *timuerunt.* Timebunt justi, timebunt et injusti. Timebunt justi timore sancto, timore filiali, timore utique illo, de quo dicitur in psalmo : *Timor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi* (*Psal.* xviii, 10). Timor iste nihil aliud est nisi suavis et humillima subjectio illa, quo angelici spiritus, et omnis electorum numerus omnipotenti Deo se subjicient, quando cognita et perfecta, justissima æquitate sua ampliori dilectione diligere eum incipient, quam unquam antea diligere scirent aut potuissent. Timebunt et injusti, sed timore non æquali. Illorum timere est pedibus omnipotentis Dei æternaliter subjacere, quia ei, quem hic despexerunt, licet inviti et nolentes, ita ibi subjiciuntur, quod tormenta illa diabolo et angelis ejus præparata, quæ hic meruerunt, ibi sine fine lugebunt. Peracto tali judicio inter bonos et malos, inter justos et injustos, tandem fit quod sequitur :

Et glorificaverunt Deum, qui potestatem talem dedit hominibus. Glorificant eum justi, glorificant et injusti, quia sicut gloria omnipotentis Dei est misericordissima justorum salvatio, sic nihilominus gloria ipsius est justissima iniquorum damnatio. Pertinet tamen specialiter verbum istud *glorificaverunt* ad redemptos, in delectationibus, quæ sunt in dextera, tunc æternaliter collocatos, qui sine fine Deum glorificant, quia æternaliter eum laudant et adorant, et quod salvati sunt, ipsius solummodo dominationi et miserationi attribuunt.

Qui dedit potestatem talem hominibus. Qualem? Talem utique, qualem tunc redempti Dei habent, qui in Christo et per Christum omnia valent. Tantæ enim potestatis erunt, quod omnia valent quæ volunt. Ubicunque anima voluerit **875** ibi corpus erit, ad omnia animæ corpus obediet; anima vero

A nihil nisi quæ Deo placita sunt, desiderabit vel amabit. Sicque fit quod in alio Evangelio Christus dicit : *Si duo ex vobis aut tres consenserint super terram* (*Matth.* xix, 14). Duo vel tres consentiunt super terram, quando in spiritu, in anima, in corpore electi omnes ita Creatori suo iniuntur et constabiliuntur, quod nunquam ab eo separabuntur, et sicut nunquam volunt, sic nunquam aliquid, quod omnipotenti displiceat, aut majestatis ejus oculos offendat, facere possunt. Ad hanc *potestatem* perducat nos, qui potest omnia, Jesus Christus Dominus noster, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LXXXVIII.

IN EAMDEM DOMINICAM SECUNDA.

B *Ascendens Jesus in naviculam transfretavit, et venit in civitatem suam* (*Matth.* ix).

Transcurso et exposito allegorico sensu, libet aliquid loqui de sensu morali, et ea, quantum Dominus dederit, tangere, quæ nos intrinsecus tangunt, quia hoc fructuosius et avidius auditur, quod de unoquoque nostrum, quam verum sit, quod dicitur, per experientiam scitur. Ubi ad Christum et ad Ecclesiam referri possunt quæ leguntur, dulcia nimis sunt ad audiendum et jucunda; ubi vero ea quæ de Christo dicuntur, ad animam referuntur, per hæc homo ad cognoscendum seipsum excitatur; contra tentationes qualiter armari debeat, admonetur; de bonis Domini, quæ percepit, in quanta humilitate se continere debeat edocetur. Sic et in præsenti C sancti Evangelii lectione nunc de bonis, nunc de malis instruimur : de bonis, quæ dantur a Domino; de malis, quæ contra nos insurgunt tentationibus, et qualiter in his vicissitudinibus nos habere oporteat informamur.

Ascendens Jesus in naviculam, transfretavit, et venit in civitatem suam. Per naviculam humiliata hominis anima accipi potest, in quam naviculam Dominus Jesus *ascendit*, dum per suam visitationem et illuminationem ad eam dignantur venit. In hanc naviculam potius descendisse quam ascendisse dici deberet. Sed quia Spiritus sanctus intendit, quod suus ad nos descensus noster sit ascensus, ideo *ascendisse* eum in naviculam describit, ut hoc commen-D daret, quia **876** dum ipse descendit ad nos, facit utique ad se ascendere nos.

Et vide ordinem : ascendens *transfretat*, transfretando *venit in civitatem suam.* Dominus noster Jesus Christus in nobis ascendendo transfretat, quando ferventes concupiscentias, in modum freti fervidas, in nobis comprimit et mitigat. Mitigatis et sedatis concupiscentiis iniquis, *venit in civitatem suam.* Quæ est civitas ejus? Civitas ejus est cor hominis, quod ipse, dum visitaverit, civitatem suam facit, in qua jugiter sedeat et regnare valeat. Superatis concupiscentiis veniente Domino Jesu in civitatem suam, id est in cor hominis, fiet procul dubio quod sequitur :

Et ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lecto. Paralyticus iste est, ut æstimo, spiritus hominis,

paralysi peccatorum debilitatus et confractus. Nec A incongrue per paralysim accipitur peccatum, quia sicut paralysis unumquodque membrum, quod invaserit, confringit et debile reddit, sic peccatum spiritum hominis confringit et distrahit, ut ad omne opus bonum infirmus et invalidus sit. *Jacet in lecto* spiritus, dum carnis onere prægravatus pigritiæ et socordiæ ultra modum est deditus. Hunc paralyticum, id est spiritum nostrum per peccatum confractum et infirmum de lecto carnalis quietis surgere nolentem nec valentem, necesse est ut habeat offerentes se Domino. Qui sunt isti offerentes, nisi sancta desideria, **877** bonæ voluntates, innoxiæ cogitationes? Non enim nisi istis offerentibus potest sanari noster spiritus; sed dum desiderio boni accendimur, dum cogitationibus sanctis sursum extendimur, B longe a salute nostra non erimus, sed ab eo qui semper desideriis justis præsto est, saluti donabimur. Quod consequenter in facto et fide istorum offerentium docemur. *Et videns*, inquit, *Jesus fidem illorum, dixit paralytico: Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua.* Videre Dei est diligere Dei. Videt fidem istorum offerentium, quia amat et approbat desiderium et fidem pauperum suorum. *Dicit paralytico*, dum cordis nostri satisfacit desiderio. Suum enim dicere est ejus facere. *Confide, fili, remittuntur tibi peccata.* Admonet ut tanquam filius confidens cor fidum habeat ad Deum, quia hæc est fides, quæ per dilectionem operatur, ut ante omnia et super omnia Deus diligatur, deinde proximus, quem ita sincere amplecti et amare debemus, ut nullam amaritudinem C vel indignationem contra eum habeamus, scientes quod per hoc peccatorum remissionem mereamur.

Sed quia tentatio est vita hominis super terram, et, ut Salomon ait, semper malum contra bonum, et bonum contra malum surgit, insurgentes adversum nos tentationes denotantur cum subjungitur: *Et ecce quidam de Scribis dixerunt intra se: Hic blasphemat.* Per Scribas intelligi possunt homines illi, quibus Deus scientiam suam dedit, et in sapientia sua erudivit, quos sua invisibili doctrina doctiores fecit, quam ullus doctor per litteram sonantem exterius eos docere possit. Magnum est hoc omnipotentis Dei donum, si per humilitatis custoditur bonum. Sed quia plerique datam sibi a Deo scientiam D ad propriam magis quam ad Dei retorquere moliuntur gloriam, ideo posuit *quidam*, id est singulares, quia tales de sua putant se habere singularitate, quod Dei solummodo acceperunt bonitate. Inter hæc tamen, quia Deus suos non patitur perire, divino munere compuncti recurrunt ad se, dicentes gemendo intra se: *Hic blasphemat.* Ac si dicant. Hic spiritus meus et sensus meus, qui sic extollitur et inflatur, et inaniter gloriatur, *hic blasphemat*, quia vere blasphemia est in Deum, quod Dei est facere **878** meum, qui per me et a meipso nihil sum aut possum. In hac bona cogitatione et redargutione, quia homo spiritum suum cohibet et redarguit, offert se Deus videndo hoc et interrogando, sicut sequitur:

Et cum vidisset cogitationes eorum, dixit. Cogitationes istas *videt*, quia cogitationes tales amat, quibus homo seipsum de blasphemia sua acriter intus dijudicat. Et ne talibus, si forte impetatur, cogitationibus consentiamus, admonet dicens:

Ut quid cogitatis malum in cordibus vestris? Quid est facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata, aut dicere: Surge et ambula. Cum Dominus aliquid interrogat, non ideo interrogat, quasi nesciens scire cupiat, sed ut sua interrogatione nos quæ ignoramus scire faciat. Malum in cordibus nostris cogitamus, dum donum Dei, quod nostrum non est, nobis superbiendo ascribimus. Dicit namque Deus in homine, dum homo seipsum de stultis et blasphemis cogitationibus suis redarguit, et quod facilius sit ei in humilitate se submittere, quam superbiendo se extollere, intus sibi in animo proponit: *Quid est* tibi, inquit, *facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata, aut dicere: Surge et ambula?* Istud surgere et ambulare, licet alias in bona significatione ponatur, hic tamen in bono non accipitur. Surgere itaque et ambulare est cor suum jactanter erigere, et de ipsa cordis jactantia suavem sibi delectationem quamdam, in qua jugiter versetur, facere. Hoc malum surgere et ambulare, omni animæ ad cœli palatium festinanti est præcavendum, imitando exemplum illius, qui dicit: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris* (*Matth.* XI, 29). Melius est utique, ut homo peccatorem se recognoscens humiliter peccata sua sibi dimitti postulet, quam surgat erectus et elatus, et in ipsa elatione sibimet suaviter complacendo ambulet. Quorum enim mens humilis est et mitis, vere inveniunt requiem animabus suis. Hoc considerans beata anima dicit ad se intra se: Facilius, imo felicius tibi est peccatorem te recognoscere, quam surgere per mentis elationem, et ambulare, id est suavem inde superbiæ concipere delectationem, quia si te peccatorem recognoscens humiliaveris, **879** coram Deo exaltaberis, si surrexeris erigendo te, condemnaberis

Ut autem sciatis quia Filius hominis habet potestatem dimittendi peccata, tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam.

Per hoc quod ait, *ut autem sciatis*, vult nos facere scire, ut sicut ipse, qui est Filius hominis et Filius Dei, per humilitatem humanitatis suæ potentiam accepit a Deo dimittendi peccata, ita et hoc nos vult scire, quod per humilitatem mereri debeamus remissionem peccatorum. Et quia solus potest peccata dimittere per potentiam, et vult quasi misericors per misericordiam, ait paralytico, cujus dicere est facere: *Surge, tolle lectum tuum.* Per istud surgere, bonum quoddam surgere possumus intelligere. Ruina et casus animæ est superbia; exaltatio vero animæ est humilitas. Et sicut vera ad Deum cordis erectis est humilitas, ita cordis dejectio est ruina et superbia. Ab hac ruina superbiæ homo surgit, dum in vera humilitate cor ad Deum erigit. *Tollit lectum*, dum cor-

pore, quod potest, operatur rectum; *vadit in domum suam*, dum inter conscientiam suam, quæ est domus ejus, opus bonum abscondit, dicens cum Paulo apostolo: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ* (*II Cor.* I, 12).

Et surrexit, et abiit in domum suam. Duo posuit, *surrexit* et *abiit*, et medium illud, quod alius evangelista commemorat, intermisit. Dicit enim evangelista alius quod surgens *tolleret lectum* **880** *in quo jacebat*, et sic abiret in domum suam (*Marc.* II, 12). Per hoc, quod duo posuit, et medium tacuit, puto hoc significari quod homo ille qui a ruina superbiæ surrexit, et cor humile ad Deum erexit et in domum suam abiit, hoc est, intra conscientiam suam bona abscondendo soli Deo appetit placere, medium illud, id est bona opera sua, quasi nulla sint, se in B humilitate debet continere, et de his tacere. Dum sic homo profecerit, et eo ordine, sicut diximus, processerit, fit laus et glorificatio quædam in homine, de qua subjungitur:

Videntes turbæ timuerunt, et glorificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus. Turbæ istæ sunt sensus hominis per humilem pœnitentiam turbati, qui post ista omnia trepidare et timere incipiunt timore sancto, timore casto, omnique reverentia se subdere Creatori suo, illum glorificantes, *qui dedit potestatem talem hominibus.* Qualem potestatem? Talem utique, qualem audivimus, quia vere magna est potestas, cum liberati a peccatis remissione peccatorum donabimur, cum surgentes per bonam et laudabilem vitæ operationem, in humili conscientia C nihil boni aut virtutis nos egisse æstimamus, omni devotione et humilitate Dominum Deum glorificantes, qui gloriatur solus gloriosus et excelsus per immortalia sæcula sæculorum. Amen.

881 HOMILIA LXXXIX.

IN DOMINICAM XX POST PENTECOSTEN PRIMA.

Simile est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. (*Matth.* XXII.)

Licet cœlorum regnum multas in sanctis Scripturis significationes habeat, tamen in præsenti loco fidelem quamlibet animam non inconvenienter significat, quæ homini regi, æterno Patri videlicet cuncta regenti, similis efficitur, quando in baptismo ab originali, aut post baptismum ab actuali peccato D humiliter pœnitendo abluitur. Tunc revera rex sempiternus, Deus Pater, summo regi, *Filio suo*, veras *nuptias facit* ac præparat, dum, sicut jam diximus, aut per baptismi gratiam, aut per veram pœnitentiam animas salvandorum sibi conjungit et consociat, istos etiam ad cœlestes nuptias triplici invitat vocatione, hoc est natura, doctrina et gratia. Quæ autem prima sit vocatio, consequenter præsens innuit parabola.

Et misit servos suos vocare invitatos ad nuptias. Per servos in prima vocatione missos, intelligere non incongrue possumus naturales sensus nostros. Nam ipsa natura quemlibet docet hominem, qualiter sequi et cognoscere debeat Deum factorem suum. Omnis quippe creatura irrationalis inclinatis vultibus incedens terram aspicit, nil de cœlestibus scire vel cogitare novit. Homo vero erecto corpore gradiens, statu suo, habitu, et incessu denuntiat, quod ad ea, quæ sursum sunt, cor et sensus suos habere debeat, et sicut erecto corpore stat et ambulat, ita se a terrenis ad cœlestia corde et animo erigat. Sed quia pene omnis homo hanc primam vocationem naturæ contemnit, et ad nuptias cœlestes, ad quas per naturam vocatus est, venire negligit, consequenter ipsa Veritas subjungens ait:

Et noluerunt venire. Nolle istud pene omnibus est commune, eo quod **882** paucissimi, proh dolor! inveniantur, qui post remissionem originalis peccati, quod in baptismo deletum est, actualibus peccatis non involvantur. Itemque pauci sunt, qui post conversionem et pœnitentiam actualium peccatorum ita se custodiant, ut ad eadem aut actione aut voluntate aliquando non redeant. Et ideo recte dici valet de his omnibus, quod naturaliter vocati venire nolunt ad nuptias. Nam quandiu ea quæ carnis sunt, quærunt, sapiunt ac diligunt, ad cœlestes nuptias venire nolunt. Postquam vero primam vocationem, quod est natura, hoc modo, ut dictum est, neglexerint, secundam vocationem, quod est doctrina, benignus et præpotens iste rex, quos ad vitam prædestinavit, invitare non desinit. Unde sequitur:

Iterum misit alios servos, dicens: Dicite invitatis: Ecce prandium meum paravi. Per *servos iterum missos* doctores ac prædicatores intelligere possumus, qui invitatis ad nuptias verbo et exemplo annuntiant, quo labore, quo studio ad easdem nuptias pervenire debeant. Et quia non tacendo, sed dicendo prædicatio maxime exerceri solet, bene convenire videtur ipsis prædicatoribus veritatis hoc, quod subjunctum est, *dicite invitatis. Dicite*, inquam, id est prædicationi diligentius insistite, animos audientium ad meliora excitate, *prandium*, quod paravi, hoc est, cœlestia Scripturarum mysteria his quos invitavi annuntiate.

Tauri, inquit, *mei et altilia occisa, et omnia parata sunt, venite ad nuptias.* Per *tauros et altilia* Patres Veteris ac Novi Testamenti non incongrue intelligere possumus, quorum laudabilem, quandiu in corpore vixerunt, conversationem **883** dum audimus vel legimus, spiritales virtutum epulas, quibus reficiamur, ex illorum imitatione accipere valemus. Nam in factis et dictis sanctorum parata sunt omnia bona simul et mala, bona scilicet, quæ diligamus et appetamus, mala, quæ omnimodo devitemus vel caveamus.

Item alio modo per *tauros et altilia* intelligere valemus prælatos et subditos, qui dum carnem suam, carnisque desideria in semetipsis mortificant, in illis et cum illis dignas sibi epulas Dominus parat. Nam dum salutem eorum esurit et sitit, sancta et justa opera ipsorum eum satiant assidua lacrymarum compunctio potum illi desiderabilem administrat. Et ideo quandoque illis dicturus erit in judicio: *Esurivi, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bi-*

bera (*Matth.* XXV, 34). Inter tales utique prælatos ac subditos ibi parata sunt omnia animæ et corpori necessaria; ibi parata sunt bona, quæ faciant, et in humilitate custodiant, dignamque pro his a Domino mercedem accipiant. Ibi parata sunt mala, quæ si fecerint, aut se fecisse meminerint, quomodo pro his digne pœnitendo satisfaciant, ut mala ventura, quæ finem non habent, effugere valeant. Et cum omnes qui pie vivere volunt, parata hæc omnia, quæ diximus, illic inveniant, monet iterum et hortatur ut venire ad nuptias non differant. *Venite*, inquit, *ad nuptias*. Ac si dicat : Ecce nulla esse poterit excusatio, quin sine occasione, sine tarditate venire ad nuptias debeatis, quia bonitate mea cuncta necessaria, omnia utilia paravi vobis.

Illi autem neglexerunt, et abierunt, alius in villam suam, alius vero ad negotiationem suam. Reliqui vero tenuerunt servos suos, et contumeliis affectos occiderunt. Venire quippe ad nuptias invitantis Domini renuunt, quid gressum mentis in via humilitatis ponere nolunt. Sed e contrario *villam suam*, quod est honores; *negotiationem*, quod est favores; *contumelias*, quod est voluptates, quærunt et diligunt. Et ut hæc omnia aptius intelligi possint, singula per ordinem exponenda sunt.

Et abierunt, inquit, *alius ad villam suam, alius vero ad negotiationem suam*. Hæreditaria quippe possessio *villæ* magnus honor videtur esse possessori suo. Et ideo non inconvenienter per *villam* intelligere valemus transeuntes **884** hujus mundi honores. *Abire in villam suam* quoddammodo dicitur, qui honoribus præsentis vitæ extolli et elevari non veretur. Qui dum sic in villam suam abire honoribus inflatus non metuit, *abire* etiam *ad negotiationem suam* incipit. Abire namque ad negotiationem suam dicitur, qui pro bonis operibus, quæ fecerit, humanos favores quærit et appetit. Nam periculosa valde negotiatio est, dum quis pro inani humani favoris gloria æternæ retributionis commutaverit præmia. Sequitur :

Reliqui vero tenuerunt servos ejus, et contumeliis affectos occiderunt. Postquam sic, ut prædictum est, in villam suam, et in negotiationem suam abierunt, postquam honoribus et favoribus humanis ultra modum delectari cœperint, fit plerumque, ut etiam servos suos, hoc est proprios sensus suos teneant, et contumeliis, id est voluptatibus affectos occidant. *Servos* quidem suos, quod est sensus suos, *tenent*, id est teneri faciunt voluptatibus consentiendo; *afficiunt contumeliis*, voluptatibus subjacendo, *occidunt* in voluptatibus perseverando. Non incongrue voluptas *contumeliæ* comparatur, quia magis ignominiosa nulla esse valet contumelia, quam immoderata carnalis voluptatis concupiscentia. Verumtamen hos tales, elatos videlicet honoribus, delectatos favoribus, subjectos voluptatibus miserator Dominus nequaquam deserit, sed tertia vocatione, id est internæ visitationis gratia invitare eos non despicit Unde sequitur :

Rex autem, cum audisset, iratus est, et missis exercitibus perdidit homicidas illos, et civitatem illorum succendit. Rex enim iste Rex sempiternus, qui in exordio evangelii legitur nuptias fecisse filio suo, non in ira vindictæ, sed in ira bona, in ira scilicet sua, quam propheta expostulat dicens : *Exsurge, Domine, in ira tua* (*Psal.* VII, 7), tunc misericorditer *irascitur*, quando pro peccatis et vitiis, quæ commisit, hominem peccatorem salubriter sibimetipsi iratum facit, quod videlicet primam ac secundam vocationem, hoc est naturam et doctrinam, sicut prænotavimus, audire contempserit, quod multis malis diu involutus regnum corporis sui et animæ **885** non bene, non recte disposuerit. Quæ, dum per tertiam vocationem, hoc est per gratiam internæ inspirationis audire merebitur juxta vocem Psalmistæ dicentis : *Irascimini, et nolite peccare* (*Psal.* IV, 5), utiliter ac salubriter sibimetipsi irascitur, et quidquid nequiter se perpetrasse meminerit, salubri vindicta in semetipso ulciscitur.

Et missis, inquit, *exercitibus perdidit homicidas illos, et civitatem illorum succendit. Mittit* Rex ille clemens et benignus in cor hominis bene irascentis *exercitus suos*, diversos, inquam, compunctionis et pœnitentiæ motus, quibus perdit ac perimit homicidas illos, carnales scilicet delectationes et concupiscentias, quæ in animabus voluptuose viventium lethale nonnunquam exercent homicidium. *Et civitatem illorum succendit.* Postquam homicidæ jam dicti perimuntur, *civitas illorum*, quod est cor humanum, *igne* sancti Spiritus succenditur. De quo igne ipse Dominus alibi dicit : *Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut ardeat?* (*Luc.* XII, 49.) Ignis sancti Spiritus, dum in terram, id est cor terrena sapiens ac diligens mittitur, postpositis terrenis omnibus ardore divinæ charitatis accenditur. Unde sequitur :

Tunc ait rex servis suis. Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui invitati erant, non fuerunt digni. Rex iste utiliter sibimetipsi, ut diximus, iratus, igne divini amoris succensus et illuminatus, servos suos, exteriores ac interiores sensus suos, quos jam bene ac sapienter regere novit, ad meliora et utiliora inhortans ait : *Nuptiæ quidem* cœlestes *paratæ sunt* non solum per baptismi regenerationem, verum etiam per bonam spiritalis vitæ conversationem. *Sed qui invitati erant*, spiritus meus, anima et corpus, indignos nos propria negligentia fecimus, ne ad has perveniremus nuptias. Nunc vero hoc unicum mihi restat salutis consilium, recogitare in amaritudine animæ meæ tempus vitæ meæ in vanitate consumptum, juxta illud propheticum : *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ* (*Isai.* XXXVIII, 15).

Ite ergo ad exitus viarum, et quoscunque inveneritis, vocate ad **886** *nuptias*. Vos, inquam, servi, omnes sensus mei, qui servire mihi ad iniquitatem hucusque non timuistis, *ite* jam ante oculos mentis, mala, quæ commisistis revocando, ne non solum initium peccatorum sed *exitus* finemque *viarum* iniquarum considerando, dies et annos, qui sine fructu

prætererunt, in contritione cordis recogitando, si forte culpa et negligentia transacti temporis aboleri valeat ante oculos districti judicis.

Et egressi servi ejus in via congregaverunt omnes quos invenerunt, malos et bonos, et impletæ sunt nuptiæ discumbentium. Egrediuntur per bonam operationem sæpe memorati servi illi, actusque suos *malos et bonos* congregant, *malos*, ut digna satisfactione pœniteant, *bonos*, ut non sibi sed Deo humiliter ascribant. Et sic congregata multitudine tam malorum quam bonorum operum *implebuntur nuptiæ* in humilitate *discumbentium*. Nam spiritales implere nuptias aliter non possumus, nisi mala, quæ commisimus, pœnitendo, aut bona, quæ fecimus, non nobis sed Deo ascribendo. Sequitur:

Intravit autem rex, ut videret discumbentes, et vidit ibi hominem non vestitum nuptiali veste. Intrans rex cœlestis præsentia majestatis suæ, *discumbentes* in humilitate *videt* et visitat, docet hominem interiorem *nondum vestitum veste nuptiali*, quomodo hanc eamdem vestem adipisci debeat. Sancti Patres et doctores per vestem nuptialem intelligendam esse dixerunt veram et perfectam charitatem, quod et nos credimus et intelligimus. Sed tamen subtiliori sensu non tantum eam charitatem, quæ exterius aut in divino servitio, aut in proximorum compassione exhibetur, in veste nuptiali accipimus, verum etiam invisibilem charitatem internæ suavitatis, quam tunc anima fidelis gustare merebitur, quando unus cum Deo spiritus efficitur.

Et non incongrue per vestem nuptialem interna suavitas valet intelligi, quia sicut vestis nuptialis ornat et calefacit corpus hominis, sic divinæ suavitatis gratia hominem bonis operibus ornat exterius, et igne geminæ charitatis accendit interius. Quisquis ergo hanc eamdem vestem **887** nuptialem obtinere desiderat, verba invitantis Domini, quæ sequuntur, attendat:

Et ait illi: Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? Cur *amicum* nominat, qui veste nuptiali vestitus non erat? Amicus est et non amicus. *Amicus* est per bonam conversionem et sanctam conversationem, et *non amicus* per intimi saporis suavitatem. Unde idem est, ac si dicat: Vide et considera quonam modo, quo ordine me vocante nuptias intraveris, quomodo me opitulante homicidas illos, carnales videlicet concupiscentias perdideris, quomodo civitas cordis tui succensa sit igne Spiritus sancti, et cum omnia bona hæc tibi dederim, nunquid ignoras, quare veste nuptiali te non induerim?

At ille obmutuit. Pauca hæc verba innuunt, quod ideo vestem nuptialem non habuit, quia non, ut debuit, a strepitu tumultuantium cogitationum ante *obmutuit*, nec veraciter cum Propheta dicere potuit, *obmutui, et humiliatus sum, et silui* (*Psal.* XXXVIII, 3). Nunc vero, quia *obmutuit*, quia in humilitate siluit, ideo vestem nuptialem induit, id est aliquantulum internæ dulcedinis prægustare meruit, et ad quantam mox dignitatem pervenerit, evangelista consequenter insinuans ait:

Tunc ait rex ministris suis: Ligatis pedibus ejus ac manibus, mittite eum in tenebras exteriores; ibi erit fletus et stridor dentium. Ad hunc sensum, quem modo exposuimus, non in ira, sed in misericordia hæc verba accipere debemus. Nam *ministri*, qui tunc *ligatis pedibus*, hoc est affectibus, *et ligatis manibus*, hoc est operibus, *in tenebras exteriores* eam *mittere* jubentur, spiritus angelici non incongruenter accipiuntur, quibus post adeptam vestem nuptialem anima bona committitur, quatenus intus a malis affectibus, et foras a pravis operibus fideli eorum ministerio per vinculum charitatis constringatur, et custodiatur, sic eam quodammodo *in tenebras exteriores mittant*, ut omnes exteriores prosperitates seu adversitates contemnat et despiciat ut omnia exteriora vana et caduca oculis cordis ejus tenebrescant et vilescant, eique sola internæ visitationis gratia placeat et dulcescat.

888 *Ibi erit fletus et stridor dentium. Ibi*, inquam ubi angelorum ministerio et suffragio ligatis per amorem Dei affectibus et operibus, in tenebras exteriores hoc modo, ut diximus, homo mittitur; *ibi fletus*, quod est assidua lacrymarum compunctio, *et stridor dentium*, quod est districta custodia cogitationum, competenter consequitur: *ibi*, dico, aut timore supplicii, aut amore cœlestis desiderii homo compunctus lacrymis mundatur et abluitur, *ibi* arcta et districta custodia a vanis et illicitis cogitationibus cor hominis observatur et restringitur.

Nec immerito per stridorem dentium custodia intelligenda est cogitationum. Nam sicut quis præ dolore stridens dentibus ipsos etiam dentes ad invicem constringit fortius, sic perfectus quisque forti observantia cor suum custodiens in semetipso constringitur, quatenus divina visitatione jucundari ac lætificari interdum mereatur. Sequitur:

Multi enim sunt vocati, pauci vero electi. Multi vocati multi sunt pœnitentes; *pauci electi* pauci sunt contemplantes. Multi namque Deo miserante sunt, qui peccata sua lacrymis pœnitentiæ deflent ac diluunt, qui pro indulta peccatorum venia gratiarum actiones Deo humiliter referunt, et hoc modo ad nuptias, quo vocati sunt, pervenire contendunt; *pauci* vero sunt, qui vestiti sint veste nuptiali, qui digni sint contemplativæ dulcedinis gratia refici et lætificari, qui sic voluntates et operationes suas vinculo perfectæ charitatis ligare, et cor suum a tumultu inutilium cogitationum custodire valeant, ut exteriora cuncta et visibilia perfecte contemnant ac despiciant. Nos vero, quoniam in numero electorum sive contemplantium computari non meruimus, invenire saltem in numero pœnitentium omni modo laboremus, quatenus gaudia æternæ beatitudinis, quæ obtinere per vitæ perfectionem non possumus, per veram et humilem pœnitentiam adipisci valeamus. Quod ipse præstare dignetur, qui in Trinitate per-

facta vivit et gloriatur per infinita sæcula sæculorum. Amen.

889 HOMILIA XC.

IN DOMINICAM XXI POST PENTECOSTEN PRIMA.

Erat quidam regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum (*Joan.* IV).

Regulus iste fidelem quemlibet exprimit, quem Deus omnipotens misericordia sua salvare disposuit. Hic non incongrue *quidam*, id est singularis dicitur, quando ex instinctu supernæ inspirationis voluntatem illam accipit, quod mundum deserere, et Deo servire velit. Qui nequaquam rex, sed *regulus* dicendus est, quia in primordio conversionis necdum seipsum perfecte regere potest. Rex quidem magnus et præpotens esset, si cogitationes, sermones et actiones suas regere posset. Sed quia *regulus* est, bonam quidem voluntatem habens, sed nondum bonis operibus proficiens, nec tentationibus resistere valens, bene *regulus* nominatur, *cujus filius infirmatur*.

Potest per *filium reguli* propositum spiritalis vitæ intelligi. Hoc enim sibi in initio conversionis homo beatus proponit, ut in humilitate et mansuetudine Deo deserviat, et quidquid adversitatis sive a mundo, sive a diabolo vel etiam a propria carne occurrat, patienter propter Deum sustineat. Sed quia ingruentibus tentationibus plerumque propositum istud transgreditur, bene dicitur, *cujus filius infirmabatur Capharnaum*. Capharnaum interpretatur *Villa consolationis*, vel *villa pulcherrima*, sive *ager pinguedinis*, per quod apte vita intelligitur spiritalis. Est *villa consolationis*, quia diversis laborantes infirmitatibus diversis ibi consolantur modis. Consolatur peccator, si veram pro peccatis agat pœnitentiam, quod veram consequatur indulgentiam, et post peccatorum veniam, si in humilitate se contineat, vitam mereatur adipisci perpetuam. Est et *villa pulcherrima*, in qua amissa restauratur innocentia. Est et *ager pinguedinis*, in qua pinguescunt animæ abundanti gratia divinæ dulcedinis.

Sed notandum quare præteritum imperfectum ponat dicens, *infirmabatur*. **890** Videtur mihi hoc ideo esse, ut qui ex una parte tentationibus delectatur, quasi ex illa parte infirmetur; in ea vero parte, qua tentationi non consentit, vivere et saluti suæ approximare videatur. Unde protinus subjungitur.

Hic cum audisset quod Jesus veniret a Judæa in Galilæam, abiit et rogavit eum, ut descenderet, et sanaret filium ejus. Audit et bene audit, cum intrinsecus docetur a Domino; *audit*, cum exterius docetur a proximo, *quia Jesus veniat a Judæa in Galilæam*. Judæa interpretatur *confessio*, Galilæa *transmigratio* Jesus *Salvator* sive *Salutaris*. Audit per verba doctorum, audit ex auctoritate Scripturarum, quod vera salus et medicina animæ in vera et pura consistat confessione. Et cum audierit quia per hoc venit Jesus, id est salutare animæ ejus, *abiit*, ut confiteatur, et de his noxiis purgetur, quibus tenetur, ac per hoc *transitum* facit de vitiis ad virtutes, de infirmitate tentationum ad sanitatem vulnerum suorum. Et dum abierit humilem faciendo confessionem, *rogat*, supplicem pro peccatis suis ad Deum fundendo orationem, *orans ut descendat*, hoc est ut in vera eum humilitate faciat descendere. Nam per mentis humilitatem infirmantis filii recuperare potest sanitatem. Quid autem humilem hanc confessionem, quod supplicem in eo ad Deum suscitet orationem, notat, ut video, hoc quod infertur.

Incipiebat enim mori. Tria sunt peccatorum incrementa, quæ mystice hoc loco denotantur. Primo dicitur, *cujus filius infirmabatur*, secundo, *incipiebat mori*; tertio, *priusquam moriatur*. Filius, id est spiritus sive voluntas *infirmatur*, quando homo peccato delectatur; *incipit mori*, dum peccato consentit. *Moritur*, quando ad peccati actum labitur. Mori incipit, quando ex ipsis tentationum infirmitatibus, quibus laborat, **891** cœptum spiritalis vitæ propositum deserere cogitat. Sed ne mors ista in eo prævaleat, Dominus ipse admonendo se dignanter interponit. Sequitur:

Dixit ergo Jesus ad eum: Nisi signa et prodigia videritis, non creditis. Dicere Jesu est verbum suum in cor hominis mittere, per quod homo seipsum incipit recognoscere et objurgare, dicens ad se intra se, *nisi signa et prodigia videritis, non creditis*. His verbis, unde aut de quo omnes præcedentes infirmitatis tentationes oriantur, quantum mihi videtur, hic occurrit, pro quibus se homo, dum Jesus in cor ejus verbum suum mittit, redarguere sic et sic incipit dicens: Miser ego et peccator! cur *nisi signa et prodigia videam, non credo?* Cur ego, qui in simplicitate cordis mei ad hanc spiritalem vitam veni, et contemptui haberi proposui, contemptum et despectionem meam non diligo? Cur aliorum vitam dijudico, et nisi signa et prodigia fraternæ dilectionis et districtionis in prælatis et subditis videam, non credo? Non hoc propositi et voluntatis meæ fuit, ut ex aliorum visu et operibus salutem meam quærerem. Si illi humiles et boni essent, ego quoque bonitati operam darem, si districti, et ego districtus; si remissi et dissoluti, et ego remissus et dissolutus. Solent enim tales tentationum infirmitates præter alias quas longum est enumerare, noviter conversis subripere, ut videatur eis quod signa et prodigia in prælatis et subditis non videant, hoc est, quod talem perfectionem et districtionem, qualem in eis esse putabant, non habeant. Et ideo, cum aliquid grave ex prælato suo sibi imponi conspiciunt, submurmurant, quasi ipse talia non faciat, et ex hoc scandalum sibimetipsi sumunt et generant. Quæ tentatio quod valde periculosa sit, dum homo Deo donante recognoscit, non jam signa et prodigia quærit, quia de sua solummodo salute sollicitus existens, alienæ vitæ dijudicator non erit, sed totam spem suam in respectu supernæ misericordiæ constituens, obnixe postulat dicens:

Domine, descende, ut sanes filium meum, priusquam moriatur. Ac si dicat: O Domine! fons totius bonitatis et misericordiæ, *descende* ad me, et per

tuum descensum fac humilem me; minue superbiam meam, *priusquam moriatur* superbiendo *filius meus*. Si enim aliquando **892** peccato condelectabar, si consensi, præsta mihi, ne unquam moriatur spiritus meus perpetrato opere peccati.

Sed et alio modo possumus intelligere quod ait Dominus, *nisi signa et prodigia videritis, non creditis*. Differentia est inter *signa et prodigia*. *Prodigia* dicuntur ea miracula quæ terribilia et metuenda videntur, quemadmodum sunt fulgura et tempestates; signa, quæ dulcia et amabilia sunt, verbi gratia, ubi infirmi sanitatem, cæci visum, claudi gressum recipiunt. Et ideo per *prodigia* timor, per *signa* intelligi potest amor. Et quamvis timor Domini sit initium sapientiæ, tamen propter dignitatem signum amoris præponitur prodigio timoris. Et est quasi verus medicus veram nobis sanitatem his verbis insinuet dicens, *nisi prodigia* timoris mei territi noxiarum cogitationum, inutilium verborum et operum custodiam vobis ponatis, et *signo* amoris mei intrinsecus attacti sancta desiderare, bona cogitare, virtutibus proficere studeatis, *non creditis*, id est eam fidem, quæ per dilectionem operatur, observare non poteritis, ut in prosperis humiles, et in adversis esse valeatis patientes.

Hæc, cum per divinam inspirationem intrinsecus audierit, humiliter exorat dicens: *Domine, descende, ut sanes filium meum*. Cognosco, Domine, quia debita reverentia, qua te Dominum meum timere deberem, non timui, quia timore tuo a malo non declinavi, amore tuo bona non feci quæ debui et ideo *descende*, id est fac me, coram te humiliari corde et corpore. Hanc cordis contritionem et orationem Deo fore acceptam, suo mox confirmat responso dicens:

Vade, filius tuus vivit. Quia sic teipsum cognovisti, quod filium tuum, id est spiritum tuum per superbiam, quæ te impugnat, mori pertimuisti, *vade*, id est de bonis ad meliora tende, et filius tuus vita vivet, et non morietur.

Credidit homo sermoni, quem dixit ei Jesus, et ibat. Non dicit, credidit regulus, sed *credidit homo*, ut per hoc insinuaret quod ille qui in initio conversionis impotens et parvus in bona actione erat *regulus*, per misericordiam Dei nunc sit *homo*, ad imaginem et similitudinem Dei reformatus, et ad conservandam in se eamdem imaginem credere paratus sit *sermoni, quem dixit Jesus*. **893** Quidquid Deus aut per se, aut per doctores, aut per Scripturam sacram loquitur homini, totum est sermo Domini. Huic sermoni homo credit, quando secundum hunc sermonem, in quantum potest, mores et actus suos instituit. *Ire* incipit, cum de virtute in virtutem proficit.

Jam autem eo descendente, servi occurrerunt ei dicentes quia filius ejus viveret. Sic homine descendente, sic, inquam, per veram humilitatem omnipotenti Deo se submittente, occurrunt servi, quibus et per quos dulces affectiones, boni sensus, sancta desideria non inconvenienter possunt intelligi. Isti

A sane servi dulci admodum et delectabili occursu ei obviant, quia supernæ gratiæ dulcedinem, quæ veram nonnunquam sequitur humilitatem, ei subministrant. *Super quem* enim, inquit, *requiescam, nisi super humilem et quietum et trementem sermones meos?* (*Isa*. LXVI, 2.) *Filium* ejus *vivere* nuntiant, quia ex istiusmodi affectionibus vere sanatur et vivificatur spiritus ejus.

Interrogabat ergo horam ab eis in qua melius habuerit. Horam a servis interrogat, quando recogitat in semetipso et rememorat horam illam, si quando *melius habuit*, si supernæ dulcedinis gratiæ vel ad momentum unquam admitti meruit. Colligit horam in se quia iterum atque iterum per misericordiam Dei æstuando et anhelando ad eam utcunque pertingere desiderat. Et bene cœlestis illa dulcedo, cum brevis sit, per *horam* designatur, quæ præterit cito, quæ etiam si diu haberi in hac vita posset, propter insatiabilem, quam generat in corde hominis, gratiam, brevis videretur et esset. Horæ istius brevissimam esse dulcedinem notatur nobis per Joannem: *Factum est*, inquit, *silentium in cœlo quasi media hora* (*Ap c*. VIII, 1). Ad hanc autem horam nunquam homo pertingere potest nisi per septiformem **894** Spiritus sancti gratiam. Quod mystice innuitur, cum protinus subinfertur:

B

Et dixerunt ei quia heri hora septima reliquit eum febris. Quicunque per septiformem Spiritus sancti gratiam venire meruit ad istam horam, hic a febre vere relinquitur, quia a febre vitiorum et peccatorum purgatus in Christo vivificatur, et optabili saluti animæ suæ redonatur. Et quare dicunt, *heri?* *Heri* temporis est præteriti. Et per hoc significatur quod ad horam illam semper debent suspirare, et ad hoc quod præteriit, se præparare, et ut iterum veniat optare et orare.

C

Cognovit autem pater quia illa hora erat, in qua dixit ei Jesus: Filius tuus vivit. Et credidit ipse et domus ejus tota. Jam qui primo *regulus*, deinde *homo* dicebatur, tertio nunc *pater* nominatur. De imis enim ad summa conscendit, et qui primo vix ad aliquod opus bonum seipsum potuit regere, paulatim proficiens factus est *homo* ad imaginem et similitudinem Dei reformatus; postmodum vero

D *patris* nomen jure sortitur, quia si unquam horam istam cognovit, *in qua dixit ei Jesus: Filius tuus vivit*, id est si vere, quantum hic possibile est, quam suavis sit Dominus degustavit, *pater* aliorum merito dici et esse poterit, quia non solum sibi, sed et aliis prodesse valebit. *Et credidit ipse et domus ejus tota*. Credit, cum seipsum et omnes sensus suos Deo soli committit, et ei soli deservit, orans et optans, quatenus horæ illius dulcedinis iterum aliquando admitti possit interim, donec illo perveniat, ubi dulcedini sempiternæ momentum non ponitur, aut ulla transit sine dulcedine hora, sed ineffabilis suavitatis æterna perseverat sine fine mora. Ad quam nos perducat, qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

895 HOMILIA XCI.

IN DOMINICAM XXII POST PENTECOSTEN PRIMA.

Assimilatum est regnum cœlorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis (*Matth.* XVIII).

Cœlorum regnum, quod varias habet significationes in Scripturis divinis, hoc loco in figura potest accipi hominis interioris, in quo per misericordiam suam regnare et inhabitare decrevit ipse, a quo omne bonum procedit, ut beatus Jacobus in Epistola sua ait: *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum* (*Jac.* I, 17).

Sed hoc cœlorum regnum *homini regi*, Christo utique Filio Dei, sempiterno Regi, dicitur simile, si tamen ipse ab æterno cuncta disponens, ea quæ sequuntur, in nobis dignetur operari.

Voluit, inquit, *rationem ponere cum servis suis*. Ratio est rationalis sensus animæ, qua ratione utens homo bonum et malum potest discernere. Quam rationem tunc *in servis suis* omnipotens Deus *posuit*, cum ad imaginem et similitudinem suam nos condidit. Sed hoc beneficio non contentus suavis Dominus, *voluit* etiam rationem *ponere cum servis suis*, nostris utique sensibus; voluit, inquam, voluntatem suam bonam et æternam voluntati hominis coadunare, in prædestinatione jam quidem conjunctam, sed nondum in opere et veritate perfectam.

Et cum cœpisset rationem ponere, oblatus est ei unus, qui debebat decem millia talenta. Per hunc *unum*, qui Deo dicitur oblatus, noster accipi potest spiritus, qui pridem per peccata erat ablatus, nunc autem describitur *oblatus*. Quem tunc recte Domino offerimus, cum per vigilantem rationem consideramus sollicite ea mala quæ fecimus. Ita ergo nosmetipsos considerantes, sic spiritum nostrum Domino offerentes, decem millium talentorum invenimur debitores. Sed quid designatur per *decem millia talenta* nisi Decalogi præcepta, sive tota simul justitia? Cum igitur respectu mentis intrinsecus semetipsum homo perspexerit, decem **896** præceptorum transgressorem se invenit, quia qui perversa agit, præcepta Decalogi transit. Sed rursum clara se intuens luce veritatis, omnem se contempsisse deprehendit normam justitiæ et æquitatis, et jam non habet, unde vel quo justissimo retribuat judici, quem jam residere videt in districta examinatione sui. Unde sequitur:

Cum autem non haberet unde redderet, jussit eum dominus venundari, et uxorem ejus, et filios, et omnia quæ habebat, et reddi. Non habet ergo homo, unde reddat Domino, quia quamvis cordis sui ratione videat, quantum Conditori suo debeat, nondum tamen habet cor contritum, unde factori suo super pœnitentiam, hoc quod injuste egit, retribuat. Ex una quidem parte cernit quomodo reddendum sit, ex altera autem parte imbecillitate voluntatis infirmæ perficere bonum quod videt, non invenit. Sed si ab hac cupit miseria liberari, vendat *uxorem* juxta præceptum Domini, vendat scilicet carnalem amorem pro spiritali, vendat sæculi voluptatem, et emat æternitatis jucunditatem. Tendenti autem ad patriam claritatis æternæ, uxorem tantummodo non sufficit vendidisse, sed vendendi sunt et *filii*, carnalia videlicet opera a carnali ipsius vita progenita. Jubetur insuper severitate divinæ justitiæ *omnia quæ habet* venundare, omnia plane vitia sibi cohærentia, quæ quondam habebat ut propria, quia tali commercio reddendum est Domino. Unde Dominus in Evangelio: *Vade et vende omnia quæ habes* (*Matth.* XIX, 21). Sed quid faciendum est huic misero, cui tam magna et gravia præcipiuntur a Domino, cui ad perficiendum non suppetit voluntas cordis, nec facultas operis? Formam hujus servi assumat, quo miser esse desinat, et quod fecit ille, faciat et ipse. Ait enim evangelista:

897 *Procidens autem servus ille, orabat eum dicens: Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi.* Quid est procidere, nisi in veritate se humiliare? Procidat ergo, in profunda humilitate se dejiciat, iramque Judicis assidua oratione ad misericordiam flectat. Vera namque humilitas vera est oratio, et in humilitate promeretur homo, ut deprecatio ejus exaudiatur a Domino. Dicat itaque in oratione sua hujus servi sæpius iterando verba: *Patientiam habe in me!* Tu fons pietatis præcipuæ, qui omnes affluenter de tua reficis plenitudine, fac me per tuæ bonitatis clementiam stabilem habere patientiam. *Habe* eam per fortitudinem brachii tui tenens in me, quia nisi tenueris eam in me, citius elabitur a me. Et quia *oratio justi cœlos penetrat* (*Eccli.* XXXV, 21), ut ad aures Domini Sabaoth quantocius præveniat, videamus hæc humilitas et oratio quantum apud omnipotentem Deum valeat.

Misertus est, inquit, *dominus servi illius, et dimisit eum, et debitum dimisit ei.* Solet quippe omnipotens Deus benigne misereri supplicibus suis humiliter eum invocantibus, quia ipsi soli proprium est misereri semper et parcere. *Misertus* itaque *dimittit* hominem, qui prius captivus fuerat per peccata, in profundo vitiorum positus, liberum eum reddendo a peccatis. Dimittit et debitum, omnium remissionem dando peccatorum. *Quacunque* enim *hora*, ut ipse Dominus per prophetam ait: *peccator conversus fuerit a via sua mala, omnium iniquitatum ejus non recordabor amplius* (*Ezech.* XVIII, 22). Sed et alio modo *debitum dimittit* homini, dum peccata sua ponit ei ante mentis suæ oculos, ut sciat et cognoscat quomodo vel in quo Deum offenderit. Sequitur:

Egressus autem servus ille, invenit unum de conservis suis, qui debebat ei centum denarios. Peccati tandem dimisso debito, liber et expeditus egreditur de sæculo, egreditur quoque a carnis delectatione, in qua dudum perniciosa jacuerat voluptate. Sic *egressus invenit unum de conservis suis*, invenit corpus suum quasi fugitivum servum, qui tunc fugam

iniit, cum domino suo, spiritui, servire noluit, *invenit* et vitam suam, quam perdiderat, dum ei omnino dominari non poterat, quando 898 caro erecta contra spiritum nullum ei debitum reddebat obsequium. Sed videamus nunc, quantum hic conservus, corpus revera nostrum, domino suo, spiritui, debeat, ut ad reddendum mens nostra idonea fiat.

Centum, inquit, *denarios*. Centenarius numerus in omnibus Scripturæ locis esse describitur perfectus, et ubique pro perfectione ponitur et assumitur. Sed hoc loco per *denarios* illa obedientia mystice designatur quam spiritus a carne exigere solet, cui subesse et obedire servili famulatu debet. Et quia in denario similitudo est regis, per denarium similitudo Dei exprimitur, quam similitudinem nunc in spiritu retinentes et conservantes, quandoque et in corpore promerebimur, cum de tenebris vocati in admirabile lumen ejus fuerimus. Impassibilis denique et immortalis est Dominus, cujus similitudinem nos quoque in corpore recipiemus, dum per resurrectionis gloriam clarificati impassibiles et immortales ad incorruptionem transierimus. Idcirco similitudinem Dei unusquisque nunc in spiritu retinens debitam a corpore exigat obedientiam et hujus servi opus, quod crudeliter factum Scriptura commemorat, in semetipso benigne exercendum suscipiat.

Et tenens suffocabat eum. Teneat ergo corpus suum freno continentiæ, ne secundum libitum suum deliciis hujus sæculi affluat, *suffocet illum* gulam restringendo, ne, quantum illecebra exigit, tantum sibi impendat, sed vix et tenuiter sustentet corpus. Sicut enim, qui suffocare aliquem nititur, guttur ejus tenens stringit fortiter, ita ut sæpius ejus intercidatur anhelitus, sic a quolibet perfecto freni gutturis temperata constrictione tenendi sunt, ut, quamvis in carne maneat, præter carnem tamen, vivere semetipsum compellat, dicens sibi:

Redde quod debes. Omnia tibi prius dulcia in amaritudinem sunt convertenda. Corpus, quod cibo et potu voluptuose utens delectabatur, jam jejuniis multaque abstinentia torridum reddendum est et aridum. Qui somni vapore eras dissolutus, nunc vigiliis multis es exhauriendus.

899 *Et procidens conservus ejus, rogabat eum dicens: Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi*. Hæc cogitatio est hominis infirmi, qua, cum caro atteritur, parcendum rogat sibi, ac si afflicta caro dicat spiritui: Patienter age mecum parcendo mihi, ne succumbam laboribus, nec tantis pressa cedam doloribus, qui si patienter mecum egeris, *omnia reddam tibi*, quod hoc anno digna satisfactione non persolvero, *reddam* in futuro, et sic semper, quoad vixero, hoc quod debeo, reddere non cessabo.

Ille autem noluit, sed abiit, et misit eum in carcerem, donec redderet debitum. Ille sane, cui vivere Christus est, qui quondam in primordio conversionis suæ tantam in vita sua districtionem tenuit, ut

A nonnunquam super vires attenuati corporis plus justo se extenderit, ille non vult audire vocem infirmæ carnis submurmurantis, non vult a cœpto rigore declinare, *sed abiit* in proposito suo perseverando et in anteriora se extendendo. *Et misit eum in carcerem*. Carcer est locus laboriosus et tenebrosus. In carcerem semetipsum mittit homo, cum pie laborans in Domino, ab omni jucunditate et lætitia hujus sæculi quasi in tenebris se includit; in quo labore et tenebris seipsum tandiu tenet inclusum, *donec reddat debitum*, donec per laboriosam pœnitentiam expurgatus, præsumere audeat de remissione peccatorum.

Videntes autem conservi ejus quæ fiebant, contristati sunt valde. Conservi isti qui talia videntes sunt
B *contristati* exteriores hominis sensus non inconvenienter possunt accipi, qui ad serviendum interiori homini a Deo sunt præordinati; qui tunc simul tristantur, cum hæc, quæ prædiximus, in semetipsis viderit actitari. Nam, qui læto vultu petulanter ante circumquaque solebat prospicere, nunc inclinato capite, dimissis luminibus, tristis incedit et mœrens, et qui olim jocularia verba depromere consueverat, sic afflicto corpore jam in silentio semetipsum studet contegere. Et bene dicuntur *valde contristati*. Valida enim hæc est tristitia sic pœnitentis, sic se conterentis, quemadmodum Apostolus dicit: *Quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur* (*II Cor.* VII, 10). Sequitur:

C 900 *Et venerunt, et narraverunt domino suo omnia quæ facta fuerant. Veniunt* tandem in confessione et oratione, *narrantes Domino quæ facta sunt*, quidquid ab ineunte ætate deliquerunt omnia, quæ in juventutem peccata commiserunt, nihil prætermittentes, sed totum Domino confitendo et orando narrantes. Post hanc tam salubrem et placitam Deo narrationem, mirabilem et ineffabilem omnipotens Deus homini impendit consolationem, quemadmodum hic protinus subjungitur:

Tunc vocavit eum dominus suus, et ait illi. Tunc, nimirum per internam inspirationem ad se vocat eum Dominus, præteritæ amaritudinis eum oblitum faciens, ita in dulcedine sua eum confovens, ut
D labor et dolor, qui ex afflicta carne descenderat, omnino temperetur. Sed tam dulciter vocatus a Domino, audiamus qualia ab ipso accipiat responsa:

Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me. Nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum? Verba Domini ad nos sunt verba nostra, quæ ab ipso inspirati in oratione dicimus intra nos. *Servum nequam* corpus suum appellat, quod ad laborandum semper se invalidum dicit, ac si dicat: Tu ad serviendum præstitus eras mihi a Domino, sed hucusque fideliter ministrare noluisti, semper dicendo: Nequeo pondus sufferre tribulationum, non sufficio tam fortes tolerare labores: Et ideo omne quod ex obe-

dientia debueras persolvere mihi, *dimisi tibi*, plus æquo parcendo tibi, *quoniam rogasti me. Rogasti* quippe *me*, ut clementer parcerem tibi, et rogante te, *dimisi*, non exigendo quod debueras. *Nonne eodem modo et te oportuit misereri conservi tui*, mei scilicet, animæ tuæ, ne ita me seduxisses, ne tot pios labores mihi abstulisses, *sicut et ego tui misertus sum* miserando dolores, remittendo labores?

Et iratus dominus ejus, tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum. Ira hæc salubris est et amabilis, qua homo laudabiliter irascitur sibi, ne ulterius in peccata corruat, sed perpetrata nequiter per pœnitentiam corrigat, sicut per **901** Psalmistam dicitur: *Irascimini, et nolite peccare* (*Psal.* IV, 5). Sic sane benigne *iratus* sibi *tradit* corpus suum *tortoribus*, amara pœnitentia semper torquendo et puniendo semetipsum, *quoadusque universa* peccata digno pœnitentiæ fructu *reddat Domino*. Qualiter autem ad hujus perfectionis summam pervenire valeamus, in hujus evangelicæ conclusione lectionis ipse Dominus declarat nobis, ita subjungens:

Sic et Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris. Bene dicitur *Pater cœlestis*, quia omne, quod de cœlis et de cœlesti Patre descendit, non aliud nisi bonum, suave et jucundum esse poterit. *Faciet*, inquit, *vobis*, ad hanc plane perfectionis gratiam perducet vos, si unitus vester cum Deo spiritus **902** *Fratri suo* nimis non indulserit, si ei *de cordibus vestris non remiseritis*. Frater noster caro nostra est, quæ quadam affinitate fraternitatis jungitur spiritui.

Et notandum quod dicit, *de cordibus vestris*. Nam quasi duo corda habet homo, unum spiritale, et alterum carnale. Si igitur corpori nostro *de cordibus non remittimus*, ita sane, ut dum cor carnale trahit deorsum, cor spiritale faciens fructum tendat sursum, tunc secundum modum perfectionis, quem prædiximus, *faciet* nobis *Pater cœlestis* omnipotens Dominus. Ad quam perfectionem perducat nos Pater cœlestis, ut per gratiam ipsius illuc tendamus merito, quo ipse cum Filio et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XCII.

IN DOMINICAM XXIII POST PENTECOSTEN PRIMA.

Cum sublevasset ergo oculos Jesus, et vidisset, quia multitudo maxima venit ad eum, dicit ad Philippum: Unde ememus panes, ut manducent hi? (*Joan.* VI.)

Cum egrederentur filii Israel de Ægypto de terra exsilii et peregrinationis, ut Domino jubente terram intrarent repromissionis, in solitudine cœlestis alimoniæ consecuti sunt subsidium. Per quadraginta quippe annos in eremo mannæ cœlestis pasti sunt cibo, de quo testatur Scriptura, quod omne delectamentum et omnem saporem suavitatis habuerit (*Sap.* XVI, 20), et unicuique talem saporem conferebat, qualem ipse volebat.

Juxta hanc similitudinem adhuc Dominus agit A cum electis suis, quos de tumultu sæculi eductos et in servitutem suam assumptos, in deserto spiritalis vitæ collocaverit, ubi mannæ cœlestis, verbi sui dulcedine eos plerumque reficit, ne in itinere hujus vitæ deficere possint. Tendentibus namque ad patriam æternæ claritatis in verbo suo spiritalis intelligentiæ subministrat pabulum, prout cujusque exigit meritum vel desiderium. Sunt enim nonnulli, qui ob laudabilis vitæ meritum tanta a Deo gratia donantur, ut profunda Scripturarum perscrutantes, secreta quadam in verbis Domini pascantur dulcedine. Sunt et alii ad capienda sublimia minus idonei, sed tamen, ne inanes remaneant et vacui, juxta capacitatem sensus sui, quo reficiantur sufficienter inveniunt in verbis Domini.

B Sic in verbis hodiernæ lectionis æterna Dei Sapientia verbi sui dispensavit semina, ut perfectis et sapientibus profundam in eis conferat scientiam, imperitis autem et simplicioribus tantum in eis spiritalis alimoniæ conferat, ut nequaquam jejuni remaneant.

Notandum vero cur Spiritus sanctus, qui divinum ministerium in sancta ordinavit Ecclesia, istud Evangelium bis in anno in divinis officiis legi voluerit, in quo legitur, quomodo de quinque panibus et duobus piscibus quinque millia **903** hominum Dominus satiaverit. Legitur nunc in fine Dominicarum, secundo autem ante Dominicæ Passionis et Resurrectionis solemnia, quod, ut putamus, non sine certi causa mysterii Spiritus sanctus instituit et ordinavit. C Nam quod hodierna die istud Evangelium in fine legitur Dominicarum, notat nobis requiem sanctarum animarum, ad quam perfecti et electi Domini transeunt deposito carnis onere, ubi in sola anima jam æterna satietate reficiuntur, jacente adhuc corpore in terræ pulvere. Quod autem hæc lectio secundo in Quadragesima ante Dominicam Resurrectionem repetitur, designat nobis quoniam electi in resurrectione generali, resumpto corpore, cum mortale hoc induerit immortalitatem, bono potiti gaudio utriusque hominis æternaliter in vultu Dei saginantur et satiantur. Qualiter autem ad hanc utramque satietatem pervenire valeamus, instruimur a Domino in verbis hodiernæ lectionis. Ait enim Evangelista:

D *Cum sublevasset oculos Jesus.* Per *oculos Jesu* hominis salvandi, quem Dominus sua misericordia prævenerit, intentionem possumus accipere; quam intentionem tunc Dominus *sublevat*, dum per Spiritus sui gratiam homini præstat ut intentionem suam, quam sæculo et sæcularibus desideriis immerserat, ad Deum erigere et convertere incipiat. Omne enim quod in præsenti vita est, totum temporale, transitorium et subtus hominem est, super quod tunc a Domino tollitur et sublevatur, cum intentio ejus ab his terrenis et caducis segregatur, et ad Deum erigitur.

Sed et alio modo sublevationem oculorum Jesu possumus intelligere. Quando enim secundum vo-

luntatem et desideria cordis sui vias sæculi hominem ingredi permittit, oculos suos quodammodo intus habet Dominus Jesus, et quid boni de eo in secreto præordinaverit, et prædestinaverit, ab humanis adhuc aspectibus abscondit. Eosdem autem *oculos* tunc *sublevat*, dum hoc quod in divinis erat obtutibus, hominesque foris latebat, ipso adjuvante et cooperante, per operis ejus effectum humanis visibus manifestatur. Sic, *sublevatis oculis Jesu*, videt quia *multitudo maxima venit ad eum.*

904 In *maxima multitudine*, quæ ad Jesum venit, et in bono accipi potest, non injuste bonas affectiones et sancta desideria possumus intelligere, quibus homo ad hoc tendit, ut ad cognitionem Dei pervenire possit. Cum ergo hanc maximam multitudinem salvandus homo, qui membrum Christi ex parte factus est bona appetendo, interno cordis lumine viderit in scipso, hoc quoque *videt Jesus; videt* quia diligit, quia approbat, dicitque ad Philippum: *Unde ememus panes, ut manducent hi?*

Per *Philippum*, qui *os lampadis* interpretatur, illuminatum cor hominis figuratur, ardens per timorem, lucens per amorem. Ad hoc cor, æterni Patris accensum timore, irradiatum amore, sermo Salvatoris dirigitur, ad hominem in homine: *Unde*, inquit, *ememus panes, ut manducent hi?* Ac si homo de salute sua sollicitus, aliquantulum per gratiam cor gerens illuminatum, dicat ad Dominum: O Domine, fons pietatis et misericordiæ, qui pridem oculos tuos sublevasti in me, dum indigni et peccatoris intentionem, terrenis negotiis ardenter inhiantem, convertisti ad te, dans bonas affectiones et sancta desideria, quibus ad agnitionem et amorem tuum aliquantulum appropinquarem. Talia gratia exhibita et ostensa in me, *unde* ego hoc *emam*, unde acquiram, ut hæ bonæ affectiones et sancta desideria, quæ maxima sunt multitudo coram te, talem *panem*, talemque cibum, quem manducent, quo reficiantur, accipiant a me? Tunc enim reficerentur, si ea quæ mihi suggerunt, in effectum boni operis a me perducerentur. Panes hos ego nequaquam emere potero, nisi pretium corporis mei pro hac commutatione tradidero, et meipsum vitæque præsentis dulcedinem pro amore tuo despexero. Sequitur:

Hoc autem dicebat tentans eum. Ipse enim sciebat quid esset facturus. In tali mœrore et inquisitione posito homine, consilium datur a Domino, jubeturque *tentare*, an possit hoc quod sibi ostensum est exercere in opere. Nam et infirmanti plerumque, cum cibus apponitur, et ille se escam non posse percipere conqueritur, ab eo qui salutem et sanitatem ejus desiderat, sæpe **905** sæpiusque repetitur: *Tenta*, *dilecte*, si possis aliquid inde ad utilitatem tuam percipere.

Ita etiam agitur, cum pondus grave super vires suas aliquis nititur sublevare. Nequaquam viribus prævalens, fessus jacet sub onere. Sed tandem viribus amplioribus appositis onus sublevat, quod prius

A vix aut nullatenus movere poterat. Tali exemplo per inspirationem Dei agitur erga animum, adhuc in turbinibus mundi constitutum, qui quidem evadere mala sua nititur, sæculum et cor sæculare relinquere concupiscit, sed voluptatibus mundi præpeditur.

Quamvis autem minus perfectionis habeat homo in illuminationis suæ primordio, *scit* tamen Conditor universorum *quid* in fine sit *facturus*, quo studio, qua animi constantia vitam æternam sit apprehensurus. Idcirco suadet homini, ut tentando bonum opus aggrediatur, quod sibi tam difficile esse suspicatur. Unde sequitur:

Respondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat. Centenarius numerus in sacra Scriptura
B pro perfectione ponitur et assumitur; qui centenarius numerus duplicatus usque ad ducentos perducitur. Per *ducentos* itaque *denarios* perfectio bonæ voluntatis et boni operis exprimitur. Quia sicut in denario imago regis olim erat impressa, sic in perfecta voluntate et actione hominis imago imprimitur Dei Patris. *Respondet* ergo *Philippus* Domino, cum homo per gratiam illuminatus peccata et scelera sua cognoscit et abhorret, sed tamen adhuc in fluctibus maris positus, hæc ipsa peccata, quæ cognovit, nequaquam perfecte deserit. *Ducentorum*, inquit, *denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat. Sed hæc quid sunt inter tantos?* Si, inquit, te, Domine, opitulante, nil perfectioni voluntatis meæ deesset, nil etiam imbecilli-
C tatis operi obsisteret, nequaquam tamen ad hoc sufficere crederem, ut unumquodque peccatum meum *modicum quid acciperet. Modicum* enim *quid* accipere est peccati dimisso debito ignem et pœnam tantummodo evadere gehennæ. **906** Nam ad gloriam veræ sempiternæque immortalitatis, ubi in dulcedine tua pauperibus tuis teipsum præparabis, valde modicum est, me remissionem peccatorum meorum solummodo percipere a te, pœnasque evadere ultionis extremæ, nisi ex larga benedictione tua superaddideris, ut aliquo merear donari præmio, sanctorumque jungi consortiis.

Dicit ei unus ex discipulis ejus, Andreas frater Simonis Petri: Est puer unus hic qui habet quinque
D *hordeaceos panes et duos pisces. Andreas* dicitur *virilis*, Simon *obediens*, Petrus *agnoscens*, in quorum significatione nominum apte datur intelligi, quousque progredi debeat, qui salutem animæ suæ quærit. Tandem enim Deo cooperante mutato sæculari habitu de tempestatibus hujus sæculi egreditur, fitque *unus ex discipulis Jesu*, et subacto carnis dominio *virilis* incipit esse in Domino. Fit quoque *frater* in congregatione fidelium, in agnitione Dei et sui jugum obedientiæ constanter portantium. Perspecta munditia perfectæ conversationis illorum, inter quos habitat, visa animi laborisque constantia, protinus in talia convertitur lamenta: *Est puer unus hic qui habet quinque hordeaceos panes et duos pisces. Sed hæc quid inter tantos?* Ac si dicat: O Domine!

ecce ego unicus pietatis tuæ servus, qui pueriliter vivo et vixi hactenus, a tumultu sæculi te donante liberatus, hic quidem solo sum corpore, mente adhuc sæculi vias meditante. Nam miser spiritus et anima circa vana occupantur et inutilia. Habeo ergo *quinque hordeaceos panes*, hoc est quinque sensus carnales, carnaliter et inutiliter viventes, nil de suavitate spiritus sentientes. Neque enim orationis studio mentis puritati novi insistere, nec perfecta confessione peccatorum meorum tibi valeo placere, esca, et potu; et somno tantum sustentans corpus, plus quam oportet, corporis indulgeo necessitatibus.

Habeo *et duos pisces*, duplicem videlicet pœnitentiam; doleo me tot mala adversus Creatorem meum commisisse, et benignitatis tuæ viscera tam impie offendisse; doleo rursus nullos **907** bonorum operum fructus majestati tuæ obtulisse, placitamque tibi justitiam tandiu intermisisse. Sed hæc duplex pœnitentia quid valet inter tot excessus et tanta crimina? Quid, inquam, valet hæc parva pœnitentia mea inter tam sanctos et innocentes, quos in conspectu Dei video florentes, qui cum immaculatam in incorruptione vitam duxerint, et ab omni opere malo abstinuerint, plus orationis studio incumbunt, plus jejuniis, vigiliis atque flagellis corpora sua affligunt. Hæc sunt verba pœnitentis, veraciter pro peccatis suis dolentis, cui misericors Dominus secundum ingenitam sibi bonitatem pietatis dat consilium. Nam sequitur:

Facite homines discumbere. Facite, inquit; ut uterque vester homo, tam interior, quam exterior, in profundam humilitatem se deponat. Sit exterior vester homo eo in humilitate abjectior et despectior, quo olim in contemptu Dei fuit sublimior; et sicut in sæculari habitu per superbiam vitæ omnibus vos prætulistis, sic oportet ut in spiritali proposito omnibus ministrando cunctorum pedibus vos subjiciatis. Sit et interior homo in humilitatis stabilitus profundo, ut, radice superbiæ evulsa, omnes vobis superiores arbitremini, nullique vos, quamvis sceleratissimo, in cogitatione præferatis. Et si in tali discubitu utriusque hominis vos invenero, procul dubio hoc quod a me quæritis, percipietis. Sequitur:

Erat autem fenum multum in loco. Post salubre Domini consilium cernit salvandus homo *fenum multum in* cordis sui *loco*, multas scilicet vitiorum miserias, sibi pridem incognitas, quas ante mentis suæ oculos exaggerans, magnam inde sumit materiam veræ humilitatis. Unde subditur:

Discubuerunt ergo viri numero quasi quinque millia. Discumbit demum in profunda humilitate tam corde quam corpore, et qui, prius relicto sæculi negotio, dictus est *virilis* esse in Domino, nunc in virum proficit perfectum per gloriam profundæ humilitatis. **908** Et quia millenarius numerus est perfectus electorum atque perfectorum ordo, isto signatus est numero, qui nunc vultui assistunt Conditoris deposita omni labe miseriæ et corruptionis. Sed quia, quamdiu in hac lacrymabili vita vivimus, in quinque sensibus nostris nequaquam perfecti esse possumus, idcirco non perfecte *quinque millia* asseruntur, sed *quasi quinque millia* esse describuntur. Quisquis autem, quantum in ipso est, studet perfectioni, per Cooperatoris sui misericordiam inter illos meretur adnumerari, qui in libro vitæ cœlestis sunt conscripti. Unde ipse Dominus in Evangelio dicit: *Vestri capilli capitis omnes numerati sunt* (*Matth.* x, 30). Caput nostrum est Christus Dominus, cujus capitis capilli omnes sunt electi, quibus ipse Rex gloriosus ornatur et coronatur in diademate regni sui, et sicut decor vultus hominis multum in ornamento constat capillorum; sic splendor æterni Patris, Filius Dei, aliquod ornamentum accipit ab electis suis, quos sibi in regno suo fecerit cohæredes. Sed videamus nunc quale consequatur præmium, qui se Deo inclinaverit per humilem utriusque hominis discubitum. Sequitur enim:

Accepit ergo panes Jesus, et cum gratias egisset, distribuit discumbentibus; similiter et ex piscibus, quantum volebant. Accipit panes Jesus, quia acceptabile ei sacrificium fit spiritus contribulati, sicut Psalmista pronuntiat dicens: *Cor contritum et humiliatum Deus non despicies* (*Psal.* L, 19). Sed et alio modo *gratias agit* Dominus *Jesus*, cum animam, superno attactam munere, spiritus sui rore infuderit, et grat s data dulcedine omnia ejus interiora repleverit. Hæc est, inquam, supereminens gratia, quam gratis, et non pro meritis summi largitoris subministrat misericordia, ut etiam ipse homo miretur, tantam cernens gratiam in se, quibus hæc laboribus promeruerit, sciens se nil tale egisse in opere quod ad obtinendam talem gratiam posset sufficere. In hac itaque gratia homini discumbenti *distribuit* Dominus *de panibus*, reponendo videlicet homini in memoriam, ubi vel quomodo divinam offenderit gratiam, quibus diebus vel temporibus peccaverit, nunc ista in gemitu cordis delicta replicando, modo alia in dolore animæ considerando, ut plangens ad **909** singula ampliora a Domino consequatur remedia. Sequitur:

Similiter et ex piscibus, quantum volebant. Piscis vivit inter undas, et quanto crassior et profundior fuerit aqua, tanto validior et fortior piscis efficitur. Per pisces, ut supra diximus, duplicem pœnitentiam accipimus, quam plerumque tam sufficienter subministrat suis fidelibus, ut resoluti in lamentis, tantum effluant in lacrymis, quantum eis suggerit voluntas mentis.

Ut autem impleti sunt, dixit discipulis suis: Colligite quæ superaverunt fragmenta, ne pereant. Cum ergo supernæ inspirationis dulcedine cor fuerit impletum et pœnitentiæ luctu amaricatum, jubet Dominus hominem *colligere* acta priora, ut et minima quæque delicta cognoscat, quæ in priori vita sua esse peccata vix aut nullatenus scire poterat. Abrenuntiantibus denique huic sæculo sufficit ma-

jora crimina confiteri et plangere in conversionis A suæ primordio. Quibus igne pœnitentiæ ad purum excoctis, et longo laboris exercitio confractis, animum tandem ad plangenda minora et levia convertunt. Sed cur panum *fragmenta*, minora videlicet delicta colligenda sunt? Utique *ne pereant*. Credimus enim et confitemur sub districti judicis sententia periturum quidquid in hac vita non fuerit digna pœnitentiæ satisfactione expurgatum.]

Collegerunt ergo et impleverunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque hordeaceis panibus, quæ superfuerunt his qui manducaverant. Per *cophinos*, in quibus plerumque viles res solent portari cor humilium apte valet intelligi, angustum per humilitatem, dilatatum per charitatem. Per *decem* vero *cophinos* præcepta signantur Decalogi, quibus, dum scientia B Novi ac Veteris Testamenti, sive duo præcepta charitati conjunguntur, profecto *duodecim cophini* replentur.

Et notandum quod hæc panum fragmenta *ex quinque hordeaceis panibus* memorantur collecta. Nam hordeum est pabulum jumentorum, et ideo per **910** hordeum signatur vita carnalium, in vita sua carnaliter viventium. Cor igitur quod in custodia humilitatis est inclinatum et in latitudine charitatis dilatatum, insuper scientia Novi et Veteris Testamenti impletum, jubetur etiam a Domino impleri ex collectis panum *fragmentis*, minutis sane et levibus delictis, *quæ* prius *superfuerunt manducantibus*, majora videlicet peccata pane lacrymarum diluentibus C ut et ipsa minora peccata dimittantur, in memoriam reducta.

Illi ergo homines, cum vidissent quod fecerat signum, dicebant : Quia hic est vere propheta qui venturus est in mundum. Ituri milites ad bellum certum et evidens in semetipsis ponunt signum, ex quo cognoscatur, cujus regis et principis subdantur dominio, vel sub cujus potestate sint pugnaturi in prælio. Sic revera milites Christi cum ipso et pro ipso pugnaturi, egregio nunc inspiratæ visitationis et dulcedinis ejus signo, ipsius nunc attitulantur imperio, cum ipso quandoque regnaturi in cœlo. Quicunque ergo hujus dilectæ visitationis signum viderint in semetipsis, hi profecto sub quadam spe certitudinis gloriam æternæ exspectant remunera- D tionis, et habent unde de Domino præsumant.

Nam quamvis electi Domini nunquam in præsenti securi esse valeant; pignus tamen quoddam certitudinis in hoc cœlesti dono accipiunt; qui cum tabernaculum corporis deposuerint, et exitiales mundi labores reliquerint, pennaque desideriorum ad Deum evolaverint, viso pro quo nunc laboraverunt desiderantissimo Domino, glorianter in jubilo cordis sui dicent : *Quia hic est vere propheta*, qui nobis in lacu miseriæ constitutis per Spiritum suum sæpius de gaudiis istis prophetavit; hic plane tam jucundus et amabilis *in mundum*, cor nostrum et corpus nostrum *est venturus*, quo in nobis manente, nos quoque in eo jugiter permaneamus.

Ad hoc totum spectat officium hodiernum, ubi in fine hominis adimplebuntur verba, quæ hodierna die in Introitu missæ canimus, quæ ipse Dominus **911** per prophetam suis mandavit fidelibus dicens : *Dicit Dominus : Ego cogito cogitationes pacis et non afflictionis* (*Jer.* XXIX, 11). Cogitationes nempe pacis, quas misericordia Dei Patris in secreto disponit super electos suos, nunc quidem in præsenti latent et occultantur, in fine vero eorum prodeunt et manifestantur, cum de hac valle lacrymarum translati, ad veram pacem, quæ Christus est, pervenire merentur.

Cum ergo illuc electi Domini pervenerint, mundique hujus corruptiones et miserias transierint, in magno cordis jubilo cum gratiarum actione prorumpunt Domino sic psallentes : *Liberasti nos, Domine, ex affligentibus nos, et eos qui nos oderunt confudisti.* Affligentes et odientes nos maligni sunt spiritus, qui ab exordio creationis humanæ perverso et mortali odio omne humanum genus affligunt et persequuntur. A quorum odio et afflictione tunc **912** electi Domini liberabuntur, dum deposito carnis onere vultui Creatoris sui in lætitia et exsultatione offeruntur. Ibi revera odientes et insequentes eos, maligni videlicet spiritus, magna confundentur confusione, quando infirmos et fragiles homines calcatis et superatis insidiis et laqueis suis æterna in conspectu Dei viderint donari libertate.

Ad hujus tantæ dignitatis et libertatis gloriam, quam de manu Domini justi sunt accepturi, ipse Unigenitus Dei nos dignetur perducere, ut, ubi gloria et divitiæ in domo ejus sunt, ibi quandoque cum ipso mereamur regnare. Qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

VEN. GODEFRIDI

ABBATIS ADMONTENSIS

HOMILIÆ IN FESTA TOTIUS ANNI.

1 HOMILIA PRIMA.

IN FESTUM S. ANDREÆ APOSTOLI PRIMA.

Ambulans Jesus juxta mare Galilææ, vidit duo fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, et Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare (*Matth.* IV).

Textus sacræ hujus evangelicæ lectionis, licet paucis admodum ab evangelista comprehensus sit verbis, non parva tamen virtus mysticæ in eo præfulget subtilitatis. *Ambulans*, inquit, *Jesus juxta mare Galilææ. Ambulare* est delectabiliter incedere. Per *mare* autem *Galilææ* hoc in loco præsens sæculum non incongrue possumus accipere. Consideremus igitur subtili inquisitione quomodo *Jesus ambulaverit juxta mare Galilææ.*

Ex quo revera conditus est mundus, *ambulare juxta mare* Galilææ piis non dedignatus est gressibus. Nam invisibilis adhuc manens apud Patrem, ineffabili benignitatis gratia, inæstimabili quodammodo dulcedinis abundantia, erga humani generis delectabatur salutem. Unde etiam quantam devotionem, quale, inquam, desiderium haberet, ut, pro reparando homine, ipse homo fieret, longe ante incarnationem suam, quasi ex persona ejus fuerat prophetatum : *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum* (*Prov.* VIII, 31). Ac ubi tempus gratiæ advenit, 2
quod invisibilis Deus visibilis per carnem assumptam apparuit, et conversari inter homines cœpit, rursus *juxta mare Galilææ ambulavit.* Nam invictæ pietatis et misericordiæ visceribus plenus, mitem et affabilem etiam ipsis se præbuit peccatoribus.

Idem autem misericors et miserator Dominus, qui tunc *juxta mare Galilææ* visibiliter *ambulabat* in misericordia et miserationibus, etiam nunc juxta quemlibet hominem invisibiliter non dedignatur *ambulare*, quem secundum multitudinem misericordiæ suæ disponit salvare. Nam per *mare Galilææ* juxta moralem sensum unumquemlibet hominem possumus accipere, qui, licet marinis, id est sæcularibus diu circumferatur fluctibus, in prædestinatione tamen divina ad portum salutis, spiritalis scilicet vitæ conversionem, est præordinatus, quemadmodum Paulus ait apostolus : *Quos præscivit, hos et prædestinavit; quos autem prædestinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, hos et justificavit; quos autem justificavit, illos et magnificavit* (*Rom.* VIII, 29). Omnipotens enim Dominus, quos hic vocaverit per

A conversionem, hos quandoque magnificabit per remunerationem.

3 *Juxta* eos ergo *Jesus ambulat* quos, in ipsis etiam peccatorum sordibus jacentes et deserentes se, non deserit, sed ita sub umbra manus suæ abscondendo custodit, ut, licet multis vitiorum flagitiis polluti interius sordescant, nequaquam tamen publicæ confusioni subjaceant. Eapropter quilibet electi filii Dei, quos ita obumbrando absconderit protectio dexteræ Excelsi, totam spei suæ confidentiam in ipsum ponentes humiliter gaudeant, et ad reddendas Deo protectori suo gratiarum actiones humili sese devotione impendant, dum se, quamvis graviter lapsos, nequaquam tamen publice recordantur confusos, et econtra quam plures pro com-
B misso levioris culpæ in mundo male diffamatos cognoscunt esse. Quicunque igitur illi sunt, juxta quos ita ambulando sub tegmine alarum suarum custodiendo Deus occultaverit, etiamsi tempus conversionis non protrahatur, operari tamen in illis, quod hic subjunctum est, non dedignatur.

Vidit duos fratres. Et paulo post, quomodo eos viderit, quibus negotiis intentos invenerit, insinuans ait : *Mittentes*, inquit, *rete in mare.* In *duobus* igitur his *fratribus* corpus et animam intelligere non inconvenienter possumus. Qui tunc revera *rete in mare mittunt*, cum his quæ mundi sunt, totis sensibus irretiti intendunt. Ut ergo de his noxiis negotiorum curis evelli valeant, necesse est ut ambulans
C Jesus juxta eos oculis supernæ miserationis ipsos *videat. Videt* autem eos, cum per internæ visitationis lumen oculos humani cordis illuminat, ut videre seipsum homo et intendere incipiat, et quam perniciosa sit via, in qua ambulat, perpendere subtili consideratione valeat. Per hanc nimirum visionem, id est internam visitationem cum jam seipsum homo circumspecte considerando viderit, et displicere sibimetipsi in viis suis cœperit, fit profecto ei nomen conveniens *Simon*, quod interpretatur *obediens*. Inobediens quodammodo Creatori suo homo creatus exstitit, cum desideriis suis et sæcularis vitæ illecebris satisfaciendo obedivit, *Obediens* autem tunc efficitur, cum his prorsus renuntians ad obediendum Deo viventi sese subjicit, et propter eum, qui propter
4 se obediens factus est usque ad mortem, humiliter alienæ subditur dominationi. In quo nimirum sub-

jectionis proposito dum pie laborando aliquantum A profecerit, et aliorum vitam considerans humiliare se coram omnibus cœperit, altiores tandem virtutum gradus ascendens vocari merebitur *Petrus*, quod interpretatur *agnoscens*. *Agnoscens* siquidem tunc homo dici poterit, cum ad agnitionem Dei et sui aliquantulum venerit, subtili considerationis intuitu ad oculos revocans mentis, quam gratuita pietate ad vitam eum miseratio sui servaverit Conditoris, et econtra quantis pravæ actionis operibus pœnam digne promeruerit ultionis.

Accepta autem hac agnitione Dei et sui eminentioribus adhuc sursum tendens gressibus nomen sortiri merebitur *Andreas*, quod interpretatur *virilis* vel *decorus*. Agnitis igitur tantis, ut diximus, Conditoris sui beneficiis, agnitis etiam innumeris pec- B catorum suorum contagiis viriliter agens in Domino piis insistere non desinit operibus, ut iniquæ conversationis reatum dignæ satisfactionis redimat laboribus. Ita ergo *virilis* factus per bonam operationem, consequens est etiam ut *decorus* fiat per puram confessionem. Sordidus namque et quodammodo immundus homo ante oculos divinæ apparet majestatis, cum peccata sua intra sinum conscientiæ abscondendo celat, et confiteri adversum se injustitiam suam trepidat, *decorus* autem et quasi reformatus in conspectu Domini apparebit, cum vias suas per humilem confessionem et corde pœnitenti revelaverit. Unde et David ait : *Confessio et pulchritudo in conspectu ejus* (*Psal.* xcv, 6). Hæc autem C omnia, quæ prædiximus, operari nequaquam poterit homo, quandiu *rete mittendo in mare* sæcularibus irretitur vanitatibus ; sed cum per illuminantem gratiam sancti Spiritus videndo eum visitans visitaverit Dominus, fit profecto ut tribus his appellari valeat nominibus, id est, *Simon*, *Petrus*, *Andreas*. Fit *Simon*, id est. *Obediens* per conversionem, fit *Petrus*, id est *Agnoscens* per agnitionem Dei et sui ; fit *Andreas*, id est *virilis* vel *decorus*, *virilis* per bonam operationem, *decorus* per puram confessionem. **5** Quare autem in hos virtutum gradus extendere se nequaquam valeat homo terrenis adhuc fluctuans rebus, evangelista mox insinuat in consequentibus.

Erant enim, inquit, *piscatores*. Quod enim dicit : *Erant piscatores*, idem est ac si dicat, erant pecca- D tores. Peccatores, inquam, erant, corpus videlicet et anima male vagando circa sæcularis vitæ inania. Quandiu enim terrenarum rerum vanitatibus, tam interioribus quam exterioribus, homo adhæret sensibus, quid rectius quam peccatores iidem appellari valent sensus ? Quoniam autem, ut Scriptura ait : *Omnes peccaverunt et egent gloria Dei* (*Rom.* III, 23), pauci admodum sunt, qui non prius ea quæ mundi sunt, appetendo diligant, quam vivere secundum voluntatem Conditoris sui incipiant. Unde etiam, nisi superna miseratio hominem misericorditer videndo præveniat, per se nec bonum velle nec bonam valet voluntatem perficere. Quisquis autem superna præveniente misericordia, relictis jam retibus, cunctis renuntiaverit rebus exterioribus, et divina compunctus inspiratione, disciplinæ se tradiderit spiritalis vitæ, quod nequaquam a terrenarum impetu cogitationum liber esse valeat, sed multoties mania meditando *rete* suum *in mare mittat*, sequens narrationis ordo denuntiat.

Et ait illis : Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum. Dicere Dei est, cum per vocem prædicatoris homini insinuat quomodo a temporalium rerum mutabilitate mentem retrahere valeat. Attamen quantum libet foris prædicatio exerceatur, frustra sermo prædicantis laborare videtur, nisi ipse Creator cordis cor per vocem alloquatur internæ inspirationis. *Venite*, inquit, *post me, faciam vos fieri piscatores hominum.* Ac si dicat : *Venite post me* ab infimæ cogitationis mutabilitate mentem restringendo, et ad ea quæ sursum sunt, totis vos viribus erigendo. Si enim tota intentione mentis *post me* semper vos sursum extenderitis, *faciam vos fieri piscatores hominum*, corporis, videlicet et animæ. Horum, inquam, *hominum piscatores vos fieri faciam*, ut sicut prius male piscando exhibuistis vos servire immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc corpore et anima vos exibeatis servire justitiæ in sanctificationem (*Rom.* VI, 19). Raro autem fieri solet, ubi electus quilibet, qui supra dictis virtutum gradibus suspensus quodammodo solis intendere **6** nititur cœlestibus, ut sibi solummodo fructificando proficiat, nisi etiam aliis exemplo bonæ conversationis vita ejus proveniat, ideoque tot remunerationis præmia adeptus quandoque coronabitur, quot hic quasi piscando ad salutem suo traxerit exemplo. Quicunque ergo sunt, quibus omnipotens Deus ita occulta inspirationis loquitur lingua, quo studio, qua diligentia voci piæ admonitionis aures audiendi præbeant, bene evangelista verbis sequentibus insinuat :

At illi continuo relictis retibus secuti sunt eum. *Continuare* est divisa quæque a se rursus redintegrare. *Continuo* igitur *retia relinquere*, et Dominum *sequi* est sensus a se male vagando divisos crebro ab inani cogitationum intentione retrahere, et ad piæ meditationis studium colligere. Hi ergo *continuo retia relinquunt*, et Dominum sequuntur, qui, sicut diximus, perversis cogitationibus quasi contradicendo resistunt, et districta custodia ad spiritalis meditationis disciplinam mentem ventosam informare non desinunt. Quod autem his exercitiis, his pii laboris studiis sufficiens (40) nequaquam homo esse debeat, nisi ad eminentioris vitæ altitudinem sese extendere contendat, satis convenienter sequens iste versus indicat :

Et procedens inde. Ut enim Psalmista ait : *Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion* (*Psal.* LXXXIII, 8), electus quilibet, qui jam, ut diximus, posteriora obliviscens in anteriora se cœpit extendere, toto corporis et mentis annisu de

(40) Id est contentus

virtute in virtutem debet proficere. Debet, inquam, de virtute agnitionis in virtutem proficere dilectionis, de virtute timoris ire in virtutem amoris, et sic per singula virtutum merita ardua semper petere et altiora, donec videatur Deus deorum in Sion, id est donec per speculativæ mentis gratiam divinæ dulcedinis prægustare mereatur abundantiam. Sic denique proficiendo, sic in bonis operibus procedendo quantæ miserationis aspectu, quantis meritorum muneribus præveniendo eum rursus omnipotens videat Dominus, intelligi datur verbis sequentibus.

Vidit duos alios fratres. Sicut in exordio evangelicæ lectionis diximus, per *duos fratres* corpus et animam accipere possumus. Duos siquidem præcedentes fratres, quos juxta mare Galilææ Dominus ambulans vidit, mittentes rete in mare invenit; hic vero ut evangelista ait, *alios* **7** *duos vidit*. *Alii*, inquam sunt facti, quia veterem cum actibus suis deponentes hominem ambulare in novitate vitæ contendunt quod etiam nomina, quæ hic subjuncta sunt, satis congrue innuunt, *Jacobum Zebedæi, et Joannem fratrem ejus*. Jacobus enim *supplantator* dicitur; Joannes vero *Dei gratia*, vel *in quo est Dei gratia*, interpretatur. *Jacobus* ergo, id est *supplantator* tunc homo dici et esse poterit, cum bonis operibus insistendo vitiorum radices quasi supplantando eradicare et evellere non desinit, et in loco vitiorum virtuosæ operationis germina plantare contendit, ut ubi prius radix peccati superbiæ, invidiæ et amaritudinis pullulabat ibi postmodum flores justitiæ, humilitatis, patientiæ et castitatis florere et germinare incipiant. Qui ergo ita in se vitia, supplantando semper in melius proficere elaborat, hic revera nomen majoris accipit dignitatis, id est *Joannes*, quod interpretatur *Dei gratia*. Cum enim arduam virtutum viam incedens delectari in infimis recusat, desideratam intimæ dulcedinis gratiam divina ei pietas subministrat ut crebra visitatione relevatus, promptior ad pii laboris reddatur usus. Ubi autem hæ spiritalis exercitii virtutes operari valeant, verba mox sequentia demonstrant.

In navi cum Zebedæo patre eorum. Per *navim* ergo sano Scripturarum intellectu spiritalem vitam accipere possumus. Nam *in navi* quædam similitudines esse videntur, quæ convenienti significatione ad spiritalem vitam possunt referri. Navis siquidem, licet bonos habeat nautas cæterosque navis adjutores, nisi boni gubernatoris industria sollicite provideatur, fluctibus citius immergitur. Sic et spiritalis vita, quamvis religionis incrementa, quamvis virtuosæ conversationis in ea refloreant merita, nisi pii rectoris moderamine crebro quasi impellendo dirigatur, paulatim crescente negligentia a statu rectitudinis enervatur. Est etiam alia similitudo in *navi*, quæ recte convenire videtur vitæ spiritali. Sicut enim, qui in navi est, spem veniendi ad portum habet; qui autem extra navim in flumine periclitatur, evadere posse mortis periculum desperatur, sic nimirum qui in spiritali vita consistit,

A quasi qui jam ad portum tendit, viam, quæ ducit ad vitam, apprehendisse se non ambigat; qui vero in mari hujus sæculi adhuc fluctuat, si ad portum vitæ æternæ perveniat, prorsus ignorat. Licet autem homo quilibet conversus **8** tendere semper sursum totis invigilet viribus, quandiu tamen in hujus mutabilitatis manet tempore, plenæ securitatis firmitatem nequaquam poterit habere. Nam, quod nequaquam a fluentis sæculi vanitate liber esse valeat, nomen *Zebedæi*, quod interpretatur *iste fluens*, demonstrat. Quid ergo intelligere possumus per *Zebedæum* nisi præsentem mundum? Quid vero est mundus nisi ipse homo? Omnis enim mundus est omnis homo. Nam sicut mundus ad finem semper tendens indesinenter quodammodo *defluit*, sic homo de die

B in diem morti vicinius appropinquabit. In nobis ergo et nobiscum mundum habemus, quia humanæ mortalitatis miseriam indesinenter sustinemus. *In navi* igitur, id est in spiritali vita *cum Zebedæo patre eorum*, mundo scilicet *defluente*, electi quilibet consistunt, quia, quandiu in hoc mundo vivunt, licet operibus bonis semper invigilare non desinant, perfecte tamen justitiæ integritatem retinere nequeunt. Nam cum modo terrena omnia despicientes, tumultus cogitationum inaniter vagantium in se districte deprimunt, et piis laboribus delectabiliter insistendo sola divina contemplatione delectantur, subito mortalis vitæ fragilitate præpediti, terrenæ occupationis vanitates meditando a piæ operationis usu torpentes *defluunt*.

C Sed salvandi quilibet, qui jam *in navi* consistentes ad portum pervenire proposuerunt, quo prius se arctius in custodia mentis tenuerunt, eo citius ad se intra se revertentes delicta sua recognoscunt, et per dignos pœnitentiæ fructus reatum suum coram Deo corrigere contendunt; quod etiam verba, quæ sequuntur, aperte innuunt,

Reficientes retia sua. Quid est enim *retia reficere*, nisi culpas digne pœnitendo corrigere? *Retia* ergo sua electi tunc *reficiendo* corrigunt, cum, ubi se quolibet modo deliquisse cognoscunt, mox ad puram confessionem recurrentes, districte seipsos accusare non metuunt, ac crebra lamentatione affligere se coram Deo non desinunt. Et hoc modo *reficiendo retia sua*, id est digne pœnitendo peccata sua, veniam a

D divinæ miserationis promerentur clementia. Qui ergo *retia sua* ita *reficiunt*, id est qui hoc modo collectis sensibus suis Deo satisfacere satagunt, quanta consolationis gratia, quanta dulcedinis abundantia supernæ pietatis eos miseratio subsequatur, **9** aperte nobis per hæc sequentia declaratur: *Et vocavit eos*. Notandum est quod Dominus fratres præcedentes, quos juxta mare Galilææ vidit, non *vocasse*, sed tantum eis *dixisse* legitur; hic vero, ubi *duos alios in navi* consistentes *vidit*, distincte evangelista addidit quod eos *vocaverit*. *Vocare* enim est amicum ad familiare colloquium invitare. Nam nonnunquam homini cuilibet loquimur, quem tamen ad secretæ familiaritatis colloquium non *vocamus*. Omnipotens enim Dominus, quos ita, ut diximus, *reficientes retia* in-

venerit, ad se quodammodo *vocat*, id est ad divinæ contemplationis familiaritatem intromittit, ut, quanto frequentius ejus familiaritati adjuncti fuerint, eo validius fluentis sæculi vanitates despiciendo calcare valeant, quemadmodum sequens versus denuntiat.

Illi autem statim relictis retibus et patre secuti sunt eum. Quanto enim, ut præfati sumus, ad cœlestia secreta frequentius vocati fuerint, eo despectius de mundo tractant et concupiscentiis ejus, et licet terrena aliqua ad mentem aliquando veniant, delectari tamen in his summopere recusant, solumque Dominum, quantum in hujus mortalitatis miseria est possibile, cœlestia cogitando sequi desiderant. Quicunque ergo sunt qui ita in præsenti a Domino *vocari* merentur, et vocantem tali diligentia, tali, ut diximus, studio sequuntur, illos quandoque ad se *vocabit*, cum deposita corporea corruptione ad seipsum eos accipit, et æternæ divinitati ejus dignum eos habitaculum esse facit, quemadmodum in Canticis canticorum ipse sponsus sponsæ suæ, animæ cuilibet electæ, loquitur dicens (41). *Veni, electa mea, et ponam in te thronum meum, quia concupivit rex speciem tuam.* — *Illi statim relictis retibus et patre sequuntur illum*, qui ab omni corporeæ infirmitatis molestia liberi, illum, qui est vera æternitas et æterna jucunditas, illi etiam æternæ divinitati ejus consociati sine fine sunt visuri per eum, qui vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

10 HOMILIA II.

IN VIGILIAM NATIVITATIS DOMINI PRIMA.

Cum esset desponsata mater Jesu Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto (*Matth.* I).

Sicut in sæcularibus litteris tria solent inquiri, materia, intentio et narratio, sic in serie hujus lectionis evangelicæ hæc tria possunt inveniri, hominis vocatio, probatio et perfectio. Quali autem hæc ordine compleantur in homine, diligenter nobis est inquirendum. Ait ergo evangelista :

Cum esset desponsata mater Jesu Maria Joseph. Per *Joseph*, qui *augmentator* dicitur, Deus omnipotens non inconvenienter potest figurari ; per *Mariam* vero, quæ *stella maris* nuncupatur, qualibet anima beata congrue potest accipi, quæ *desponsatur Joseph.* Et quia desponsatio signum est futuri conjugii, per hanc *desponsationem* vocatio hominis potest exprimi, quæ vocatio signum est futuræ ipsius cum Deo conjunctionis. Nam mulier nondum *desponsata* liberam habet facultatem divertendi ad quemcunque voluerit ; cum vero *desponsata* fuerit, sic alligatur, ut ulterius ei non liceat dissolvi, vel alium quemlibet pro eo accipere. Sic nimirum verus *Joseph*, Pater omnipotens, cum unamquamque beatam animam, futuram matrem Jesu, per internam inspirationem a sæculo nequam vocaverit, faciens eam a noxia libertate ad laudabilem transire servitutem, in ipsa vocatione sui sic eam sibi, sive vicario suo, cuilibet prælato, *desponsatam* alligat, ut nequaquam ultra a spiritali proposito redire ei liceat. Sed sic vocata, *antequam* ad hanc dignationem perveniat, ut in unum cum Deo *conveniat* (quemadmodum sponsus cum sponsa solet convenire, ita ut duo inveniantur in carne una, sic et ipsa cum Deo unus efficiatur spiritus) prius in ea oportet impleri hoc quod sequitur :

Inventa est, inquit, *in utero habens de Spiritu sancto.* A quo ergo *invenitur?* Seipsam utique *invenit habere in utero spiritum* timoris Domini. Et notandum verbum quod dicit : *Habens in utero.* Nam quod gestamus in manibus, casu accidente nonnunquam perdimus : quod vero habemus *in utero*, haud facile 11 amittere poterimus. Eadem itaque ratione debet beata anima firmiter et stabiliter *spiritum* timoris Domini *habere in* cordis *utero*, per quem edocta ab omnibus, quæ novit conspectui summæ deitatis displicere, se abstineat, et econtra quidquid novit coram Deo placitum et perfectum, omni devotione exercere studeat in opere. Hæc igitur hominis est vocatio, imo *desponsatio*. Sed jam veniendum est ad probationem, unde et sequitur :

Joseph autem vir ejus, cum esset justus, et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam. Verus igitur *Joseph vir* beatæ animæ in spe, nondum in re, quia *justus* est, justitia ejus non patitur, ut illi animæ, quæ minora promeruit, majora donet præmia, sed unicuique pro vitæ merito majoribus majora, minoribus vero debet minora retributionis præmia. Hoc exigit ipsius justitia. Et hac de causa *non vult* minus meritam animam *traducere*, non vult eam in sua suscipere. *Traducere* autem dicimus, cum vir desponsatam sibi uxorem de paterna domo et de parentibus propriis adducens, eam in sua propria tabernacula introducit. Sic plane verus *Joseph*, Pater cœlestis, illam animam, quæ nondum promeruit, *non vult* de carnali vita tam subito *traducere* ad spiritalem, atque de terrenis tam concite ad cœlestia sublevare. Sed quid facit? *Voluit*, inquit, *occulte dimittere eam.* In *occulta* itaque voluntate et cogitatione sua *eam dimittit*, et quæ se ab eo sperabat præveniri in benedictionibus dulcedinis, nihil eorum habens, quæ sperabat, jam anxia conqueritur nec Deum se habere nec sæculum. Si enim rursus ad peccata corrueret, hoc esset *occulte dimittere*, sed manifeste dimisisse. Et idcirco sic *occulte* dimissa dolet et tristatur se a Deo derelictam.

Sic et Joseph beatus olim turbabatur, dum Dominam nostram, perpetuam virginem Mariam gravidam conspiceret, quam noverat sanctissimam corpore, moribus castissimam, cujus vita erat accepta tam Deo quam hominibus. Quid ergo animi eum putamus habuisse, dum hæc conspiceret, nesciens quid faceret? Sic et beata anima, bonorum operum sibi conscia, quæ se nihil unquam tale aliquid meminit in spiritali conversatione perpetrasse, unde

(41) Ecclesia in officio de SS. Virginibus.

jure ab amore sponsi sui sit arcenda, videns se privari gratia, humili et contrito corde dolet et gemit taliter se esse derelictam. Sic tandem probata anima digna **12** efficitur, quo ad perfectionem pervenire mereatur. Unde sequitur :

Hæc eo cogitante, ecce angelus Domini in somnis apparuit ei dicens. Hæc sane, quæ prædiximus, vero Joseph in occulta voluntate et cogitatione hominis frequenter operante, continuo *angelus Domini*, gratia videlicet Omnipotentis, *apparet ei in somnis*. Et bene dicitur *apparere ei in somnis*. Nam sicut in dormitione somni requies est corporis, sic in beata dormitione hujus gratiæ requies est cordis. Sed revera hæc gratia sub quadam *apparitione* agitur, quia velociter transit et non manet, et tamen in ea homo dulciter requiescit. In hac utique requie ea quæ sequuntur verba beata anima nonnunquam solet depromere. Sed et si talibus uti nesciat verbis ad Dominum, intima tamen cordis ejus desideria vicem istorum supplent verborum.

Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Quia igitur perfecta quæque oratio in fide plerumque sanctæ Trinitatis ad Deum dirigitur, ecce hic tres personas, Patris et Filii et Spiritus sancti possumus invenire. *Joseph, fili David*, ac si erga Dominicæ nativitatis gaudia anhelans et suspirans anima, et cum eo in ipsa solemnitate jucundari et refici desiderans, dicat in oratione sua ad Dominum. O *Joseph*, desideratissime *fili David*, qui non solum de justis et sanctis parentibus, verum etiam de iniquis et peccatoribus carnis nostræ infirmitatem assumere voluisti, quorum et *David* unus erat adulter et homicida, quem ego misera in hac parte secuta, adultera sum et homicida meipsam peccatis occidendo, per hanc ego rogo pietatem, *noli Mariam conjugem tuam*, animam scilicet meam, in hac sacra solemnitate, in qua totus in orbe terrarum mundus exsultat, *accipe* in *timorem*. Etiam satis est, Domine, quod in *timore* tuo vixi hactenus. Amove, quæso, nunc *timorem*, subjunge amorem, agens cum anima mea more conjugii, amando et fovendo eam in miserationibus tuis. Quod enim olim sæculum reliqui, quod te donante delicias mundi sprevi, *de spiritu timoris* tui in me *natum est*, et jam hoc ipsum *quod* nunc in me *natum est*, totum *de spiritu* timoris tui est.

Pariet autem filium, et vocabis nomen ejus Jesum: ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Si ergo timore sublato amorem tuum submiseris **13** in hac veneranda solemnitate, *pariet* anima mea *filium*, non filiam ; *pariet*, inquam, *filium* contemplationis, *pariet filium* intimæ orationis, quem *vocabis Jesum*, vocans illum *salutare* et *salutem* meam, mihi eum tribuens ad salutem, tibi ad honorem. Tu ergo *nomen* illi impones. Nam totum tibi reputabitur, totum ad gloriam tuam, non ad meam respiciet, quidquid te inspirante pepe- A rero juxta vocem Psalmistæ dicentis. *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Ipse* autem filius dulcedinis, sic per te a me progenitus, *salvum faciet populum* cogitationum, populum verborum et operum meorum *a peccatis eorum*. Quidquid enim alias deliquero, quidquid alio in tempore negligenter vixero, totum per istius filii generationem salvabitur.

HOMILIA III.

IN VIGILIAM NATIVITATIS DOMINI SECUNDA.

Vox dicentis : Clama. Et dixi : Quid clamabo ? (*Isai.* XL.)

Ardor desiderii Patrum antiquorum, Christi in carne præsentiam suspirantium, qualis quantusque fuerit, tam occultis quam manifestis verbis sacri B eloquii nobis paginæ testantur. Sciebant plane antiqui sancti, quoniam Dominus Majestatis super mortalium genus cogitaret cogitationes pacis. Unde ardentissime desiderabant ipsum in carne apparere, per quem morte destructa a claustris infernalibus liberarentur, et ad patriam æternæ vitæ revocarentur.

Quorum unus prophetarum eximius, symmista Dei electus, Isaias scilicet, Domini consecretalis moræ impatiens dilationemque Christi nativitatis non sustinens : *Utinam*, ait, *disrumperes cœlos et descenderes !* (*Isai.* LXIV, 1.) Istius ergo et cæterorum sanctorum flagrans desiderium et piæ exspectationis affectum ipse *desiderium collium æternorum* (*Gen.* C XLIX, 26), ipse *desideratus cunctis gentibus* (*Agg.* II, 8), non mediocriter suis accendebat promissionibus. Unde et hic prophetarum eximius in dolore cordis adventum Christi suspirans audierat a Domino : *Vox dicentis : Clama.*

Per *vocem*, quæ verbum præcedit, inspiratio divina potest accipi, per quam inspirationem propheta isti et cæteri sancti ad hoc inflammabantur, ut Verbum Patris altissimi, quod in sinu Patris requiescebat *clamore*, et desiderio suo de corde Patris eructuatum (42), in hanc convallem lacrymarum ad liberandos electos Pater omnipotens carne mitteret indutum. Et quia *clamor* plerumque aut ex dolore nimio, aut ex gaudio immenso solet accidere, electi Domini magno **14** prorsus *clamore* opus habebant, D qui Filium Dei, gaudium revera indeficiens, incarnari postulabant, et rursus magno doloris *clamore* indigebant, qui se post mortalitatis hujus tenebras ad inferos descensuros esse sciebant. Jussus igitur propheta a Domino, ut *clamaret*, requirit dicens :

Quid clamabo ? Et Dominus ad eum : Omnis inquit *caro fenum. Fenum* est pabulum vobis sive cæterorum jumentorum. Unde per *fenum* potest accipi genus humanum, per bovem vero diabolus valet intelligi, de quo per beatum Job dicitur : *Fenum ut bos comedet* (*Job.* IV, 10). *Omnis* igitur *caro*, omne nimirum genus humanum *fenum* fuerat factum, esca utique nequissimi bovis diaboli, qui in ventrem malitiæ suæ omnes deglutiverat electos, captivosque detine-

(42) Ita Cod.

bat apud inferos. Nam sancti, qui nongentos et eo amplius annos juste et pie viventes in carne servierant Domino, descendebant ad inferos, carnis soluto debito, ubi ob meritum originalis culpæ sedentes in tenebris longa satis exspectatione per quinque annorum millia gaudia repromissæ præstolabantur salutis. Hæc erat magna calamitas, *clamore* valido digna; quem clamorem ipse, a quo manat omne bonum, sanctis suis inspirabat, inspiratos *clamare* faciebat, *clamantes* exaudiebat, exauditos certis promissionibus sublevabat, ut in sequentibus mox subditur:

Et omnis gloria ejus quasi flos agri. Flos agri est Christus, Filius Dei, qui in nativitate sua *effloruit* et quasi *flos* de utero virginali prodiit. *Omnis* igitur *gloria* humani generis, quæ **15** ante adventum Christi *fenum* erat diaboli, post nativitatis ejus primordia in redemptione quasi *flos agri* est effecta quia *flos agri*, ut prædiximus, est Christus Filius Dei, ad cujus *floris* similitudinem in passione Christi reformati sunt electi, et in futuro reformabuntur, cum quidem *hæredes Dei* erunt, *cohæredes autem Jesu Christi* (*Rom.* VIII, 17). Sed ad hoc opus peragendum singulare quoddam et nobile *fenum* est inventum, de quo consequenter Dominus subjunxit dicens:

Exsiccatum est fenum et cecidit flos, quia Spiritus Dei sufflavit in eo. Fenum istud nobile priori feno oppositum, beata et intemerata exstitit virgo Maria, quæ quidem de communi massa (43) corruptionis humanæ fuerat assumpta, sed per Dei gratiam ab omni humore carnalis concupiscentiæ carnalisque vitæ erat exsiccata. At postquam *fenum* illud nobile, corpus utique dominæ nostræ, perpetuæ virginis Mariæ est *exsiccatum cecidit* in eam *flos, flos* ille perpetuus, *flos* ille egregius, Filius Dei vivi altissimus. Sed unde, quæso, hoc, ut *flos* iste de cœlo descendens ut ros *caderet* in eam, nisi ex eo, quod *Spiritus Domini sufflavit in eo*, et quia Spiritus sanctus superveniens in eam obumbravit ei? Sequitur ergo propheta et dicit:

Vere fenum est populus. Post Dominicæ nativitatis insignia, post novæ salutis gaudia veneranda, propheta gemit et dolet adhuc electos Domini escam esse diaboli, adhuc infernalibus claustris detineri. Quamvis enim Salvator in carne apparuisset, de lacu tamen novissimo, in quo erant vinculati, nullo modo poterant educi, donec lancea militis aperto latere crucifixi Domini sanguis et aqua efflueret, per quod sacramentum tartara sunt confracta, cœlestisque janua regni mox electis est aperta. Ac si propheta saucio corde conquerens diceret ad Dominum: O Domine, jam vere, ut olim servis tuis promisisti, per incarnationis tuæ mysterium ad terras descendisti; sed adhuc *populus* tuus est *fenum*, esca, proh dolor! malignorum spirituum, importune super eos dominantium,

A sicut in principio, cum non dominareris nostri neque nomen Jesu Christi Filii tui super nos invocaretur. Ubi est quod prius spoponderas, humanum genus ad gloriam et honorem *floris*, Filii tui, te esse perducturum, cum jam nil nobis prosit te esse incarnatum, sed adhuc **16** præda diaboli sumus universi? Huic sic querenti, sic dolenti, redemptionis humanæ mysteria Dominus apertius declarat dicens:

Exsiccatum est fenum et cecidit flos; verbum Domini manet in æternum. Per istud *fenum exsiccatum*, quod tertio jam loco est positum, corpus Dominicum est accipiendum, ab omni corruptione mundissimum, quod nimirum (44) *sacrum corpusculum, in ara crucis torridum*, pro redemptione humani
B generis, passionis amaritudine, mortis acerbitate est *exsiccatum*. Sic itaque *feno* isto nobili, Salvatore utique nostro in cruce pendente et pro salute nostra arescente, tandem *cecidit flos* quando in cruce occubuit, dum inclinato capite spiritum emisit, et emisso spiritu cum anima ad inferos descendens, Deus in inferno apparuit, corpusque suum deponi in monumentum voluit. Cadente autem flore *verbum Domini manet in æternum*, quia divinitas Verbi incarnati carne moriente *manet* ac mansit *in æternum*, nunquam moritura, nunquam occasum visura. Præmissis vero duobus sacramentis, incarnationis et passionis, mox alia duo sacramenta, resurrectionis et ascensionis subnectit dicens:

Super montem excelsum ascende, tu qui evangelizas
C *Sion.* Per *montem excelsum* resurrectio Domini potest accipi; per *Sion* vero, quæ *specula* dicitur, Ecclesia collecta de Judæis valet intelligi, ac si diceret: Tu, Domine, qui destructo mortis imperio mortem superasti, super occasum victor *ascende*, et in resurrectionis gloria fidelibus tuis appare, ut Ecclesiæ, ex Judæis collectæ, gloria regni tui et resurrectionis possit annuntiari.

Exalta in fortitudine vocem tuam, qui Evangelizas Jerusalem. Exaltavit Dominus *in fortitudine vocem* suam, cum post resurrectionis gloriam corpus, quod de beata Virgine assumpserat, virtute et fortitudine incorruptionis et immortalitatis roboratum, super omnes cœlos *exaltavit. Tu*, inquit, *qui evangelizas Jerusalem.* Jerusalem *visio pacis* interpretatur
D per quam Ecclesia de gentibus congregata intelligitur, in qua Dominus post ascensionem *vocem* suam *in fortitudine exaltavit* quia incarnati Verbi mysterium gentibus præcepit evangelizari. Post primam autem exaltationem ascensionis, secunda mox exaltatio subinfertur, cum dicitur:

17 *Exalta, noli timere.* Exaltatio ista die Pentecostes est peracta, cum ad dexteram residens Patris Spiritum sanctum in filios effudit adoptionis, per quem in cordibus discipulorum sic est *exaltatus*, ut hi, qui prius erant pavidi, et ad nullam virtutem prorsus idonei post acceptam gratiam Spiritus sancti omni *timore* sublato coram regibus et principi-

(43) Vide dissertationem præviam in I tomum hujus operis.
(44) Ecclesia in Hymno Pasch. Dominicæ in Albis.

bus fiducialiter de Verbo prædicarent incarnato. Hujus rei exemplum nobis describitur in Actibus apostolorum, quia dum principes hujus sæculi censis denuntiarent apostolis, ne ultra loquerentur in nomine Jesu, Petrus princeps apostolorum respondens cum discipulis : *Obedire*, ait, *oportet Deo magis quam hominibus* (*Act.* v, 29).

Dic civitatibus Judæ : Ecce Deus **18** *vester.* Judas *confessio* vel *laudatio* interpretatur. Per *civitates* ergo Judæ status præsentis describitur Ecclesiæ, cui nunc frequenter per ora prædicatorum dicitur : *Ecce Deus vester*, quasi præsens verbo exhortationis ostenditur.

Celebremus ergo cum devotione intima Dominicæ Nativitatis solemnia, servientes Domino in lætitia, ut in hora sacrificii salutaris, cum ad percipiendum corpus immaculatum venerimus, quod de beata Virgine Spiritu sancto cooperante est sumptum, percipientibus nobis in affectu dulcedinis corpus Dominicum, astantes sancti angeli, Regis nostri internuntii dicant nobis : *Ecce Deus vester*, qui vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA IV,

IN EAMDEM VIGILIAM TERTIA.

Hodie scietis quia veniet Dominus, et mane videbitis gloriam ejus (*Exod.* XVI).

Ad suscipienda Dominicæ Incarnationis præconia, nova, inquam, salutis nostræ gaudia, Spiritus sanctus paratos nos esse desiderans, alloquitur nos et exhortatur dicens : *Hodie scietis quia veniet Dominus, et mane videbitis gloriam ejus.* Quid enim per hoc quod *mane* videndam *gloriam Dei* dicit, aliud nobis innuit, nisi ut tanto magis noster præparetur animus, quanto propinquiorem Redemptoris nostri nativitatem adesse cognoscimus ? Denique si quilibet potens homo hac sacrosancta solemnitate invitaret amicum suum, per omne spatium præcedentis istius adventus omnimodis se præparasset, quali honore, quali reverentia hospitem suum susciperet. Si vero prius de adventu ejus aliquantulum dubitans, hac die venturum eum certe cognosceret, etiam, quantum adhuc brevis restat temporis honorificum se festinaret exhibere in adventu sui hospitis. Cum ergo tali honore mortales se invicem homines prævenire contendunt, quali cordis devotione, quanta actuum præparatione hospes iste magnificus, redemptor noster in sua festivitate a nobis est suscipiendus, cum quo nobis gratia venit et salus ?

Præmoniti itaque et multoties sanctis his diebus de adventu tanti hospitis certificati, præparemus domos nostras, mundemus corda nostra, ut mundatis internis oculis, *mane gloriam* Dei nostri, sponsam illam, carnem videlicet in Deum assumptam contemplemur, et ad sacrosanctum altare sacramentum ejus digne percipiamus. Quisquis vero accusante conscientia sua minus se ante parasse recognoscit, de pietate Domini non diffidat, sed quod prius neglexit, saltem hac die perficiat.

Hæc est profecto festivitas, quam omnes antiqui Patres valde necessariam cognoscentes, toto cordis desiderio ad eam suspirabant, et ideo omnibus gestis seu scriptis suis eam præfigurabant. Hinc de ipsa solemnitate legimus in Exodo (quod quidem secundum litteram huic diei inconveniens videtur, sed si subtiliter sensum inquirimus, satis aptum esse perspicimus) : Cum enim Pharao rex, qui populum Israel sub ditione sua tenuit, ipsum populum augeri et quotidie crescere vidisset, præcepit servis suis ut quidquid **19** masculini sexus inter illos nasceretur, in flumen projiceretur. *Egressus est autem vir post hæc de domo Levi accepta uxore stirpis suæ* (*Exod.* II, 1, et seqq.).

Quem, fratres dilectissimi, quem rex iste significat nisi illum, qui omne genus humanum ante adventum Christi captivum tenebat ? Qui etiam omnes *in flumen projecit*, quia non solum iniquos, verum etiam ipsos Dei electos post mortis debitum secum in infernum duxit. *Egressus est autem post hæc vir de domo Levi.* Vir iste vir sanctus et justus Joseph fuit, qui *uxorem de stirpe sua* duxit, pretiosissimam videlicet dominam nostram Mariam, non ut sanctum et virgineum corpus ejus humana contaminatione pollueret, sed ut ea, quæ illi et nato parvulo necessaria erant, provideret. *Quæ concepit et peperit filium* nullius viri tactu violata, sed Spiritu sancto desuper veniente obumbrata. *Concepit* eum et *peperit*, non ut cæteræ matres concipiunt et pariunt, sed *concepit* eum sine carnis contaminatione, et *peperit* absque omni dolore.

Et videns eum, inquit Scriptura, *elegantem, abscondit tribus mensibus.* Vidit revera domina nostra Maria filium suum *elegantem*, quia nunquam homo cognovit, nec cognoscere poterit, sicut ipsa perspexit intuitu cordis et corporis, speciem et elegantiam inscrutabilis ejus divinitatis. Quam profecto *tribus mensibus abscondit*, quia illam in infantia, in pueritia, in adolescentia hominibus prodere noluit.

Cumque jam celare non potuit, sumpsit fiscellam scirpeam, et linivit eam pice ac bitumine, et posuit intus infantulum. Quid per *fiscellam scirpeam* nisi illud venerabile præsepe designatur, quod teneris et infantilibus Christi membris ornatur et consecratur ? Quod nimirum mater ejus, mater gloriosa *pice et bitumine linivit*, cum eumdem Redemptorem nostrum, Deum videlicet et hominem, ex anima rationali et humana carne subsistentem, de se incarnatum, in illo posuit. Sic enim dicit evangelista : *Completi sunt dies Mariæ et peperit filium suum primogenitum, et pannis involvit eum, et reclinavit in præsepio, quia non erat ei locus in diversorio* (*Luc.* II, 7). Et bene *picis* **20** nomine anima designatur nostri Redemptoris, quia natura picis est, ut nigra sit et quasi despecta. Sic anima ejus, licet cunctis animabus fuerit sublimior, cunctis tamen erat humilior. *Bitumen* vero, quod pars terræ est et terræ adhæret, corpus ejus designat, quod scilicet de terreno nostro corpore sumptum, nobis infirmitatibus et laboribus sine peccato adhærebat. Istam utique

fiscellam, pice et bitumine linitam, præsepe dico venerabile, consecratum anima Christi et corpore, nunc universi adorant, etsi non corpore, cordis tamen devotione, ad illud venerabiliter inclinant. Si enim quælibet ara a pontifice consecrata tali est veneratione colenda, ut nullus nisi honorifice audeat illam attingere, quanto putamus bonore dignum est præsepe hoc, quod Creator totius orbis, parvus propter nos factus, parvis suis tangere dignatus est membris.

Posuitque in carecto fluminis stante procul sorore ejus, et exspectante eventum rei. Soror istius pueri cœlestis illa Ecclesia est, multitudo exercitus angelici, quæ hac nocte, nova gaudia in terris et pacem, hominibus bonæ voluntatis nuntiavit, dum puer hic in fiscella sua, hoc est, in præsepio jacuit. Quæ B profecto *soror* etiam in hujus noctis festivitate *eventum rei* nostræ *exspectat*, dum nobis in hymnis et laudibus Deo servientibus assistens, orationes nostras ad thronum divinæ majestatis denuntiat. Nam si angeli pastoribus animalia curantibus, et minime de hac festivitate adhuc scientibus vel cogitantibus apparuerunt, multo magis credendum est eos nobis astare quamvis corporeo intuitu non videamus, qui hac nocte Dominum illorum de Virgine natum laudamus. Sequitur:

Et ecce, filia Pharaonis descendit, ut lavaretur in flumine. Per *filiam Pharaonis* Magi illi, primitiæ Ecclesiæ, sano intellectu accipi possunt, qui nato Domino de longinquis Orientis partibus venerunt. Qui C idcirco *descenderunt, ut lavarentur in flumine*, ut videlicet agnito Salvatore, invento Judæorum rege, aqua abluerentur pœnitentiæ. O quantas putamus lacrymas tunc fuderunt, dum hunc, quem per Spiritum **21** sanctum revera Creatorem suum esse sciebant, tenerum, tam parvis involutum pannis viderunt! Unde et bene subditur quia, cum vidisset *parvulum vagientem, miserta* sit *illius*, quoniam nimis videbatur miserabile, dum illum viderunt sic exinanitum et humiliatum jacere. Audiamus itaque, qualem mercedem mater istius pueri acceperit pro eo quod incorrupta genuit eum et nutrivit. Est revera, est incomparabilis merces ejus, quia non solum eam homines devote laudant, sed etiam ipsi angelici spiritus jure ut dominam suam et Factoris sui genitricem venerantur atque magnificant. D

Postquam autem crevit Moyses, egressus ad fratres suos vidit afflictionem eorum et virum Ægyptium percutientem quemdam de Hebræis fratribus suis. Cumque respexisset huc atque illuc, et nullum adesse vidisset, percussum Ægyptium abscondit sabulo. Vidit procul dubio tunc Redemptor noster *afflictionem fratrum* suorum, cum intuitu misericordiæ et pietatis omne genus humanum aspexit, et miseriis ejus condoluit. Cumque ergo *Ægyptius*, antiquus ille adversarius, *quemdam de Hebræis fratribus ejus percuteret*, cum, inquam, universos filios Adæ suo dominio subderet, verus Moyses, Christus videlicet, Jesus A *huc atque illud respexit, et neminem adesse vidit. Respexit huc* ad eos, qui in mundo versabantur, ut eos per **22** prædicationem suam viam justitiæ doceret, *respexit et illuc* ad eos, qui in inferno captivi detinebantur, ut ipsos per mortem suam eriperet. *Et cum neminem adesse vidisset* qui eos adjuvare posset, ipse *Ægyptium* aggrediens *percussit*, quia tyrannum superbum glorioso mortis suæ tropæo devicit. Qui percussus ab ipso *sabulo absconditur*, dum tantummodo in cordibus stultorum permittitur regnare, qui per *sabulum*, per pulverem, quem projicit ventus a facie terræ, intelliguntur.

Et notandum quod dicitur *sabulo* eum *abscondisse*, quia qui olim ante adventum Salvatoris palam regnabat, nunc quidem nec in ipsis palam, sed *abscondite* tyrannidem suam audet exercere.

Celebrantes itaque magnifice hujus diei festivitatem, *sororem* Domini nostri, angelicam multitudinem precibus invitemus, quatenus ipsa *eventum rei* nostræ *exspectante*, et omnes res nostras custodiente, laus nostra ita acceptabilis Christo fiat, ut ipse adveniens in cordis nostri præsepio requiescat, et sacratas noctes in nobis faciat, et per istas temporales festivitates ad æternas veniamus, ubi Deus est omnia in omnibus. Quod ipse præstare dignetur Dominus noster Jesus Christus, qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

23 HOMILIA V.

IN EAMDEM VIGILIAM QUARTA.

Sanctificamini hodie et estote parati, quia die crastina videbitis majestatem Dei in vobis (45).

Præclara et jucunda hujus solemnitatis gaudia cum toto mundo resplendeant festiva, nil digne loqui de eis prævalet carnis lingua. Ad hæc namque digne celebranda, quæque beata anima per omne istius præcedentis adventus Domini tempus se præparavit, ut in Redemptoris sui nativitate speciali gaudio consolari possit. Ut ergo magis ac magis præparemur, præcedenti hac nocte ita nos Spiritus sanctus admonet et hortatur: *Sanctificamini hodie et estote parati, quia die crastina videbitis majestatem Dei in vobis.* Non quidem sic *sanctificari* debemus, ut illis sanctis, qui nunc cum Christo in cœlis gaudent, æquales nos esse credamus, quia ipsi, de corruptione ad incorruptionem assumpti, nec possunt nec volunt peccare; nos vero, quandiu in hac vita sumus, sine peccato esse non possumus. Sic autem *sanctificamur* et præparamur ad hæc solemnia, si contra proximos nostros nec odium nec invidiam habemus in nostra conscientia.

Quicunque igitur ita *sanctificari* satagit, *crastino die* sine dubio *majestatem* Dei in se videbit. Per *majestatem* quippe Dei timor ejus non incongrue potest intelligi, quem sancta anima *crastina die* in se *videbit*, cum ad sanctum altare sacrosanctum ejus sacramentum mundato corde et corpore percipiens, intus prægustare merebitur, quis et quam magnus fit,

(45) Ecclesia in officio præcedentis diei ℟ primæ Lect. I Nocturn.

quem ibi accipit. Sunt vero nonnulli qui desidia cordis et mollitie carnis adeo leves existunt, ut nequaquam sanctificare se aut velint aut valeant, et cum aliis quidem ad sanctam altaris mensam accedunt, sed non *præparato* corde, nec *sanctificato* corpore Redemptorem suum accipiunt. Et profecto hi tales non Dei *majestatem*, sed, ut ita dicam, quamdam infirmitatem **24** ejus in se *vident*, quia nec timore ejus compunguntur, nec amore accenduntur.

Sanctificantur etiam hodie electi et sunt *parati*, dum in hoc sæculo, quod per *hodie* intelligitur, opera [et] cogitationes suas *sanctificant*, ut, cum *crastina dies* illuxerit, cum idem Salvator noster in majestate sua per extremum judicium apparuerit, nil in eis, unde juste condemnari possint, in conspectu districti Judicis appareat. Et quia Dominus noster Jesus Christus specialiter et præcipue his duobus Patribus promissus est, Abrahæ videlicet et David : Abrahæ quidem ideo promissus est, quia de semine ejus nasciturus erat ; David vero ideo promissus est, quia ipse David qui rex præpotens erat, nasciturum hunc eumdem regem Dominum nostrum Jesum Christum scriptis et gestis suis præfigurabat. Hinc de eodem in quodam loco legitur, ubi plane obscuris verbis mysterium designatur Christi incarnationis. Cum enim Dominus Saul reprobasset, quem Israelitico populo regem constituerat, dicit ad Samuel prophetam : *Imple cornu tuum oleo, et veni; mittam te ad Isai Bethlehemiten* (*I Reg.* XVI, 1). Denique cum Deus Pater miseriam et calamitatem totius humani generis aspexisset, in æternitatis suæ consilio sic locutus est cum Deo Filio, *imple*, inquit, *cornu tuum oleo*. Per *cornu* late in Scriptura potestas et honor designatur. Et ideo hoc in loco per *cornu* divina Christi potentia non incongrue accipitur. *Imple*, inquit, *cornu tuum oleo*. Quod idem est, ac si Deus Pater diceret ad coæternum sibi Filium, ab æterno disponens cum eo humanæ redemptionis mysterium : Ecce respectu clementiæ et pietatis meæ intueor omne genus humanum, quod creavi, peccatis et morti ita subjacere, ut aliter restaurari non possit, nisi tu descendas et humanam carnem suscipias. **25** *Imple* ergo *cornu tuum oleo*, id est divinitati tuæ humanam naturam adjunge, ut ipse homo factus hominum miseriis discas condolere. *Olei* quippe natura est, ut cæteris admistum liquoribus semper supereemineat. Et recte *oleum* misericordiam ejus designat, quia, juxta Psalmistam, *miserationes ejus super omnia opera ejus* (*Psal.* CXLIV, 9). Siquidem homini non satis profuisset, si tantummodo divinitatis ejus potentiam agnovisset, nisi etiam misericordiæ ejus *oleum* suscepisset. *Et veni*, inquit, *ut mittam te ad Isai Bethlehemiten*. *Venientis* cujuslibet hominis mos est, ut sese moveat. Et ita hic dictum est, *veni*, tanquam Pater ad Filium dixerit, cum humanæ naturæ salvationem ei injunxit : Non aliter homo ad gloriam, ad quam illum creavi, redire, nec mihi Factori suo poterit reconciliari, nisi tu temetipsum moveas, nisi tu ipse *veniens* humilis hominis formam accipies. *Et mittam te*, inquit, *ad Isai Bethlehemiten*. Per *Isai*, qui *insulæ sacrificium* dicitur, uterque populus potest intelligi, per *insulam* quidem gentium populus, qui aqua incredulitatis et idololatriæ absorptus, a Deo alienatus fuit, per *sacrificium* vero Judaicus populus accipitur qui Deum cognoscens, legitimis et sacrificiis deservire videbatur. Dicit ergo Pater æternus ad consubstantialem sibi Filium : *Veni, ut mittam te ad Isai Bethlehemiten*, ad utrumque scilicet populum, ut de Judæis carnem suscipias, et gentium populum ab idolorum cultura revocans ad te convertas. Fac etiam temetipsum *Bethlehemiten*, id est *panem* omnium fidelium tuorum, ut per te et de te satiari possint quicunque in te credere voluerint. *Providi enim in filiis ejus mihi regem*. Hoc nimirum cernimus quanta multitudo ex gentibus ad fidem conversa sit, quæ bene *genus electum et regale* (*I Petr.* II, 9) vocari poterit. Sed et in fine mundi, cum gens Judæorum ad fidem venerit, et cum plenitudo gentium introierit, tunc profecto *in filiis Isai rex erit*, quem Dominus *providit* et prædestinavit per suam gratiam, populus scilicet innumerabilis, qui tunc veniet ad fidem catholicam. Sequitur :

Et ait Samuel : *Quomodo vadam? audiet enim Saul et interficiet me*. Ista Filii Dei responsio doctrina nostra est et scire consolatio, ut nos doceret, et faceret, **26** *quomodo* venire voluerit, quod videlicet in ipso suo itinere propter nos occisus sit. Et ait Dominus : *Vitulum de armento tolles in manu tua*. Istud *dicere* Dei Patris non sic debemus accipere, ut tanquam humana lingua locutus sit, sed ejus locutio fuit humanæ salutis prædestinatio. *Vitulum* inquit, *de armento tolles in manu tua*. Quid per *vitulum* convenientius quam caro Redemptoris nostri accipi poterit, quam pro totius mundi salute in ara crucis obtulit? *Vitulum de armento tolles*, hoc est corpus de carne patriarcharum et prophetarum sume, quos recte per *armentum* possumus intelligere. Sic etenim beatus Matthæus genealogiam ejus texens ait : *Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham. Abraham genuit Isaac, Isaac genuit Jacob* (*Matth.* I, 1, 2), et ita descendit usque ad beatum Joseph et ad beatam dominam nostram Mariam, *de qua*, inquiens, *natus est Jesus, qui vocatur Christus* (*ibid.*, 16). *Tolles*, ait, *vitulum in manu tua*. *Manus* Filii Dei, in qua *vitulum*, id est carnem a Patre jussus est tollere, potestas ejus est, quia tantam in carne sua potestatem habuit, ut merito ipsa tanquam Factori suo ei subjecta fuerit. Nulli quippe sanctorum, sed neque ipsi ejus genitrici concessum est, tantam in carne sua potestatem habere, ut juxta suam voluntatem vel mori possent vel vivere. Ipse solus carnem suam in potestate sua habuit, quia quando voluit, moriendo animam suam deposuit, et quando voluit, iterum eam resurgendo accepit. Sic etenim ipse appropinquans passioni suæ dicit : *Nemo tollet a me animam meam, sed ego pono eam, et iterum sumo eam* (*Joan.* X, 18). Et mox : *Pote-*

statem habeo ponendi animam meam, et iterum sumendi eam (*Ibid.*)

Exhortans igitur Pater Filium ad passionem: *Tolles*, ait, *vitulum de armento in manu tua, et dices: Ad immolandum Deo veni*. Ac si diceret: Fac ut cuncti fideles cognoscant quale sit illud sacrificium, quod tu immolas, ut et ipsi tuo exemplo deinceps idem sacrificium offerant, per quod peccatorum indulgentiam accipiant. Quæ enim hostia sic æterno Patri ab initio placuit, sicut illa, quam Unigenitus ejus non pro se, sed pro nobis immolavit? Abel quidem protomartyr agnum Deo obtulit, et Deus ad munera ejus respexit; sed tamen a fratre occisus **27** ad infernum descendit. Sic et prædictus patriarcha Abraham a Domino jussus ut unicum filium offerret, paratus fuit, sed rursus Deo jubente arietem pro ipso obtulit. Attamen tantus hic patriarcha, sicut et cæteri, post mortem ad inferos descendens, longo tempore exspectabat ibi adventum sui Redemptoris. In ista sola oblatione, quam Christus obtulit, tanta virtus fuit, ut usque in finem sæculi, quoties immolatur, et recta fide percipitur, omnia suscipientium peccata per illam deleantur, ipso adjuvante et præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA VI.

IN EAMDEM VIGILIAM QUINTA.

Spiritus Domini super me, eo quod Dominus unxerit me, ad annuntiandum mansuetis misit me (*Isa.* LXI), etc.

In verbis hujus sanctæ prophetiæ, quantum mihi videtur, qualis totius vitæ, et conversationis electorum cursus et ordo esse debeat impræsenti demonstratur, et post bene consummatum vitæ cursum, quanta [*cod.* quantæ] æternæ retributionis gloria et felicitas succedat, mystice denotatur. Licet enim propheta verba hæc specialiter de Christo dixerit, tamen quia Christus est caput nostrum, et nos membra ejus, quod de capite loquitur, ita loquitur, ut et membra ejus tangere et exhortari prophetice videatur quos ipse Christus tanquam membra sua ad agnitionem sui et perfectionem virtutum perducere dignatur.

Spiritus, inquit, *Domini super me*. Legimus in Scripturis quod Spiritus Domini diversis modis venire et visitare dignatur corda electorum suorum. Venit ad quosdam, ut confortet et corroboret eos; venit ad alios, ut dulci et amabili unctione sua inungat et perfundat eos. Venit ad Samsonem illum fortissimum, ut nostis, sicuti legitur: *Irruit Spiritus Domini in Samsonem* (*Judic.* XIV, 6), ut validum illum et fortem faceret, et in fortitudine ista, infirma et invalida Dalilæ illius machinamenta confringeret. Qui sicut venire solet ad confortandum quosdam et corroborandum, sic etiam ad quorumdam corda venire dignatur per invisibile unctionis suæ sacramentum. Hoc propheta intuens, qualis iste Spiritus sancti adventus fuerit, distinguit dicens: *Spiritus Domini super me, eo quod* **28** *unxerit Dominus me*. Quæ et qualis est ista unctio? Unctio ista est illa invisibilis Spiritus sancti gratia, qua corda intrinsecus illuminantur ad Dei cognitionem, et edocentur ad prædicationem. De qua unctione Joannes ait: *Unctio ejus docet nos de omnibus* (*I Joan.* II, 27).

Hæc unctio valde necessaria est prædicatori et doctori, necessaria et auditori. Quia si hac unctione Spiritus sancti prædicator inungitur, utiliter ad prædicandum mittitur; quia tunc libenter auditur, et obauditur ei. Si autem ista unctione pellicula cordis ejus non inungitur, in vanum ad prædicandum mittitur. Post istam unctionem bene sequitur:

Ad annuntiandum mansuetis misit me. Primo enim unguntur, et postea mittuntur *ad annuntiandum*. Quibus? *Mansuetis*. Qui sunt *mansueti?* humiles, mites, patientes in adversis, contemptores hujus sæculi, pauperes spiritu, patientes ad sufferendum paupertatem et omnem extremitatem. His *mansuetis* et humilibus *annuntiare* debet prædicator, quidquid ipse de invisibili Spiritus sancti percepit unctione. Post istam annuntiationem medela sequitur, quæ contritis corde debetur;

Ut mederer, inquit, *contritos corde*. Qui sunt *contriti corde? Contriti corde* sunt vere pœnitentes, pro peccatis suis contritionem habentes cordis et corporis, qui ubicunque obduraverunt corda sua resistendo voluntati, præcepto et cognitioni Dei **29** ob id conterunt et confringunt corda sua per quotidianam pœnitentiam. Quibus ita corde contritis debet prædicator, *eo quod unxerit* eum *Dominus*, medelam consilii offerre. Est enim magna medela peccatori consilium doctoris, consilium de agnitione peccatorum, consilium pœnitentiæ et satisfactionis.

Post medelam consilii indulgentia mox debet prædicari. Quibus? *Captivis*, illis nimirum qui seipsos in captivitatem et in laqueum dederunt, qui obedientiæ jugo sese voluntarie subdiderunt; qui de captivitate sua gloriantur dicentes cum Propheta: *Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro, imposuisti homines super capita nostra* (*Psal.* LXV, 11). Hi etiam *captivi* sunt, et quasi *captivi* tenentur, dum peccata sua confitentur, ideo, inquam, *captivi* tenentur; quia ad ea, quæ jam confessi sunt, peccata redire non debent, vel sic *captivi* tenentur, quia tandiu confunduntur et pudore perfunduntur, quoad usque satisfactionis munere hoc quod egerunt diluatur et emundetur. Istis *captivis* prædicanda est *indulgentia*, veræ scilicet remissionis gratia, quam ex corde pœnitentibus semper dare paratus est Dominus.

Data indulgentia peccatorum, prædicanda est *clausis apertio*. *Clausi* isti qui sunt, nisi qui devota et sollicita clausura utrosque sensus, cordis et corporis a vanitatibus hujus sæculi concludunt et muniunt? qui oculos, qui aures, qui os, omniaque membra

sua, ne portæ mortis efficiantur, Deo adjuvante custodiunt et claudunt? Sic *clausis* dignum est, ut *aperiatur*, hoc est ut detur *apertio* ad intelligendum, et ad sapiendum; ad intelligendum in lectione, ad sapiendum in divina dulcedine et oratione. Qui etsi semper claudere sensus suos nequeunt, tamen tunc clauduntur ab exterioribus, cum in lectione perducuntur ad intelligendum quæ occulta sunt, et in oratione rapiuntur ad sapiendum quæ cœlestia sunt. Sed et felices admodum illi, qui sicut interius, sic quoque sese claudunt exterius, qui ab omnibus hujus mundi gaudiis se extraneos fecerunt, et infra murorum ambitum usque ad mortem perdurare decreverunt, quia talibus lætus et latus cœlestis aulæ patebit quandoque introitus.

30 Post istam apertionem consequenter prædicatur *annus placabilis Domino et dies ultionis Deo nostro*. Erunt enim Domino in actibus suis placentes et placabiles, qui aliquando perverse vivendo Domino erant abominabiles. Erit et in eis *dies ultionis Deo nostro*, cum de tenebris cordis transeunt in diem lucis. Et quia sunt filii lucis et diei, *diem ultionis Deo nostro* faciunt, dum pro minimis quibusque et levibus excessibus in ultionem suimet consurgunt, et adversum se provocantur. Et quia norunt quod *non justificabitur in conspectu Dei omnis vivens* (*Psal.* CXLII, 2), sicuti pro magnis, ita etiam pro minutis excessibus sibimet parcere nesciunt. Hi tales duplicem debent habere luctum, de quo mox subinfertur :

Ut consolarer omnes lugentes, ut ponerem fortitudinem lugentibus Sion. Quod bis ponit, *lugentes et lugentibus*, per hoc ostendit quod duplex debet esse luctus, quem quilibet in præsenti vita habere debet electus. Sunt *omnes lugentes*, qui pro peccatis præteritis diutina pœnitentia jam jamque coram Domino deletis, ac si nunquam pœnituerint, recenti quodam dolore et luctu compunguntur; et propterea, quia in luctu isto sunt tum pro præteritis, tum pro quotidianis contagiis; tum quod non solum peccaverunt, sed et bonum, quod agere debuissent, prætermiserunt. Hi profecto *consolantur*, quia consolationem remissionis a Deo accipere merentur. Est enim magna consolatio hanc habere certitudinem quod post pœnitentiæ luctum sequitur a Deo remissio peccatorum. Qui luctus, quamlibet bonus et necessarius [sit], est tamen alius adhuc luctus, multo suavior, multo excellentior et dignior, quem habent *lugentes Sion*. *Lugentes Sion* sunt illi qui pro gloria et dulcedine æternæ gloriæ, pro amore patriæ cœlestis lugent, quos præsentis vitæ gravat exsilium; qui de corpore mortis absolvi et esse cum Christo vellent, quos delectat mansio cœlestis illius *Sion*, civitatis Dei viventis, cujus artifex et conditor est Deus. Hujusmodi lugentibus *ponit* Dominus *fortitudinem*, quia ex hoc beato luctu tantam fortitudinem accipiunt, ut fortes contra diabolum, contra vitia, contra mundum fiant, et adversum ista prævaleant. Quem-

A cunque electorum suorum hoc ordine Dominus provexerit, post bonum certamen, quod certavit, cum ad solvendum **31** humanæ conditionis debitum venerit, vere Dominus in eo adimplebit quod hic promittitur :

Et darem, inquit, *eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris.* Quid per *cinerem* nisi nos ipsi, qui terra et cinis sumus? *Dabit* Dominus *coronam pro cinere*, quando in hora mortis beatæ cujuslibet animæ ipse per se cum angelis suis dignanter adveniens, quid beata illa anima in cinere suo, id est in fragili corpore posita gesserit, omni angelorum multitudini innotescet (46) dicens : Hæc et hæc operata est dilecta mea, sponsa mea; fecit quod jussi, vitavit quod prohibui, tot et B tantos labores in cinere suo peregit, sic et sic multiplices diaboli insidias devicit. *Dabo* ergo ei secundum dignitatem nominis mei *pro cinere coronam*, id est pro operibus, quæ gessit in corpore mortis et fragilitatis, *coronam* sempiternæ remunerationis. Sic arbitror posse intelligi quod ait : *Et darem coronam pro cinere*, quia mirum non est quod angelica creatura, quam nulla corporeæ fragilitatis moles deprimit, sic stat cum Domino. Sed valde mirum est quod homo in *cinere* suo, mortali scilicet et fragili corpore, totum Deo quod potest exhibet. Et quia quod potest non negligit, Deo jubente accipiet *pro cinere*, immarcescibilem *coronam* gloriæ. *Oleum gaudii pro luctu*, quia pro luctu, quo nunc crebro luget, quo C nunc ad cœlestia suspirat, majorem gloriam, et gratiam accipiet in æterna vita, dum illuc pervenerit, quam æstimaret, aut desiderare sciret, dum in hac vita subsisteret.

Sed et notandum quid sit quod ait, *oleum gaudii*. Per *oleum*, quod talis est naturæ, ut omnibus quibus immiscetur, supernatet liquoribus, charitas valet designari, de qua Paulus : *Adhuc*, inquit, *excellentiorem viam vobis demonstro* (*I Cor.* XII, 31). Per hanc *excellentiorem viam* in æterna vita electi ambulabunt, quia transeunte fide, deficiente spe, cum omnia habentur in re, perfecta charitate, quæ nunquam ibi excidet, perpetuo flagrabunt. Ibi nunc omnes electi perunguntur in anima *oleo* lætitiæ et exsultationis.

D **32** Sed et in generali resurrectione, quid accipiant, quantum ego arbitror, non tacetur in eo quod ait : *Pallium laudis pro spiritu mœroris*. Per *pallium* corpus potest designari, in quo anima palliatur et velatur. Hoc *pallium* unusquisque recipiet, cum in generali resurrectione duplici stola, corporis et animæ potitus fuerit. Hoc corpus tunc bene dici potest *pallium laudis*, quia, quod deposuit mortale, recipiet immortale et incorruptibile. Et bene additur, *pro spiritu mœroris*, quia animæ sanctorum *mœrorem* quemdam nunc habent, quod corpore suo, concertatore et coagonista suo carent, nec est particeps gaudii, qui quondam consors fuit passionis et mœroris. Sed et *pallium laudis* accipient, *pro spiritu*

(46) *Id est* notum faciet.

mœroris, quia, qui nunc dissolute et remisse vivere nolunt, sed in mœrore et tristitia contabescunt, recepto quandoque corpore, novi muneris lætitia perfunduntur et hilarescunt. Tunc ad perfectæ libertatis gaudia intromissis, et ab omni mutabilitatis vicissitudine liberatis fiet de eis quod subjectum est :

Et vocabuntur in ea fortes justitiæ. In ea enim civitate, *in ea* cœlesti Sion *vocabuntur fortes justitiæ*, quia de infirmitate peccati nihil eis ultra adhærebit, sed sunt *fortes justitiæ*, quia justi sunt in verbo, justi in opere, justi in cogitatione. Ut autem sciatur quod ex virtute propria nullus ibi coronetur, sed ex singulari dono Dei, continuo additur :

Plantatio Domini ad glorificandum, Est enim totum *plantatio Domini*, qui totum, quod bonum est in opere, quod gloriosum in retributione, plantat, et quod plantaverit, ad incrementum perducere potest. Et quia totum est *plantatio Domini*, erit ipsa plantatio *ad glorificandum. Ad* quem *glorificandum?* Jesum Christum Dominum nostrum, cujus nomen laudatur et glorificatur pro omnibus et in omnibus bonis, quæ fecit et reddidit nobis per immortalia sæcula sæculorum. Amen.

33 HOMILIA VII.

IN SANCTAM NOCTEM NATIVITATIS DOMINI PRIMA.

Benedictus qui venit in nomine Domini, Deus Dominus, et illuxit nobis (*Psal.* XCVII).

Verbis istis unigenitum Dei Filium Deum et Salvatorem nostrum suscipimus et salutamus, [qui] hac sacratissima nocte pro salute humani generis de intemerata Virgine nasci est dignatus. Ipse quippe ab æterno cuncta disponens, et ante Luciferum a Patre in æternitate sua genitus, nostræ mortalitatis particeps factus, hac sacra nocte de matre Virgine nasci voluit. Proinde nox ista tanta redundat dulcedine, tam plena est totius suavitatis et gratiæ, ut quique fideles hac nocte precum suarum consequantur effectum, et quod per totum anni circulum non possunt obtinere, hac nocte obtineant [*cod.* obtinebunt] votique sui compotes efficiantur [*cod.* efficiuntur] ex larga nascentis Filii Dei benedictione.

De excellentia hujus sacratissimæ noctis utriusque Testamenti paginæ loquuntur, sicut, et in Judicum libro in persona Filii Dei de Gedeone scribitur : *Igitur Gedeon de nocte consurgens, expresso vellere, concham rore compleverat* (*Judic.* VI, 38). Gedeon *circuiens in utero* interpretatur, per quem Filius Dei designatur, qui majestatis suæ circuitu universa simul, cœlestia et terrestria complectitur, et tamen secundum humanæ naturæ substantiam utero Virginis includitur. Hic Gedeon *de nocte consurrexit*, dum nocturnis horis de aula virginali tanquam sponsus de thalamo suo processit. De hac nocte propheta sanctus, Spiritu prophetico illuminatus, gaudenter dicebat ad Dominum : *Custos, quid de nocte; custos, quid de nocte?* (*Isa.* XXI, 11.) Ac si diceret : O Fili Dei, qui *custos* es humani generis, nostri causa formam hominis assume, et in noctis silentio de maternis visceribus in salutem populi tui egredere, rursumque devicto

A mortis imperio triumphans de sepulcro *media nocte* exsurge. *Expresso*, inquit, **34** *vellere, concham rore compleverat.* In *vellere* assumpta humanitas Filii Dei exprimitur, sicut David in libro Psalmorum protestatur: *Descendet sicut pluvia in vellus* (*Psal.* LXXI, 6). Isto *vellere expresso*, sancta videlicet humanitate Filii Dei ostensa, *concham* suam *rore complevit*. In *concha* domina nostra perpetua virgo Maria, *maris stella* accipitur, quam *rore* Spiritus sancti ex ea natus ita *complevit*, ut plena gratiæ et visceribus redundans misericordiæ, omnium miserorum necessitatibus et angustiis semper parata sit subvenire. Est enim unica post Deum spes afflictorum, eam toto corde in miseriis suis invocantium.

De hac rursus nativitate propheta sanctus protestatur : *Lapis*, inquit, *de pariete clamabit, et lignum*
B *quod inter juncturas ædificiorum est, respondebit* (*Habac.* II, 11). *Lapis* iste est Dominus noster Jesus Christus, de quo Apostolus dicit: *Petra autem erat Christus* (*I Cor.* X, 4). Iste *lapis de pariete clamavit*, dum Filius Dei in assumpta humanitate, quæ per *parietem* designatur, de Virgine natus, mox ut cæteri infantuli clamare cœpit, et laborem et dolorem humani generis se suscepisse ipsis vagitibus infantilium membrorum ostendit. Huic lapidi clamanti *lignum, quod inter juncturas ædificiorum est respondit*, quia beata virgo Maria osculando, fovendo, leniendo omnibus fomentis et blanditiis, quibus poterat, eidem filio suo *respondit*. Et bene ligno, *quod inter juncturas ædificiorum est*, beata virgo Ma-
C ria comparatur, quia ipsa domina nostra perpetua Virgo in filio suo, quem clauso utero in salutem mundi edidit, ea, quæ in cœlis et quæ in terris sunt, pacificavit et conjunxit.

Videntur aliqua in codice desiderari

35 HOMILIA VIII

DE TRIBUS MISSIS IN DIE SANCTO NATIVITATIS DOMINI PRIMA.

Cum innumera sint beneficia omnipotentis Dei, quæ secundum plenitudinem gratiæ ipsius humano largitus est generi, tres tamen principales existunt causæ, propter quas specialiter diligi, venerari, et laudari ab unoquoque salvando debet homine. Primum, quod Creator noster est : secundum, quod
D Redemptor; tertium, quod erit quandoque Remunerator.

Harum trium ordo et dignitas causarum recte nobis hodierna die commendatur trium solemni præconio missarum, quarum unam intempesta nocte, alteram primo mane, tenebris tamen ex parte adhuc existentibus, tertiam vero pleno die solemniter celebravimus. Illa missa : *Dominus dixit*, quæ nocturno celebratur tempore, Creatori nostro non injuste videtur convenire, quia quandiu in nocte præsentis sæculi manemus, adeo tenebris ignorantiæ involvimur, quod nullus, licet perfectus et sanctus, nec etiam aliquis prophetarum, apostolorum, vel evangelistarum fuerit, qui perspicaci cordis intuitu comprehendere potuerit quomodo Deus omnipotens

totum mundum ex nihilo creaverit, vel quomodo ortum suum unicuique homini ordinaverit et disposuerit. Missam vero, *Lux fulgebit*, quam ante plenam lucem celebravimus, ad Redemptorem nostrum referre possumus, quia quod passione et morte sua nos salvaverit, electi et salvandi cognoscunt et confitentur, Judæi vero et pagani tenebris ignorantiæ involuti, et (quod dictu est miserabile) nonnulli, qui Christiano censentur nomine, credere recusant et cognoscere.

Tertia autem missa, quæ excellentiori cultu clara jam die festive celebrari solet, ad Remuneratorem nostrum respicit, **36** quia cum dies ille æternitatis advenerit, in quo justos pro meritis suis æterna mercede remunerabit, reprobos vero æternæ damnationi deputabit, ibi, ablatis prorsus ignorantiæ tenebris, clare et aperte cognoscemus quæ nostris nunc excluduntur oculis. In illo æternitatis die, cui nullæ interesse poterunt tenebræ, dum omnes, qui redempti sunt a Domino, cum ipso redemptionis suæ auctore gloria cœperint apparere, ibi jucunda suæ redemptionis gaudia solemni admodum [*cod.* admodo] et lætissimo cœlestis harmoniæ concentu in hæc resonabunt verba: *Puer natus est nobis, et filius datus est nobis* (*Isa.* IX, 6).

Pueri est timere, *filii* vero amare. Quod idem est, ac si omnes electi, qui tunc ad veram libertatem assumpti sunt et gloriam filiorum Dei, cum humili gratiarum actione suo dicant Redemptori: Sedentes, o Domine, dudum in tenebrosis et in umbra mortis, servili timore dudum tibi subjecti fuimus, nunc vero, seposito timore servili, timemus te timore sancto filiali, qui permanet in sæculum sæculi, quia liberatis de imperio et timore mortis nulla jam erit adversus carnem et sanguinem colluctatio, nulla cum tenebrarum principe ulterius erit congressio. Et quomodo, quidquid honoris et gloriæ, quidquid mercedis et gratiæ in regno beatitudinis se gaudent accepisse, non propriis meritis, sed an laudem referunt sui Redemptoris, sequentibus recte declaratur verbis: *Cujus imperium super humerum ejus* (*ibid.*) Quasi dicant quod, in profunda miseriarum valle commorantes, per timorem tuum a malo declinavimus, per amorem vero bonis insistere operibus potuimus, quod etiam nunc assumpti de pulvere terræ, hæredes et cohæredes sumus regni tui et **37** gloriæ, hæc, inquam, tantæ beatitudinis gaudia nulla nobis propriæ actionis obtinuerunt merita, sed solo vivifici sanguinis tui redempti sumus pretio, quia tu auctor æternæ salutis, pro redimendis nobis *super humeros* humilitatis tuæ patibulum bajulans crucis, supplicium subire dignatus es passionis et mortis.

Et vocabitur nomen ejus magni consilii Angelus. Recte Dominus noster Jesus Christus *magni consilii* vocatur *Angelus*, quia *consilium* illud, quod in diebus carnis suæ dedit, nullus patriarcharum aut prophetarum dare potuit. Nam sæculum relinquere, paupertatem diligere, castimoniæ operam dare, ante hujus magni Angeli consilium, impossibile fuit et inauditum. De hoc consilio Paulus ait apostolus: *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do* (*I Cor.* VII, 24). Felix ergo et gloriosa electorum concio, tali se salvatam cognoscens consilio, ipsum salvationis suæ auctorem, *magni consilii* vocans *Angelum*, humili gratiarum actione laudabit in perpetuum.

Ad hæc etiam revolventes vigili cordis memoria facta in se omnipotentis Dei magnalia, qualiter ipse, cum esset Dominus omnium, formam servi accipiens exinanivit semetipsum factus obediens usque ad mortem; obtulit se Deo Patri in ara crucis pro redemptione ipsorum, qualiter etiam innumera calamitatum experimenta sola ipsius evaserunt misericordia, super statu suæ beatitudinis quasi novis resonant concentibus, quod recte sequens denuntiat Versus: *Cantate*, inquiunt, *Domino canticum novum, quia mirabilia fecit* (*Psal.* XCVII, 1). Huic novæ admirationis et laudationis jubilo Graduale recte convenit, quod ipse electorum exercitus, qui de morte ad vitam transiit, voce unanimi mox imponit: *Viderunt omnes fines terræ salutare Dei nostri* (*Isa.* LII, 10). Licet per *fines terræ* fines intelligi valeant sæculi, possumus tamen sano intellectu *fines* accipere corporis nostri: qui fines *salutare Dei nostri videbunt*, cum totum illud, quidquid terrenum et caducum corporibus nunc obsistit electorum, ad plenum purgabitur per gratiam Mediatoris Dei **38** et hominum. Quandiu enim terrenum hoc habitaculum inhabitamus, sine multimoda calamitatum miseria esse non possumus. Sed cum ad illum æternitatis pervenerimus diem, plenam et securam in anima et corpore percipiemus salutem, quia salus illa, quæ tunc electis in præmio dabitur, absque ullo timore sine fine possidebitur.

Concordat et convenit huic jucundissimæ diei illud Alleluia præclarum et lætabundum, quod tunc cœlesti melodia organa resonabunt sanctorum: *Dies sanctificatus illuxit nobis, venite, gentes, et adorate Dominum, quia hodie descendit lux magna super terram.* Vere *dies sanctificatus*, vere dies, quem fecit Dominus, nulla unquam noctis vicissitudine finiendus, ubi redemptorum exercitus duplicem immortalitatis reportans stolam, recte jam cantare poterit: *quia hodie descendit lux magna super terram.* Ac si dicat: *Lumen* illud inaccessibile, quo hactenus glorificatæ, sine corporibus solæ gaudebant animæ, nunc per ineffabilem Remuneratoris nostri gratiam, *descendit* et lucet *super terram*; quia non solum animæ, verum etiam *terra* corporis nostri sine fine perfruetur æterna claritate vultus Dei.

Respicit ad hoc Offertorium, quod tunc verissime decantare poterit idem conventus electorum: *Tui sunt cœli, et tua est terra, orbem terræ et plenitudinem ejus tu fundasti; justitia et judicium præparatio sedis tuæ* (*Psal.* LXXXVIII, 12-15). Per *cœlos* animæ, per *terram* vero corpora sanctorum possunt accipi. Quod idem est, ac si omnes electi, in plena jam se-

curitate consistentes, suo dicant Redemptori: In exsilio terrenæ habitationis positi, stabili nequaquam tenore adhærere potuimus tibi; nunc vero ad plenum configurati corpori claritatis tuæ, absque ullo obstaculi impedimento in anima et corpore æternaliter adhærebimus tibi Redemptori nostro. *Justitia*, inquiunt, *et judicium præparatio sedis tuæ*. Per *justitiam* remuneratio justorum, per *judicium* vero damnatio reproborum, per sedem autem Dei requies ipsius valet intelligi. **39** Domino ac Redemptori nostro, quamvis in seipso nulla accedere valeat inquietudinis molestia, quandiu tamen membra ejus, quod (47) sunt omnes electi, diversis circumferuntur turbinibus præsentis sæculi, ipse, qui est vera requies in se, plenam quietis tranquillitatem non poterit habere. Unde persecutori Saulo, membra ipsius impugnanti et distrahenti in terris, Caput clamabat de cœlo: *Saule, Saule, quia me persequeris?* (*Act.* IX, 4.) Electus etiam athleta ipsius, protomartyr Stephanus, inter cunctos lapidantium ictus non sedentem, sed *stantem* a dextris virtutis Dei vidit (*Act.* VII, 56), cujus auxilium in tali certaminis periculo sensit. *Justitia* ergo *et judicium præparatio* fit *sedis* Dei; quia electorum populo ad plenæ securitatis stabilitatem intromisso, reprobis etiam in ignem æternum, cum capite suo, hoste videlicet antiquo, missis, *sedes* Domino quodammodo *præparatur*, quia tunc omnibus membris suis ad se collectis sine fine requiescit et lætatur. Ita per potentiam Mediatoris Dei et hominum facto de medio (48), ita omnium iniquorum capite interempto, electi in voce laudis et gratiarum actionis, virtutem potentiæ sui Remuneratoris his **40** attollunt et magnificant verbis: *Tu humiliasti sicut vulneratum superbum* (*Psal.* LXXXVIII, 11); illum, inquiunt, nefarium regem superbiæ, qui nos in lacu calamitatis et miseriæ positos impugnare et impetere non cessabat mille millenis fraudibus, *tu*, Domine virtutum et Rex gloriæ, spiritu oris tui interfectum, in virtute brachii tui redegisti ad nihilum.

Hinc iterum jucunda suæ salvationis attollentes gaudia, illud quod subsequens Communio declarat, in voce exsultationis decantant: *Viderunt omnes fines terræ salutare Dei nostri.*

Nos ergo, fratres charissimi, ut ad gaudia, de quibus loquimur, pervenire mereamur, studeamus in præsenti ita Creatorem nostrum cum vera gratiarum actione agnoscere, Redemptori nostro dignis laudibus devoti existere, ut, cum quandoque in gloria sua apparuerit, non Judicem terribilem, sed pium sentiamus remuneratorem. Quod ipse præstare dignetur Dominus noster Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA IX.

DE TRIBUS MISSIS IN DIE SANCTO NATIVITATIS DOMINI SECUNDA.

Puer natus est nobis, et filius datus est nobis, cujus A *imperium super humerum ejus, et vocabitur nomen ejus magni consilii Angelus* (*Isa.* IX).

Licet de tribus his missis, quas hodie celebramus, multa et diversa intelligi valeant, specialius tamen ad laudem nati Salvatoris mystice eas transferre possumus, ut videlicet in prima missa arcanum divinitatis, in secunda mysterium assumptæ humanitatis, in tertia gloriam æternæ remunerationis intelligamus.

Et bene in prima missa, quæ in profunda quidem nocte canitur, invisibilis et inaccessibilis illa lux divinitatis intelligitur, quam videre, et ad quam accedere nullus mortalium potuit. Nam, ut Joannes ait: *Deum nemo vidit unquam* (*I Joan.* IV, 12). Quod autem Deus Pater Filium, hodierna die de matre Vir- B gine natum, ineffabiliter ante sæcula genuerit, Introitus missæ primæ, sic incipientis, patenter innuit: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te* (*Psal.* II, 7). Quia æterna illa divinitas nulla mutabilitatis tempora recipit, non heri, non cras, sed semper habens *hodie*, semper manens sine principio, sine tempore, satis digne Deus Pater Filio suo dicit: *Ego hodie genui te. Hodie*, inquam, hoc est in æternitate Deus Pater consubstantialem sibi, ut dictum est, Filium genuit. Et ad hanc ineffabilem generationem præsens officium **41** totum ex ordine respicit. Hanc etiam generationem Graduale: *Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum, ex utero ante luciferum genui te* C (*Psal.* CIX, 3), pronuntiat. Hanc nihilominus Alleluia: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te*, commendat. Hanc Communio: *In splendoribus sanctorum ex utero ante luciferum genui te*, concorditer affirmat et resonat. Et tamen sic de coæterna Filii substantia loquitur, quod tota simul Trinitas in his comprehenditur. Nam per *principium* Deus Pater, *in die virtutis* Deus Filius, *in splendoribus sanctorum* intelligitur Deus Spiritus sanctus. Et satis digne *in splendoribus sanctorum* significari credimus Spiritum sanctum, quia ipse est lux et illuminator sanctorum omnium.

Qualiter autem Deus Pater coæqualem sibi Filium genuit? *Ex utero*, inquit, *ante luciferum. Ex utero*; hoc est ex invisibili substantia mea. *Ante luciferum*, D hoc est ante omnem visibilem creaturam *genui te*. Sed quia in substantia divinitatis suæ Dei Filius videri non potuit, causa salutis nostræ homo factus, videri super terram, et cum hominibus conversari voluit. Et ideo sicut ab angelis semper ab initio sola laudabatur divinitas, ita nunc una cum divinitate assumpta laudatur et adoratur humanitas. Et ad hanc generationem assumpti hominis satis evidenter secundæ missæ spectat Introitus: *Lux fulgebit hodie super nos, quia natus est nobis Dominus.*

Notandum est cur quasi futurum dicat. *Lux fulgebit super nos*, cum mox subjunctum sit, *natus est nobis Dominus*? Vox etenim ista vox, ut putamus,

(47) Quod *pro* qui *vel* quæ, *ut alibi passim.*

(48) *Id est* sublato

est electorum omnium, in tenebris et umbra mortis lucem veram exspectantium, quibus tamen mox, ut natus est Dominus, nondum lux redemptionis refulsit apud inferos. Unde et hæc eadem missa non inconvenienter in crepusculo canitur, quando nec plena nox, nec plena lux esse cernitur, quia nato Salvatore Domino nondum plenaria facta est redemptio, nondum regni cœlestis aperta est janua, sed multi etiam ex electis, quorum præcipuus Jo nnes Baptista erat, post nativitatem Salvatoris ad inferos descenderant, donec peracta dispensatione **42** assumptæ carnis apertum est lancea militis latus crucifixi Redemptoris.

Nos autem, qui eumdem Salvatorem hodie natum adoramus et colimus, quasi in voce exsultationis illum suscipientes, in Graduali consequenter canimus: *Benedictus, qui venit in nomine Domini* (*Psal.* CXVII, 26). Sed quia mirum valde et ineffabile mysterium est incarnationis Dominicæ, quomodo videlicet in utero matris Virginis humanæ naturæ æterna illa unita sit divinitas, Versum Gradualis quasi præ gaudio admirantes subjungimus: *A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris* (*ibid.*, 23). Est quidem mirabile in oculis nostris, quod pervidere nemo vel perscrutari poterit, qualiter humanam, ut prædictum est, naturam summa illa majestas induerit.

Nos vero quia sensu et intellectu tantum comprehendere mysterium non possumus, digna quoque (49) fidei veneratione magnificare studeamus, canentes in lætitia cordis jucundum quod subjunctum est Alleluia: *Dominus regnavit, decorem induit, induit Dominus fortitudinem, et præcinxit se virtute* (*Psal.* XCII, 1). Quatuor divinæ dispensationis sacramenta breviter his verbis invenimus comprehensa, quoniam *decorem induit Dominus* in incarnatione, *induit fortitudinem* in passione, *præcinxit se virtute* in resurrectione et ascensione. Et quomodo *decorem induit* in incarnatione? Quia de immaculata virgine Maria corpus immaculatum dignatus est induere. *Fortitudinem* quoque in passione sua *induit*, quia fortem illum armatum patiendo et moriendo superavit. In resurrectione vero et ascensione hoc modo *præcinxit se virtute*, quia resurgens a mortuis chlamidem carnis suæ, quam ad horam moriendo deposuit, tanta virtute divinitatis suæ circumcinxit, tanta glorificatione ad dexteram Patris ascendendo exaltavit, quod in æternum victurus, ultra eamdem carnem deponere vel exuere non vult, nec poterit. Unde et apostolus Paulus ait: *Christus resurgens a mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur* (*Rom.* VI, 9).

Ad hanc immortalitatis beatitudinem omnis electorum multitudo quandoque perveniet, dum post finem sæculi gloriam æternæ remunerationis percipiet, quod per tertiam missam: *Puer natus est*, **43** non incongrue, ut prædiximus, intelligi valet. Unde et hæc eadem missa non in nocte, non in crepusculo,

A sed clara et plena die solemnius cantari solet, quia in perenni beatitudinis gloria omnium electorum oculis tam æterna divinitas, quam et assumpta manifestatur humanitas. Tunc sancti et electi omnes hanc festiva solemnitate concelebrant, tunc corpore et spiritu Christo consociati voce consona jubilant: *Puer natus est nobis, et filius datus est nobis*. Cum enim timere dominum et magistrum suum *puer* soleat, *filius* autem patrem filiali dilectione diligat, quid per *puerum* nisi timor, quid per *filium* intelligendum est nisi amor? Unde idem est ac si dicant: Nobis aliquando in terra peregrinationis laborantibus *natus est* [*puer*], id est spiritus timoris Domini, *et filius datus est nobis*, amor videlicet divinæ dulcedinis tunc aliquantulum inchoavit in nobis, et nunc,

B *puero* timoris sublato, *filium* amoris, quem tunc ex parte suscepimus, modo plenario dulcedine sine fine possidemus, et quem tunc timebamus ut judicem et dominum, nunc illiali amore diligimus ut patrem et remuneratorem benignissimum.

Hunc *filium* amoris nondum plenarie electorum habent animæ, nondum ipse princeps apostolorum beatissimus Petrus pleno gaudio cantare poterit; *filius datus est nobis*, quia nondum corpus suum incorruptibile reinduit, sed amor et desiderium resuscitandi corporis sui adhuc ab interna divini amoris dulcedine aliquantulum eum retrahit. Cum autem in resurrectionis gloria ipse Petrus omnisque electorum numerus corpora sua incorruptiva receperint, tam

C plenaria dulcedine, tam incommutabili amore in Deum transeunt, ut nil præter ipsum solum diligere, cogitare vel desiderare possint. Tunc etiam veraciter in eis adimplebitur quod continuo sequitur:

Cujus imperium super humerum ejus Solius Domini Creatoris sui super eos erit *imperium*, non alienum tunc sequentur dominum, nullum omnino eis prævalebit aut dominabitur vitium. Et quid est *super humerum?* Per *humerum* laborem præsentis vitæ non injuste significari credimus. Et ideo tam sublime *imperium* bene dicitur esse *super humerum*, **44** quia tunc tantæ jucunditatis *imperium* æterni Regis erit, ut omnem laborem omneque meritum eorum illa jucunditas exciperet, et totius doloris et miseriæ omnino eos immemores faciat.

D *Et vocabitur nomen ejus magni consilii Angelus.* Digno quidem nomine vocabitur in futuro ab electis suis Dominus *magni consilii Angelus*. Nam declinare a malo, et facere bona, licet cunctis præcipiat fidelibus, perfecte tamen Christum sequi cupientibus duo dare voluit magnæ perfectionis consilia, unum, ut semetipsos abnegando, mundum et ea quæ mundi sunt derelinquant; alterum, ut caste vivendo integritatem cordis et corporis illibatam custodiant. Qui ergo his duobus consiliis modo acquieverint, æternæ remunerationis quandoque pro hoc recipientes præmium magna exsultatione, digna gratiarum actione *vocabunt nomen ejus magni consilii Angelum*. Nam bona, quæ fecerunt, consilio bonitatis ejus se fecisse

(49) Quoque *pro* saltem *ut alibi*.

recognoscent, et ideo non sibi, sed nomini ejus hu- A militer attribuent. Unde quasi ad novam Salvatoris laudem semetipsos invicem cohortantes Versum, qui sequitur, admirando cantabunt modo dicentes : *Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit* (*Psal.* XCVII, 1). Videbitur quidem illis super omnia esse mirabilia, terram et cinerem ad tantam pervenisse gloriam, ut nullam omnino corruptionem sentiant, ut revelata facie Salvatorem suum sine fine videant, quemadmodum Graduale cum Versu consequenter pronuntiat.

Viderunt, inquit, *omnes fines terræ salutare Dei nostri* (*Isa.* LII, 10). *Jubilate Deo omnis terra* (*Psal.* LXV, 1). *Notum fecit Dominus salutare suum, ante conspectum gentium revelavit justitiam suam* (*Psal.* XCVII, 2). Quidnam est *videre fines terræ salutare* B *Dei*, et *jubilare omnem terram?* Finem quippe omnis terrenitas in electis quandoque accipiet, omnisque corruptio in incorruptionem transiet, et tunc *omnis terra*, id est corpus eorum et anima, Deum Creatorem videbit et laudabit in jubilo. *Et in conspectu gentium*, omnium videlicet sibi conregnantium, *notum faciet* Deus Pater *salutare suum*, id est Filium suum *suamque revelabit justitiam*, videlicet Spiritus sancti gratiam.

45 Hanc summæ Trinitatis gloriam speculantes lætabundum pronuntiant Alleluia dicentes : *Dies sanctificatus illuxit nobis.* Illic revera perpes *dies* et perpes erit *sanctificatio*, ubi nullæ penitus peccatorum intervenient tenebræ. Illic etiam desiderabile C cantabunt Offertorium, Deo Factori offerentes corpus suum et animam. *Tui*, inquiunt, *sunt cœli*, videlicet animæ nostræ, *et tua est terra*, id est corpora nostra, tui solius, Dominator Domine, sumus, tibi soli corpore et spiritu inseparabili charitate servimus ; *orbem terræ*, id est perfectionem terreni corporis nostri, *tu fundasti*, timore et amore tuo in bonis nos operibus confortasti, et nunc plenitudinem æternæ retributionis a te benignissimo Remuneratore suscepimus. **46** *Justitia et judicium præparatio sedis tuæ* (*Psal.* LXXXVIII, 12-15). *Sedes tua*, Domine, *præparata* est in *justitia et judicio*, quia ad hanc *justitiam* te donante pervenimus, quod te solum diligimus, tibi soli Deo nostro inhæremus. *Judicium* vero est quod nunc judicare et discernere scimus, quid tibi Crea- D tori et Redemptori nostro debeamus. Nam in terra peregrinationis positi, quæ tua erant, nobis plerumque reputavimus, et de his, quæ operatus es in nobis, non gloriam tuam, sed nostram quæsivimus. Nunc vero ita in nobis *præparata* est *sedes tua*, quod tu semper in nobis et nos tecum sine fine manebimus, et te per infinita sæcula ineffabili voce glorificabimus. Amen.

HOMILIA X.

DE TRIBUS MISSIS IN DIE SANCTO NATIVITATIS DOMINI TERTIA.

Quoniam dies ista celeberrima, quasi novis gaudiorum præconiis, trinis missarum honoratur solemniis, nequaquam vacare creditur a mysterio hæc eadem triformis missarum celebratio.

Per primam namque missam, quæ in galli cantu quasi in ortu parvuli celebratur Jesu, regenerata in Christo infantia humani generis congrue valet accipi, quando quis renatus ex aqua et spiritu Filius Dei meretur fieri. Hic revera gaudens et exsultans in Spiritu sancto cantare canticum novum poterit Domino dicens : *Dominus dixit ad me : Filius meus, es tu, ego hodie genui te.* Qui dum sic renatus quasi in tenebris ignorantiæ tempus transegerit infantiæ, ad secundam jam missam perveniet, quæ die illucescente celebrari solet, quando in annis adolescentiæ per verbum prædicationis lux orta illi fuerit scientiæ et veritatis. Tunc revera in voce exsultationis decantare Domino poterit dicens : *Lux fulgebit hodie super nos.*

Sic profecto renatus et illuminatus ad hanc juvenilis ætatis perveniet gloriam, quæ per tertiam, et luce clara celebrandam designatur missam, quæ cum præ cæteris speciali laudum præconio celebrari soleat, specialem etiam divini timoris et amoris gratiam significat, quod in *Introitu* incipientis missæ evidenti verborum indicio valemus agnoscere : *Puer*, inquit, *natus est nobis.* Cum moris sit *pueri*, adhuc sub disciplina nutriendi, timere severitatem domini ac magistri, recte per hunc generosum *puerum*, qui in corde sic renati et illuminati nascitur hominis, timor Domini congrue est accipiendus. Qui bene *natus* dicitur, quia ex naturali humani cordis sollicitudine timor nascitur, quoniam naturale est homini timere diem et horam extremi judicii, timere vermem non moriturum, ignem inexstinguibilem infernalis incendii. Talis etenim timor a malis faciendis plerumque mentem hominis retrahit, et velut quodam initio salutis ad altiora et sublimiora obtinenda deducit. Unde sequitur :

Et Filius datus est nobis. Cum non timere, sed amare *filiorum* sit, quisnam nobilis iste *filius* est et amabilis, nisi amor **47** intimus divinæ dulcedinis ? Hic ergo tantus ac talis *filius* non *natus*, sed *datus esse nobis* recte dicitur, quoniam, ut supra dictum est, timor ex conscientia naturali commissi reatus nascitur ; amor vero cœlestis sapientiæ desuper *datus* fideli animæ infunditur. Unde beatus Jacobus apostolus ait : *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum* (*Jac.* I, 17). *Datum* revera *optimum et donum perfectum* suavissimus amor Christi est. Nam optimos quoque et perfectos eos efficit, quos ineffabili gratia suæ visitationis repleverit, sicque fit ut qui vix declinare a malo, timore coacti, prius poterant, jam ad facienda bona ferventi amore suaviter inardescant. Unde sequitur :

Cujus imperium super humerum ejus. Quidnam intelligendum est per *humerum* nisi corporalis labor bonorum operum, omne, inquam, corporalis laboris exercitium ? Nam plus valent **48** apud Deum pauca, quæ cum alacritate cordis affectuosa pii amoris im-

pendit devotio, quam solo timoris respectu multiplex valeat exterioris hominis operatio.

Jam dignitatem hujus nobilissimi Filii succincte transcurrimus. Nunc magnum et gloriosum ejusdem Filii nomen audiamus. *Et vocabitur*, inquit, *nomen ejus magni consilii Angelus.* Angelus enim Latine *nuntius* dicitur. Vocari quidem digno satis nomine *magni consilii Angelus* non solum sibimetipsi, sed et aliis poterit, qui vocem superni amoris, intrinsecus alloquentis, audire meruerit. Nam quæ verbo exhortationis denuntiat, effectu operis adimplere summopere curat. Vocari etiam *magni consilii Angelus* valet, qui non solum præceptis, verum etiam sublimioribus Domini consiliis obtemperare studet. *Cætera desiderari videntur.*

HOMILIA XI.

IN NATALE SANCTI STEPHANI PROTOMARTYRIS PRIMA.

Dicebat Jesus turbis Judæorum et principibus sacerdotum : Ecce ego mitto ad vos prophetas et sapientes et scribas (*Matth.* XXIII).

Sicut una est generatio rectorum et salvandorum, quæ cum capite suo, videlicet Christo, æternaliter coronabitur, ita una est generatio reproborum et infidelium, quæ cum capite suo, id est diabolo, perpetim condemnabitur. Unde vere beatus, qui in generatione justorum inventus fuerit ; quia non solum mercedem recipiet pro bonis quæ ipse fecerit, sed etiam particeps erit totius beatitudinis quam omnes sancti et electi recepturi erunt pro laboribus suis. Videt gloriam ineffabilem quam beata Dei genitrix Maria castitate et humilitate sua promeruit ; videt etiam jucunditatem et lætitiam, quam Petrus princeps apostolorum crucis martyrio glorificatus obtiduit, et sic de sua (50) quasi de propria glorificatione gaudebit : videt quoque coronam, qua protomartyr Stephanus, cujus hodie festa colimus, coronatus triumphat, et quasi ipse hac eadem corona coronatus sit, gaudet et exsultat ; et quia membrum illius esse meruit, qui est caput et corona omnium beatorum, ideo cum beatis omnibus commune habebit gaudium. Sic econtra, quisquis membrum illius, qui est caput iniquorum omnium, factus fuerit, cum damnandis omnibus perpetuum sine dubio supplicium sustinebit, et non solum pro malis, quæ ipse commisit, pœnam patietur perpetuam, verum etiam quidquid tormentorum, quidquid pœnarum et miseriarum Herodes, Pilatus, et Decius eorumque similes sua commeruerunt tyrannide, ipse cum eis passurus erit sine fine. Unde Dominus et Salvator noster in hac **49** lectione evangelica insinuat mala ventura, quæ generatio reproborum justa damnationis sententia quandoque recipiat :

Dicebat, inquit, *Jesus turbis Judæorum et principibus sacerdotum : Ecce, ego mitto ad vos prophetas et sapientes et scribas, et ex illis occidetis et crucifigetis, et ex eis flagellabitis in synagogis vestris, et persequemini de civitate in civitatem. Judæi* sive *principes sacerdotum*, quibus hæc Salvator præsentialiter dixerat, quique eumdem Salvatorem usque ad mortem persecuti sunt, missis ad se prædicatoribus veritatis mala, quæ hic commemorantur, intulerunt. Nam quosdam ex illis occidendo, alios crucifigendo perimebant, nonnullis quoque gravissima in synagogis suis flagella inferebant, multosque ex illis de civitate sua in civitatem gentium propellebant. Et ideo sub nomine eorumdem *Judæorum* sive *principum sacerdotum* universa reproborum generatio exprimitur, quæ cum principe suo diabolo in fine sæculi justo judicio condemnabitur ; quæ nunc missos ad se prophetas et sapientes et scribas, id est doctores veritatis, occidendo, crucifigendo interficit, dum verbum vitæ, quod ab ipsis audierit, mortificare in semetipsa male vivendo non metuit. Ad hæc etiam *in synagogis* suis, id est innumeris vitiorum contagiis *flagellare, et de civitate in civitatem persequi* non desinit, dum peccata peccatis, quasi flagella flagellis adjiciens, verbum sanctæ prædicationis *de civitate* cordis sui negligendo et reprobando repellit. Super hanc autem generationem sic occidentem et crucifigentem, flagellantem et persequentem, quanta animadversionis vindicta superveniat, aperta ratione in consequentibus indicat :

Ut veniat, inquit, *super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram.* Per *sanguinem justum* intelligere non incongrue possumus universam tribulationem justorum ; per *terram* vero terrena corpora ipsorum, qui gaudebant et desiderabant terram sui corporis tribulari et conteri pro nomine Jesu multis tribulationibus et pressuris. Sed *omnis* iste *sanguis*, id est omnis tribulatio *justorum*, non solum his a quibus passi sunt, sed universæ quoque generationi iniquorum in ira vindictæ *superveniet*, quæ, ut supra dictum est, unum corpus cum patre suo esse meruerit.

50 *A sanguine*, inquit, *Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ, filii Barachiæ, quem occidistis inter templum et altare.*

Non incongrue primum in ordine justorum *Abel justum* poni credimus, cujus primam sanguinis vocem clamasse ad Dominum de terra Scriptura teste invenimus (*Gen.* IV, 10). Et ideo per *Abel*, qui *luctus* interpretatur, primus ille patrum præcedentium non inconvenienter accipiendus est populus, qui adventum Salvatoris longo exspectans desiderio post finem vitæ cum luctu descendebat ad inferos. Post hunc ordine satis congruo positus est *Zacharias*, qui *memor Domini* interpretatur, per quem populus Novi Testamenti et novæ gratiæ designatur, qui singula Dominicæ incarnationis mysteria celebrat et frequentat piæ devotionis memoria. Hic sane non immerito *filius Barachiæ* dicitur, quod in nostra lingua *benedictus Domini* exprimitur. Quod utique nomen soli ascribendum est Filio Dei, qui *benedictus in nomine Domini* in fine mundi veniet, ut benedictos Patris sui in regno gloriæ sibi consociet.

Item alio modo mystice intelligere possumus, quæ

(50) *Id est*, ejus.

ab exordio lectionis evangelicæ breviter ad allegoriam exposuimus. *Dicebat Jesus turbis Judæorum et principibus sacerdotum: Ecce ego mitto ad vos prophetas et sapientes et scribas.* Per *turbas Judæorum et principes sacerdotum* duos in Ecclesia ordines intelligere valemus, spiritalium videlicet et sæcularium. Per *turbas Judæorum* sæculares quique apte possunt intelligi, qui irretiti et involuti sunt curis et turbationibus præsentis sæculi, et tamen *Judæi*, id est *confitentes* sunt, quia confessione veræ fidei Deo placere cupiunt, et de solis exterioribus, quæ possident, Deo Creatori in membris suis deserviunt, quibus in judicio dicturus est Dominus: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis* (*Matth.* xxv, 40). Per *principes* autem *sacerdotum* spiritales utique non injuste intelligi possunt, qui velut boni *principes* vitiis et concupiscentiis carnalibus principari satagunt, et semetipsos ut veri *sacerdotes* per ignem compunctionis Deo offerunt. His profecto *turbis* et *principibus sacerdotum* missurum se repromittit Dominus *prophetas et sapientes et scribas*. Prophetæ namque sunt, qui futuræ beatitudinis gaudia non solum verborum scientia, quam extrinsecus per hominem didicerunt, pronuntiant, **51** verum etiam ex abundantia suavitatis, quam intrinsecus gustare meruerunt, verbum veritatis docent et prædicant. Hi profecto non immerito et *sapientes* et *scribæ* vocari possunt. Nam quæ interius edocti, intimi saporis dulcedine capiunt, digne conversando et utiliter prædicando oculis subditorum quasi viva lectione præscribunt. Qui dum tales *prophetæ*, talesque *sapientes* sunt et *scribæ*, nonnunquam tamen a supradictis *turbis Judæorum* et *principibus sacerdotum occidi* eos et *crucifigi* et *flagellari* permittit Dominus. Unde subinfertur in consequentibus:

Et ex illis occidetis et crucifigetis, et ex eis flagellabitis in synagogis vestris. Dum morum et actuum perversitate auditores ingrati, salutiferæ doctorum exhortationi contradicunt, invisibili *occisione* eosdem doctores quodammodo interficiunt. Nam sermo Dei, qui *efficax est et vivus* (*Hebr.* iv, 12) in electorum cordibus, in cordibus reproborum quasi *occisus* videtur et mortuus, dum per verbum vitæ, quod audiunt, ab operibus mortuis resipiscere nolunt. Sunt et alii, quorum tam perversa et prava vita est et conversatio, ut eisdem prædicatoribus dura videatur esse *crucifixio*. Nam sicut is qui patibulo affixus est, pene manet immobilis, ita auditores ingrati et indigni, peccatis suis exigentibus, linguam doctoris quasi immobilem palato illius adhærere faciunt, dum verbo sanctæ exhortationis voluntate et actione contradicunt. Sunt etiam nonnulli, qui *flagello* detractionis et odii *flagellare* eos non metuunt in *synagogis suis*, id est in conventiculis detrahentium, in unum congregatis. Nam velut reprobos et irreligiosos jure eos contemnendos esse judicant, utpote, qui post positis Patrum antiquorum sententiis, non sanæ fidei doctrinam, sed falsa suæ adinventionis dogmata proferant. Sic profecto labiis iniquis flagellatos de *civitate in civitatem*, hoc est de una sententia ad aliam non cessant persequi. Nam velut indoctis et insipientibus tacita irrisione diversas sententias illis objiciunt exponendas. Sed postquam tantas eis contumelias irrogaverint, quanta mala illis occidentibus, crucifigentibus, flagellantibus et persequentibus superveniant, verba quæ sequuntur, manifeste insinuant.

Ut veniat, inquit, *super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram.* **52** Per *sanguinem justum* intelligere valemus sensum spiritalem, sive intimam cordis contritionem, sive contemplativam mentis dulcedinem. *Sanguis justus* male *super terram effunditur*, dum his qui terrena tantum sapiunt, sensus spiritalis in prædicatione aperitur. Itemque alio modo *sanguis justus* inutiliter *super terram effunditur*, dum terra humani corporis per contritionem cordis non humiliatur. Itemque *sanguis justus* non fructuose *super terram effunditur*, dum propter terrena gaudia, contemplativa suavitas homini interiori subtrahitur. Unde sequitur:

A sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ, filii Barachiæ, quem occidistis inter templum et altare. Per *sanguinem justi Abel*, qui *luctus* interpretatur, luctus vel contritio pœnitentis animæ designatur: quam hi profecto habere vel gustare nesciunt, qui salutifera prophetarum, sapientium et scribarum documenta ad profectum salutis audire contemnunt. Per *sanguinem Zachariæ*, qui *memor Domini* Latine dicitur, contemplativæ suavitatis gratia mystice præfiguratur, quæ ita, ut nec ad memoriam revocari valeat, ab animo tollitur eo quod idem Zacharias *inter templum et altare* occisus esse videatur. Per *templum et altare* aures utriusque hominis, sive duplicem substantiam, corporis et animæ, valemus intelligere. *Inter* hoc *templum et altare* spiritalis iste *Zacharias* quodammodo *occiditur*, dum memoria verbi Dei in animo audientis sine fructu emoritur. Nam licet sonus verborum exteriores attingat aures corporis, attingere tamen et penetrare utiliter et fructuose non valet interiores aures cordis. Sicque fit ut benedictionem paternam habere nequeat, quam pater ejusdem Zachariæ, *Barachias*, id est *Benedictus Domini*, suo nomine designat. Nam ubi memoria verbi Dei de corde hominis tollitur, benedictione Dei Patris procul dubio homo privabitur. Unde sequitur:

Amen dico vobis, venient hæc omnia super generationem istam. Non alia hoc loco, sed hæc eadem reproborum *generatio* intelligi valet, cui, ut supra diximus, in die judicii justa pro peccatis condemnatio superveniet. Sed hanc eamdem generationem misericors universorum Conditor ad viam salutis revocare cupiens his eam exhortatur verbis dicens.

53 *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt.* Quod superius per *templum et altare*, corpus videlicet et animam, præsignavit, hoc modo, iterato *Jerusalem* nomine, admonendo repetit. Nam qui ad *Jerusalem* cœlestem

ad *visionem æternæ pacis* pervenire desiderat, necesse habet ut animam et corpus immaculatum Deo custodire studeat, et *missos* ad se nuntios pacis *occidere*, vel *lapidare* caveat. Quæ sit *occisio prophetarum*, supra memoravimus. Nunc *lapidationem* eorum, qui ad nos *mittuntur*, videamus. *Lapides*, quibus *eos*, *qui* ad nos *mittuntur*, *lapidamus*, sunt cogitationes interius nos accusantes, quæ divinitus inspiratæ nos pro occisione prophetarum monent et arguunt. Sed mens prava et perversa has easdem cogitationes plerumque *lapidat*, quia se ad instar *lapidum*, ne ad pœnitentiam emolliant, fortiter resistendo indurat. Sed benignissimus Conditor emollire adhuc hanc eamdem duritiam non dedignatur, et quid pro homine fecerit, et sustinuerit, his verbis homini ad memoriam revocat et reducit :

Quoties, inquit, *volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti?* Concordant verba hujus evangelicæ lectionis verbis Prophetæ, imo Domini per prophetam dicentis : *Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me* (*Isa.* I, 2). Qui dum eos eius filios aversos a se, et abalienatos cerneret, ut eos *sub alas* suæ revocaret misericordiæ, naturam hujus exiguæ imitatus est aviculæ, cujus natura satis evidenter innuit quod non sine causa omnipotens illa majestas huic aviculæ semetipsam comparaverit. Naturalis enim est consuetudo gallinæ, speciali quadam providentia, pullos suos diligere et defendere, et si quando eosdem pullos sub velamento alarum suarum congregare et convocare nititur, præ amoris magnitudine vocem suam immutare videtur ; quos si quis rapere vult aut lædere, pennis, rostro, ungulis, quantum potest, repercutiendo repugnat, ita ut prius seipsam mortis periculo objiciat, quam ab illorum defensione desistat.

Unde hujusmodi natura aviculæ eidem Redemptori apte congruit, qui seipsum **54** tam magnum, tam immensum, tantillæ rei comparare voluit. Veniens namque in carne Dominus vocem austeræ illius sententiæ immutavit, quam olim in lege sua peccantibus comminatus est dicens : Qui hæc vel illa fecerit, *morte moriatur* ; filiis vero suis, quos in regnum gloriæ suæ congregandos præscivit et præordinavit, quamvis injuste vixerint, quamvis inique egerint, si tamen pœnitere et converti voluerint, regnum cœlorum promittens ait : *Pœnitentiam agite ; appropinquavit enim regnum cœlorum* (*Matth.* III, 2). Qui etiam in agone passionis vocem omnipotentiæ suæ immutavit, ubi non pro se, sed pro nobis contristatus dixit : *Tristis est anima mea usque ad mortem*. Quænam illi tristitia pro semetipso inesse potuit, in quo, ut ipse ait, *princeps mundi hujus* nihil invenit ? (*Joan.* XIV, 30.) Tristari enim et mœstus esse voluit pro nobis, ut nos a tristitia æternæ mortis eriperet, et consortes æternorum gaudiorum faceret. Proinde quasi materna devictus charitate pro eisdem filiis suis redimendis semetipsum Deo Patri in ara crucis obtulit, et durum ac forte nimis prælium cum morte, mortisque principe diabolo subiit, et post hæc gloriosus victor ad Patrem rediens, confugientes ad se sub alas misericordiæ suæ clementer congregat et recipit. Ibi frequenter immutans vocem suam, nunc prosperis, nunc adversis, nunc timore, nunc amore fidelem quamlibet alloquitur animam, quam per linguam compunctionis monet invisibiliter et instruit qualiter ab ea timendus et diligendus sit. Monet ergo et hortatur, ut *filios* suos, hoc est sensus suos et cogitationes, ad meditandum et cogitandum, quæ Dei sunt, *congregare* in unum *sub alas* protectionis illius studeat, nec circumvagari usquequaque ad inania et illicita permittat. Quæ autem vocem illius audire contempserit, et *sub alas* misericordiæ suæ confugere noluerit, illud procul dubio audire merebitur quod terribiliter in consequentibus subinfertur :

Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Domus ista, *domus*, inquam, est corporis et animæ, quæ tunc male *deserta* et omni bono destituta *relinquitur*, dum is qui hanc creavit et fecit, inhabitare **55** non dignatur, dum mentis oculus, tantis obscuratur peccatorum tenebris, ut nec tenuissimum divini splendoris radium valeat agnoscere, juxta quod sequitur :

Non me videbitis amodo, donec dicatis : Benedictus qui venit in nomine Domini. Quandiu tenebris vitiorum miser homo involutus est, ipsasque tenebras suas nescit et ignorat, lumen verum, quod Christus est, *videre* non valet. Cum autem ad se intra se redierit, et in quantis tenebris quantisque miseriis sit, aut per internam inspirationem, aut doctoris alicujus admonitionem agnoscere cœperit, oculosque cordis per dignam pœnitentiam purificare et emundare curaverit, lumen veritatis, quod amisit, Deo miserante recipiet ; et quem prius [anima] a se negligens et superba repulit, ipsumque audire contempsit, denuo ad se redeuntem in voce exsultationis suscipiens exclamabit : *Benedictus, qui venit in nomine Domini*. Quo in nobis manente digne illum in præsenti laudare valebimus, et in futuro venientem in gloria Patris securi facie ad faciem *videbimus*. Quod ipse præstare dignetur, ex quo omnia, et per quem omnia, qui vivit et regnat per infinita sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XII.

IN FESTUM S. JOANNIS EVANGELISTÆ PRIMA.

Dixit Jesus Petro : sequere me (*Joan.* XXI).

Beatus Joannes apostolus et evangelista eximius, qui tanta altitudine et profunditate Evangelium suum : *In principio erat verbum* adorditur, ut etiam super cœlos et super cœlestia volare sensu suo videatur, merito in figura quatuor animalium aquilæ volanti comparatur. Et quia tanta subtilitate Evangelium suum inchoavit, credendum est quod non minori profunditate et excellentia mysterii illud hodierna sancti Evangelii lectione concluserit et determinaverit. De qua sancti Evangelii hodierna lectione vellemus aliqua dicere sed digne aliquid dic.

non potest. Dicamus tamen quod possumus, et in quantum donare dignabitur Deus.

In duobus istis discipulis, *Petro* et *Joanne*, duæ vitæ possunt designari, activa videlicet et contemplativa; in *Petro* activa, in *Joanne* contemplativa. Ad as duas vitas nullus assurgere, nullus eas perfecte comprehendere valet, nisi solitum et beatum illud Domini nostri Jesu Christi *dicere* præcedat. *Dicere* Dei est facere ejus. Ipsius est enim opus, ex ipsius gratia et munere procedit, quantum quisque electorum suorum in hac vita per laudabilem virtutum operationem profecerit.

Et quid dicit *Petro* suo, unicuique videlicet electo suo? *Sequere me*. Dominum *sequitur*, qui bonæ actionis studio Dominum pro posse suo imitatur. Post illud salubre *dicere*, post laudabile *sequi* non incongrue subjungitur:

56 *Conversus Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Jesus, sequentem, qui et recubuit in cœna super pectus ejus, et dixit: Domine, quis est, qui tradet te? Convertitur Petrus*, quando electus quisque bonis sublimatur operibus. *Conversus* autem et perfecte probatus in activa vita tendit ad altiora, cum a statu bonæ conversationis pervenerit ad celsitudinem divinæ contemplationis, quod est *videre alium discipulum, quem diligebat Jesus, sequentem*. Quæ celsitudo contemplationis non nisi *in cœna* accipitur, ubi *recumbitur super pectus Jesu*. In *pectore* est cor hominis, in corde sapientia. Vera etenim sapientia imbuitur, collustratur qui divini saporis aliquid *in cœna* dominica percipere meretur. Sed quæ et qualis est ista *cœna*? *Cœna* utique dulcis, copiosis exuberans ferculis, *cœna*, dico illa, quando Deus accedit ad cor hominis, et cor hominis illuminatur, et aut timore peccatorum tangitur et compungitur, sive amore Dei et æternorum desideriis accenditur et inflammatur. Quæ nimirum *cœna*, sive timore vel amore Dei conficiatur et paretur, vere convivium Domini, per quod ipse reficiatur et jocundetur, esse probatur, quia cibus et esca ejus est utique salus nostra. In qua videlicet *cœna* homo *recumbit*, dum seipsum veraciter in humilitate recognoscit. Et in hac cognitione se et sua omnia Deo fideliter et intime ex toto corde commendare potest.

57 In hoc beato recubitu utitur plerumque his verbis dicens ad Dominum: *Domine, quis est qui tradet te?* Quod idem est, ac si dicat: *Domine*, qui habitator es humani cordis, ostende mihi meipsum, ut sciam, ubi, quomodo, quoties *tradiderim te* Judæis, id est malignis spiritibus; quot enim malignis operibus, injustis cogitationibus, inutilibus verbis coram te deliqui, *traditio tui* erat, qui habitator esse debueras cordis mei. Et quia ita *te tradidi*, adhibita mihi de præteritis pœnitentia sic in futurum custodi, ut non sit amplius in me quod *tradat te*. Sequitur:

Hunc ergo cum vidisset Petrus, dicit Jesu: Domine hic autem quid? Quid est *videre Petrum hunc discipulum*, nisi unum eumdemque hominem, qui per *Petrum* figuratur, divinæ contemplationis habere

A spiritum? Quem *cum viderit*, hoc est qualis internæ suavitatis gustus sit, prælibaverit, anxius et dolens, quod nondum teneat in re quod tamen habet in spe, interrogat dicens intra se: *Domine, hic autem quid?* His verbis duo quidam, affectus scilicet et effectus contemplationis innuitur; in *hic*, quod est verbum demonstrativum, intelligi potest, quod homo præsentialiter sapit et videt per affectum, in *quid*, quod nondum comprehendere vel videre potest per effectum. Sapit enim interdum aliquid de Deo, et aliquid non sapit: ex parte illuminatur, et ex parte cæcitate tangitur. Et unde hoc, ut aliquid sapiat, aliquid non sapiat, aliquid ex parte videat, aliquid est parte non videat? Ob id utique, quia disjunctiva conjunctio *autem*, quæ inter *hic* et *quid* posita est, hoc

B retardat, et quasi quodam obstaculo impedit et obsistit. Et quænam est illa disjunctiva conjunctio? *Corpus* nimirum, *quod corrumpitur* et *aggravat animam* (*Sap*. IX, 15), quod spiritum tendentem sursum semper deprimit et dejicit deorsum. Quandiu enim in hoc mortali corpore subsistimus, ex parte Deo conjungimur, et ex parte disjungimur, et plenarie, sicuti vellemus, Deum videre non possumus. Unde quia homo contemplativus pro hac disjunctiva conjunctione semper dolet, audiat, quid Petro Dominus dixerit:

Si sic eum volo manere, donec veniam, quid ad te? tu me sequere. Ac si quemlibet electorum suorum Dominus **58** consoletur et dicat: *Si sic volo* fieri, ut lumen claritatis meæ in præsenti partim aperiam,

C partim abscondam, hoc tantum tibi restat ut *me sequaris*, hoc est per vestigia mea, quantum in te sit, humiliter gradiaris, quia quando corruptibile hoc deposueris, et incorruptibile receperis, ad plenum *quid* pervenies. Quod autem homo ille aliorum profectui debeat deservire, sequentibus verbis insinuatur, dum subinfertur:

Exiit ergo sermo iste inter fratres quod discipulus ille non moritur. Sermo iste, sermo est contemplationis, qui tunc *inter fratres*, inter eos dico qui fraternam charitatem tenent, *exit*, quando ad profectum et utilitatem multorum pervenit. Exeunte hoc sermone *discipulus ille*, id est gustus contemplationis, *non moritur*. Quid est dicere, *non moritur?* Quod moritur, perit, et sine fructu erit. Sic, sic *discipu-*

D *lus* iste *moreretur*, et quasi quodammodo periret, si ad ædificationem aliorum non *exiret*. Istud enim donum contemplationis in nullo homine ob hoc solummodo Deus operatur, ut ei soli proficiat interius, sed ut aliis proficiat exterius. Sed unde hoc, quod *discipulus iste non moritur?* Licet non concordet littera, occultis tamen verbis notat evangelista, *et non dixit Jesus, quia non moritur, sed sic eum volo manere, donec veniam, quid ad te? Jesus* enim, id est *salutaris* noster, cujus *dicere* est facere, bonum illud, quod in corde contemplativi hominis operatur, *vult* ut *non moriatur*, hoc est ut non illi solummodo proficiat, et illi soli operetur, cui operatur; sed ut per eum ad aliorum utilitatem et fructum *exeat*. Sed *sic eum volo manere, donec veniam, quid ad te?* Vo-

luntas, inquam, mea est ut spiritus meus, quem tibi dedi, *maneat* in te, et in te manens *non moriatur*, sed exeat et fructum afferat, et ita exeat de corde tuo, *donec veniam* per *quid*, hoc est per gustum dulcedinis meæ, *ad te*, *ad te* dico, quicunque es, qui formam *Petri* geris, et per te ad eos, qui nondum hoc donum percipere meruerunt. Vel *sic volo*, ut *maneat*, quatenus ad plenum *quid* nunquam pervenias, donec corpus incorruptibile recipias, quia recepto corpore immortali ad illud quod tibi modo *quid* est, pleniter pervenies, perfecte comprehendes. **59** Quisquis igitur et in activa et contemplativa vita eo, ut diximus, ordine processerit, bene de eo dici poterit, quod sequitur : *Hic est discipulus ille qui testimonium perhibet de his, et scripsit hæc*, *et scimus quia verum est testimonium ejus.* Quemcunque etenim suorum Deus Pater taliter, ut audistis, illuminaverit, invisibiliter aliquid de secretis suis docuerit, fidele *testimonium de his*, quæ didicit, novit *perhibere*, et quæcunque iste docendo, *scribendo* attestatur, nulli dubium quin *verum* sit *testimonium ejus*.

Nos itaque, fratres dilectissimi, qui necdum in activa vel contemplativa vita Domino Deo nostro placere potuimus, studeamus, ut adhuc ex actibus et conversatione nostra ac moribus ita nobilitari mereamur, quatenus digni efficiamur, *discipulum* hunc, id est spiritum divinæ agnitionis et adoptionis accipere, ut ad plenum *quid*, ad plenum scilicet gaudium perveniamus per verum et unicum Filium Dei, qui vivit et regnat per infinita sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XIII.

IN FESTUM CIRCUMCISIONIS DOMINI PRIMA.

Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus Jesus (*Luc.* II).

Notandus est ordo verborum, quia evangelista ait : *Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer*, cum adhuc minime completi essent *dies octo*, sed consummatis septem diebus, octavo die circumcisus sit puer Jesus, sanctus evangelista non solum circumcisionem Jesu Christi, quæ visibiliter facta est, hoc loco notavit, sed et circumcisionem, quæ in corpore Christi, id est in electis ipsius quandoque perficienda erit, oculis cordis intuens, figuraliter hanc expressit et præsignavit.

Septem dies sunt, quibus præsens mundus volvitur, in quibus salvandus quisque a peccatis circumcidi debet; octavus vero dies dies est resurrectionis, quo peracto electi *circumcidentur* ab omni miseria animæ et corporis. In hujus namque mortalitatis tempore, quantum Deo donante possunt, a peccatis et vitiis semetipsos *circumcidere* pœnitendo satagunt. Sed nullus, licet sanctus, licet perfectus, quandiu in corruptibili corpore manet, a miseria ad plenum *circumcidi* valet. *Consummatis* vero *octo diebus*, post transactam videlicet generalem resurrectionem, *cum corruptibile hoc induerit incorruptionem* (*I Cor.* XV, 53), tunc sancti et electi vere atque perfecte *circumcidentur* ab omni miseria, quæ deinceps eis nunquam appropinquabit, nec in corpore nec in anima.

Et bene dicitur, *cum circumcideretur puer*. Per *puerum* non injuste accipiendus **60** est populus Christianus, qui propter *puritatem* fidei, qua in Deum credit, et per quam salvandus erat, *puer* congrue nominari poterit. Hic ergo *puer*, cum post resurrectionis gloriam ab omni, ut diximus, circumcidetur miseria, tunc vere implebitur, quod subjungit evangelista, *vocatum est*, inquit, *nomen ejus Jesus*. *Nomen* ideo homini imponitur, ut qui incognitus erat, per *nomen* agnoscatur. *Nomen* hoc *Jesus*, quod *Salvator* sive *Salutaris* dicitur, eidem puero, populo, inquam, Christiano bene convenire videtur, quia post peractam resurrectionem plenam et perfectam salutem in anima et corpore consequetur, quam nemo in hac mortali carne positus, quamvis sancte, quamvis juste vixerit, ad plenum obtinere merebitdr. In hac etenim fragilis vitæ miseria nullus perfectæ salutis adipisci valet gaudia. Nam qui hodie gaudet de sanitate corporis, cras fortasse dolebit repentinis præventus incommodis. Sic et qui hodie de salute animæ gloriatur et gaudet, cras fortassis graviter et miserabiliter se deliquisse ingemiscit et dolet. Peracto vero die universalis judicii, cum puer iste, populus scilicet Christianus ab omni corporis et animæ miseria perfecte fuerit circumcisus, tunc recte vocabitur *nomen ejus Jesus*, quia tunc veræ salutis bonum, quid vel quale sit, plenarie cognoscere et experiri incipit. Ut autem nullus suis meritis ad hanc salutem se pervenire posse credat, evangelista in sequentibus declarat :

61 *Quod vocatum est*, inquit, *ab angelo, priusquam in utero conciperetur*. Quod dicit *vocatum*, idem est ac si diceret *prædestinatum*. Quicunque enim a Deo salutari suo *vocati* et prædestinati non sunt, ad hoc *salutare nomen* attingere nullatenus possunt. Unde salvandus quisque scire debet et in magna cordis humilitate perpendere, quod nunquam suis meritis, vel bonorum operum suorum virtute ad veram et æternam salutem poterit pervenire, sed ad hanc se a Deo prædestinatum fuisse, *antequam* vel *in utero* matris carnalis *conciperetur*, vel *in utero* matris spiritalis, quod est Ecclesia, renasceretur.

Ad hæc forsitan aliquis tacita cogitatione dicit : Si nemo salvabitur, nisi qui prædestinatus est a Deo, ut quid laboro, ut quid meipsum affligo, aut cur hujus sæculi gaudiis et voluptatibus perfrui non debeo? Si prædestinatus sum ad vitam, salvus ero; si vero prædestinatus non sum, salvus esse non potero. Non sunt hæc verba hominis sapientis, sed prædestinationem Dei præsumptuose investigare volentis. Est enim, quasi superbiendo dicat : Domine, si vis, salvus esse potero; si vero non vis, quomodo salvus ero? Quicunque talibus tam inutilibus semetipsum cogitationibus irretire et occupare non metuit, divinæ gratiæ et misericordiæ omnimodis ingratus et contrarius existit. At contra homini cuilibet beato ad veram salutem tendenti, spem suam

in Domino Deo ponere cupienti, tam vana, tam inutilia cogitationum phantasmata omnino aliena debent esse et extranea, ac prædestinationem Dei, et profundam judiciorum ejus abyssum, quam comprehendere non valet, audacter investigare non præsumat vel scrutari, sed corpus suum et animam omnesque sensus utriusque hominis devote et humiliter in servitutem illius, a quo accepit, redigat, strenue seipsum in omnibus Deo placitis actibus exercere studeat, carnem suam, quantum humana permittit fragilitas, laboribus substernat et subjiciat, cumque omnia, quæcunque Deo adjuvante potest, anima et corpore bona perpetraverit, debet semetipsum divinæ gratiæ committere, et in humili conscientia interno arbitro [*cod.* arbitri.] supplicare, ut servitutem suam omnesque labores suos acceptabiles sibi faciat, et sua gratuita pietate inter prædestinatos suos eum dignetur annumerare.

62 Quamvis, ut diximus, occultum divinæ prædestinationis consilium humanæ notitiæ omnino sit incognitum et absconditum; tamen qui sint ad vitam prædestinati, aliquantulum conjicere possumus de verbis beati Pauli apostoli, qui ait: *Quos prædestinavit, hos et vocavit, et quos vocavit, hos et justificavit, quos autem justificavit, illos et magnificavit* (*Rom.* VIII, 30). Ad quos igitur respiciant hæc duo verba, primum videlicet et ultimum, *prædestinavit et magnificavit*, innuunt nobis duo verba in medio posita, *vocavit* scilicet *et justificavit*. Nam in quibus fit vocatio et justificatio, ad hos respicit prædestinatio et magnificentia. Quos enim a vanitate hujus sæculi per prævenientem pietatis suæ gratiam *vocare* ad conversionem, et *justificare* dignatur per bonam conversationem, hos nimirum esse credimus quos mira sua ad hoc *prædestinavit* dispensatione, ut quandoque æterna *magnificentur* glorificatione.

Sic ergo ab æterno prædestinatis et misericorditer vocatis et justificatis, et in futuro æternaliter magnificandis *nomen* hoc salutare, ut prædiximus, imponetur *Jesus*. Nam non sine certi causa mysterii evangelista Redemptorem nostrum simplici tantum nomine *Jesum* vocavit, quem Isaias propheta sex nominibus mystice prænotavit dicens: *Vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis* (*Isai.* IX, 6). Evangelista, ut credere possumus, prævidens ea quæ in corpore Jesu Christi, id est in Ecclesiis suis quandoque gerenda erunt, solummodo *Jesum* figuraliter eum nominavit; propheta vero spiritali cordis intuitu considerans, quæ in sola Christi persona adimplenda erant sex supra memoratis nominibus appellavit. Nam *Admirabilis* fuit in incarnatione, *Consiliarius* in prædicatione, *Deus* in miraculorum operatione, *Fortis* moriendo, *Pater futuri* [*sæculi*] resurgendo, *Princeps pacis* erit remunerando.

Admirabilis, inquam, fuit in incarnatione; quia incarnationis suæ mysterium tam mirabiliter operari voluit, quod nullus hominum, quamvis justus, quam-

A vis sanctus, quantalibet etiam plenitudine scientiæ fulgeret, suo sensu vel intellectu comprehendere potuit vel poterit, quomodo factum sit ut Deus homo fieret, divinam et humanam naturam in unam **63** personam simul conjungeret et connecteret. Amicus etiam Sponsi, Joannes Baptista, cui inter natos *mulierum* non surrexisse majorem ipse Salvator testatur, mirabile incarnationis ejus mysterium intuens ait: *Cujus non sum dignus corrigiam calceamenti solvere* (*Luc.* III, 16). Corrigia calceamenti ejus est conjunctio divinæ et humanæ naturæ ipsius. Hanc mirabilem et inscrutabilem divinæ et humanæ naturæ conjunctionem electus Sponsi paranymphus dicit se *non dignum* esse *solvere*, hoc est non se dignum esse sui intellectus subtilitate perscrutari vel B cognoscere. In hoc etiam *admirabilis* fuit in Incarnatione, quia de Spiritu sancto conceptus, sine peccato de Virgine matre est natus, solus sine peccato inter peccatores est conversatus.

Qui sic *admirabilis* in incarnatione exstitit, novæ salutis consilia hominibus dando *Consiliarius* fuit. Talia namque dedit consilia, quæ antea mundo inaudita erant et incognita. Sic in Evangelio quodam loco legimus, quia cum adolescens quidam ad eumdem Salvatorem nostrum venit et interrogavit eum quid faciendo vitam æternam possideret, ait illi: *Serva mandata* (*Matth.* XIX, 17). Cui interroganti, quæ illa essent mandata, decem legis proposuit præcepta. Qui cum diceret: *hæc omnia servavi a juventute mea*, ait illi: *Si vis perfectus esse, vade et vende* C *omnia quæ habes, et da pauperibus, et veni et sequere me, et habebis vitam æternam* (*ibid.*, 20, 21). Hoc est, inquam, novum et inauditum *consilium* a Redemptore et amatore hominum benignissimo salubriter editum, ut homo voluntariam paupertatem amplectendo, pauperem Christum devote sequendo, nihil in hoc mundo possideat, sed spe cœlestis patriæ cuncta prorsus abjiciat et contemnat.

Tali igitur modo mediator Dei et hominum factus *Consiliarius* prædicando, *Deus* congrue nominatur miracula faciendo. Non enim, ut propheta orando, sed ut *Deus* mirabilia operatus est imperando. Elias namque, et Eliseus aliique prophetarum quamplurimi miracula multa faciebant, mortuos etiam sus- D citabant, sed ut hæc facere possent, orationibus apud Deum impetrabant. Solus autem Salvator noster fecit ut *Deus*. Nam sola suæ potentia majestatis miracula faciebat, solo verbo mortuos suscitabat, quemadmodum Lazaro quatriduano potenter ait: *Lazare, veni* **64** *foras* (*Joan.* XI, 43). Et in alio loco: *Adolescens, tibi dico: surge* (*Luc.* VII, 14). Filiam quoque archisynagogi solo jussu ad vitam revocavit (*Marc.* V, 41).

Sic profecto qui *Deus* erat miracula faciendo, *Fortis* utique fuit moriendo. Magnæ quippe fortitudinis virtus erat, quod ille, qui melius et perfectius quam ullus mortalium scire possit, dolorem et amaritudinem mortis noverat, hanc eamdem amaritudinem gustare et in se ipso experiri non renuit, sed

crudelem et diram mortem crucis, nostræ causa salutis imperterritus subire voluit.

Qui ergo tam mirabili fortitudine præcinctus, mortem mortisque principem triumphans *fortis* erat moriendo, *Pater futuri sæculi* factus est resurgendo. Resurgens namque a mortuis, Pater omnium, quos prædestinavit cohæredes fieri paternæ suæ hæreditatis, resurrectione sua omnibus filiis suis dedit spem futuræ glorificationis et immortalitatis, et sicut ipse post resurrectionem suam factus immortalis et impassibilis apparuit quibus voluit, fuit ubi voluit, et ad discipulos suos clausis ingressus est januis, ita et electos omnes in futuro sæculo ditabit et glorificabit æterno beatæ immortalitatis et incorruptionis præmio, ut ubicunque voluerit esse spiritus, ibi protinus sit et corpus.

Et qui sic *Pater futuri sæculi* factus est in resurrectione, *Princeps pacis* erit in remuneratione. *Postquam* enim *consummati* fuerint *dies octo*, quos supra memoravimus, et *puer Jesus*, id est populus Christianus æternæ salutis gratia sublimatus, ab omni miseria corporis et animæ *circumcisus* fuerit, tunc vere Redemptor noster *Princeps pacis* erit. Nam electos suos tam firma, tam stabili *pace* firmabit, et consolidabit, ut spiritus et animæ justorum nil præter Deum solum desiderent, quærant, et diligant, et caro adversus spiritum nil ultra repugnando concupiscat, sed in turribus cœlestis Jerusalem perpetua pacis tranquillitate fruentes, et *Principem pacis*, remuneratorem, inquam, suum ac hujus pacis largitorem facie ad faciem videntes, cum ipso sine fine glorientur, in ipsius laude sine fastidio delectentur et jucundentur. Ad hanc pacem perducat nos ipse, qui est pax vera, Jesus Christus Dominus noster, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

65 HOMILIA XIV.

IN EPIPHANIAM DOMINI PRIMA.

Cum natus esset Jesus in Bethlehem Juda in diebus Herodis regis (*Matth.* II).

Dominus et Salvator noster, Rex regum et Dominus dominantium, qui ideo venit in mundum, ut peccati destrueret regnum, qualiter adhuc in electorum nascatur cordibus, quos regni sui cohæredes fieri disposuit, evidenter evangelista describit :

Cum natus esset, inquit, *Jesus in Bethlehem Juda in diebus Herodis regis*. Gloriosi et felices *Magi* isti, qui regali magnificentia famulabantur nato Regi cœlesti, sicut primitiæ erant gentium, sic non inconvenienter eos exprimunt, qui aliquando ritu gentium sine Deo in mundo vixerunt, sed cœlestis gratiæ splendore illuminati ad veram cognitionem pervenerunt Creatoris sui. *Herodes* autem iste, in cujus *diebus* natus est Christus Jesus, singularem peccati auctorem, hostem videlicet antiquum, exprimit. *Dies* ejus, in quibus regnare dicitur, omne hujus mortalitatis tempus non injuste accipitur, in quo ipse rex nefarius regnare permittitur tentando electos, sed ipsis tentationibus probabiliores red-

A dendo, reprobos vero tentationum stimulis in voraginem æternæ damnationis trahendo et seducendo. In istis tamen nefarii hujus tyranni *diebus nascitur* nonnunquam *Jesus* in electorum suorum cordibus, in illa nimirum sancta congregatione, ubi hoc rei perficitur veritate, quod *Bethlehem* et *Juda* mystico designavit nomine. Bethlehem quippe *domus panis*, Juda vero *confessio* interpretatur. *In Bethlehem Judæ Dominus Jesus nascitur*, quia cum sit ipse Rex gloriæ, ibi potissimum nascendi eligit locum, ubi sanæ doctrinæ panes abundant, quibus anima fidelis reficitur, ne fame pereat; ubi fidelium multitudo conversatur, quæ per studium vitæ laudabilis 66 veram Deo exhibet confessionem laudis. Quantæ autem magnitudo gratiæ sequatur, ubi ta-

B lis Rex et Dominus virtutum nascitur, verbis sequentibus evangelista insinuare videtur :

Ecce magi ab oriente venerunt Jerosolymam dicentes : Ubi est qui natus est rex Judæorum? Mox enim, ut puer hic nobilis, puer, inquam, singularis innocentiæ et puritatis, in electorum ortus fuerit cordibus, *veniunt magi Jerosolymam*, dum peccatores conversi ad propriam redeunt conscientiam, sollicite et vigilanter considerantes omnes transactæ vitæ sordidas et perversas actiones. Cumque subtili mentis intuitu perspexerint quam viles, quam miseros et miserandos peccando seipsos fecerint, magna super semetipsos moventur misericordia juxta sapientissimi Salomonis verba : *Mi-*

C *serere*, inquiens, *animæ tuæ placens Deo* (*Eccli.* XXX, 24). Et quia Creatorem suum graviter se recordantur offendisse, veraciter eum student placare. Interrogant nonnunquam verbis magorum *ubi sit qui natus est rex Judæorum*, quia anxie requirunt quo labore, quo pœnitentiæ studio ab ipso Patre luminum adipisci valeant salutis et veniæ remedium.

Vidimus, inquiunt, *stellam ejus in Oriente, et venimus adorare eum. Stella* hæc visibilis invisibiliter exprimit splendorem internæ illuminationis, cujus suavissima visitatione ad se ipsos intra se reducti veraciter factorem suum *adornat*, dum imaginem Creatoris, iniquis operibus obnubilatam et abolitam, per continuum laborem ad pristinum stu-

D dent revocare decorem. Qui etiam merito dicuntur *ab Oriente venisse*. Nam veraciter dicere valent ore prophetico : *Visitavit nos oriens ex alto* (*Luc.* I, 78), quia nisi verus ille 67 Sol justitiæ corda illorum visitasset occulta ipsius inspiratione, nec inolitam vitiorum deserere consuetudinem, nec ad Deo placitam erigere se possent conversationem. Quod divinæ misericordiæ opus valde in diebus suis fieri dolet Herodes, hostis videlicet antiquus. Quia sicut eum valde lætificat, cum perversus quisque in suis perversitatibus usque in finem perseverat, sic gravem ei dolorem ingerit, cum per pœnitentiam et lacrymas de morte ad vitam redire studuerit. Unde recte dicitur in consequentibus :

Audiens autem Herodes rex turbatus est, et omnis

Jerosolyma cum illo. Dum enim videt quod is qui ut peccati servus suis hactenus subjacebat suggestionibus, excusso iniquæ dominationis jugo, corde et corpore subdere se decreverit Creatori suo, multimoda elaborat malignitatis suæ arte, ut animam ejus ab hac intentione valeat revocare. Nam nunc illa, nunc alia ejus objiciens oculis incommoda, trepidanti animo facit eum perpendere, quam durum sit et difficile propositum spiritalis vitæ. Sicque miro agit modo, ut *omnis Jerosolyma turbetur cum illo.* Facit enim, ut fidelis quælibet anima, quæ ad internæ pacis tendens gaudia per divinæ visitationis gratiam dici poterat *Jerosolyma*, tantis agitetur perturbationibus, ut inter amorem et metum posita, nesciat interdum quid potissimum valeat eligere, an prosequi debeat vitæ spiritalis propositum, an deserere. Sed humani generis inimicus ideo hominem ab hac intentione suis revocare studet fraudibus, quia graviter dolet, si quando homo regnum possideat per humilem pœnitentiam, quod ipse angelus perdidit per superbiam. Unde quanta sit super nos ejus invidia, evangelista innuit per verba mox sequentia :

Et congregans, inquit, *omnes principes sacerdotum et scribas populi, sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur.* Ipse enim hostis antiquus, licet per angelicæ naturæ subtilitatem multa soleat dignoscere, nequaquam tamen valet deprehendere quid in humano corde generatur, nisi exterioris hominis motibus vel signis experiatur. **68** Unde *principes sacerdotum et scribas populi congregat*, hoc est diligenter intendit, ubi sacram Scripturam per ora prædicatorum recitari audierit, si saltem per hæc addiscere valeat qua intentione homo ad Deum converti decreverit, si aut propter rerum inopiam, aut aliqua adversitatis occasione, seu sola Dei dilectione mundo et concupiscentiis ejus decreverit renuntiare. Novit enim quia facile mutatur voluntas, quam non divinæ dulcedinis gratia, sed subitæ præcipitationis inspiravit levitas. Unde cum sinceram et simplicem qualitatem intentionis perspexerit, nova præparat impietatis instrumenta, quemadmodum verba declarant evangelica.

Tunc Herodes clam vocatis Magis diligenter didicit ab eis tempus stellæ, quæ apparuit eis. Cum enim pœnitentis cujusque animum cœlesti jam desiderio inflammatum, firmiter in bona voluntate cognoverit fundatum, ad callida convertitur argumenta, duriora adhuc parat insidiarum machinamenta. Nam dum a bona intentione hominem revocare non prævalet, in ipso conversionis initio, latenter elationis vitio ferire nititur, quemadmodum mox sequitur :

Et mittens illos in Bethlehem dixit : Ite et diligenter interrogate de puero, et cum inveneritis, renuntiate mihi, ut et ego veniens adorem eum. Hæc sunt venenati serpentis verba, quibus in primordio conversionis incautum quemlibet, et minus adhuc circumspectum, dum a bona voluntate avertere non valet, ad appetendas hominum laudes persuadet, ut humana laude delectatus ab æterna mercede inanis remaneat et vacuus. Et est quasi dicat : Ecce, duras cœpisti vias ingredi, in quarum observantia multimoda passurus es laborum certamina. Sed nequaquam inanis et vacuus remanebit labor tuus. Nam cum per meritorum profeceris incrementa, et teipsum probatum servaveris in omnibus, eris et aliorum doctor eximius, pluresque tuæ imitationis exemplo cœlesti subjicientur magisterio. His diabolicis suggestionibus qualiter electi obviare debeant, gentium primitiæ, magi scilicet **69** isti patenter insinuant, de quibus sermo evangelicus narrat :

Qui cum audissent regem, abierunt. Hostis quippe humani generis colloquium suum tunc habet cum electis, cum ad meditandum inania, ad cogitandum eos persuadet illicita, sed quia per delectationis consensum malæ suggestionis verba non suscipiunt, loquentem tantum *Herodem audiunt*, sed muti et sine responsis *abeunt.* Nam tanto levius despiciunt verba diaboli, quanto crebrius utuntur colloquio Dei. At contra reproborum animus, quia nil sapit de verbis cœlestibus, quoties pravis suggestionibus impellitur, ad consensum facile inclinatur : quia dum spiritalis doctrinæ exhortamenta audire renuit, sermoni diabolicæ illusionis diligenter intendit. Quanta vero divini splendoris illustrentur gratia, qui carnalis vitæ despiciunt delectamenta, verba innuunt mox sequentia :

Et ecce stella, quam viderant in oriente, antecedebat eos. Ut enim ait beatus Gregorius : *Si a carne hoc quod libet abscidimus, mox in spiritu quod delectet invenimus.* Mox enim ut Herodes cum omni subdolæ artis suæ fallacia contemnitur, ille qui est splendor æterni Patris, tenebrosa dudum per tentationem corda suæ visitationis illustrat et accendit gratia, ut quid agendum, quidve vitandum sit videant, et ad implenda quæ viderint convalescant.

Notandum etiam quod magi, quandiu apud Herodem detinentur, stellam, quæ dudum emerserat, non videant ; mox autem, ut ei terga per contemptum verterunt, ducem sui itineris stellam invenerunt. Sic, sic, cum tentatio valida nobis ingruerit, splendorem contemplationis intimæ vera Divinitas a nobis abscondit ; cum vero ipsa adjuvante ab animo aliquantulum expellitur, claritas desideratæ dulcedinis exoritur. Eadem vero divinæ illuminationis gratia, cum ita frigida hominum corda intimi fervoris accenderit flamma, apud quos permaneat, **70** vel in quibus mox refrigescat, ordo sequentis narrationis indicat :

Usque dum veniens staret supra domum, ubi erat puer. Ut enim ait Psalmographus : *Non est qui se abscondat a calore ejus* (*Psal.* XVIII, 9). Visitatio missa ab altissimo nonnunquam quorumdam corda ita penetrat, ut etiam in fletibus compungantur. Sed quia post lacrymarum tempus ad consuetæ pravitatis redeunt opus, *stella* apud eos non stat, quia compunctionis virtus nequaquam in eis perseverat. Electi

vero, qui totam cordis intentionem in solo fixerunt amore Conditoris, apud eos *stella* ista statum suum firmavit, quia ad æternitatis gaudia, quæ in contemplationis gustaverunt gratia, jugi meditatione recurrere festinant, et quo sæpius de patriæ cœlestis memoria mens eorum tangitur, eo validius pro acquirenda ejusdem patriæ claritate inflammatur. In his etiam *puer* iste, auctor, inquam, singularis innocentiæ, quantum in hoc mutabilitatis tempore est possibile, stabile habet esse; quia quandiu in exsilio degunt, bonitatis ejus solatia eis non deerunt. Nam quale, quam ineffabile sit illud gaudium, quo post tentationum nubila lætificari merentur electorum corda, verbis sequentibus magnifice insinuat evangelista :

Videntes autem stellam, gavisi sunt gaudio magno valde. Quod enim non simpliciter ait, *gaudio magno*, sed cum additamento quodammodo : *gaudio magno valde*, illud nimirum intelligi voluit quod gaudium hoc ineffabile sit et immensum, omnem excedens narrationis modum, quo electi licet in speculo et in ænigmate, Deum deorum videre merentur in Sion. *Gaudent* siquidem *gaudio magno valde*, cum licet inclusi terreni corporis carcere gloriam illam, quamvis raptim, contemplari merentur, qua cives patriæ cœlestis plenarie utuntur. Hæc est illa excellentissimæ dignitatis gloria, quam beatus Paulus apostolus notare videtur, cum se *raptum usque ad*
71 *tertium cœlum* gloriatur, *ubi arcana verba audivit, quæ non licet homini loqui* (*II Cor.* XII, 2). Felices isti, qui, licet gravati terrenæ habitationis exsilio, per mentis contemplationem appropinquare merentur universitatis Domino! Nam qualis sit virtutis illorum magnificentia, plenius adhuc insinuare videntur verba evangelica.

Et intrantes domum invenerunt puerum cum Maria matre ejus. Quoties enim *domum* mentis introeunt, quem alium ejus habitatorem, nisi ipsum munditiæ et integritatis auctorem inveniunt? *Cum Maria*, inquit, *matre ejus. Mater Jesu* eadem est quæ et sponsa fidelis, revera quælibet anima. Quæ mater Domini et sponsa *in domo* mentis *cum puero* invenitur, quando mira pietatis dignatione solus cum sola dulcia miscens colloquia, incendio ardentissimæ dilectionis liquefactam per divinæ visitationis recreat gratiam. Inter hæc tantæ familiaritatis verba quid electi agant, ordo sequentis narrationis declarat :

Et procidentes adoraverunt eum. Sola quippe Deo ab electis vera tunc exhibetur adoratio, cum coram ejus celsitudine tota se mentis et corporis dejectione student submittere. Hinc Psalmista insinuans, qualiter adorare conveniat Altissimum : *Venite*, inquit, *adoremus, et procidamus ante Deum* (*Psal.* XCIV, 6). Ille ergo veraciter Deum adorando procidit, qui agnita Conditoris sui magnitudine, terram se et cinerem ex intimo credit corde. Multum orantibus, frequenter etiam jejunantibus, multoque labore sudantibus talem nequaquam gratiam præ-
A stabit Dominus, qualem soli humilibus, alia teste Scriptura, quæ dicit : *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (*I Petr.* V, 5).

Et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus et myrrham. Thesaurus dicitur, non ubi modica auri et argenti possessio, sed ubi infinita pretiosorum et desiderabilium quorumlibet habetur collectio : *Thesaurus* enim a Græco *thesis* (θέσις), quod Latine *depositio* dicitur, nomen sortitur. Electi igitur regi Sabaoth inclyto *thesauros aperiunt*, dum bonæ conversationis meritum, sanctæ meditationis studium et perfectæ integritatis commercium, **72** non sibimetipsis, sed donis gratiæ ipsius attribuunt. Quæ profecto munera majestati divinæ offerenda omni homini, tam inopi suppetunt quam diviti,
B tam egenti sufficiunt quam abundanti, si tamen cui tribuendi deest facultas, bona non desit voluntas. Nam si bona suppetat voluntas, re exigua cœlorum comparatur possessio eximia, quia, ut beatus Gregorius dicit, *regnum cœlorum tantum valet, quantum habes, majoris siquidem pretii fuerunt duo mulieris viduæ minuta, quam opulenta divitum et potentum munera. Obtulerunt*, inquit, *ei aurum, thus et myrrham.* Per *aurum* cœlestis sapientiæ nitor exprimitur, quemadmodum per Salomonem dicitur : *thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis* (*Prov.* XX, 21). Quæ profecto sapientia, quia desursum est, ab eo utique, qui in superis habitat, postulanda est, sicut Jacobus hortatur apostolus : *Si quis*, inquiens, *indiget sapien-*
C *tia, postulet a Deo* (*Jac* I, 6). *Thure* vero, quod divinis incenditur altaribus, orationis exprimitur virtus, Psalmista testante, qui ait : *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo* (*Psal.* CXL, 2). *Myrrha* autem, qua mortuorum corpora solent condiri, ne facile valeant putredine consumi, mortificatio designatur carnis, quæ fidelium conscientias temperare consuevit ab operibus mortuis. In *auro* igitur potentissimi regis vultum honorare student, qui sensum nulla prava intentione fuscatum Deo, exhibent, quem si veraciter obtinere cupimus apud Deum mundissimarum precum thymiama jugiter est in ara cordis adolendum. Ut autem suave redoleant orationis incensa, continentia carnis, qua
D vitiorum putredines exterminantur, incessanter est admiscenda.

Potest etiam in *auro*, quod fulget cæterisque metallis supereminet cordis intelligi devotio; *thus* vero, quod boni odoris fragrantiam præstat, bonæ operationis suavitatem significat; *myrrha* autem, qua mortuorum, sicut diximus, corpora condiuntur, ne putredine contabescant, veram cordis humilitatem præfigurat. Hæc sunt tria illa pretiosa munera, omni homini ad veram salutem tendenti omnino necessaria. **73** *Aurum* quippe offerre est tota nos cordis devotione ad Deum et ea quæ Dei sunt extendere. Auro vero *thus* adjungimus, dum bonam quam ad Deum habemus voluntatem, bonis operibus ostendimus, ut dicere cum Apostolo possimus :

Christi bonus odor sumus Deo in omni loco (*II Cor.* II, 15). A Auro et thuri *myrrham* adjungimus, quando neque pro bona nostra devotione, neque pro bona nostra operatione nobismetipsis aliquid tribuimus, sed soli Deo in vera cordis humilitate simpliciter ascribimus, dicentes cum Propheta : *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam* (*Psal.* CXIII, 1). Non enim sufficit Deo *aurum* et *thus*, si desit *myrrha;* quia nulla nostra actio sine humilitate Deo est accepta. Hinc dicit propheta : *Omnes de Saba venient, aurum et thus deferentes, et laudem Domino annuntiantes* (*Isai.* LX, 6). Quod evangelista *myrrham* nominat, propheta *laudem* appellat, quia quicunque in semetipso carnales suos sensus ita mortificat, quod pro nullis suis meritis suam, sed Dei gloriam **74** quærit, hic vere *laudem Domino* annuntiat. B Sequitur :

Et responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam regressi sunt in regionem suam. Electorum corda, dum in secreto conscientiæ cubili a mundi strepitu beato meruerunt *somno* sopiri, inter ipsa intimæ quietis silentia, fidelia accipiunt responsa, ut alio actionum itinere beatitudinis debeant patriam repetere. Debent siquidem humilitatis pede elationis gressum commutare, debent inobedientiæ tramitem per angustum detergere subjectionis callem, ut humiles et subditi regni obtineant gloriam, qui rebelles et elati exsilii meruerunt ærumnam.

Quia ergo utcunque agnovimus, quo actionum C itinere ad patriam cœlestem debeamus redire, studeamus *viam* præsentis sæculi his operationum passibus ingredi, ut, mutato mortis hujus corpore, cum immortali sæculorum Rege gaudere quandoque liceat immortalitatis regione per infinita sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XV.

IN EPIPHANIAM DOMINI SECUNDA.

Sacrosancta solemnitas, quam hodierna die celebramus, Epiphania vocatur, quod Latine *manifestatio* seu *apparitio* interpretatur. Tres enim manifestationes sive apparitiones Domini in hac die solemniter recolimus, quibus in diebus carnis suæ manifestari et apparere voluit hominibus.

Prima apparitio vel manifestatio ejus facta est in D primordio nativitatis ipsius, quando insolita novæ stellæ luce Magi illuminati, ipsius ducatu ad præsepe nati Salvatoris venerunt, et, adorato eo, apertis thesauris suis tria munera pretiosa, aurum, thus et myrrham ei obtulerunt. Secunda vero manifestatio vel apparitio facta est ad fluenta Jordanis anno Incarnationis ejus tricesimo, quando ipse creator et recreator omnium solus liber et mundus ab omni labe criminum inter alios peccatores venit ad Joannem, ut baptizaretur ab eo, ubi cœli aperti sunt ei, et vidit Spiritum Dei in columbæ specie descendentem et venientem super se, et vox facta est de cœlo, dicens : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* (*Matth.* III, 17). Tertiam vero manifestationem in Cana Galilææ legimus esse factam, ubi in nuptiis convertit aquam in vinum, et manifestavit gloriam suam. Quæ omnia, licet diversis temporibus facta memorentur, in unum tamen diem collecta, Christiana devotione venerabiliter recoluntur.

Redemptor igitur noster, sicut omnia incarnationis suæ mysteria nostræ causa salutis operari disposuit, sic et trina hæc trinæ manifestationis vel apparitionis suæ miracula non propter se, sed propter nos in seipso ostendere et complere voluit, per quas non solum tunc, cum homo visibilis in carne visibili apparuit, corporaliter et visibiliter hominibus innotescere et manifestari voluit, sed per has corporales apparitiones sive manifestationes mystice præfiguravit et præsignavit, quomodo quotidie spiritaliter et invisibiliter homini **75** cuilibet beato seipsum manifestet, et per internæ visitationis suæ gratiam appareat, vel qualiter ipsum hominem beatum et electum in conspectu divinæ majestatis apparere oporteat.

Videamus ergo quis sit dies iste magnus et præclarus, trina Salvatoris apparitione vel manifestatione decenter adornatus et sanctificatus. Dies iste præclarus et sanctificatus est homo quilibet salvandus, qui stella supernæ illustrationis et visitationis illuminatus, abjectis sæcularis vitæ tenebris stella ducente, divina, inquam, gratia præveniente, Christi quærit et invenit præsepe. Per præsepe spiritalis vitæ conversatio non injuste accipitur, tam propter stabilem disciplinæ observantiam, quam districtæ custodiæ rigorem ac perpetuæ clausuræ circumseptionem, nec non propter alia quam plurima spiritalium artium instrumenta, quibus cum summa providentia laudabilis illorum vita adornatur, et, ut ita dicam, firmiter præsepitur, qui in summa cordis et corporis quiete Deo servire nituntur. Quotquot ergo illi beati sunt, qui cum fidelibus Magis non jam transitoria stellæ visibilis luce, sed incomprehensibili et invisibili divinæ inspirationis gratia illuminati ad Christi præsepe, ad rigorem dico spiritalis militiæ veniunt, hi procul dubio Jesum in præsepi, in congregatione, inquam, fidelium, spiritali institutione digne et laudabiliter viventium, suaviter cubantem et quiescentem inveniunt. Horum igitur beatorum hominum præsepi Dominico desiderabiliter accubantium dignissimo conventui, si Deo donante bonus aliquis magister et rector præsideret, ibi vere et satis digne dici valeret quod evangelista ait : *Invenerunt puerum cum Maria matre ejus.*

Interea quicunque se, ut dictum est, divinitus illuminatum cognoscit, nequaquam sufficere sibi credat quod ad præsepe Dominicum venit, quod ad desideratum spiritalis vitæ propositum jam transivit, nisi etiam trium Magorum exemplo tria munera pretiosa, *aurum, thus et myrrham* devote offerat Christo. Per *aurum* non incongrue accipitur veritatis cognitio, per *thus* bonæ operationis devotio

per *myrrham* laudis humanæ mortificatio. *Aurum*, A quod est veritatis cognitio, homo conversus debet offerre Deo, ut eminenti spiritalis intelligentiæ fulgore illustratus sciat reprobare malum et eligere **76** bonum, discernere inter verum et falsum cognoscat, quid sit agendum, quidve vitandum intelligat, et provido circumspectionis oculo considerat ac perpendat quid sit quod conspectui divinæ majestatis placeat, vel quid sit quod ei displicere et oculos ejus offendere valeat. Sed quia homini salvando nequaquam sufficit veritatis cognitio, necesse est ut et *thus*, quod est bonæ operationis devotio, voluntarie Domino offerat, ut veritatem, quam interioris sensus intelligentia cognoscere meruit, etiam bonis operibus exercere et complere studeat. Et quicunque per bonæ actionis studium B Christo devotus existit, suavissimam boni odoris frag[illegible] etiam de se sæpius emittit, quo non solum Deus delectatur, sed etiam plerique hominum laudabilis et virtuosæ conversationis ejus odore respersi salubriter ædificantur et reficiuntur, dum illorum exemplo terrena despicientes magis magisque amore virtutum et cœlestis patriæ desiderio accenduntur.

His duobus muneribus, auro, id est veritatis cognitione, thure, hoc est bonæ operationis devotione rite Deo oblatis, restat ut et myrrham, per quam intelligitur laudis humanæ mortificatio, offerre meminerit, sine qua perfectionis culmen nequaquam conscendere poterit. Cum enim veritatis cognitionem per bonæ operationis exercuerit devotionem, C debet laudis humanæ appetitum penitus in se mortificare, ne quando elationis vitium ei subrepat, quo pro bonis operibus suis ab hominibus laudari et magnificari quærat.

Hæc eadem tria munera, quæ evangelista narrat, electus Domini propheta Isaias satis aperte commemorat dicens : *Omnes de Saba venient, aurum et thus deferentes, et laudem Domino annuntiantes* (*Isai.* LX, 6). Hoc in loco evangelista et propheta bene sibi invicem concordare videntur, quia ubi evangelista nominavit *myrrham*, ibi propheta suppresso nomine myrrhæ, *laudem Domino annuntiantes* mystice prænotavit, et per hanc laudis humanæ mortificationem designatam evidenter quodammodo D exposuit, ostendens et quasi commonens, ut homo bonis operibus deditus propriam laudem penitus mortificando, nihil suis viribus suisque meritis attribuat, sed *laudem Domino annuntiando* soli sejus **77** Dei gratiæ totum, quod est, humiliter ascribat. Unde bene dicit : *omnes de Saba venient*. Saba *incendium* interpretatur. Nam de incendio divini amoris venit, si homo beatus hæc tria trinæ virtutis munera digne Deo obtulerit. Nisi enim igne divini amoris incendatur et inflammetur. nec veritatem cognoscere, nec per bonæ operationis devotionem Deo placere, nec laudis humanæ mortificationem in seipso habere merebitur.

Quicunque ergo est ille homo beatus, in quo Deus primæ manifestationis vel apparitionis suæ mysterium tam misericorditer operatur, quem stella sua, id est supernæ visitationis suæ gratia illuminatum, ad præsepe spiritalis, inquam, vitæ propositum perducere dignatur, quemque incendio sui amoris ita ardescere facit, quod tribus prædictis trium Magorum mysticis muneribus in conspectu Conditoris sui apparere satagit, in illo etiam felici et fideli homine secundam suæ manifestationis et apparitionis gloriam declarabit, quæ facta est ad fluenta Jordanis, ubi baptizato Domino cœli aperti sunt ei, et vidit Spiritum sanctum Dei in columbæ specie descendentem et venientem super se, et vox facta est de cœlo, dicens : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.*

Per fluenta Jordanis, quod *descensus* interpretatur non immerito accipere possumus ultimum vitæ finem cujusque hominis, qui ab ortu suo quotidie descendit et defluit ad mortem. Ad hunc descensum, id est ad finem vitæ cum electus quisque venerit, cum carnis debitum exsolverit, et mortalis vitæ miserias transierit, tunc vere cœli aperientur ei, et in columbæ specie videt venientem super se Spiritum Dei, quia tunc perpetua et inæstimabili miræ dulcedinis et mansuetudinis gratia perfusus et repletus ad instar columbæ in perpetuum erit sine felle, sine omni amaritudine. Multi etenim sancti et justi in hac vita multimoda et diversa sæpius accipiunt sancti Spiritus charismata, juxta quod apostolus Paulus ait : *Alii quidem per Spiritum datur sermo scientiæ, alii autem sermo sapientiæ secundum eumdem Spiritum* (*I Cor.* XII, 8). Sed tamen *in columbæ specie* plenarie non possunt habere Spiritum sanctum. Quantumcunque enim igne divini amoris incensi fortiter interius ardeant, quamvis præclaris virtutum meritis ornati exterius resplendeant, quamvis in benedictionibus **78** dulcedinis a Deo copiose præveniantur, tamen quandiu portant corpus corruptibile, quod aggravat animam, sæpius amaricari et vitiis ac peccatis in semetipsis irasci compelluntur.

Nonnulli etiam sanctorum, zelum habentes justitiæ, impios quosque et rebelles graviter insequendo plerumque vindictam inferunt, sicut de electis et præelectis Domini prophetis Moyse et Elia legitur, qui, zelo rectitudinis inflammati et armati, maximam in diebus suis iniquorum hominum multitudinem occidendo prostraverunt. At electorum animæ, deposito carnis onere ex angustiis laboriosi hujus certaminis liberatæ, cum cœlis apertis in illam jucundissimam æternæ pacis visionem fuerint translatæ, tunc demum *in columbæ specie* Spiritum sanctum plenarie accipiunt, quia inundanti divinæ dulcedinis rore perfusæ, perpetuæ simplicitatis et mansuetudinis gratia dotatæ, nunquam amplius aliquo felle amaritudinis vel contra seipsos, vel contra alium quemlibet moveri poterunt.

Ergo cuicunque post mortem suam sic cœli aperiuntur, et Spiritus sanctus in columbæ specie dabitur, ille etiam dulcissimam hanc æterni Patris

vocem audire merebitur *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Non dicit : Hic est servus meus vel ancilla, sive mercenarius, quia servus vel mercenarius mercedem quidem pro servitute sua a Domino suo accipit, hæreditatem vero nunquam accipiet vel possidebit. Sunt enim plerique in hoc sæculo, qui non pro æternis, sed pro temporalibus bonis Deo serviunt, qui etiam servi et mercenarii mercedem, non filii hæreditatem accipiunt, dum terrena voluptate et prosperitate pro libitu suo utuntur, dum divitiis, potestatibus et honoribus inflati secundum desideria cordis sui extolluntur. Hunc vero beatum et præelectum hominem, quem tam mira et inæstimabili dignatione intra sinum incomprehensibilis et inexhaustæ suavitatis suæ suscipere dignatur, ineffabili paternæ pietatis voce emissa dulcissimis et jucundissimis his verbis alloquitur : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Hic est,* inquam, *Filius meus dilectus*, cohæres regni mei perpetuus, qui mihi non servili timore, sed filiali amore cum amabili dilectæ mihi humilitatis honore semper adhæsit et servivit. *In quo mihi bene complacui*, **79** cujus vita et conversatio bene placita meo erat conspectui, qui in omnibus operibus suis non propriæ laudis honorem, sed solam nominis mei laudem et gloriam quæsivit. Felix homo et vere beatus, cui sic cœli aperiuntur, et Spiritus sanctus in columbæ specie datur, qui tam paterna et desiderabili æterni Patris voce extollitur et collaudatur.

Ad tantæ dignitatis et beatitudinis gloriam ille talis pervenire poterit, qui in hac peregrinatione constitutus ad fluenta Jordanis assidue accurrit, qui memoriam mortis suæ ad mentem semper reducit, semper se defluere ad mortem recolit, qui innumerabiles laboriosæ hujus vitæ calamitates et miserias perpendens et considerans, assidua lacrymarum fluenta de humili corde producit, quique compunctione, quæ de invisibili internæ inspirationis dulcedine procedit, sic se mundare et purificare conatur, ut peccatis et vitiis funditus moriatur. In quocunque igitur electo et Deo dilecto homine hæc secunda Domine manifestatio vel apparitio tam gloriose adimpletur, in illo haud dubium tertiæ manifestationis gloria gloriosius perficietur, quæ facta est in nuptiis, ubi aqua in vinum conversa divinitatis manifestata est potentia.

Hoc jucundum et gloriosum divinæ manifestationis miraculum veraciter in homine adimplebitur, cum generali resurrectione consummata electorum multitudo ad cœnam nuptiarum Agni invitabitur. Sicut in nuptiis sæcularium duæ principales personæ convenire solent, sponsus scilicet et sponsa, ita et in cœlestibus nuptiis duo conveniunt, sponsus Christus et sponsa Ecclesia, ubi sanctorum animæ receptis diu desideratis corporibus suis beatæ immortalitatis et incorruptionis gloria coronabuntur, ac immortali perpetuæ incorruptionis sponso æternæ desponsationis arrha copulabuntur.

In his nuptiis et in hoc amœno convivio beato- A rum omnium, cum capite suo Christo mensæ cœlesti participantium, vere convertitur aqua in vinum. Aqua frigida et insipida est materia, et pene nullum bibenti vigorem præstat; vinum vero calidum, fervens et forte, bibentem confortat et exhilarat. Sic spiritus et animæ justorum, si quid forte prius aquosum, ut ita dicam, vel invalidum **80** cogitabant, cum adhuc insipidam et infirmam corruptibilis corporis materiam in pulvere terræ putrescere ingemiscebant, et ad hanc recipiendam toto desiderio suspirabant, jam tunc in vinum convertetur, hoc est in ferventissimum divini amoris et ineffabilis dulcedinis saporem transferetur, et sicut qui a vino fuerit inebriatus a suo sensu alienatur, sic electi in illa æternitatis gloria ab ubertate cœlestium gaudiorum B inebriati et insatiabili divinæ visionis satietate saginati, cum corpus suum, quod corruptibile erat et mortale, immortalitatis veste indutum, factum fuerit spiritale, evacuato omni carnali sensu, nihil ultra terrenum imaginarium sentiunt aut sapiunt, unus cum Deo spiritus effecti, totum sensum suum et affectum in Deum transferunt.

In hoc perenni convivio vere et perfecte adimpletur et persolvitur istud dilectionis præceptum, quod ipse Dominus commendat, dicens : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua* (*Marc.* XII, 30). Nam salva fide et sano intellectu, ut credo, dicere valeo, quod electi Domini apostoli Petrus et Paulus, aliique sancti, quorum beatæ animæ, licet jam in illa cœlesti C perpetuæ pacis visione pausantes inenarrabilis lætitiæ perfruantur jucunditate, tamen quandiu corpora sua a se disjuncta, et in sinu terræ recondita recolunt, præceptum istud plenarie et perfecte adimplere non possunt. Licet enim, ut dixi, in ipso incircumscriptæ claritatis radio acutam oculorum aciem figant, quamvis fortiter in amore Conditoris et Redemptoris sui ardeant, ex toto tamen corde, et in tota anima, et in tota mente, tota, inquam, cogitatione, tota intentione, tota memoria dilectioni ejus pleniter quodammodo inhærere nequeunt, quia ab ipso, ut ita dicam, immortalitatis et incorruptionis auctore aliquantulum cogitatione declinant, cum corpus suum jam in pulverem redactum resumere D cogitant, et quod in terris particeps fuit laborum, in cœlis particeps fieri præmiorum toto affectu desiderant. Cum vero cœlestes istæ, de quibus præmisimus, nuptiæ in domo Domini regaliter celebrantur, et eo modo quo prædixi, aqua in vinum conversa fuerit, cum caro frigida et fragilis nullum in se pridem habens saporem, in vinum, id est in vigorem **81** æternæ fortitudinis conversa, spiritalis et immortalis effecta, saporem et fervorem divini amoris in se habere cœperit; tunc vere et perfecte Conditor noster ab omnibus electis suis ex toto corde, in tota anima, in tota mente diligitur; quia tam indissolubili charitatis vinculo ei conjunguntur et conglutinantur, quod nihil ultra cogitare vel desiderare possunt aut volunt nisi ipsum, quem ar-

denter et insatiabiliter intuentur et inspiciunt.

Ibi etiam vere et plenarie illud perficitur: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*. Proximi sunt sibi invicem omnes electi, specialiter tamen proximum unicuique erit corpus proprium. Nam cum ipsum corpus, quod propter ingenitam sibi corruptionis miseriam aliquando odio habuit in hoc sæculo, a cujus pondere et vinculo sæpius concupierat dissolvi et esse cum Christo, jam cœleste immortale et incorruptibile factum reinduerit, nihil sibi tam proximum, tam unicum dijudicans, toto illud affectu amplectitur, fovet et diligit.

Nos ergo, qui quandiu in hoc mundo constituti peregrinamur a Domino, etiamsi aliquando bonis actibus intenti transitoria despicimus, et æternæ bona patriæ per contemplationis gustum contingere studemus, tamen quia sicut magi illi, adorato Domino, in regionem suam reversi sunt, ita et nos in regionem nostram, in regionem, inquam, corporeæ fragilitatis nostræ sæpius revertimur, cum in reficiendis cibo vel somno corporibus naturali necessitate providere compellimur, humiliter deprecemur Dominum, ut ad æterna cœlestium nuptiarum gaudia perducere dignetur ipse Sponsus Ecclesiæ Jesus Christus Dominus noster, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæculorum sæcula. Amen.

82 HOMILIA XVI.

IN EPIPHANIAM DOMINI TERTIA.

Surge, illuminare, Jerusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est, quia ecce tenebræ operient terram, et caligo populos, super te autem orietur Dominus, et gloria ejus in te videbitur (*Isa.* LX).

Sicut in plerisque sancti Evangelii locis, quo ordine, qua vitæ perfectione ad vitam ingredi debeamus, plenissime edocemur, sic etiam in nonnullis prophetarum dictis quædam ad nos fit exhortatio, quæ nos æque instruit, quo tramite, qua serie dimissis tandem per satisfactionem peccatis, ad virtutum perfectionem tendere debeamus. Sunt namque quædam sacræ et evangelicæ lectionis verba, quæ sicut omni perfectione sunt plena, sic non aliud quam quæ perfectionis sunt, suggerunt et insinuant. Et sicut evangelica, sic etiam, ut dixi, prophetica eloquia plerumque non aliud quam de morum correctione et vitæ perfectione loqui exhortari nos videntur. Unde prophetica hæc lectio salubris quædam exhortatio, quæ totius conversationis nostræ ordinem præscribit, et ad unamquamque animam, quæ in peccatis diu sorduit, convertitur, dicens:

Surge, illuminare, Jerusalem. Nomine *Jerusalem*, electa et salvata quælibet anima potest designari, quam prævidit et prædestinavit Deus Pater futuram quandoque ad supernæ pacis visionem. Huic per prophetam, imo per ipsum prophetarum Dominum dicitur: *Surge et illuminare*. Ac si aperte dicat: Fecisti tibi quietem quamdam in vitiis et delecta-

A tionibus hujus mundi, *surge*, quæso, *surge* a malis, et cum surrexeris a malis, *illuminare* in bonis meis.

83 Quod idem Paulus hortatur, dicens: *Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus* (*Ephes.* v, 14). Ecce quomodo concordant propheta et Apostolus. Ecce quomodo uterque dormientes exsuscitat. Ille dicit: *Surge et illuminare*. Iste dicit: *Surge, qui dormis, et illuminabit te Christus*. Dormit, et valde male dormit, qui carnalibus concupiscentiis non resistit; mortuus est qui deliciis et illecebris concupiscibilium hujus mundi captus, diu diuque in peccatis perseverando, mortem animæ incurrit. Quisquis ille est, tuba Dominici sermonis evocatus et excitatus surgat mala priora relinquendo, illuminetur bona faciendo.

B Et quia inter multa unum est necessarium, quod nisi fiat, surgere homo non potest, illuminari non potest, bene additur, *quia venit lumen tuum*. Lumen istud lumen est perfectæ suimet cognitionis, qua vere mala cognoscere et scire, quia mala sunt, quæ fecit, incipit, revocans in memoriam et modum et numerum facinorum suorum. Et nisi hoc lumen cognitionis veniat, surgere, et illuminari non valet. Post acceptum lumen cognitionis, qua perfecte consideratur qualitas et quantitas criminum, restat jam, ut fideliter confiteatur quia confiteri peccata est gloria illa, de qua mox subinfertur:

Et gloria Domini super te orta est. Et non incongrue per *gloriam* confessio peccati, quia valde Do- C minum glorificat, qui spe indulgentiæ peccata sua confitetur, Deo in oratione et confessori in confessione. Unde Josue dux ille Israelitici populi Achan illum, qui de furto anathematis tulerat, de confessione peccati admonuit: dicens, *fili, da gloriam Deo* (*Josue* VII, 19). In eo, quod ait, *da gloriam Deo*, confessionem peccati significabat, quia magna est gloria Domini confessio peccatorum, et post confessionem remissio peccatorum. Nam etsi in hoc mundo gloria est medici, curatio ægroti, quanto magis veri et cœlestis medici Jesu Christi honor est et gloria, cum animarum adhibuerit medicinam, et perfectam peccatoribus contulerit sanitatem?

Quia vero non sufficit, confessio peccatorum, nisi satisfactio adhibeatur, 84 statim de satisfactione D admonemur, dum subjungitur: *Quia ecce tenebræ operient terram*. Quid per *tenebras* nisi corporis adversitates? Quæ sunt corporis adversitates nisi vigiliæ, jejunia, flagella, frigus, nuditas, fames et sitis? Hæc omnia valde necessaria sunt corpori. Et hæ *tenebræ*, id est istæ adversitates *operire* debent *terram*, quia postquam vero corde, fideli sermone peccata sua homo confessus fuerit, duris satisfactionibus coram Deo debet operire, quidquid in terra sua, id est in terreno corpore deliquit.

Post istas tenebras, corporales scilicet afflictiones, operiat necesse est *et caligo populos*. Per *caliginem* amaritudo pœnitentiæ, per *populos* sensus rationales possunt intelligi. *Operit caligo populos*, quando sensus rationales in vera pœnitentia amari-

cantur. Et quare dico *sensus rationales?* Ideo dico rationales; quia valde est rationale, non invitam, aut coactam, sed, sicut debitam, sic etiam spontaneam et devotam ex toto cordis affectu amaritudinem pœnitentiæ Deo exhibere. Sunt enim nonnulli tam in sæculari quam in spiritali vita positi, qui pœnitentiam quidem exhibent, sed tanta ingratitudine, ut magis exhibeatur necessitate quam bona voluntate. Hi tales non bene caligant, quia non bene tristes, non bene mœrentes sunt ex pœnitentia sua, quia pœnitentiam suam sine cordis dilectione faciunt. Electi autem semper intrinsecus rationabiliter caligant, quia pro omnibus, quæ commiserunt, dulce est eis crebram et devotam amaritudinem pœnitentiæ habere. Et pulchre per caliginem pœnitentiæ amaritudo accipitur, quia quasi quædam gravis est caligo, deliciis et voluptatibus mundi abrenuntiare, gaudia vitæ præsentis fastidire, nunquam permittere superbiam in suo sensu aut verbo dominari, sed in humili et contrito corde et mœrenti spiritu persistere. Qui sic surrexerit a malis, et illuminatus fuerit in bonis qui gloriam Deo in confessione dederit peccatorum, qui tenebris, duris scilicet satisfactionis terram suam operuerit, qui pro omnibus, quæ fecit, rationabili pœnitentia caligare studuerit, fiet de eo quod subjunctum est:

Super te autem orietur Dominus, et gloria ejus in te videbitur. Dominus **85** nomen est timoris. Et non inconvenienter, verbum hoc quod timorem resonat, spiritum timoris significat. Ille spiritus timoris, *super*, hoc est in superiori cordis *orietur*, quia quanto in vera humilitate peccata sua cognoscunt, tanto magis Deum, quem peccando offenderunt, timere incipiunt. Spiritum autem timoris sequitur spiritus amoris, quem sequenti verbo designare videtur, cum dicit: *Et gloria ejus in te videbitur*. Per *gloriam Domini* spiritus amoris accipitur, ad quem de spiritu timoris homo transit, dum non modo timore, sed filiali dilectione dolet et gemit, in quibuscunque se Deum offendisse meminit, cujus spiritus indicibili attactu intrinsecus collustratus, plena Dei et proximi dilectione flagrabit. Quæ gloria Domini *in te*, quicunque es, *videbitur*, quia talis dilectio et suavitas cordis videbitur a Deo, videbitur ab angelis, quia congratulantur; videbitur ab hominibus, quia accepta et amabilis est bonis hominibus. Cum sic gloria Domini in electis videbitur, licet sine peccatis vivere nequeant in hoc mundo, fieri tamen potest, ut impleatur in eis quod sequitur:

Et ambulabunt gentes in lumine tuo. Gentes vitia sunt. Si per gentes vitia, quomodo, quæso, hoc dictum æstimamus, quod *gentes ambulabunt?* Ambulare est suaviter incedere. Unde etiam equus ille ambulatorius dicitur, qui suaviter et leniter incedit. Itaque quia gentes vitia esse diximus, *gentes*, id est vitia in bonis et justis quasi *ambulabunt*, dum non illo impetu, quo prius impugnabant et dejiciebant eos, adversus eos prævalebunt, et quamvis ad perfectum, quoad vivunt, vitiis carere nequeant, et semper impugnentur, nunquam tamen expugnantur. Et adhuc apertius dicam, *gentes in lumine ambulabunt*, quando is, qui aliquando oculos ab illicito visu, aures ab inutili auditu, linguam a maliloquio temperare vix aut nullatenus potuit, omnibus jam membris coercitis, ab omnibus, in quibus offendere Deum potest, ipso Deo adjuvante, sese metiri et coercere potest.

Sed et *reges ambulabunt in splendore ortus tui.* In *regibus* exteriores sensus potes accipere, qui tunc bene regum **86** nomine censentur, cum per ipsos totum corpus hominis ad justa et laudabilia, ac Deo placita opera regitur et deducitur. Ne autem quisquam de se præsumat, quasi a se aliquid habeat, subjuncta sunt verba hæc, *in lumine*, *in splendore ortus tui*. Per hæc tria opus totius sanctæ Trinitatis arbitror posse intelligi, in *lumine* Spiritum sanctum, in *splendore* Filium Dei, in *ortu* Deum Patrem. Est *lumen* Spiritus sanctus, qui nos illuminat, quia ipsius donum, ipsius est opus, ut bene vivamus. Est *splendor* Filius Dei, Verbum Dei Patris, qui nos intrinsecus de Verbi sui splendore doceat, quid agere, quid cavere debeamus. Est Deus Pater *ortus*, quia ipse est, de quo procedit lumen istud, et de quo oritur splendor iste.

Sed quia totum tempus vitæ nostræ in tentationibus est, et quanto quilibet electi in virtutibus elevantur, tanto ab inimicis, malignis videlicet spiritibus acrius impugnantur (ex die enim qua nascimur usque in diem quo morimur, semper insidiantium nobis invisibilium hostium tentationes patiemur), docet Spiritus sanctus per prophetam Jerusalem illam, beatam scilicet animam, quid inter ipsas tentationes agere, quomodo contra insidiantes hostes sese præmunire debeat, dicens: *Leva in circuitu oculos tuos, Jerusalem, et vide. Omnes isti congregati sunt, venerunt tibi.* Quinam sunt, qui *in circuitu* nostro sunt nisi illi, de quibus Propheta: *In circuitu*, inquit, *impii ambulant* (*Psal.* XI, 9). Sunt enim impii illi adversarii nostri semper et ubique *in circuitu* nostro, actum et habitum nostrum diligenter considerantes, si visus impudicus, si lingua lasciva, si inutilis auditus, ut per hæc exteriora veniant ad interiora. Qui etsi non possunt supersedere, sunt tamen circumsedentes, insilientes, insidiantes. Et idcirco, quoniam ita sunt *in circuitu* nostro, levandi sunt oculi. Duo sunt oculi, quos habere et levare debent electi. Unus oculus est intellectus in lectione, alius oculus est affectus in oratione. Hi duo oculi valde sunt necessarii, ut videlicet intelligatur quid bonum est in lectione, et rapiatur affectus cordis ad sapiendum Deum in oratione.

87 Si enim habuerit quis oculum intelligentiæ, postulet a Deo in oratione, ut hoc, quod jam intelligit, bonorum operum exercitio adimplere possit. Et hi duo oculi levandi sunt contra eos qui *in circuitu* nostro sunt, quia ne prævaleant adversum nos, assidue occupari debemus ad intelligendum in

lectione et ad sapiendum Deum Deo approximare in mentis contemplatione, et oratione. Et bene dicit, *leva, et vide*, quia semper circumspectos oculos cordis habere debemus, ut nunquam secure agamus, quia securitas mater est negligentiæ, et ex ipsa negligentia, si non resipiscatur, æternæ mortis judiciaria accedit sententia. Cur vero levare oculos sic in circuitu et videre debeamus, docet nos adhuc Spiritus sanctus, cum subjungit :

Omnes isti congregati sunt, venerunt tibi. Isti pronomen est demonstrativum. Et per hoc verbum illi invisibiles inimici nostri possunt designari, quia etsi sint invisibiles, sunt tamen semper nobis præsentes, nunquam recedentes, sed semper se intus per invisibiles impugnationes demonstrantes. Et bene ponit duo hæc, *omnes isti*, quia quot et quanti spiritus, qui nos fatigent, qui nos diversis immissionibus suis impetant, debemus videre, debemus sollicite et diligenter pensare, et ab eis cavere. Et quare dicuntur *congregati?* Propterea, quia vicissim sibi succedunt, et dum ab uno vitio quis liberatur, mox ab alio impugnatur. Attamen, si tu, quicunque es, o Jerusalem, non movearis, si non cedas, si non vincaris, omnes isti congregati *venerunt tibi*. Ad quid, inquis, venerunt mihi? Ad gloriam. Certe si Job tentatus non esset, ad tantam gloriam non pervenisset, sed, quia mala sustinuit, et patienter tulit, a Deo testimonium et laudem accepit quod non esset vir similis ei super terram. Sic omnis anima, quæ omnes istos congregatos sustinuerit, et eorum insultationibus cedere noluerit, ipsa tentationum tolerantia veniet ei non ad confusionem, sed ad gloriam, et æternæ remunerationis coronam. Hinc arbitror esse quod in vespertinis et matutinis laudibus hoc capitulum ita frequentatur, quia hoc magis necessarium est quam aliud quod in hac lectione continetur, ut semper **88** meminerimus levare oculos, et videre congregatos istos, ne seducant, ne abducant nos, sed ut illorum tentatio fiat nobis gloria et remuneratio. Ut autem ad tantam gloriam perveniamus, quatenus in tentationibus nostris victores inveniamur, duo quæ sequuntur, totis viribus sunt appetenda.

Filii, inquit, *tui de longe venient, et filiæ tuæ de latere surgent*. In *filiis*, qui fortes sunt, accipi possunt affectus contemplationis, in *filiabus* vero, quæ *de latere surgunt*, bona opera corporis. Filii illi, id est, affectus contemplationis bene dicuntur *de longe venire*, quia dulcedo cœlestis non nisi de *longe*, hoc est, de cœlestibus venit. Vel sic *venit de longe*, quia ad hanc non nisi diutino pervenitur labore. *Surgunt et filiæ de latere*. Quia de latere Adæ fabricata est Eva, bene per latus caro valet intelligi, per quam bono instare debemus operi. Quidquid enim in vigiliis, in jejuniis, aliisque laboribus Deo persolvimus, hoc totum de carne nostra exhibemus. Unde quia sunt opera tam spiritus quam carnis, juste per filios affectus contemplationis, per filias, quæ infirmiores sunt, opera designantur carnis. *Filii* itaque *de longe*

A *veniunt*, cum electis desursum mittitur celsitudo contemplationis, surgunt *filiæ de latere*, cum post contemplativam dulcedinem agiles sunt et strenui in laboribus bonæ operationis.

Nec prætereundum quod in nonnullis codicibus legitur : *Filii tui de longe venient, et filiæ tuæ lac sugent*. Lac cibus est infirmorum. Et non injuste per lac infirmi designantur. Lac debent infirmi sugere quia si ad perfectionem contemplationis ascendere nequeunt, bona tamen opera agere possunt. Filiorum autem, id est perfectorum est solidus cibus, qui cibum illum et gustum internæ dulcedinis a Deo et in Deo suscipiunt, per quem cibum ad omnia toleranda fortes et validi fiunt. Levatis oculis, collectis filiis, hoc est affectibus contemplationis,
B surgentibus filiabus de latere, id est operibus sanctis exhibitis et perfectis cum corpore, ad eminentiorem surgunt profectum juxta quod subjungitur :

89 *Tunc videbis et afflues, et mirabitur et dilatabitur cor tuum*. Quid *videbit*, et quomodo *affluet?* *Videbit* per intelligentiam, *affluet* per doctrinam, quia, etsi nunquam in locum doctoris assumitur, videre tamen potest per intelligentiam, affluere potest per doctrinam. Quia omnis Christianus, qui recte vivit, et alium nescientem, in quantum potest, vita et verbo instruit, bene per doctrinam affluit. Tunc *mirabitur, et dilatabitur cor tuum*. *Mirabitur* in aliorum profectu, *dilatabitur* in proprio affectu, et quanto plus in aliorum profectu laboraverit, tanto magis dilatabitur, quia majoribus et excel-
C lentioribus a Deo muneribus ditabitur.

Quando conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi, inundatio camelorum operiet te. Per tria hæc, *mare, gentes, camelos*, tria quædam possumus intelligere; per *mare* cogitationes, per *gentes* verba, per *camelos* opera. Et bene per *mare* cogitationes exprimuntur, quia sicut mare semper in motu est exeundo et recurrendo, sic etiam cogitationes semper sunt in motu, nunquam quiescunt, modo illa, mox ista tractando et retractando. Unde etiam proprie ad mare positum est *multitudo maris*, quia sicut multiplices et innumerabiles sunt stillæ et aquæ maris, sic infinita sunt quæ cogitamus, quæ corde circumferimus. Hæc
D *multitudo maris*, id est infinita cogitationum turba *ad te*, o Jerusalem, *convertetur*, quando collectis totis sensibus tuis teipsum veraciter consideras, discutis et examinas.

Sed et *fortitudo gentium veniet tibi*. Diximus per mare quod mutum et sine animali sensu est, cogitationes posse significari; per *gentes* autem, quæ ratione utuntur, verba non incongrue posse significari. Ad hoc bene ponitur *fortitudo*, quia sive bonum, sive malum sit, quod agitur, fortitudine opus est, et semper teritur locutione, quidquid postmodum perficitur in operatione. Hæc *fortitudo gentium veniet tibi*, quæcunque es, beata anima, ut recte et perfecte peccata tua confitearis, quia profecto magnum donum Dei est hanc habere fortitu-

dinem, ut fideliter et veraciter **90** quisque peccatorum suorum confiteatur turpitudinem. Multi enim cognoscunt peccata sua, sed ex infirmitate et fragilitate quadam pudet eos confiteri quod cognoscunt.

Post multitudinem maris, post fortitudinem gentium, *inundatio camelorum operiet te.* Camelus ex parte animal est mundum, ex parte immundum; ex ea enim parte qua ruminat, animal est mundum, ex ea parte, qua fissam ungulam non habet, immundum. Possunt per camelos opera designari, quæ ea parte sunt munda, qua ruminamus, hoc est qua peccata nostra lugemus, et confitemur Deo in oratione. Sunt ea parte immunda, qua ungulam non findimus, hoc est, quo non recte cum Deo dividimus, sed plus ea quæ mundi sunt, quam ea quæ Dei sunt, plerumque diligimus, et magis propriæ voluntati quam divinæ deservimus. Hos camelos, opera scilicet nostra *operire* debet *inundatio*. Quænam inundatio? Ubertas utique lacrymarum, per quarum inundationem immunda pars operum ad veram tendit et pervenit munditiam et innocentiam. Sed quinam, quæso, sunt, qui hoc facere possint aut debeant? Audi in consequentibus.

Dromedarii Madian et Epha. Dromedarii veloces sunt cursores. Interpretatur autem Madian *iniquitas*, Epha *effundens*, vel *resolutus*. Nos, fratres, nos dromedarii illi, scilicet veloces cursores esse debemus, quia non tarde, non segniter, sed omni velocitate et festinantia pro posse nostro effundere et ejicere nos oportet, tum in confessione, tum in oratione, omnem quam fecimus iniquitatem et injustitiam.

Sed per tria hæc, multitudinem maris, fortitudinem gentium, inundationem camelorum, tres, qui sunt in spiritualis vitæ proposito, ordines possunt designari. In *multitudine maris* homines simplices et idiotæ, in *fortitudine gentium* milites, in *camelis* canonici et sanctimoniales. Et non incongrue, per *mare*, quod mutum est et innumerabile guttis aquarum, innumerabilis illa multitudo hominum conversorum accipitur, qui ante Christo sunt fœderati, **91** quam [*f.* quanquam] mundi hujus actibus fœdati. Quorum licet parvum sit ingenium, et magna eos non detineat doctrinæ scientia, in ipsa sui simplicitate, multum Deo placentes, omne, quod possunt, in quiete et silentio probabiles exhibent obedientia. Hæc multitudo maris tunc convertetur, quando talium hominum multitudo quotidie ad Deum conversa, Deo placitam exhibet vitam. Sed et *fortitudo gentium* veniet, cum fortes et potentes tyranni et milites hujus sæculi de militiæ actibus, in quibus coram Deo sorduerant, transeunt ad bonam militiam Christi; qui quanto in malis scelerationes et nominatiores, tanto postmodum ad Deum conversi, in virtutibus et bonis actibus fiunt eminentiores et laudabiliores. In *camelis* autem, qui ex parte mundi et ex parte sunt immundi, ordo clericorum et sanctimonialium accipitur; qui ea parte sunt mundi qua doctrinam et scientiam

A sacræ Scripturæ habent, ea vero parte immundi qua occulte peccaverunt et peccata eorum in notitiam hominum non pervenerunt. Hos *operiet inundatio*, cum seipsos humiliter recognoscentes bonorum conversorum adunati consortio, quidquid illud est, quod commiserint, illicitum assidua hoc operiunt inundatione lacrymarum. Sequitur:

Omnes de Saba venient, aurum et thus deferentes, et laudem Domino annuntiantes. Qui *omnes*, nisi qui, superatis atque devictis tentationibus, usque ad finem vitæ suæ bene certaverunt, indefesse cucurrerunt? Quibus congruere videtur hoc quod et in fine hujus Lectionis habetur: *Omnes*, inquit, *de Saba venient*. Saba interpretatur *captivitas*. Et quid est totum tempus vitæ istius, nisi flebilis et dura
B quædam captivitas? Sumus enim nos, quondam cives cœlestis Jerosolymæ, filii captivi Babyloniæ, sed soluto post mortem jugo captivitatis, quotquot ad vitam sunt prædestinati, *de* **92** *Saba veniunt*, quia liberi et securi ad patriam et ad terram suam unde nunc peregrinantur, transibunt. Sed, nunquid illo vacuis manibus properabunt? Minime, quia *aurum et thus* deferunt. Quid per *aurum*, nisi pura devotio et munda voluntas cordis; quid in *thure*, nisi bonus odor bonæ operationis? His muneribus unaquæque anima, deposito carnis onere, ad regem suum Christum ingreditur, quia aut aurum aut thus afferre debet: *aurum*, hoc est puræ devotionis et mundæ voluntatis diligentiam; *thus*, id est bonæ et perfectæ operationis fragrantia, quæ
C odor suavissimus erit coram Domino et acceptabilis, ut merito audire mereatur a Domino: *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, quem benedixit Dominus* (*Gen.* XXVII, 27)

His muneribus oblatis, quia per se nihil se potuisse vident, sunt semper *laudem Domino annuntiantes*, illum donatorem præmii, illum coronatorem meriti perpetuo pronuntiantes. Ex parte enim nunc Dominum laudamus, ex parte non laudamus. Ex parte laudamus, quando in ipsa pressura et fragilitate carnis positi, laudamus quod credimus; ex parte non laudamus, quando in ista sæcularia et peritura defixi, carnis desideriis satisfaciendo, ab amore Dei recedimus. At cum *de Saba* venerimus, id est
D cum de captivitate ista translati fuerimus, perfectam laudem, quæ fastidium non habebit, Domino annuntiamus, quia semper hunc possumus laudare, quem semper ibi possumus amare. Ad hanc laudem semper annuntiandam perducat nos sponsus Ecclesiæ Dominus noster Jesus Christus, qui vivit, et regnat per infinita sæcula sæculorum. Amen.

93 HOMILIA XVII.

IN OCTAVAM EPIPHANIÆ DOMINI PRIMA.

Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris (*Isai.* XII).

Hodierna festivitas, quæ in honore baptismatis Domini nostri Jesu Christi celebratur, eadem die qua vocatio gentium in tribus magis per stellæ ducatum facta est debuisset celebrari. Sed quia tanta

est dignitas eorumdem sacramentorum, ut uno die A non valeat digne celebrari, placuit matri Ecclesiæ, dictante Spiritu sancto, primam diem dare huic miraculo, quo tres illi reges ab Oriente venientes, munera sua aurum, thus et myrrham obtulerunt parvulo, sedenti in matris gremio; octavam vero hanc diem non impari devotione huic dare dignitati qua ipse, auctor vitæ, ad abluenda nostra peccata totus mundus et integer baptizari voluit a Joanne servo suo. Tertium quoque miraculum aquæ mutatio in vinum in Dominicalibus evangeliis recitatur et recolitur.

Hæc tria Domini miracula magna et memoranda, quæ in eo et per eum facta sunt visibiliter, in unoquoque homine ad regna cœlorum tendenti perficienda sunt spiritaliter.

Primum hujus sacramenti signum fit in homine, dum per stellæ ducatum, id est divinæ gratiæ lumen, terram et cognationem suam deserit, et ad præsepe Domini sui, id est ad spiritalis vitæ propositum spretis omnibus tendit. Sed et eo modo terram suam, corpus scilicet suum, in quo per desideria et delectationes inhabitabat, deserit, dum divino adjutus munere, ea quæ dereliquit ulterius repetere non consentit. Transacto exitu de regione sua, festinet necesse est ad aliud mysterium, baptismum salutare requirat, scilicet ut per internam cordis compunctionem peccata admissa deflere studeat. Post illa duo tertium restat miraculum, ut aqua convertatur **94** in vinum, hoc est ut insipidum et aquosum cor ejus per divinæ contemplationis dulcedinem in vini convertatur saporem.

Hujus diei sacramentum omnes prophetæ ab initio præcinuerunt, qui gratia Spiritus sancti illuminati, futura quæque præviderunt. Ex quibus unus eximius ille Isaias propheta honorem et magnificentiam hujus diei in cantico suo non tacuit, quod semper cantamus, dum feriales noctes inchoamus. *Haurietis*, inquit, *aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Duo sunt Salvatoris nostri fontes : Unus fons baptismatis, alius fons compunctionis. In baptismate omnium originalium vel actualium peccatorum datur remissio. Sed, quia perpauci sunt, qui hujus sacramenti, ut dignum esset, immaculato corde et corpore conservent dignitatem, ille alius fons, ubertas lacrymarum, præsto est nobis, in quo abluti et emundati peccatorum nostrorum iterum percipiemus remissionem. Ex his duobus fontibus haurire debemus *in gaudio*, quia majus gaudium esse non potest, et exsultatio, quam cum homo peccator per pœnitentiæ lamenta reconciliatur Creatori suo. De hoc fonte iterum quodam loco scriptum est : *In die illa erit fons patens domui Juda, et habitantibus Jerusalem, in ablutionem peccatoris et menstruatæ* (*Zach.* XIII, 1). Solet qui vult aquam haurire situlam cum fune fonti immittere, et extracta aqua haustum sitienti porrigere. Situla cum fune est anima nostra mortali circumdata carne. Quæ caro, in modum funis hinc et inde contorti, multiplici continentia et castigatione debet coerceri et contorqueri, in nimia humilitate submitti et teneri, quia tunc haurire possumus aquam salientem in vitam æternam. Dum enim interdum hilarescit quem gravis peccatorum conscientia non accusat illi, qui facinorum suorum **95** magnitudinem recognoscunt, tristi et submisso vultu debent incedere, cum publicano illo evangelico nec oculos ad cœlum levare, sed humiliter veniam pro peccatis suis implorare. Quantum enim vera apud Deum humilitas obtineat, et quid mereatur, dat exemplum Achab ille rex impius. Nam dum in tantum iniquitas, et malitia ejus excrevisset, ut eum vita et regno Dominus privare voluisset, humiliatus per pœnitentiam, divinam assecutus est clementiam, ita ut de eo Domi- B nus diceret ad Eliam prophetam : *Nonne vidisti Achab humiliatum coram me? Quia ergo humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus ejus* (*III Reg.* XXI, 29).

Item per *fontes Salvatoris* sancta Trinitas valet intelligi, in *fontibus* Deus Pater, Deus Spiritus sanctus; in *Salvatore* Deus Filius, a Patre æternaliter progenitus, qui, cooperante Spiritu sancto, beata Virgine matre temporaliter est natus. De his fontibus *haurire* debemus *in gaudio*, quia de Deo Patre et Filio et Spiritu sancto omnis manat et inundat dulcedo.

Et dicetis, inquit, *in illa die : Confitemini Domino, et invocate nomen ejus. In illa die* magna, et deside- C rabili, in illuminatione videlicet cordis vestri *confitemini Domino*, quia sive sit peccatorum confessio, sive laudis ejus fiat memoria, totum placebit Salvatori vestro. *Et invocate nomen ejus*, ac si dicat : In absconso cordis vestri eum invocate, ut bonum, quod in vobis operatus est, intus lateat, et solius Dei notitiæ pateat, Davidicam semper memorantes sententiam : *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam* (*Psal.* CXIII, 1).

Sed dicit aliquis : Cur ego recta opera mea ab humanis aspectibus abscondam, cum Dominus in Evangelio dicat : *Videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est?* (*Matth.* V, 16.) Huic sententiæ in nullo contraitur, **96** sed quid potissimum Deo placeat subinfertur :

D *Notas facite*, inquit, *in populis adinventiones ejus* Notas, inquit, his, qui vobiscum sunt, facite adinventiones *ejus*, non vestras. Ideo dico *ipsius*, quia ipse dedit, et qualiscunque in vobis bonorum operum fructus est, ipse, non vos, in vobis adinvenit. Inter quas adinventiones semper meminisse debetis, *quoniam excelsum nomen ejus*, ut bona vestra opera sic hominibus pateant, quatenus, quod solius Dei nomen excelsum et gloriosum sit, memores sitis, et de bono vestro profectu humanæ laudis appetitum non requiratis. Sed dicit aliquis: Quare tantopere in bonis me debeo exercere, si non debeo laudari, et pro honore vitæ meæ a quoquam mortalium non commendari? huic respondetur, ut exspectet paululum, sciens quod omnia opera sua ad unam ho-

ram retributionis et laudis sunt reposita, ut verba innuunt sequentia :

Cantate Domino, quoniam magnifice fecit; annuntiate hoc in universa terra. Quando, inquit, cantabo, et quando annuntiabo? Certe cum debitum vitæ finem bono cursu implebitis, tunc cantabitis, et non tacebitis, quia non ab hominibus opera vestra laudabuntur, sed coram omni cœlesti militia ab angelicis spiritibus diffamabuntur et magnificabuntur. Hac laudis glorificatione non extollimini, vere et perfecte cognoscentes, quia *magnifice fecit* vobiscum Deus. Tunc etiam *annuntiabitis in universa terra.* Nam cum in generali resurrectione bina stola potiti fueritis, universa membra ves a laudem Domino annuntiabunt, vosque in laude sempiterna Dei et angelorum, omniumque beatorum spirituum eritis. Ad quæ bona nos perducat, Dominus noster Jesus Christus, qui vivit, et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

97 HOMILIA XVIII

IN OCTAVAM EPIPHANIÆ DOMINI SECUNDA.

Venit Jesus a Galilæa in Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo (*Matth.* III).

Dominus et Salvator noster, mediator Dei et hominum, sicut pro hominibus homo fieri voluit, ita etiam causa salutis nostræ lavari non est dedignatus fonte baptismatis, non ut aliquam propriæ actionis maculam aboleret, sed ut gladium flammeum, qui seras paradisi obfirmaverat, amoveret.

Quia vero beatissimus Joannes Baptista, ipsius et præco, spiritu noverat prophetico, quandoque se illa baptizandum unda et sanguine, qui de crucifixi Redemptoris emanaret latere, subire officium tantæ sublimitatis pia renuit humilitate : *Ego*, inquit, *a te debeo baptizari, et tu venis ad me?* Quod idem est ac si dixisset : Ego quidem cum cæteris, qui apud inferos adventum tuum longa præstolantur exspectatione, vivifico testamenti tui baptizandus et liberandus sum sanguine, *et tu* auctor singularis innocentiæ, baptizandus venis ad me?

Et quia redemptio generis humani fieri non potuit, nisi per sanguinem Redemptoris nostri, ipse testimonium affirmando sui præconis mysticis insinuare videtur verbis : *Sine modo*, inquit ; *sic enim decet nos adimplere omnem justitiam.* Ac si diceret : Sicut modo causa humilitatis sacramentum a te suscipio baptismatis, ita pro redemptione tua et totius generis humani obedire usque ad mortem crucis paratus sum Deo Patri. Nam si humilitati meæ obedientia deesset, injustitia magis quam *justitia* dici posset. Hæc tantæ benignitatis promissa ex ore Veritatis ut audivit, audita credidit, nil moratus voci jubentis obedivit. Sed quid Dominus baptizatus confestim fecerit audiamus :

Baptizatus autem Jesus confestim ascendit de aqua. Sicut enim **98** baptizari pro nobis humiliter voluit, ita etiam qualiter ascensiones in corde nostro disponere debeamus, suo ascensu edocuit et ostendit. Sequitur :

Et ecce cœli aperti sunt super eum. Bene super Do-

A minum baptizatum cœlis jam patentibus sanctus descendisse refertur Spiritus. Nam indubitanter credendum est nos, qui corpus ejus sumus, in aqua regenerationis spiritum accepisse adoptionis.

Et quia *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi* (*II Cor.* V, 19), bene a magnifica gloria vox Patris debuit audiri : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Digne siquidem coæternus Dei Filius laudari a Patre pro sua debuit reverentia, qui in omnibus, quæ in diebus carnis suæ fecit et docuit, nunquam gloriam suam, sed semper gloriam Patris quæsivit et amavit. Et quantum putamus æternus genitor in coæterno sibi Filio gloriatus est, quando de excelso gloriæ suæ respiciens habitaculo talem se fecisse hominem recognovit, qui, licet in
B carne peccati apparens, nunquam tamen oculos paternæ majestatis offenderit? Hæc sub brevitate allegorica dixisse sufficiat. Nunc ad mysticum moralitatis sensum sermo recurrat.

Primo videamus Salvator noster baptizandus unde venerit, ubi, et a quo baptizari voluerit. *Venit*, inquit, *Jesus a Galilæa in Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo.* Galilæa *transmigratio facta* dicitur, Jordanis vero *descensus* ; Joannes autem *Dei gratia* interpretatur. Per *Joannem*, qui, sicut diximus, in nostra lingua resonat *Dei gratiam*, fidelis quælibet non incongrue accipi valet anima, quæ non in se, sed in Domino humiliter gloriatur, **99** et tanquam semetipsam quodammodo nesciens, veraciter cum
C Apostolo protestatur : *Gratia Dei sum id quod sum* (*I Cor.* XV, 10). Bene ergo Jesus, id est *salutaris* noster *a Galilæa in Jordanem* venisse describitur, quia in beata qualibet anima, ubi perfecta vitiorum *transmigratio facta* fuerit, ubi perfectæ humilitatis virtus aderit, dignum majestati suæ habitaculum eligit, quæ cum tempore orationis aquis perfusa fuerit ferventissimæ charitatis, *baptizari* quodammodo ab ea dicitur ipse auctor salutis, non quod sanctificari sanctitas æterna opus habeat, sed ut sanctificatione sui electam et dilectam sibi animam sanctiorem reddat. Sed quid inter hæc tantæ suavitatis gaudia baptizando dilecto suo beata quælibet dictura sit anima, evidenti ratione insinuat Evangelista :

Joannes autem prohibebat eum, dicens : Ego a te de-
D *beo baptizari, et tu venis ad me?* Quid est ergo Salvatori quasi prohibendo nolle acquiescere, nisi abundantem supernæ dulcedinis gratiam admirando exstupescere? Quod idem est, ac si anima vere humilis, humilia de se sentiens, et indignam se tantis Dei beneficiis dijudicans, ex profundissima jam cordis humilitate proclamans dicat : *Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me?* Ego, inquam, in qua jam diu abundavit iniquitas, pro magno reputarem beneficio ita in me bonitatis tuæ superabundare divitias, ut tandem per baptismum pœnitentiæ veniam delictorum obtinerem a te ; *et tu* supra id quod desidero, tam magna multitudine dulcedinis tuæ *venis ad me?* Quibus laborum studiis, quibus virtutum consecuta sum meritis, ut æternæ majestatis suavi-

tas tantas mihi in dulcedine tua parares delicias? Sed quia quandiu corpus, quod corrumpitur, animam aggravat, nunquam ita circumspecta et provida esse poterit, nisi (51) crebro illicitis cogitationibus divinæ visitationis gaudia a se excludat; ipse auctor pietatis qualiter renovari debeat fonte baptismatis, sequentibus manifestat verbis:

Respondens autem Jesus dixit ei: Sine modo. Sic enim decet nos adimplere omnem justitiam. Ac si dicat: *Sine me*, inquam, *sine* paratum apud te sanctificationis locum invenire, ut dum **100** lacrymis intimæ compunctionis sanctificatus fuero in te, tu uberiorem sanctificationis fructum consequaris ex me. Item alio modo: *Sine modo. Sic enim decet nos adimplere omnem justitiam.* Sunt nonnulli, qui dum dignum Deo baptizandi locum præparare cupiunt, minus caute corpus castigando tam indiscretæ servituti subjiciunt, ut carne potius perempta quam vitiis, virtus labefactata quantocius deficiat, ne debitum bonæ actionis obsequium supplere valeat, et sic destitutis viribus corporis præparare nequaquam hospitium prævalent cordis. Quicunque vero justo moderamine discretionis ita in se facta mortificaverint carnis, ut ad serviendum Deo viventi homo uterque indefessus permaneat, his Mediator Dei et hominum pie collaborando assiduum sese pollicetur adesse cooperarium. *Sic enim decet nos adimplere omnem justitiam*, sic, inquam, *nos*, ego quidem et homo piis unanimiter insistendo laboribus *omnem adimplere justitiam* valebimus, si tamen per virtutem discretionis ipse mihi decenter thalamum præparaverit sui cordis. Quapropter, dilectissimi, spiritu piæ discretionis præparemus domum cordis nostri, ut ipse Mediator Dei et hominum subire nobiscum commune dignetur laboris studium. Quo autem devotionis affectu, qua subjectionis reverentia baptizandus iste suscipiendus sit, humillimi obedientia Joannis patenter innuit. Nam sequitur:

Tunc dimisit eum. Dimissus non incongrue dicitur, dum liber quis et expeditus propria frui voluntate permittitur. Unde considerandum nobis sollicite est quam mira erga nos sit Conditoris nostri pietatis dignatio, quod is, qui veram nobis libertatem contulit, liber quodammodo a nobis dimitti appetit, non quod ipse aliqua libertate egeat, sed ut nos liberatos a peccatis vere liberos faciat. Liberum namque ipsum liberatorem nostrum tunc dimittimus, dum, prout vult, libere illum nobiscum agere permittimus, quatenus ad penetralia cordis nostri liber illi aditus pateat, et spatiosum ad manendum semper in nobis locum inveniat. Quid autem virtutis et gratiæ tanta nobis conferat cohabitatoris commanentia, manifeste jam lectio testatur evangelica:

101 *Baptizatus autem Jesus confestim ascendit de aqua.* Aqua licet diversis intelligi modis valeat, hoc tamen in loco dulces compunctionis lacrymas significat. Hæc est enim aqua, per quam, teste Salvatore, fiet in anima bibentis fons aquæ in vitam æternam salientis (*Joan.* IV), dum per gratiam com- A punctionis spiritales in anima fiunt gradus ascensionis. Ita ergo cœlestis desiderii dulcedine cœlo sublevata, aliam etiam aquam, sapientiæ videlicet salutaris accipiet, sicque dum diversis virtutum gradibus ascendere nititur, *ascendisse* quodammodo Salvator, non descendisse dicitur.

Et ecce cœli aperti sunt super eum. Quidnam per cœlos apertos rectius valet intelligi, quam manifesta Scripturarum explanatio Novi ac Veteris Testamenti? Per has etenim Scripturas, quia cœlestis sapientiæ mysteria recognoscimus, non incongrue eas cœlorum nomine appellamus. Unde et prædicatores sancti, qui easdem videlicet Scripturas diligentius perscrutando discutiunt, nobisque ex eis mysticas sapientiæ aquas propinantes proferunt, ex B ipso divinæ prædicationis officio cœli vocari prophetico comprobantur testimonio: *Cœli*, inquit, *enarrant gloriam Dei* (*Psal.* XVIII, 1). Cœli namque gloriam Dei annuntiant, dum cœlestis amatores patriæ gaudia nobis æternæ claritatis insinuant. Sed et aliud quid per cœlos sano valet intellectu accipi, exteriores scilicet et interiores sensus nostri, quos hora compunctionis divinæ visitationis claritas illuminatos facit et perspicuos, ut humana scientia luce clarius recognoscat quid in se oculis Conditoris placeat vel displiceat. Unde bene adhuc subditur:

Et vidit Spiritum Dei sicut columbam descendentem et manentem super se. Quæcunque ergo fidelis anima, cœlestibus disciplinis imbuta, dum inflammata vehementer fuerit fervore justitiæ, *Spiritum* C *Dei descendentem et manentem super se in columbæ* videbit *specie*, quia idem Spiritus in vera mentis humilitate et simplicitate facit eum descendere. *Videt*, inquam, *manentem super se*, quia non solum exteriorem hominem instruit et informat ad bona et justa opera, verum etiam interiorem hominem **102** ad cœlestis patriæ inflammat desideria. Unde et hanc paternæ laudationis vocem in gaudio audire merebitur, de qua hic subinfertur:

Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Vox ista, vox exsultationis et lætitiæ tunc revera audienda erit, dum coæternus Dei Filius regnum Deo Patri tradiderit, quando in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, D omnes nos occurremus, ipseque Deus erit omnia in omnibus. Tunc nimirum quasi gloriando Deus Pater omnipotens, taliter in novam prorumpet laudem Filii: *Hic est*, inquiens, *Filius meus dilectus in quo mihi complacui. Hic est*, inquam, *Filius meus dilectus, in quo* per adoptionis gratiam tantorum sum filiorum Pater effectus. *In ipso* enim *mihi bene complacui*, quia hunc propitiationem pro peccatoribus misi, ut chirographum, quod erat contrarium illis, de medio tollens cruci affigeret, et inimicitias inter me et hominem morte sua dissolveret. Sed nunquid electus æterni regis Filius solus a Patre sine regni sui laudatur cohæredibus? Laudantur nihilominus fratres et cohæredes sui paternæ lau-

(51) id est, quin.

dationis præconio, quos ipse Filius vivifico proprii A sanguinis redemit pretio. Hanc etiam vocem desiderabilem æterni Patris beata quælibet anima audire merebitur, cum ipso jubente ab hac lacrymarum valle vocatur, quæ etsi aliquando morum pravitate aut operum perversitate displicuit, ita ut filia abjectionis merito diceretur et esset, reconciliata tandem fructu et remedio pœnitentiæ vocem audiet exsultationis et lætitiæ : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.*

Non est enim dubitandum quin potius omni gaudio credendum æterni Patris Filium, fidelis cujuslibet animæ sponsum, egredienti de ergastulo carnis eidem animæ præsentem adesse, ut filiam suam, imo et sponsam ornatam monilibus, gaudentem secum introducat ad nuptias. B

Sed quia his interesse nuptiis nequaquam poterit, qui nondum purgatus a **103** peccatis digne pœnitendo nuptiali veste indutus fuerit, deponamus veterem hominem cum actibus suis, ut novo induti homine vestem immortalitatis, quam per innocentiam habere non possumus, digno pœnitentiæ fructu obtineamus, et quasi vestitu deaurato circumdati ad cœnam nuptiarum Agni cum lætitia et exsultatione mereamur ingredi, ipso præstante et adjuvante, qui has nobis nuptias proprio parare dignatus est sanguine, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XIX.

IN EAMDEM OCTAVAM EPIPHANIÆ TERTIA.

C *Vox Domini super aquas, Deus majestatis intonuit* (*Psal.* XXVIII), etc.

Celebritas hodiernæ diei, fratres charissimi, in qua octavum Epiphaniæ debitis laudibus prosequimur, maxime in memoria Dominici baptismatis recolitur et celebratur, licet idem sacramentum una et eadem die sanctæ Epiphaniæ sit peractum et in Domino consummatum. Tribus quippe miraculis dies illa celebris est, in qua a regibus stella duce in paupere tugurio cum matre Virgine visitatus adoratur, et a Joanne in Jordane anno tricesimo baptizatur, et in nuptiis aquam in vinum convertendo per deitatis suæ gloriam mundo innotescit et manifestatur. Quæ miracula quoniam magna sunt et præcipua, nec tam egregia divinæ dignationis opera D debita veneratione una die possunt celebrari, placuit matri Ecclesiæ, dictante et ordinante Spiritu sancto, primam diem dari Dominicæ apparitioni, et octavum diem in honore baptismatis Domini nostri Jesu Christi præcipue venerari, qui, sicut omnia quæ in diebus carnis suæ fecit, non pro se, sed pro nobis liberandis fecit, ita etiam propter nos, qui nec peccatum originale habuit, nec actuale admisit, baptizari voluit, ut nobis omnium fluenta sanctificaret aquarum, per quæ renasci et regenerari debent, quotquot ad vitam æternam sunt prædestinati. Hoc Dominici baptismatis sacramentum in nonnullis sanctæ Scripturæ locis præfiguratum esse constat, quemadmodum David, ille egregius psaltes, longe ante **104** ejusdem baptismatis excellentiam intuens præcinuit in psalmo vigesimo octavo, dicens :

Vox Domini super aquas, Deus majestatis intonuit, Dominus super aquas multas. In tribus distinctionibus hujus versus tres sanctæ Trinitatis personæ, Patris et Filii et Spiritus sancti elucent : primo, ubi dicitur *vox Domini super aquas*, persona Domini Filii ; secundo, ubi ait *Domini majestatis intonuit*, persona Dei Patris ; tertio, *Dominus super aquas multas*, opus et excellentia Spiritus sancti. Et quænam erat *vox Domini* Filii *super aquas*. Nimirum vox illa magnæ et mirificæ humilitatis, quando ad expianda cunctorum peccata inter alios peccatores immaculatus et sanctus ad servi sui Joannis baptismum veniens, ei trepidanti et prohibenti ac dicenti : *Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me ?* Respondit : *Sine modo ; sic enim decet nos implere omnem justitiam.* Non ait, *sic me decet implere omnem justitiam*, sed *sic nos decet implere omnem justitiam.* Quid est *omnis justitia ?* Omnis justitia est vera et perfecta humilitatis gratia. Et est quasi dicat : In eo quod ego, qui Creator et Dominus sum cunctorum, ad te servum meum venire, et a te baptizari non abnuo, exemplum et formam humilitatis præbeo omnibus membris meis, quod sic adimplere eos omnem justitiam oporteat, ut humilitatis meæ vestigia sequi non **105** refugiant. Hæc erat *vox Domini* Filii *super aquas.*

Audi nunc quomodo *Deus majestatis*, baptizato eo, *intonuerit* de cœlis : *Hic est*, inquit, *Filius meus dilectus*, *in quo mihi bene complacui.* Nulli mortalium Deus Pater verba ista ab initio dicere potuit, quia in nullo hominum, præter hunc solum benedictum et sanctissimum Dei Patris Filium, Deus Pater sibi complacuit, qui solus liber ab omni contagione peccati nunquam paternæ majestatis oculos offendit. Elegerat et adoptaverat sibi quondam Deus Pater Filium et filiam, Adam videlicet et Evam. Sed non in his sibi complacuit, imo multum displicuit, quia Deo inobedientes et rebelles totum genus humanum commaculaverunt et vitiaverunt, ita ut, diffusis ubique sceleribus, dixisse legatur Deus quod pœnituerit eum fecisse hominem super terram (*Gen.* VI, 7). Quæ flebilis et luctuosa sententia in nova et admiranda mutata est gaudia, quando Deus Pater omni humano generi repropitiatus in Filio suo, sicut diximus, *intonuit* de cœlo : *Hic est*, inquiens, *Filius meus dilectus*, *in quo mihi bene complacui.*

Sed et *Dominus*, Spiritus sanctus, *super aquas multas*, quia quemadmodum Lucas ait : *Corporali specie apertis cœlis super Dominum venit* (*Luc.* III, 22), et non solum venit, sed et *mansit super eum*, sicuti eidem Joanni Baptistæ antea designatus et revelatus fuerat per Spiritum sanctum tale ei danti responsum : *Super quem videris Spiritum sanctum descendentem sicut columbam et manentem super eum,*

hic est qui baptizat in Spiritu sancto (*Joan.* I, 33). Quid autem *aquæ multæ* sunt, nisi sicut scriptum est : *Aquæ multæ populi multi sunt?* (*Apoc.* XVII.) Super has aquas multas bene adest Spiritus sanctus, quia sicuti tunc visibiliter super Dominum descendit, sic etiam nunc usque in finem sæculi super omnes baptizandos invisibiliter venit, invisibiliter sacramentum suum operatur, et proprie ac specialiter per eum omnium originalium sive actualium peccatorum remissio condonatur. Ipse est enim propitiatio nostra, ipse est remissio omnium peccatorum, et, nisi per eum, non fit remissio peccatorum.

106 Jam vocem Domini Filii, jam Deum majestatis intonantem, Dominum Spiritum sanctum operantem super aquas multas audistis, audite adhuc vocem ejus, de qua subditur

Vox Domini in virtute. Vere *vox Domini* erat *in virtute*, quia quæcunque docuit, nequaquam operibus suis irrita fecit, sed magna operum suorum adornavit auctoritate, quemadmodum scriptum est de illo quia *cœpit Jesus facere et docere* (*Act.* I).

Vox Domini in magnificentia. Magnificentia ejus est misericordia ejus, quæ utique magna est, infinita est, et ineffabilis est, ac superexcellit omnia opera ejus, sicut scriptum est : *Miserationes ejus super omnia opera ejus* (*Psal.* CXLI, 9). Quid enim mirum, quid magnum, quod, tanquam Omnipotens, cœlum, terram, mare, et omnia quæ in eis sunt creavit? Non fabricam mundi tantopere miramur, sed est C aliud quod miramur, miram scilicet misericordiam ejus, qua miseros et peccatores sic suffert, sic tolerat, ut eum, quem uno verbo suo demergere posset in abyssum, exspectet, portet, donec omnem voluntatem suam adimpleat.

Et hunc postmodum suscipit indignum, efficit sibimet dignum. Idcirco vere *vox* ejus erat *in magnificentia.* Nam omni tempore, quo inter nos conversatus est, nihil severitatis, nil pœnarum in peccatoribus exercere voluit, sed in magna mansuetudine et misericordia peccatoribus conformatus, ad nullam reorum vindictam, instigantibus etiam Judæis, moveri potuit.

Hinc est quod legimus in Evangelio, quando D Scribæ et Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam adduxerunt ei, quomodo dixerit, quomodo secundum legem Moysis lapidare volentibus responderit : *Si quis*, inquit, *vestrum sine peccato est, primus in illam lapidem mittat* (*Joan.* VIII, 7). Qua sententia omnes confusi, unus post unum exierunt, remansitque sola misera cum misericordia. Et quid ait miseræ illi vera misericordia? *Ubi sunt, qui te accusabant? Nemo te condemnavit?* **107** *Nemo, Domine.— Nec ego te condemnabo. Vade, et amplius noli peccare* (*Ibid.*). Ecce hæc *vox Domini* erat *in magnificentia*, in magna et multa nimis misericordia. Et hæc vox ejus quotidie auditur, quotidie *in magnificentia* est ista vox ejus, quia peccatorum

A mortem non quærit, sed ut convertatur quisque et vivat inspirat, cooperatur.

Possumus etiam ista omnia ad nos referre, quia ista omnia propter nos Verbum incarnatum visibiliter operatum est, ut homo peccator mundaretur, et per septiformem gratiam Spiritus sancti Deo præpararetur et conjungeretur. Per hoc enim quod in hoc vigesimo octavo psalmo septies describitur *vox Domini*, septena Spiritus sancti dona designantur, quæ in Christo plenissime operabantur et requieverunt, et per eum in membra ejus divisa electos quosque sanctificant, et virtutum merita Domino coaptant. Fit *vox Domini super aquas*, quando homo vana et transitoria mundi gaudia despicit, et opera mala et diabolica derelinquit. *Deus* vero *majestatis* B *intonat*, cum per timorem et terrorem Dei ad lacrymosam pœnitentiam redit et recurrit. Venit *Dominus*, Spiritus sanctus, *super aquas multas*, dum amore Spiritus sancti inflammatus non solum opera mala et verba injusta deplorat, sed et *aquas multas*, hoc est multas carnales concupiscentias et voluntates iniquas, per quas deliquit, in seipso insequitur et punit. Facta itaque hac voce Domini super aquas, post vocem virtutis et vocem magnificentiæ Domini, quas ad Christum retulimus, quarta vox ejus, qua nos intrinsecus alloquitur, subjungitur :

Vox Domini confringentis cedros, et confringet Dominus cedros Libani. Cedri arbores sunt magnitudine et altitudine aliis arboribus præstantes. Quid itaque nomine *cedrorum*, nisi hi qui genere et divitiis ac dignitate alios in hoc mundo præcellunt, qui honores mundi ambiunt, humilitatis formam valde abnuunt? Has *cedros* Dominus omnipotens voce sua *confringit*, quando eo donante temporalia postponunt, in paupertate spiritus Deo deservire eligunt, ut tandem plene sanctificati cœlorum **108** regnum possideant. Per *cedros* autem *Libani*, quod *dealbatio* sonat, hi possunt designari, qui candore pudicitiæ et castimoniæ coram Deo sunt dealbati, et scientia vel altitudine sensus sui præditi, et ob hoc mens eorum singulariter, quasi a se hæc habeant, extollitur et gloriatur. Has etiam *cedros* Dominus *confringit*, cum jam considerare incipiunt quod nec munditiam cordis vel corporis, nec aliquod scientiæ lumen sine eo habere valeant, et quandocunque placuerit ei, ab his omnibus fiant extorres et inanes. Post hujusmodi Domini vocem sic et sic confringentis cedros, adhuc alia vox Domini subsequitur.

Vox Domini intercidentis flammam ignis, vox Domini concutientis desertum, et commovebit Dominus desertum Cades. Est ignis iracundiæ, qui nos inflammat; est ignis superbiæ, qui nos consumit; est ignis luxuriæ, qui nos devastat, et suo dominio turpiter addicit. Sed hos ignes *vox Domini intercidit*, quando pravis motibus istis sedatis corda mundantur, et rore Spiritus sancti refrigerantur. Sed et per vocem *concutitur desertum*, cum desertum et derelictum cor hominis a Deo, fit cœlum et mansio Dei. *Et commovebitur desertum Cades*, quod interpretatur *sancto*

cum anima jam libera, et a peccatis emundata, per Dei gratiam fit sancta, fit pura, dealbata et immaculata.

Post has Domini voces septima Spiritus sancti vox inscribitur, quæ magnum illud opus efficit, quod sequitur : *Vox Domini præparantis cervos, et revelabit condensa, et in templo ejus omnis dicet gloriam.* Quid est *cervos præparare*, nisi saltus contemplationis dare? In his saltibus contemplationis *condensa revelabuntur*, quia seipsum rectissime et veraciter electus quisque potest pervidere, et latens mysterium in condensis Scripturarum cognoscere et intelligere. Tunc *in templo ejus omnis dicet gloriam*, quia votivo et æstuanti desiderio homo totus Deo astringitur, quem semper laudare cupit, semper nomini ejus gloriam dare non fastidit. Sic certantibus, sic currentibus apte congruit quod sequitur :

109 *Dominus diluvium inhabitare facit, et sedebit Dominus rex in æternum. Diluvium* dictum est a *diluendo*. Et quid per diluvium nisi ubertas lacrymarum, quæ bene et proprie *diluvium* nuncupatur? Nam sicut quondam in diluvio aquarum omnia viventia perierunt et consumpta sunt, sic etiam in diluvio lacrymarum et pœnitentiæ omnia necesse est perire. Quæ omnia? Omnia utique vitia et peccata, quæ sine dubio diluuntur et pereunt, et quasi non essent, sic erunt, si *diluvium* istud lacrymarum Deo donante *habitet* in nobis. Hinc arbitror esse, quod sæculares homines, qui aliquando in fletibus compunguntur, postmodum redeunt ad priora vel etiam ad pejora, quia *diluvium* istud non *inhabitat* in eis, nec firmum statum habet cum eis. Qui sicut infelices sunt, eo quod diluvium istud non agnoscant, sic e contrario sine fine felices erunt, in quibus *diluvium* istud *inhabitat*, qui non semel, aut bis, vel ter aut minus in anno, sed semper certo tempore in diluvio isto se satagunt abluere, ut pereat in eis, quidquid in eis inhæserit de pulvere terrenæ contagionis. In his *Dominus Rex in æternum sedebit*, quia et hic et in futuro admirabili eos gaudio perfundens æternaliter remunerando reget et possidebit.

Sed et per *diluvium* istud, quod Dominus *inhabitare facit*, aqua baptismatis potest designari, in quo omnia peccata diluuntur et dimittuntur. Quod bene *diluvium* Dominus *inhabitare facit*, quia usque in finem sæculi idem sacramentum perdurabit, et per hoc *Dominus* **110** *rex in æternum sedebit*; quia in filiis suis per spiritum adoptionis renatis ipse hic et in futuro gloriose regnabit.

Et quia utroque diluvio baptismatis et compunctionis, emundari et lavari debemus (*nisi enim quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei* [*Joan.* III, 4]), post baptisma bene viventibus, aut, si male, sed pœnitentibus, quid mercedis, quantæ beatitudinis gloriam a Domino consequantur, innuitur in eo quod subjungitur :

Dominus virtutem populo suo dabit, Dominus benedicet populo suo in pace. Populi ejus omnes sunt electi, quibus ipse *dabit* in præsenti *virtutem* bonæ operationis, et post *virtutem* consummatæ operationis *benedicet eis in pace* dando æternitatem remunerationis, *Benedicet populo suo in pace*, quando in judicio venturus discretor meritorum dicet bonis : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est a constitutione mundi.*

In hac benedictione magna pax, perpes tranquillitas erit, quia tunc merces perpetua dabitur bene nunc operantibus, bravium indefesse currentibus, corona indefesse certantibus. Ad hanc benedictionem et pacem perducat nos Jesus Christus Dominus noster, qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

111 HOMILIA. XX.

IN FESTUM PURIFICATIONIS S. MARIÆ VIRGINIS PRIMA.

Postquam impleti sunt dies purgationis Jesu. (*Luc.* II).

Æterna Dei virtus et sapientia quantas et quam inæstimabiles regni sui quandoque cohæredibus immortalitatis præparaverit divitias, præsentis nobis sancti Evangelii lectio commendat : *Postquam*, inquit, *impleti sunt dies purgationis Jesu.* Cum Dominus et Salvator noster Jesus Christus solus inter peccatores a peccatis omnibus liber in hoc mundo vixerit, mirandum quidnam sint *dies purgationis* ejus, in quibus ipse debeat purgari secundum legem Moysi. Nihil enim legi debebat legislator, nullius instituti prævaricator.

Sed sciendum quia, cum Christus caput sit corporis Ecclesiæ, membra autem ejus electi quique, quod de ipso in sacra Scriptura plerumque dicitur, de membris ejus, electis videlicet hominibus non incongrue intelligitur. Igitur per *dies purgationis Jesu* omne tempus labentis sæculi potest accipi, in quo unaquæque anima necesse habet quotidie purgari, et in ipsa piæ mentis devotione sollicite debet pensare quia, et si, adjuvante Deo, aliqua virtus vel observantia sit in verbis aut in opere, minime tamen eam internarum munditiam custodire posse cogitationum. Quis enim, ut Apostolus ait, castum cor se gloriabitur habere? Quid in hac vita sine peccati contagio, quamvis tenuissimi, unquam peragitur? In his itaque *diebus purgationis Jesu* debet Jesus non in sua persona, sed in membris suis, scilicet electis, purgari, purgatione, inquam, quæ fit *secundum legem Moysis*, quia in Spiritu vivificante docet legis littera quo studio devitanda sint illicita, et si admissa fuerint, quomodo sint purganda. At postquam in gloria futuræ resurrectionis *impleti* fuerint *dies* istiusmodi **112** *purgationis*, fiet in omnibus ad vitam prædestinatis quod subjungitur :

Tulerunt, inquit, *cum in Jerusalem ut sisterent cum Domino, sicut scriptum est in lege Domini*, Notandum quod tres leges ab evangelista ponuntur : prima ubi ait : *Postquam impleti sunt dies purgatio-*

nis Jesu secundum legem Moysi; secunda ubi ait : *Tulerunt eum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino sicut scriptum est in lege Domini*; tertia : *Et ut darent hostiam, secundum quod dictum est in lege Domini.* Legem ergo primam, *legem* videlicet *Moysi* legem appellare possumus servitutis, per quam justificamur; *legem* vero *Domini scriptam* constitutum et præscriptum a Deo terminum mortis, quem nullus præterito valet vivens in sorte filiorum hominum, quæ lex secunda, lex dici potest libertatis, per quam justificati liberabimur, quia cum corpus hoc, quod corrumpitur et aggravat animam, in morte deposuerimus, liberati a peccato, quasi novæ et veræ libertati donabimur. Hanc legem libertatis tertia lex subsequitur, lex scilicet glorificationis vel remunerationis, quando in resurrectione recepto corpore immortali duplici immortalitatis stola in corpore simul et anima glorificabimur.

Videamus igitur qui sint qui, impletis et consummatis diebus purgationis, tollant Jesum, ut sistant eum Domino, *sicut scriptum est in lege Domini.* Sunt denique beatæ illæ cœlestium agminum multitudines, quæ in extremo judicii examine ad discernendum bonos et malos sedula intersunt administratione, sicut quodam loco ait Dominus : *Mittet Filius hominis angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala.*

113 Isti supernæ civitatis principes angeli ad tollendas *in Jerusalem*, id est *visionem pacis*, electorum animas de hoc mundo migrantes, tendunt ulnas gaudii, vitæ ducentes principi, ubi vere et perfecte sistentur Domino nunquam prorsus ad deteriora casuri, ubi sicut nunquam beati desinunt esse in vera constituti beatitudine, sic nequaquam a perenni cessabunt laude, ut merito dicere queant Domino : Adduxisti sanctos tuos in præparationem, quam præparaverunt manus tuæ.

Et unde hæc tanta tamque incomparabilia bona? A Deo utique, *quia omne masculinum adaperiens vulvam sanctum Domino vocabitur. Omne masculinum*, hoc est omne virile opus, *adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur.* Sancti namque, qui per fortia et virilia opera Deo placuerunt, *vulvam tunc adaperiunt*, cum de angustiis et tenebris hujus exsilii liberati ad lumen indeficientis solis perveniunt, *sanctumque Domino vocari* merentur, eo quod conformes imaginis Filii ejus perpetualiter ibi sanctificantur.

Et ut darent, inquit, *hostiam, secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum aut duos pullos columbarum.* Hæc igitur tertia lex, lex est glorificationis, de qua supra diximus, nequaquam scripta, sed *dicta*, eo quod promissionem cœlestium præmiorum, secundum quod dicit et docet Scriptura, tantum nunc teneamus in spe, quam necdum percepimus in re. Multa denique et gloriosa nimis dicta sunt nobis de civitate Dei et monte sancto ejus, quæ omnia per fidei et spei amplectimur certitudinem, donec ad ipsam felicitatis æternæ perveniamus magnitudinem. In resurrectione itaque, cum lex tertia glorificationis apparuerit, sancti angeli *par turturum*, contemplativos, *aut duos pullos columbarum*, activos, hostiam vivam, sanctam Deo placentem Domino dabunt. Per hanc nempe oblationem avium duæ vitæ significari possunt, contemplativa videlicet et activa; per *par turturum*, contemplativa, quæ major est quam activa, quia hæc in usu præsentis temporis laborat, hæc per saporem intimum venturam jam requiem degustat.

114 Cur vero non simpliciter *columbas*, sed *duos pullos columbarum* offerri jusserit, videamus; nam singula verba singula requirunt mysteria. Licet ergo tota simul Ecclesia *una sit columba perfecta, una matris suæ, electa genetrici suæ* (*Cant.* VI), diversæ tamen columbæ inveniuntur, quæ ex diverso religionis habitu ad unam fidei concordiam colliguntur. Sunt igitur, qui in activa vita laborant, quasi *duo pulli columbarum*, dum deposito homine vetere in novum per bonam operationem incipiunt juvenescere; sunt etiam moribus columbini, fellis amaritudinem non habentes, ore nulli convitia vel injuriam inferentes, unguibus, id est operibus proximum non lædentes. Per *turtures* vero designantur contemplativi, qui ex abundanti gratia Spiritus sancti altiori quodam intellectu gustare et rimari merentur mysteria Christi. Ideo autem per *turtures* contemplativi, quia nomine turturum unum in substantia, trinum in personis Deum salva fide animadvertere possumus, sicuti per columbam Spiritum sanctum alias significari nonnunquam videmus. Sed *par turturum*, id est par Patri, par Filio, par Spiritui sancto, quantum fas est mortalibus, tunc fiet homo contemplativus, qui nunc per mentis excessum in Deo dilatatus, in se divinam præsentiam dignus invenitur suscipere et idoneus capere. Et ne cuiquam hoc fortasse incredibile videatur, quod hunc, quem sapientia Dei Patris instruit, et per amorem dulciter afficit, parem Patri et Filio et Spiritui sancto diximus, audiamus Apostolum dicentem : *Qui adhæret Domino, unus spiritus est* (*I Cor.* VI, 17). Igitur quia talis similitudo ejus lucet in cordibus electorum, sequitur et in resurrectione æternitatis similitudo, ubi sicuti ille unum est cum Patre, ita et ipsi unum corpus erunt cum eo, quemadmodum Joannes ait : *Scimus quoniam, cum apparuerit, similes ei erimus* (*I Joan.* III, 2). Nam sicut ille bonus, beatus, justus, impassibilis, immortalis, ita et nos ad similitudinem ejus boni, beati, justi, impassibiles, immortales erimus. Unde et apte sequitur:

Et ecce homo erat in Jerusalem, cui nomen Simeon. Certe jucundum *ecce* erit, cum homo iste, mediator noster, Jesus Christus omnibus membris
115 suis ad se pertinentibus, in unum collectis, velut unus homo *Jerusalem* inhabitabit [*cod.* inhabitat]. Et ut hoc apertius intelligamus, ipsius Domini verba audiamus : *Nemo*, inquit, *ascendit in cœ-*

lum, nisi Filius hominis, qui est in cœlo; ipse enim, qui descendit; ipse est, qui ascendit (*ibid.*, 13), unus idemque Dominus et sponsus in capite, et sponsa in corpore. Erit autem *homo* iste caput cum membris suis *in Jerusalem*, quia firmum et perpetuum ibi esse erit, quod nulla vis externa vel necessitas immutabit. *Cui nomen Simeon.* Simeon interpretatur *audiens tristitiam.* Quid ergo? Si summum bonum Deus, quis rogo *tristitiæ* apud eum inveniri poterit locus? Si auditui eorum gaudium et lætitia tribuitur, quid triste, quid luctuosum ibi erit audiendum, unde gaudia eorum imminuantur? Sciendum est quod reproborum animæ, perpetua damnatione constrictæ, ad electorum sortem nunquam transeunt; quos tamen ante diem judicii in requie claritatis æternæ conspiciunt, super quorum supplicia justorum animæ auctoris sui justitiæ conjunctæ nulla compassione moventur; vident pœnas, sed non sentiunt; audiunt, sed non patiuntur; ipsaque tormenta injustorum fiunt eis in obsequium gaudiorum, ut, dum mala conspiciunt quæ misericorditer evaserunt, uberiores Redemptori suo gratias referant, quia et ipsi talia perpeti potuissent, si præventi in benedictionibus dulcedinis ejus non fuissent. Sed ne alicui durum in sanctis videatur et asperum quod miserorum despiciunt cruciatum, ponamus exemplum quod hoc valde probabile reddat et congruum. Si enim boni et perfecte justi, in hoc mundo super iniqua et confusione res dignas agentes, bono zelo accenduntur et digna animadversionis pœna feriri gratulantur, quid mirum si hi qui ipsi judici justitiæ adhærentes concordant, reproborum tormenta æquanimiter ferant? Sequitur:

Et hic homo justus et timoratus. Sunt etenim electi tunc *justi et timorati; justi* per verum quem Creatori impendunt amorem; *timorati*, non servili, sed filiali quodam timore, eo scilicet timore, quo nunc filius bonus et fidelis et disciplinatus plus Patrem timet **116** offendere ex dulci affectu amoris, quam ex imminenti necessitate timoris. De cujus timoris reverentia dicit Propheta: *Timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi* (*Psal.* XVIII, 10).

Exspectans, inquit, *consolationem Israel, et Spiritus sanctus erat in eo.* Quænam, rogo, *consolationis* virtus ibi necessaria erit? Prorsus magna *consolatio* dici valet transisse de gloria fidei in gloriam speciei, *exspectare*, id est extra spectare facie ad faciem gloriam assumpti hominis, ipsique adhærere, et participationem ejus habere. Quod vero additur, *et Spiritus sanctus erat in eo*, ostendit profecto quod beatis animabus talis splendor inest mentis et intelligentiæ, ut contemplari et videre valeant sensu pulchritudinem Sapientiæ, et Verbi, et Veritatis, ipsiusque deitatis ineffabilem naturam considerare. Idem autem Spiritus sanctus, cujus munere et gratia sic merentur sublimari, id quod sequitur dignanter in eis operatur:

Et responsum, inquit, *acceperat a Spiritu sancto*

A *non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini.* Quicunque in loco mortalitatis et peregrinationis hujus pia vota et desideria ad cœli palatium transmittunt, *responsum* bonum et delectabile *a Spiritu sancto accipiunt.* Hi licet in corpore mortis hujus gemant, et sæculi nequam carcere inclusi teneantur, ubi peccata non tangere omnino est inevitabile, nunquam tamen protegente Deo *mortem* animæ ita incidere permittuntur, *nisi Christum Domini*, Deum scilicet et hominem *videre* quandoque digni inveniantur.

Et venit in spiritu in templum. O quoties *templum* Dei, domum, inquam, orationis frequentamus, cum non *in spiritu*, sed solo corpore, pedibus, sed non affectibus illuc venimus! Cum vero atria sancta
B Dei nostri merebimur introire, tunc *in spiritu in templum venimus*, quia ad terrena cogitanda ultra non quærimus mente exire.

Et cum inducerent puerum Jesum parentes ejus, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo. Per *parentes Jesu* cœlestes illi administratorii spiritus significari non inconvenienter possunt, eo quod suggestionibus sanctis et bonis Dominum **117** Jesum pariant et forment in nobis, fideles utique paranymphi, mutui amoris conscii, sed nequaquam invidi, qui utique *puerum Jesum inducunt*, cum in fine mundi omnem multitudinem electorum capiti suo, id est, Christo festinant unire et colligare [*cod.* colligere], eumdemque Dominum gloriæ admirantes,
C cum membris suis *secundum consuetudinem legis faciunt pro eo.* Quid autem parentes Jesu *secundum consuetudinem legis faciant*, audiamus, sancti angeli, qui semper præsto habent, in quem desiderant prospicere, cujus rectissimæ voluntati obsequi semper sunt parati, ipsum laudare et benedicere consueverunt voce incessabili. Et dum salvandus quisque de corpore egreditur, novæ laudis tripudio suo eum repræsentant Domino. Unde per *consuetudinem legis* angelorum rectissime accipi potest laus et devotio carminis eorum. *Pro eo* igitur oblato puero *secundum consuetudinem legis facere*, est, ut diximus, collecto universo Christi corpore ipsum corporis caput infinitis laudum præconiis extollere et glorificare. Tunc veraciter in sanctis efficitur quod
D sequenti narratione innuitur.

Et ipse accepit eum in ulnas suas, et benedixit Deum et dixit. Nam quod hic minime perfecte obtinere quiverant, tunc *in ulnas* eum ibi accipiunt, cum ei ulnis intimi amoris ita constricti adhærent, ut ultra nec dictis nec factis aut cogitationibus aliquid admittant, quo oculum æternæ majestatis offendere queant.

Perceptis igitur tantis tamque sublimibus donis *Deum benedicunt*, dum nil suis meritis tribuentes, totum, quod salvati sunt, gratuitæ bonitati Dei adscribunt dicentes: *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace.* Ac si electi, civitatem Dei viventis inhabitantes, et multorum millium angelorum frequentiam intuentes, ejusdem

civitatis artifici et conditori dicant: Jam nos *dimittis*, hoc est veraciter humiles reddis, qui tibi, Dominatori omnium, carnis sarcina aliquando prægravati, liberam servitutem exhibere nequivimus. Et ideo *secundum verbum tuum*, id est secundum promissionem tuam, vel secundum Filium tuum, a peccati scandalo absolutos multiplici consolaris *pace*, dans *pacem* habere a mundo, qui impugnabat; *pacem* a diabolo, qui tentabat; *pacem* a **118** carne, quæ spiritui semper restitit. Et hoc ideo *quia viderunt oculi mei salutare tuum*. Dominum Jesum Christum, quem fidei oculis olim amplecti meruimus, jam mentis oculis qualis sit in divinitate, et oculis corporis unitam deitati humanitatem sine fine visuros nos esse gaudemus.

Quod parasti ante faciem omnium populorum. Hoc etenim *salutare tuum*, id est Filium tuum, quo nos æternaliter perfrui gratulamur, *ante faciem omnium populorum præparasti*, quando hunc pro salute humani generis incarnari constituisti, ut videntes eum ex omnibus populis in eum crederent, credentesque salvi fierent. *Lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis tuæ Israel. Lumen* quippe *ad revelationem gentium* venerat, ut mentes, quæ in tenebris versabantur, illustrarentur, et *plebs Israel*, multitudo scilicet *Deum videntium* majori dulcedinis suæ gratia glorificaretur. Sed et per *gentes* activi, per *Israel* contemplativi non incongrue possunt accipi. Cum enim Filius quandoque tradiderit regnum Deo Patri, et erit Deus omnia in omnibus, splendor et *lumen* quoddam erit *gentium*, hoc est in activa vita laborantium, et *gloria plebis suæ Israel*, Deum profecto contemplantium, tanta, talis, tam ineffabilis, quam *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ præparavit Deus diligentibus se* (*I Cor.* II).

Item per *gentes* electorum omnium numerus, per *Israel* angelicus intelligi valet exercitus. Dominus igitur Jesus Christus *lumen ad revelationem gentium* erit, quando universi electi de tenebris hujus mundi ad gaudia æternitatis collecti, ita divino splendore collustrantur, quod non solum gloriam assumpti hominis, sed et ipsius deitatis magnificentiam æternaliter contemplantur. Erit et *gloria plebis suæ Israel*, angelicarum scilicet virtutum, Deum semper ab initio contemplantium, mira et inæstimabilis exsultatio, quando de collecta in cœlis beatorum omnium multitudine perfecta numeri eorum fiet redintegratio. Etenim qui de unius gaudent peccatoris conversione, utique de tantorum justorum ineffabiliter gratulantur remuneratione.

119 HOMILIA XXI,

IN FESTUM S. BLASII EPISCOPI ET MARTYRIS PRIMA.

Si quis vult post me venire, abneget seipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me (*Luc.* IX).

Quia beatus Gregorius, egregius doctor Ecclesiæ, Evangelium istud luculenter et excellenter, utpote plenus Spiritu sancto exposuit, displicere aliquibus, A vel etiam præsumptionis argui timemus, si post tanti viri verba loqui de eo, vel exponere aliquid attentemus. Attamen quia hæc eadem lectio in hac solemni celebritate sanctissimi domini Patris et patroni nostri Blasii legitur, non putamus nos dignitati vel excellentiæ beati Gregorii in hoc derogare, si de ea, ob devotionem et reverentiam, quam eidem domino nostro, beato Blasio, et ex debito servorum et ex affectu filiorum debemus, aliquid ad gloriam et laudem ejus, secundum quod omnipotens Dominus dare nobis per meritum ipsius dignabitur, dicere audemus. Ad exponendam igitur evangelicam lectionem accedamus, et quod ad laudem et gloriam beati Blasii dare nobis Dominus dignabitur, pro modulo nostro proferamus

B Quia Dominus et Salvator noster, qui est sapientia Dei Patris, vidit et præscivit, non posse omnes homines capere verbum istud, ut venientes post se abnegent seipsos, et tollentes crucem suam sequantur eum, in voluntate hominis posuit, cum dixit: *Si quis vult post me venire*. In Scriptura enim sacra quædam præcipiuntur, quædam prohibentur, quædam conceduntur, quædam suadentur. Bona præcipiuntur, mala prohibentur, media conceduntur, ardua suadentur. Dum enim dixit lex: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua; honora patrem tuum et matrem tuam*, etc., bona præcipiuntur. Dum dicit: *Non occides, non mœchaberis, non furtum facies*, et his similia, mala prohibentur. C Præceptis ligatur **120** homo ad obedientiam: bona omnibus hominibus præcepta sunt, mala omnibus hominibus prohibita sunt. Sive enim præcepta homo dimiserit, sive mala admiserit, reatus sui pœnæ subjacebit. Media autem, quæ conceduntur, et ardua quæ suadentur, in voluntate hominis posita sunt, ut si homo, qui sublimiori voto ligatus non est, sæculum, possessiones sæculi, uxores, liberos, quæ sunt media illa quæ conceduntur, habere desiderat, habeat in spe minoris præmii. Qui autem venire vult post Jesum, hoc est qui, relicto sæculo et voluptatibus sæculi, cælibem ad exemplum Christi martyris ducere vitam, quod sunt ardua quæ suadentur, deliberat, in spe majoris præmii et excellentioris gloriæ D suscipiat. Quo autem ordine ad hoc pertingere debeat, ut venire post Jesum valeat, ostendit protinus, cum subjungit:

Abneget seipsum. Ista abnegatio est propriæ voluntatis abdicatio. Abnegat homo seipsum, quando vitam et voluntatem illam, qua secundum seipsum vivebat, non secundum Deum, abdicat et abjicit, ut secundum Deum et voluntatem Dei vivere possit. Quia vero non sufficit homini seipsum abnegare, propriam voluntatem suam sibi abdicare, nisi pœnitendo et satisfaciendo emendare laboret, quod deliquit, adjecit et ait:

Et tollat crucem suam quotidie et sequatur me. Et notandum quod non dicit, *tollat crucem meam*, sed *tollat crucem suam*. Alia enim est crux Christi alia

est crux latronum. Crux latronum crux est peccatorum. Debet homo *crucem suam*, quam significat crux latronum, qui pro suis sceleribus passi sunt, primum *tollere*, pro suis peccatis primum cruciando se. Et hoc non **121** uno die vel duobus, sed *quotidie*, ut quotidiana pœnitentia et satisfactione puniendo in se quod deliquit, studeat emendare. Postquam sic *crucem suam* portaverit, crucem Christi utiliter tollere poterit. Duobus enim modis, ut ait beatus Gregorius, crux Christi tollitur, dum aut per abstinentiam affligitur corpus, aut per compassionem proximi affligitur animus. Ubi enim homo seipsum abnegaverit, ubi per abstinentiam dignisque pœnitentiæ cruciatibus pro peccatis suis Deo perfecte satisfecerit, potest etiam Christum sequi, quod est tollere crucem Christi, potest, inquam, ad exemplum Christi, qui pro alienis peccatis crucem sustinuit, cruciatibus suis, jejuniis videlicet orationibus et vigiliis, alienis apud Deum subvenire errantibus. Sequitur :

Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam. Intelligitur aliquando in *anima* spiritus hominis, quo vegetatur et regitur corpus, aliquando animalis vita hominis. Hic sane intelligere possumus per *animam* animalem vitam hominis, quam qui *salvam facere*, hoc est de animali spiritalem facere cupit, quod est vere *animam salvam facere, perdet eam, perdet*, inquit, vitam illam, qua sæculum et voluptates sæculi amavit, ut mihi soli vivere possit. Nam *qui perdiderit animam suam propter me, salvam faciet eam.* Bene dicit, *propter me*, nam sunt aliqui, qui sæculum et voluntatem illam, quam habere ad sæculum videbantur, deserunt, ut dum paucis, quæ possident, abrenuntiant, majora per hoc mundi hujus bona consequi et adipisci valeant. Ili sane *perdunt animam suam* non propter Deum, sed propter se. Qui autem propter Deum animam suam perdiderit, hoc est, qui, abjectis mundi voluntatibus, divinæ se voluntati perfecte mancipaverit, *salvam faciet eam.* Divinæ enim voluntatis exsecutio animæ perditæ certa est salvatio. Sequitur :

Quid enim proficit homo, si lucretur universum mundum, seipsum autem perdat, et detrimentum sui faciat? Quid per *universum mundum* intelligi possit, ostendit beatus Joannes ubi dicit : *Omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ* (*I Joan.* II, 26). Lucrum **122** hujus mundi est voluptas carnis, vanitas cordis, superbia mentis. Quasi enim *universum mundum lucratur*, quando juxta concupiscentias carnis voluptuose vivendo mundi illecebris delectatur; *mundum lucratur*, quando ad concupiscentiam oculorum, ad illam videlicet cordis vanitatem deciderit, quod etiam laudari pro voluptuosis actibus suis amat et desiderat, juxta vocem Psalmistæ dicentis : *Quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ* (*Psal.* X, 3). Post vanitatem cordis labitur in elationem mentis, dum etiam superbire incipit, eo quod cuncta quæ mundi sunt, ad votum sibi suppetere

A conspicit. Sic enim *universum mundum* lucrando, non solum homo non proficit, imo multum deficit; quia tali lucro seipsum perdit, et detrimentum sui facit. Quid est *ipse homo?* Audiamus quid Trinitas summa, cuncta ab æterno ordinans et dispensans, dixerit, quando creare hominem voluit : *Faciamus*, inquit, *hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Gen.* I, 26). In ea igitur parte, qua ad imaginem et similitudinem Dei conditus est, vere *homo ipse homo* est. Seipsum igitur perdit, quando imaginem Dei in seipso diluit, quia dum sequitur voluptatem carnis, dum sequitur vanitatem cordis, dum sequitur superbiam mentis, non imitatur Deum, sed imitatur mundum, imitatur diabolum. Post hæc sequitur quod adhuc deterius est, quia, postquam sic

B abolita in se imagine Dei seipsum perdiderit, etiam *detrimentum sui facit. Detrimentum* quasi *detritio mentis* dicitur. *Detrimentum* tum *sui facit*, quando quasi detritionem quamdam mentis suæ facit, hoc est quando hoc quod excellentissimum est in se, rationem videlicet mentis suæ, in qua per impressam sibi similitudinem Dei sapere, Deum intelligere et diligere deberet, ita deterit, et ad nihilum redigit, quod nec ad cognitionem, nec ad divinæ dilectionis dulcedinem facile redire poterit. Hanc autem detritionem mentis maxime facit superbia mentis. Alius enim est qui per superbiam peccat, alius est qui per infirmitatem peccat. Qui per superbiam peccat, hujus magnum periculum est, si ad vitam æternam, quæ solis datur humilibus, unquam resurgere debeat;

C qui vero peccat ex infirmitate, hic facile salvabitur divinæ miserationis pietate. Nam qui infirmus pro nobis fieri voluit, **123** infirmitatem infirmi sui pie considerat, ut salvum faciat. Quo autem ordine hoc faciat, continuo ostendit, cum dicit :

Nam qui me erubuerit, et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua et Patris et sanctorum angelorum. Quamvis verba hæc ita intelligenda sint, quod unigenitus Dei Filius eos, qui nunc confessionem nominis ejus erubescunt, veniens in majestate sua in novissimo die erubescat et condemnet, tamen, juxta hunc sensum, quem modo diximus, non tantum terribiliter de damnandis, sed etiam misericorditer de salvandis dicta ar-

D bitramur. Sunt namque nonnulli in sæculo, qui libenter aliquando benefacerent, vanitates sæculi hujus facile contemnerent, sed dum, a quadam infirmæ suæ mentis verecundia despici vel derideri a proximis, si operibus eorum non communicent, pertimescunt, Christum quodammodo et sermones Christi erubescunt.

Nec prætereundum quod ait : *Qui me erubuerit et meos sermones.* Exprimit enim, quantum video, his duobus verbis et opus creationis nostræ, et opus redemptionis nostræ. Christum igitur et sermones Christi *erubescit* qui eum, eo quod Creator ejus sit, non metuit; qui amorem illum, quo diligere eum [debet], eo quod Redemptor ejus est, bene vivendo ostendere erubescit. Sed qui infirmus fieri voluit, ut

infirmis condescenderet, misericorditer, quemadmodum prædiximus, infirmitatem ejus considerans, hunc *erubescet*, id est humiliter erubescentem faciet, cum venerit *in majestate sua et Patris et sanctorum angelorum. In majestate sua venit*, quando, visitante et illuminante gratia ejus, homo concutitur et salubriter contremiscit in se, quod pro se indigno peccatore tantæ majestatis Dominus in sua sanctissima humanitate tantas miserias, contumelias, injurias, et ad ultimum crucis ignominiam sustinere voluit, ut ejus miseriis subveniret. *Venit in majestate Patris*, quando excellentiam et dignitatem conditionis suæ, qua eum ex nihilo ad sui ipsius imaginem et similitudinem omnipotens Deus creare dignatus est, humiliter considerans erubescit et ingemiscit, quod vel amore vel timore hujus **124** sæculi unquam aliquid tantæ ejus miserationi atque dignationi contrarium admisit. *Venit in majestate sanctorum angelorum*, quando post humilem hanc divinæ miserationis considerationem, quam ostendit ei in sua humanitate, post agnitionem dignationis, qua condidit eum in sua divinitate, illuminat eum etiam ad considerandam et pertimescendam justissimam et investigabilem judiciorum Dei æquitatem, quam in excellentissima illa angelica creatura exercuit in cœlo, dum eos, qui stare cum eo sub obedientia noluerunt, propter superbiam eorum æternaliter damnavit; illos autem, qui in humilitatis subjectione cum ipso permanserunt, æternæ stabilitatis incommutabilitate ita in sui amore firmavit, quod, sicut nolunt, sic etiam nunquam ab eo cadere possunt. Quod nimirum quanto subtilius homo salvandus cognoscit, tanto validius in amore Dei exardescit. Miratur enim in semetipso, quod is, qui etiam angelis suis non pepercit in cœlo, se, qui pulvis est et cinis, in tanta peccatorum dementia tam mirabili miserationis suæ tandiu supportavit clementia. Ut autem nemo putaret hæc eadem Domini verba ad futurum tantum pertinere judicium, ubi vere *veniet in majestate sua et Patris et sanctorum angelorum* ad judicandum genus humanum, subjunxit in fine Evangelii et ait :

Dico autem vobis : Sunt aliqui hic stantes, qui non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei. Dum enim dicit, *sunt aliqui hic stantes*, statum præsentis vitæ significat. Recte enim *hic stantes* dicuntur, qui elevantes se et erigentes contra peccata et vitia in præsenti vita, quod est *hic*, et in fide Catholica, et in bonorum operum constantia perseverantes stare nituntur. Hi vere sunt, *qui non gustabunt mortem*, neque *mortem* illam carnis, qua separatur anima a corpore, neque *mortem* illam peccati, qua separatur Deus ab anima, *donec videant regnum Dei*.

Nec transeunter animadvertendum est quod ait, *non gustabunt mortem*. Gustus enim peccati *gustus mortis* apte potest dici, quia ex gustu peccati incipit anima mori. Sed qui *hic stantes* sunt, *non gustabunt mortem donec videant* **125** *regnum Dei*. Mox etenim

A ut gustum mortis, quod est gustus peccati, qua separari a se et perdere vitam animæ suæ, quod Deus est, metuunt, accedere sibi et appropinquare sentiunt, recurrunt ad *regnum Dei*, recurrunt ad secretum cordis sui lacrymis et precibus tandiu insistentes, quoadusque in semetipsis *regnum Dei* inveniant, hoc est donec venientis ad se in majestate sua et Patris et sanctorum angelorum præsentiam et misericordiam in semetipsis sapiant et intelligant.

Hæc sunt verba lectionis evangelicæ, quæ auxiliante gratia Christi ad laudem et honorem Domini nostri beatissimi Blasii pro modulo nostro exponendo transcurrimus, quam recte et congrue in hac sacra ejus solemnitate legendam instituit Spiritus sanctus. Fuit enim vere unus *de hic stantibus*, quos præscivit et præsignavit his verbis unigenitus Dei Filius, quia quandiu *hic*, quandiu in hac præsenti vita

B fuit, et in Catholicæ fidei integritate, et in perfecta bonorum operum stabilitate sic in semetipso stetit, quod nunquam ad alicujus lethalis lapsum criminis inclinari voluit. Etenim ab infantia sua purus et innocens puro et innocenti Deo et cordis sanctitate et corporis castitate inviolabiliter adhæsit. Et quia inexstinguibili flamma dilectionis Christi succensus, nil de hujus sæculi voluptatibus vel honoribus, utpote totus corpore et anima Deo deditus, amavit vel desideravit, vere *mortem non gustavit*, quia mortem illam, mortem dico peccati, qua vitam animæ suæ, Deum omnipotentem amittere posset, per rigorem vitæ, per fervorem ardentis in Deum animæ, semper amovere et declinare laboravit. Ideirco vidit re

C vera *regnum Dei*, quia plenus erat gratia et dulcedine regnantis in se omnipotentis Dei.

Et ne quid esset quod ab hujus regni Dei visione interiorem cordis ejus oculum retardare posset, sub obtentu declinandæ juxta præceptum Domini persecutionis, consortia fugit hominum, non ut mortem corporis, sed mortem animæ **126** evaderet, hoc est ut mortuus sæculo solus soli Deo liberius vivere posset. Unde cum adveniente jam tempore remunerationis ejus caperetur et traheretur, et ad idola compelleretur, nec verberibus, nec carceribus, nec ligni suspensione, nec crudelissima, qua ferreis pectinibus sanctissimum ejus corpus disruptum est, lace-

D ratione, nec ipsa etiam capitis obtruncatione ab immutabili illo, quo in Deo fixus erat, amore revocari potuit, donec ad illud regnum Dei transivit, in quo gloriosi certaminis sui præmium, æternæ beatitudinis cum angelis Dei possidet gaudium, ubi apud illum, pro cujus amore seipsum in hoc mundo abnegavit, cujus crucem omnibus diebus suis in hac vita portavit, gratiam et misericordiam potest impetrare omnibus in se sperantibus, omnibus in fide et spe nomen ejus invocantibus.

Cujus et nos intercessionis auxilium humili corde et corpore imploremus. Nam cum in ultimo passionis suæ agone positus, pro omnibus, sicut liber passionis ejus commemorat, nomen ejus fideliter invocantibus omnipotenti Deo ut misericordiam et

consolationem, in quibuscunque necessitatibus suis experiri mererentur, supplicaverit et impetraverit, nos licet indigni, tamen servi ejus et filii, sicut speciali eum devotione diligimus, et claritati ejus congaudemus, sic speciali spe et fiducia de pietatis ejus dulcedine præsumentes, gratiæ ipsius humiliter nos submittere debemus, quatenus interventu et meritis ipsius, hic in præsenti vita et in fide recta, et in operatione sancta sic stare valeamus, ut non gustemus mortem, donec videamus hic in nobis regnum Dei, de quo ad illud regnum transeamus, in quo cum ipso et omnibus Dei sanctis æternaliter gaudeamus. Quod ipse præstare dignetur Dominus noster Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen

127 HOMILIA XXII,

IN FESTUM S. AGATHÆ VIRGINIS ET MARTYRIS PRIMA.

Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo, abscondit, et præ gaudio illius vadit, et vendit universa quæ habet, et emit agrum illum (*Matth.* XIII).

Dominus ac Redemptor noster, qui in forma Dei constitutus, similis fieri voluit hominibus, ut et homo assimilari posset Deo, in hac sua parabola quatuor nobis similitudines proposuit, quas necesse est in unoquoque homine fieri qui ad similitudinem Conditoris sui pervenire contendit. Prima similitudo est *thesauri absconditi in agro*; secunda, *hominis negotiatoris quærentis bonas margaritas et unam pretiosam invenientis*; tertia similitudo est *sagenæ, missæ in mare et ex omni genere piscium congregantis*; quarta, *scribæ docti*, de thesauro suo nova et vetera proferentis.

In prima similitudine exprimitur hominis conversio, qui, venditis universis quæ habet, agrum illum spiritalis vitæ, ut thesaurum absconditum, desiderium utique regni cœlestis mereatur invenire. Sed quia non sufficit homini tantummodo converti, nisi etiam post conversionem ad bonam et Deo placitam seipsum constringat et accingat operationem, apte subjungitur similitudo secunda, qua dicitur: *Iterum simile est regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas*. Secunda hac similitudine apte, ut video, perfecta conversi hominis intelligi potest conversatio, in qua ut homo stabiliatur et roboretur, tertia similitudo omnino necessaria est, qua dicitur: *Iterum simile est regnum cœlorum sagenæ, missæ in mare et ex omni genere piscium congreganti*. Missio sagenæ in mare est frequens meditatio sacræ Scripturæ, cui cum perfecte cor suum homo salvandus submiserit, atque extractis ex ea piscibus, vivacibus videlicet sensibus, eos qui boni sunt et **128** ad perfectam vitæ conversationem eum regere et erigere possunt, novit eligere, malos autem foras mittendo abigere. Ad quartam tandem similitudinem pervenit, qua homini patrifamilias, ipsi utique Filio Dei assimilatus, non tantum suæ, sed etiam proximorum utilitati et saluti verbo et exemplo salubriter potest intendere.

Hæc est breviter comprehensa lectionis evangeli- A cæ summa, nunc ordinem verborum subtilius discutiendo intueamur, si quid forte, duce gratia Spiritus sancti, ex his nobis eluceat quod, ad quærendum et inveniendum absconditum illum cœlestis desiderii thesaurum, suavius adhuc et perfectius intrinsecus nos doceat et accendat.

Simile est, inquit, *regnum cœlorum thesauro abscondito in agro*. Per *regnum cœlorum* æstimo cor hominis non inconvenienter esse intelligendum; *ager* vero est locus cujuslibet vitæ spiritalis, quæ tales habet cultores, qui eam die noctuque sollicite excolentes spinas et tribulos vitiorum a cordibus subditorum eradicare, et semen bonum, semen virtutum et recte vivendo et recte docendo quotidie in eis laborant seminare. Thesaurus vero qui sollicite custo- B ditur, ne pereat, perennis vitæ desiderium apte figurat. Iste nimirum *thesaurus* recte dicitur *absconditus in agro*, quia maxime latet et abundat in tali, de quo jam dictum est, spiritalis vitæ exercitio. Vel, si ita dicere volumus, thesaurus desiderii vitæ æternæ, maxime in abscondito agro quærendus est et inveniendus. Ager enim absconditus convenienter exprimit homines spiritales, multimodis laborum studiis infatigabiliter et incessanter quotidie **129** in spiritali vita semetipsos exercentes. Qui bene et congrue dicuntur absconditus ager, quia absconditi sunt a mundo, absconditi sunt a diabolo, cogniti et manifesti omnipotenti Deo: *novit* enim *Dominus, qui sunt ejus* (*II Tim.* II, 19). *Regnum* itaque *cœlorum simile* fit *thesauro abscondito in agro*, quando homo C salvandus, supernæ pietatis munere præventus, primum in se concipit desiderium vitæ æternæ, tractans in semetipso ubi talem spiritalis vitæ locum inveniat, in quo juxta conceptum ex parte desiderium vitam æternam promereri valeat. Sicque fit ut actus suos pristinasque vanitates incipiat temperare, incipiat humiliter Deo supplicare, quatenus id quod desiderat, ipsius opitulante gratia, ad effectum tandem perducere valeat. Sed pius Dominus et misericors nequaquam hujusmodi supplicationem despicit, quemadmodum manifestat ipse, cum subjungit:

Quem, qui invenit homo, abscondit. Desideratum thesaurum tunc homo *invenit*, quando ad perficien- D dum boni desiderii sui affectum perfectam a Deo voluntatem accipit; *abscondit*, dum celat conceptum in animo desiderium, ne pereat, ne forte, si manifestetur, vel malitia diaboli, vel a cæteris hominibus in hoc sibi contradicentibus impediatur et retardetur. *Præ gaudio illius vadit*, dum propter amorem, quo diligere jam Deum cœpit, relicto sæculo et sæculi voluptatibus, spiritalis vitæ subjicitur laboribus. *Vendit universa, quæ habet et emit agrum illum*, quando quidquid de substantia mundi habere potest, aut pauperibus erogando, aut loco, ad quem venit conferendo, vel etiam sic propter Deum relinquendo abjicit, ut quod desiderat spiritalis vitæ consortium adipisci possit.

Empto agro, spiritalis vitæ proposito, secunda

omnino necessaria est similitudo, per quam exprimitur, sicut prædiximus, perfecta conversatio. *Iterum simile est*, inquit, *regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas*. Similitudinem hominis negotiatoris quodammodo in se suscipit, quando laborem atque studium negotiatorum Dei, sanctorum videlicet inter quos vivit hominum, in spe cœlestis patriæ infatigabiliter **130** laborantium, considerans et pertractans, multiplicibus spiritalis vitæ exercitiis quasi negotiando desudat, ut *bonas margaritas*, pretiosa videlicet virtutum insignia, quod est obedientia, patientia, castitas, humilitas, et cætera his similia, tandem Deo auxiliante invenire valeat. Tales itaque margaritas quærenti adest mira et gratuita bonitas omnipotentis Dei, quæ eum ad altiora et sublimiora pietatis suæ dona interdum provehit, quam ipse etiam homo desiderare sciat, vel sperare præsumat. Unde sequitur :

Inventa autem una pretiosa margarita, abiit et vendidit omnia quæ habebat, et emit eam. Una hæc *pretiosa margarita est* excellens et supereminens cuncta contemplationis interna dulcedo, qua Deus omnipotens animam, laborantem æternitatisque desiderio æstuantem, tempore orationis refrigerat, ut fortius atque suavius amore ejus inardescat. *Inventa* hac *una pretiosa margarita*, *abit*, *et venditis omnibus quæ habet*, *emit eam. Emit eam* non aliquo exteriorum quæ jamdudum vendiderat bonorum commercio, sed proprii sui corporis pretio. *Abit* namque seipsum relinquendo, *abit* carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifigendo. *Vendit omnia*, quæ in semetipso adhuc quasi libera habuit et residua, propriam videlicet voluntatem. Vel si qua adhuc, qua carnaliter delectatur, cordis inest suavitas, prorsus abjicit, ut hanc quam prægustare meruit omnipotentis Dei dulcedinem frequentius habere possit. Et quia ad enutriendam in semetipso hujus dulcedinis gratiam nihil ita valet, sicut assiduitas sacræ Scripturæ, recte sequitur tertia similitudo, per quam ejusdem sacræ Scripturæ frequens intelligitur meditatio.

Iterum, inquit, *simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare et ex omni genere piscium congreganti*. Per *sagenam*, quæ multipliciter connectitur, multiplex cohærentia cogitationum convenienter accipitur. Quam nimirum multiplicitatem cogitationum suarum, dum connexam et collectam in unum, *in mare*, in profundum videlicet Veteris ac Novæ Scripturæ meditando eam et ruminando perfecte *miserit*, quasi *ex omni congregans genere piscium* multitudinem **131** vivacium colligit sensuum. Ex assidua enim ejus meditatione incipit agnoscere ubi boni sunt sensus ejus et utiles, ubi mali sunt et inutiles. Unde sequitur :

Quam cum impleta esset, educentes et secus littus sedentes elegerunt bonos in vasa sua, malos autem foras miserunt. Impletio hæc, qua *sagena missa in mare*, cogitatio videlicet hominis, intenta studio lectionis impletur, est, ut video dulcedo Dei, quæ
A plerumque post meditationem sacræ Scripturæ in oratione concipitur. Impletam quodammodo *educit sagenam*, quando eductam in tempore orationis cogitationem suam, ex memoria et meditatione Scripturæ, in illud quod suavius atque excellentius est, in amorem videlicet et desiderium solius transfert conditoris, ubi nihil aliud tunc cogitat, nisi illum solum, quem super omnia tunc amat atque desiderat. Educta hoc modo *sagena*, recte *secus littus sedere* dicitur, per quod soliditas et tranquilla securitas æternæ vitæ convenienter exprimitur. Et bene quidem non *in littore*, sed *secus littus sedere* dicitur, quia etsi, mortalitatis hujus sarcina prægravatus, in illam perfectam beatitudinis æternæ stationem, necdum transire valet, *sedet* tamen *secus littus*, secus
B vitam æternam. Nihil enim est quod incommutabili illi æternitatis soliditati sic hominem in hac vita approximet, sicut dulcedo orationis, et significata per sessionem concepta in oratione humilitas mentis. Bene autem subjungit :

Elegerunt bonos in vasa sua, malos autem foras miserunt, quia, cum in illa dulcedine orationis, ubi perfecte se Deo humiliaverit, bonos et malos sensus suos recte cognoscere cœperit, *eligit bonos in vasa sua*, quando rectos et perfectos sensus, qui ad amorem et dulcedinem Dei eum suscitant et accendunt, in interiora cordis receptacula congregat et reponit; *malos autem foras mittit*, quando eos qui a Deo et dulcedine Dei separant et retardant, a corde suo abjicit et repellit. Post ista omnia apte subjungit æterna Dei
C Sapientia:

Sic erit in consummatione sæculi. Per *consummationem sæculi*, consumpta et exstincta in homine sæcularis vitæ delectatio potest intelligi. Et est, quasi dicat : In quocunque hominum sæculum debet **132** consummari, hoc est qui, despectis et abjectis voluptatibus sæculi et vitiis, ad perfectum amorem patriæ cœlestis pertingere desiderat, *sic erit*, sine isto, inquam, quem præscripsi vobis ordine, fieri nullo modo valebit. Postquam iste ordo præcesserit, hoc est postquam per conversionem, per bonam conversationem, per assiduam sacræ Scripturæ meditationem noxius amor sæculi submotus fuerit, tandem implebitur subjecta Domini sententia, qua
D dicitur :

Exibunt angeli et separabunt malos de medio justorum, et mittent eos in caminum ignis. Angeli exeunt, quando justi et sancti sensus, qui quasi nuntii quidam sunt hominis ad Deum, efficaciter se in homine exerunt; *separant malos de medio justorum*, quando homo, qui sic intrinsecus per misericordiam visitationis supernæ illuminari promeruit, perversos et iniquos suos actus a bonis discernendo humiliter agnoscit; *Mittit eos in caminum ignis*, quando eos ferventissimo igne compunctionis, quam *caminus* exprimit, digne pœnitendo purgat et excoquit.

Ibi erit fletus et stridor dentium. Fervens enim ille caminus, ardens utique et incendens intrinsecus

pœnitentiæ ignis prævalidus, fumum illum suscitat A qui elicit et extrahit ex intimo cordis *fletus* tales et lacrymas, quibus perfecte delet et abluit quidquid contra Deum male vivendo deliquit. Post fletum recte ponitur *stridor dentium*, per quem intelligitur fortis et districta custodia cogitationum et operum.

Sed quia hæc omnia, quæ diximus, generalis omnium non capit intellectus, pii sermo magistri specialiter ad discipulos convertitur, quemadmodum in consequentibus dicitur: *Intellexistis*, inquit, *hæc omnia?* Non est dubium electos Christi discipulos, utpote omnium hominum perfectissimos, intellexisse *hæc omnia*; hoc enim responsionis illorum confidentia innuit, quam apte designans evangelista subjungit: *Dicunt ei: Etiam*. Intellexisse quidem se fiducialiter respondent. Et merito. Quid enim intel- B lectibus eorum abscondi potuit, quos ipsa sapientia, ipse scientiarum Dominus enutrivit et docuit? Sed et quilibet beatus homo, qui per voluntariam conversionem, per Deo placitam conversationem, per continuam sacræ Scripturæ meditationem in spiritali vita **133** exercitatus, impletam in se evangelicam hanc doctrinam cognoscit, *intellexisse se hæc omnia* fiducialiter Domino cum sanctis apostolis respondere poterit. His etiam non solum sibiipsi, sed cæteris hominibus utilis esse poterit, quemadmodum ostendit Dominus in fine Evangelii quo dicit:

Ideo omnis scriba, doctus in regno cœlorum, similis est homini patrifamilias qui profert de thesauro suo nova et vetera. Recte quidem *scriba doctus* nominatur, quando ea quæ ex Veteris ac Novæ scientia C Scripturæ agenda vel cavenda didicit, bonis operibus exsequendo, quasi scripta in semetipso ostendit. Hic sane quasi quamdam summi *patrisfamilias*, unigeniti utique Filii Dei, similitudinem in se suscipit, dum ad exemplum ejusdem Domini nostri, qui descendens de sede majestatis suæ ad infima nostræ mortalitatis et miseriæ, seipsum quodammodo reliquit, ut nos redimeret; non quæ sua, sed quæ proximorum sunt, quærit, seipsum interdum deserit, ut eos acquirat; quæ sua sunt despicit, ut ipsorum saluti utilius invigilare queat. *Qui profert de thesauro suo nova et vetera*, cum modo læta de perennis vitæ gaudiis promittendo corda subditorum permulcet, ut ad amorem boni accendat, modo de D pœnis inferni aspera intentando deterret, ut a malis compescat.

Hæc sunt verba lectionis evangelicæ, quæ in laudem et gloriam beatissimæ virginis et martyris Dei Agathæ, cujus hodie solemnia celebramus, digne et congrue legitur. Quæ vere invenit *thesaurum absconditum*. Ab infantia enim sua cœlesti in semetipsa flagrans desiderio, per mentis puritatem, per carnis castitatem innocenter adhæsit Domino. Unde *præ gaudio illius abiit, et vendidit universa quæ habuit*, quia præ magnitudine amoris sponsi sui cœlestis, contempta mundi gloria, divitias et facultates suas pauperibus et egenis distribuit; quod vere fuit vendere universa, quæ habuit, ut tali commercio digna fieret cœlestis regni consortio. Et quia ad exemplum boni negotiatoris, bonas margaritas quærentis, multiplicibus sanctæ et perfectæ conversationis laboribus semetipsam exercebat, ideo *unam* illam *pretiosam margaritam*, superexcellentem **134** cuncta hujus mundi gaudia supernæ dulcedinis gratiam vivens adhuc in corpore tam perfecte invenire meruit, quod nihil in hoc sæculo fuit, quo ab amore illius, cujus dulcedinem interius prægustavit, revocari potuerit. Unde apte congruit ei quod dicitur: *Inventa autem una pretiosa margarita abiit et vendidit universa quæ habuit, et emit eam. Abiit* enim semetipsam relinquendo; *emit eam*, non tantummodo exteriorum rerum substantia, quam vivens adhuc in corpore fideliter pro Christo distribuit, sed proprii sanguinis sui effusione, qua post multa tormentorum genera in morte pro ipso viriliter occubuit. Nisi enim inexstinguibili amoris divini igne fortiter intrinsecus inflammata fuisset, exquisita et inaudita illa tormenta, alapas, carcerem, equuleum, et tortiones mamillarum et abscisionem, cæteraque, quæ liber passionis ejus commemorat, supplicia in tam fragili corpore nunquam sustinere potuisset. Sed quia contemptis his omnibus mori temporaliter non metuit pro Christo, ut æternaliter viveret in ipso, cœlestem illam margaritam, interminabilem videlicet dulcedinem et contemplationem omnipotentis Dei, jam accepit, jam possedit, qua ornata inter amplexus sponsi sui Domini nostri Jesu Christi sine fine gaudebit.

Ad obtinendam eamdem beatitudinis gratiam, sanctissima ejus apud Deum intercessio nos adjuvet, quatenus thesaurum illum, cœlestis regni desiderium, quem gratia Dei ex parte invenimus, præ cujus gaudio et amore, transitoria vitæ præsentis gaudia despicimus, sic omnipotens Deus hic in nobis augeat et custodiat, ut, cum præsentis vitæ miseriis exempti fuerimus, illuc meritis ipsius suffragantibus perveniamus, ubi de plena atque perfecta pretiosæ illius margaritæ inventione, hoc est de dulcissima Conditoris et Redemptoris nostri visione, cum ipsa et omnibus sanctis æternaliter gaudeamus. Quod ipse præstare dignetur Dominus noster, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

135 HOMILIA XXIII,

IN FESTUM S. AMANDI EPISCOPI PRIMA.

Videte, vigilate et orate. Nescitis enim quando tempus sit (*Marc.* XIII).

Licet tota evangelicæ series Scripturæ plena sit mystica subtilitate, verba tamen Domini et Salvatoris nostri, quæ ipse auctor suavitatis suavissime intonans, ad imbuenda discipulorum corda ore suo promulgavit, tanta mysticæ intelligentiæ præponderata sunt plenitudine, ut vix ea mens humana indagando possit attingere. Sic et præsens sancti Evangelii lectio per singula verba plena refulget sensu mystico, et virtus mysteriorum, quæ in ea esse cernitur, eloquentiam excedit humanam. Attamen,

quantum Ipso adjuvante possumus, verba ejus exhortationis ad ædificationem nobis et salutis profectum trahamus.

Videte, inquit, *vigilate et orate*. Dominus et Salvator noster non solum discipulos suos, quibus corporaliter loquebatur, per hæc verba admonuit, sed etiam quid nobis faciendum, quomodo vigilandum sit, per hæc eadem verba patenter innotuit. Trina enim hæc verborum distinctio aperte nobis demonstrat quomodo salvandus quisque, qui posteriora obliviscens in anteriora se extendere desiderat, culmen perfectionis ad quod tendit apprehendere valeat. Quicunque ergo divina inspiratione compunctus, sæculo renuntiare decreverit et concupiscentiis ejus, juxta quod in exordio evangelicæ lectionis vox divina admonuit, oculos ad videndum apertos habere debet, ut videlicet primo sapienter intelligat quid ei faciendum quidve sit vitandum. Nam quemadmodum homo, qui exteriori corporis visu privatur, quasi in tenebris ambulans, dum in incerto ponit pedem, gravem nonnunquam corporis incurrit læsionem, sic nimirum, si oculus cordis obtunditur, dum cæca mens in tenebris ignorantiæ volvitur, miserabili nonnunquam homo errore decipitur, quia operari se aliquando opera justitiæ æstimat, sed tamen prava conversatione graviter Creatorem suum offendit; itemque delinquere se arbitratur, cum tamen id quod justum est operatur. Unde, sicut prædiximus, necesse est ut unusquisque **136** in primordio conversionis suæ vigili cordis intuitu ad hoc circumspectus esse studeat, ut quid agendum quidve vitandum sibi sit intelligat. Sed quia homini cuilibet, ad conversionem venienti, ad perfectionem hoc solum non sufficit, si tantum ea quæ recta sunt intelligit, nisi etiam post acceptum recte vivendi intellectum vigilare studeat usu bonæ operationis, congrue Dominus, postquam *videre* suos discipulos admonuit, continuo subjunxit:

Vigilate et orate. *Vigilare* homo præcipitur, hoc est ut hoc quod recte intelligit opere implere studeat, et ignaviam desidiosæ conversationis, in qua dudum jacuerat, pervigili bonæ actionis studio a se repellat. Nam quemadmodum homo, qui sopore gravatur, ob hoc dormiendi quietem sibi accommodat, ut quietis gratia corpus sustentet et foveat (qui autem usu vigilat laboris, gratiam sibimetipsi denegat quietis), sic nimirum homo, qui male securus jacere in peccatis et vitiis non metuit, quasi male sopitus dormit; qui autem intentus operibus justitiæ ab his excitari nititur, *vigilare* coram Domino recte dicitur. Quicunque autem ita pii operis studio *vigilat*, huic Dominus eminentiorem adhuc viam demonstrat, cum protinus admonendo subjungit, *et orate*, inquit.

Orare ergo quilibet electus præcipitur, id est ut æterna desiderando fructum pii laboris pro sola spe cœlestis exerceat remunerationis. Non solum enim hoc oratio dicitur, quæ motu labiorum perficitur, sed etiam tota vita hominis cujuslibet salvandi, qui pro æternis laborat, oratio est apud Deum. Hujusmodi orationis instantiam Paulus apostolus suis videtur discipulis præcepisse, ubi ait: *Sine intermissione orate* (*I Thess.* v, 17). Sine intermissione enim oramus, si, cum opus bonum agimus, nullam pro hoc terrenæ laudis gloriam affectamus, sed æterna solummodo desiderando cogitamus.

Hic revera trinarius ordo Dominicæ jussionis viam nobis quodammodo aperit perfectionis, ut homo qui de virtute in virtutem ire desiderat, his addiscat verbis **137** quomodo adipisci vitæ perfectionem valeat. Nam, sicut superius diximus, non solum Salvator noster corporaliter tunc discipulis suis loquens his verbis admonuit, sed etiam eisdem verbis spiritaliter loquens quotidie nos instruit. *Videte*, inquit, *vigilate et orate*, id est *videte* quæ recta sunt intelligendo, *vigilate* quæ bona sunt agendo, *orate* æterna desiderando. Cur autem tantopere *videre*, *vigilare et orare* nos oporteat, verbis mox sequentibus aperte manifestat.

Nescitis enim, inquit, *quando tempus sit*. Tempus nostrum est, cum aliqua divina visitatione ad nos intra nos reducimur, et aut de perpetratis pravis operibus compungimur, aut de æternitatis visione delectamur. Ergo quia nescimus quando tempus sit visitationis tantæ, oportet nos semper vigilare et orare, hoc est vigilanti studio ad tantæ visitationis gratiam cordis penetralia præparare. Et quomodo vigilare, quomodo orare debeamus, dignæ imitationis proponens exemplum ait in consequentibus:

Sicut homo peregre profectus reliquit domum suam. *Homo* iste, ad cujus imitationis exemplum in his lectionis evangelicæ verbis Dominus nos informat, ipse est Conditor universorum, mediator, inquam, Dei et hominum, Deus et homo, qui causa redemptionis humanæ homo dignatus est fieri. Hic ergo tantæ nobilitatis *homo*, qui factus est nobis a Deo Patre justitia, exhortatur nos ut sequamur ejus vestigia, ut videlicet virtutes, quas ipse plenarie possidebat, nos ejus edocti exemplo imitari studeamus. Quis unquam mortalium similis ei fieri potuit vel poterit per laudabilis vitæ meritum? Quis, inquam, auctori sanctitatis, munditiæ, castitatis et patientiæ æquali virtutum prærogativa assimilari posset in hac mortali vita? Nullus omnino, nullus revera homo natus de muliere ei assimilari poterit, qui sine peccati conceptus est et natus contagione. Sed in his virtutum exercitiis sequi debemus vestigia nostri Redemptoris, ut ad ejus imitationem sanctificati in veritate esse studeamus, ad ejus imitationem mundi corde et corpore in oculis divinæ majestatis appareamus, ad ejus imitationem in humilitate et patientia perseverare contendamus.

Qui peregre, inquit, *profectus reliquit domum suam*. Quænam erat *domus* hæc nobilissimi hujus hominis, quæve peregrinatio illa fuit, in qua relicta hac domo **138** sua abiit? Domus hæc tam inclyta, domus inquam, æternæ sanctificationis corpus ejus fuit, in

quo inhabitavit plenitudo totius divinitatis. Quam *domum* tunc revera *reliquit*, cum consummatus omnibus passionis ejus doloribus, in ara crucis elevatus spiritum tradidit; et tunc nimirum in quamdam peregrinationem quodammodo abiit, quia cum sola anima pro liberandis animabus ad inferos descendit. Potest etiam per *domum* hanc Ecclesia figurari, in qua homo iste cœlestis in diebus carnis suæ corporaliter voluit conversari, sicut de eodem Redemptore nostro ac corpore ejus, scilicet Ecclesia, beatus Joannes apostolus et evangelista testatur, dicens : *In propria venit, et sui eum non receperunt* (*Joan.* I, 11). Sed hanc domum *peregre profectus* tunc etiam *reliquit*, cum post resurrectionem suam ad cœlos ascendens Ecclesiam suam, quæ est corpus ejus, corporaliter hic reliquit. Regnum autem cœlorum ideo *peregre* dicitur, quia peregrinum quodammodo et alienum omnibus fuit in valle lacrymarum peregrinantibus, nullique hominum ante hominis istius ingressum regni cœlestis patuit introitus. Homo ergo iste mediator utique Dei et hominum, Christus Dominus noster Jesus, ita peregre proficisci disponens, quid dilectoribus suis, quos corporaliter reliquit, præceperit, quid officii injunxerit verbis sequentibus intelligi poterit.

Et dedit servis suis potestatem cujusque operis. Servi hujus Domini sancti non incongrue intelligendi sunt apostoli, quibus tunc potestatem cujusque operis dedit, cum eis officium salutaris doctrinæ injunxit, simulque ligandi atque solvendi pontificium eorum ditioni subdidit, ut videlicet per prædicationem eorum ad fidem conversis laxata mole criminum aditum patefacerent regni cœlestis; non credentibus vero, et in infidelitate perseverantibus introitum clauderent regni hujus, quemadmodum missis eis ad prædicationem ipse est pollicitus : *Quæcunque*, inquit, *alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo, et quæcunque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo* (*Matth.* XVI, 19).

Possunt etiam per *servos* hujus Domini doctores sanctæ Ecclesiæ accipi, quibus *potestas cujusque operis* tradita est a Domino, quia vice apostolorum potestatem dimittendi peccata habent in hoc mundo. Sed notandum diligentius est quod distincte quodammodo ait, *potestatem cujusque* **139** *operis*. Dominus enim et Salvator noster omnia opera sua, quæcunque operatus est in medio terræ, pro nostra utique operatus est salute. Unde bene *quodque opus* illud dicitur, in quo saluti hominis providetur, in quo homo ad salvationis æternæ consortium perducitur. Ipse ergo Dominus, sicut tunc apostolis, ita etiam nunc apostolorum vicariis, sanctæ videlicet Ecclesiæ rectoribus, *potestatem dat cujusque operis*, quia ideo ad culmen regiminis eos assumit, ut utilitati aliorum prodesse meminerint, potestatemque eis attribuit ligandi atque solvendi, quibus speciale hoc munus ingerit, ut gravatos in peccatis solvere a sarcina peccatorum possint. Sequitur :

Et janitori præcepit ut vigilet. Janitor iste primo

A ipse princeps apostolici ordinis Petrus apostolus valet accipi, deinde cæteri ejus coapostoli janitores non incongrue sunt intelligendi, qui clavem regni cœlestis a Domino acceperunt. Quibus *vigilare* Dominus *præcepit*, quia ad claudendam et reserandam vitæ æternæ januam principes eos constituit.

Hæc autem omnia, quæ jam secundum allegoriæ sensum breviter perstrinximus, juxta moralem intelligentiam subtiliori inquisitione indagare possumus, ut revera hæc omnia, quæ Redemptorem nostrum diximus significare, nobis ipsis non inconvenienter intelligamus convenire, *Videte*, inquit, *vigilate et orate*. Et paulo post, quomodo vigilare nos et orare oporteat, evidenti exemplo satis congrue demonstrat : *Sicut homo, qui peregre profectus reliquit*
B *domum suam. Homo* dictus est ab *humo*, quia de humo creatus est. Unde bene nomine hominis hoc in loco homo quilibet accipi valet, qui actibus terrenis adhuc deditus ea solummodo quærere novit quæ mortalis vitæ appetitus ingerit. Qui tunc *peregre proficiscitur*, cum abrenuntians sæculo et concupiscentiis ejus de sæculari vita quasi de ingenitæ hæreditatis patria ad spiritalem conversationem, quasi ad longinquæ regionis peregrinationem ire non differt.

Relinquit autem *domum suam*, cum terrena desideria vel concupiscentias propriæ carnis, in quibus dudum velut in familiari secreto propriæ domus in occulto cordis delectabatur, alienare a se prorsus
C et resecare nititur. Possumus etiam per hominem hunc, qui *peregre profectus reliquit domum suam*, hominem quemlibet spiritalem accipere, qui, licet ab actibus sæculi **140** corpore expeditus appareat, mente tamen circa terrenæ vanitatis occupationes fluctuando sese dilatat. Qui dum divina inspiratione compunctus ab his retrahere se contendit, *peregre* quodammodo *profectus*, *domum* utique suam, in qua dudum male dulciter conversabatur, *reliquit*.

Dedit, inquit, *servis suis potestatem cujusque operis*. Quidnam per *servos* hujus hominis accipere convenientius possumus, quam utriusque hominis, animæ scilicet et corporis, sensus? Hic *servis suis dat* homo *potestatem cujusque operis*, cum non solum exteriores sensus suos ad piæ operationis
D cohibet studia, sed etiam collectis interioris hominis sensibus totus, ut ita dicam, suspensus pervigil in Conditoris sui manet laudibus. Et bene hoc *quodque opus* dicitur, cum ita, ut prædiximus, anima et corpore totum se homo impendit obsequio laudis divinæ. Hic vero ita suspensus, ita studio bonorum operum intentus, quali adhuc diligentia, quantæ districtionis custodia circumspectus esse debeat in anima sua, in his aperte colligi poterit, quæ præsens lectio mox subjungit :

Et janitori, inquit, *præcepit* [cod. hic et supra *præcipiat*] *ut vigilet*. Quid hoc in loco convenientius per janitorem possumus intelligere, quam rationem animæ? Ratio hominis illa vis animæ dicitur, qua Deum et sola cœlestia contemplatur Quam nimi-

rum rationem quasi vigilem custodem ad secreta cordis excubare convenit, ut videlicet quasi quibusdam clavibus districtæ observationis intentionem contineat humani cordis, ne pro operibus justitiæ gloriam requirat laudis humanæ.

Et notandum quod dicitur, *præcipiat ut vigilet*. Debet enim homo quasi dominio propriæ potestatis sub disciplinæ custodia cohibere interiora cordis, ne foras per appetitum humani favoris animus exeat, ne is qui exterius virtute bonorum operum pollere videtur, interius gloria favoralis gratiæ delectetur. Sed quia hac virtutum altitudine semper erectus per se homo nequaquam valet consistere, nec ita circa mentis vigilare custodiam, ut bonorum operum merita inani non evacuentur gloria, necesse est ut divina ei misericordia subveniat, et ipsa protectio dexteræ Excelsi opera manuum ejus custodiat, quemadmodum Psalmista expostulat, dicens: *Dominus*, inquit, *custodiat te, Dominus protectio tua super manum dexteram tuam* (*Psal.* CXX, 5). Per *dexteram* bona opera intelliguntur, **141** sicut econtra per *sinistram* prava quælibet operatio designatur. Quæ nimirum opera nisi a protectione custodiantur divina, facile irruente tentationis molestia subvertuntur, et in aliam partem declinantur. Unde idem Psalmista protinus subsecutus adjungit : *Per diem sol non uret te, neque luna per noctem* (*ibid.*, 6). Solet nonnunquam in sacro eloquio per diem bona operatio designari, per solem vero prosperitas, per noctem adversitas, per lunam autem bona fama figurari. Et bene per diem bona operatio, per solem prosperitas, per lunam autem bona designatur fama, quia sicut luna claritatis nitorem a seipsa non habet, nisi a solis accipiat radio, sic bona fama non nisi de bonæ operationis exoritur eminentia. Sed quid est quod sol iste per diem, luna vero urere dicitur per noctem ? Solis æstu uritur qui tempore prosperitatis extollitur ; in nocte vero quasi a luna uritur qui tempore adversitatis per impatientiam dejicitur. Sol per diem urit per extollentiam prosperitatis ; luna urit per impatientiam adversitatis. Sed ne ita solis nos ardor per diem, nec luna urat per noctem, id est ne ita per prosperitatem inflati extollamur, nec tempore adversitatis per impatientiam dejecti frangamur, ipse Dominus iterato admonitionis sermone vigilare nos præcipit, ut qui ignoramus quando Dominus domus sit venturus, pendula exspectatione ad adventum ejus parati existamus. Unde mox sequitur :

Vigilate ergo; nescitis enim quando dominus domus veniat. Quis est iste *dominus*, cujus adventum vigilando præstolari debemus, quæve *domus* illius, quæ tantæ auctoritatis dominum susceptura semper debet esse parata? *Dominus* iste ipse est Conditor noster; *domus* vero illius est cor nostrum, quod tunc revera domus ejus efficitur, cum digna ei mansio in eo præparatur, ut quasi in familiari domus secreto familiariter in habitaculo cordis habitare delectetur. *Nescitis enim*, inquit, *quando dominus domus veniat*. Hic ergo manifestius Dominus aperit quid sit tempus illud de quo in exordio evangelicæ lectionis dixit, *nescitis*, inquit, *quando tempus sit*. Tempus istud, quemadmodum superius diximus, hora est divinæ visitationis, in qua iste Dominus domus, habitator, inquam, cordium, per ingenitam sibi bonitatis gratiam visitare dignatur hominis cujuslibet salvandi animam. Ad suscipiendum vero in domum, id est in cor nostrum auctorem propriæ salutis crebro vigilandum est, et summopere præparanda domus cordis. Nam qualiter iste **142** domus Dominus adveniat, quam diversis visitationum modis electum quemlibet præveniat, in his quæ sequuntur aperte manifestatur : *Sero, an media nocte, an galli cantu, an mane*. *Sero* venit Dominus, cum per occultam inspirationem hominem visitat, ut secum tractare incipiat quam inutiliter omnes dies vitæ suæ consummaverit, qualiter desidiose vivendo operari opera justitiæ neglexerit, et per hoc salubri mœroris anxietate coram Deo sese affligit. *Media autem nocte venit*, cum per internam visitationem oculos humani cordis ad hoc aperit, ut sollicite perpendere valeat qualiter tenebrosa peccatorum cæcitate quasi nocturnæ caliginis densitate involutus sit, ac per hoc in amaritudine animæ suæ plangere non desinit reatum conversationis iniquæ.

Sed sunt nonnulli qui nequaquam tam subtilis intellectus gratiam habent, ut ad hæc, quæ prædiximus, cogitanda proprio sensu sufficiant, nec per se subtiliter cognoscere queant, quam multiplices peccatorum maculas male vivendo contraxerint. Hos nimirum quasi *in galli cantu* veniens per adventus sui gratiam Dominus visitat, cum per vocem cujuslibet pii prædicatoris multiplicem eis peccatorum deformitatem insinuat. Venit etiam *mane*, cum aut interna visitatione, aut pii doctoris admonitione mane illud ultimum, in quo omnes vel æternaliter coronari, vel æternaliter debemus damnari, ad oculos cordis homo revocat et quid in reddenda ratione districto judici respondeat, anxia cordis meditatione crebro secum tractat. De quo *mane*, id est futuri judicii die, voce dicitur Psalmistæ : *Mane astabo tibi, et videbo* (*Psal.* V, 5). Venit Dominus *sero*, id est in recordatione neglectæ justitiæ, venit *media nocte* in recordatione peccatorum, venit *mane* in recordatione futuri judicii, et hoc mediante *galli cantu*, id est prædicatione, quia ad hæc cogitanda et memoriter tenenda nil ita cor excitat hominis, quam frequens admonitio pii prædicatoris. His quatuor modis, ut prædiximus, omnes, quos salvare disponit, visitat Dominus ; quos autem ad salvationis æternæ consortium non prædestinavit, ad nullam horum gratiam intromittit.

Ne cum venerit, inquit, *repente, inveniat*, *vos dormientes*. Veniens Dominus quasi dormientem invenit, quem ita gravis quodammodo sopor mentis opprimit, ut nulla horum, quæ supra memoravimus, recordatione ad vigilandum excitari possit. Hinc Paulus apostolus de his qui ita male sopiti in tenebris ignorantiæ volvuntur, ita **143** loquitur, dicens :

Qui dormiunt, inquit, *nocte dormiunt* (*I Thess.* v, 7). A Sequitur:

Quod autem vobis dico omnibus dico: Vigilate. His siquidem verbis aperte nobis Dominus declarat, quod monita salutis, quæ in diebus suæ carnis suis prænotavit discipulis, non solum eis ad imitandum proposuerit, sed etiam nobis ad ædificationem hæc eadem saluberrimæ admonitionis verba præscribi voluerit. Notandum vero est quod in præsenti sacri Evangelii lectione tertia jam vice suos præcepit Dominus discipulos *vigilare*. Et est quasi dicat: *Vigilate* bene operando, *vigilate* bona custodiendo, *vigilate* in bonis perseverando. Quod brevi verborum exsecutione Psalmista videtur exprimere: *Declina*, inquit, *a malo et fac bonum* (*Psal.* xxxvi, 27).

Quicunque ergo ad perfectionis culmen pertin- B gere contendit, valde necesse habet ut, si bene operando vigilat, vigilare etiam bona custodiendo studeat, atque in his quæ bene operatur et bene custodit, perseverare usque ad finem vitæ contendat, ipso adjuvante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXIV,

IN FESTUM CATHEDRÆ S. PETRI ANTIOCHIÆ PRIMA.

Venit Jesus in partes Cæsareæ Philippi, et interrogavit discipulos suos, dicens: Quem dicunt homines esse Filium hominis? (*Matth.* xvi.)

Beatissimus princeps apostolorum Petrus, cujus hodie solemnia colimus, vere vir ille est, quem C exaltavit Deus præ cunctis participibus suis, quia sicut ipse Deum Dei Filium mirabili et inaudita cunctisque ante ipsum hominibus prorsus incognita novæ confessionis gloria honoravit: *Tu es*, inquiens, *Christus Filius Dei vivi*, sic ipse Unigenitus Dei constantissimum divinæ et humanæ naturæ suæ confessorem mirabili et inaudita novæ laudis et remunerationis gratia exaltavit in cœlo et in terra: *Beatus es*, inquit, *Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum, et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis, et quodcunque sol-* D *veris super terram, erit solutum et in cœlis.*

Ecce audivimus constantiam confessionis beati Petri, ecce audivimus gloriam remunerationis beati Petri, ex qua constat quanta in cœlis ejus gloria sit, quem adhuc in terris viventem tanta dignitatis excellentia Deus sublimavit, ut ad ipsius nutum et imperium clauderetur et aperiretur regnum cœlorum. Jam enim gloria ejus et potestas nec mutata est nec minorata, quia cum ipso vivit, quem credidit, quem confessus est, cui servivit, in quo omnia habet, per quem omnia valet.

His breviter de gloria beati Petri prælibatis, si subtilius consideremus, magnam **144** humilitatis et constantiæ doctrinam in ipso evangelicæ hujus lectionis principio inveniemus. *Venit*, inquit evangelista, *Jesus in partes Cæsareæ Philippi, et interrogavit discipulos suos, dicens: Quem dicunt homines esse Filium hominis?* Quod Dominus et Salvator noster, qui vere Filius Dei erat, *Filium hominis* se nominat, ipse, qui factus est nobis via, viam veræ humilitatis nobis insinuat, ut nullus hominum vel de generis nobilitate, vel de collata sibi divinitus sapientiæ vel scientiæ honestate se extollat, sed infirma et abjecta sentiens de se semper humilitati submittat se. Poterat enim, qui vere Filius Dei erat, Filium Dei se nominasse, sed suppresso quod ex virtute divinitatis erat, illud dixit quod ex infirmitate humanitatis habebat. Si hoc ipse fecit, ut humilitatis exemplum nobis tribueret, quanto magis nos, qui puri homines sumus, humilia et abjecta de nobis et sentire et pronuntiare debemus? Sicut enim dicit Apostolus, *quod infirmum Dei est, fortius est hominibus* (*I Cor.* i, 25). Infirmum Dei est humanitas Dei. Quod infirmum in illo erat, omni nostra fortitudine fortius erat. Nos enim homines ex hominibus in peccatis concepti et nati sumus; ipse vero, quod nunquam ante ipsum auditum fuit, nec post ipsum futurum erit, unius tantum *hominis Filius* utique castissimæ Virginis, sine peccato conceptus est et natus. Igitur qui humilitatem dictis et factis exsequitur, vere Deum propter nos humilem factum imitatur; qui vero superbo corde graditur, illius imitator est, qui, extollens se supra se, similis esse voluit Altissimo.

145 Nec transeunter animadvertendum est quid rationis fuerit quod ad inquirendam de se vel discipulorum, vel extraneorum opinionem et sententiam *in partes Cæsareæ Philippi* venire voluit, ubi etiam periculosum erat propter timorem principum, quorum ditioni eadem civitas subjacebat, cogitare nominis Dei. Voluit itaque Dominus in hujus civitatis partibus, in quibus timor et tremor principum fuit, post vulgarem turbæ opinionem etiam discipulorum suorum de se audire æstimationem, ut per hoc doceret nos quod, qui præmiis eorum participare desideramus, fidei et confessionis eorum constantiam sectemur. Et sicut beatus Petrus, et in ipso omnis apostolicus cœtus, veritatem, quam Deo revelante in Christo noverat, intrepido corde confiteri non metuit, ita et nos neque propter timorem, neque propter amorem veritati nos subtrahamus, sed si inquisiti fuerimus, propter ipsum etiam mortis periculum a veritate non decidamus. Sed et si subtilius consideremus, æternus Dei Filius, qui omnia in sapientia et nihil sine causa et certa ratione fecit, cujus interdum facta, sicut et dicta, prophetia futurarum rerum fuerunt, in hoc suo facto, quod ad interrogandum et inveniendum a discipulis suis, et quid homines de se dicerent, et quid discipuli de se crederent, non aliunde, sed *in partes Cæsareæ Philippi* venire curavit, aliquid, quod ad manifestandam et propagandam divinitatis suæ excellentiam adhuc in Ecclesia sua facturus erat, præfiguravit. *Cæsarea*

Philippi, quæ a *Cæsare*, quod interpretatur *principali possessio*, et a *Philippo*, quod interpretatur *os lampadis*, dicta constat, Cæsareæ dignitatis et honorificentiæ magnificentiam demonstrat. Hoc enim eo tempore Cæsareæ dignitatis erat insigne, ut nunquam Cæsares sive reges sine optimo, qui super terram acquiri poterat, regalium apparatu vestium viderentur, nunquam ab ullo hominum, quantæcunque dignitatis vel nobilitatis esset, nisi præmissa adoratione osculoque pedum salutarentur. Ex **146** hujus quidem Cæsareæ dignitatis excellentia, quia *partes* quasdam Dominus et Salvator noster sibi in vicario suo, in eo scilicet homine, qui caput est Ecclesiæ, Romano utique antistite, ad sublimandam sanctam suam Ecclesiam assumere decrevit, recte non in *Cæsaream Philippi*, sed in *partes Cæsareæ Philippi* venit. Tulit sibi in cultu vestium imperialium, cunctisque, quæ ei impenduntur et in adoratione, in osculo pedum, venerationibus honoris quidem sublimitatem; reliquit eis imperialis qua puniunt homines regiminis crudelitatem. Ad instar enim Cæsaris nunquam in publico sine purpura, sine imperialium honorificentia vestium videtur; raro, nisi præmissa adoratione et osculo pedum a quoquam salutatur.

Sed quid sibi vult nomen *Philippi? In partes Cæsareæ Philippi* Christus venit, quia utrumque nomen, et *Cæsaris* et *Philippi* in eodem suo vicario voluit compleri. *Philippus* interpretatur *os lampadis. Os* veri *lampadis*, id est Christi esse debet cujus veritatem et verbis pronuntiare et operibus debet comprobare. Et licet in loco et vice Christi ab omnibus membris Christi, filiis videlicet sanctæ matris Ecclesiæ, veneretur, honoretur, magnificetur, ipse tamen ab illius exemplum, qui, cum omnium esset Dominus, pro nobis omnium hominum factus est infimus, humilitatem custodiat, verbis et factis viam humilitatis insinuet et doceat. Hanc nimirum jam collatam Ecclesiæ suæ dignitatem tunc quidem Dominus et Salvator noster præsignavit, sed non statim in temporibus apostolorum consummavit. Temporibus enim apostolorum tempora martyrum successerunt, in quibus regnantibus impiis Christiani nominis persecutoribus, omnes, qui Christum confitebantur, sicut oves sine æstimatione interficiebantur. Sed postquam persecutio martyrum quievit temporibus Constantini imperatoris, qui a beato papa Sylvestro baptizatus, et a lepra **147** mundatus, magnificus Christi cultor effectus, ad honorem Dei et sanctæ Ecclesiæ imperialis dignitatis suæ honorificentiam et potentiam eidem beato Sylvestro contulit, obediens ei, sicut filius patri, serviens ei, sicut servus domino. Hoc fuit quodammodo, sicut dixi, venire Jesum *in partes Cæsareæ Philippi*. Ex eo enim tempore cœpit sancta Dei Ecclesia Cæsareæ dignitatis excellentia pollere. Quod autem non ante, sed postquam venit in partes Cæsareæ Philippi, discipulos, quem dicerent homines esse Filium hominis, interrogavit, mystice tempus illud præfiguravit, in quo post sopitam martyrum persecutionem, gravius intolerabiliusque malum ex ipsis visceribus sanctæ Ecclesiæ ebullivit, hæresis videlicet Ariana, quæ totum corpus Ecclesiæ sic penetravit et devastavit, ut totus pene mundus post eumdem Arium abiret præter paucos Christi famulos, ut erat Athanasius, Hilarius, Ambrosius, Augustinus, qui cum Christo tunc constiterunt, fidemque Christi constantissime defendere cœperunt. Igitur interrogare discipulos suos, quem dicerent homines esse Filium hominis, fuit probare discipulos suos in illa sævissima tempestate, quid vel *homines*, illi videlicet qui de *homine* erant, vel illi qui de cœlo erant, et cœlestia diligebant, crederent de Filio hominis. *Oportet* enim, ut ait Apostolus, *hæreses fieri, ut qui probati sunt, manifesti fiant* (*I Cor*. XI, 19). Quicunque enim perfectam fidem Christi habuerunt, tunc vere ut discipuli Christi manifestari cœperunt.

Et quia quorumdam in Patre, quorumdam in Filio, quorumdam in Spiritu sancto errantium minoremque Patre Filium, minorem Filio Spiritum sanctum temere affirmantium, diversæ hæreses erant, recte discipuli respondebant: *Alii Joannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero Jeremiam.* Et quia maximam hæresim in humanitate, et de humanitate Christi habebant, recte addiderunt: *aut unum ex prophetis. Unum ex prophetis* eum esse dicebant, quia quod verus et æternus Dei Filius esset, omnimodis contradicebant. Sed quia eos, qui probati erant, manifestos fieri oportuit, dicit eis Jesus: *Vos autem quem me esse dicitis?*

148 *Respondens autem Simon Petrus dixit: Tu es Christus Filius Dei vivi.* Fecit hic Petrus, sicut facere semper consuevit, ubicunque se offerebat occasio ostendendi qualem in Deum habebat ferventissimi amoris constantiam. Semper inter alios Christi discipulos ipse prior erat, semper ipse prorumpebat, et qui plus omnibus dilexit ipso Domino attestante, qui ait: *Simon Joannis, diligis me plus his?* (*Joan.* XXI, 15.) Quasi rapto ex ore omnium verbo præ omnibus, pro omnibus, solus respondit Petrus: *Tu es Christus Filius Dei vivi.*

Respondens autem Jesus dixit ei: Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est. Quæ, rogo, tanta vis, tamque mirabile in his verbis meritum Petri, ut post tam simplicia verba, tantæ beatitudinis dona, tantæque a Domino mereretur laudis præconia? Majora verba aliquando dixit, et nunquam tamen sic laudari a Domino meruit: *Et si omnes*, inquit, *scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor* (*Matth.* XXVI, 33). *Animam meam pro te pono* (*Joan.* XIII, 37). Et iterum: *Domine, tecum paratus sum et in carcerem et in mortem ire* (*Luc.* XXII, 33). Vere magna verba ista fuerunt, et voluntas cordis ejus concordabat verbis oris ejus, quia sicut ore dicebat, sic et in corde habebat, licet in verbis istis non persisterit, quando inclamante eum ancilla ostiaria Christum negavit. Sed, secundum dignitatem mysterii,

confessio ista: *Tu es Christus Filius Dei vivi*, major erat quia excellentior erat. Est enim ac si dixisset: Non, Domine, non ego te Joannem Baptistam, non Eliam, non Jeremiam, aut unum ex prophetis dico, sed *Christum verum Dei Filium* esse te cognosco. Tu enim unctus ille Rex es, qui per sanctissimam humanitatem tuam totum mundum salvare debes, tu es Filius Dei vivi, in tuæ divinitatis excellentia coæqualis, coæternus, consubstantialis Deo Patri.

In hac mirabili et ante incognita omnibus hominibus fide et confessione beati Petri, nos, qui intra uterum sanctæ matris Ecclesiæ in beati Petri persona censemur, quod in Domino et Salvatore nostro Jesu Christo credere debeamus, edocemur. Debemus eum credere Creatorem nostrum, debemus eum credere Redemptorem nostrum. Potentia **149** namque et virtute divinitatis suæ creavit nos, misericordia et dulcedine humanitatis suæ liberavit nos. Creavit nos, ut essemus; liberavit nos, ut bene essemus. Et quia plus nobis contulit redemptio, quam creatio (malo enim nostro creati essemus, nisi redempti fuissemus) recte beatus Petrus opus redemptionis operi creationis præposuit, dicens: *Tu es Christus Filius Dei vivi.*

Ex his duobus, ex eo videlicet quod is qui Creator noster est, idem et Redemptor noster, surgunt duo motus animi, timor utique et amor Dei. Neque enim sufficit nobis ad salutem, si credimus eum Creatorem nostrum, si credimus eum Redemptorem nostrum, nisi diligamus eum sicut Redemptorem nostrum, timeamus eum sicut Creatorem nostrum. Diligere debemus eum, eo quod redemit nos; timere debemus eum, ne forte qui ex nihilo creavit nos, ad nihilum redigat nos. Diligere debemus eum, ut propter amorem ejus bona faciamus; timere debemus eum, ut propter amorem ejus mala declinare studeamus. Hæc est recta et perfecta veræ fidei confessio, quæ vere laudatur et remuneratur a Domino: *Beatus est*, inquit, *Simon Bar-Jona.* Simon *obediens*, Bar-Jona *filius columbæ* interpretatur. Qui enim timet Deum, eo quod Creator ejus sit, et in timore Dei obedienter observat mandata Dei, recte *Simon* appellatur; qui autem diligit Deum eo quod Redemptor ejus sit, et sicut *filius columbæ* sine felle amaritudinis in dulcedine columbinæ simplicitatis bona, quæcunque potest, propter solius Dei amorem facit, recte *Bar-Jona filius* utique *columbæ* dici poterit. Iste talis vere *beatus* est, quia et in præsenti sæculo beatificabitur a Domino, et in futuro æterno immarcescibilis gloriæ remunerabitur præmio

Quod autem beatitudo ista non humanæ industriæ, sed solius Dei ineffabili gratiæ attribuenda sit, docet nos Dominus verbis sequentibus, cum dicit: *Beatus es Simon Bar-Jona.* Ac si dicat: Ideo *beatus es Simon Bar-Jona; quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est.* Quid est *caro et sanguis?* In *carne* possumus intelligere operationem corporis; in *sanguine*, in quo sedes est A animæ, considerationem cordis. Et est quasi dicat: Quod **150** Christum Filium Dei vivi me credidisti, quod me Creatorem et Redemptorem tuum cognovisti, sicut cognoscere debuisti, non tuæ actionis merito, non sapientiæ vel intellectus tui scientiæ attribuendum credito; non enim ex te, sed ex sola et ineffabili Patris mei, qui in cœlis est, accepisti misericordia et dulcedine. Et quia operatus est hæc in te *Pater meus, qui in cœlis est, et ego dico tibi*, cujus inseparabilia sunt opera ab operibus Patris mei; quæcunque enim operatus est Pater meus in te, ego quidem operatus sum cum Patre, et quæcunque facturus sum ego tecum, faciet in te Pater meus mecum. *Ego* quidem *dico tibi*, cujus dicere facere est, *quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* B Ac si dicat: Quia enim revelante Patre meo, qui in cœlis est, agnoscere meruisti quid timoris et honoris debeas divinitati meæ, in qua creavi te, quid dulcedinis et amoris debeas humanitati meæ qua redemi te, ideo *et ego dico tibi, quia tu es Petrus*, gratiam pro gratia tibi dando, hoc est majori munere agnitionis meæ te donando, majori amoris et timoris mei constantia te sublimando.

Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Ecclesia Dei dicitur tota per orbem terrarum fidelium collectio; *Ecclesia* Dei dicitur bona quælibet congregatio; Ecclesia Dei potest etiam quælibet bona et fidelis anima dici. Sive enim sit tota simul Ecclesia Catholica, sive sit bona quælibet congregatio, sive C quælibet sancta anima, *super hanc petram*, super apostolicæ scilicet fidei et dilectionis fundamentum fundata, *adversus eam portæ inferi non prævalebunt*; quia, etsi impugnant eam peccata et vitia, quæ vere *portæ inferi* sunt, *prævalere* ei non possunt. Quomodo prævalere ei non possunt? Ita sane, quod justus homo, dum ceciderit, etiamsi ad ipsas portas inferi dilapsus fuerit, ipsa Dei dilectio, spes et consolatio, quam habet ad Deum, ex ipsis faucibus inferi extrahet eum.

Ipse hic electus discipulus Domini beatus Petrus apostolus, de quo loquimur, quasi usque ad *portas inferi* pervenit, quando Christum negavit. Sed quia fundamentum veræ dilectionis, qua Christum supra D seipsum dilexerat, prius **151** cordi suo supposuerat, etsi *portæ inferi* aliquantulum eum attraxerant, *non tamen adversus eum prævalebant*, quia statim reatum suum agnovit, et egressus foras flevit amare. Attendamus etiam beatum David regem et prophetam, qui et ipse ad portas inferi quodammodo pervenit, quando adulterium simul et homicidium commisit. Sed quia ante lapsum devotissimum in dilectione Dei cor habuerat, post commissum scelus *portæ inferi adversus eum non prævalebant.* Quanta enim delectationis dulcedine peccatum commisit, tanta pœnitentiæ amaritudine postmodum in se punire studuit. Mox enim, ut ex ore Nathan prophetæ in commisso scelere Deum se offendisse cognovit, ex vere humili et pœnitente corde respondit: *Pec-*

cavi Domino. Judas unus ex duodecim, postquam tradidit Dominum, *videns*, ut ait Scriptura, *quia damnatus est, projectis argenteis dixit*: *Peccavi, tradens sanguinem justum* (*Matth.* XXVII, 6). Uterque quidem, David et Judas, confessionis verbum protulit, quia uterque dixit, *peccavi*. Sed quia in simili confessione similis intentio non fuit, similis fructus pœnitentiæ et confessionis non est subsecutus. Adversus Petrum et David *portæ inferi* prævalere non potuerunt, adversus Judam prævaluerunt. Mox enim, sicut diximus, ut peccaverunt, et peccasse se cognoverunt ex fidissimo corde, quo semper Deum dilexerunt, de misericordia et pietate Dei desperare non potuerunt; Judas vero, quia fundamentum divini amoris prius non habuit (semper enim corde perfido et iniquo cum Domino nostro Jesu Christo ambulavit, qui nunquam dilexit) nullam, spem in Deo habere potuit, sed abiit, et laqueo se suspendit. Unde quia nunquam perire poterit, qui vere Deum diligit, sed semper, sicut diximus, gratiam pro gratia accipit, adjicit Dominus:

Et ait: Et tibi dabo claves regni cœlorum, et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis, et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis. Hæc nimirum verba non soli Petro. sed et cæteris coapostolis ejus dicta sunt a Domino, qui sicut veri unius ejusdemque divinitatis et humanitatis Christi professores cum Petro exstiterunt; sic absque ulla dubietate easdem **152** claves, quæ Petro traditæ sunt, eamdem utique ligandi atque solvendi potestatem cum Petro acceperunt. Sed tamen specialiter præ cæteris omnibus eidem beato Petro datæ sunt, qui utpote præordinatus a Deo futurus pastor Ecclesiæ, solus respondit pro omnibus. Eamdem etiam potestatem quilibet adhuc in sancta Ecclesia prælati et doctores veritatis a Deo habent, sed specialiter ille præ omnibus, qui vice et loco beati Petri præest et præsidet omnibus, qui aliorum ligata solvere, aliorum soluta ligare solus potest præ cunctis mortalibus.

Sed et alio modo eadem verba possumus intelligere. Regnum enim cœlorum corpus hominis est et anima, testante Domino, qui ait: *Regnum Dei vos intra est* (*Luc.* XVII, 21). Claves, quibus hoc *regnum cœlorum* aperitur et intratur, scientia est et potestas. Unam clavem, clavem utique scientiæ, Petrus habuit, quia Christum verum Dei Filium et credidit et confessus est, cum dixit: *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Sed alteram clavem, clavem utique potestatis non habuit, quia necdum mori pro eo potuit. Si enim ad clavem scientiæ clavem potestatis habuisset, propter timorem ancillæ ostiariæ Christum negare non potuisset. Neque enim dixerat ei Dominus, *Tibi do*, sed, *tibi dabo claves regni cœlorum.* Non enim statim dedit, quando promisit, sed primum post adventum Spiritus sancti ipse Petrus cum suis coapostolis has duas claves perfectæ scientiæ, perfectæque potestatis a Deo accepit, ut scirent quæcunque scienda de Christo erant, et possent, quæcunque propter Christum toleranda et agenda erant. Tunc primum enim confidenter et audenter gloriam Christi coram regibus et principibus prædicabant, et quæ dicebant præpotenti operum et miraculorum attestatione confirmabant.

Hujus scientiæ potestatisque virtutem manifestat Dominus dicens in consequentibus: *Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis, et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis.* Hæc sane verba in beato Petro suisque coapostolis perfecte sunt impleta, quia quibuscunque ipsi regnum cœlorum clauserint, illis clausum erit; quibuscunque regnum cœlorum **153** ipsi aperuerint, illis apertum erit. Sed et generaliter ad universalem sanctam Ecclesiam eadem verba pertinent, quia quicunque in sancta Ecclesia prælati vocantur, necesse habent, ut duabus his clavibus a Deo donentur. Si enim clavem scientiæ non habent, clavem potestatis habere non valent. Unde præcepit in lege Dominus: *Plaga lepræ si fuerit in homine, adducetur ad sacerdotem, et videbit eum, et rursum recludet*, inquit, *cum sacerdos septem diebus, et considerabit die septimo, et si quidem lepra ultra non creverit, nec transierit in cute priores terminos, rursum includet eum septem aliis diebus* (*Levit.* XIII, 9, etc.). Habenda quidem et jugiter vertenda est clavis scientiæ, quod significat inclusio septem et septem dierum, quia, si viderit quod primis septem diebus, per quos præsens tempus accipitur, lepra in cute priores terminos non transierit, hoc est, si peccator a peccato suo, quod est lepra, converti noluerit, tunc adhibenda est secunda clavis, clavis utique potestatis, ut rursum septem diebus aliis includatur, hoc est ut perpetuæ damnationi, quia lepra perseverans est, incunctanter addicatur.

Sed hæc eadem verba, quæ generaliter ad prælatos, qui in sancta Ecclesia sunt, pertinere diximus, specialiter ad unumquemque hominem referre possumus. Necessaria enim est homini clavis scientiæ, ut sciat bonum quod faciat, ut sciat malum quod declinare debeat. Quia vero multi sunt qui sciunt quæ facienda sunt, sed virtutem et potestatem non habent faciendi quæ facienda sciunt; non valet una clavis sine altera. Non enim scientia valet sine potestate, nec potestas sine scientia. Post acceptas has duas claves, quæ gratia sequatur, continuo in sequentibus declaratur, cum dicitur: *Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis, et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis.* Per *terram* intelligimus corpus, per *cœlos* interioris hominis sensus. Sunt quidem nonnulli qui in corpore a peccatis et vitiis semetipsos ligant et stringunt, et tamen in interiori homine vitare peccata non possunt. Sed dum faciunt, **154** quod possunt, additur eis per misericordiam Dei etiam id quod non possunt. Hoc est enim quod ait, *quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis.* Ac si dicat: Si in exteriore homine tuo, visu, auditu, gustu, odoratu et tactu cohibere te et ligare a

peccatis studueris, etiam in interiori homine tuo pietatis meæ dono a desideriis noxiis et cogitationibus custodieris. *Ligari* quidem debet homo ad peccatum, *solvi* debet ad bonum. Unde adjecit Dominus et ait, *et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis.* Ac si dicat : Si exteriori corporis actu ad facienda bona solvi laboraveris, etiam intus ad veræ dilectionis meæ dulcedinem me largiente cor solutum habere poteris. Sed quare hoc dixit, nisi quod sunt nonnulli, qui bona, quæ corpore possunt, sollicite propter Deum faciunt, sed dum exterioribus actibus per dulcedinem mentis animus non concordat, hoc est quodammodo *solvi super terram,* sed non solvi *in cœlis.* Sed dum bonæ operationis studium sollicite vigilanterque exterius exhibent, accipiunt a Deo etiam id quod nondum habent, hoc est ut et corde, sicut corpore, quæ bona sunt sapiant, diligant, velint et valeant. Sic demum adimpletur quod dicitur, *quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis; et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis.*

Hæc est hodierna evangelicæ lectionis doctrina, qua instituit nos æterna Dei sapientia. Sed quia nec ligari ad mala, nec solvi ad bona sine dono ejus et gratia possumus, ipse, apud quem nihil est impossibile, nobis dare, nos dignetur adjuvare, quatenus ligati ad mala, soluti ad bona, sic ei in præsenti vita placere possimus, quatenus portæ inferi non prævaleant nobis in hora exitus nostri, *nequando dicat inimicus* noster : *Prævalui adversus eos* (*Psal.* XII, 5) ; sed ipso ducente et adjuvante, illuc perveniamus ubi ipsum sine fine videntes et laudantes æternaliter cum ipso gaudeamus. Quod ipse præstare dignetur qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

155 HOMILIA XXV,

IN FESTUM S. MATHIÆ APOSTOLI PRIMA.

Respondens Jesus dixit : Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis (*Matth.* XI).

Legimus in exordio lectionis hujus, sicut jam audivimus, quod *exsultaverit in Spiritu sancto* Unigenitus Dei, et *responderit.* Unde autem *exsultaverit,* vel quæ et qualia ineffabilia verba illa fuerint, ad quæ *responderit*, non legimus. *Respondit* utique sibi ipsi, suæ dico divinitati, qua Deus erat, qua omnia cum Patre æternaliter possidebat. Et sicut ineffabilis et incomprehensibilis est sensui humano collocutio illa qua loquebatur Pater cum Filio, sic indicibilis et inexplicabilis est linguæ humanæ unigeniti Filii ad Patrem responsio. Sed quia suspensus ad Deum animus semper in verbis Domini aliquid, quod sapiat et reficiat, quærit et desiderat, videamus si quid ex dono gratiæ ipsius in his Domini verbis quod nobis conveniat invenire valeamus.

Confiteor, inquit, *tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapienti-* A *bus, et revelasti ea parvulis.* Quæ sunt hæc quæ *abscondit* Deus *Pater a sapientibus et prudentibus?* Gloria videlicet et excelsitudo humanitatis et divinitatis Filii sui. *Sapientes,* a quibus hæc abscondita sunt, Scribæ et Pharisæi fuerunt, qui utique sapientiam et scientiam legis a Deo acceperunt, sed in sapientia sua non Dei, sed suam gloriam quærentes, gloriam Filii Dei non cognoverunt, hominem quidem eum viderunt, sed qualis homo esset, quod videlicet homo esset supra omnes homines, homo sine peccato conceptus et natus, sine peccato in mundo conversatus, nec cognoverunt, nec cognoscere voluerunt. Unde quia superbia excæcavit corda illorum, cum prædicantem eum audissent, cum signa et mirabilia, quæ B nemo alius facere poterat, divina eum potestate facientem vidissent, despexerunt eum et pro nihilo reputaverunt. Hi fuerunt *sapientes. Prudentes* autem, quibus nihilominus **156** gloria humanitatis et divinitatis Filii Dei abscondita erat, fuerunt omnes illi, qui in populo gentium prudentiam et scientiam ad cognoscenda multa arcana, cæteris hominibus incognita, a Deo acceperunt, nec tamen in his Deum agnoverunt. Sed *abscondita* a sapientibus et prudentibus *revelavit* Deus *Pater parvulis*, id est humilibus. *Parvuli* isti sunt apostoli, qui propter insigne decus humilitatis Christum Dei Filium et in humanitatis suæ excellentia, et in divinitatis suæ potentia ultra omnes C homines agnoverunt et dilexerunt. Quare autem Deus omnipotens *sapientes et prudentes* in cognitione Filii sui excæcaverit, quare *parvulis*, humilibus utique apostolis Filium suum revelaverit, vel quasi suo judicio adhuc quotidie unum in miseratione sua et misericordia ad se colligat et salvet, alterum in judicio et justitia sua abjiciat et condemnet, scire non possumus; quod tamen verum, justum et sanctum sit, quidquid verus, justus et sanctus Deus facit, non ignoramus. Hoc etiam coæternus Deo Dei Filius manifestat dicens in consequentibus :

Ita Pater, quoniam sic placitum fuit ante te. Ac si dixisset : *Sic,* Domine *Pater*, *placuit* tuæ clementi bonitati, tuæ justissimæ æquitati, ut me D Filium tuum, in tua tibi majestate consubstantialem et coæternum, non sapientibus et prudentibus, sed tuis revelares humilibus. Sequitur :

Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Ecce comprehensa paucis verbis et designata incomprehensibilis humanitatis Filii Dei gloria, quia omnia cum Patre possidet, omnia cum Patre regit et continet. Et *nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem novit quis, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare,* ecce gloria divinitatis Filii Dei. Per pauca enim hæc verba designatur et notatur interminabilis et insuperabilis totius sanctæ Trinitatis substantia qua unus **157** Deus est cum Patre Filius, unus Deus est cum Patre et Filio Spiritus sanctus. Quomodo enim Pater sit ingenitus, quo-

modo Filius nec tempore posterior nec potestate A inferior Patris sit unigenitus, *nemo novit, nisi Pater et Filius, et cui voluerit Filius revelare* (*Luc.* x, 22), unus utique et perfectus Deus cum Patre et Filio, Spiritus sanctus. Sequitur :

Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Quemadmodum cum esset in sinu Patris unigenitus Dei Filius, ubi nec videri nec audiri potuit ab hominibus, exinanivit semetipsum formam servi accipiens, ut servis subveniret, sic etiam hic post alta et sublimia verba quæ jam audivimus, ad quæ homo ascendere, quæ sensu suo non potest comprehendere, exinanivit se, descendens infra se, formam servi quodammodo accepit, ut servis condescenderet, ut nos, qui parvuli sensu ad capiendam et intelligendam præcedentium verborum B sublimitatem non sufficimus, ex sequentibus his verbis habeamus unde erudiamur et consolemur : *Venite*, inquit, *ad me, omnes qui laboratis et onerati estis.* Si spiritaliter intelligimus, non videtur mihi iste *labor* corporis esse, sed animæ. Est enim labor ille, quo *laborat* anima per malas concupiscentias, per mala desideria, quæ, dum ad operis effectum perveniunt, dura quædam animæ et corporis onera fiunt. Et est quasi dicat Dominus : Qui sub laborioso malarum concupiscentiarum molimine fatigati, sub onere peccatorum decidistis, et a viribus sanitateque animæ defecistis, nolite desperare, sed *venite ad me* per pœnitentiam et conversionem, deponentes onerosam et laboriosam vitiorum oppres- C sionem. *Et ego reficiam vos. Reficere* dicitur quasi reparare. Ipsi nos destruximus et quodammodo effregimus, dum male prementibus peccatorum oneribus corpora nostra et animas subegimus. Sed conversos ad se *reficit* nos Dominus et reparat, dum sua nos refectione lassos et deficientes misericorditer in spiritali vita recreat. Sicut enim ho o multo fessus labore, cibi, potus somnique suavitate reficitur, et quasi resumptis viribus ad pristinum robur revertitur, sic est in spiritali vita cibus, quo venientes ad se Dominus lassabundos et deficientes 158 peccatores suos reparat; est etiam potus, quo eos, ut obliviscantur paupertatum miseriarumque suarum, inebriat ; est et somnus, quo ad veram eos quietem revocat. Cibus iste est sacra Scriptura, D qua vere homo *reficitur* et recreatur ; potus dulcedo orationis, qua vere homo quasi resumptis viribus in Deo animatur ; somnus est tranquillitas mentis, qua vere homo Deo unitur et sociatur. Quibus autem meritis gratiam hanc divinæ refectionis homo promereri possit, sequentibus verbis docet nos Dominus, cum dicit :

Tollite jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde. Si simpliciter intelligere volumus jugum Domini, est obedientia Domini. *Jugum* Domini super nos *tollimus*, si in vera cordis humilitate omni nos propter Deum obedientiæ subigimus. Sed ad altiorem sensum est aliud quid quod per *jugum* non incongrue intelligi possit. *Jugum* dictum est a *jungendo*. Semper enim jungit duo, bovem scilicet ad bovem, ne separari ad invicem queant, pariter laborent, pariter eant. Non inconvenienter igitur per *jugum*, quod semper duo jungit, consensus hominis accipi poterit. Consensus denique hominis semper jungit duo. Si malus est consensus, junguntur per eum duo, homo scilicet et diabolus ; si bonus est consensus, conjungitur per eum homini Deus. Nam dum homo bono consentit, consensus ejus consensus Dei fit, sicque sub uno consensu quasi sub uno jugo jungitur Deus et homo. Ait ergo Dominus : *Tollite jugum meum super vos.* Ac si dicat : Quandiu mortali corpore circumdati estis, vivere sine peccato non potestis. Sed si impugnant vos carnalium delectationes vitiorum, *tollite super vos*, in superiori vestro, *jugum meum*, ut blandientibus vitiis non consentiatis, sed resistendo et repugnando consensum vestrum consensum meum faciatis. Fit enim aliquando ut peccet homo, sed ex fragilitate, non consensu, quia odit in seipso quod peccat, et vellet non peccare, sed non potest. Quisquis iste est, hic vere habet super se *jugum* Domini, quia in eo quod est superius in se, vere consentit Deo. Nam etsi in peccato ex fragilitate corporis seu etiam mentis aliquando labitur, tamen, 159 quia non consentit peccato (51-52), sed dolet pro peccato suo, sub uno consensu, quasi sub uno *jugo* jungitur et connectitur Deo, dicens cum Psalmista : *Ut jumentum factus sum apud te, et ego semper tecum* (*Psal.* XXVII, 23). Sic peccavit Petrus, sic peccavit et David. Petrus peccavit Christum negando, David peccavit adulterii simul et homicidii crimen perpetrando. Hic peccavit ex repentino timore, quia vitam perdere timuit ; iste peccavit ex repentinæ delectationis impulsu ; vidit enim mulierem, et concupivit. Sed quia consensus in peccato non fuit (53), sed peccatum suum utrique displicuit, continuo per pœnitentiæ satisfactionem uterque reversus veniam meruit.

Cæterum quia tria sunt, quæ impugnant hominem, caro, mundus, et diabolus : diabolus suggestionibus, mundus prosperis et adversis, caro delectationibus, docet nos hic Dominus, quomodo his tribus per alia tria obviare et resistere debeamus. *Tollite*, inquit, *jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animābus vestris.* Ac si dicat : Contra diabolum *tollite jugum meum*, ne suggestionibus illius consentiatis, contra mundum *discite a me quia mitis sum et humilis corde; discite*, inquam, *a me*, ut mites sitis per patientiam adversa mundi superando; *discite a me*, ut humiles sitis, humiliter vos inter prospera mundi custodiendo, ut nec adversis nimium dejiciamini, nec prosperis nimium extollamini. Si sic jugum meum super vos tuleritis, si sic a me, *quia*

(51-52) Id est malitiose non perseverat in agnito peccato. Vide medium præcedentis homiliæ.

(53) Id est pertinax approbatio et obstinatio.

mitis sum et humilis corde, discere laboraveritis, ad tertium tandem per gratiam meam pervenietis, ubi vere *requiem animabus vestris invenietis*, ut videlicet superatis delectationibus carnis, per tranquillam mentis dulcedinem mihi soli possitis adhærere, quod vere est requies animæ.

Jugum enim meum suave est, et onus meum leve. Bene dicit, *jugum meum suave. Suave* enim valde est et delectabile, ubi unus consensus est Dei et hominis, quia sicut in consensu illo qui est peccati, suavitas quædam est quæ est ex peccato et ad peccatum carnem illicit, sic in consensu illo qui est boni, qui est consensus hominis et Dei, suavitas
160 quædam quæ sine peccato est generatur, per quam vere Deus homini, et homo Deo, spreta carnis dulcedine, condelectatur. Sed quid est quod addidit *et onus meum leve?* Quod est *onus* Domini? Onus hominis peccatoris fit *onus Dei* Redemptoris, non utique *onus grave*, sed *onus leve*, quia, dum homo convertitur ad Deum, disruptis vinculis vitiorum, projectoque a se jugo, id est, consensu peccatorum secundum Psalmistam, qui ait : *Disrumpamus vincula eorum et projiciamus a nobis jugum ipsorum* (*Psal.* II, 3), suscipit Deus in se onus peccatricis animæ. Fitque *onus* Dei *leve*, dum per misericordiam Dei homo lævigatus a peccatis, a vitiis, quibus prius deprimebatur, ad contemplandum Deum per puræ mentis intuitum sublevatur.

Hæc est sacra lectio Evangelii, quæ ordinante Spiritu sancto congrue in laudem et gloriam beati Mathiæ apostoli, cujus hodie festa celebramus, legitur, qui secundum nomen ejus (Mathisa enim interpretatur *Dei parvus*) vere unus ex parvulis Dei, ex humilibus Dei fuit, cui Deus Pater abscondita a sapientibus et prudentibus revelavit, quando ad prædicanda et declaranda incarnati Verbi mysteria in duodenarium apostolorum numerum, qui cadente Juda et sceleris sui pœnas solvente imminutus erat, propter insigne decus humilitatis, qua inter cætera virtutum insignia claruit, divina dispensatione et apostolica electione vocari meruit :

Qualiter autem eadem ejus electio facta sit, ostendit nobis beatus Petrus in Lectione hodierna, qua dicit : *Viri fratres, oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus sanctus per os David de Juda, qui fuit dux eorum qui comprehenderunt Jesum, qui connumeratus erat in nobis, et sortitus est sortem ministerii hujus. Et hic quidem possedit agrum de mercede iniquitatis, et suspensus crepuit medius, et diffusa sunt omnia viscera ejus, et notum factum est omnibus habitantibus Jerusalem. Scriptum est enim in libro Psalmorum : Fiat habitatio ejus deserta, et episcopatum ejus accipiat alter. Oportet igitur ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore,*
161 *quo intravit et exivit inter nos Dominus Jesus, incipiens a baptismate Joannis usque in diem, quo assumptus est a nobis, testem resurrectionis ejus fieri unum ex istis. Et statuerunt duos, Joseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est justus, et Ma-*
A *thiam, et oratione facta dederunt sortes, et cecidit sors super Mathiam, et annumeratus est cum undecim apostolis* (*Act.* I, 16-26).

In hac itaque electione sanctissimi hujus apostoli consideranda et pensanda est magnitudo clementiæ Dei. Nam dum reprobato eo, qui in ore hominum justus erat, humilem et parvum elegit, omnes nos docuit et admonuit, ut nunquam de nostra justitia vel meritis præsumamus, sed si ad electionem vitæ æternæ pervenire volumus, imitemur et sequamur humilitatem et mansuetudinem hujus *parvi Dei*, qui vere jugum Domini tulit super se, quia dum sub uno consensu, quasi sub uno jugo junctus et connexus Deo, nec carni blandienti succubuit, nec diabolo peccata suggerenti consensit, nec mundo pro-
B speris et adversis sævienti cessit, vere invenit requiem animæ suæ, quia ex illa requie, qua hic per internæ dulcedinis gratiam cum Deo requievit, translatus est in illam requiem, quæ nunquam turbatur, nunquam immutatur. Sed nos, qui jugum Domini utcunque portamus, humilitatem et mansuetudinem ejus imitari studeamus, quatenus, in extremo districti judicii examine, ubi sapientes et prudentes hujus sæculi abjiciuntur, ipsius intervenientibus meritis, illam requiem animabus nostris inveniamus, in qua cum parvulis et humilibus Dei de æterna Dei visione sine fine gaudeamus, quod ipse præstare dignetur Dominus noster, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

C

162 HOMILIA XXVI,

IN FESTUM S. MATHIÆ APOSTOLI SECUNDA.

Die decimo princeps filiorum Nephthalim Ahira, filius Enan, obtulit acetabulum argenteum, appendens centum triginta siclos (*Num.* VII).

Beatus Mathias apostolus, cujus hodie festa celebramus, qui sorte electionis ad apostolicæ dignitatis [apicem] est profectus, non ideo coapostolis suis gloriæ aut potestatis eminentia impar esse creditur, quia a Christo, adhuc in carne manente, cum ipsis non est electus. Æterna quippe Dei Patris sapientia, quæ in diebus carnis suæ apostolos suos per dulcem vocationem electionis suæ ad se traxit, ad dexteram Patris residens beatum Mathiam per apostolorum
D ministerium ad consortium eorum assumpsit.

Et non incongrue nomen hujus apostoli perfectæ ejus convenit humilitati. Nam Mathias *parvus Dei* interpretatur, parvus non corporis quantitate, sed cordis humilitate, quia vere spiritu humilis, vere despectus fuit in oculis suis. Sicut enim homo, si quid boni fecerit, per superbiam destruit et amittit, ita si in aliquo deliquerit, per humilitatem ad indulgentiæ gratiam redire poterit

Hic ergo dux et princeps eximius, unus de egregiis cœli et terræ principibus, in quodam Veteris Testamenti loco mystice designatur, ubi numeratis undecim principum filiorum Israel sacrificiis de duodecimo ita subinfertur :

Die decimo [duodecimo] *princeps filiorum Nephtha-*

lim Ahira, filius Enan, obtulit acetabulum argenteum, appendens centum triginta siclos. Per *Ahira*, qui *fratris mei amicus* interpretatur, beatus iste apostolus, vero dilectus et electus *fratris* nostri Jesu Christi *amicus* designatur, qui per excellentissimum humilitatis meritum amicitiæ et dilectionis apud ipsum obtinuit locum. Qui Ahira *filius Enan* esse scribitur, quod *nubes* dicitur. Nubis quippe nomine Spiritus sanctus intelligitur, qui per suæ gratiam electionis dignum eum filium adoptionis fecit.

Et notandum quod duodecim principum filiorum Israel æquale sacrificium fuit, nec quisquam eorum plus aut minus **163** quam alter obtulit; quia et duodecim duces nostri, sancti videlicet apostoli æqualem Spiritus sancti acceperunt gratiam, parem habuerunt meritorum prærogativam, et æqualem sanctitatis ac pietatis excellentiam.

Quæ autem illorum fuerint sacrificia, præsens hæc demonstrat littera, unusquisque illorum *obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos ad pondus sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium, mortariolum aureum appendens decem siclos plenum incenso.* Hæc profecto tria sacrificia beatus Paulus his verbis in sua commendare videtur Epistola: *Deus pacis sanctificet vos per omnia, ut integer spiritus vester et anima et corpus sine querela in die Domini nostri servetur* (*I Thess.* v, 23). Spiritus denique noster est intellectus, quo bonum ac malum cognoscimus. *Acetabuli* vero nomine corpus apostolorum non incongrue possumus accipere, quod nulla teneritudinis dulcedine fuit delicatum, sed omni laborum et miseriarum acerbitate graviter affectum et attenuatum. Quod nimirum *acetabulum* apte describitur fuisse *argenteum*. Primum siquidem argentum lapis est, sed ut solitum accipiat splendorem et candorem, solertia artificis per calorem ignis continuum impendit laborem. Sic revera corpus apostolorum prius irrationabile quodammodo fuit et ignarum, sed cum ignis Spiritus sancti tanto eos calore incanduit, de lapide argentum examinatum ac pretiosissimum fecit. Hinc beatus Job ait: *Ferrum de terra tollitur, et lapis resolutus in æs vertitur* (*Job* xxviii, 2). Ferrum namque de terra tollebatur, quando fragiles et terreni homines fortissimi pugnatores fiebant et inflexibiles. Lapis vero resolutus in æs versus est, quia per calorem sancti Spiritus facti sunt prædicatores sonori, qui ante fuerant homines ignobiles et ignari. Sed istud acetabulum argenteum, quanto pretio valeat, sequens littera insinuat.

Appendens, inquit, *centum triginta siclos.* Per numerum hunc, *centum* scilicet *et triginta*, apostolicæ perfectionis permaxima intelligere possumus merita, quia profecto cogitationes eorum, verba et opera grandi perfectionis studio erant prædita. Postquam enim mirifico sancti Spiritus ardore sunt accensi, sic inundantis gratia **164** divinitatis repleti nil cogi-

A tare poterant vel facere, nisi spiritalia, nil loqui nisi divina. Sequitur:

Phialam argenteam habentem septuaginta siclos. Per *phialam argenteam* spiritum eorum sive pretiosissimam intelligere possumus animam, in qua septiformis Spiritus sancti gratia largissima dulcedinis suæ requievit abundantia. Videamus nunc ad quod opus *phiala* hæc *argentea siclos* habuerit *septuaginta*? *Ad pondus sanctuarii.* Septiformem namque Spiritus sancti gratiam non ad pondus mundi habebant, quia eam ad honorem Dei totam impendebant. Ergo acetabulum argenteum et phiala quam acceptabili fuerint munere referta, sequentia declarant verba.

Utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium. Quid enim hoc accipere in loco possumus per
B *similam* nisi purissimæ animæ eorum ac corporis munditiam? Adveniens quippe ejusdem Spiritus sancti gratia non solum animas illorum ineffabiliter adimplevit, verum et corpora, ita [ut] utraque candida, utraque mundissima tantæ majestatis essent receptacula. Et quia non satis esset, si pura tantum esset *simila*, recte dicitur fuisse *oleo conspersa.* Digne satis nomine olei pura et sincera exprimitur dilectio Dei et proximi, qua et Deum super omnia diligebant, et omnes homines dulci cordis affectu comprehendebant. Quæ omnia erant *in sacrificium*, hoc est ad honorem Dei et ad utilitatem proximorum, quia quanto perfectius Deum diligere noverunt,
C tanto largius gratiam ab eo acceptam aliis administrare potuerunt. Sequitur:

Mortariolum aureum appendens decem siclos. Quia legislator non mortarium posuit, sed *mortariolum*, recte intelligitur apostolorum cor contritum et humillimum. Nam tantæ humilitatis præditi erant privilegio, ut præter Christum et ipsius matrem nunquam humilior inveniri potuerit homo. Possumus quoque per *mortariolum aureum* nobilissimum eorum accipere sensum, quo omne, quod in sancta Scriptura inveniebant, quasi tenuissimum pulverem conterebant. Qui revera *aureus*, id est omni scientiæ et sapientiæ fulgore decoratus, quia sicut aurum reliquum metallum præcellit, sic illorum sensus omnium mortalium sensum sapientia præcessit. *Appendens*,
D inquit, *decem siclos.* Numerus denarius, ut luce clarius patet, **165** late in Scriptura decem præceptorum formam prætendere solet. Sancti apostoli, dum Decalogi mandata perfecte noverunt, ut hæc opere perficerent, omnem sensum suum appendere studuerunt. Et merito istud *mortariolum incenso* fuisse describitur *plenum.* Quid incensum, nisi suave fragrans apostolicæ orationis fuit odoramentum? Cor quippe eorum divina dulcedine abundantissime refertum, tempore orationis tam odoriferam protulit fragrantiam, quæ usque ad summum thronum ascendens, ibidem suavitatem respersit gratissimam. De hoc odorifero orationis incenso dicitur in psalmo: *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo* (*Psal.* cxl, 2). Hinc quanta illorum præ-

dicatio fuerit, quæve de bono Jesu testimonia protulerint, demonstratur in verbis sequentibus.

Bovem, inquit, *de armento et arietem et agnum anniculum in holocaustum, hircum pro peccato. Bos* iste *de armento* sumptus est Christus, de patriarcharum et prophetarum carne exortus, quem nimirum præclarissimi duces nostri obtulerunt, cum eum verum hominem de genere patriarcharum natum, et pro totius salute mundi immolatum docuerunt. Obtulerunt etiam *arietem*, dum eumdem Redemptorem nostrum Ecclesiæ suæ nuntiaverunt esse ducem. Aries enim reliquum gregem præcedit. Sic et Christus omnes fideles suos in regnum cœlorum antecedens, omnibus aditum ejus patefecit. *Et agnum*, inquit, *anniculum in holocaustum* **166** *hircumque pro peccato. Agnus* hic *anniculus* Christus est immaculatus, qui pro salute omnium electorum in ara crucis suavissimum factus est *holocaustum*. Hunc ergo *agnum anniculum* sancti apostoli prædicaverunt *hircum* etiam esse *pro peccato*, quia qui in se erat immaculatus et mundissimus, non pro suis, sed pro nostris peccatis oblatus est hircus.

Et hostias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Per *boves duos* duos Judeorum et gentium accipimus populos, quos illi velut *hostias pacificorum* obtulerunt, quia per illum, qui est pax nostra faciens utraque unum, de duobus his populis sanctam Ecclesiam constituerunt. Et quia Ecclesia tribus ordinibus constituta regitur, consequenter subjungitur: *Et arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque*. Per *arietes* prælati, per *hircos* pœnitentes, per *agnos anniculos* exprimuntur innocentes. Per duos hos populos et his tribus ordinibus sancta Ecclesia a suis initiata est principibus, et omnipotenti Domino ex his omnibus gratissima fit oblatio. Hæc est oblatio trifaria per duces nostros Christo excellenter oblata. Nam acetabulum, phialam, mortariolum obtulerunt in propriæ vitæ perfectione, bovem de armento, agnum anniculum hircumque, pro peccato in Christi prædicatione, boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque in Ecclesiæ constitutione.

HOMILIA XXVII.

IN FESTUM ANNUNTIATIONIS BEATÆ MARIÆ VIRGINIS PRIMA.

Missus est angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen virginis Maria (*Luc.* I).

Præclara dies hodiernæ festivitatis, licet multimodis sublimata sit solemnitatum gaudiis, maxime tamen in hoc celebris habetur, quod in ea per incarnationem Filii Dei exordium nostræ redemptionis cœpit, et in ipsa per sacramentum passionis suæ opus noster salutis idem Filius Dei consummare voluit. In hoc siquidem die æterni Patris Filius humanam naturam pro liberando homine suscepit et hanc eamdem humanitatem evoluto tempore

A hac ipsa die pro salute totius humani generis ad passionem et mortem tradidit. Hæc est enim dies illa desiderabilis et jucunda ad quam omnes suspirabant, quam omnes desiderabant et optabant, qui ab initio sæculi Domino placuerunt, de qua obscuris prælocuti sunt sententiis, qui redemptionem generis humani oculo prævidebant præsagi cordis. Unde et unus ex illis, Isaias scilicet propheta, qui hunc incarnandum præviderat, venire jam ad terras ardenti desiderio sic exoptabat. *Rorate*, inquit, *cœli, desuper, et nubes pluant justum* (*Isa.* XLV, 8).

167 Verba hæc electi Domini prophetæ concordare videntur hodiernæ lectioni evangelicæ, in qua apertissime declaratum invenimus quod propheta obscuris et mysticis verbis est prælocutus. Per *cœlum* enim licet diversa valeant intelligi, hoc tamen

B in loco Gabriel ille archangelus, apte valet designari, qui tunc desuper *rorabat*, cum, ut Evangelium hodie refert, *missus est a Deo*, ut magnum illud et ineffabile divini consilii mysterium, quod pro liberando homine Deus Pater iniit, ad terras deferret. Et bene hæc annuntiatio Dominicæ incarnationis *rori* comparatur, quia sicut *ros* aridam terram irrigat et calore temperat, sic incarnatio Dominica aridum, ut ita dicam, mundum irrigavit, dum et laborem peccati in mundo exstinxit, et ignem inferni refrigeravit. Rorantibus hoc modo cœlis, quid salutis et gratiæ totus mundus acceperit, verbis sequentibus intelligi poterit: *Et nubes pluant justum*. Licet

C per *nubes* nonnullis locis prophetæ designentur, nos tamen secundum hunc sensum quem tractare cœpimus, per *nubes* Patrem et Spiritum sanctum, per *justum* vero Filium ejusdem Patris intelligere possumus. *Nubes* enim cum cœlum operuerit, quia pluviæ inundatio secutura sit, nullus dubitabit. Rorantibus igitur cœlis *nubes pluere justum* cœperunt, quia loquente archangelo ad beatam virginem Mariam Pater Filium misit, quem cooperante Spiritu sancto Virgo mater concepit.

Nec prætereundum est quod *cœli rorare*, *nubes* vero *pluere* dicuntur. Scimus enim quia, pluvia inundante, majori ubertate terra fecundatur quam rore irrigante. Sic et verba illa archangeli ros quodammodo fuerunt, quia gratiam tantum futuræ sa-

D lutis prænuntiabant. *Nubes* vero ideo *pluere* dicuntur, quia illis pluentibus, hoc est Patre et Spiritu sancto Filium in hunc mundum mittentibus maximæ ubertatis, magnus, inquam, salutis et gratiæ fructus in toto jam mundo est subsecutus. Et bene idem Filius Dei *justus* nominatur, quia ipse sine peccato conceptus et natus, ipse justificans omnes, justus pro injustis, innocens pro nocentibus pati voluit. *Aperiatur*, inquit, *terra*, *et germinet* **168** *Salvatorem* (*ibid.*). Quæ *terra* nisi perpetua domina nostra virgo Maria? *Aperiatur* hæc, inquam, *terra*, *aperiatur* scilicet sine delectatione concipiendo, *aperiatur* sine dolore pariendo, quemadmodum in laude ejusdem Virginis canimus: *Peperit sine dolore Salvatorem sæculorum*. Et *germi-*

net Salvatorem, hoc est proferat de se æternæ salutis auctorem. His verbis prophetæ concordare videntur verba lectionis evangelicæ, quæ hoc in veritate completum insinuant quod propheta obscure et mystice dudum prænuntiaverat.

Missus est, inquit evangelista, *Gabriel angelus a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth.* Omnipotens Dominus omnia sua, quæcunque operatus est, quod cœlum, terram, mare et omnia, quæ in eis sunt creavit, nulla, ut ita dicam, fortitudine usus est, quia tantum verbo *dixit, et facta sunt* (*Psal.* XXXII, 9). Quod vero homo fieri dignatus est, et in ipsa humanitate fortem illum armatum, qui totum mundum ditioni suæ subdiderat, prostravit, omneque humanum genus ab ejus iniqua dominatione liberavit, maxima ejus fortitudo fuit. Magna revera fortitudo fuit quod ille, qui erat invisibilis divinitate, incomprehensibilis majestate, tam parvum se fecit quod in utero teneræ Virginis comprehendi potuit, et in ipsa humanitate totum mundum ab æternæ mortis damnatione liberavit. Ad hoc opus mundo nuntiandum archangelus ille *Gabriel*, qui *Dei fortitudo* dicitur, ab initio præordinatus erat, quia nimirum decebat ut ille, qui Dei fortitudo nominatur, fortem hunc Dei Filium incarnandum nuntiaret. *Missus est* ergo *a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth*. Nazareth *flos munditiæ* interpretatur. Quam bene domina nostra, perpetua virgo Maria, in hac civitate, quæ tali nomine præfulget, domum habuisse describitur! Quia ipsa prima florem virginitatis et castitatis in se ostendit, ipsa prima inter omnes mulieres, nullius animata exemplo Deo virginitatem suam devovit, et post eam flos iste tantam in toto mundo suavitatem spiravit, quod innumera multitudo utriusque sexus ejus virginitatis exemplum secuti sunt, et adhuc sequuntur; et si plenam mentis **169** integritatem custodire non possunt, quantum tamen ipsa adjuvante valent, corruptionem corporis declinare student. Vel ideo beatæ Virgini *Nazareth*, quæ *flos munditiæ* dicitur, bene convenit, quia ipsa Filium Dei florem illum redivivum, incomparabile, inquam, decus virginitatis salva integritate sui corporis peperit. Quemadmodum enim, cum arbores proferre flores conspicimus, sequentem jam fructum speramus, sic cum hæc beata Virgo florem hunc, Filium, inquam, Dei concepit et peperit, totus jam mundus fructum æternæ adeptus est salutis. Cui vero vel ad quem nuntius iste præpotens missus sit, verbis sequentibus evangelista innuit:

Ad virginem, inquit, *desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David.* Beatus *Joseph*, vel ipsa beata virgo Maria divites secundum sæculum non erant, pauperem in hoc mundo vitam gerebant, sed virtutum divitiis pleniter circumvallati prænitebant. Attamen de regali prosapia regis David progeniti erant. Beata enim Maria de illius stirpe exorta erat, cui juravit Dominus, quod de fructu ventris ejus esset nasciturus. Nam, ut legimus, Abrahæ

A tantum promisit quod in semine ejus benedicendæ essent omnes gentes, huic vero beato David jurejurando Filium suum Deus repromisit, quemadmodum ipse testatur dicens: *Juravit Dominus David, et non frustrabitur eum: De fructu ventris tui ponam super sedem tuam* (*Psal.* CXXXI, 11). Unde non immerito beata Dei Genitrix vel ipse Joseph *de domo David* esse describuntur, non propter regalium divitiarum abundantiam, sed secundum genealogiam. Præmissis ergo his omnibus, et nomine civitatis, in qua beata Virgo habitabat, et nomine viri, cui desponsata erat, nunc demum præclarum nomen ejusdem Virginis evangelista pronuntiat.

Et nomen, inquit, *virginis Maria.* Maria, ut notum est, *maris stella* interpretatur; quæ nominis B interpretatio tam justis quam peccatoribus magnam spei fiduciam, magnam confert consolationis gratiam. Mos est nautarum, qui in aliquam terram navigare desiderant, quod noctis irruentibus tenebris sidus sibi aliquod eligunt, cujus luce et signo ad portum, quo tendunt, sine dispendio **170** pervenire valeant. Hujusmodi sideris radio non immerito reginæ nostræ nomen assimilatur. Nam ipsa est sidus illud egregium, quod nobis, in mari hujus sæculi periclitantibus et ad portum vitæ æternæ pervenire desiderantibus, tum per vitæ exemplum, tum per pietatis et misericordiæ lucet auxilium. Ponamus ergo ante oculos hanc præviam maris stellam, et si quis aut vento prosperitatis inflatur, aut vento adversitatis in desperatione dejicitur, stellam C hanc respiciat, indeficienter lumen ejus maternæ pietatis exquirat. Si quis pondere peccatorum oppressus anxie contristatur pro innumeris delictorum sordibus, stellam hanc respiciat, fiducialiter anchoram spei suæ in eam figat. Similiter etiam justus et innocens, si pro conservanda innocentia sollicitatur, totam mentis intentionem in stellæ illius figat claritatem, quia si fideliter gratiæ ipsius auxilium quæsierit, sine dubio ipsa maris stella et peccatori indulgentiam, et justo secundum desiderium cordis ejus pietatis suæ auxilium præstabit et gratiam. Hæc sunt festiva præsentis diei gaudia, hæc, inquam, est dies illa celebris et jucunda, in qua pro redemptione generis humani Deus Pater D Filium sibi coæternum constituit incarnari.

Missus vero ad beatam Virginem Gabriel archangelus, ubi, vel quibus actionum studiis intentam ipsum invenisse eam credimus? Non utique foris vagantem, sed intus ad magnificum aliquod opus piæ sollicitudinis operam dantem. Nam licet minime Scriptura referat qualiter eam nuntius ille cœlestis invenerit, illud tamen æstimare possumus, quod magnificum illud opus habuerit in manibus, quo nil pretiosius et dignius, vel Deo esse poterit acceptabilius. Opus vero istud egregium Domino acceptabile, hominique maxime proficuum, illud nimirum est, cum homo, collectis omnibus sensibus suis, aut pro remissione peccatorum Dominum flagitat, aut pro acceptis donorum ejus beneficiis humiliter

gratias agendo suppliciter se prosternit. Ad tale opus, uti credere possumus, domina nostra virgo Maria totam se collegerat; et ideo intus angelum eam invenisse credimus, quod etiam ex ipsis sancti Evangelii verbis colligere possumus: *Ingressus*, inquit, *angelus ad eam dixit*. Sicut præfati sumus, beata Maria, pro salute totius **171** generis humani Domino supplicatura, districte se collegerat, et totam mentis intentionem ad hoc solum quod petebat erexerat, ideoque tam inauditam salutationem, tam ineffabilem salutis gratiam apud Deum obtinere promeruit, quod ipsa salutem totius mundi generare digna fuit.

Et revera quilibet adhuc homo beatus, qui exemplo hujus Virginis, collectis utriusque hominis sensibus, ad Deum et sola cœlestia aciem mentis ita intentam habere studuerit, quod nil præter hoc solum quod postulat tempore orationis in animo versari permiserit, credere indubitanter possumus, quia etsi non eamdem vel tam plenariam visitationis gratiam, quod omnino impossibile est, a Domino acceperit, ipsum tamen, quem beata Virgo corporaliter portavit, ipse spiritaliter in utero mentis concipit et parit. At vero quicunque hujus exempli imitator esse renuerit, sed Dinam, filiam Jacob, egredientem ad videndas mulieres regionis alterius, secutus fuerit, ad percipienda hæc divinæ visitationis gaudia minime pervenire poterit. Dina hæc filia Jacob, est anima nostra, veri Jacob, scilicet æterni Patris filia, quæ tunc ad videndas mulieres alterius regionis egreditur, cum male vagando vanis hujus sæculi rumoribus aurum cordis et corporis libenter accommodat, et has vanitates secum revolvit et tractat, sicque fit quod ab iniquo viro Sichem, per quem diabolus intelligitur, comprehensa violatur, dum pravis delectationibus voluntarie consentiendo inquinatur.

Ingressus ergo ad beatam Mariam angelus, quid dixerit, quomodo eam salutaverit, audiamus:

Ave, inquit, *gratia plena*, *Dominus tecum*. Quæ salutationis verba non ipse de se protulit, sed in cœlesti curia composita et præordinata a Deo Patre accepit. *Ave*, inquit, *gratia plena*. Ac si diceret: *Gratia plena* es, quia ille, qui est incomprehensibilis divinitate, in quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, in te comprehendi, in te perfectus Deus et homo anima et corpore concipi disposuit. Omnis quippe humana natura ex anima constat et corpore, quam humanam naturam sic Filius Dei de beata Virgine suscepit, quod mox ad verbum angeli, perfectum Deum, plenum hominem cum corpore et anima eum concepit. Vel sic eam *plenam* **172** *gratia* dicere possumus, quia et justis debitrix quodammodo est et peccatoribus; justis quidem eo jure gratiam impendere debet, quia ad illius exemplum innocentis vitæ puritatem retinere contendunt; peccatoribus vero ideo largam in misericordia et pietate exhibere se debet, quia propter ipsos mater Dei electa est. Nam si peccatores non essent, Filius Dei

A incarnandus ad terras non descendisset, nec ipsa eum genuisset.

Dominus, inquit, *tecum*, *benedicta tu in mulieribus*. Quod idem est ac si dixisset: Ideo *gratia plena* es, quia jam in proximo est quod Dominum virginali utero conceptura es. *Benedicta tu in mulieribus*. Quare *benedicta tu in mulieribus*, et non in viris? Ideo utique, quia maledictionis illius expers omnino erat, quæ super Evam facta est, cui dictum est: *in dolore paries filios*. Omnes quippe mulieres cum delectatione concipiunt, sed in dolore filios pariunt. Hujus maledictionis beata Maria, ut prædiximus, expers erat, quia sine delectatione concepit, et sine dolore peperit. Vel ideo *benedicta in mulieribus*, quia maledictionem illam, quam Eva omnibus contulit, ipsa
B desuper benedictionem ingerendo fugavit.

Possumus et aliter intelligere quod dixit, *benedicta tu in mulieribus*. Est enim quasi dixisset: Te benedictam dico in mulieribus, quia licet sint multæ mulieres, quæ per bonam devotionem Deo placeant, nulla tamen ab originali et actuali peccato libera esse poterit. Sed tu ideo *benedicta* es *in mulieribus*, quia sicut ab actuali peccato pene (54) libera es, ita etiam ab originali (55) peccato prorsus liberanda eris. Et quare plus te benedictam dico *in mulieribus* quam in viris? Sunt etiam aliqui in viris benedicti per laudabilis vitæ meritum, sed tamen nullus sine originali et actuali peccati. Video autem singularem virum jam ex te nasciturum solum originali et actuali peccato liberum. Et sicut ille solus benedi-
C ctus super omnes erit viros, ita et tu *benedicta* super omnes eris mulieres. Sequitur:

Quæ cum audisset, *turbata est in sermone ejus*. Quomodo beatam Virginem *turbatam* credimus? quæ fuit illa turbatio? anne æstimanda est ad viri præsentiam ideo trepidasse, quod virginitati suæ timeret? minime. Neque enim decebat tam præclaram meritis, **173** tam pretiosam virtutibus, ut in aliquam desperationem ejus declinaret animus. Ipsa enim, ut superius diximus, pro salute totius humani generis Domino supplicans, totam mentis intentionem ab inferioribus ad superna suspenderat, et in tam serenissimo animo, quo solis cœlestibus intendebat, omnia quæ foris apparebant, transcenderat,
D ideoque in ipsa hora divinæ contemplationis tanta a Domino et in Domino spei fiducia cor ejus solidatum erat, quod nulla desperatione tangi poterat. Turbata est ergo in sermone angeli, non quod aliqua desperatione titubaret, sed quia ad cœlestia meditanda totam se collegerat, et cum ad ea, quæ foris dicebantur, animum, quem in sublime erexerat, flectebat, serenitas illa aliquantulum turbata est, nec ita pleniter, ut prius, cœlestium meditationi mens ejus infixa manebat, sicut etiam fieri plerumque solet, cum homo quilibet beatus his quæ sursum sunt totus suspensus intendit, si forte aliquid exterius sonuerit, animus ab intentione aliquantulum resilit, nec totus ad ea quæ cœ-

(54) Ita cod. Sed videtur leg. *plene* vel *penitus*.

(55) Vid. dissert. præviam in tom. I.

perat collectus esse poterit. Quod tali perturbatione beata Maria sit turbata, ipsa innuere videntur verba sequentia :

Et cogitabat qualis esset ista salutatio. Cum enim salutationem angeli secum tractabat, ab ea intentione, qua prius se collegerat, animum aliquantulum retrahebat. Quam ita turbatam, ita cogitantem ipso secretorum Dei nuntius inauditæ salutationis verbis, *ne timeat*, admonet et hortatur, quemadmodum sequitur :

Et ait angelus ad eam : Ne timeas Maria ; invenisti enim gratiam apud Deum. Quis, æstimamus, fuit timor ille, qui in tam præpotentis reginæ virgineo versabatur pectore? Anne credere debemus phantasiam aliquam diabolicæ illusionis eam expavisse? Incongruum hoc videtur dignitati beatæ Mariæ diabolicam illusionem eam expavisse, quæ tam singulari et incomparabili virtutum excellentia Deo proximam se fecerat. Timuit enim non pro se sola aut parentum suorum salute, sed pro totius generis humani liberatione ; timuit, inquam ne peccatis exigentibus aut omnino redemptio hæc non fieret, aut tam diu differretur, quod multitudo maxima mortis perpetuæ exitio damnaretur. Quod hæc timoris ejus **174** causa fuerit, ipse angelus in hoc insinuare videtur, quod proprio eam nomine appellans dicit, *ne timeas, Maria*. Maria, ut notum est, *Domina* in nostra resonat lingua. Quod idem est ac si angelus dixisset : Times pro redemptione humana, times ne in perpetuum genus damnetur humanum. Ecce dico tibi, *Maria, ne timeas*, nec expavescas, quia tu ad hoc es electa, ut totius mundi fias domina, ut totius mundi parias salutem, tuum ac cunctorum Redemptorem ac Salvatorem. *Invenisti*, inquam, *gratiam apud Deum*. Gratiam illam, quam omne humanum genus per superbiam primi parentis perdiderat, tu in profunda humilitate quærendo invenisti, quia ipsum, per quem totus mundus salvari debet, concipere et parere meruisti. *Invenire* ille dicitur qui rem aliquam quærit et invenit quam perdidit. Sic totum genus humanum gratiam Conditoris sui perdiderat, illam dico gratiam, quod nullus, quamvis justus et sanctus, regni cœlestis merebatur introitum, sed post hujus vitæ exsilium omnes descendebant ad infernum. Hujus miseriæ calamitatem beata domina nostra non pro se sola tantum, sed pro toto genere humano graviter doluit, hanc, inquam, perditam gratiam lacrymis et orationibus Deo Patri die ac nocte insistens quærebat, et quia corde contrito et profunda humilitate quæsivit, invenire tandem promeruit, dum importuna clamoris voce tantum apud Deum invaluit, quod vim ei inferens, de superis ad ima, de cœlestibus ad terras eum traxit. Præpotens ergo cœlestium secretorum nuntius, postquam dilectissimam Virginem inauditæ salutationis verbis satis est allocutus, cum Filium altissimi Patris clauso virginei pudoris sigillo de ea prædiceret fore nasciturum, omnia etiam humanitatis ejus sacramenta, quemadmodum in cœlesti illo auditorio didicerat, eidem Virgini consequenti mox ordine denuntiat.

Ecce, inquit, *in utero concipies et paries filium.* Brevi siquidem verborum elocutione magnum et immensum opus comprehendit humanæ Filii Dei naturæ, post conceptionem videlicet nativitatem, sicque omnia sacramenta, quæ pro humanæ salutis reparatione operari Filius Dei in sua dignatus est humanitate. In primo namque angeli verbo : *Ecce in* **175** *utero concipies*, ipse qui secundum divinitatem incomprehensibilis est naturæ, animatum sumens corpus, perfectus Deus et homo in virginali thalamo est conceptus. Et quemadmodum hæc eadem beata Virgo et mater, sicut ineffabiliter incarnandum Dei Verbum ad solum angeli sermonem se concepit, ita etiam ineffabiliter et mirabiliter se erat paritura, congrue mox angelus post conceptionis mysterium in verbo hoc, *et paries*, nativitatis ejus subintulit sacramentum. Idem autem æterni Patris unigenitus, unicus intemeratæ Virginis filius, quoniam non venit solvere legem, sed adimplere, qualiter etiam in ipso nativitatis ejus primordio per circumcisionis sacramentum observaturus esset legis præceptum, aperte angelus his denuntiat verbis : *Et vocabis*, inquiens, *nomen ejus Jesum*. Dicendo enim, *vocabis nomen ejus Jesum*, circumcisionis ejus præsignabat sacramentum. Nam teste evangelista in ipso die circumcisionis ejus, *vocatum est nomen ejus Jesus*.

Hic etiam splendor et forma paternæ majestatis, qui ita paulo minus minoratus est ab angelis, lapis, inquam, ille angularis, qui ita in abscondito latebat tectus tegmine humanitatis, qualis quantusque postmodum erat futurus, non solum juvenis factus signis et prodigiis veræ divinitatis ostendens potentiam, sed etiam puer adhuc parvulus sub matris cura constitutus, idem ipse testatur nativitatis ejus nuntius, *hic*, inquiens, *erit magnus*. Magnus revera Rex et Dominus in oculis trium magorum est factus, qui in ipso primordio ejus nativitatis signum cognoscentes magni Regis, parvulum adhuc matris ubera sugentem, pannis involutum, vagientem in cunabulis mira devotione, utpote eum, quem Regem sæculorum, verum Deum et hominem signis attestantibus esse cognoverunt, auro, thure, et myrrha, juxta regiæ majestatis magnificentiam, magnifice venerari studuerunt. Hic etiam juvenis postmodum factus signis et prodigiis mundo apparens manifestus, mortuos resuscitans, cæcis visum reddens, leprosos mundans, cæteraque nonnulla divinæ potestatis ostendens miracula, *Propheta magnus, vir potens in opere et sermone* **176** *coram Deo et omni populo* a nonnullis est appellatus (*Luc.* XXIV, 19).

Et filius, inquit, *Altissimi vocabitur*, scilicet in baptismo, cum facta est super eum vox paterna : *Hic est*, inquiens, *Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* (*Matth.* XVII, 5). Esse hunc Filium Dei Petrus confessus est, dicens : *Tu es Christus Filius Dei vivi* (*Matth.* XVI, 16). Esse hunc Filium Dei Martha etiam affirmabat, quæ ait : *Ego credidi quia*

tu es Christus Filius Dei, qui in hunc mundum venisti (*Joan.* XI, 27). A Filius etiam Altissimi vocatus est in passione, quando centurio ille videns terræ motum, cæteraque omnia elementa morte ipsius esse concussa, piæ devotionis voce ipsum Dei Filium confitendo proclamabat : *Vere*, inquiens, *hic homo Filius Dei erat* (*Matth.* XXVII, 54). Et quia post hæc omnia, quæ in humillima humanitatis ejus passurus erat natura, secundum Divinitatis ejus potentiam resurgens quandoque a mortuis, et in cœlum ascendens, constituendus erat super omnia opera Patris, recte eadem gloriosissimæ resurrectionis et ascensionis ejus sacramenta intelligi valent per verba continuo sequentia :

Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum. B Quod dicitur hic, *dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus*, duobus modis valet intelligi : primo quidem, quod sicut sedes regni David in Jerosolymis fuit, sic ipse Filius Dei, secundum humanitatem autem *filius* appellatus *David*, post resurrectionem suam in Jerosolymis regni sui initium habuit, cum in primitiva Ecclesia velut nobile veri David regnum esse ibi cœpit. Quam etiam sedem *David Pater ejus*, cui specialiter promissus erat, in Psalmo : *Dixit Dominus Domino meo* (*Psal.* CIX), quem de resurrectione et ascensione ejus composuit, figuraliter notavit. Nam sicut in psalmo precedenti passionem ejus præsignavit, sic nihilominus in isto sequenti resurrectionem et ascensionem ejus præfiguravit. Ait enim in eodem psalmo : C *Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis*. Quod licet de ascensione ejus specialiter dictum sit, quod tunc ad dexteram Dei Patris consederit, tamen de resurrectione ejus **177** dictum esse non injuste creditur. Qualiter etiam Deus omnipotens Filio suo consubstantiali sedem David dederit, ipse post resurrectionem suam apparens discipulis suis insinuans ait : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra* (*Matth.* XXVIII, 18). Et quomodo non solum Judæi, verum et gentiles, qui nomine Jacob, quod interpretatur *supplantator*, valent intelligi, post resurrectionem ipsius et ascensionem ad regnum ejus erant colligendi, ipsumque regnum post Judæorum abjectionem stabileque foret et firmum, recte mox subjungitur : *Et regnabit in domo Jacob in æternum.* D Dedit ergo Pater æternus Filio suo *sedem David* in resurrectione, regnare cœpit æternaliter *in domo Jacob* in ascensione.

Et regni, inquit, *ejus non erit finis*, tam in præsenti videlicet Ecclesia quam in illa quæ post judicium in vera æternitate erit colligenda. Cum ergo angelus, nuntius ille futurorum, Filium Dei venturum quandoque in carne, regnaturum prædiceret in domo Jacob in æternum, intellexit beata Maria, ut vere sapientissimi Salomonis filia, quæ jam æterni Patris sapientiam in se conceperat, implendum esse quandoque rei veritate, quod dudum in figura præsignatum erat et ænigmate, quod videlicet, sicut dudum Jacob fratris sui Esau supplantator exstitit, sic nimirum vocatione gentium populus Judæorum supplantari debuerit. Unde licet de tam inaudita angeli salutatione, tam salutifera promissione in spiritu exsultaret mentis suæ, sciens procul dubio quod desideratus ille cunctis gentibus pro redemptione generis humani de se erat nasciturus, cognoscens tamen ex verbis angeli gentem suam, plebem Judæorum, ejiciendam esse de misericordia Dei, ut erat semper pietatis et misericordiæ visceribus plena, cœpit quodammodo mœrere et quasi tristior esse, et quomodo hoc fieri posset, plenius cognoscere volens, mox inquisivit; unde et sequitur :

Dixit autem Maria ad angelum : Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Ac si diceret : *Quomodo*, id est quali modo id fieri poterit, ut æterni Patris ille Unigenitus qui de me, uti dixisti, pro salute hominum est nasciturus, cum totum mundum promptus sit salvare, gentem suam, hæreditatem, **178** inquam, propriam, plebem videlicet Judaicam a consortio salvationis æternæ habeat exclusam, gentemque alienigenam, a cognitione divini nominis prorsus extraneam, dilectam sibi faciat, et saluti proximam? Ad hæc vero angelus, utpote divinorum secretorum conscius, primo quidem magnalia Dei, quæ in illa et cum illa perficienda erant, congruo ordine denuntiat, ac deinde quo occulto Dei judicio salus exstirpanda esset a populo Judaico, aperte sibi explicat evidenti rerum judicio, quemadmodum sequitur sancta lectio :

Dixit autem angelus ad eam : Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Quod idem est ac si dixisset : Veniente in superius, id est in animam tuam gratia Spiritus sancti, si qua nunc ignorantia, aut carnis concupiscentia in te latere videtur, prorsus tolletur et exstinguetur, ut tam ab actuali delicto quam originali peccato sola cum solo filio tuo libera prorsus fias et expedita. *Ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Sanctum, inquam, illud sanctificans omnia, *quo ex te nascetur*, non solum filius tuus, sed etiam *Filius Dei* in toto mundo vocabitur et prædicabitur.

Et notandum est quid significent duæ conjunctiones quæ hic positæ esse videntur, ubi sic dictum est, *ideoque et quod nascetur*. Congrue quidem ibi conjunctiones sunt positæ, ubi conjunctio utriusque facta est naturæ, divinæ scilicet et humanæ. Sequitur :

Et ecce Elisabeth cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua. Ecce, inquit, *Elisabeth cognata tua*, id est gens et cognatio tua, plebs videlicet Judaica, pro qua tam piæ devotionis affectu es sollicita, *concepit filium in senectute sua*, hoc est per fidem et dilectionem concepit olim Filium in patriarchis et prophetis, cum divinis promissionibus credula, Unigenitum qui tunc absconditus latebat in sinu Patris, magnis desideriis, magnæ devotio-

nis affectu venturum quandoque ad terras exspectabant causa humanæ redemptionis.

Et hic est mensis sextus illi, quæ vocatur sterilis, quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. *Sextus mensis* sexta ætas valet intelligi, **179** in qua invisibilis Deus per carnem visibilis apparuit, et super terram conversatus est. Et est quasi dicat: Quia sexta ætas, id est quia jam plenitudo temporis advenit, in quo Pater omnipotens Filium suum ad terras mittendo, jusjurandum, quod suis interposuit fidelibus, persolvere decrevit, hæc prædicta gens Judaica *sterilis* est et erit, quia eum, quem paritura es, esse verum Deum et hominem reproba et obstinata mente usque ad finem sæculi procaciter renuit et despicit credere. Sed *quia non erit impossibile apud Deum omne verbum*, in fine sæculi ad fidem convertetur hæc ipsa gens Judæorum, quemadmodum olim in prophetis attestari de ipsis dignata est gratia divinæ promissionis: *Si fuerit*, inquit, *numerus filiorum Israel quasi arena maris, reliquiæ salvæ fient* (*Rom.* IX, 27).

Beata Maria postquam Judæorum repulsionem ex verbis angeli cognovit, tacta dolore intrinsecus contristari, ut prædiximus, pro gente sua cœpit. At nunc, ubi conversionem ipsorum audivit, tali consolatione animata, ad obediendum Deo humiliter se offerens, in vocem prorupit exsultationis. Quod bene insinuare videntur verba humillimæ ejus responsionis: *Dixit autem Maria ad angelum: Ecce ancilla Domini; fiat mihi secundum verbum tuum.* Tanquam si diceret: Jam nunc devotam me ancillam Domini profiteor, jam ad obediendum Deo parata sum, jam ad suscipiendum Filium Dei devote me offero. Ad hoc enim portando, balneando, lactando libenter ancillæ **180** fungar officio, libenter humanæ fragilitati omnia necessaria administrabo, ut ipse, qui de me est nasciturus, non solum gentium, sed etiam Judæorum salus fiat et redemptio. *Fiat mihi secundum verbum tuum.* Non sic dico, ut ego regina cœli, totius mundi fiam domina, sed ut Verbum illud æterni Patris concipiam et pariam, per quod totus mundus æternæ salutis consequatur gratiam. *Fiat*, inquam, *mihi* et genti meæ *secundum verbum tuum*, id est ipse totius mundi salus et redemptio de meo nascatur utero, et abjecta nunc plebs Judæorum in fine saltem sæculi sorti annumeretur electorum.

O beata Maria, fac per tuam gratiam, ut fiat nobis secundum Verbum hoc, quod tibi fieri petisti, ut videlicet Verbum illud Patris æterni, quod de te incarnatum, Virgo, portare meruisti, nos tuis suffragantibus meritis digne concipere et parere mereamur in utero mentis, et ubi hactenus regnum peccati regnavit in corpore nostro mortali, nefario hoc vitiorum regno destructo, ipse Rex justitiæ regnum suum, regnum scilicet virtutum, in nobis constituat, et ita in præsenti sedem regni sui in anima et corpore nostro ponat, quatenus in futuro cœlestis regni cohæredes faciat. Quod ipse præstare

A dignetur, cujus Regnum et imperium sine fine permanet in sæcula sæculorum. Amen.

181 HOMILIA XXVIII.

IN DIEM FESTUM SECUNDA.

Egredimini, filiæ Sion, et videte regem Salomonem in diademate (*Cant.* III), etc.

Veneranda hujus diei solemnitas, sicut cunctas alias festivitates mysterii dignitate excellit, sic cunctis ab initio sæculi fidelibus optabilis et desiderabilis fuit. Hæc est enim dies illa, in qua inchoata et consummata est salus nostra, in qua Deus homo factus nostræ naturæ, nostræ mortalitatis et miseriæ in utero beatissimæ virginis Mariæ particeps fieri voluit, in qua eamdem quam assumpsit humanitatem pro nobis redimendis in cruce Deo Patri obtulit. Hu-
B jus diei ineffabile sacramentum intuens Solomon præsago cordis oculo futurum quasi jam præteritum, exclamavit et ait: *Egredimini, filiæ Sion, et videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua in die desponsationis illius, et in die lætitiæ cordis ejus* (*Cant.* III, 11). Proprium est filiarum tenere diligere et diligi. Ideoque congrue per *filias Sion*, quod interpretatur *specula*, animæ illæ accipiuntur quæ ad speculationem contemplationis divinæ tendentes, Deum tenere diligunt, et tenere a Deo diliguntur. Quas nimirum filias Sion admonet Spiritus sanctus, ut egrediantur videre regem Salomonem. Per *Salomonem*, qui interpretatur *pacificus*, significatur Dominus noster Jesus Christus, ad quem
C videndum tribus modis nobis est egrediendum. Unde ait Deus ad Abraham: *Egredere de terra et de cognatione tua, et de domo patris tui* (*Gen.* XII, 1). *De terra* egreditur, qui de terrenis et malis actibus ad studium vitæ melioris extenditur. Sed quia mala tantummodo opera relinquere non sufficit, si ad relinquenda et abjicienda etiam mala desideria homo non proficit, adjecit, *et de cognatione tua.* Facile quodammodo est *terram*, mala dico opera, relinquere, difficile valde est, mala desideria, quæ quasi quadam *cognationis* **182** affinitate nobis cohærent et inhærent contemnendo abjicere. Quicunque tamen duos hos egressus per misericordiam Dei facere potuerit, non stet, non quasi qui ad perfectum pervenerit moram faciat, sed ad
D tertium adhuc egressum viriliter semetipsum accingat, qui mystice nobis innuitur, cum protinus subinfertur, *et de domo patris tui.* Pater iste, de cujus domo egrediendum est, diabolus intelligi potest, qui propter superbiam, qua primum hominem decepit et dejecit, totius generis humani Pater et Princeps esse cœpit. Quia ergo per naturam filii iræ eramus, non incongrue per *Patris* hujus *domum* cor hominis quod per superbiam inhabitabat, accipimus, quod etiam adhuc quasi antiquo jure domum suam efficit, dum fastu elationis et superbiæ decipit. Satagendum est igitur homini, ut si egressus est *de terra* sua mala opera relinquendo, si egressus est *de cognatione* sua, mala in se desideria comprimendo, egrediatur nihilominus *de domo Patris* sui, de superbia cordis

egrediendo, et in vera se humilitate sollicite custodiendo. Quidquid enim malis actibus abdicando, quidquid malis desideriis resistendo homo conquirit, perit, si humilitatis mansuetudine custoditum non fuerit.

De terra igitur et de cognatione nostra et de domo Patris nostri egrediamur, ut *videre regem Salomonem* mereamur. Per duo hæc verba *regem* utique *Salomonem* accipimus timorem et amorem. Ad *regem* enim timor respicit; *Salomoni*, qui interpretatur *pacificus*, amor congruit. Et quia sunt nonnulli qui vident *regem*, et non *Salomonem*, illi utique, qui propter peccata sua Deum ut *regem* metuunt, sed in ipsa sui trepidatione a spe deficiunt; atque econtra sunt alii, **183** qui abjecta timoris reverentia plus præsumentes de misericordia Dei, quam debeant semetipsos negligunt, recte postquam dixit: *Videte regem*, addidit *Salomonem*. Videre debemus *regem* Deum sicut Creatorem nostrum timendo, et propter ipsum ejus timorem peccata declinando; videre debemus *Salomonem* Deum, ut Redemptorem nostrum diligendo, et propter ipsam ejus dilectionem bonis in spe remunerationis humiliter insistendo. Vidit Judas, qui tradidit Dominum, *regem*, et non *Salomonem*, dum peccatum suum extimuit, et desperans, utpote qui non dilexit, abiens laqueo se suspendit. Vidit Petrus, qui negavit Dominum et *regem*, et *Salomonem*, dum negationis suæ culpam extimuit, nec tamen desperavit, quia amavit, sed egressus foras flevit amare, et salvari meruit. Igitur videre debemus, sicut diximus *regem* Deum timendo, videre debemus *Salomonem* Deum diligendo. Quid autem sit quod hæc duo, timorem scilicet et amorem ejus, in nobis exsuscitet, sequentibus verbis innuitur, cum subditur:

In diademate, quo coronavit eum mater sua. Nobile et inæstimabile hoc *diadema* fuit, ut æstimo, humana natura, *qua coronavit eum mater sua*, beata et gloriosa virgo Maria, in cujus castissimo utero hodierna die Deus factus est homo. Et bene dicitur *quo coronavit eum*. Ante hunc diem coronatus quodammodo non erat Dei Filius; quia licet in divinitatis suæ ineffabili et interminabili excellentia nunquam aliquid ei accesserit, nunquam aliquid ei decesserit, sed semper idem ipse fuerit: corona tamen illa, quæ ex humana ei accessit natura, coronatus non fuit. Hac corona in hac die *mater sua* gloriose *eum coronavit*, hanc coronam ipse Dei Filius ad perfectum usque decorem hac eadem die sanguinis sui pretio provexit et ornavit. Duplici ergo diademate coronari voluit in die hac, uno incarnationis, altero passionis; uno quo coronavit eum mater sua virgo Maria, carnem de carne sua mirabiliter administrando; altero, *quo coronavit eum mater sua*, Judæa et Synagoga, superposita capiti ejus spinea corona, crudeliter morte damnando.

184 Egrediamur igitur, ut in hoc duplici diademate coronatum a matre sua videamus regem Salomonem. Ipse est enim Rex, qui egressum nostrum de terra, de cognatione, de domo Patris discutit et

A examinat, ipse est Salomon, qui Deo Patri nos pacificat, qui nos cum Patre remunerat. Nec sine causa sanctissimum caput suum spinis lacerari et cruentari permisit. Est enim aliquid, quo eisdem ejus spinis respondere nos convenit. Oportet nos spinas spinis opponere. Debemus enim surgentes in nobis vitiorum tentationumque aculeos acumine mandatorum Dei configere, quatenus spinis spinæ eradicentur, hoc est, ut assiduis mandatorum Dei meditationibus vitiorum tentamenta comprimantur. Unde ait Psalmista: *Et memores sunt mandatorum Dei ad faciendum ea* (*Psal.* CII, 18). Et Salomon: *Verba sapientium quasi stimuli, et quasi clavi in altum defixi* (*Eccli.* XII, 11).

Videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua in die desponsationis illius, et in
B *die lætitiæ cordis ejus.* Per *diem desponsationis illius, et diem lætitiæ cordis ejus* unam eamdemque præsentis diei festivitatem prænotatam fuisse videmus. Dies enim iste Dominicæ incarnationis vere dies fuit desponsationis; quia in thalamo illo, beatissimæ Virginis utero, idem Filius Dei sponsus factus est et sponsa: sponsus secundum divinitatem, sponsa secundum humanitatem. Ait ergo Psalmista: *In sole posuit tabernaculum suum, et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo* (*Psal.* XVIII, 6). Tabernaculum Filii Dei fuit sancta ejus humanitas, in quo militavit Deo Patri pro salute generis humani. Sol, in quo tabernaculum hoc posuit, beatissima genitrix
C ejus virgo Maria fuit, quæ ad instar solis lucida et præclara in corpore et in anima, nulla post obumbrationem Spiritus sancti peccatorum sentire in se poterat nubila vel contagia. In hoc sole, in hac beatissima Virgine, nullam partem tenebrarum habente, tabernaculum suum Filius Dei posuit, dum animatum ex ea corpus assumens totus Deus, totus homo corporaliter in ea quievit. Processit tanquam sponsus de thalamo suo, quando natus est de sanctissimo ejusdem dominæ nostræ virginis Mariæ utero.

185 Præmisso et præsignato per Spiritum sanctum Dominicæ incarnationis sacramento, quo præsentem hunc diem Unigenitus Dei cunctis per orbem terrarum fidelibus honorabilem simul et amabilem fecit, subjungitur Dominicæ passionis myste-
D rium in hac eadem die consummatum, cum dicitur, *et in die lætitiæ cordis ejus.* Fuit sine dubio dies passionis *dies lætitiæ cordis ejus*, in qua sponsam suam, humanam naturam, quam in utero Virginis carnem assumendo desponsavit, moriendo in cruce pro ejus amore sibimetipsi copulavit. Ante susceptam enim humanitatis formam sponsus non erat, quia cum solis tantum angelis in cœlo gaudebat. At ubi divinitati suæ humanam naturam nascendo univit, et in eadem humanitate sua moriendo in cruce obdormivit, ex latere Adæ fabricata est Eva, quia aperto lancea militis latere Christi exivit sanguis et aqua, qua lavit et dotavit, mundavit et justificavit sponsam suam, quod est sancta Ecclesia.

Quanto desiderio diem istum desideravit, quam-

tam lætitiam ad diem istum ab initio habuerit, ipse longe ante quam fieret ostendit, cum dixit : *Ludam in orbe terrarum, et deliciæ meæ esse cum filiis hominum* (*Prov.* VIII, 31). Postquam autem assumpta humanitate ad diem istum pervenit, quando omnia, propter quæ venerat, morte consummare voluit, quod vere dies ille *dies lætitiæ cordis ejus* fuerit, aliis verbis ostendit, cum dixit : *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Marc.* XIV, 34). Non ait, tristis est anima mea propter mortem, sed, *tristis est anima mea usque ad mortem*. Erat quidem tristis non in morte, vel propter mortem, sed *usque ad mortem*. Ex quo enim primum humanum in se suscepit affectum, pro nobis erat in tristitia, compatiebatur electis et dilectis fidelibus suis qui erant in mundo; compatiebatur dilectis animabus fidelium suorum, qui sub mortis imperio captivi tenebantur in inferno; compatiebatur et sanctis angelis in cœlo, qui in quadam nihilominus tristitia idcirco erant, quia numerum illorum, qui imminutus erat, per electos homines restaurari non videbant. Sed quia hæc tristitia in morte ejus, ubi, Apostolo testante, pacificans per sanguinem crucis suæ sive quæ in cœlis sive quæ in terris sunt, pro redemptione
186 mundi in *lætitia cordis sui* se obtulit Deo Patri, finienda erat, recte dicebat, *tristis est anima mea usque ad mortem*. Unde dies ille, sicut diximus, vere fuit *dies lætitiæ cordis ejus*.

Nunquam lætitia aliqua comparari potest lætitiæ illi, quam habuit in semetipso Filius Dei instante hora illa, quando jam jamque descensura erat sanctissima anima ejus visitatura et liberatura per multa millia annorum exspectantes se in tenebris et umbra mortis animas sanctorum suorum. Quanta putamus lætitia vidit Abel, Abraham, Isaac, et Jacob et alia multa millia electorum suorum sibi occurrentium, ineffabili et inexcogitabili exsultationis et lætitiæ tripudio sibi sicut Creatori et Liberatori suo applaudentium? Unde ut lætitia illa sua, suorumque in cœlo, in terra, in inferno perficeretur, in ipso mortis articulo clamavit Patri suo : *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* (*Matth.* XXVII, 46.) Verba ista non erant verba amaritudinis ex timore mortis procedentia, sed verba exsultantis nimio desiderio, ad visitationem et liberationem suorum qui erant in inferno æstuantis. Et quia Deus erat in terris sine patre, in cœlis sine matre, ipse solus dicere potuit bis, *Deus meus*, *Deus meus*. Ac si diceret : Pater meus es in cœlis secundum divinitatem, qua me coæternum tibi et consubstantialem genuisti, Pater meus es in terris secundum humanitatem, quia me sine patre de Virgine matre pro humano genere suscipere voluisti. Pater meus secundum divinitatem, pater meus secundum humanitatem, *ut quid me dereliquisti?* Istud, *ut quid*, significat et notat nobis, ut æstimo, illam gratiarum actionem, qua gratias egit Deo Patri pro redemptione generis humani, propter quam eum in hunc mundum miserat, quæ in eadem hora per passionem

A et mortem descensionemque ejus ad inferos perficienda erat. *Ut quid me dereliquisti*, inquit. Ac si diceret : Ecce hora illa, pro qua me Unigenitum tuum misisti, propter quam ab adjutorio divinitatis me dereliquisti, ut per meam passionem humani generis operares salvationem. Rogo igitur, ut tua miseratione perficiatur, ut per crucem et sanguinem meum tua tibi creatura restituatur et reconcilietur.

187 Hæc sunt redemptionis nostræ sacramenta ab initio præordinata, hodierna die beatissima domina nostra virgine Maria mediante consummata, quæ sicut perditionem generis humani plus omnibus doluit, sic hodierna die præ cunctis hominibus ineffabiliter consolari meruit, cum angelo annuntiante, Spiritu sancto obumbrante, illo imprægnari
B meruit, qui hac eadem die mortem destruxit, suos ab inferis electos ad gaudia paradisi potenti virtute reduxit. Quidquid gaudii et exsultationis, et lætitiæ in cœlis fuit, totum illi divinitas summa hodie infudit. Hodie dulcissimum illud osculum Patris et Spiritus sancti, quod erat Filius Dei, ad quod suspirabant antiqui Patres ab initio sæculi, dicente in persona ipsorum Salomone : *Osculetur me osculo oris sui* (*Cant.* I, 1), in tanta dulcedinis abundantia et plenitudine suscepit, quod non solum spiritaliter in sanctissima ejus anima, sed et corporaliter in sanctissimo ejus utero totus Deus, totus homo requievit.

188 In hac die tanti ejus gaudii quid nos miseri dicemus, qui in doloribus et miseriis constituti
C sumus? Quomodo dignis eam laudibus extollendo beatitudini ejus congaudere possumus, quibus in corpore mortis hujus nihil occurrit nisi dolor et gemitus? Attamen quia mater est misericordiæ, et laudationem humilium, devotionem peccatorum non despicit, ex ipsa convalle lacrymarum qua suspiramus, corde et animo ad ipsius misericordiam confugiamus, quatenus ipsius interventu egredientes de terra et de cognatione nostra, et de domo Patris nostri, ita humilitatem ejus imitari valeamus, ut verum regem Salomonem, Filium ejus, Creatorem nostrum ac Redemptorem, in diademate, quo coronavit eum in die desponsationis illius, et in die lætitiæ cordis ejus, cum ipsa sine fine videre mereamur, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et
D regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

189 HOMILIA XXIX.

IN FESTUM ANNUNTIATIONIS B. MARIÆ VIRGINIS TERTIA.

In sole posuit tabernaculum suum (*Psal.* XVIII).

In *sole* sunt tria, primum quod illuminat, secundum quod per calorem ascendit, tertium quod humore confecta exsiccat. Per solem intelligitur beata virgo Maria, in qua tria hæc, quæ in sole inveniuntur, verus sol operatus est Dominus. Illuminavit quidem eam per cognitionem sui, quando Spiritus sanctus superveniens in eam ab ignorantia animæ eam liberavit, ut seipsam cognoscens veraciter cognosceret quoque eum a quo benignissime fuerat agnita. Sed et accendit eam in

amore Dei Patris, ut a gaudiis sæculi præsentis omnino extranea tota in Deo arderet, totaque ad dilectionem Dei raperetur, quem solum præ omnibus diligebat. Exsiccavit autem eam per gratiam Spiritus sui omni carnali humore carnalique concupiscentia, ut in ea perfecte ab omni corruptione emundata tabernaculum suum poneret, corpus videlicet immaculatum, de Spiritu sancto conceptum, in quo pro nobis æterno Patri militaret.

Et quia in his verbis, quæ prælibavimus, conceptio Domini est præfigurata, sequentibus versiculis nativitatis, passionis, resurrectionis et ascensionis sacramenta, imo post adventum Spiritus sancti totus ordo ecclesiasticæ religionis excellenter est expressus. Unde et sequitur :

Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. Cum de thalamo suo sponsus progreditur, certum profecto est quod sponsæ suæ conjunctus una caro cum ipsa sit effectus. Sic sane Christus Jesus, cum per nativitatis suæ primordia de thalamo virginali procederet, sponsæ suæ, quod est Ecclesia, per carnem quam assumpserat est unitus. Sequitur :

Exsultavit ut gigas ad currendam viam suam : a summo cælo egressio ejus. Sic per incarnationem, ut prædiximus sponsæ suæ copulatus *exsultavit ut gigas*, **190** *exsultavit*, inquam, magna cordis exsultatione, magna mentis devotione, *ad currendam viam*, quam ex paterna obedientia susceperat perficiendam, contemptaque confusione, proposito sibi gaudio sustinuit crucem. Per passionem itaque consummatus *a summo cælo* facta est *egressio ejus*, quia quod vivus egressus est de monumento, non ex carnis infirmitate, sed *a summo cælo*, hoc est a summa divinitate resurgere habuit.

Et occursus ejus usque ad summum ejus, nec est qui se abscondat a calore ejus. Resurrectionis itaque gloria clarificatus, *occursus ejus* per ascensionem *usque ad summum ejus* est factus, quia super omnes cœlos ascendens ad summam divinitatem, unde venerat, occurrens rediit. At postquam illuc rediit, electos discipulos suos Spiritu sancto misso de cœlis abundanter repletos inebriavit, quod in verbis istis aperte datur intelligi : *Nec est qui se abscondat a calore ejus.*

Lex Domini immaculata convertens animas, testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis. Ante clarificationem Salvatoris et gratiam Spiritus sancti maculam quamdam lex habuit, quia carnaliter intellecta, carnaliter observata, nullam perfectionis metam suis observatoribus contulit, teste Apostolo, qui ait : *Nihil enim ad perfectum adduxit lex* (*Hebr.* VII, 19). Post ascensionem ergo Domini Jesu et Spiritus sancti adventum maculam, quam habuit lex, amisit, dum spiritaliter intellecta et spiritaliter consummata gaudia æternæ vitæ repromisit. Legalibus itaque cæremoniis ad spiritalem intelligentiam translatis, *lex Domini* apparuit *immaculata*, per quam magna postmodum conversio

A facta est in Ecclesia. *Convertens* quippe electorum *animas*, Dominum Deum suum spiritaliter consuluit quærendum et inveniendum. *Testimonium* **191** *Domini fidele, sapientiam præstans parvulis.* Per *testimonium Domini fidele* sacrum Evangelium potest designari, quod post translationem legis tempore gratiæ revelatum et in mundo prædicatum est, per quod opera Domini facta in veritate et æquitate Pater omnipotens testificatus est. Et bene dicitur *fidele testimonium*. Nam quidquid sacrum repromittit Evangelium, fideliter, imo veraciter fidelis adimplebit Dominus. *Sapientiam quoque præstat parvulis*, id est hominibus, quibus in vera humilitate parvulis effectis, magnum confert saporem divinæ dulcedinis.

B *Justitiæ Domini rectæ, lætificantes corda.* Post apostolorum tempora, post evangelistarum sacra scripta, expositores Scripturæ apparuerunt in Ecclesia, per quos *justitiæ Domini rectæ*, quæ in prædicatorum verbis, et in prophetarum et evangelistarum scriptis fuerant occultata, aperte expositæ manifestarentur. His sane expositoribus *justitias Domini rectas* mundo propalantibus multa inde corda hominum *lætificata* sunt, et usque in præsentem diem lætificantur, quia justitias Domini rectas nusquam evidentius, quam in expositorum libris invenimus.

Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos. [Per] *præceptum Domini lucidum* apostoli sancti sunt designati, quibus ipse in carne præsens dixe-
C rat : *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos* (*Joan.* XV, 12). Hoc *præceptum* charitatis non solum ipsi aliis prædicaverunt, sed ipsi quodammodo **192** hoc *præceptum* fuerunt, in quorum vita hæc præcepta, hæc dilectio, per quam *oculi illuminantur*, luce clarius est manifestata.

Timor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi. *Timor* iste non est timor servilis, sed sanctus amor, qui in timore incipit, sed in amore desinit. Quem profecto timorem et sanctum amorem beati martyres habuerunt, quia, nisi hoc amore perfecte inflammati fuissent, tot passionum tormenta, tot plagarum supplicia, tam diros corporis cruciatus omnino pro Domino perpeti non po-
D tuissent. Sed quia iste sanctus amor eos perfecte possederat, non solum ea, quæ in mundo erant, hujus amoris respectu spreverunt, verum etiam semetipsos amoris divini dulcedine transcendentes, amaras corporis sui torsiones contemnebant.

Post insignem martyrum victoriam, præclarus ordo confessorum mox subsecutus est, de quibus recte subjungitur : *Judicia Domini vera, justificata in semetipsa.* His verbis confessores sancti recte prænotantur. Nam *judicia Domini recta* verbo prædicationis suæ populis fidelium nota faciebant, et, ut judicia Domini in semetipsis exercerent, vita et exemplo suo, imo exhortatione sua instruebant. Et quia cogitationes justorum *judicia* sunt, semetipsos districte judicabant, judiciumque Domini

ipsi præveniebant, ac per hoc *judicia Domini*, quæ aliis prædicabant, in vita sua fortiter exercendo quodammodo justificabant.

193 HOMILIA XXX.

IN FESTUM ANNUNTIATIONIS S. MARIÆ VIRGINIS QUARTA.

Locutus est Dominus ad Achaz dicens: Pete tibi signum a Domino Deo, sive in profundum inferni, sive in excelsum supra (*Isai.* VII).

Quæcunque scripta sunt, ad nostram scripta sunt doctrinam, ut per rectæ fidei operationem misericordiam consequamur divinam. Habet namque in se Scriptura divina, quo parvulus quisque pascatur, et ex quo perfectus quilibet abundanter reficiatur. Quidquid enim legimus vel intelligimus, totum ad interioris hominis usum conferre poterimus. Si ergo totam Veteris ac Novi Testamenti seriem enucleatius perscrutari velimus, mysticum moralitatis sensum inditum ubique invenimus. Quapropter tota intentione mentis libet perscrutari verba Isaiæ prophetæ dicentis: *Locutus est Dominus ad Achaz, dicens: Pete tibi signum a Domino Deo sive in profundum inferni, sive in excelsum supra*. Admonitus vir iste fuerat, quatenus devota mente deprecaretur, ut ille advenire dignaretur, qui electos suos *in profundo inferni* demersos liberaret, et *in excelso supra* collocaret. Hoc quia vir sanctus multo diu desiderio desideraverat, ipsum salutis remedium ab eo pari orationis instantia obtinere volebat. Sed ad piam prophetæ admonitionem audiamus, qualem vir iniquus dederit responsionem.

Non petam, inquit, *et non tentabo Dominum*. Nam quia talem vitam suam non exhibuit, nec adhuc exhibere desideravit, idcirco a Domino se exaudiri desperavit. Quia enim Deum ante conspectum suum non proposuit, sed in peccatis permanere maluit, ideo salutis signum non quærebat, quod invenire dignus non erat. Mentem itaque regis propheta sanctus a Deo alienatam videns, continuo ad totam Davidicæ stirpis prosapiam verba convertit, dicens:

Audite itaque, domus David: Num parum est vobis molestos esse hominibus, quia molesti estis et Deo meo? Iste Achaz et pene omnes sub ipsius imperio degentes peccatis exigentibus facti fuerant *molesti* tam *Deo* quam 194 *hominibus*. Unde recte propheta dicebat: *Num parum vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis et Deo meo?* Ac si aperte diceret: Non sufficit vobis, quod hominibus facti estis exsecrabiles, nisi etiam coram Deo inveniamini abominabiles? *Propter hoc dabit vobis ipse signum, ipse* Dominus *dabit signum, vobisque* nolentibus et ingratis clementiam ostendet suæ pietatis. *Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. Ecce* Filius Dei utero virginali concipietur, et quasi sponsus de thalamo suo egredietur. *Et nomen ejus Emmanuel vocabitur*, quia palam in terris nobiscum conversari dignabitur. Hæc secundum litteram breviter dicta sufficiant. Nunc ad mysticum moralitatis sensum ver...a convertatur, et ad perfectam animæ dulcius exponatur.

Rex iste *Achaz*, qui populum Dei temporali imperio rexit, quomodo in persona nostri intelligi valeat, nosse nos convenit. Unusquisque enim nostrum suscepit ad regendum cogitationes, operationes omnesque sui corporis sensus, quos bene qui rexerit, vere rex dici et esse poterit. Non solum autem reges, sed etiam sacerdotes Domini esse comprobamur, si utrumque officium in nobis implere fideliter conamur, ita ut non incongrue de nobis dici possit, quod Petrus princeps apostolorum in epistola sua dicit: *Vos estis genus regium et sacerdotale, gens sancta, populus acquisitionis* (*I Petr.* II, 9). Quomodo ergo officium sacerdotis in nobis adimplere valeamus, diligenter attendamus. Officium namque est sacerdotis, in altari victimas et thymiama boni offerre odoris. Sic oportet ut et nos in animo contrito et in spiritu humilitatis offeramus nosmetipsos Deo in odorem suavitatis, emundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, ut hostia viva et immaculata et Deo placens esse possimus; et ut *signum*, de quo dicitur in consequentibus, non tentando, sed fideliter postulando obtinere valeamus.

195 Debemus namque jugi lacrymarum fonte *signum* salutis quasi *in profundum inferni a Domino petere*, quatenus vulnera languentis patefiant animæ, et ut intelligere valeamus quæ ex parte illa opera fecerimus, quæ nos deduxerunt in puteum interitus. Cum ergo tali compunctione cordis oculi fuerint illuminati, tunc demum *in excessum supra* signum petendum est, virtutes scilicet, quibus ad regnum cœlorum sit perveniendum.

Notandum vero quia nil *signi* nomine denotatur, nisi quod novum et inauditum esse comprobatur. Dignum est revera miraculo, quod homo pulvis et cinis, qui actibus semper subjacet imis, repente per virtutum fastigia ad Deum contemplationis culmine elevatus, *unus* secundum apostolum *cum Domino* efficiatur *spiritus* (*I Cor.* VI, 7). Hoc *signum* fide non ficta omnique cordis puritate quæramus ab illo qui prope est omnibus invocantibus se in veritate. Amatores namque hujus sæculi si instruerentur hujusmodi signum petere a Domino, superbo ore et elata cordis cervice responderent continuo: *Non petam, et non tentabo Dominum*. Qui enim vitio subjacent elationis, *petere signum* despiciunt humilitatis et subjectionis. Sed cum illi monita salutis non suscipiunt, sancti doctores per verba prædicationis subjungunt:

Num parum vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis et Deo meo? Sciendum est quod nonnulli, qui *Deo molesti*, sed adhuc hominibus sunt dilecti, illi nimirum quos mortifera persuasione inimicus lædit, sed eorum malitia ad hominum notitiam nondum pervenit. Sunt etiam alii hominibus quidem contrarii, sed Deo nondum molesti, illi revera qui male vivunt, sed vitam suam in melius mutare disponunt. His profecto *ipse Dominus signum dabit*, cum

de profundo peccatorum liberatos gratia suæ dulcedinis illustrabit. Nam protinus sequitur:

Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. Ecce anima illa, cum multis diu amatoribus prostituta, cum Domino vocante **196** corruptori suo, immundo videlicet spiritui, abrenuntiare et fidem integram illibatamque sponso suo servare cœperit, repente *virgo* efficitur, et ad thalamum immortalis sponsi assumitur: *concipietque et pariet filium*, virtutes scilicet, quibus decenter ornata ad æterni regis procedat triclinium. Cum ergo illa anima, Deo dilecta, dulcedine Verbi Dei fuerit imprægnata, desideriumque æternæ vitæ concipere meruerit, et operando parere, tunc vere gaudenter poterit proclamare et dicere, *nobiscum Deus*. Sed cum conceptus fuerit et natus filius tantæ nobilitatis, considerandum summopere est, quibus oporteat refici alimentis, ne pereat consumptus inopia famis. Nam protinus sequitur:

Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum. Quid per *butyrum*, nisi minus profunda Scripturarum scientia exprimitur, per quam parvulus quisque veluti potu lactis reficitur? Quid vero per suavitatem *mellis* intelligi valet nisi subtilis et spiritalis in littera sensus, qui perfectorum est cibus? His ergo alimentis iste reficiendus est filius, donec ad *reprobandum malum*, *et ad eligendum bonum* fiat idoneus. Debet namque *reprobare malum*, id est diabolum, qui caput et initium malorum est omnium. Ipse enim omnibus horis atque momentis rugiens, tanquam leo circuit quærens quem devoret, cujus millenas artes generosus iste filius omni studio *reprobare* debet. Illo ergo cum actibus suis reprobato, *eligendum* est summum et unicum *bonum*, Christus videlicet, qui est vera spes et requies sanctorum. Illum amemus, illum toto corde desideremus, illi soli attentius placere festinemus. Scrutemur vias nostras et quæramus, et ad ipsum revertamur, precantes, quatenus ipse finis esse dignetur desideriorum nostrorum, qui in æterna vita sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur, quod ipse præstare dignetur Dominus noster Jesus Christus, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

97 HOMILIA XXXI.

IN FESTUM ANNUNTIATIONIS B. MARIÆ VIRGINIS QUINTA.

Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est, etc. (*Cant.* v.)

Cum ex radice primæ originis venundata sub peccato esset caro, ita ut pene nullum æterna Dei inveniret Sapientia, cum quo dulcia secreti sui misceret colloquia, inventa est a Spiritu sancto sponsa Sunamitis, virgo singularis, cui Deus Pater dulcissimum oris sui osculum familiarius imprimere curavit, cujus auribus verba dulcia, homini prorsus ineffabilia, suavius cæteris mortalibus instillavit. Ea propter electa eadem et præelecta ad vocem confabulantis dilecti quam suaviter liquefacta sit igne amoris intimi, sapientissimus in Canticis canticorum Salomon exprimit, ubi inter dulcissima sponsi et sponsæ mutuæ confabulationis colloquia hujusmodi verba subintulit: *Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est.*

Hæc utique licet ex persona Ecclesiæ dixerit, speciali tamen et nobilissimæ illius, qui feminam nescit, sponsæ, dominæ nostræ scilicet perpetuæ virgini Mariæ, specialius ascribuntur, cujus in amplexus totus idem ruit dilectus, eique ineffabili locutionis genere talis ac tantus innotuit, qualis a nullo sanctorum ab initio sæculi cognosci potuit vel poterit. Unde præ omnibus dilecta plus omnibus dilexit, ita ut sola illa veraciter dicere possit: *Anima mea liquefacta est, dilectus locutus est.* Nam præilluminatæ mentis excessus totis in Deum transiens, utriusque hominis affectibus tenera adhuc ætate sic semetipsam transcendere noverat, ut ab omni humano tumultu, non minus corpore quam corde, semota recte dicere posset cum Propheta: *Audiam quid loquatur in me Dominus* (*Psal.* LXXXIV, 9). Tota enim ejus intentio ad hoc solum spectabat, ut ex omnibus, quæ Deus Pater suis exsequenda proposuit hæredibus, nil surda aure præterit, sed quæcunque auditu capiebat, operibus plenissime exsequi studebat.

Audivit sane, et perfectius sola præ cæteris mortalibus adimplevit, quemadmodum omnibus viam vitæ ingredi volentibus per Moysen Dominus præcepit: **198** *Diliges*, inquiens, *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et proximum tuum sicut teipsum.* Dilectio quippe, qua Deum diligere consuevit, omnem humanæ narrationis modum excedit. Nam mortua mundo soli vivere gaudebat Deo, nec quidquam opere vel cogitatione admittere novit, quod vel ad momentum eam retrahere posset ab illius internæ contubernio familiaritatis, quo eam sibi proximam fecit ipse munditiæ auctor et integritatis. Inter hæc etiam quam inexstinguibili charitatis ardore sanctissima ejus anima erga proximos inflammata fuerit, verbis sequentibus nobis insinuatur evidentius, ubi, postquam ex dilecto dilecti colloquio liquefactam se dicit, continuo subjungit:

Quæsivi illum, et non inveni. Quid est ergo quod hæc dilectarum dilectissima dilectum se quæsisse, et non invenisse asserit, quem inter ubera sua commorantem, quem per internæ aspirationis dulcedinem semper præsentem habuit? Erat revera hoc ejus inquisitio incomparabilis, qua humanis condescendebat miseriis, compassio. Nam quoties sanctissimæ ejus incidit memoriæ, ad quantæ dignitatis honorem homo nil molestiæ, nihil indigentiæ sentiens in paradiso conditus fuerit, et quod ipse proprio sui arbitrio hujusmodi gloriam in tantæ calamitatis et miseriæ immutaverit ignominiam, in tantum irrecuperabilem ejus lapsum deplorabat, quod non solum tunc temporis præsentium, sed et omnium usque in finem sæculi procreandorum miseriis per misericordissimæ compassionis affectum communi-

cabat. Quod enim quisque in inferno positus sustinuit, hoc beata Virgo se sustinere credidit, quia illorum pœnas æque ut animæ suæ periculum deflebat, quod nulla se ratione evadere posse sciebat, nisi Unigenitus Patris, Patri per omnia consubstantialis, humana carne vestiretur, qui paradisi januas originalis vectibus criminis obseratas reseraret, et inimicitiarum **199** pariete destructo : pacis et gratiæ sigillum inter Deum et hominem redintegraret. Ergo quia hunc talem, tam potentem Dei et hominum mediatorem, per leges et prophetas patribus suis promissum audivit, ut tandem aliquando in salutem populi sui egrederetur, ut contritos corde et in carne et extra carnem positos mederetur, desideriis omnino indefessis *quæsivit*, sed quia necdum venit plenitudo temporis ut idem dilectus de occulto suæ B egrederetur habitationis, eidem dilectæ licet inquirendo nimium anxiæ, speciem decoris sui nequaquam præsentialiter dignatus est ostendere. Quid ergo fecit? Num quærere cessavit, quam totam totus amor dilecti possedit et occupavit? Nequaquam. Sed vis amoris desiderium humanæ salvationis excitavit, et multiplicavit in ea intentionem inquisitionis. Sequitur :

Vocavi, et non respondit mihi. Quomodo ergo hæc domina nostra, perpetuæ salutis mater [*cod.* materia] vocare dilectum adjecit, quem tandiu quæsitum minime invenire meruit? *Vocavit* sane, dum post longa humanæ restaurationis desideria ad invictæ orationis se convertit studia, ubi igneo lacrymarum fluvio super se rapta contrito valde spiritu diversas C Deo Patri calamitates enumeravit, et miserias, non solum horum, qui juste et pie viventes beatam spem et adventum Unigeniti sui in carne exspectabant, imo et eorum, qui in tenebris et in umbra mortis sedentes ad eamdem redemptionis gratiam inconsolabiliter suspirabant. Erat igitur ejus vocatio intenta ad Deum die noctuque supplicatio, ut memor juramenti, quo se gratis apud hominem obligaverat, quo secundum gratuitam bonitatem Deus homini Dominus servo debitor esse curaverat, Unigenitum suum mitteret in mundum, qui incarnationis suæ mysterio genus humanum de hostili redimeret imperio.

In hac autem tam sollicita sui inquisitione, in hac constantissima sui invocatione, non illud hæc per- D petua Virgo quæsivit (quod tamen Deus Pater ante constitutionem mundi per eam fieri decrevit, ob quod etiam mox, ut nata est, Spiritus sanctus in sui eam custodiam suscepit, ut, protectionis ejus munimine obumbrata, florens inter spinas rosa absque spinarum injuria in altum cresceret, ex qua dulcissimus totius suavitatis, totius munditiæ et castitatis flosculus suo in tempore potenter **200** emergeret). Hoc ista dilectarum dilectissima, ut diximus, non quæsivit imo, ut ita dicam, quærere nescivit, quia licet incomparabili sanctitatis, innocentiæ et castitatis vigore polleret, profunda tamen et indicibilis sanctissimi cordis ejus humilitas, qua cunctis superior omnibus se inferiorem fecerat, hoc non solum A non desiderare, sed nec cogitare quidem permittebat. Dilectam tantum dilecti in carne præsentiam ardenter sitiens, inter lacrymas et gemitus preces jungebat precibus cum sanctissimo Moyse contribulato valde spiritum in cœlum clamando quotidie : *Obsecro, Domine, mitte quem missurus es* (*Exod.* IV, 13). Ad hoc etiam ad succendendam validius desiderii sui flammam familiare, uti credimus, illud Psalmistæ habebat, quod ad videndum eumdem dilectum suspirans gemebunda voce dicebat : *Ostende nobis faciem tuam, et salvi erimus* (*Psal.* LXXIX, 4).

Sed licet omnia cœli secreta gratissima tantæ vocationis penetraret humilitate, licet ipsum dilectum in æternitatis suæ requie constitutum desiderabili clamoris hujus die noctuque inquietaret improbitate, B idem tamen dilectus, qui hanc sibi vim inferri gaudebat, quasi non audiens quod audire cupiebat, nec desiderata vultus sui præsentia quærentem lætificavit, nec aliquo responsionis verbo; si quando fieri deberet, clamanti satisfacere curavit. Quomodo autem, cui familiaris est suavitas, cui consubstantialis est bonitas, quomodo, inquam, ad quem clamor humilium ascendit, super tantis tantæ dilectæ clamoribus tandiu se continere potuit? Nunquid gemitum ejus non audivit, quam ante tempora mundi sponsam sibi et matrem elegit et prævidit? Desiderium sanctissimi cordis ejus nequaquam eum latere poterat, cujus inspiratione eumdem etiam mentis fervorem conceperat. Nam ipse ab initio salutem C humani generis ardenter sitiens ad hoc eamdem sibi dilectam fecit et creavit, eamque in loco peccati absque peccato conservans instituit et informavit, ut et in desiderio participem, et in perficiendo, quod desideravit, idoneam in tempore opportuno haberet adjutricem. Verum quoniam necdum tempus acceptabile, necdum dies salutis advenerant, in quibus idem splendor paternæ gloriæ humanæ dignum duceret subvenire miseriæ, longa adventus ejus exspectatio erat quodammodo quasi dura et intolerabilis diu exquisitæ responsionis negatio.

201 Attamen Virgo beata, cujus mens supra petram erat fundata, quia per immutabilem immutabilis affectum dilectionis ei, qui mutari nescit, immobiliter adhærebat, de ineffabili sua omnino se- D cura bonitate, ab inceptæ vocationis constantia nec dilationis mora, nec aliqua difficultatis revocari poterat injuria. Memor enim Scripturæ dicentis : *In die malorum ne immemor sis bonorum*, tanto validius vocem cordis exaltare studuit, quanto suavius inexhaustam ejus, quem quæsivit, dulcedinem, per interni saporis gratiam degustare meruit. Pro tali ergo sui constantia, pro tanta indefessi laboris perseverantia, quantam supernæ consolationis gratiam consecuta sit, verbis sequentibus manifeste exprimit : *Invenerunt*, inquit, *me custodes civitatis, percusserunt me, et vulneraverunt me, tulerunt pallium meum.*

Per *custodes* siquidem *civitatis* angelicos convenienter spiritus accipere possumus, quorum spe-

cialem custodiæ et protectionis diligentiam hæc Virgo gloriosa tanto majorem circa se promeruit, quanto in carne præter carnem vivens per singularis vitæ innocentiam prima omnium angelicæ vitæ imitata est excellentiam. Quapropter cum angelis semper cognata sit virginitas, grata familiaritate, familiari affinitate semper et ubique, maxime tamen orationis tempore eidem Virgini adesse gaudebant, sanctaque ejus desideria, preces, lacrymas et suspiria eidem quem quærebat dilecto offerebant. A talibus suis custodibus per invisibilem protectionis gratiam nunquam ei absentibus, tunc præsentialiter est inventa, cum ab initio absconditum individuæ Trinitatis consilium angelico ei affatu insinuatur, quemadmodum per evangelicæ textum Scripturæ aperte declaratur : *Ingressus*, inquit evangelista, *angelus ad Mariam ait : Ave, gratia plena, Dominus tecum* (*Luc.* I, 28). Ibi sane, licet solus Gabriel archangelus nominetur, nequaquam tamen credimus quod solus et sine magno cœlestis exercitus comitatu ad tantam tanti Domini sui sponsam introierit, qui non sibi soli, sed universo humano generi æternæ salutis nuntia detulit. Nam si antiquus hostis tanta, ut certum est, suorum multitudine **202** similium miseram et infelicem quamlibet animam opprimit, dum potestate desuper data suo eam juri mancipare incipit, quid mirum, si tantum tanti Regis legatum non modico beatorum comitatu spirituum decenter credimus honoratum? Hoc enim missi et mittentis excellentiam, hoc salutandæ, imo et desponsandæ Virginis per omnia decuit reverentiam.

Ad hæc etiam, ut minus sit in dubio, præcedentia ejusdem dilectæ verba sunt testimonio : *Invenerunt*, inquit, *me custodes civitatis.* Hæc sane dicendo, non solum visitantem se sanctorum turbam angelorum, sed et specialem suorum prærogativam exprimit meritorum, scilicet quod sola inter omnes et super omnes benedicta, sola satis juste, satis digne præ omnibus electa fuerit, ex qua æternus Pater coæternum sibi Filium incarnari voluerit. Est enim, ac si dicat : Omnibus, quæ præsens voluit mundus, forti contemplationis pede conculcatis, universis cordis corporisque aditis virginalis clave pudoris diligenter obseratis, totam me intra *me invenerunt*, quia nil per cogitationes admittere, nil per desideria affectare noveram præter solam desiderabilem desiderabilis dilecti faciem, in qua me totumque genus humanum salvari non ambigebam. Talem ergo quia me invenerunt, *percusserunt me*, insuper *et vulneraverunt*. Sed quæ percussiones, quæ, rogo, vulnerum istius modi fuere inflictiones? Timor nimirum et amor. Timore siquidem quasi duro quodam verbere concutitur, dum non immemor Scripturæ, quia angelus Satanæ transfigurat se in angelum lucis, angelico stupefacta fulgore concutitur. Nisi enim pavidam et trementem specialis ille custos ejus eam conspexisset, nequa-

A quam tam dulcibus eam blandimentis consolando continuo subintulisset : *Ne timeas, Maria* (*Luc.* I, 30).

Sed dum tam blanda consolationis manu plagarum contusiones familiariter contrectare, lenire studeret atque sanare, sagittam nimis acutam subito sagittavit, quæ dulci nimium velocitate usque ad divisionem animæ ac spiritus pertingens dilectam dilectæ Virginis animam suavissimo amoris vulnere delectabiliter saucivit. *Ecce*, inquit, *concipies et paries filium* (*Luc.* I, 31). Ne timeas, inquam, nec expavescas, quam tantæ dignationis respectu **203** æterna invisere dignata est majestas. *Ecce concipies*, ecce desideratus, quæsitus diu et vocatus, non solum videndus tibi exhibetur, sed etiam humana ex te carne vestietur. O delectabile vulnus omni B suavitate dulcius, quia sic vulnerari est ab omni penitus dolore sanari! Sequitur :

Tulerunt pallium meum custodes murorum. Per pallium quippe sublatum originale accipi potest peccatum. Est autem peccatum originale concupiscentia carnis et ignorantia animæ. Hoc sane pallio, quia hæc Virgo beata, utpote in peccatis concepta et nata, nequaquam caruit (56), audita quidem credidit, sed quomodo fieri possent, penitus ignoravit. Ait ergo : *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Sed quasi ad auferendum et hujus et totius ignorantiæ pallium continuo angelus manum extendit, dum et modum et ordinem concipiendi, necnon et pariendi insinuando subintulit : C *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Superveniente quidem Spiritu sancto in eam prorsus ignorantia fugatur, quia nihil ex omnibus cœlestis sapientiæ thesauris ultra ei abscondi potuit, utpote quæ ipsam æterni Patris sapientiam, non solum in corde, sed et in virginali corpore suo susceptam corporaliter gestare digna fuit. Ad hæc etiam ut una eademque hora virtute Altissimi obumbrari meruit, totius concupiscentiæ macula, originali crimine indita, funditus deperiit, **204** quia licet ab ipso nativitatis suæ ortu cunctis virginibus incomparabilis esset, ab ipso tamen novæ et inauditæ salutationis angelicæ obsequio meritis sanctior, virtutibus celsior per omnia ei, quem conceperat, conformatur, quemad- D modum ex sequentibus ejus dictis manifeste declaratur :

Filiæ, inquit, *Jerusalem, nuntiate dilecto, quia amore langueo.* Per *filias Jerusalem* hoc in loco eosdem, quos supra diximus, angelicos spiritus accipere possumus, per quos utpote mutuæ testes et internuntios dilectionis hujusmodi dilecto suo, Deo scilicet Patri, talia remandavit verba legationis : *Filiæ Jerusalem, nuntiate dilecto*, nuntiate, obsecro, ei quem immutabilem immutabili dilectione ab ineunte ætate dilexi, *quia amore langueo.* Amore, inquam, ejus et desiderio, ad omnia, quæ præsens diligit mundus, languens hucusque et infirma appareo, quia totum quod Deus non erat sitiens, illum

(56) Vide de hac antiquata nunc Godefridi opinione dissertat. præviam in tom I hujus operis

anima mea quasi fastidiendo despiciebat. Ipsum itaque solum quæsivi, illum solum vocavi, et ideo juste satis sola ego præ omnibus tanta divinæ meriti dignationis responsione consolari, concipiendo et pariendo illum, qui est totius humani generis vera consolatio, spes et redemptio, cui sit honor, potestas et gloria per infinita sæculorum sæcula. Amen.

205 HOMILIA XXXII.

IN FESTUM S. RUPERTI EPISCOPI PRIMA.

Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam, accipere sibi regnum et reverti (*Luc.* XIX).

Homo iste tam gloriosus, tam *nobilis*, Primogenitus est Filius Mariæ virginis, tanto nobilior et excellentior præ cunctis mortalibus, quanto nec minimum peccati contraxit factis, dictis vel cogitationibus. Omnes quippe in Adam peccando degeneraverunt ignobili vitiorum infamia. Sed huic benedicto Patris Filio nec tenuissima unquam accesserunt peccati contagia. Et ideo *quidam homo*, id est singularis inter omnes homines dicitur, qui singulariter conceptus et natus, singularis in doctrina, in miraculis secundum Deum Patrem reverenter conversatus, post passionis et mortis ignominiam singularem resurrectionis ostendit potentiam. Qui profecto *in regionem longinquam* tunc *abiit*, dum quasi advocatus fidelis, pro sua reverentia exaudiendus, hominem, quem assumpserat, paternæ majestatis conspectui reconciliatum obtulit. Ad æternitatem enim in paradiso creatis, dum nostro inde lapsi sumus arbitrio, cœlorum regnum dejectis nobis factum est *longinqua* valde *regio*. Sic namque primus homo conditus erat, ut si sponte Creatori suo voluisset obedire, ad consortium angelorum sine morte deberet transire. *Accepit* autem *regnum*, quia cum Rex regum et Dominus dominantium esset, potestatem, quam humana natura non habuit, dono divinitatis accepit, juxta quod Apostolus ait : *Propter quod et Deus illum exaltavit, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen* (*Philipp.* II, 9).

Revertitur autem in extremo judicii examine unicuique secundum opera sua reddere. Sed et quotidie *revertitur* clamanti ad se Ecclesiæ pacem et quietem reformare, et de thesauris regni cœlorum servis suis donaria dare. Nam sequitur :

Vocatis autem decem servis suis dedit eis mnas, et ait illis : Negotiamini, dum venio. Numero decem servorum ordo exprimitur universorum, qui Decalogi mandata a Domino perceperunt, et in his quasi negotiatores fidelissimi exercitati, divinæ operationi sollicitius se subdiderunt. **206** Sane Spiritus sanctus, qui singulis, prout vult, dividit, neminem divini muneris expertem reliquit, qui etsi aliquibus non grandia perfectionis merita, semper tamen impendit aliqua, quibus, si voluerint, adipisci valeant æternæ felicitatis gaudia. Electi igitur quique dum per assiduæ operationis exercitium, nequando torpescant, sibimet negant otium, vix ulla momenta temporis transire patiuntur sine spe et fructu æternæ

A retributionis. Sed quid inter hæc confestim sequatur, audiamus :

Cives autem ejus oderant illum, et miserunt legationem post illum dicentes : Nolumus hunc regnare super nos. Quid per *cives* nobilissimi hujus principis intelligimus, nisi malignos et immundos spiritus? Qui ex angelicæ naturæ dignitate Domini recte vocantur *cives*, quos ad æternitatis suæ laudem decoros valde condidit et sublimes, sicut per Ezechielem prophetam principi eorum dicitur : *Tu Cherub extentus et protegens, tu signaculum similitudinis Dei in deliciis paradisi fuisti* (*Ezech.* XXVIII, 14). Per superbiam ergo cum principe suo dejecti angelicæ naturæ sublimitatem nequaquam amiserunt, et ex hinc quoniam ad vitam per spem non resipiscunt, B Filium Dei filios adoptionis amantem et defendentem persequi et odio habere non desistunt. *Miserunt*, inquit evangelista, *legationem post illum*. Maligni quippe spiritus post prævenientem nos divinæ miserationis gratiam, *post illum* intimi amoris respectum, consilium contra nos ineunt, et multimodas carnalium desideriorum legationes importune auribus nostris ingerunt dicentes :

Nolumus hunc regnare super nos. Dum enim divini muneris largitate vitari peccata, augeri regnum virtutum conspiciunt, mox duriori pugna corda bonorum deprimunt, et quanto validius prosternuntur, tanto robustiores exsurgere nituntur. Regnum enim castitatis et munditiæ ipsi regnatores injusti fetore C polluere nituntur luxuriæ, regnum humilitatis et mansuetudinis fastu elationis et zelo impugnant amaritudinis. De quo regno beatus **207** Paulus infert admonendo : *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore* (*Rom.* VI, 12). Quale autem designet regnum, insinuat, cum subjungit : *Ut obediatis concupiscentiis ejus.* Tunc enim regnat in nobis peccatum, cum voluntate et desiderio concupiscentiis obedimus carnalium voluptatum. Necesse est ergo, quia multiformiter contra nos adversarium pugnare sentimus, eo armis virtutum accincti veluti circumspecti Dei milites sollicitiores simus. Nam quandiu ærumnosum hoc patimur exsilium, nequaquam effugiemus bella et insidias hostium. De quo nimirum prælio per Joannem dicitur : *Factum est*, inquit, D *prælium magnum in cœlo* (*Apoc.* XII, 7). In regno cœlorum, ubi summa pax est, summa tranquillitas, ubi veræ pacis unitas, nequaquam pugnantium aliquando consurrexit feritas. Et ideo per cœlum hic rectius universalis Ecclesia, vel quæque Deo devota intelligenda est anima, quæ tot et tanta sine intermissione antiqui hostis hic patitur prælia. Cui confidenti in protectione Dei cœli nequaquam deerit patrocinium beatorum et angelicarum virtutum, quæ pro suis commilitonibus, ne molliter succumbant, contra hostes invisibiles fortiter pugnant. Sequitur :

Et factum est ut rediret accepto regno. Reditus iste districti judicis est adventus, magnus nimis et metuendus, quo omnia perstringit, omnia penetrat, oc-

culta cordium discreta æquitatis lance examinat, et districte ferit, quem credita sibi talenta in lucrum non expendisse deprehendit. Et bene dicitur redire *accepto regno*, ut id quod ex parte manet exsilium finiatur, et quæ ex parte jam cœpit cœlestis habitatio perficiatur. Nondum enim ex toto accepit regnum, quia nondum completo electorum numero laudari et glorificari poterit in lætitia gentis suæ, perfectæ exsultationis jubilo. Quando autem tradiderit regnum Deo Patri, hoc est cum omnes credentes ad contemplationem Dei perduxerit, quod est tradere regnum Deo Patri, tunc hi, in quibus nunc regnavit, ipsi per gratiam regnabunt utique cum eo per gloriam.

Jussit ergo *vocari servos suos, ut sciret quantum quisque negotiatus esset.* Intendamus nunc mentis obtutum, et quæramus quidnam sit quod plures numero vocantur, et tamen non nisi duo remunerantur, tertius vero damnatur. Innuunt nempe aliquid duo isti ita specialius expressi, quorum si merita per significationem **208** attendamus, habebimus unde per imitationem proficiamus. Per duos ergo magna utriusque vitæ, contemplativæ videlicet et activæ, figurantur merita, quarum una in sublimitate contemplationis, altera in opere actionis ; una, per quam divinæ vacatur cognitioni, altera, per quam proximorum deservitur utilitati vel amori. Unde recte per primum, qui venit ad Dominum, hi designantur, qui postpositis curis omnibus gustare et videre merentur, quam suavis est Dominus ; qui jam unitum cum Deo habent spiritum, et quasi quadam familiaritate dulcedinis ejus memoriam frequentantes nunc divina cogitando, nunc orando, nunc legendo internæ suavitatis super mel et favum Domino præparant convivium. Hi nonnunquam, licet corpore hic teneantur, mente tamen ad supernæ mansionis gaudia sublevantur, dolent differri regnum, ubi dabit se ipse præmium amantibus se in perpetuum. Proinde quærentes et suspirantes præsentiam ejus, quandoque cum gaudio veniunt, laboris sui præmium securiores expetunt, et quam puro corde et conscientia bona utriusque hominis sensus custodierint, dicendo edisserunt :

Domine, mna tua decem mnas acquisivit. Ac si felix anima prorumpat in laudem Creatoris facta in se narrando magnalia. *Domine*, inquit, tuos præveniens et subsequens electos, *mna tua*, id est donum tuum et gratia, hæc mihi indebita præstiterunt beneficia, nullis præcedentibus meritis meis, sed per adjuvantem tui gratiam, *decem mnas*, exteriores videlicet et interiores sensus hominis illibatos ad laudem tui servavi nominis. Quod autem decem mnis decem hominis sensus diximus oportere intelligi, nulli incongruum debet videri. Sicut enim sunt quinque corporis sensus, visus, auditus, gustus, odoratus et tactus, sic nimirum, quod nonnullis est incognitum, totidem animæ sensus esse sacra Scripturа didicimus teste. Si enim spiritalis visus amantis Deum non esset, nequaquam Dominus in evan-

A gelio dixisset : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* v, 8). Si prædulcis sonus cœlestium et ineffabilium verborum auditum cordis non penetraret, Propheta utique non clamaret : *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus* (*Psal.* LXXXIV, 9). Hinc si intimæ suavitatis gustu felix non pasceretur anima, Psalmista non insinuaret : *Gustate*, inquiens, *et videte quoniam suavis est Dominus* (*Psal.* XXXIII, 9).

209 Si virtutum fragrantia bonæ opinionis odorem non respergeret, Paulus nullo modo diceret : *Christi bonus odor sumus Deo in omni loco* (*II Cor.* II, 15). Fortassis Paulus in carne quandoque putrescente non alium, quam ut cæteri homines, odorem habuit, et ideo non de carnis, sed de virtutum B fragrantia melius redolente talia protulit. Hinc si tactus felix et suavis non esset animæ Deum tangentis, et medullitus contrectantis verbum vitæ, Joannes non inferret : *Et manus nostræ tractaverunt de verbo vitæ* (*I Joan.* I, 1). Hos si quis pro viribus suis incorruptos incorruptionis sponso exhibuerit, horum Creatorem et largitorem Deum clamat, profitetur, profitendo veraciter diligit, profecto promptissime in gaudium Domini sui intromittitur, cui non humano ore, sed æternæ majestatis sapientia, laudis præconium offertur, cum dicitur :

Euge, serve bone et fidelis, quia in modico fidelis fuisti, eris potestatem habens super decem civitates. Recte dicitur *fidelis in modico*, quia cum C omnia possederit in eo, qui est summum et optimum bonum, omne, quod transit, leve valde æstimabit et modicum. Quid est autem *super decem civitates constitui*, nisi potestative dominari sensibus subditis omnino spiritui ? Civitas est enim, ut beatus Augustinus ait, non quorumlibet animalium, sed rationalium sub eodem jure viventium. Nulla enim jam erit illecebra sensus animalis, sed mens tota in lucem Dei transformata tota erit spiritalis, ubi sub eodem quietis vivunt jure, qui sub uno pacis reguntur Rege. Sed alio modo sancti Dei *super decem civitates constituuntur*, dum recepta quandoque secunda stola corporis penitus in Dei amorem feruntur. Quandiu enim de suscitando adhuc corpore cogitant, licet modica, intenD tione tamen a Deo flectuntur aliqua. Jam Petrus princeps apostolorum sepultus terris, resuscitationem sui exspectat corporis, ut caro, quæ bona et fida comes erat sancti desiderii et laboris, particeps sit gaudii et exsultationis. His excellentissimis in contemplativæ vitæ dulcedine positis taliter remuneratis, videamus de quali mercede præsumant, qui in activæ vitæ labore desudant. Sequitur :

Et alter venit dicens : Domine, mna tua fecit quinque mnas. Sunt nonnulli, qui per collatam sibi activæ vitæ gratiam **210** mundanæ contemnunt, quinque exteriores sensus in bonis actibus sollicite custodiunt, erga utilitatem proximi se compatiendo diffundunt, sed tamen per contemplationis gratiam nunquam se ad altiora suspendunt, nec saltem ali-

quando in semetipsis diem Domino constituunt solemnem, quia sancti amoris desiderio reficere nesciunt mentem. Hi nimirum quo se minus nunc internis gaudiis inserunt, eo minus habent quod offerant Domino, cum dicunt : *Domine, mna tua fecit quinque mnas*. Veluti si talis quilibet in recipiendo laboris præmio dicat Domino : Domine, qui das omnibus affluenter, et nulli improperas, ampliora mihi merita non dedisti, intimæ dulcedinis tuæ secretis non admisisti, memoriam abundantiæ suavitatis tuæ crebro eructassem, si teipsum mihi dedisses, sitibundo pectore te bibissem, si te fontem vitæ mihi aperuisses.

Et huic ait : Et tu esto super quinque civitates. Quinque civitates quinque sunt sensus corporales, quos talis quisque, cum hanc corruptionis mortalitatem exuerit, sibimet libere et tranquille subjicit, ut quia præsentis laboris finitus est terminus, erga plurima non turbetur animus. Sed et notandum quia, dum *super quinque civitates* constituitur, jocundum boni et *fidelis servi euge* audire non meretur, licet digna satis retributione a Domino coronetur. Quod ideo utique fit, quia non omnes pari remunerandi sunt beatitudine, sed sicut sunt divisiones gratiarum, ita sunt diversitates gloriarum, et sicut operum distinctiones, sic in domo Patris multæ sunt mansiones. Alii enim aliis amplius pro quantitate meritorum, nam sicut stella a stella differt in claritate, sic erit et resurrectio mortuorum. Ad quamlibet autem mansionum, ut quidam ait, sua quisque semita pervenerit, ab una domo exsors non erit. Bene autem post remunerationem duorum, omnium in se figuram habentium justorum, damnatio reproborum sequitur, cum protinus subditur :

Et alter venit dicens : Domine, ecce mna tua, quam habui repositam in sudario. Per *sudarium* præsens intelligitur sæculum, quod non immerito comparatur *sudario*, quia nimirum labor est et afflictio tota præsentis vitæ exercitatio. De quo sudario primo homini in hanc exsilii ærumnam dejecto dictum est : *In sudore* **211** *vultus tui vesceris pane tuo* (*Gen.* III, 19). Mundi quippe amatores, dum totis laboribus ad terrena desideria desudant, frustra laborantes præsentem vitam non viam, sed patriam putant, et pro transitoriæ felicitatis gaudiis adipiscendis totum a Deo avertunt intellectum mentis. Hi nimirum secundum servi istius sententiam *mnam*, id est concessam sibi a Deo scientiam, *in sudarium* reposuisse se profitentur, et timent in peccati morte jacentes, nequando per operationem divini muneris a delectatione operis et voluptate carnis retrahantur. Et quoniam illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor, magna cordis verecundia subjungunt dicendo talia : *Timui enim te, quia homo austerus es; tollis quod non posuisti, et metis quod non seminasti.* Videamus quale sit eorum timere, discutiamus quomodo tollat Dominus quod non posuit, quomodo metat quod non seminavit. Reprobi quilibet cum bonis temporalibus læti, *timent* Dominum non A casto timore, qui permanet in sæculum, sed nequissimo timore timent, et quem ut Patrem diligere debuerant, quasi *austerum* dominum metuunt, quem etiam tollere quod non posuit, et metere quod non seminavit improbe asserunt. Quid est ergo, *quod* Dominus *non posuit*, et tamen *tollit*? Peccata sunt utique, quæ ipse *non posuit* in homine, et tamen *tollit* respectu miserationis intimæ; *metit* autem, *non quod* ipse, sed inimicus homo, scilicet diabolus *seminavit*, dum vitia nostra, quæ diu æquanimiter pertulit, falce severitatis austerius abscindit, et nonnunquam intermiscet amara dulcibus, ut vel sic se ad se recolligat animus. *Tollit* ergo Dominus, *quod non posuit*, cum in eorum cordibus quos saluti destinavit, per contritum et humilem spiritum tumo- B ris et arrogantiæ conterit et comminuit fastum. Talem enim ad se veraciter conversis dare consuevit contritionem cordis, ut respectu dignitatis supernæ funditus deponant, quidquid stare in eis videbatur elationis et superbiæ.

Dicitur quoque metere quod ipsum constat non seminasse. *Metis*, inquit, *quod non seminasti*. Qui metit, fructum congregat. Sic et Deus omnipotens ad sui et ipsius hominis fructum et utilitatem hoc, *quod non seminat*, *metit*, dum hoc quod malum est in homine, id est peccatum **212** hominis, ad bonum convertit. Nam homo ille, qui nunquam ad Deum et spiritalis vitæ propositum converteretur, nisi gravi criminum conscientia constrictus reum C se Deo cognosceret, æternisque cruciatibus damnandum metueret, hic dum in spiritalis vitæ proposito humiliter et patienter Deo, et quibus propter Deum debet, subjicitur, ibi vere Deus omnipotens messuit quod non seminavit; quia malum hominis, id est peccatum hominis, quod ipse in homine non fecit, in bonum fructum commutavit. Hoc nimirum Domini tollere et metere perversi quique formidant, quanquam si hoc in eis Dominus non fecerit, perituros se certissime sciant. Unde protinus infertur in consequentibus :

Ex ore tuo te judico, serve nequam. Ex propriis, inquit, verbis recte debes condemnari, qui tuimet testis es, quod timueris per me salvari, sciens quod tam austerus sim Dominus, qui nequaquam parD cam iniquis operibus *tollens*, *quod non posui*, peccata videlicet quæ semper odio habui, *metens* voluptates carnis cum amaritudine, quas diu toleravi cum mansuetudine. Cum ergo hoc totum ex dono meo et virtute non ignoraveris, dic, obsecro, *serve nequam, quare pecuniam meam ad mensam*, hoc est ad mensuram *non dederis?* Si juxta possibilitatem et mensuram tui vel minimum boni inchoasses, et sic de bonis ad meliora profecisses, ego per adjutricem gratiam *venissem, et cum usuris illud exegissem*. Ego, inquam, ego qui salutem omnium sitio, qui bonum velle hominis pro magno habeo, ego utique *venissem*, et quantulamcunque sancti desiderii scintillam ad magnam amoris mei flammam accendissem. Quod quia damnatus quisque, dum

tempus est, audire trepidat, audiamus, quanta hunc animadversione in futuro feriat. Sequitur :

Et astantibus dixit. Auferte ab eo mnam, et date ei, qui decem mnas habet. Astantes isti qui sunt nisi spiritus angelici, qui sic Conditoris sui præsto sunt vultui, ut ei, qui semper in æternitate stat, per incommutabilem dilectionem assistant, per quorum ministerium omne expletur judicium, sicut congruum habemus testimonium Scripturæ dicentis : *Mittet Filius hominis angelos suos, et colligent de regno suo omnia scandala* (*Matth.* XIII, 41). **213** Et iterum : *Colligite zizania, et ligate ea fasciculis ad comburendum* (*Matth.* XIII, 30). Sic et in præsenti loco *astantes*, angelos scilicet, jubet auferri *mnam* cuilibet juste damnando, et huic dari, qui pro acquirendis æternis nequaquam voluit otio vacare. *Auferte*, inquit, *ab eo mnam*, omnem videlicet scientiam, omnem auferte spei confidentiam, omni bonitatis meæ destituatur auxilio, qui, dum licuit, servire mihi noluit ut Patri et Domino. Tunc nimirum infelix anima, quam sic Creator suus deserit, lumen scientiæ et intellectus per desperationem penitus amittens, ad gaudia justis repromissa nunquam assurgere poterit. Hinc quod nulla in damnatorum cordibus veritatis scientia sit, Salomonis etiam verba indicio sunt, qui fidelem quemlibet in operibus justitiæ sollicitum reddere cupiens ait : *Quodcunque potest manus tua facere, instanter operare, quia nec opus, nec ratio erunt apud inferos, quo tu properas* (*Eccle.* IX, 10). Notandum autem quia talentum, quod huic tollitur, non ei, qui minus, sed qui amplius acceperat, digne satis datur, licet nonnullis divinæ intelligentiæ arcana nescientibus multo illi, qui minus habuit, dandum esse videatur congruentius Sed si animadvertimus quod is qui decem mnas habuit, illorum, ut prædiximus, formam tenet ; qui calcatis curis omnibus, quietem contemplationis quærentes, nonnunquam extra carnis angustias sublevati, unus cum Domino spiritus esse meruerunt, ampliora aptissime aliis præmia percipiunt, qui plus cæteris amaverunt. Quod nimirum dignum et justum fore *astantes* affirmant angeli justo respondentes Judici :

Domine, habet decem mnas. Domine, inquiunt, justus es et rectum judicium tuum ; affirmamus, Domine sancte, juste te judicasse, quod plus possedit, qui te tota anima, toto corde, tota mente dilexit. *Domine, habet decem mnas.* Utriusque enim hominis sensus puros et immaculatos te propitio custodivit, justitiam **214** et veritatem de profundo cordis esurivit et sitivit. Aperi nunc fontem dulcedinis tuæ, manifestetur desiderata tuæ visionis species, ut sustentetur, imo renovetur in eo non contemnenda tuæ satietatis esuries, Huic enim famelico tuo nil ad satietatem sufficere potuit, quandiu te videre non licuit. Felix tunc anima omni donata plenitudine perfectæ scientiæ, introibit thesauros a sæculis absconditæ Sapientiæ, omniaque de Christi divinitate et totius divinitatis Trinitate atque Unitate sublimia fa- A cie ad faciem contemplabitur, et quod solus verus Deus cum Patre et Spiritu sancto sit, aperte manifestabitur, quod tanta res erit, tam præclarum et magnum, ut huic nihil sit comparandum. Et quam fidelissima et vera hæc sint verba, ipse qui hæc repromisit, affirmat denuo, cum dicit :

Dico vobis, quia omni habenti dabitur ; ab eo autem qui non habet, et quod habet auferetur ab eo. Revera *omni habenti dabitur*, quia quidquid pie creditur, quidquid sancte cogitatur, quidquid juste amatur, totum ibi perfecte comprehenditur, *ab eo autem qui non habet, et quod habet auferetur ab eo*, inquam, cui nec minimum bonæ voluntatis desiderium conscientia subministrat, dignum est, ut mente alienatus a Deo, omnem perpetis vitæ gratiam amittat.

B Quapropter studeamus sensus nostros interiores et exteriores cum Dei adjutorio puros et immaculatos custodire, studeamus Creatorem nostrum tota anima, tota virtute diligere, quatenus ad illam beatitudinis gloriam pervenire mereamur, qua nunc electi Dei Regem gloriæ in decore suo contemplantur. Quod ipse præstare dignetur Dominus noster Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

215 HOMILIA XXXIII.

IN CŒNAM DOMINI PRIMA.

Ante diem festum Paschæ, sciens Jesus quia venit hora ejus ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexisset suos, in finem dilexit eos (*Joan.* XIII).

C Sacrosancta hæc Evangelii lectio, in qua evangelista quasi ingressum quemdam facit Dominicæ, quam dicturus est, passionis, ingressum nobis nostræ, ut mihi videtur, exprimit passionis, qua nos Christo compati debemus, si gloriæ resurrectionis illius participes fieri desideramus. Sic enim dicit Apostolus : *Si compatimur, et conregnabimus* (*Rom.* VIII, 17). Si compatimur Christo in præsenti vita crucifigendo carnem nostram cum vitiis et concupiscentiis, conregnabimus ei in gloria futuræ resurrectionis. Ingressum, ut ita dicam, hujus nostræ passionis figuraliter notat evangelista in exordio sancti hujus Evangelii, cum dicit :

Ante diem festum Paschæ sciens Jesus, quia venit hora ejus. Per *diem festum Paschæ* conversionem D salvandi cujusque hominis convenienter possumus intelligere. Quid enim congruentius *Pascha*, quod interpretatur *transitus*, quam saluberrimum transitum illum significat, quando homo, Deo inspirante et auxiliante, despectis transitoriis præsentis vitæ gaudiis, a mundo ad Deum, a vitiis ad virtutes, a mala vita ad bonam vitam transit? Dies istiusmodi transitus recte *dies festus* nominari potest. Vere enim festivus est et jucundus Deo et angelis ejus, quando conversus peccator a pristinis voluptatibus carnem domare et per cœleste desiderium Creatori suo cœperit appropinquare. De hoc die festo dicit Dominus per Prophetam in psalmo : *Vacate et videte, quoniam ego sum Deus* (*Psal.* XLV, 11).

Et bene quidem omnipotentiæ majestatis ejus con-

gruit quod dicitur: *Ante diem festum Paschæ sciens Jesus, quia venit hora ejus*, quia antequam **216** transitus iste fiat in homine, scit ipse verus et misericors opifex salutis nostræ quando veniat hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem. Quomodo transire cum dicimus ex hoc mundo ad Patrem, quem regnantem in cœlo cum Patre confitemur et credimus? Non utique in sua, sed in electorum suorum persona ad Patrem transit, quando eos a mundo ad Deum, a mala sæcularis vitæ conversatione ad spiritalis vitæ militiam transeuntes facit. *Hora* saluberrimi hujus transitus *hora ejus* recte dicitur. Hanc enim horam ipse in æternitatis suæ dispositione præscivit et præordinavit in qua deviantem a veritatis tramite peccatorem suum ad se per pœnitentiam et conversionem revocandum prædestinavit. Et congruum valde immensæ bonitati illius et clementiæ verbum hoc, *ut transeat ex hoc mundo ad Patrem*. Magna enim consolatio, mira circa nos ejus dignatio, quia cum sit Dominus et Creator cunctorum, non confunditur dici et esse Pater peccatorum. Pater utique noster est, ipsius enim creaturæ sumus, ab illo subsistimus, ab illo et per illum vivimus. Et quia Patrem se recognoscit, in ipsa etiam lethali peccatorum voragine submersos, miseros et desperatos filios suos diligit, quemadmodum consequenter evangelista subjungit:

Cum dilexisset, inquit, *suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos*. Quotquot enim miræ dispositionis suæ ordine salvare decrevit, hos etiam, dum adhuc in mundo sunt, hoc est dum peccatis et vitiis adhuc inserviunt, quemadmodum Pater filios, licet filiorum nomine prorsus indignos, non utique tales, quales sunt, sed quales futuros ipse prævidet, amplectitur et diligit, et ne cum **217** transeunte mundo transeant et pereant, paterna eos manu tenet atque custodit. Ipse enim scit quid cum eis et in eis facturus sit. Plerumque enim electos et dilectos servos suos gravi peccatorum lapsu prosterni patitur, ut fortiores post lapsum resurgant, ut majori humilitatis constantia non solum Deo, sed omnibus etiam hominibus propter nomen Dei se subjiciant. Non [*cod.* nonne] ideo electum discipulum suum Petrum non dilexit, quia cadere permisit. Imo vere dilexit, sed idcirco cadere permisit, ut fortior resurgeret, atque in sua humiliatus et eruditus infirmitate infirmitati proximorum sciret condescendere. Sic et adhuc suos mundo carnique deditos diligens, scire quodammodo et videre se quod sunt dissimulat, quia finem eorum misericorditer considerat. Unde postquam dixit evangelista: *Cum dilexisset suos, qui erant in mundo*, consequenter subjunxit dicendo, *in finem dilexit eos*. Finis iste quid sit, docet nos Apostolus ubi dicit: *Finis legis Christus ad justitiam omni credenti* (*Rom.* x, 4). Finis utique Christus ad justitiam omni credenti fit, quando per internam inspirationis suæ gratiam, finito in electis suis amore sæculi et peccatorum, misericorditer eos ad se colligit, atque ad desiderandum et quærendum finem illum, qui est

A sine fine, finem æternæ utique beatitudinis, invisibiliter intrinsecus accendit. Ideo enim diligit eos in mundo adhuc positos, ut in finem istum perducat illos. Quæ autem tentationum procella contra hominem in hunc finem tendere incipientem plerumque insurgat, mysticis verbis subjungendo evangelista manifestat:

Et cœna, inquit, *facta, cum diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum Judas Simonis Iscariotæ*. Potest intelligi per cœnam sancta quorumlibet spiritalium hominum conversatio, qui et bonis actibus suis quotidie Deum respiciunt, atque suave ei compunctionis assiduæ poculum summa devotione et humilitate offerunt. *Cœna* ista tunc quodammodo quasi *facta* et parata converso peccatori non in-

B juste dicitur, quando spiritalium hominum taliter, ut dictum est, Deum reficientium atque potantium consortio et conversationi admissus, ad unam spiritalis refectionis mensam cum ipsis sederit, sanctamque et laudabilem vitam eorum **218** imitando in timore et amore Dei proficere cœperit. Qui etiam non incongrue *Judas Simonis Iscariotæ* nominari potest. *Judas* enim interpretatur *confitens*, Simon *obediens*, Iscariotes *memoria mortis*. Fit enim *Judas* transactæ crimina vitæ Deo humiliter confitendo et pœnitendo. Fit *Simon Iscariotæ* propter solam *mortis memoriam* æternæque beatitudinis gloriam consequendam, Deo et hominibus omni obedientia atque humilitate se subjiciendo.

C Sed quia quanto humilius per bonæ conversationis studium approximare se Deo Creatori suo contendit, tanto majora tentationum pericula ex insidiantis sibi hostis antiqui malitia sustinet, recte dicitur: *Cum diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum Judas Simonis Iscariotæ*. Et notandum quod non dicitur, *cum diabolus jam misisset in cor Judæ*, sed simpliciter tantum *in cor*. Prævidit enim hic, sicut credere possumus, sanctus evangelista, non illam tantum, quæ per Judam semel facta est, Domini traditionem, sed et eam, quæ in cordibus electorum etiam servorum Dei adhuc plerumque invisibiliter fit per diabolicæ suggestionis immissionem. Judas etenim inito, cum Judæis consilio, suscepta ab eis pecunia, tradidit Dominum. Idem hoc

D consilium atque negotium maligni spiritus, significati per Judæos, invisibiliter agunt nobiscum, ut pecunia id est suggestionibus eorum illecti atque decepti relicto Domino, eorum nos subjiciamus dominio. Quid autem contra hæc antiqui hostis machinamenta perfecte conversus homo faciat et facere debeat, sequens littera insinuat:

Sciens, inquit, *quia omnia dedit ei Pater in manus et quia a Deo exivit, et ad Deum vadit, surgit a cœna, et ponit vestimenta sua*. Quid in hoc verbo, quod dicit, *quia omnia dedit ei Pater in manus*, nisi prospera et adversa intelligere possumus? Sive enim prospera arrideant, sive adversa immineant, omnia ex Deo habet, omnia æquanimiter portat et sustinet, *sciens quia omnia dedit ei Pater in manus*;

Quomodo *in manus ?* Quid convenientius hoc in loco A per *manus*, quam potestatem accipimus? Scit utique, quia **219** Deus Pater hanc ei et unicuique homini potestatem tribuit, ut cum cooperante ejus gratia in ipsius arbitrio sit, utrum suscipere aut non suscipere immissiones et suggestiones diaboli velit. Hæc utique secum deliberans, omnia illa, prospera scilicet et adversa, quæ volente Deo aut permittente occurrerint, ea humilitatis constantia suscipit et tolerat, ut ex eis potius coronetur, quam pereat. Hoc enim est quod dicit Apostolus: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* (*Rom.* VIII, 28).

Hanc autem humilitatis et tolerantiæ constantiam hoc maxime in eo suscitat et accendit, quod scit, *quia a Deo exivit, et ad Deum vadit.* Cognoscit plane solius B Dei opus esse et misericordiam, quod sæculum reliquit, ad spiritalis vitæ militiam transire meruit. *Et quia ad Deum vadit*, hoc est quia ad Creatorem et Redemptorem suum, a quo diu peccando recesserat, tandem recte vivendo redire desiderat, *surgit a cœna, et ponit vestimenta sua.* Quomodo *surgit a cœna?* relinquit cœnam, id est sanctam illam spiritalium hominum, quibus adjunctus est, conversationem? Absit! *A cœna* utique, id est ex merito cœnæ illud accipit, quod potest surgere. Quomodo ex merito cœnæ? Ex bonorum utique hominum, inter quos habitat, merito adjutus et exemplo accensus *surgit* virili quadam constantia sublevando se ab eo, in quo ante jacuerat, torpore corporis et animæ. *Ponit* C etiam *vestimenta sua*, quando corpus suum, quod per *vestimenta* potest accipi, diversis laboribus deprimit et humiliat, ut ad veram carnis munditiam pertingere valeat. Unde mox subinfertur:

Et cum accepisset linteum, præcinxit se. Per *linteum* non inconvenienter munditia carnis accipitur. Quia sicut *linteum* magno labore ad candorem perducitur, sic ad munditiam carnis sine magna corporis afflictione non pervenitur. Hoc utique *linteum* multi accipiunt, non autem cum eo se præcingunt, carnis quidem munditiam accipientes, sed non usque ad finem eam servantes, vel etiam servantes non propter amorem Dei vel futuræ vitæ remunerationem, sed propter præsentis vitæ, **220** quam incurrere metuunt, confusionem. Ille autem *accepto* D *linteo præcingit se*, qui lasciviam carnis multimodis laboribus perseveranter cohibet in se, et in castitatis sanctimonia soli illi placere appetit, cui nulla unquam contagionis macula accessit. Taliter se præcingenti quanta divinæ dignationis gratia accedat et accrescat sequens ordo verborum mystice demonstrat.

Deinde, inquit, *mittit aquam in pelvim et cœpit lavare pedes discipulorum.* Possumus per *pelvim* intelligere terrenum cor hominis; per *aquam*, quæ divinæ manu pietatis *in pelvim* illum *mittitur*, vel scientiam sacræ Scripturæ vel gratiam assiduæ compunctionis, per *pedes* cogitationes vel affectus, per *discipulos* ipsos hominis sensus. *Mittit* Deus omnipotens *aquam in pelvim*, quando sacræ Scripturæ scientia cor hominis, quod terrenum ante fuerat, misericorditer illuminat. Sæpe etenim videmus quod simplices etiam homines tantam in spiritali vita Scripturarum scientiam aliquando a Deo accipiunt, qualem eruditiores homines raro aut nunquam in sæculo attingere possunt. *Mittit* enim *aquam in pelvim*, quando tantam homini compunctionis gratiam, tantamque virtutem lacrymarum tribuit, quod non solum contagia malorum operum, sed et sordes actuum, cogitationum, et sensuum suorum flendo et pœnitendo constanter diluere potest. Talibus nimirum rebus venit Deus ad hominem. Nam dum ita se cooperante Deo intrinsecus gerere cœperit, venienti ad se Domino viam facit. Unde sequitur:

Venit ergo ad Simonem Petrum. Venit per visitationis suæ gratiam ad *obedientem, venit* ad *agnoscentem*, cujus virtutem et gratiam cum in semetipso homo sentire cœperit, quasi in hæc verba loquitur ei et dicit: *Domine, tu mihi lavas pedes!* Hæc denique verba recte congruunt homini illi, qui *Simon* factus est humiliter Deo obediendo, qui *Petrus* factus est et propriæ infirmitatis miseriam et multiplicem circa se Dei misericordiam humiliter agnoscendo. Nam dum recte reminiscitur miserationum Dei, quam misericorditer eum in tot et tantis flagitiis toleravit, quomodo desperato **221** et mortuo, ut ita dixerim, in peccatis, spem vitæ et salutis æternæ redonavit, quodque eousque eum pietatis suæ gratia provexit, quod non solum actus, sed et affectus suos plangere valeat, mirando in semetipso dicit: *Domine, tu mihi lavas pedes!* Ac si dicat: Domine, quam mira et magnifica super me multitudo dulcedinis tuæ, qui *lavas* me, hoc est qui ad lavandum affectuum cogitationumque mearum contagia visitationis tuæ gratia suscitas me, cui posset sufficere, si crimina peccatorum meorum coram te aliquando possem diluere? *Respondit Jesus, et dicit ei:*

Quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea. Quasi dicat: *Quod ego* inscrutabili pietatis meæ gratia *facio* in te, in affectibus tuis lavando et mundando te, *tu nescis modo.* Nam cum adhuc sis in primordio conversionis, quid facto hoc intendam, nondum sapis nec intelligis, cum necdum in operibus tuis lavari ad plenum et mundari merueris. *Scies autem postea.* Scire tuum, diligere tuum. Postea cum peccata tua superaveris ex parte, et pœnitendo ea laveris et mundaveris, tunc *scies*, tunc diligere incipies *quod ego facio*, tunc primum utique intelliges, quid utilitatis hoc meum factum tibi conferat, quantumque saluti tuæ proficiat.

Dicit ei Petrus: Non lavabis mihi pedes in æternum. Dictum hoc Petri dictum est hominis vere pœnitentis, et in vera humilitate seipsum agnoscentis. Nam ut taceam de actibus, dum recte in cogitationibus et affectibus suis seipsum intuetur, prorsus impossibile judicat, si unquam ab eis mundari

debeat aut valeat. Unde dolens et gemens quasi his A verbis clamat ad Deum dicens : *Non lavabis mihi pedes in æternum.* Loquitur ista non quasi desperando, quia Deo omnia possibilia scit et credit ; sed, ne fieri propter peccata sua debeat, metuit. In hoc timore posito respondet Jesus indicibiliter dicens et intrinsecus :

Si non lavero te, non habebis partem mecum. Mundari in affectibus et cogitationibus tuis non tuæ virtutis est vel possibilitatis. Hoc enim pertinet ad **222** me, qui solus sola voluntate mea valeo mundare te. *Nisi* enim ego *lavero te* et mundavero, *non habebis partem mecum.* Non video quid convenientius per *partem* hanc, quam beatus homo cum Deo habet, in hoc loco intelligamus, quam gratiam illam internæ dulcedinis, per quam invisibiliter Deus in B tempore orationis filios suos visitat et consolatur, ubi vere quantum in hoc mortalitatis tempore fas est, beata anima Deo participatur. Hæc utique dulcedo non injuste per *partem* intelligitur, quia quantumcunque homo gustare ex ea in hac vita mereatur, pars tamen est, quia nullus mortali circumdatus corpore ad plenitudinem ejus in hac vita attingere potest. Hic etenim pro parte et quasi in parte electis datur, vera plenitudo illius in æternam vitam reservatur. Unde bene dicit : *Non habebis partem mecum.* Ac si dicat, *partem* dulcedinis meæ adipisci et *habere mecum* non mereberis, si lotus per me et emundatus intrinsecus non fueris, et nisi *partem mecum* hic habueris, transire ad plenitudinem post hanc vitam C non poteris. Post hanc internam Domini loquelam, quæ non auditu auris, sed intellectu cordis percipitur, magis ac magis ad cognitionem Dei et sui homo illuminatur. Sequitur ergo :

Dicit ei Simon Petrus : Domine, non tantum pedes, sed et manus et caput. Per *manus* intelligimus opera, per *pedes*, sicut prædictum est, affectus vel cogitationes ; per *caput* vero cogitationum intentiones. Et est quasi dicat : *Domine*, indeficiens fons pietatis et gratiæ, in operibus meis et cogitationibus et in ipsis etiam cogitationum intentionibus mirabiliter et miserabiliter me pollutum coram te video, et nisi laveris me, nisi in omnibus his mundari merear a te, prorsus indignum me scio et judico, quo partem tecum habeam, quo vel tenuissimo unquam gustu gratiam tuæ dulcedinis prælibare debeam. D

Dicit ei Jesus : Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus. Quomodo dicit : *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet ?* Si lotus est, quomodo pedes lavare indiget ? Homo itaque perfecte **223** conversus, vinculo obedientiæ Deo alligatus, bene *lotus* dicitur. *Lotus* enim est per conversionem, *lotus* est per veram et perfectam confessionem. *Et non indiget, nisi ut pedes lavet*, hoc est ut in affectibus et cogitationibus suis immaculatum se Deo exhibere laboret. Hoc utique si auxiliante et cooperante gratia Dei fecerit, recte de eo dici poterit : *et est mundus totus.* Quia vero Dominus et Salvator noster impossibile homini esse prævidit, consequenter subjunxit et ait :

Et vos mundi estis, sed non omnes. Sciebat enim quisnam esset, qui traderet eum. Sciebat utique, quia miser et fragilis noster animus sæpe eum esset *traditurus.* Tunc enim eum tradimus, quando malam illam pecuniam Judæorum, suggestiones videlicet malignorum spirituum suscipimus, atque a fervore charitatis illius, qua præ omnibus et super omnia eum diligere deberemus, ut imbecilles et infirmi miserabiliter decidimus. Quapropter postquam præmisit evangelista, *sciebat quisnam esset qui eum traderet*, subjunxit dicens : *propterea dixit, non estis mundi omnes.* Et bene dixit, *non estis mundi omnes*, quia etsi aliquando mundus fieri homo potest in corpore a mala operatione, raro inveniri potest mundus in corde a mala et inutili cogitatione. Hæc enim gratia electis et dilectis filiis Dei etsi ad tempus aliquando hic datur, perfecta tamen plenitudo ejus non nisi in æterna vita possidebitur, ubi tanta et corporis et spiritus puritate et munditia stabilientur, quod nec minima quidem cogitatione a contuenda ineffabili claritate Dei retrahentur. Hæc etenim glorificatio justorum consequenter, ut mihi videtur, in sequentibus verbis exprimitur, cum dicitur :

Postquam ergo lavit pedes eorum et accepit vestimenta sua, cum recubuisset iterum, dixit eis : Scitis quid fecerim vobis. In præcedentibus dictum est, *et cœpit lavare pedes discipulorum* ; hic vero dicitur, *postquam ergo lavit pedes eorum.* In præsenti etenim vita lavare electos suos Dominus incipit exemplificans et præmonstrans in eis interminabilem illam munditiei puritatisque incorruptionem, quam decurso præsentis vitæ termino possidebunt ; postquam **224** vero de luto mortalitatis hujus sublatos in regnum gloriæ suæ transtulerit, ibi cœptam hic lavationem suam plenius perficit, ubi et in corpore et anima perenni incommutabilitatis statu firmati nihil extra Deum cogitant, nihil præter Deum quærunt vel desiderant. Unde recte nunc dicitur : *postquam ergo lavit pedes eorum et accepit vestimenta sua, cum recubuisset iterum, dixit eis. Accipit vestimenta sua* Dominus et Salvator noster Jesus Christus, quando omnia membra sua ad se collegerit, quando omnes electos suos in fine sæculi duplici immortalitatis stola redimitos in corpus suum transire fecerit. Ibi sane mirabilis et gloriosus quidam recubitus fit, quem nulla mens excogitare, nulla lingua poterit explicare.

Recumbit itaque nunc aliquando Dominus in electorum suorum cordibus. Sed iste recubitus brevis est. Præpediente enim mortalitatis hujus obstaculo, stabilis et diuturnus esse non potest. Sed cum *iterum* recubuerit, cum transacta resurrectione in omnibus electis suis requiescere cœperit et regnare, iste recubitus sempiternus erit. Nullo enim fine concludetur, nulla inquietudine aliquando turbabitur, sicque recumbens inter eos, quasi in hæc verba

loquetur ad eos: *Scitis quid fecerim vobis.* Ac si dicat: Scitis, dilectissimi comparticipes et cohæredes regni mei, quia hæc vestra glorificatio pietatis meæ est operatio. Quidquid enim vobiscum in præterita vita feci, ideo utique feci, ut perducerem vos ad gloriam istam sine fine mansuram.

Vos vocatis me, Magister et Domine, et bene dicitis: sum etenim. Vocatis me Dominum, quia Creatorem et Salvatorem vestrum recognoscitis me. *Vocatis me Magistrum,* quia per magisterii mei disciplinam et eruditionem ad hanc pervenisse vos gaudetis animarum corporumque incommutabilem glorificationem. *Et bene dicitis,* quia vere dicitis: *Sum etenim.* Ego *sum,* quia creavi vos, ego *sum,* quia liberavi et salvavi vos; Ego elegi vos de mundo, ego educavi vos disciplinæ meæ magisterio, ut dignos vos facerem, quos ad tantam, quam nunc mecum possidetis, gloriam perducerem. Sequitur:

225 *Si ergo ego lavi pedes vestros Dominus et Magister vester, et vos debetis alter alterius lavare pedes.* Quid est dicere, *si ego*, imo quia *ego Dominus et Magister,* Creator et liberator *vester* in illa præteritæ vitæ calamitate et miseria *lavi pedes vestros*, non solum a malis actibus, sed et a malis affectibus mundando vos, quantum oportebat et expediebat, *et vos debetis alter alterius lavare pedes?* Quomodo dicit, *et vos debetis alter alterius lavare pedes?* Quem *alter* et *alter* iste nisi glorificatum spiritum et corpus electi cujusque videtur exprimere? In hac denique vita alteri nec esse nec dici possumus, quia etsi aliquando cooperante gratia Dei, in interiori homine nostro renovamur, deprimente, quam gestamus, corporis sarcina, semper in id quod sumus, relabimur. Postquam autem corpus hoc, quod aggravat animam, deposuerimus, et ad immortalitatem transierimus, tunc vere *alter* erit homo noster interior, tunc alter erit homo noster exterior, *alter* quidem in gloria, sed idem in natura. Mirifice enim et gloriose alternabimur, quando unito spiritui corpore in illum perpetuæ incommutabilitatis atque incorruptionis statum transformabimur, ubi nulla vetusti hominis sentiemus contagia, ubi nova perennis vitæ semper nobis innovantur gaudia. Ibi suavissimam regnantis in medio nostrum Domini et Regis nostri Jesu Christi vocem audiemus dicentis: *Si ergo ego lavi pedes vestros Dominus et Magister, et vos debetis alter alterius lavare pedes.* Ac si dicat: Munditiam et castitatem corporis ac mentis, quam **226** mortali adhuc circumdati carne non nisi me lavante vos et mundante aliquando habere ad tempus meruistis, jam non temporaliter, sed æternaliter habebitis.

Nam quod tunc non potuistis nisi per me, deinceps volo in vestra sit potestate ut in interiori et exteriori homine vestro (quorum uterque *alter* jam factus est, quia uterque pari incorruptionis et immortalitatis gloria coronatus est), ea munditia et sinceritas cogitationum, ea concordia voluntatum et affectuum sit, ut nihil corpus, nisi quod spiritus, nihil spiritus nisi quod corpus cogitare vel desiderare velit aut possit; sicque per incommutabilem dilectionem mihi, qui caput vestrum sum, semper adhæreatis, ut nihil extra me quæratis, nihil præter me ultra diligere valeatis.

Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis. Per hoc, inquam, quod in carne adhuc positos ita interdum extra carnem per desiderium amoris et visionis meæ invisibiliter et indicibiliter sublevavi vos, ita ut in illa visitationis meæ hora nihil præter me et gaudia cœlestis patriæ quæreretis et diligeretis, per hoc *exemplum* et spem *dedi vobis* illius quam nunc accepistis potentiæ et immutabilitatis, in qua semper mecum regnabitis, in qua nec minima quidem cogitatione a contuenda majestatis meæ gloria ultra retardari poteritis. Hæc est utique remuneratio nostra, quam exspectamus. Cujus nos dignos efficiat, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

227 HOMILIA XXXIV.

IN PARASCEVEN PRIMA.

Egressus est Jesus cum discipulis suis trans torrentem Cedron, ubi erat hortus (Joan. XVIII).

Verba hæc ardua et sublimia, verba, inquam, volantis aquilæ multiplici involuta sunt mysteriorum profunditate, et quomodo homo invalidus et vix, ut ita dicam, super terram reptans ad exponenda ea sufficere possit, quæ aquila volans, et secreta cœli volatu suo penetrans nobili stylo scribendo edidit? Nam et doctores eximii, sensu et intellectu cœlo aliquantulum contigui, aliqua de verbis aquilæ hujus volantis mystica brevitate exponendo transcurrerunt, sed tamen præsentem hanc lectionem pene quasi intactam reliquerunt. Nos vero vix reptantes super terram, licet ad hæc subtilius inquirenda nequaquam simus idonei, illud tamen æstimare possumus, quod, sicut formam bene vivendi esse voluit electis regni sui cohæredibus quidquid cum hominibus conversatus fecit et docuit æterni Patris Unigenitus, sic nimirum et per hæc, quæ in passione sua dixit, fecit et sustinuit, exemplum venturæ passionis fidelibus suis præbuit. Nam ea quæ tunc visibiliter in proprio corpore suo pertulit, invisibiliter quoque in membris suis usque in finem sæculi quotidie passurus erit. Unde si quis socius passionis Christi esse voluerit, attendat et intelligat quid jam passurus interrogando et respondendo persecutoribus suis dixerit, et hac eadem interrogatione et responsione tentatori suo maligno obviare contendat.

Egressus est, inquit, *Jesus cum discipulis suis trans torrentem Cedron, ubi erat hortus.* Unde, cur, aut quo *egressus* sit *Jesus cum discipulis suis*, ipse, qui egressus est, Salvator in hoc manifeste innuit, quod non aliunde, sed *trans torrentem Cedron* egredi voluit. Nam *Cedron,* **228** quod interpretatum *duritia* dicitur, gravem et crudelem Judæorum duritiam significat quæ tanta, tam perversa crudelitate in Deum

Salvatorem redundabat, quod auferre memoriam illius de terra omnimodis laborabat. Qui dum gentem Judæorum quasi peculiarem sibi populum specialius electum diligeret, et in carne apparens docendo, prædicando et infirmos eorum sanando semper cum eis et inter eos conversatus esset, tandem duritia illorum invalescente per *torrentem* passionis et mortis compulsus est *egredi* ab illis. Quod autem de hoc eodem passionis *torrente* quandoque bibiturus esset, David in Spiritu sancto longe ante prævidens dixit : *De torrente in via bibet* (*Psal.* CIX, 7).

Completo utique hoc sermone prophetico, transgresso torrente passionis consummata gloria resurrectionis, *egressus est cum discipulis suis, ubi erat hortus*. Per *hortum* non incongrue sancta accipienda est Ecclesia, sive coadunata in Christo bene viventium congregatio, seu dilecta Deo fidelis qualibet anima. Nam sicut hortus bene plantatus et irrigatus fecundior plerumque reliquo videtur esse agro, ita spiritalis *hortus* Ecclesiæ, nec non hortus electæ multitudinis in Christo congregatæ, sive hortus beatæ cujusque animæ novo semper fecundatur virtutum germine. Hic etenim hortus proferens fructus sanctitatis et justitiæ in Canticis canticorum sic ab ipso commendatur sponso Ecclesiæ : *Hortus*, inquit, *conclusus, soror mea, sponsa, hortus conclusus* (*Cant.* IV, 12). Digne quidem non semel, sed iterum *conclusus* esse dicitur, dum et foris a pravis actibus, intus a malis desideriis custoditur.

229 Et talis revera hortus paradisus est voluptatis, quem a principio plantaverat Dominus, in quo delicatæ et deliciosæ animæ sponso suo cœlesti, inæstimabili copulantur charitatis dulcedine. *Hortus* etenim iste, *hortus* scilicet sanctæ Ecclesiæ tunc initiari et plantari cœpit, quando unus ex militibus lancea latus Salvatoris, in cruce pendentis, perforavit. Nam sicut Eva fabricata est ex latere Adæ in paradiso dormientis, sic Ecclesia ædificata est ex latere Christi in cruce morientis. Unde mox resurgens a mortuis, hortum ejusdem Ecclesiæ cum discipulis suis lætabundus introivit, quemadmodum evangelista consequenter ait :

In quem introivit ipse et discipuli ejus. Felix et desiderabilis iste introitus tunc revera factus est, quando electis discipulis suis post resurrectionem suam præcepit dicens : *Euntes, docete omnes gentes* (*Matth.* XXVIII, 19). Sic, sic derelicto populo Judaico in salutem gentium cum discipulis suis egrediens, illisque euntibus et docentibus hortum sanctæ Ecclesiæ cum eis et per eos introiens, alium quoque invisibilem præfiguravit egressum et introitum, quo occultis misericordiæ passibus egredi et introire plerumque dignatur in electorum cordibus. Egreditur utique hoc modo in mentibus fidelium, ut emollitos intrinsecus tactu supervenientis gratiæ de duritia cordis sui eos faciat egredi. Quæ per *torrentem Cedron* satis convenienter valet intelligi. Nam dum torrens iste, torrens, inquam, malarum concupiscentiarum et carnalium desideriorum in corde hominis ultra modum inundare cœperit, et hac inundatione a statu rectitudinis mentem everterit, fit plerumque, quod tanta succedat duritia cordis, ut homo interior nil prægustare divinæ valeat dulcedinis. At ubi *trans torrentem* istum male inundantem Salvator egrediens, motum fluctuum ejus mitigare dignabitur, mox homo interior liber, imo liberatus, ut ita dicam, ab omni duritia cordis *egreditur*. Unde fit ut cor prius male induratum hac salubri egressione suaviter emollitum *hortus* spiritalium fiat deliciarum, in quem idem Salvator *cum discipulis suis*, cum sanctis videlicet ac virtuosis desideriis, cum spiritalibus cœlestis disciplinæ studiis introeat, quatenus novas virtutum **230** plantationes illic germinare ac fructificare faciat.

Sciebat autem et Judas, qui tradebat eum, locum, quia frequenter illuc convenerat Jesus cum discipulis suis. Per Judam, quod mystica interpretatione *confitens* dicitur, antiquus hostis ille, maligno corde Dominum confitens, non incongrue intelligitur. Nec mirum, si per Judam male confitentem intelligendum esse diximus diabolum. Nam teste Evangelio frequenter dæmones confitebantur Dominum : *Tu es*, inquiunt, *Filius Dei* (*Marc.* III, 11). Et iterum : *Quid venisti ante tempus torquere nos ?* (*Matth.* VIII, 29). Itemque alio loco : *Quid mihi et tibi, Fili Dei ?* (*Matth.* VIII, 29). Confitentur etiam Deum cœli Creatorem suum esse et Dominum, nec quidquam se contra illius prævalere potestatem et imperium. Et quomodo prænominatus confitens iste tradebat Dominum ? Hoc nimirum modo : quia ad tradendum eum traditorem illius provocabat, quia ad illudendum eum et crucifigendum Judæos instigabat. *Sciebat autem* ab initio antiquus confitens et traditor iste *locum* divinæ habitationis in spiritali esse horto Ecclesiæ, et quia *frequenter illuc convenerat*, et quotidie venire non desinit *cum discipulis suis*, cum diversis virtutum studiis et profectibus visitare et consolari non dedignatus sponsam suam, universalem scilicet Ecclesiam suam, aut dilectam diligentium se multitudinem, sive specialius inhærentem sibi fidelem quamlibet animam. Unde et ipse præsentem se suis ubique fidelibus adesse pollicetur dicens : *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum sum* (*Matth.* XVIII, 20). Ergo cum male nominatus ille Judas optime, ut dictum est, sciat et cognoscat quid utilitatis, quid virtutis et gratiæ advenientis præsentia Salvatoris fidelibus suis conferat, ipse quoque per satellites suos occultæ malignitatis suæ quærit auxilia, cum quibus mox adveniens divinæ pietatis, quantum in se est, evacuare possit magnalia. Unde sequitur :

Judas vero cum accepisset cohortem et a pontificibus et Pharisæis ministros, venit illuc cum laternis et facibus et armis. Cohors trecentis completur militibus. Et quia cohors Romani **231** erant milites, satis congrue per *cohortem* sæculares accipiendi sunt principes, per *pontifices* vero, qui doctores plebis

erant, spiritales intelligendi sunt rectores Ecclesiæ. Per *Pharisæos* quoque sacerdotes et præsbyteri, qui ipsis rectoribus quasi spiritaliter videntur esse subditi. Ex his, proh dolor! Judas iste nonnullos sibi devotos et obedientes ministros et cooperatores accipit, ut per eos et cum eis quasi subjectis sibi militibus suæ malignitatis machinamenta adimplere possit. Nam adversus filios Ecclesiæ nil quodammodo per se ipse valeret, si hos tales tantæ perversitatis ministros et milites non haberet.

Est etiam juxta mysticum moralitatis sensum alia quædam *cohors*, aliique pontifices et Pharisæi, quos altiori intellectu libet intueri. Per *cohortem* exteriora intelligenda sunt opera carnis; per *pontifices* spiritales et interiores sensus hominis, per *Pharisæos* occultæ cogitationes cordis. Ex his ergo omnibus, operibus scilicet sensibus et cogitationibus, in deteriora plerumque declinantibus, Judas iste totius auctor nequitiæ multos sibi, proh dolor! ministros et milites nonnunquam accipit, quibus hominem minus providum gravius ferire et prosternere possit. Nam si homo circumspectus opera sua sensus et cogitationes diligentius observasset, malignus ille nullum pene tentandi aditum adversus eum invenire posset. At ubi in opere, sensu et cogitatione hominis aliquos, ut ita dicam, excessus invenerit, et hos quasi male cooperantes sibi *ministros* iniquitatis et tentationis acceperit, illuc continuo, ut subjunctum est, *cum laternis et facibus et armis venit.*

Per tria hæc, id est *laternas*, *faces* et *arma* universa accipienda est consummatæ iniquitatis perfectio, consensus scilicet, operatio et defensio. Cum ergo suggestio et delectatio quasi initium quoddam peccati sit, cur his duobus prætermissis tria hæc, quæ jam dicta sunt, consensum scilicet, operationem et defensionem præsignavit? Ea nimirum causa, quia tentatur plerumque homo per suggestionem, sed tamen nequaquam labitur per peccati delectationem; nonnunquam vero per delectationem **232** invitus pulsatur animus, sed tamen nullus in peccato fit consensus. Sic etiam Salvator humani generis suggestionem tentatoris pertulit, et tamen nulla peccati delectatione moveri potuit. Ergo quia in suggestione et delectatione quasi nulla plerumque culpa est, his duobus prætermissis tria hæc, consensum operationem et defensionem præsignare voluit, per quæ et in quibus totius iniquitatis plenitudo intelligi poterit. Venit, inquit, illuc *cum laternis, et facibus et armis*. Per *laternas*, in quibus ignis quidem est, sed latens et absconditus, consensus peccati recte est accipiendus, quia dum homo sine effectu operis per consensum tantummodo labitur, adhuc quasi ignis absconditus in laterna cordis occultatur. Si autem Judas iste consensum, quod absit! adesse deprehenderit, *faces* manifestæ operationis et *arma* perversæ defensionis male consentienti [*cod.* consentientem] confestim porrigit. Et bene quidem *faces* ardentes, quæ et lucent et fumigant, aperta pravæ actionis opera significant. Nam si homo peccatorum fuerit involutus sordibus, teterrimum ex se fumum mittit coram Deo et hominibus. Ne autem fumus iste, si exortus fuerit, evanescat, *arma* iniquæ defensionis illi subministrare festinat. Et satis congrue per *arma* defensio intelligitur. Nam *arma* dicuntur, quibus se homo, ne lædatur, defendit et protegit, tela vero, quibus hostem fortiter feriendo prosternit. Sæpe memoratus autem Judas iste, cum talem, ut dictum est, cohortem talesque ministros acceperit, cum sic armatus *cum laternis et facibus et armis* quasi pugnaturus in hortum supradictum venerit, quid homo quisque salvandus, cum quo inire certamen tentaverit, ad hæc respondeat, verba ejusdem Salvatoris consequenter insinuant.

Jesus autem, inquit, *sciens omnia quæ ventura erant, processit et dicit eis: Quem quæritis?* Nomine *Jesu*, quod dicitur *Salvator*, salvandus quisque satis congrue accipitur. Nam passio Salvatoris passio salvandi est hominis, et quidquid homo salvandus patitur, Salvator benignissimus in ipso et cum ipso pati non dedignabitur et per prævenientem gratiam ipse scientiarum Dominus scire eum facit omnia quæ et quanta super eum sunt ventura. Scit revera, inspirante Domino, **233** quia si per consensum, operationem et defensionem hosti maligno consenserit, quod æterna super eum damnatio ventura erit. Unde bonis et virtuosis operibus magis magisque procedens, sic male confitentis et inique tradentis diaboli tentationibus respondet dicens: *Quem quæritis?* Responsio ista jam passuri Domini rectissime convenire videtur homini fideli, tentationes diabolicas patienti. Et his verbis Doctor summe bonus nos edocere voluit, ut cauti semper et solliciti esse studeamus adversus insidias diaboli, ut pervigili circumspectione solerter videamus et attendamus quid a nobis et in nobis quærat hostis antiquus. Nam sequitur:

Responderunt ei: Jesum Nazarenum. Jam manifeste Judaica declarat responsio quid in nobis diabolica quærat infestatio. Nam *Jesus*, ut dictum est, *Salvator*, Nazarenus vero *mundus* interpretatur. Ad hoc enim insidiator malignus semper tendit, laborat et vigilat, ut salutem animæ nostræ, quæ Christus est, ut munditiam cordis et corporis nobis auferre valeat. Plerumque enim ipse deceptor animarum ea nobis suggerit quæ homo sancta prorsus et justa esse existimat, ut vel sic sub falsa specie boni in laqueum perditionis trahat, verbi gratia, dum quis ipso suggerente minus discrete corpus suum castigando duris et immoderatis laboribus interficit, dum immoderatam abstinentiam in cibis, in vigiliis ultra vires habere incipit, sicque fit ut, dum viribus exhaustus ad omnia quæ agenda sunt, infirmus et inutilis redditur, tunc profecto necessitati corporis plus æquo indulgere compellatur. Sunt etiam nonnulli qui, dum zelum rectitudinis se habere falso existimant, spiritu superbiæ inflati, judices et contemptores magistrorum ipso instigante fiunt. Hæc et his similia dum occultæ deceptionis consilio nobis

ingerit quid ad hæc contradicendo respondere nos oporteat, ipse, qui in nobis patitur et tentatur, responsione sua consequenter indicat.

Dicit eis Jesus : Ego sum. Ego, inquam, *sum*, qui salutem et Salvatorem meum quæro, qui cor et corpus meum Deo creatori meo semper immaculatum **234** conservare curabo. Audito itaque tali responso videamus quid ad hæc maligni tentatoris agat infestatio. *Stabat*, inquit, *et Judas, qui tradebat eum, cum ipsis*. Quidnam est *stare* illud Judæ traditoris, id est diaboli, nisi male tentando et insidiando sic respondenti fortius instare homini? Et quid est *stare cum ipsis?* Stat profecto cum his omnibus, quæ supra memoravimus, variis scilicet vitiorum et tentationum conflictibus, quatenus ad consensum, ad operationem et defensionem peccati, ut dictum est, eum pertrahat [*cod.* protrahat], et salutem animæ cordisque ac corporis munditiam illi auferat. Sed nunquid sic semper stabit et pugnando instabit? Audiamus quid evangelista ait :

Ut autem dixit Jesus: Ego sum, abierunt retrorsum, et ceciderunt in terram. Cum ergo *Jesus*, id est homo salvandus semper ad hoc cautus et circumspectus esse studuerit, quid fraudulentus investigator ille quærere et investigare ab ipso velit, *retrorsum* procul dubio tentationes et infestationes maligni *abeunt*, quia ad ea, quæ volunt, scelera et delicta eum impellere nequeunt. Nam quid aliud est malignos spiritus retrorsum abire, quam in peccatis et vitiis hominem consentaneum non posse invenire? Qui dum corda perfectorum, in quantum volunt, tentare non possunt, *in terram*, in terrena videlicet corda, crudeli tentatione *cadunt*. Nam eos qui terrenis curis et desideriis deserviunt, facile sibi consentientes et obedientes inveniunt, eosque casu miserabili secum cadere in foveam perditionis faciunt. Quibus hoc modo repulsis talique casu in corda terrena cadentibus, videamus quid interrogando, imo docendo, iterum dicat miserator Dominus.

Quem quæritis? Secunda hæc Domini interrogatio est ejusdem Salvatoris salutaris quædam doctrina et admonitio, qua doceri nos et admoneri misericorditer voluit, quatenus diligenter attendamus et consideremus, quia si ad consensum et effectum pravi operis nos pertrahere non poterunt, ex hac ipsa victoria nostra minus caute gloriantes fraudulenter nos circumvenire et præcipitare quærunt. Unde sequitur :

235 *Dixerunt ergo Jesum Nazarenum*. Jam jamque maligna immundorum spirituum responsione manifeste innuitur, quanto malignitatis suæ studio hominem interius vitio elationis violare, et a salute sua alienum reddere cupiunt, quem exterius ad opera iniquitatis inclinare non poterunt. Sed quid propriæ saluti providens ad hæc respondere debeat, provida respondentis Domini verba consequenter insinuant : *Si me*, inquit, *quæritis, sinite hos abire*. Ac si eisdem malignis spiritibus contradicendo respondeat et dicat: *si me quæritis*, imo quia me ad hoc quæ-

A ritis, quod vitio elationis salutem meam evacuare quod munditiam et usque hominis violare contenditis, *sinite hos abire, sinite*, inquam, ut actus et labores mei integri et inviolati ad Deum remuneratorem perveniant, ne vobis insistentibus, et, quod absit! vobis prævalentibus per appetitum humanæ laudis pereant, ut si intrinsecus per inanem gloriam tangar et impellar, nunquam tamen voluntaria et consentanea elatione a vobis convincar.

Ut impleretur sermo Jesu quem dixit : Quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam. Sermo Jesu sermo, inquam, Salvatoris, qui quotidie per ora doctorum ad corda audientium dirigitur, quo inani contraire gloriæ, et non in nobis, sed in Domino gloriari monemur, tunc in nobis veraciter adimpletur, si ex

B his quos dedit nobis Dominus, id est de bonis et virtuosis actibus, nil per elationem pereat, sed illi soli, sine quo nihil boni agere et habere possumus, humili contritione ascribere et assignare curemus. Qui ergo sic, ut dictum est, inani gloriæ resistendo sermones jubentis Domini impleverit, et bona quæ fecerit, data sibi desuper humiliter agnoverit, videamus quanta, quam magna nominis dignitate honorandus sit. Sequitur :

Simon ergo Petrus habens gladium, educens eum, percussit servum principis sacerdotum. Simon *obediens*, Petrus vero dicitur *agnoscens*, gladius quoque *obedientis* hujus et *agnoscentis* est Verbum Dei. Nam obedire sermonibus Jesu et gratiam a Deo sibi datam humiliter agnoscere poterit,

C **236** qui gladium verbi Dei, gladium ancipitem, gladium ex utraque parte vitia resecantem habere satagit. Habendus summopere est gladius bis acutus, timoris scilicet et amoris, gladius, inquam, timoris, ut propter metum gehennæ et supplicii, propter metum tremendi et districti judicii homo declinet a malis; gladius quoque amoris, ut propter spem æternæ remunerationis semper invigilare studeat operibus bonis. Hunc ergo gladium bis acutum si quis habere meruerit, *servum pontificis* salubri percussione *percutit*. Servus iste pontificis non incongrue intelligendus est ipse spiritus spiritalis hominis, qui humanæ laudis nonnunquam, proh dolor! ultra modum cupidus amissa dignitate dicendus est *servus*, non dominus.

D Ut autem ad pristinam libertatem redire possit, jam dicto gladio ancipiti hoc modo percutiendus erit, ut pro bonis actibus suis inaniter gloriando extolli semper timeat, et bona quæ fecerit, soli Deo profunda mentis humilitate attribuat. Unde mox sequitur :

Et abscidit, inquit, *auriculam dexteram*. Abscindenda summopere est servi hujus *auricula* non sinistra, sed *dextera*. Nam per *auriculam dexteram* appetitus humanæ laudis et amor terrenæ intelligendus est prosperitatis. Et bene quidem non *auris* dicitur, sed *auricula*, quia laus et prosperitas præsentis vitæ non magna, sed brevis est et modica. Hanc etenim auriculam si quis bis acuto gladio timoris et amoris absciderit, nomen amissæ nobilitatis nobiliter in semetipso reparabit. Nam sequitur :

Erat enim nomen servo Malchus. Mutato nomine servi *Malchus*, quod mystice *regnator* dicitur, digne ac laudabiliter dici et esse merebitur, quando hominem exteriorem potenti dominatione in servitutem redegerit, quando abscissa auricula dextera, laude scilicet inanis gloriæ, non humanis favoribus sed Deo Creatori in simplicitate cordis servire cœperit. Sed quia salubris hæc auriculæ hujus abscissio summopere facienda est ancipiti, ut jam dictum est, divini timoris et amoris gladio, audiamus quid adhuc de gladio isto evangelica subjungat lectio. Sequitur :

237 *Jesus autem dixit Petro : Mitte gladium in vaginam.* Digne satis Petrus, id est *agnoscens* quisque tempus tentationis et belli, gladium verbi Dei in memoriam scilicet cordis jubetur mittere, qui sciat qua hora, quo tempore educere eum debeat, et auriculam jam dictam iterum iterumque male exortam abscindere non differat, ut nunc timoris nunc amoris præmunitus gladio fortiter et viriliter insidianti resistat adversario, quia in hac mortalitatis miseria, stabilis et perfecta nunquam valet esse victoria. Unde et ipse Pater misericordiæ consequentibus adhuc innuit verbis quanta compassione compatiatur quotidie membris suis.

Calicem, inquit, *quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* Quid mystico sensu per calicem, quem se bibiturum asserit, nisi calicem passionis nostræ intelligi voluit, quem quotidie nolentes et inviti bibimus, quandiu exsules et peregrini a fonte æternæ vitæ separati sumus? Sed hunc profecto calicem passionis nostræ tunc in nobis misericorditer quodammodo bibit, quando passioni et tentationi nostræ benigna miseratione condescendit. Et bene ait hunc eumdem calicem a Deo Patre sibi datum fuisse, quia una et consimilis super nos Patris et Filii est compassio, et Deus Pater mira dignatione creatos suos diligit, quos pretioso sanguine Filii sui redimi voluit.

238 HOMILIA XXXV.

IN DIEM SANCTUM PASCHÆ PRIMA.

Maria Magdalene, et Maria Jacobi et Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum. Et valde mane una Sabbatorum veniunt ad monumentum orto, jam sole (*Marc.* XVI).

Quod in hac celebritate, Dominicæ Resurrectionis die, prætermissis cæterorum evangelistarum Evangeliis, præsens legitur Evangelium, videlicet secundum Marcum, qui teste Scriptura figuram leonis exprimit, non sine causa conditor et dispositor divini officii Spiritus sanctus instituit. Nam fortis ille Leo de tribu Juda ferocem illum leonem, qui circuit quærens quem devoret, hodierna die vicit et prostravit fortitudine sua, quando animas fidelium suorum inexpugnabili divinitatis suæ potentia de claustris inferni eripuit, quos ab initio sæculi crudelis ille leo male captivas tenuit et possedit. Sicut enim nobilis iste Leo, Redemptor noster, in spiritu fortitudinis suæ resurrexit a mortuis, ita spem beatæ resurrectionis dare dignatus est fidelibus suis, ut in præsenti per veram pœnitentiam a morte animæ resurgant, et in æterna futuræ resurrectionis gloria duplicem immortalitatis stolam ultra jam morituri recipiant.

Itemque in exordio hujus evangelicæ lectionis magna spes et consolatio obtinendæ salutis demonstratur nobis miseris peccatoribus, quod beatas mulieres istas, de passione Christi lugentes et dolentes, et adhuc de resurrectione sua dubitantes, non solum angelica, verum etiam propria visione et allocutione consolari dignatus est Dominus. Si enim tunc quasi carnaliter se diligentibus apparuit, et quasi mortuum se quærentibus vivum et visibilem exhibuit, quanto magis nunc his, qui eum in veritate quærunt et diligunt, invisibili gratia visitationis suæ aderit, qui gloriam Dominicæ resurrectionis hac fide et spe honorant, colunt, et prædicant, ut et ipsi quandoque æternaliter cum illo regnaturi resurgant?

Magna quidem divinæ pietatis confidentia in hac sacrosancta die nobis peccatoribus datur, dum *Maria Magdalena*, quæ peccatrix erat, et ab ipso Salvatore a peccatis mundata et purgata est, in primordio sancti Evangelii nominatur et legitur, quæ una cum cæteris supra memoratis mulieribus corpus Dominicum, **239** quod paulo ante flagellatum, vulneratum, et lanceatum viderant, visibili unguento aromatum, quod paraverant ungere volebant. Quod si tam benignæ voluntatis studium in tantum Domino complacuit, quod eis, ut prædictum est, visibiliter apparere easque clementer salutare et alloqui voluit, multo magis illorum fidem et devotionem digna mercede remunerat, qui invisibili intima compunctionis unguento vulnera illius quodammodo ungentes assidua recordatione passionem ejus ac mortem ad memoriam revocant. Nam et beatæ mulieres illæ, quas tam magnifice consolatus est præsentia visionis suæ, parvo tempore circa sepulcrum illius vigilando ipsumque quærendo erant sollicitæ. Qui autem cunctis diebus ac noctibus sacræ hujus quadragesimæ vigiliis, jejuniis multisque laboribus non cessabant insistere, ut aliquam nunc consolationem in hac solemnitate ab ipso mereantur accipere, nequaquam hos desolatos relinquet, nequaquam ab his oculos misericordiæ suæ avertet, quia etsi pro voto suo, quod petunt vel optant, non accipiunt, tamen in quantum benignus ille Conditor prodesse singulis noverit, diligentibus et quærentibus se gratiam visitationis suæ non subtrahit. Fit enim plerumque quod multis simul in tenebris sedentibus unus ex eis lumen afferri expostulat, et tunc non ille solus, sed omnes qui adsunt, ex hoc lumine videntes gaudeant. Sic nimirum dum in magna multitudine una tantummodo anima fidelis visitari et consolari merebitur a Domino, per unius meritum multis etiam proveniet salus et benedictio.

Proinde gaudeamus et exsultemus, si quis ex nobis divina inspiratione illuminari meruerit, spe-

vantes in misericordia Dei quod unius meritum omnibus nobis pie credentibus ad salutem proveniet; nam quemadmodum dies hæc pro cunctis anni diebus est celeberrima, ita facilius in ea a salvandis omnibus obtineri et impetrari divina poterit misericordia. Unde etiam ex lectione hac evangelica totius perfectionis, qua ad futuram resurrectionem pervenitur, mystica præfulgent rudimenta; nam et hoc tres istæ devotissimæ Deo feminæ mystice præsignare videntur tam obsequio suo quam et nomine.

240 *Maria*, inquit, *Magdalena, et Maria Jacobi et Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum.* Magdalum a quo Magdalena dictum est, in nostra lingua *turris* dicitur, Jacobus vero *supplantator*, Salome quoque *pacifica* interpretatur. Si quis profecto carnales concupiscentias et mala desideria, assidua virtutum operatione repellit et expugnat, *turrim* inexpugnabilem sibimetipsi in seipso ædificat, et hic talis *Maria Magdalena* dici et esse valet *turris* bene munita. Sed hoc ad salutem sufficere sibi nequaquam credat, si bonis ac rectis insistit operibus, nisi etiam linguam suam a malis et otiosis refrenare studeat sermonibus, ut quidquid in lingua sua deliquisse se meminerit, hoc per bona, sancta et salutaria colloquia *supplantare* sive abolere non desinat, ut hoc modo cum *Maria Jacobi* laudabilis *supplantator* in verbis suis possit fieri.

Ut autem ad summam valeat perfectionem attingere, omnimodo elaboret inquieti cordis tumultuantes cogitationes sedare et compescere, ut in semetipso quietus et pacificus possit cum Salome *pacifica* internæ pacis obtinere gaudia. Quisquis vero sic, ut dictum est, *Maria Magdalene*, id est turris factus fuerit in operatione et *Maria Jacobi*, hoc est supplantator in locutione, *Salome*, hoc est *pacificus* in cogitatione, hic digna Deo ac bene placita diversarum virtutum comparare potest *aromata.* Nam quidquid vanitatis, quidquid malæ delectationis caro illecebrosa prius suggerebat, hoc, in quantum possibile est, totum abjicere et amputare laborat, et quasi pro commutatione virtutum carnis desideria et voluntates sæculi distribuens diversas aromatum species congregat, quibus pretiosa et accepta Deo unguenta conficiat. Quanto majoris pretii sunt aromata, tanto meliora ac pretiosa conficiuntur unguenta. Nam unum conficere unguentum animæ Deum diligenti non sufficit, sed tria parare unguenta summopere satagit.

Primum unguentum dicere possumus unguentum contritionis, secundum devotionis, tertium dilectionis. Primum unguentum contritionis est, dum per veram pœnitentiam stabilemque satisfactionem
241 deflere et abolere non desinit, quidquid contra Deum, sive contra salutem animæ cogitatione, verbo et opere se deliquisse meminerit, talique unguento contritionis ira et vindicta districti placatur judicis.

Ne autem hoc unguentum contritionis per inanem gloriam pereat, secundum devotionis unguentum A adhibere non negligat. Secundum devotionis unguentum est, ut si quæ recta, si quæ justa in seipso viderit, non suis viribus, non suis meritis, sed soli Deo ascribat et attribuat, totaque devotione dignas illi gratiarum actiones rependat, eo quod multos digniores et meliores in vanitatibus hujus sæculi dereliquerit, et se, licet indignum, gratuita bonitate sua ab errore vitæ suæ revocaverit. Ut autem hoc unguentum devotionis Deo complaceat, necesse est ut tertium unguentum dilectionis adjungat.

Tertium unguentum dilectionis est tota mentis intentione ante omnia et super omnia Deum solum diligere. Nam sunt nonnulli qui, licet peccata sua defleant, licet pro bonis, quæ acceperunt, Deo gratias referant, minus tamen quam oportet Deum diligunt. B Unde tertium, ut diximus, unguentum anima fidelis adhibeat, ut videlicet dilectioni Dei nihil omnino præferat vel anteponat. Nam et hoc unguentum divinæ dilectionis non aliter conficiendum est [*cod.* confitendum est], nisi in illa hora internæ contemplationis. Et ideo dilecta Deo anima thalamum cordis sui omni diligentia observet et custodiat, ut per gratiam intimæ contemplationis, cœlestibus, quantum possibile est, secretis admissa discat et cognoscat qualiter unguentum veræ et perfectæ dilectionis, quo ungendus sit Dominus, conficiat.

Tria hæc, quæ prænotavimus, pretiosa unguenta homini ad salutem animæ et perfectionem vitæ tendenti valde sunt necessaria. Nam primo unguento ungendi sunt pedes Domini veniam postulando; C secundo ungendæ sunt manus ejus pro indulta venia gratias agendo; tertio ungendum est caput illius gloriam divinitatis ejus oculo contemplationis speculando. Sed ad hæc nemo idoneus constat, ni ea quæ sequuntur prius fiant.

242 *Et valde mane una sabbatorum veniunt ad monumentum, orto jam sole.* Notandum est cur non tantum *mane*, sed *valde mane* dixerit, cum *valde mane* initium surgentis auroræ sit, quando vix transeuntibus nocturnis tenebris tenuissimus radius solis refulgere cœperit. Fit etenim non tantum *mane*, sed *valde mane* in corde hominis, dum gratia divinæ visitationis illuminatus tenebras ignorantiæ Dei et sui aliquantulum recognoverit, et tamen adhuc opera D lucis et justitiæ agere nequaquam studuerit. Ut autem ad facienda opera justitiæ et lucis convalescat, opus habet, ut *una Sabbatorum* in illo fiat. *Una Sabbatorum* dies est, quando fideles quique requiescere a malis operibus desiderant, ut uni Domino liberius vacare valeant. Itemque *una dies Sabbatorum* est, quando tantam a Domino gratiam consecuti fuerint, quod unus cum eo spiritus effici meruerint. Tunc profecto via rectorum gradientes *ad monumentum* cordis sui *veniunt*, ubi *ortum jam solem* divinæ claritatis sentiunt. *Sol* etenim iste visibilis dum mane ortus fuerit, splendorem pariter et calorem mundo reddit. Sic etiam invisibilis ille Sol justitiæ, dum mentes fidelium suorum lumine desuper venientis gratiæ tetigerit, lucentes et ardentes facit; lucentes, inquam, in ope-

ratione, ardentes in amore. Sed fit plerumque quod, dum jucundum et solemne cum Domino Pascha celebrare cupiunt, nil paschalis lætitiæ, nil paschalis jucunditatis in semetipsis sentiant. Unde quid ad se intra se gementes ac suspirantes dicant, evangelista consequenter denuntiat :

Et dicebant ad invicem : Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti? Ac si dicant . Ecce, Domine, paschalia adsunt gaudia! ecce paschalis instat lætitia, sed duritia lapidei cordis mei nulla tuæ visitationis emollitur gratia! Ecce, Domine, te ipso teste hoc sacro jejuniorum tempore laboravi, quantum potui, his sacris diebus passionis et mortis tuæ hoc solum a te lacrymis ac precibus obtinere studui, ut in his paschalibus festis tua mihi non deesset consolatio : et ecce quid paschale sit gaudium, nescio, quia te, Domine, qui verum Pascha es, elongari a me sentio. *Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti*, ab **243** ostio videlicet cordis mei lapidem duritiæ, qui cordi meo est appositus, quis, inquam, Domine, timor vel amor tuus? Si tu, Domine, manum timoris vel amoris tui apposueris, lapidem gravem, lapidem durum citius amovebis. Et quis, ut Scriptura ait, invocavit Dominum, et derelictus est ab eo? Invocantibus enim et quærentibus se clementer confestim aderit, et appositum *lapidem* duritiæ manu misericordiæ suæ *revolvet* et amovebit. Unde sequitur :

Et respicientes viderunt revolutum lapidem. Erat quippe magnus valde. Respectu quidem divinæ miserationis facile amovetur magna duritia cordis, et tunc felix anima invisibile cordis sui monumentum totis desideriis, totis sensibus ingreditur, et hoc, quod quærebat, Deo miserante, invenire meretur.

Et introeuntes, ait evangelista, *in monumentum invenerunt juvenem in dextris sedentem, coopertum stola candida, et obstupuerunt. Juvenis* iste, visitatio inquam, missa ex altissimo paschalis festivitatis denuntiat gaudia. Et bene *juvenis* dicitur quia per hanc visitationem homo interior pia juventute innovatur. Et bene *in dextris sedisse* describitur, quia per hanc requies veræ humilitatis invenitur. Vel ideo *in dextris sedisse* dicitur, quia fideli animæ omnia tunc in bonum cooperantur, cui etiam sinistra et perversa qualibet opera fiunt, quasi dextera. Nam *stola candida*, quod est innocentia, ita quasi non sint, universa illius cooperiuntur peccata. Post hanc stolam candidam, post reparatam in hac illuminatione innocentiam sequitur stupor nobis infirmis et negligentibus omnino incognitus, quem hi, admodum pauci, norunt qui hunc vel semel per experientiam scire meruerunt. Stupor esse dicitur, dum quis tale aliquid viderit vel audierit, unde per excessum mentis oblitus suimet factus fuerit. Hunc stuporem tunc beata anima patitur, dum raptim in Deum transiens extra se supra se ducitur, et in hoc stupore magis ac magis interior humiliatur homo. Nam timet corpus corruptibile quod aggravat, timet ne forte carnis concupiscentia vel mundi illecebra prævaleat, quæ, dum hoc timore bono et laudabili timet ac **244** trepidat, audit intra se supra memoratum juvenem consolantem et exhortantem ne timeat, ne expavescat.

Nolite, inquit, *expavescere. Jesum quæritis Nazarenum crucifixum; surrexit, non est hic. Nolite*, inquit, *expavescere*, ac si dicat : Pavorem ac timorem, quem habetis, deponite nullam corruptionis molestiam, nullam mortalis vitæ illecebram expavescite; nam gloriam futuræ beatitudinis, quam in speculo et in ænigmate aliquantulum cognovistis, quandoque, sicuti est, facie ad faciem videbitis, si *Jesum Nazarenum crucifixum*, qui *surrexit*, ita ut oportet, usque in finem vitæ quæsieritis. A Nazareth, quod *flos munditiæ* interpretatur, Jesus Nazarenus [*cod.* Nazareth] cognominatur. Cur autem additum sit *crucifixum*, nulli fidelium est incognitum. *Jesus Nazarenus* in primis *quærendus* est per *florem munditiæ*, hoc est vera et humili confessione; deinde quærendus est *crucifixus*, hoc est ut per mortificationem carnis passionem et mortem Jesu crucifixi imitari omnimodis laboremus. Si quis hoc modo, ut dictum est, Jesum Nazarenum instanter quæsierit, ad id quod subjunctum est, Deo opitulante pervenire valebit.

Surrexit, non est hic. Quidnam est post humilem confessionem, post assiduam carnis mortificationem *surgere*, nisi continuis virtutum gradibus ad perfectionem vitæ tendere, nisi prospera simul et adversa contemnere? Verumtamen ne sic in sublime surgentes ventus elationis dejiciat, his verbis inanis gloriæ sapientes quique respondeant : *Non est hic. Non est hic* merces et gloria, quam quærimus; *non hic*, sed in futuro laudari et magnificari cupimus.

Ecce locus, ubi posuerunt eum. Ecce locus testimonii, conscientia scilicet cordis nostri, ubi Jesus Nazarenus crucifixus testis ac remunerator operum nostrorum est repositus. Hæc ergo illis intrinsece respondentibus ac spiritum elationis taliter a se repellentibus adhuc ad altiora eos monet et excitat, quatenus non solum propriæ saluti, verum etiam utilitati proximorum provideant.

Ite, inquit, *dicite discipulis ejus et Petro quia præcedet vos in Galilæa. Ite*, ut cœpistis, recti itineris tramite, et non solum vobismetipsis, **245** sed et aliis prodesse curate. *Dicite discipulis*, hoc est innocentibus, dicite *et Petro*, hoc est lapsis et peccatoribus, *dicite*, inquam, quæ utrisque conveniant, qualiter utrique Jesum præcedentem *in Galilæa* videre debeant. *Dicite discipulis*, videlicet sub disciplina Spiritus sancti aliquandiu eruditis, quatenus hoc modo præcedentem Dominum Jesum *in Galilæa* sequantur, et videant, ut, in quantum potuerint, a minimis etiam peccatis transmigrationem in semetipsis faciant, ut innocentiam suam humilitate cordis custodiant. Dicite *et Petro*, hoc est peccatoribus, qui triplici culpa sunt lapsi, id est cogitationum,

verborum et operum, quemadmodum Petrus lapsus A est ter negando Dominum, dicite, inquam, illis, ut a peccatis resipiscant, et mala quæ commiserunt, humiliter confitendo pœniteant.

Sed inter hæc notandum, ac magno gaudio retinendum est quod non alii discipuli, sed solus *Petrus*, qui hoc in loco peccatorum personam exprimit, vocatus est ex nomine. Nam inde peccatoribus magna datur spes divinæ clementiæ, ut de salute sua non desperent nec diffidant, verum etiam ipsi Dominum *in Galilæa*, quod interpretatur *transmigratio*, præcedentem sequi non expavescant, ut videlicet de vitiis ad virtutes, de morte ad vitam transmigrare contendant.

Ibi, inquit, *eum videbitis, sicut dixit vobis. Ibi*, hoc est in vita æterna revelata facie videbitur, sicut B nunc et innocentibus et pœnitentibus aut per verba doctorum, aut in hora contemplationis, aut per linguam intimæ compunctionis pollicetur. Ibi vere paschalia festa celebrabimus, ubi verum Pascha nostrum, quod est Christus, facie ad faciem videbimus. Quod ipse præstare dignetur, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

246 HOMILIA XXXVI.

IN DIEM SANCTUM PASCHÆ SECUNDA.

Emisit quoque columbam post eum, ut videret si jam cessassent aquæ super terram (*Gen.* VIII), etc.

Sancta ac venerabilis diei hujus festivitas sicut omnibus præeminet solemnitatibus, sic majoris C exsultationis et lætitiæ tripudio per totum orbem terrarum celebratur ab omnibus Christi fidelibus. Nec immerito; in hac enim die complevit Deus omnipotens et perfecit opus suum, opus utique redemptionis nostræ, propter quod a celsitudine divinitatis suæ ad infima nostræ mortalitatis dignatus est descendere. Quod enim natus, quod in hoc mundo conversatus, quod passus, quod mortuus est atque sepultus, in hoc plena atque perfecta redemptio nostra non fuisset, nisi spem resurgendi in sua nobis resurrectione dedisset. Non enim plenum esset gaudium, si animæ post hanc vitam tantummodo salvarentur, corpora vero redacta in pulverem resuscitari ad vitam non mererentur.

Sed quia animati per resurrectionem Domini no- D stri Jesu Christi duplicem immortalitatis stolam speramus et exspectamus, non injuste singulis his diebus quasi nos ipsos consolando, et quid sit quod exspectamus, ad memoriam quodammodo nobis ipsis revocando ad missam canimus: *Hæc est dies quam fecit Dominus, exsultemus et lætemur in ea.* Cunctos dies fecit Dominus, cunctos dies creavit Dominus, sed præ omnibus imo excellentiorem omnibus diem istum fecit, quem inaudita gloriosissimæ resurrectionis suæ gloria præ omnibus consecravit et honoravit. Erant quidem ante ipsum et post ipsum aliqui, qui dante ipso et cooperante mortuos suscitaverunt: seipsum nunquam homo a morte suscitavit præter solum hunc hominem Dominum nostrum Jesum Christum, qui 247 sicut mori potuit, quando voluit et quomodo voluit, sic etiam resurgere potuit, quando voluit et sicut voluit; et non solum sibi resurrexit, sed et nobis. Per suam enim resurrectionem dedit nobis spem et confidentiam veniendi quandoque ad eamdem resurrectionis et immortalitatis gloriam.

Sed quia duplex est lætitia, una quæ decursa præsentis vitæ miseria erit in requie animarum; altera, quæ erit in resurrectione corporum, præmisso: *Hæc est dies quam fecit Dominus*, continuo subjungitur: *Exsultemus et lætemur in ea.* Verbum hoc, *exsultemus*, potest referri ad illud gaudium, quod datur post hanc vitam in requie animarum. Quod autem continuo sequitur, *et lætemur in ea*, hoc ineffabilem et interminabilem illam lætitiam exprimit, quæ finito mundi termino in resuscitatione corporum omnibus electis Dei futura erit. Hæc est vera dies illa quam fecit Dominus, dies una cunctis retro diebus merito præferenda. Hæc erit vere dies exsultationis et lætitiæ, ubi unito animæ corpore nullus ultra remanere poterit locus mœroris vel tristitiæ. Antequam dies ista veniat, licet in requie sint sanctorum animæ, et in tali requie, quam nulla mens cogitare, nulla lingua valet explicare, plenum tamen et perfectum gaudium necdum habent. Turbat enim illud ex parte, quod sollicitantur adhuc et cogitant de resuscitando corpore, quia quod habebant socium laboris, habere etiam desiderant socium gloriæ et remunerationis.

Nunquam enim dilectio aliqua dilectioni illi æquiparari valet, quæ est inter corpus et animam. Nam inde est le[t]alis dolor et cruciatus ille quem in fine suo homo sustinet; durum enim et difficile est familiare corporis domicilium deserere. Postquam autem deseruerit, licet in æternæ beatitudinis gaudia recipiatur, semper tamen desiderans, semper anhelans est ad recipiendum illud per cujus laborem tantum promeruit honorem. Nam quemadmodum mater dilectum habens filium, vel alius quilibet homo habens amicum, quem diligit sicut seipsum, parvipendit, vel pro nihilo ducit honorem, qui sibi exhibetur, 248 nisi etiam is quem diligit sicut se, pari honore et amore habeatur, sic et animæ honor et beatitudo sua non sufficit, quandiu corpus, quod sicut seipsam diligit, honori et beatitudini illius participari non poterit.

Sed ne mirum hoc et incredibile videatur, respiciamus ad caput nostrum, intueamur Dominum et Salvatorem nostrum; suo enim exemplo hæc quæ loquimur comprobavit, qui, sanctissimo corpore suo pro nobis in morte posito, diutius abesse non potuit, quia voluit, præter brevissimum temporis spatium, quod erat ab hora nona sextæ feriæ, qua in cruce occubuit, usque in diem tertium, quando potenter illud a morte suscitavit. Hoc etiam in Veteris Testamenti Scriptura longe, antequam fieret, satis nobiliter præfigurabatur, ubi legimus de columba illa quam emisit Noe de arca, *ut videret si jam cessas*

sent aquæ super faciem terræ; quæ cum non invenisset ubi requiesceret pes ejus, reversa est ad eum in arcam.

Potest intelligi per Noe Christi divinitas; per arcam, assumpta in Deum humanitas; per columbam vero, animam Christi non immerito intelligendam æstimo, quia vere columba, et columba pulcherrima erat, quæ sola omni duplicitatis et peccati felle carebat. Hanc itaque columbam verus Noe, Deus scilicet omnipotens, qui secundum Apostolum erat in Christo, mundum reconcilians sibi; tunc quodammodo emisit, quando eam pro salute humani generis elevatus in cruce separari a corpore permisit. Sed quare emisit eam? *Ut videret si jam cessassent aquæ super faciem terræ.* Aquarum nomine, quæ diversæ in Scripturis ponuntur, hoc in loco non incongrue originale peccatum vel carnales concupiscentias arbitror posse designari, quæ ex originalis peccati crimine mirum in modum excreverant super omne genus humanum. Per diluvium vero apte possunt intelligi actualia peccata, quæ originali peccato accesserant, quæ totum genus humanum æternæ mortis præcipitio involverant. Ob hoc utique unigenitus Dei Filius, in divinitatis substantia Patri coæqualis propter nos factus homo mortalis columbam suam emisit, ob hoc dilectam animam suam ex arca illa humanæ naturæ, quam præcepto Patris intraverat **249** separari ad horam permisit, *ut videret si jam cessassent aquæ super terram*, aquæ utique originalis et actualis peccati, non super terram maledictam, spinas et tribulos peccatorum germinantem, sed super terram benedictam, super terram fructiferam, bonorum ex se fructum operum Deo quotidie proferentem. Quod enim ille, qui nihil morti debuit, mortis debitum solvit, et ad videndos atque visitandos, qui captivi tenebantur in morte, electos suos ad infernum descendere voluit, per hoc cessare fecit aquas diluvii, per hoc delevit crimina originalis et actualis peccati.

Emissa hoc modo electa illa columba, id est dilecta Christi anima, quantum desiderium habuerit resumendi cum immortalitatis gloria corpus suum, quod mortale deposuerat, sequens littera satis luculenter insinuat. Nam sequitur: *Quæ cum non invenisset ubi requiesceret pes ejus, reversa est ad eum in arcam.* Inveniebat quidem sanctorum suorum animas in inferno positas, sed in omnibus his non inveniebat ubi requiesceret pes ejus, quia in omnibus illis non erat ei tam delectabilis tamque affectuosus repausationis locus, sicut in illo sanctissimo corpore suo, quod sicut sine peccato mundum et immaculatum induerat, sic sine peccato mundum et inviolatum deposuerat. Unde *reversa est ad eum in arcam.* Ad quem *eum*? Utique ad Deum omnipotentem reversa est in arcam, hoc est in propriam carnem suam. Deus enim erat cum anima in inferno, Deus erat cum corpore in sepulcro. Quare reversa est ad eum in arcam? Ob hoc videlicet, quia non invenit tale habitaculum, quale erat illud unde

A exierat. *Aquæ enim*, ut subjunctum est, *erant super universam terram.* Et bene dicitur, *super universam terram*, quia omnibus hominibus, quantumlibet fructiferi fuerint, quantumcunque propter Deum laboraverint, aqua illa originalis et actualis peccati superior erat; omnes enim in peccatis concepti et nati erant, omnes in peccatis vivebant. Sed sola arca Noe ferebatur super aquas, quia solum illud incomparabiliter castum et mundum individuæ sempiternæque Trinitatis habitaculum aqua illa originalis et actualis peccati attingere nullo modo poterat. Unde beatissima illa columba, prælecta columbinæ castitatis atque dulcedinis Christi anima, **250** postquam cum potentia divinitatis ad infernum usque pervolavit, tyrannumque tradens vinculo, electis suis,
B quos inde tulerat, paradisum reseravit, sine mora *reversa est ad eum*, Deum utique omnipotentem in arcam.

Extenditque manum, et apprehensam intulit in arcam. Quid erat hæc extensio manus veri Noe? Per *manus* ejus intelligitur potestas ejus. Manus ejus intensa quodammodo et quasi inclusa fuit, quando comprehendi se et flagellari, colaphizari, spinisque coronari, et ad ultimum inter duos latrones suspensus turpissima morte se permisit condemnari. Sed eamdem *manum* suam nobiliter *extendit*, quando superatis his omnibus columbam suam, quam emisit moriendo, suaviter apprehensam intulit in arcam potenter a morte resurgendo.

Nec prætereundum quod dicitur, *apprehensam in-*
C *tulit in arcam.* Trahit ad se homo eum quadam fortitudine quod *apprehendit.* Sic etiam Dominus noster Jesus Christus apprehensam in fortitudine et potentia divinitatis suæ columbam suam, sanctam videlicet animam suam ita intulit in arcam, quod nec divinitas ab humanitate, nec humanitas a divinitate separari ultra poterit.

Exspectatisque ultra septem diebus, aliis rursum dimisit columbam ex arca. Septem dies isti erant, ut arbitror, dies læti et jucundi post resurrectionem Domini nostri Jesu Christi, in quibus dedit discipulis suis Spiritum sanctum in remissionem peccatorum, quem propter septiformem donorum gratiam non injuste in hoc loco per septenarium nu-
D merum puto intelligendum: *Accipite*, inquit, *Spiritum sanctum: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta erunt* (Joan. XX, 22). Isti dies vere dies exspectati erant; omnes enim, qui erant ab initio sæculi, dies istos exspectabant et desiderabant. Neque hoc vacat a mysterio quod dicitur; *exspectatisque ultra septem diebus aliis.* Per hoc enim innuitur nobis aliquos dies fuisse ante hos dies, diebus tamen istis longe dissimiles. Nonne *dies* erat Noe, Abraham, Isaac, David cæterique horum similes, qui omnes Spiritum Dei habuerunt? Spiritum quidem Dei habebant, nulli tamen illorum datus est in remissionem peccatorum. *Nondum enim*, ut ait Scriptura, *erat Spiritus datus, quia* **251** *Jesus nondum erat clarificatus.*

(*Joan.* VII, 39). Postquam autem Christus passus est et mortuus, postquam descendit ad inferos et resurrexit, tunc vere venerunt exspectati dies, dies ultra omnes dies, quia supra omnes dies *septem dies alii*, retroactis diebus nullo modo comparandi, in quibus per Spiritum sanctum data est remissio peccatorum.

Transactis exspectatis diebus istis, *rursum dimisit columbam ex arca.* Iterata dimissio columbæ ex arca gloriosa Christi ascensio non incongrue est accipienda. Sicut enim in præcedentibus carnem Christi per arcam intelleximus, sic etiam hoc in loco nihilominus per eamdem arcam caro ejus, non utique illa quam, cooperante Spiritu sancto, suscepit de beata virgine Maria, sed alia ejus caro, quod est sancta Ecclesia, apte intelligitur. Illam enim carnem quam de beata Maria sumpsit, propter hujus amorem carnis opprobriis et suppliciis exposuit; illam dedit, ut istam liberaret; illam permisit flagellari, ut hæc posset sanari; illam voluit crucis supplicium subire, ut hæc ad gaudia paradisi, unde deciderat, mereretur redire; illam permisit mori, ut ista posset vivificari. Igitur *rursum columbam* suam noster Noe *ex arca dimisit*, quando eam quadragesimo die post resurrectionem suam de præsenti Ecclesia transtulit in cœlum. Illa vero quam deliciosa quamque amabilis, et gloriosa vultum paternæ majestatis prævenerit, sequens littera patenter exponit, cum dicit:

At illa venit ad eum ad vesperum, portans ramum virentis olivæ cum virentibus foliis in ore suo. Bene venisse ad eum *ad vesperam* dicitur, quia circa horam nonam, quando inclinari incipit dies ad vesperam ascendisse Christus legitur. *Venit ad eum*, hoc est, ad Deum Patrem *portans ramum virentis olivæ cum virentibus foliis in ore suo.* Tria sunt in ramo, quæ si recte consideremus, juste per ramum hominem illum, qui erat in Christo, præfiguratum videmus. Ramus procedit ab arbore, in ramo est fortitudo arboris, ramus præfert fragrantiam boni odoris. Sic et Christus, qui secundum divinitatem suam Patri consubstantialis, coæternus et coæqualis erat, secundum humanitatis substantiam ex arbore et massa humanæ naturæ processerat; et sicut ramus fortitudo est arboris, sic ipse **252** fortitudo et virtus erat et est totius humani generis. Ex ipso etiam bonus et suavis, multumque Deo Patri delectabilis odor in cœlum venit, quia malum illum fetorem peccatorum, qui ex tota humani generis propagine emerserat, glorioso sanguinis sui pretio ipse detersit atque fugavit.

Congrue etiam *ramus virentis olivæ* nominatur. Ex oliva enim procedit oleum, per oleum autem pax et misericordia figuratur. Ipse enim pacem fecit inter Deum et hominem; ipse, destructo mortis imperio, attulit misericordiam, id est peccatorum remissionem. Et quare nobilissima eadem caro Christi non modo *ramus olivæ*, sed et *ramus virentis olivæ* dicitur? Bene quidem et nimis congrue, quia quæ

A excocta et exsiccata igne passionis in morte quodammodo exarait, animata succo divinitatis mirabiliter in resurrectione ita revixit et refloruit, quod nunquam amplius virorem suum amittere poterit. *Christus* enim, ut ait Apostolus, *resurgens a mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur* (*Rom.* VI, 9). Virentia autem folia, quæ ramus idem produxit, erant vivificata electorum suorum corpora, quos ereptos de tartaro *in ore suo*, id est in divinitatis suæ potentia resuscitatos, ad thronum paternæ gloriæ secum adduxit. Ipse enim est os Dei, ipse est sapientia Dei, testante Scriptura, quæ dicit: *O sapientia quæ ex ore Altissimi prodiisti.* Post ista omnia recte sequitur:

Intellexit ergo Noe quod cessassent aquæ super faciem terræ. Nam ubi post peractam passionem et B resurrectionem suam, Dominus et Salvator noster, dato Spiritu sancto discipulos suos misit in universum mundum ad prædicandum et dandum baptisma in remissionem peccatorum, ipseque cum tali triumpho gloriæ ascendit in cœlum, tunc primum verus *Noe intellexit quod cessassent aquæ super terram.* Mox enim ut prædicantibus apostolis baptismus cœpit, in quo cooperante Spiritu sancto remissio fit peccatorum, statim aqua illa, aqua utique originalis et actualis peccati, cessavit super terram, super terram dico fructiferam, super animas videlicet et corpora fidelium, delectabilem bonæ operationis fructum Deo germinantium.

C **253** *Exspectavitque nihilominus septem dies alios, et emisit columbam.* Per *septem alios dies* istos, omne tempus ab ascensione Domini usque in finem sæculi intelligere possumus, in quo pius et misericors Dominus, qui omnes homines salvos fieri desiderat, pœnitentiam et conversionem peccatorum misericorditer exspectat. Nec prætereundum quod dicit, *exspectavitque nihilominus septem dies alios.* Per hoc enim videtur mihi designari, quod septiformis Spiritus sancti dona, quæ modo per cooperatores Christi, bonos videlicet episcopos et presbyteros dispergun-tur. *Nihilominus*, hoc est nihil minus valeant nunc, quam tunc, quia gratia Spiritus sancti nihil minus nunc in sancta Ecclesia per ministros Christi operatur, quam post ascensionem ejus per sanctos apo-D stolos operabatur. Idem enim baptisma adhuc in sancta Ecclesia conficitur, in quo, cooperante Spiritu sancto, eadem adhuc remissio peccatorum omni credenti sine dubio tribuitur. Præmissis septem his diebus rursum dicitur:

Et emisit columbam. Primo emisit eam, sicut audivimus, in passione, secundo dimisit eam in ascensione; tertia ejus emisio erit in futuro judicio. Tertia hac emissione tandem facta, implebitur quod sequitur:

Quæ non est reversa ultra ad eum. Neque enim necessarius ibi regressus, ubi nullus ultra erit recessus. Nam ubi peracto judicio omne corpus suum ad se collegerit, non revertetur ultra ad eum, quia nunquam amplius recedet ab eo. Et non solum hu-

mana illa natura quæ est in Christo, sed tota etiam humana natura, per ipsum redempta et salvata semper in ipso regnabit cum Deo. Ad hanc perpetuæ immortalitatis gloriam perducat nos Jesus Christus Dominus noster, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

254 HOMILIA XXXVII.

IN FERIAM SECUNDAM PASCHÆ PRIMA.

Duo ex discipulis Jesu ibant die ipsa in castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Jerusalem, nomine Emmaus (*Luc.* XXIV).

Quia, sicut ait beatus Gregorius, in quotidiana solemnitate nobis laborantibus pauca loquenda sunt, et fortasse hæc utilius proderunt, verba lectionis evangelicæ per singula verba discurrere non possumus. Propter illos tamen, quibus sola historiæ littera non sufficit, pauca de moralitate loquemur, prout ipse Dominus dare nobis dignabitur.

Duo isti *discipuli* significant corpus et animam cujuslibet fidelium Christi, qui, relicto sæculo et sæcularibus desideriis, sub disciplinatu Dei degunt, et secundum disciplinam ejus mores et vitam suam regunt. Quid enim aliud justi et boni homines sacrosanctis his Quadragesimæ diebus fecerunt, nisi quod vigiliis, jejuniis, flagellis, cæterisque piis laboribus corporis quasi sub disciplina Dei se cohibentes, ad hoc elaboraverunt, ut in die resurrectionis ejus digni invenirentur qui gaudium et lætitiam habere cum ipso mererentur? Sed quantumcunque interdum homo laboraverit, quantumcunque in custodia cordis ac corporis desudaverit, sit tamen plerumque ut gratiam illam supernæ dulcedinis, pro qua laboravit, ad quam anhelavit, habere cum Deo secundum votum et desiderium suum non possit. Unde contristatus in semetipso et gemebundus *ipsa* quodammodo *die in castellum nomine Emmaus* incipit ire. *Ipsa dies*, dies præsens est, dies lætitiæ et exsultationis, dies utique Dominicæ Resurrectionis, in qua homo ille, qui sub 255 disciplina Dei vixisse se recolit, et tamen optata et desiderata, pro qua laboravit, gratia se privatum conspicit, *in castellum Emmaus*, quod interpretatur *populus abjectus*, ire incipit. Dum enim se quasi abjectum coram Domino et despectum reputat, et propter ipsam sui abjectionem, quasi qui nullius sit meriti, coram Deo se humiliat, hoc est *ipsa die ire in castellum Emmaus*.

Nec prætereundum quod additum est, *quod erat in spatio sexaginta stadiorum ab Jerusalem. Spatium sexaginta stadiorum* est vel bonorum operum, vel divinorum perfectio mandatorum. Videt namque in ipsa sui abjectione, quasi *sexaginta stadiorum spatio ab Jerusalem* se abesse, dum propter imperfectionem operum suorum, propter negligentiam divinorum præceptorum longe se esse a visione pacis deplorat, quod est vel interna dulcedo cordis, in qua Deus conspicitur, vel dulcedo regni cœlestis, quæ in æterna vita electis Dei conservatur. Unde rediens ad se intra se humiliter recolit, quæ et quanta veniens in carne omnipotens majestas propter eum fecerit et sustinuerit. Ait ergo evangelista:

Et ipsi loquebantur ad invicem de his omnibus quæ acciderant. Omnia illa *quæ acciderant*, incarnationem, passionem, et resurrectionem unigeniti Filii Dei non incongrue significant. *De* his *omnibus loquuntur* duo illi discipuli, homo videlicet ille, qui corpore et spiritu libenter subjectus est disciplinæ Christi, dum humili corde jugiter ea in seipso replicat et recogitat, ut ad illius amorem, qui tanta pro eo sustinuit, validius succendi possit. Loquitur etiam de his omnibus, dum deplorat in semetipso et ingemiscit quod tantæ ejus bonitati nullis suis laboribus vel meritis respondisse se recolit, ideoque justo Dei judicio tempore passionis et resurrectionis ipsius desiderata dulcedinis ejus gratia privatum se recognoscit. Taliter de se loquentibus appropinquat misericors Dominus, quemadmodum mystice innuitur in consequentibus:

Et factum est, inquit evangelista, *dum fabularentur et secum quærerent*, 256 *et ipse Jesus appropinquans ibat cum illis.* Dum enim *fabulatur* homo in semetipso miserationum Domini recordando, dum *secum quærit* ingratitudinem et negligentias suas humiliter discutiendo et deplorando, *ipse Jesus*, vera salus humilium, qui occulta cordium respicit, *appropinquare* per invisibilem visitationis suæ gratiam homini incipit, dum per suum timorem magis ac magis exsuscitat eum ad sui ipsius cognitionem. Sed quia in ipsa sui cognitione homo timore corripitur, nondum amore reficitur, recte evangelista prosequitur:

Oculi autem illorum tenebantur, ne eum agnoscerent. Oculi cordis, quibus videndus est Deus invisibilis, *tenentur* per timorem, *ne agnoscere* Deum possit homo per amorem. Quibuscunque tamen per timorem appropinquat, cum illis quodammodo it, quia per profectum virtutum, per profectum bonorum operum ab amaritudine timoris ad dulcedinem provehit amoris. Unde sequitur:

Et ait ad illos: Qui sunt hi sermones quos confertis ad invicem ambulantes, et estis tristes? Ista Dei interrogatio est invisibilis ejus excitatio. Ideo enim interrogat, ut nescientem sua interrogatione scientem faciat, et est, quasi dicat: *Estis* quidem *ambulantes*, proficientes utique et non deficientes, sed in ipso vestri profectu *estis tristes*, utpote desiderata dulcedinis meæ gratia expertes. Sed recognoscite quid sit quod ab hac vos gratia impedierit. Per invisibilem hanc Dei interrogationem, et ut verius dixerim, misericordissimam Dei excitationem expergefactus homo intrinsecus magis ac magis convalescit, et recolligens se intra se in amore Dei validius exardescit. Unde sequitur:

Et respondens unus, cui nomen Cleophas, dixit ei. Unus homo fit, quando collectis ad se intra se sensibus per sancta desideria Deo uniri incipit: qui et recte *Cleophas*, quod interpretatur *investigans*, sive *sagax* dicitur, dum sollicite investigat quid Deo in

se placeat, vel displiceat, dum sagax fit in operando bona, in declinando mala. Post saluberrimam hanc investigationem 257 vel sagacitatem ubi uniri Deo cœperit, ex ipso quo ardet in Deum amore quasi in hæc verba prorumpit dicens :

Tu solus peregrinus es in Jerusalem. Per *Jerusalem*, quæ *visio pacis* interpretatur, anima hominis ad æternæ pacis visionem tendens apte figuratur, et est quasi dicat : *Tu solus*, quem solum desidero, pro cujus amore cuncta sæculi labentis gaudia despicio, *tu solus* gaudium te quærentium, salus invenientium, *tu solus*, inquam, qui omnibus sufficis, et in te nunquam deficis, *tu solus*, ad quem solus suspiro, quem solum requiro, *peregrinus es in Jerusalem*, in anima mea, quam visitare et vivificare dedignaris desiderata dulcedinis tuæ gratia. *Et non cognovisti quæ facta sunt in illa his diebus*, quia, abjectis et despectis laboribus meis, quibus te quærebam, quibus placere me tibi credebam, factus es mihi alienus. Sed misericors et miserator Dominus, quem nihil latet, cui non solum actio, sed et cogitatio hominis patet, iterato hominem interrogat, ut ad desiderium et amorem suum validius eum accendat. Nam sequitur :

Quibus ille dixit : Quæ? Ac si dicat : *Quæ* sunt ea quæ facta in Jerusalem esse asseris, pro quibus tanto mœrore afficeris ? *Et dixerunt de Jesu Nazareno, qui fuit vir propheta potens in opere et sermone coram Deo et omni populo*. Ac si patenter dicat : Interrogas, Domine, consolatio et redemptio animæ meæ, *quæ* sunt illa quibus tantopere turbatur anima mea? Omnis mea turbatio est *de Jesu Nazareno*, de te, qui es *flos munditiæ*, salus et redemptio animæ meæ, qui in me aliquando *vir* fuisti, dum me viriliter agere fecisti: *Propheta potens in opere et sermone*, dum potentem me fecisti et in exercitio bonæ actionis et in dulcedine assiduæ orationis : *coram Deo et omni populo*, dum et coram te in secreto cordis mei gratiam invenire merui, et in exterioribus actibus meis nullam intuentibus me scandali occasionem præbui. Sed ecce abjectus coram te et despectus appareo quia tempore passionis tuæ, in quo traditus es *a summis sacerdotibus et principibus nostris in damnationem mortis*, et crucifixus propter me, nullam desideratæ dulcedinis tuæ gratiam mereor invenire.

258 *Nos autem sperabamus quia ipse esset redempturus Israel*. Sperabam, Domine, quia tu ipse, sine quo nulla mihi est spes lætitiæ, redempturus esses me a duritia et torpore animæ meæ ad videndum te in multitudine misericordiæ tuæ.

Et nunc super hæc omnia *dies tertia est hodie quod hæc facta sunt*. Transactis mihi in amaritudine animæ meæ diebus passionis tuæ, ecce *dies tertia* est *hodie*, dies sacrosanctæ resurrectionis tuæ in quo cœlum et terra lætantur, et mihi, gementi nullumque propter te solatium habenti nec quærenti, desiderata visitationis tuæ gratia subtrahitur.

Sed et mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, et non invento corpore ejus venerunt, dicentes, se etiam visionem angelorum vidisse, qui dicunt eum vivere. Tanto, miserator Domine, in meæ abjectionis, desolationis et duritiæ crucior amaritudine, quanto abundantiori dulcedine tuos, quos diligis, te video invisere. *Mulieres* enim *quædam ex nostris*, emollitæ scilicet et delicatæ animæ quorumdam, quos video inter nos, quæ claritatis tuæ luce perfusæ *ante lucem*, vigiliarum utique tempore, priusquam lux hodierna illuxerit, *ad monumentum*, ad cordis sui secretum, per tuæ miserationis ducatum *fuerunt*, *et non invento corpore*, nondum vivifici corporis et sanguinis tui sacramento recreatæ, tuæ dulcedinis gratia, quæ vere *visioni angelorum* comparatur, quæ te in eis vivere testatur, cœlitus infundi meruerunt. Sed quid miror animas delicatas, quas tu gratia tua emollire et in multitudine misericordiæ tuæ soles nutrire?

Abierunt etiam quidam ex nostris ad monumentum, et ita invenerunt sicut mulieres dixerunt, quia eamdem dulcedinis tuæ gratiam et in secreto cordis sui in oratione, et in verbi tui prædicatione, cum teipsum nondum invenerint, cum corpore et sanguine tuo nondum communicaverint, a te acceperunt. Ego vero, solus abjectus ab oculis tuis et repulsus, nihil, quod delectet, nihil quod lætificet, invenio, dum exspectatæ nimiumque desideratæ visitationis tuæ gratia privatum me video. Taliter quærenti et desolationis suæ miserias corde contrito humiliter ingemiscenti, quid tandem sit quod a desiderata internæ dulcedinis gratia eum impedierit, ipse, qui est fons 259 misericordiæ, occulta sui inspiratione manifestius innotescit. Unde sequitur :

Et ipse dixit ad eos : O stulti et tardi corde ad credendum in his quæ locuti sunt prophetæ. Dicere Dei est facere Dei; ipse enim facit, ipse operatur hoc in homine, quod stultitiam et tarditatem cordis sui perfecte agnoscere et humiliter in semetipso incipit reprehendere. Et est quasi dicat : Non ignoro quid causa mei feceris, quid laboris in bonæ operationis studio sacris his diebus propter me impenderis, sed fateor, *tardior* quam esse debueras in bonis operibus exstitisti ; *stultus* in non custodiendo ea quæ feceras fuisti. *Tardus* fuisti ad faciendum, *stultus* et facilis fuisti ad perdendum. *In omnibus quæ locuti sunt prophetæ*, sacræ videlicet Scripturæ, die ac nocte auribus tuis insonantes, sive doctores tui æternæ vitæ gaudia, æterna damnationis pericula tibi prophetantes.

Nonne hæc oportuit pati Christum et ita intrare in gloriam suam ? Nonne per humilitatis observantiam, et laborum, qui in præsenti vita occurrunt, sufferentiam pertingere hominem oportet ad æternæ beatitudinis excellentiam ?

Et incipiens a Moyse et omnibus prophetis, interpretabatur illis Scripturas de omnibus quæ de ipso erant. Per *Moysen*, qui interpretatur *assumptus de aqua*, non incongrue accipitur compunctionis gratia. *Omnes prophetæ*, omnes Scripturarum sacrarum sunt paginæ. *A Moyse* Dominus *incipit*, quando desideratam cordis compunctionem homini tribuit, *inter-*

pretatur illi *Scripturas*, quando gratia inspirationis A suæ eum illuminat ad intelligendum et sequendum sacræ Scripturæ mysterium. *In omnibus quæ de ipso sunt*, in omnibus quæ ipsi ad æternam vitam vel prodesse vel obesse possunt.

Et appropinquaverunt castello, quo ibant. Castellum quo itur, non incongrue hoc in loco cor hominis intelligitur, cui Deus et homo pariter *appropinquant* quando per suam visitationem Deus illud illuminat, et per veram dilectionem homo se Deo approximat.

Et ipse se finxit longius ire. Verba ista non ita accipienda sunt, ut Deus verus et simplex, qui semper subsistit in se, aliud sit, et aliud se fingat esse, sed qui **260** semper idem ipse est in se, secundum vicissitudines illas nostræ mutabilitatis ac instabilitatis, qui diu in hoc, de quo loquimur, mentis culmine subsistere cum Deo non possumus, recte dicitur, *et ipse se finxit longius ire.* Quantumcunque enim per visitationis suæ gratiam Deus homini appropinquat, tamen videtur sibi quodammodo esse longinquius, quia quanto plus de interna ejus dulcedine degustat, tanto ardentius ad degustandum sitit et anhelat. Unde sequitur :

Et coegerunt illum dicentes : Mane nobiscum, quoniam advesperascit, et inclinata est jam dies. Cogit homo Deum ut secum maneat, dum se inter se coarctat, dum omnis sensus animæ suæ ita colligit in se, quod corde et corpore servituti divinæ insistendo, soli Deo incipit adhærere dicens ore, dicens et mente, *mane nobiscum*, tuum in nobis condens habitaculum ; quoniam si tu recesseris, si tu per aspirantem gratiam tuam nobiscum non manseris, vespere illud tentationis, vespere adversitatis et tribulationis accedit, dies lætitiæ et prosperitatis, dies spiritalis gaudii et exsultationis inclinatur et recedit. Hæc est vis quædam et coactio, cui resistere non valet supernæ dignationis miseratio, quæ eum tenet et compellit, ut recedere ab homine non possit nec velit. Unde sequitur :

Et intravit cum illis. Intrat cum illis, quando sua visitatione collustrat cor hominis. Post hunc omnipotentis Dei introitum sequitur mirabile factum.

Et factum est, inquit evangelista, *dum recumberet cum illis, accepit panem et benedixit ac fregit, et porrigebat illis.* Vere magnum et mirabile *factum*, ubi D omnipotens majestas ad hoc inclinatur, quod quærenti se animæ per suæ visitationis dignationem jungere se non dedignatur. In hac nimirum desiderantissima conjunctione Dei et fidelis animæ impletur, quod sequitur : *Accepit panem, et benedixit ac fregit, et porrigebat illis.* Panis, qui cor hominis confirmat, cœlestem dulcedinem, qua deficiens in Deum anima recreatur et confortatur, significat. Panem desiderabilem homo accipere dicitur, dum deside. . . (*Reliqua desiderantur in codice.*)

261 HOMILIA XXXVIII.

IN FERIAM III PASCHÆ PRIMA.

Stetit Jesus in medio discipulorum, et dixit eis : Pax vobis. Ego sum, nolite timere (*Luc.* XXIV).

Cum *discipuli* a discendo sint dicti, recte omnes illi *discipuli* Jesu appellantur, qui corpus et animam et spiritum suum rigore spiritalis disciplinæ constringentes, sub ejus semper magisterio vivere delectantur. *In* quorum *medio* idem Dominus noster Jesus Christus *stare* diligit quia sua eos misericordia stantes efficit, ut in ipso et per ipsum roborati, nec prosperis nec adversis dejici valeant, sed quidquid occurrat, juxta illud : *Jacta cogitatum tuum in Domino* (*Psal.* LIV, 23 ; *Eccli.* VI, 37), ad ipsum, qui est spes et consolatio eorum, semper animo recurrere studeant. *Stat* etiam *in medio eorum*, solitum suum eis in omnibus necessitatibus suis præbens adjutorium. Unde Stephanus inter lapidantium impetus stantem vidit Dominum, ut per hoc nobis B significaretur quia ad adjuvandum suos promptus semper sit et paratus. Sicque stans pro illis dicit eis :

Pax vobis, nolite timere. Triplicem pacem suis offert Dominus in initio conversionis, pacem scilicet a diabolo, pacem a vitiis, pacem a morte. *Ego sum*, inquit, *nolite timere. Ego sum* Creator vester, *Ego* vester *sum* liberator, eadem pietate, qua vos creavi, qua vos redemi, ad finem usque servare decrevi. Sed cum sine tentatione nullus vivere super terram possit, consequenter evangelista subintulit :

Conturbati vero et conterriti existimabant se spiritum videre. Conturbati timore peccati, *conterriti* ti- C more mortis et gehennæ futurique judicii, *existimabant se spiritum videre*, quia sperant in initio conversionis eam quæ quandoque futura est gratiam hic se posse habere.

Et dixit eis : Quid turbati estis ? Secundum dicere Dei, quod hoc in loco habemus, est magna illa consolatio, **262** qua suis misericorditer subvenit in tribulationibus. *Quid turbati estis*, inquit, *et cogitationes ascendunt in corda vestra ?* Cogitationes bonæ de bono Deo de cœlis descendunt, *cogitationes* autem malæ de terra et terrenis rebus *ad cor* hominis *ascendunt.* Quatuor nempe sunt, per quæ homo turbatur, inepta scilicet lætitia, immoderata tristitia, desideria mala, timor iniquus. Ex his quatuor vitiis multiplices et variæ cogitationes in cor hominis ascendunt, quæ tot et tantas illi tentationes ingerunt, quas nullus hominum, præter Deum et ipsum qui patitur, scire poterit. Qualiter autem ab his tentationibus liberari possit, sequentibus suis verbis Dominus consolando subjungit :

Videte manus meas et pedes meos. Quasi dicat : In omnibus tribulationibus vestris et angustiis ad *manus meas*, id est ad opus divinitatis meæ, qua vos feci et plasmavi, confugite, et ad *pedes meos*, id est ad incarnationem meam, qua vos redemi, fiducialiter respicite, *quia ego ipse sum.* Ego sum qui sum, ego idem ipse Deus incommutabilis, qui semper præsto sum vobis.

Palpate et videte. Quandiu in hujus mundi tenebris estis, *palpate* in activa vita laborantes, *et videte*

per contemplativam vitam. *Quia spiritus carnem et ossa non habet.* Illuc quoque cum perveneritis, ubi me facie ad faciem videbitis, *spiritus carnem non habet*, quia nullam ibi patietur infirmitatem vel fragilitatem: *carnem et ossa non habet* quia non opus erit ibi repugnare tentationibus et vitiis, *sicut me videtis habere*, qui multa pro vobis passus sum in carne.

Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus et pedes. Per *manus* potentiam divinitatis, per *pedes* intelligere **263** possumus misericordiam incarnationis. Sed quia, quandiu homo hic vivit, ad plenum tentationibus carere non poterit, consequenter evangelista subjungit :

Adhuc autem non credentibus et mirantibus præ gaudio dixit : Habetis hic aliquid quod manducetur ? Est fides, qua homines sæculares Deum verbis, non factis confitentur, quæ quasi nulla est, teste apostolo Jacobo, qui dicit : *Fides sine operibus mortua est* (*Jac.* II, 26). Et est fides modica, quam Petrus habuit, quando exsurgente maris procella dubitavit et mergi cœpit. Hanc itaque modicam fidem habent qui, ingruentibus tentationum procellis, ita pusillanimes efficiuntur, ut vix aut nullatenus ab his se liberari posse arbitrentur. Magnam vero fidem habent qui corpore et anima et spiritu ita firmiter Deo adhærent, ut in cunctis rerum eventibus ipsum adjutorem et liberatorem suum esse sciant et considerent. Sed quia, quandiu hoc sæculum volvitur, tentatio tentationi succedit, quæ discipulos Domini perfectiores plerumque et probabiliores efficit, recte dixisse ad eos describitur :

Habetis hic aliquid quod manducetur ? Tertium dicere Dei hoc in loco perfectionem illam significat, ad quam post pericula tentationum Deus misericors misericorditer suos perducit : *Habetis*, inquiens, *hic aliquid quod manducetur ?* Ac si dicat : Si illo, quod est *aliquid*, interna videlicet dulcedine mea, quæ est quasi modicum quid, refecti fueritis, tentationum tandem procellas me auxiliante evadere poteritis. Nihil enim magis valet ad repellendas tentationes, quam ut anima interna suavitate et prædulci verbi ipsius jugiter pascatur assiduitate.

At illi obtulerunt ei partem piscis assi et favum mellis. Ipse quidem dulcis ille *piscis*, qui in undis hujus sæculi captus et in craticula sanctæ crucis pro peccatis nostris igne passionis est assatus, qui et *favus mellis* non incongrue dicitur quia sicut mel dulcedine sua omnia superat, sic et ipse inæstimabili divinitatis suæ suavitate omnia implet et satiat.

Et cum manducasset coram eis. Bene itaque *manducasse coram eis* Dominus **264** describitur quia totum, quod in diebus carnis suæ fecit, scilicet quod natus, quod passus est, quod resurrexit, totum [*cod.* totum, quod] pro humani generis redemptione fecit, cujus vere cibus et deliciæ erat salus hominis, quemadmodum alio in loco ipse testatur : *Meus*, inquiens, *cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei* (*Joan.* IV, 34). Qua dispensatione pro nobis peracta, quanta futuræ vitæ gaudia electis suis præparaverit, mox evangelista subjungit :

Sumens, inquit, *reliquias dedit eis. Sumit reliquias*, quando æternæ vitæ præmia suis quandoque donabit electis, quibus quarta tunc vice dicere habet quando de æterna retributione eos secum in regno suo hilarescere faciet :

Hæc sunt, inquiens, *verba, quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri quæ scripta sunt in lege Moysi et prophetis et psalmis de me.* Quasi dicat : Hæc est gratia visionis meæ quam vobis promisi, hæc est gratia quam morte et sanguine meo vobis acquisivi : *Necesse*, inquam, fuit *impleri omnia quæ scripta sunt de me in lege Moysi et prophetis et psalmis.* Quæcunque enim Scriptura sacra de me *in lege Moysi*, id est in littera, aut *in prophetis*, id est in allegoriis, vel *in psalmis*, id est, mystico et morali sensu edocuit, hæc omnia impleri necessarium fuit. Sequitur :

Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas. Tunc, id est in æterna illa Dei inspectione, tanto divinæ Sapientiæ illustrantur lumine, ut omnia olim abscondita et occulta manifeste intelligant, et, ut ita dicam, legant in libro Sapientiæ, ubi, ut propheta ait, *erunt omnes docibiles Dei* (*Isa.* LIV, 13; *Joan.* VI, 45). Aperiente igitur Spiritu sancto sensum eorum, et perfecte intelligentiæ dona distribuente, recte jam quinto modo dixisse Dominus ad discipulos suos describitur :

Quoniam sic, inquit, *scriptum est, et sic oportebat pati Christum et resurgere a mortuis die tertia, et prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes.* Ultimum dicere hoc in loco perpes et infinita est jubilatio, qua justi perpetuo **265** Deum laudare non cessabunt, de quorum persona David ait : *Misericordias Domini in æternum cantabo* (*Psal.* LXXXVIII, 2). Quasi dicant : *Sic* et sic *scriptum est*, *sic* nobis olim promissum per Scripturas sacras quod ideo Filius Dei pati et resurgere a mortuis voluerit, ut pœnitentiam et remissionem peccatorum daret omnibus ad æternam vitam prædestinatis.

Hæc est lectio evangelica, quam pro modulo nostro, quantum Deus dare dignatus est, exponendo transcurrimus, nunc ad ipsum, qui est lumen verum et incomprehensibile, mentis nostræ intuitum vertamus, suppliciter eum implorantes, ut post evictas mortalitatis hujus tenebras illuc nos perducere dignetur, ubi in æterna illa sui inspectione divinæ Sapientiæ illustrati lumine, ea, quæ nunc abscondita sunt ab oculis nostris, cognoscamus, cognoscentes de æterna sui omniumque sanctorum suorum societate æternaliter gaudeamus. Quod ipse præstare dignetur Dominus noster Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

266 HOMILIA XXXIX.

IN FERIAM IV PASCHÆ PRIMA.

Manifestavit se Jesus discipulis suis ad mare Tiberiadis. Manifestavit autem sic (*Joan.* XXI).

In multis sanctæ et evangelicæ doctrinæ verbis quædam Evangelia Spiritu sancto ordinante sic sunt disposita, ut in eis initium et finis vitæ hominis possint inveniri, primordium videlicet conversionis, finis vitæ et remunerationis. Sic ergo et in præsenti Evangelio primordium conversionis, cujusque spiritalis hominis ad perfectionem tendentis possumus invenire, finem quoque vitæ ipsius, in quo, Deo opitulante, æterna potietur remuneratione. Ait ergo evangelista :

Manifestavit se Jesus discipulis suis ad mare Tiberiadis. In *mari Tiberiadis* amaricatum cor hominis valet intelligi, ad quod cor per pœnitentiam amaricatum tunc profecto Dominus *Jesus se manifestat*, dum occulta visitatione sua homini inspirat, ut in vera humilitate se recognoscat. Sed unde hoc, ut peccator et iniquus peccata et prævaricationem suam valeat agnoscere, nisi ex hoc quod Jesus ei *ad mare Tiberiadis* se dignatus est manifestare? *Tiberias* enim interpretatur *visio bonitatis ejus*. Ex quo etenim bonitate et misericordia sua eum Dominus vidit, ex hoc semetipsum recognoscere cœpit. Et quia duæ manifestationes hic sunt positæ, debemus vigilanter advertere quoniam omnipotens Deus duobus etiam modis salvando homini se dignatur manifestare.

Prima Domini manifestatio fit intrinsecus in homine, quando benigne et misericorditer eum in benedictione sua præveniens bonam voluntatem attribuit. Secundo autem ei se manifestat, cum pietate sua eum adjuvat, ut bonam voluntatem, quam intus invisibiliter susceperat, operum quoque bonorum exsecutione adimpleat. Multi denique ex præveniente dono Dei bonam voluntatem mente concipiunt, sed ad bona opera perficienda non assurgunt. Ideo secunda manifestatio in verbo, quod hic positum est, *manifestavit autem sic*, expressius prænotatur, dum id quod in bona voluntate latebat absconditum, foras coram Deo et hominibus ad bonorum operum perducitur effectum. Igitur si cui duobus his modis se Dominus manifestat, quem et in bona voluntate prævenit et in bonis actibus perficiendis adjuvando **267** prosequitur, hunc ad altiorem profectum provehit; de quo mox subjungitur :

Erant, inquit, *simul Simon Petrus, et Thomas, qui dicitur Didymus, et Nathanael, qui erat a Cana Galilææ, et filii Zebedæi, et alii ex discuplis ejus duo.* In his septem discipulis septiformem Spiritus sancti gratiam accipere possumus, quia septiformi gratia electum hominem, ad æternam vitam prædestinatum, ad perfectam vitam obtinendam illustrat et inflammat, ut post hæc per operum bonorum profectum ad æternam beatitudinem eum perducat. Sane quem hac septiformi gratia Spiritus
A sancti visitaverit, hic profecto hoc quod sequitur adimplebit :

Dixit ei Simon Petrus : Vado piscari. Per pisces vivos, qui in aquis mersi non videntur, ut mihi videtur, vivos hominis sensus accipere possumus, qui, quasi pisces aquis immersi, latent in corde absconditi. Sed hos vivos sensus suos homo quasi ex aquis extrahit, dum ab amore et delectatione præsentis sæculi, cui inhæserant, in quo vivebant, eos avertere et retrahere contendit. Bene denique homo piscatur, cum e mundo sensus suos trahit, et a voluptate et amore hujus vitæ, quibus fuerant immersi, ad dilectionem Dei et spiritalis vitæ conversionem eos convertit. Quid enim aliud est dicere, *vado piscari*, quam dicere : volo, Deo opitulante, sæ-
B culum relinquere et spiritalis vitæ conversationem adire ?

Dicunt ei discipuli : Venimus et nos tecum. In discipulis istis sensus spiritales interioris hominis possunt accipi, qui interius a Deo attacti et præmoniti ad spiritalem conversionem, ad vitæ perfectionem eum conantur subsequi. Sequitur :

Exierunt, et ascenderunt in navem, et illa nocte nihil prendiderunt. Iste beatus exitus, de quo modo audivimus, tunc plane in homine perficitur, cum de sæculo et sæculari conversatione egreditur, dum hoc quod prius a Deo inspiratus mente conceperat, bonis postmodum et sanctis operibus manifestat. Sed de sæculo egrediens **268** *in navem ascendit*,
C cum ad bonam et spiritalem conversationem pervenerit. Et bene *in navem* dicitur *ascendere*; nam ascensus difficilis et laboriosus est, quia nimirum cum labore et difficultate, magno cordis corporisque labore ad bonam spiritalem conversationem tenditur. Quales autem adversitates et tentationes in hac spiritali vita eum experiri et pati necesse sit, satis congrue subinfertur, cum dicitur :

Et illa nocte nihil prendiderunt. Nox, in qua prendere homo nihil potest, ut mihi videtur, ignorantia et adversitas potest exprimi, quæ ei in sancto proposito plerumque occurrit, quam aut ex diabolo aut a pravis et perversis hominibus, vel a carne propria, Deo permittente, patitur. Hac nocte, hac ignorantia occurrente, ita mens conversi hominis non-
D nunquam perturbatur, ut pene in desperationem labatur. Modo revolvit animo nullatenus se posse in spiritali perdurare proposito, nec labores et afflictiones, quas passurus est, posse sustinere.

His adversitatibus ingruentibus, his ignorantiæ procellis super eum irruentibus, cogitat interim spiritale propositum deserere, et rursus ad sæculum redire. Sed iterum, Deo prosperante, recogitat quomodo soli Deo adhæreat, et in sancta conversatione permaneat. In hac ærumna et tribulatione deprehensus, nil potest prendere de bonis sensibus, de sanctis et justis operibus, qui ad hoc solum de sæculo egressus fuerat, ut sancte et pie vivendo bonis et salutaribus sensibus abundans, vitam æternam apprehenderet, sed tentationum procellis præpedi-

tus non potest hoc consequi ad quod solum requirendum et obtinendum mentis intuitum tetenderat. Sed Deus omnipotens, qui est adjutor in opportunitatibus in tribulatione, suosque non deserit, nec derelinquit, postmodum misero, in angustiis et necessitatibus constituto, suæ pietatis auxilio subvenit. Unde et sequitur :

Mane autem facto stetit Jesus in littore. Non tamen cognoverunt quia Jesus est. Mane fit in corde hominis, quando post tentationes et adversitates, 269 Deo prosperante, ad cognitionem sui aliquantulum homo revertitur, et intus gratia Dei illustratus, recognoscere incipit quoniam digna pro meritis suis patiatur, nec tamen digna pro factis suis receperit, quamvis multis tribulationibus alteratur, secumque rixari et luctari incipit, dicens ad semetipsum : O miser et miserabilis homo, quidnam tibi est? quid, rogo, accidit, quod tam obstinato animo repugnare Deo niteris, non perpendens animo quoniam multo minora, nimis leviora sunt quæ pateris, quam tu perversa et iniqua vita tua apud Deum promerueris? Cur animam tuam in impatientia tua perdis, qui multo minores tribulationes et afflictiones quam meruisti recipis? Hoc luctamine erectus contra se, isto certamine jam mane facto in se, videt *Jesum stantem in littore maris. Littus* solidatum cor hominis potest designare, quod prius inter tentationes et adversa fuerat instabile, mane isto facto, cognitione videlicet sui paululum in mente ejus exorta, timore suo eum Dominus consolidat. In hoc littore, in hac soliditate, tunc nimirum Dominus Jesus stat, cum spiritalis homo in Domino et in potentia virtutis ejus confortatur et consolidatur, et sic stabilem salutem suam suscipit, ut nunquam ulterius a Deo recedere velit. Sequitur :

Non tamen cognoverunt quia Jesus est. Quamvis enim ad cognitionem sui aliquantulum pervenerit, non tamen adhuc ad plenam salutem, ad perfectam cognitionem Dei pertingere poterit. Sed unde hoc est quod ad cognitionem Dei nondum proficit, nisi quod pulmentarium illud, de quo subditur, nondum habere promeruit? Unde et mox subjungitur :

Dicit eis Jesus : Pueri, nunquid pulmentarium habetis? Dicere Dei facere ipsius est. Ergo Dominus Jesus unumquemque hominem tali, ut prædictum est, statu degentem vocat *puerum*, quatenus stultum se recognoscat et infirmum, stultum in malis operibus, infirmum vero in bonis actibus, infirmum quoque ad dignam satisfactionem Deo pro peccatis suis offerendam. Interrogat quoque eum si *pulmentarium* habeat, non quod aliqua ignorantia cadat in Deum, qui omnia novit, sed idcirco hominem 270 interrogat, ut defectum suum scire eum faciat, quem ante ignorabat. In *pulmentario* autem, de quo interrogatur, dulcedo Dei, vel interna cordis suavitas non immerito valet intelligi, qua dulcedine homo intus refectus et illuminatus fortiter pro Dei amore et pro cœlestis patriæ dulcedine laborare incipit, corporisque sui labores pro nihilo ducit, qui ante hanc dulcedinem a Deo prægustatam vix aut nullatenus aliquos corporis labores perpeti vel sustinere poterat pro Domino. Sequitur :

Responderunt ei : Non. Interrogatio Dei, ut superius diximus, ideo fit ad hominem, ut cognoscat quantum ei desit ex hoc quod habere debuit; responsio vero hominis ad Deum est, cum hoc humiliter recognoscit et conqueritur quod id non habet quod ex gratia Dei habere debuit. Hac interrogatione et hac responsione peracta, Dominus Jesus salubre consilium dat, quomodo invenienda et requirenda sit gratia quæ non habetur. Unde sequitur :

Dicit eis Jesus : Mittite in dexteram navigii rete, et invenietis. In *reti* cor hominis non injuste valet intelligi, in *navigio* autem sancta ad quam pervenit conversatio potest accipi. *Mittit* itaque *in dexteram navigii rete*, qui in spiritali vita positus, omnia sibi adversantia, aspera et contraria patienter propter Deum tolerat, nec adversis frangitur et dejicitur; sed et si prospera successerint, non ex his extollitur, sed Deo humiliter attribuens totum, et adversa et prospera, ad acquisitionem æternæ vitæ sibi cooperari facit. Prius, denique in sinistram navigii rete suum miserat, dum in nocte tentationum positus, nil boni prendere potuerat, cum in adversis impatiens factus, a statu sui rectitudine dissipabatur, cum in prosperis successibus vane et inutiliter extollebatur. Sed postquam *in dexteram navigii* eo modo, ut prædictum est, *rete* suum *miserit*, fit continuo ut, secundum Domini promissum, hoc quod illi deest inveniat. Quod enim plerumque homo obtinere et invenire non potest piis et fortibus corporis sui laboribus, hoc nonnunquam consequitur a Domino dulcedine cordis sui intrinsecus suaviter attactus. Sequitur :

271 *Miserunt ergo, et jam non valebant trahere præ multitudine piscium. Mittit* quilibet electus ex consilio Domini *in dexteram navigii rete*, hoc est cor suum, cum, quantum in ipso est, patienter cuncta pro Deo tolerare decreverit, et jam, Deo annuente, *non valebit* cor suum *trahere a multitudine piscium*. In *piscibus*, qui inter undas vivunt, superius jam diximus, vivos hominis sensus posse exprimi. Ista verba nimis sublimia et difficilia, verba solummodo sunt perfectorum, Deum perfecte diligentium, qui cum in hac sancta conversatione, tali, ut diximus, ordine in vita sua processerint, tandem, Deo miserante et adjuvante, ad hoc perveniunt, ut a multitudine viventium sensuum et cogitationum nequaquam valeant, qui nolunt, retrahere cor suum. Et ut hoc plenius et perspicacius videamus, ponamus hoc quod diximus sub exemplo, ut verba ista manifestius nobis declarentur.

Manifestum denique nobis omnibus est quoniam infirmus et fragilis homo, qui præsens sæculum plus quam Deum diligit, cum a sæculari vita ad spiritale propositum transierit, quamvis multa de Deo ex sacra Scriptura audiat vel legat, multa de Deo bona

et sancta sentiat, sic tamen mens ejus sæcularibus adhuc cogitationibus implicatur et occupatur, ut cor suum de sæcularium cogitationum tumultibus nullatenus possit abstrahere, quia, ut ipse Dominus in Evangelio ait, ***ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum*** (*Matth.* VI, 21). Si igitur fragilis homo non potest cor suum a sæcularibus cogitationibus avellere, quanto magis bonus et perfectus homo, qui Deo omnipotenti, dilecto suo, fideliter innititur, qui medullam cordis sui dilectioni infixit Conditoris, non valet, quia non vult, retrahere cor suum a bonis sensibus, a sacra Scriptura et a cœlestibus meditationibus? Nunquam denique in sæculari habitu constitutus ita ardenter et suaviter sæcularibus inhæsit cogitationibus, qualiter tunc divinis et cœlestibus inhæret meditationibus. Sequitur :

Dicit ergo discipulus ille quem diligebat Jesus Petro : Dominus est. Discipulus, quem diligebat Jesus, Joannes erat, et, ut sacra Scriptura commemorat, **272** Joannes interpretatur *gratia Dei*. Hæc est gratia, ad quam prius requirendam ex verbis Domini incitabatur, et exsuscitabatur, dum ei a Domino diceretur : ***Pueri, nunquid pulmentarium habetis?*** Ista gratia, cum venerit in cor hominis, evidenter in corde illius ostendit et dicit quoniam ***Dominus est*** quia hoc esse suum. quod ipse Deus est, jam etiam in corde ipsius est. De hoc esse patriarcha Jacob longe ante prophetaverat, cum dicebat : ***Vere Dominus est in loco isto, et ego nesciebam*** (*Gen.* XXVIII, 11). Sequitur :

Simon Petrus, cum audisset quia Dominus est, tunica succinxit se (erat enim nudus) et misit se in mare; alii autem discipuli navigio venerunt. Audito hoc quod esse suo Dominus in eo est bonus et perfectus homo, qui nimirum *Simon* effectus est Deo obediendo in bonis et sanctis operibus, *Petrus* vero factus est Deum agnoscendo in bonis et justis sensibus, hic tandem beati Petri exemplo *succingat se tunica*. In *tunica* possunt intelligi voluptates carnis carnisque desideria, quæ tunc *succingere* debet quia profecto infirmam carnem, quæ laxe fluebat, in qua delicate adhuc vivebat, fortiter ad labores succingere eum oportet, stringens se cum Dei adjutorio ad bona et perfecta opera. Sed cur iste beatus sic tunica se succingere debeat, sequentibus verbis aperitur, cum dicitur :

Erat enim nudus. Quia tunc primum veraciter agnoscit quam miser, quam *nudus* ab omni divina gratia et a bonis actibus in priori vita sua fuerit. Hæc est tunica, qua se electa Dei sponsa in Canticis canticorum exutam asserit, ita sponso suo proloquens : ***Exspoliavi me tunica mea, quomodo induar illa?*** (*Cant.* V, 3.) Sequitur :

Et misit se in mare. Postquam perfectus et beatus homo tam districte et fortiter carnem suam succinxerit, deinde *in mare se mittit*, in profundam et amaram cordis pœnitentiam, in qua pœnitentia non solum prava opera sua defleat, verum quoque cogitationes, voluntates et desideria sua intimo cordis

A fletu abluat, digneque Deo pro eisdem satisfaciat. **273** Istud enim pulmentarium, de quo supra memoravimus, quod requisitus a Domino utrum haberet, jampridem se non habere conquerebatur. Sequitur :

Alii autem discipuli navigio venerunt. Itaque cum in mare se merserit, cum in suavem amaritudinem cor suum dederit, cum pulmentarium illud supernæ suavitatis adeptus fuerit, continuo fit ut et *alii discipuli* ejus ad eum *navigio veniant*. Per *alios discipulos* exteriores sensus et exteriora opera ejus, quæ corporalibus et exterioribus exercitiis acquisivit, non incongrue accipere possumus, quæ tunc quasi *navigio veniunt*, cum in sancta conversatione, quam per navigium posse intelligi diximus, pro-

B spere ei accedunt et succedunt. Denique qui antea incompositus fuerat in omnibus actibus suis, qui lingua sua jocularia verba libenter et licenter loquebatur, qui aures suas ad inutilem et perniciosum auditum frequenter deflectebat, oculos quoque et cætera membra sua huic mundo conformabat, post acceptam gratiam divinæ dulcedinis tam composite tam decenter et reverenter universa membra ejus, oculi, aures, gressus, habitus et actus illius secundum timorem Domini se formant, ut acceptus fiat tam Deo quam hominibus.

Non enim longe erant a terra, sed quasi cubitis ducentis, trahentes rete piscium. Cum enim, ut prædiximus, homo linguam suam, oculos, auditum, et

C manus cæteraque membra ad conformitatem sæculi converterat, *non erat longe a terra*, hoc est a terrena vita. Non solum autem a terrena vita non longe erat, sed ipse quodammodo terrenus, et terra fuit. Postquam autem ad Deum conversus huic mundo conformis esse desierit, *a terra* ista, id est a terrena vita sequestratur, et approximans Deo ad quamdam perfectionis metam pervenit, de qua hic dicitur, ***sed quasi cubitis ducentis trahentes rete piscium***. In *cubitis ducentis* duplex perfectio potest exprimi, una perfectio in bona voluntate, altera in bona operatione. Et quia quandiu in hac mortalitatis miseria vivimus, nequaquam ad hanc duplicem et plenam perfectionem pervenire possumus : Ideo hic positum **274** est, *quasi cubitis ducentis*, ut ostende-

D ret nobis in hac instabili et incerta vita ad quamdam similitudinem perfectionis nos posse assurgere, ipsam autem perfectionem nullum prorsus in hac vita posse apprehendere. Ista namque duplex perfectio ad æternam vitam nobis est reservata, ubi non ad *quasi*, sed sine *quasi* ad hunc plenum et perfectum numerum *ducentorum*, in quo vitæ perfectio consistit, perveniemus. Sed quia modo sumus imperfecti, ob hoc *rete piscium*, quod significat cor nostrum vel sensus cordis nostri, semper sumus *trahentes*, non autem habentes, quia semper cum labore et difficultate ad virtutes hic ascendimus, usquequo illuc perveniamus, ubi sine labore Deum, quem modo quærimus, inveniamus. Unde et sequitur :

Ut ergo descenderunt in terram, viderunt prunas positas, et piscem superpositum et panem. Descensus iste in terram fit in morte hominis, quando carne soluta anima corpus exanime in terram deponitur, et spiritus ad Deum factorem suum revertitur. Igitur quando electi Domini illo pervenerunt, ibi omnia, quæ in præsenti vita desideraverant, pleniter invenient, illic repatriantes videbunt *prunas positas et piscem superpositum et panem.* In *prunis* ardorem inexstinguibilis charitatis, quod est Spiritus sanctus intelligere possumus, in *pisce* prunis *superposito* Unigenitum Dei, Deum et hominem, in *pane* vero Deum Patrem accipere possumus. Itaque cum ad hanc visionem beatam Dei Patris et Filii et Spiritus sancti fideles pervenerint, ibi plane dicet eis Jesus :

Afferte de piscibus, quos prendidistis nunc. His verbis hoc nobis omnipotens Deus videtur innuere, quoniam electos suos non solum ex gratia sua remunerat, verum etiam ex meritis suis donum remunerationis consequuntur, quod revera meritum in tempore præsenti, quod per verbum *nunc* videtur significari, pro Deo laborando consecuti sunt. Sed videamus quid sint pisces quos afferri jubet Dominus. In *piscibus* istis bonæ voluntates, sancta desideria et justa opera possunt exprimi, quæ electi Domini inter procellas **275** hujus vitæ constituti Domino prendiderunt. Ac si omnipotens Deus electis suis, qui eum in præsenti positi in vita sua clarificaverunt, jam ad æternitatem pervenientibus dicat : Gratia quidem mea vos præveniens ad bene faciendum vos exsuscitavit, gratia quoque mea vos subsequens ad bona opera perficienda roboravit, et hac gratia salvati ad me Salvatorem et Redemptorem vestrum, quem semper desiderastis, modo tandem pervenistis, et quia inter prævenientem vos gratiam meam et subsequentem, quantulacunque sunt merita vestra, quamvis parva, quæ propriis laboribus acquisistis, *afferte* dico *de piscibus quos nunc prendidistis*, afferte bonas voluntates et desideria, afferte et bona sancta opera vestra, quæ causa amoris mei in volubilitate et in instabilitate præsentis vitæ exercuistis, ut non solum ex gratia mea, sed etiam ex meritis vestris coronemini. Sequitur :

Ascendit Simon Petrus et traxit rete in terram plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus. Igitur post vocem Domini præcipientis et remunerare volentis, Simon Petrus, bonus et perfectus homo, qui, Deo obediens factus ipsum agnovit, *ascendit et trahit rete in terram.* Revera *trahit* cor suum *in terram* viventium, ut illic totis sensibus et desideriis suis sit, et cum illo pervenerit, nunquam ulterius a Deo retrahet cor suum, quia ad cogitanda et meditanda exteriora amplius non revertitur. Sed unde hoc homo promeruerit, ut ad tantam excellentiam et gloriam pervenire dignus sit, ex numeri hujus perfectione apte possumus colligere. Ait enim evangelista : *Rete plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus.* In *centum* ergo vitæ perfectio, quæ in præsenti vita per bona opera acquiritur, potest accipi, in *quinquaginta* autem vera et perfecta pœnitentia, quam, Spiritu sancto operante, salutaris peccatorum remissio comitatur, potest exprimi; in *tribus* vero cognitio sanctæ et individuæ Trinitatis valet intelligi. Fit itaque cor cujusque perfecti et beati in æternitate positi *plenum magnis piscibus*, cum a Deo impletur magnis et sublimibus operibus; impletur *centum* per vitæ perfectionem, **276** impletur *quinquaginta* per Spiritus sancti operationem; impletur *tribus*, quando pertinget ad plenam et æternam Dei visionem, vel ad perfectam sanctæ Trinitatis cognitionem. De hac beatitudine quam ibi sunt adepturi, adhuc subditur :

Et cum tanti essent, non est scissum rete. Sensus verborum istorum aliter intelligendus est quam verba videantur sonare. Quod enim hic dicitur, *et cum tanti essent, non est scissum rete,* ita accipere possumus, quasi diceret : Et quia tanta sunt merita electorum, quia centum sunt in vitæ perfectione, et quinquaginta Spiritus sancti unctione, et tres perveniendo ad plenariam Dei visionem, et sanctæ Trinitatis cognitionem, ideo non scinditur amplius rete eorum. In æternitate namque positi, cor firmum et stabile semper habebunt in Domino, quoniam visione Dei pro voto et desiderio suo perfruentes nec minima ulterius a Deo scindentur cogitatione. Ibi, ut mox hic subinfertur, dicit eis Jesus :

Venite, prandete. Ac si dicat : *Venite*, ut mecum prandeatis; nam hoc est jucundum et delectabile prandium, ut me in divinitate mea oculo ad oculum videatis, ut in claritate et satietate visionis meæ mecum manendo æternaliter gaudeatis.

Et nemo audebat discumbentium interrogare eum : Tu quis es? scientes quia Dominus est. Hic in præsenti vita constituti omnes de Deo *interrogamus*, quia, proh dolor ! eum, quem non videmus, ignoramus; sed in æterna vita *nemo interrogare audebit*, quia nemo interrogare indigebit, ibi quippe omnes erunt docibiles Dei, ibi a minimo usque ad maximum omnes cognoscent *quia Dominus est.*

Et venit Jesus, et accepit panem, et dat eis, et piscem similiter. Dat Dominus *Jesus* electis suis in æternitate consistentibus *panem*, dum interius eis præbet contemplandam suæ divinitatis essentiam et potentiam, qua contemplatione et visione homo interior glorificatur, satiatur, beatificatur. *Beati* enim *mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* v, 8). Dat *similiter et piscem*, cum gloriam assumptæ humanitatis **277** qua redempti sumus, corporalibus oculis speculandam præstat exterius, qua visione exterior homo gaudeat et beatificetur, ut uterque homo et interior et exterior, simul habeat in divinitate et humanitate ejus unde glorificetur, gratuletur et beatificetur. Sequitur :

Hoc jam tertio manifestatus est Jesus discipulis suis cum resurrexisset a mortuis. Sicut in primordio hujus evangelicæ lectionis præmisimus, duæ sunt manifestationes, quibus salvando homini se Domi-

nus dignatur manifestare. Sed jam in fine hujus A Evangelii *tertia manifestatio*, quæ post finem hujus mortalitatis in quolibet electo debet adimpleri, subjungitur, cum dicitur : *Hoc jam tertio manifestatus est Jesus discipulis suis.* Primo se Dominus homini manifestat in exordio suæ conversionis, secundo ei se manifestat in perfectione bonæ conversationis, *tertio* ei se *manifestat* in præmio æternæ remunerationis. Sed hæc tertia manifestatio, quæ futura erit in statu sempiternæ retributionis, prius non fit in homine, quam *resurgat a mortuis*, antequam peccatis mortuus peccata funditus deserat et abjiciat ; sed cum peccata dereliquerit, et a peccatis et vitiis exsurrexerit, tunc perfecte et pleniter tertia manifestatio in ea in æterna remuneratione adimplebitur. Ad hanc tertiam manifestationem, quæ post B emensos labores hujus vitæ futura erit in resurrectione, perducat nos qui pro nobis mori et resurgere dignatus est, Jesus Christus Dominus noster qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

278 HOMILIA XL.

IN FERIAM V POST PASCHA PRIMA.

Maria stabat ad monumentum plorans. Dum ergo fleret, inclinavit se et prospexit in monumentum, et vidit duos angelos in albis sedentes, unum ad caput, et unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Jesu (*Joan.* XX).

Maria, quæ peccatrix mulier erat, conversum C quemlibet peccatorem non incongrue significat, qui dum de peccatis et vitiis, in quibus male prius jacebat, per pœnitentiam et conversionem erigere se per Dei gratiam cœperit, convenienter de eo dici potest : *Maria stabat.*

Et notandum quod non dicitur *stetit* sed *stabat*. *Stabat* enim dictum est, quasi stare incipiebat. Sed quomodo vel ubi stare incipiebat? *Ad monumentum foris plorans.* Per *monumentum*, quod quasi *monens mentem* dicitur, cor hominis non incongrue accipitur. Ad hoc utique monumentum stare quodammodo homo incipit, quando, per prævenientem Dei gratiam admonitus, recognoscit quam perdite vixerit, quam contrarius divinæ voluntati in cunctis suis actibus exstiterit. Quod autem additur, *foris plorans*, per hoc mystice nobis innuitur, quia quod- D dam plorare est quod exterius tantummodo fit per corpus, et est plorare aliud isto longe sublimius quod fit in corde et ex corde interius. Stat homo in primordio conversionis suæ ad monumentum quasi *foris plorans*, quando, peccatorum suorum admonitus atque multiformem lapsus sui reatum considerans, plorat quidem corpore, quod est quasi *foris plorare*, sed quid sit divini timoris tactus et amoris, qui intima cordis ad intimas et ardentes lacrymas invisibiliter resolvit, scire necdum potuit nec commeruit. Sed plorare, istud licet *foris* fiat, tamen ex Deo est, **279** et ad Deum ducit, quia ad nobilius et suavius illud plorare, quod ex tactu timoris et amoris Dei fit, tandem hominem a Deo electum perducit. Unde sequitur :

Dum ergo fleret, inclinavit se et prospexit in monumentum, et vidit duos angelos in albis sedentes, unum ad caput et unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Jesu. Ista inclinatio est vera cordis humiliatio. Bene enim homo *se inclinat*, quando pro peccatis suis, quæ superbo corde et corpore contra Deum commisit, humiliare se coram Deo incipit. Inclinatus per humilitatem tandem *prospicit in monumentum*, quia hæc humilitatis inclinatio monet eum paulatim intrinsecus et illuminat, ut plus et plus peccata sua recognoscere valeat.

Nec prætereundum quod dicitur, *prospexit. Prospexit* dictum est, quasi *porro aspexit.* Non de prope sed quasi de longe in monumentum cordis sui prospicit, qui mala sua tantummodo cognoscit, excessus vero malarum voluntatum, malorum desideriorum, quæ non de longe, sed quasi de prope sunt, necdum cognoscere, necdum pensare didicit. Ex recordatione tamen et consideratione excessuum exteriorum proficit paulatim et provehitur ad cognitionem interiorum. Hic enim mystice nobis, ut credo, innuitur, cum ab evangelista protinus infertur :

Et vidit duos angelos in albis sedentes, unum ad caput, et unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Jesu. Per *duos angelos* duas cogitationes accipere possumus, unam Dei, alteram sui. Unus enim ille angelus, qui *ad caput* sedisse comprobatur, cognitionem Dei, qui utique caput nostrum est, non incongrue significat. Angelus vero, qui *ad pedes* sedisse describitur, cognitionem ipsius hominis satis apte demonstrat. Et licet angelus ille, qui *ad caput* sedens cognitionem Dei exprimit, prior utpote dignior in serie Evangelicæ veritatis positus sit; necesse tamen est ut angelus ille præcedat, qui, *ad pedes* sedens, cognitionem ipsius hominis figurat, quia nisi prius seipsum homo recognoverit, ad Dei cognitionem **280** minime pervenire poterit. Hæc autem hominis cognitio quotuplex esse debeat, duplicitas duorum pedum mystice insinuat. In capite homo simplex est, in pedibus duplex ; sic et cognitio Dei significata per caput simplex quodammodo est et dicitur, quia per eam nonnisi unus simplex et individuus Deus agnoscitur. Sed econtra sicut duplex est in pedibus , sic etiam duplex esse debet cognitio sui ipsius. Pes namque dexter significare potest neglecta bona ; pes sinister, admissa mala. Igitur cum sollicite secum tractare et rememorari incipit quantum boni neglexerit, quantum mali commiserit, hoc est vidisse quodammodo angelum ad pedes.

Duobus his angelis monumento cordis sui jugiter assidentibus et insidentibus videt, sicut sequitur, *ubi positum fuerat corpus Jesu.* Corpus, quod a corruptione dictum est, etiam corruptionem non injuste significare potest. Sed quomodo dicimus nos, aut dicere audemus *corpus Jesu* dictum a cor-

ruptione, aut corruptionem significare, quod totum integrum, totum sanctum, mundum et impollutum, imo ab omni corruptione prorsus fuerat extraneum. Dicimus, salva Catholica fide et Catholica veritate, non de illo specialiter mundo corpore Christi quod pro nobis assumpsit, sed de illo ejus corpore quod homo salvandus tunc profecto fit, quando perfecte recognoscere incipit ubi salutem suam, quæ nomine Jesu accipi potest, peccatis suis corruperit et deposuerit. Aliter enim in corpus Christi transire non poterit nisi *corpus Jesu*, hoc est, corruptionem salutis suæ vere humiliter et perfecte cognoverit. Ad hanc autem corruptæ salutis recognitionem prædicti duo angeli mystice suscitare beatam animam et provocare sua allocutione videntur, sicut aperte de eis continuo subinfertur.

Dicunt ei illi : Mulier quid ploras? Hæc angelorum interrogatio est quasi salubris quædam exsuscitatio. *Mulier* enim dicta est a mollitie. Et est, quasi dicant : *Mulier*, recognosce te mulierem ; recognosce quam molliter juxta voluptates et desideria carnis tuæ vixeris; recognosce quam injuste contra Deum Creatorem tuum **281** usquemodo egeris. *Ploras* utique sed juste, sed digne, semper enim plorabis, semper dolebis. Duo hæc *ploras*, et merito ploras : unum utique, quod *mulier es* et muliebriter vixisti ; alterum, quod Dominum et Creatorem tuum nunquam, prout dignum esset, cognovisti, nec cognoscendo amasti. Cognitio autem Dei convenienter per hoc verbum *quid* intelligi potest. Indicibilis enim est. Comprehendi ex parte, et sentiri interius potest, nominari vel explicari verbis non potest. Sic, sic dum externa Dei et sui cognitione quasi angelica allocutione illuminata ex parte intrinsecus et edocta fuerit, pœnitenti et humili corde in hæc quodammodo verba prorumpit :

Quia tulerunt Dominum meum, et nescio ubi posuerunt eum. Quasi dicat : Sum quidem, quod dicor, *mulier*, mulierem me recognosco, et quia muliebriter vixi, et sine omnium virilium, id est bonorum operum, constantia dies meos transegi , mollia, prava et iniqua opera mea *tulerunt Dominum meum;* elongaverunt a me Salvatorem meum, *et nescio ubi posuerunt eum.* Ablatum quidem et elongatum a me sentio, sed *nescio ubi posuerunt eum*, quia nec per debitum timorem, nec per debitum amorem recognosco eum. Ubi positus sit nescio, quia ubi vel quomodo quærere eum debeam, ex me et in me non invenio. Sequitur :

Hæc cum dixisset, conversa retrorsum vidit Dominum stantem, et nesciebat quia Jesus est. Retro convertitur homo salvandus, quando, reductis post tergum oculis, retroacta crimina perfectius videre et cognoscere incipit, sicque corpore, non corde, retro conversus *videt Jesum stantem.* Stat Jesus, quando statum aliquomodo in corde ejusdem hominis habere incipit, atque per suum stare stabiliorem atque constantiorem ad quærendam propriam salutem suam facit. Sed licet cognitionem Dei et suiipsius jam ex parte acceperit, tamen quia perfecte Deum diligere necdum meruit, recte evangelista subjungit, *et nesciebat quia Jesus est.* Scire Dei est diligere Dei, nescire Dei est non diligere Dei. Sic etiam **282** scire hominis est diligere hominis. *Nesciebat*, inquit, *quia Jesus est*, significans quia necdum perfecte, sicut diximus, Deum diligere potest. Sed licet nondum valeat, tamen quia diligere Deum desiderat, summus et Omnipotens ad dilectionem suam instituit eum intrinsecus et informat, dicens :

Mulier, quid ploras? Quem quæris? Quasi dicat : *Mulier* fuisti, mulierem te recognovisti, recognovisti te mollem in operibus, recognosce etiam nunc mollem te fuisse in desideriis tuis et voluntatibus. Non sufficit tibi opera peccati tantummodo recognoscere, et pœnitere, nisi addideris etiam injusta desideria, iniquas cogitationes tuas, atque voluntates recognoscere atque deflere. *Quem quæris?* Me utique, cui nomen est : *Quis*. Inæstimabilis enim sum et indicibilis. In exterioribus et visibilibus rebus quæris, in quibus et per quæ, cum invisibilis sim, invenire me non valebis. Quære ergo me invisibilem in invisibilibus, hoc est in mundo corde, mundis desideriis, mundis cogitationibus. Talibus itaque verbis cum inenarrabili atque indicibili inspirationis suæ lingua Dominus cor hominis intrinsecus appellat, docet et illuminat, magis ac magis eum ad amorem suum suscitat, accendit et sublevat. Unde sequitur :

Illa autem existimans quia hortulanus esset, dicit ei. Verbum istud *existimans*, non ita intelligendum est quasi verbum sit errantis aut dubitantis. Est enim verbum affirmantis, est verbum animæ Deum medullitus desiderantis. *Existimans* enim quasi secum intrinsecus retractans dicitur. Existimat itaque beata anima in semetipsa quod ille summus et omnipotens Deus, cujus jam vocem intrinsecus audire meruit, solus verus et præpotens *hortulanus* sit, qui cor hominis, quod per hortum, qui reliquo agro fecundior est, congrue intelligi potest, gratia pietatis suæ infundendo et irrigando excolere novit, qui manu divinæ potentiæ suæ noxia et inutilia evellere, bona et utilia plantare et inserere sciat et possit. Hæc sane *existimans* fit etiam, eumdem hortulanum magis optans et desiderans, ut pietatis suæ gratia hortum cordis sui visitare, **283** inhabitare et excolere dignetur, quatenus per eum, qui tantæ scientiæ, tantæ potentiæ est, mala vitiorum germina evellantur et arescant, nobiliaque virtutum germina inserantur et accrescant. Sic, sic dum sapientiæ et potentiæ ejus excellentiam existimare et considerare incipit, dicit ei quemadmodum mox evangelista subjungit :

Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum et ego eum tollam. Verba hæc verba profunda sunt. Neque hoc mirum; verba enim sunt aquilæ volantis, verba utique Joannis, qui etiam, dum in hac adhuc vita corporaliter manebat, sensu suo usque ad ipsa divinitatis secreta pertingebat. *Domine*, inquit, *si tu sustulisti eum, dicito mihi.* Quæ

aut qualis, rogo, est hæc beatæ animæ ad Deum interrogatio? Non ignoramus utique, quia dum quis scire aliquid a proximo suo desiderat, quærit quidem et interrogat, ut quod scire per se non potest, scire ex dictis ejus et responsionibus valeat. Sic et bona anima sublatum quidem sibi Dominum intelligit, sed quare, aut a quo sibi sublatus sit, quia ex se, per se scire et cognoscere non potest, quasi humillimis his verbis Deo Patri proclamat dicens : *Domine, si tu sustulisti eum.* Quærit utique, an pro augenda vel cumulanda in eam misericordia sua ipse Filium suum ei abstulerit, an pro solis peccatis suis ipso justo judicio suo permittente eum amiserit et perdiderit. Nam pius et misericors Dominus ipsis etiam electis suis non pro peccato, sed pro merito illorum plerumque subtrahit se; subtrahit dulcedinis suæ gratiam ad augendam in eis et magis stabiliendam dilectionis suæ constantiam. Elongat se etiam aliquando minus perfectis non pro augendo merito, sed pro puniendo peccato.

Hæc sunt enim, quæ beata anima quærit et interrogat a Domino cum dicit : *Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi.* Ac si dicat : Dic, obsecro, Domine, illo ineffabili pietatis tuæ more, dic ibi, ubi tu dicere soles, et eo modo, sicut tu dicere soles. Dic mihi, Domine, in humili et contrito corde; ibi enim tu dicis, ubi tu hominem, **284** quem salvare curas, mirabiliter instituis et informas. Dic mihi, Domine, *si tu* Salvatorem meum Filium tuum, unicam spem meam, unicum refugium meum et gaudium mihi *sustulisti*. Dic etiam quare eum sustulisti, dic tu, qui omnia scis, qui omnia nosti, ut me nescientem dicere tuo facias scientem, ut sublatum mihi eum sciam, sicut scire debeo, et sublatum doleam, sicut dolere debeo. Nam si tu in humili et contrito corde dixeris mihi, ibi utique est locus ille, ubi tu ab initio eum posuisti; non enim in corde superbo et impœnitente, sed in corde vere humili et pœnitente esse eum et manere ab initio voluisti et disposuisti. Igitur si tu ibi mihi dixeris, *ego eum tollam, eum* utique quem peccatis meis deposui, *tollam* imo sustollam in interioribus sensibus meis per debitum timorem et amorem, *tollam* eum etiam in exterioribus sensibus meis per bonam operationem, ut si cui peccatis meis, desideriis et negligentiis meis scandalo fui vel destructioni, per bonam perfectæ vitæ conversationem exemplo fiam et ædificationi.

Sed et aliter intelligere possumus, quod dicit, *si tu sustulisti eum. Sustulisti* dictum est, quasi *sursum tulisti.* Et est quasi dicat : Domine sancte, juste et misericors, agnosco quidem quia Filium tuum Dominum et Salvatorem meum de illo quod sursum est in me, de spiritu utique et corde meo, ubi solus ille, utpote ad cujus imaginem et similitudinem creasti me, et manere suum habere deberet, *tu* quidem *tulisti*, et hoc justo judicio tuo ; ita enim apud æquitatem tuam commerui. Sed *dicito, mihi Domine* (dicere enim tuum facere tuum est). *Dicito* mihi, obsecro, *ubi posuisti eum.* Dic in me, hoc est fac in me,

A operare in me solitum opus misericordiæ tuæ, ut ex tua gratia scire possim, *ubi posuisti eum.* Fac utique ut cognoscam, ad quantam dignitatis excellentiam impressa mihi ejusdem Filii tui imagine ad primum a te condita sum, et quantam nunc miseriam peccatis meis exigentibus devoluta sum.

Totum quidem quod de te audio, totum utique transit me, quia intrinsecus non tangit me. Sed si tu mihi **285** dixeris, si tu, reformata in me et renovata imagine tua in illud meum sursum unde sublatus est, Filium tuum reponi feceris, *ego eum tollam. Tollam* mihi *eum*, quia tunc sicut Dominum, sicut Creatorem et Salvatorem meum cognoscere, scire, sapere et diligere eum incipiam. His sane precibus, tantis de contriti cordis clamoribus ad aures
B misericordiæ Dei beata anima sedulo vociferante, quid tandem misericors Dominus faciat, mystice innuitur, cum protinus ab evangelista subinfertur :

Dicit ei Jesus : Maria. Conversa illa dicit ei : Rabboni (quod dicitur Magister). Dicere Jesu est, sicut sæpe dicere solemus, facere Jesu, quia secundum ineffabile opus misericordiæ suæ, quod in beata anima operatur interius, imponit ei etiam nomen exterius. *Maria*, inquit. *Mariam* eam nominat, quod in nostra lingua *maris stella*, vel *illuminatrix* sonat. Fit namque vocatione ejus et operatione, *maris*, id est amaricati per pœnitentiam cordis sui *stella* lucens, quando perfectæ pœnitentiæ collustrata lumine peccatorum suorum tenebras recte discernendo
C incipit penetrare. Fit nihilominus quasi sui ipsius *illuminatrix*, quando sanctis desideriis, et quotidianis virtutum profectibus cooperante gratia Dei quotidie semetipsam innovat et illuminat. Unde recte de tali anima adhuc subjungitur : *Conversa illa dicit ei : Rabboni (quod dicitur Magister).* Secunda hæc beatæ animæ conversio a conversatione illa longe distat, quam in præcedentibus evangelista commemorat. Ibi enim *conversa* est *retrorsum* ad transactum in peccatis tempus suum rememorandum ; hic multo dignius, multo suavius convertit se, quia totam totis affectibus suis ad diligendum Deum colligit se dicens ei : *Rabboni (quod dicitur Magister). Magister* nomen utique est timoris. Et non est abs re nec sine ratione, quod duo hæc verba
D unum et idem sonantia et significantia simul posita invenimus. Dum enim evangelista mysteriorum Dei non ignarus ex persona mulieris dicit : *Rabboni*, statimque ex suo addit : *quod dicitur Magister*, duos nobis, ut æstimo, timores exprimit, unum, qui dicitur timor servilis, qui et initialis; **286** alterum, qui dicitur timor filialis. Servilis quidem et initialis timor est, quando timet Deum propter futuram quam meruit pœnam peccatorum; filialis autem timor est, quando filiali affectu erga Deum succensus timet offendere eum, et solo hoc timore, ne eum quem agnoscit Patrem offendat, peccata, quantum possibile est, declinat, et omnimodo, quantum in se est, virtuosis actibus insudat. Hunc misericors Dominus altius adhuc instituit et informat, ut ad id

quod desiderat, ad quod suspirat, amoris utique sui dilectionem pertingere eum faciat. Unde sequitur :

Noli me tangere : Nondum enim ascendi ad Patrem meum. Tactus, ut beatus Augustinus ait, finem facit motionis. Homo namque, cum eo, ut jam dictum est, ordine in Deo processerit, bene motus, imo valde promotus est ; quem tamen summe bonus, summe perfectus eruditor animæ, fidelis Deus altius adhuc promovere cupiens, his verbis invisibiliter alloquitur dicens, *noli me tangere.* *Noli*, inquam, ibi ponere finem motionis mentis tuæ, ut me, qui invisibilis sum, visibilibus exteriorum operum laboribus tantummodo inveniendum, exterioribusque et corporalibus oculis in hac me vita credas esse videndum. Restat ergo tibi ut amplius adhuc promovearis, restat utique, ut ad invisibilia te extendas, et a tuis visibilibus ad invisibilia mea consurgas. Spiritus utique sum, et videri nisi in spiritu non possum. Ergo et tu nisi invisibilibus, hoc est, in spiritu tuo et in interioribus sensibus tuis per munditiam et puritatem cordis te custodieris, et sic ex tuis invisibilibus ad mea invisibilia transieris, *nondum* in te *ascendi ad Patrem meum*, quia ad illam charitatis meæ dulcedinem, quæ nomine *Patris*, quod est nomen amoris, intelligitur, admittere te, sicut desideras, non valeo, quia non debeo.

Vade autem ad fratres meos et dic eis : *Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum*, *Deum meum et Deum vestrum.* Quid, rogo, per *fratres* istos, ad quos tunc beatam animam transmittit, intelligere possumus nisi spiritales ejusdem animæ sensus? *Fratres* **287** quidem sunt et dicuntur, qui ex uno patre et una matre generantur, qui etiam libenter simul habitant, fraterno sibi amore invicem consentiunt et concordant. Sic etiam mundi et spiritales sensus hominis, quos Deus Pater nobilissimo aspirationis et inspirationis suæ semine fecundante Spiritu sancto in corde hominis generat, dum in eo et cum eo, quem ineffabiliter et interminabiliter ex se genuit, Jesu Christo Domino nostro unius voluntatis consensu, quantum in mortali corpore fieri potest, concordare et manere incipiunt, fratres ejus digne nominari possunt. Ad hoc enim Dominus animam se diligentem, se cupientem, monet et hortatur dicens : *Vade autem ad fratres meos, et dic eis.* Et est quasi dicat : *Vade* ad te intra te per custodiam et munditiam cordis, sensus tuos intrinsecus collige, *et dic eis*, hoc est tales eos fac, ut *fratres* mei dici et esse valeant, ut voluntati meæ sicut fratres fratri concordent, consentiant et obediant. Fac utique eos spiritales, ut ego, qui spiritus sum, habitare valeam et manere in eis sicut cum fratribus meis.

Hoc denique si tu eis dixeris, hoc est, si tales eos feceris, tunc utique *ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum.* Pater, sicut prædiximus, nomen est amoris, per quod perfecta Dei dilectio congrue intelligi potest. Ergo quod dicit Dominus, *ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum*, ita intelligendum est, quasi dicat : *Ascendo ad Patrem*, non in mea, sed in tua persona, *ascendo* utique in te, quia ad diu desideratam dilectionis meæ dulcedinem per me et in me ascendere faciam te.

Sed quomodo dico *Patrem meum et Patrem vestrum?* Charitas utique mea, quam tibi et fratribus meis, sensibus **288** utique tuis, cum spiritales facti fuerint, infundere disposui, mea quidem est, quia nemo eam, nisi per me habere potest. Mea profecto est ex potentia, vestra etiam erit ex dono meo et gratia. Et si in præsenti vita in te et in sensibus tuis ita ascendero, post hujus vitæ terminum *ascendo* etiam in vobis *et ad Deum meum; et ad Deum vestrum.* Perducam utique vos ad plenam et perfectam cognitionem, ad jucundam et sempiternam Patris mei visionem, quæ quidem mea est; nemo enim eam, nisi me adjuvante, me præstante, adipisci potest. *Deus* quidem *meus* est ex natura, quia unus cum illo Deus sum, sed et *Deus vester* erit per me, qui dare cum ipso omnia possum. Nam si in hac vita jugiter ad eum per dilectionem in vobis ascendero, eadem Patris mei charitas, quam ego vobis do, quam in præsenti vobis infundo, vestra et omnium erit in futuro, ubi in æternam remunerationem ita beatificabimini, quod a contuenda sempiternæ Trinitatis gloria nullo adversitatis nubilo amplius retardabimini.

Hæc sunt verba lectionis evangelicæ, quam, quia pro modulo nostro, quantum Deus gratia sua nobis largiri dignatus est, exposuimus, ipsi gratias agamus, humiliter implorantes misericordiam suam, quaterus ad Patrem suum et Patrem nostrum sic in nobis ascendat, sic ad charitatem sui et Patris per gratiam Spiritus sancti hic in præsenti vita nos accendat, ut post hujus vitæ terminum illuc perveniamus, ubi cum ipso et in ipso de æterna Patris visione æternaliter gaudeamus. Quod ipse præstare dignetur Dominus noster Jesus Christus, qui cum eodem Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

289 HOMILIA XLI.

IN FESTUM S. GEORGII MARTYRIS PRIMA.

Ego sum vitis vera, et Pater meus agricola est (*Joan.* XV).

Præclara et sublimia verba hujus evangelicæ lectionis pars quædam est illius egregii sermonis, quem ultima in cœna fecit Dominus ad discipulos, ad passionem sua sponte se offerens. Qui sermo tanta dignitate et eminentia universam doctrinam ejus excedit et præcellit, ut tres evangelistæ, quamvis sancti essent et electi, Spirituque sancto repleti, tamen hunc sermonem quasi supra intellectum suum intuentes nullam sermonis hujus fecere mentionem. Sed ille electus et dilectus discipulus Joannes evangelista, qui in cœna supra pectus illius recubuit, et recumbendo profundam sapientiam de pectore Jesu epotavit, solus hanc gratiam promeruit, ut sermonem istum in memoria posset retinere et fideli testimonio conscribere. Et quid mirum, si Dominus Jesus corporali præsentia relin-

quens discipulos excellentiora et diviniora verba dixit, cum hujus rei similitudinem et inter mortales fieri videamus? Quando amicus fidelis amicum suum deserit, quem nunquam ulterius visurum se credit, tunc quidem ad comprobandam dilectionem, quam erga eum habuit, multa verba ex intimo cordis profert affectu, quæ nunquam antea dixerat. Quanto magis decebat ut unigenitus Filius Dei, qui est virtus Dei, et sapientia profundiora et sapientiora verba proferret, de hoc mundo transiens ad Patrem, suos familiares amicos deserens? Igitur in sermone tam egregio, tam præcipuo, **290** etiam hæc evangelica verba continentur, quæ nunc habemus in manibus, in quibus divinitatem et humanitatem suam commendavit dicens :

Ego sum vitis vera, et Pater meus agricola est. Vitis in terra plantatur, in terra radicem mittit, de terra oritur et procedit. Et satis congrue per vitem, quæ de terra oritur et crescit, sancta humanitas Filii Dei potest designari, quæ sicut vitis de terra, ita de nobili illa terra, de beata et intemerata Virgine processit, et in hunc mundum venit. Et notandum quod cum adjectione posuit, *vitis vera*. Nam et alteram vitem Dominus in paradiso plantaverat, quando primum hominem Adam formaverat, qui revera non fuit *vitis vera*, sed vitis falsa, vitis aliena. Hanc primam vitem, hunc primum hominem ad hoc Deus Pater condiderat, ut Creatori suo fideliter deserviens gloriam et honorem æternæ beatitudinis hæreditaret, et gaudio et jucunditate cœlestis patriæ jugiter frueretur, si debitæ subjectionis et obedientiæ obsequium Creatori suo vellet persolvere. Serpens, antiquus hostis humani generis, honori et claritati ejus invidens, ad fallaciam eum provocavit, dum per inobedientiam contra Creatorem suum se erigere suasit. Fallax igitur fuit Adam, qui talia agere præsumpsit, quæ facere non debuit, cum Creatori suo resistens, cui respondere debuit obedientiam, ipsi respondit inobedientiam.

291 Sic corruptus per falsitatem diaboli, hujus falsitatis crimen ad omnem posteritatem suam transmisit, factumque est crimen falsitatis ejus omni humano generi hæreditarium. Nam nullus hominum, excepto mediatore Dei et hominum, homine Jesu Christo, hujus falsitatis expers esse potuit, vel poterit, nisi per lavacrum regenerationis ablutus et innovatus ab hac falsitate per Christum liberatus fuerit. Hac falsitate omnem humanam naturam corruptam propheta David dolendo ingemiscens dicebat : *Omnis homo mendax* (*Psal.* CXV, 11). Nullus denique homo ab initio mundi Deo in veritate respondit, quin hac falsitate inveniretur corruptus, etiam ipsa Domina nostra perpetua virgo Maria (57), quamvis sancta, quamvis immaculata et intacta, hujus fallaciæ nævo carere non potuit ; quia ipsa velut cæteri homines in hac falsitate, hoc est, in originali culpa concepta et nata est. Solus autem unigenitus Filius ejus, mediator Dei et hominum, A homo Christus Jesus ab hac falsitate liber inventus est. Est ideo satis juste, satis digne de se loquitur dicens : *Ego sum vitis vera, et Pater meus agricola est.* Ac si dixisset : *Ego*, qui sum Deus et homo, et in duabus substantiis permaneo, *sum* quidem in humanitate mea *vitis vera* ; quia de ingenita mihi nobilitate nunquam peccando degeneravi, nunquam in hanc falsitatem, in qua universum genus humanum detinetur, deveni. Et propterea quia *ego* tam *vera vitis sum, Pater meus* in hac vite *agricola est. Agricola* plane est Pater meus quia divinitas Patris mei, atque ipsa divinitas mea plantavit vitem meam. Divinitas enim Patris mei mea divinitas est, cum quo ego unus Deus sum. Ipsa profecto divinitas excolit vitem meam, hanc humanam, quam assumpsi naturam. B Hoc enim decuit divinitati meæ, ut hanc vitem excoleret diligenter et custodiret. Ergo quia ipse Pater, ipsa divinitas cultor hujus vitis fuit, merito ista *vitis vera* fuit, quæ ad falsitatem nunquam devoluta est. Sequitur :

292 *Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum, et eum qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat.* Palmes de vite crescit et germinat, et eapropter omnis homo per *palmites* potest figurari, qui vere viti Christo Domino per lavacrum regenerationis inseritur et complantatur, et de hac vite innovatus crescit in vitam æternam. Nam antequam in baptismo per Christum renascamur, omnes sumus natura filii iræ, et quasi a Deo alienati in numero gentium deputamur, donec lavacro salutari C regenerati Christum induamus. Sicut enim palmes de vite crescit, ita homo secundum Christianitatem in Christo crescit, Christoque accrescit. Quando enim baptismo immergitur, Christo consepelitur ; cum de fonte elevatur, Christi resurrectioni conformatur. Et hoc est in Christo crescere Christoque accrescere. Quisquis ergo veræ viti Domino Jesu complantatus, et in baptismate Christo consepultus, et in ipso resuscitatus, et tamen in ipso fructum salutarem non profert, *cum* profecto Pater cœlestis *tollet* in futuro de consortio justorum.

Qualis autem fructus sit, qui in Domino ferendus est, de quo hic dicitur, videamus. Vitis non profert poma nec pira, non frumentum nec alia his similia, sed uvas germinat, et botrum profert ex se. Per botrum D fervor charitatis potest exprimi, sicut et in alio Evangelio habemus, dicente Domino : *Nunquid colligunt de spinis uvas, et de tribulis ficus?* (*Matth.* VII, 16.) Quisquis ergo in Christo renatus hunc fructum, hunc fervorem charitatis non habuerit, sed tepido et aventi corde in hac spiritali vita incesserit, videamus quid de illo sentiat Joannes evangelista, qui cum septem angelis, hoc est septem Ecclesiis, per angelos figuratis, verba vitæ proponeret, vitæque mandata conscriberet, uni angelo inter cæteros ex ore Domini scripsit dicens : *Utinam frigidus esses aut calidus!* **293** *Sed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo* (*Apoc.* V, 15). Frigidus

(57) Vid. Dissert. nostram tomo hujus operis primo præfixam.

est homo, quando totus huic mundo innititur, totus peccati voragine immergitur; tepidus vero est, quando nec Deum habet nec sæculum; nec Deo in vera dilectione unitur et conjungitur, nec sæculo hoc aliqua delectatione licite utitur. Qui ita tepide in hoc spiritali proposito conversatur, quantum Deo displiceat, quanta animadversione eum in futuro puniat, sequentibus verbis declaratur: *incipiam te*, inquit, *evomere ex ore meo.* Si totus frigidus esset homo, si totus ex integro in peccatis jaceret, facilius posset, Deo annuente, converti, quam qui in spiritali proposito degens aridum tepidumque cor gerit erga Deum. Hunc miserum, sic tepido corde incedentem aliquando quidem in præsenti dimittit Dominus in congregatione fidelium perdurare, hoc est, in corpore suo usque ad finem vitæ suæ permanere, sed in morte sua eum evomere incipit, et in universali judicio hoc ipsum evomere perficit, ibique secundum hæc evangelica verba *tollet eum*, quando a societate et exsultatione bonorum eum auferens cum corpore et anima in æternam damnationem mittet. Qualis autem gloria illorum sit futura, qui hunc fructum, hunc fervorem charitatis, de quo prædiximus, cum Dei adjutorio ferre noverunt, sequentibus verbis manifestatur:

Et eum, inquit, *qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat.* Eum revera, qui fervorem charitatis intimæ erga Deum habet et erga proximum suum, hunc Pater cœlestis verus agricola *purgabit*, qui etsi minus perfectionis habeat in aliis actibus suis, etiamsi fragilitate carnis præpeditus non valeat fortibus corporis sui laboribus eumdem charitatis fervorem exterius ostendere pro voluntate sua in operibus, ipse tamen Pater cœlestis, qui eumdem in eo fervorem conspicit, in præsenti sæculo *eum*, qui ejusmodi est, **294** *purgat* per pœnitentiam. Quod si peccata ejus in præsenti vita per pœnitentiam ad integrum purgata non fuerint, ab hac vita recedentem purgatorio igne *purgabit eum* Dominus per justitiam, purgatis autem peccatis per justitiam, in futura vita purgatum per misericordiam æternaliter remunerabit per misericordiam et justitiam. Sic, sic purgatus ille a Deo, *qui* veræ viti complantatus *fert fructum*, id est qui fervorem charitatis intimæ profert in Domino Jesu.

Sed ideo ab ipso hoc modo purgatur, *ut fructum plus afferat.* Amplior iste fructus, de quo in præsenti loco loquitur Dominus, in hac vita adipisci non potest a fidelibus, quia nunquam ad plenum et perfectum charitatis fervorem, quandiu sunt in hac misera et mutabili vita, pertingere valent; in futura autem vita ad istum ampliorem et majorem fructum pervenire merentur, ubi illud apostoli Pauli testimonium adimplebitur, qui de se suisque similibus dicit: *Nos autem omnes, revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tanquam a Domini Spiritu* (*II Cor.* III, 18). Hic omnes obumbrata et velata facie sumus, quandiu Deum, quem videre desideramus, videre non possumus, quem tamen videre salus videntis est. Hoc autem velamen et hæc obumbratio idcirco nunc in nobis est, quia *corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, et deprimit terrena habitatio sensum multa cogitantem* (*Sap.* IX, 15). Ablato ergo hoc velamine, deposito isto corruptibili corpore, cum ad ipsum fontem vitæ, Regem gloriæ pervenerimus, ibi revelata facie Domini gloriam erimus speculantes, ibi in eamdem imaginem tanquam a Domini Spiritu transformabimur.

Sed videamus quænam sit ista imago, ad cujus similitudinem nos oportet transformari. Unigenitus Dei, qui **295** est in sinu Patris, est invisibilis imago Dei Patris, qui nunc in imagine sua in seipso immortalis est et impassibilis, justus, bonus et sanctus, et non solum justus, bonus et sanctus, sed et ipsa sanctitas, ipsa bonitas et justitia. In eamdem itaque imaginem nos quandoque transformabimur, cum, resumpto corpore in resurrectione, immortales, impassibiles, justi, boni et sancti ab ipso facti fuerimus. *Transformabimur quoque a claritate in claritatem*; *a claritate*, hoc est a fervore transitoriæ et temporalis charitatis, *in claritatem*, id est ad ardorem et visionem sempiternæ charitatis. Sequitur:

Jam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis. Doctor egregius et sapientissimus erat Dominus Jesus, et quemadmodum ipse volebat, qui Verbum Patris erat, sic sermo ejus currebat. Quibusdam enim auditus sermo nihil profuit, imo magis obfuit, quia qui exterius loquebatur, ipse eos interius ad audienda verba salutis salubri gratia non emollivit, quemadmodum ipse ad Judæos ait: *Sermo meus non capit in vobis.* Sed cum ad electos et dilectos discipulos suos reverteretur, dulciter eos alloquens; cum loqueretur exterius, dulcius eos alloquebatur interius, et suavi divinitatis suæ attractu corda eorum mundabat, ut merito eis dicere posset: *Jam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis.* Sed quod tunc fecit Dominus per seipsum, hoc et adhuc agere dignatur in doctoribus suis, qui sunt membra illius. Quicunque enim doctor propter solum Deum loquitur, et in doctrina sua gloriam suam non requirit, sed illius gloriam, a quo est quod loquitur (*sine me enim*, ait Dominus, *nihil potestis facere* [*Joan.* XV, 5]), et ideo propter Deum loquens in Deo salutem quærit subditorum; illius sermo ex dono Spiritus sancti procedens mundat frequenter corda auditorum. Nam cum ex sermone Domini fuerint admoniti, aliquid ex verbis doctoris et magistri sui audiunt, unde peccatorum et negligentiarum suarum rememorentur, **296** statimque dolore quodam pœnitentiæ tanguntur interius, qui dolor cordis sæpius eos mundat inter verba doctoris.

De hoc pœnitentiæ dolore propheta David dicebat: *Dixi, Confitebor adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei* (*Psal.* XXXI, 5). Ac si dixisset: Inter verba prædicationis de peccatis et negligentiis meis admonitus et dolore cor-

dis tactus intrinsecus salubre consilium cum anima mea inii, ut confiteri vellem Domino peccata mea. Non dixit, confessus sum peccata mea, sed dixit, conveni cum anima mea, ut confiteri vellem peccata mea. *Et tu remisisti impietatem peccati mei.* Impietas peccati est illicitus peccati cogitatus (58), quæ peccati impietas dolore cordis intimo, quem inter verba prædicationis percipit homo, absque confessione poterit emundari a Domino. Si autem illicito peccati cogitatui illicitus accesserit peccati consensus, non potest purgari, nisi per confessionem. Si vero illicito peccati cogitatui, et illicito peccati consensui accesserit illicitus peccati actus, non solo dolore cordis et confessione oris, sed labore et satisfactione corporis erit purgandum. Sequitur :

Manete in me, et ego in vobis. Duobus modis nos manemus in Deo; duobus etiam modis manet ipse Dominus in nobis. In duabus quippe naturis consistit, Deus et homo est, Verbum et caro est : *Verbum enim caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I, 14). Secundum divinam naturam Verbum est, secundum humanam naturam caro est. Igitur secundum utramque naturam, divinam et humanam, nos manemus in eo, et ipse secundum utramque naturam manet in nobis. In Deo secundum humanam naturam ejus manemus, si in unitate fidei Catholicæ, et in unitate sanctæ Ecclesiæ, quæ est caro ejus, unanimiter permaneamus, et ipsam fidem Catholicæ Ecclesiæ schismate aliquo non scindamus. Manemus quoque eo modo in eo, si in unanimitate sanctæ congregationis, in qua sumus, sine murmure et detractione vivimus, et eamdem congregationem **297** malis moribus nostris non perturbamus. Secundum divinam ejus naturam, in qua Verbum est in eo manemus, si verbo ejus jugiter delectamur, et verbum ejus intrinsecus meditando, dulcedine verbi ejus frequenter occupamur. Si his duobus modis, in quantum fas est mortalibus, manemus in Deo, sicut repromisit nobis, et ipse manet in nobis. Manet in nobis exterius secundum humanam naturam, in qua caro propter nos factus est, custodiendo nos exterius ab iniqua operatione; manet in nobis interius secundum divinam naturam custodiendo nos intrinsecus a mala voluntate. Ac si Dominus dicat nobis : *Manete in me*, ut in fide Catholicæ Ecclesiæ persistatis, et in congregatione, ad quam vos per pietatem meam perduxi, murmure et detractione et malis moribus vestris scissuras non faciatis : et si hoc feceritis, ego custodiam vos exterius ab iniqua operatione, protegam intus a mala voluntate. Sequitur :

Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis. *Palmes*, qui de vite procedit, succum non habet in semetipso, sed succum viriditatis vitis transfundit in palmites, ut de succo illius palmites viridescant et effloreant. *Vitis*, ut supra memoravimus, Christus est, *palmites* vero nos sumus, qui ipsi viti Domino Jesu in baptismate complantati

A sumus, a quo nos, sicut palmites a vite, succum sumimus, succum vivificationis, ut simus et vivamus, succum vivificationis, ut bene simus, et bene vivamus. In ea quidem parte, in qua Creator noster est, quando a matre generamur, corpusque et animam accipimus, tunc succum vivificationis a divinitate ejus sumimus, ut simus et vivamus; in ea autem parte, in qua Redemptor noster est, ab humanitate ejus succum vivificationis sumimus, ut bene simus et bene vivamus. Nam male essemus, si redempti non essemus. Sed quia redempti sumus, bene sumus, ut beate vivamus. Nam ut bene simus, in redemptione acquisivit nobis, in morte occumbens pro nobis, et effuso sanguine lateris sui, fecit ut bene et beate vivamus. Sequitur :

B *Ego sum vitis, vos palmites.* In præsenti loco, ubi secundo se vitem nominat **298** Dominus Jesus, simplicem suæ divinitatis essentiam nobis videtur innuere, ubi sine additamento se vitem esse asserit. Nam in priori versu, ubi cum adjectione posuit, *ego sum vitis vera*, ibi sanctam humanitatem suam divinitati unitam voluit designare, in qua humana natura nil per se et ex se, sed omnia a Deo Patre et divinitate sua habuit. In divina autem natura, in qua simplex Deus est, simpliciter et sine omni additamento *vitis* positum est, quia per se et in se bonus, justus, sanctus, imo ipsa bonitas, ipsa justitia, ipsa sanctitas est. Quod vero adjunxit, *et vos palmites*, hoc dixit ad discipulos suos, hoc dicit et ad nos, monens, ut et nos ipsi viti Domino Jesu Christo in-
C seramur, et ei in eo crescamus et ab eo succum vivificationis percipiamus.

Qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere. In his tribus versibus, qui sequuntur, ut æstimo, opus sanctæ Trinitatis possumus invenire, quæ invisibiliter et incomprehensibiliter operatur in electis et reprobis, bonos plerumque non solum in æterna vita, sed etiam in præsenti remunerando, malos vero hic reprobando et in futuro æternaliter damnando. In primo igitur versu consolatio et remuneratio justorum, qua in præsenti vita eos Dominus consolatur, potest exprimi; in secundo autem versu reprobatio malorum, quæ fit in præsenti, et damnatio eorum,
D quæ erit in futuro, potest accipi; in tertio quoque remuneratio justorum, quæ in æterna erit vita, valet intelligi. *Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere.* Ac si dicat : *Qui in me* secundum divinam et humanam naturam *manet*, qui verbum meum intus in corde ruminat et meditatur, et in unitate fidei Catholicæ et in unanimitate sanctæ congregationis, in qua versatur, sine murmure et dissensione vivit, nec inconsuetis et inconditis moribus hanc unanimitatem scindit, *in eo et ego manebo* custodiendo eum in corpore ab iniqua operatione, custodiendo eum in anima a mala voluntate.

Si quis in Deo ita manserit ipsi perseveranter

(58) Venialiter scilicet peccaminosus.

adhærendo, et Deus in eo **299** manet ipsum custodiendo, *hic* juxta verbum Domini *multum fructum profert*. In priori fructu, de quo præscriptum est, diximus posse intelligi fervorem charitatis, ubi solummodo *fructus* est positus; hic autem cum adjectione *fructum multum* invenimus. In isto multo fructu multiplices virtutes possumus accipere, quia qui in Deo ita, ut prædictum est, manserit, et Deus in eo mansionem suam fecerit, hic nequaquam in uno statu perfectionis subsistet, sed juxta vocem Psalmistæ *ibit de virtute in virtutem* (*Psal.* XXXVIII, 8) semper proficiendo, semper meliora et perfectiora appetendo. De hoc fructu qualis sit, Paulus apostolus nobis edisserat. Ipse enim ait : *Fructus Spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas* (*Gal.* V, 22). Sequitur :

Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, et arescet et colligent eum, et in ignem mittent et ardet. Si quis in Deo eo modo quo prædictum est non manserit, hic *foras*, Domino præcipiente, *mittetur. Mittetur* peccator *foras*, cum in futuro examine a societate et familiaritate sua eum Dominus abjecerit. *Mittetur foras*, cum a consortio electorum suorum eum separaverit, qui, quamvis corpore cum electis in præsenti Ecclesia videatur permanere, in futuro tamen judicio ab eis separabitur, dicente Domino : *Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* XXV, 41). Et bene dicit *sicut palmes*. Nam quamvis in veritate non steterit, quamdam tamen hic similitudinem electorum habuit, sed veræ viti, corpori Christi nunquam in veritate insertus est, et ob hoc ibi *mittetur foras et arescet. Arescet* ibi ab adipe Spiritus sancti, de quo David dicebat : *Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea* (*Psal.* LXII, 6). Illo adipe Spiritus sancti in æternum carebit, et a pinguedine spiritalis gaudii semper extraneus erit. *Et colligent eum*, inquit, *et in ignem mittent, et ardet.* Malignos hic spiritus intelligere possumus, sive bonos angelos, quibus in futuro judicio dicet Dominus : *Colligite fasciculos ad comburendum* (*Matth.* XIII, 30). Hoc judicio facto, in æternum **300** ignem mittentur, *et* ibi *ardent*.

Et notandum quod præsens *hic* tempus posuit, *et ardent*. Ignis enim et supplicium, quod passuri sunt reprobi, semper eis est in præsenti. Nunc quidem futurum est eis, sed tunc semper in præsentiarum habebunt. Nam sine intervallo absque momento in igne *ardent*. Et quia in verbis istis duplex est sensus, verba ista, quæ in æterno supplicio perfici diximus in damnandis, in præsenti quoque vita frequenter adimplentur in reprobis. Ait ergo Dominus Jesus : *Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, et arescet ; et colligent eum, et in ignem mittent , et ardet.* Dum manere in Deo, ut prædictum est, nolumus, ejus justo judicio fit, ut, corde nostro derelicto, *foras* etiam inviti et nolentes sæpe sæpiusque mittamur. Emissio ista qualis sit, nos miseri

A bene cognoscimus, frequenter experimur, quando cor nostrum et Deum, qui deberet cordis nostri esse habitator, derelinquimus, et ad sæcularia et exteriora cogitanda eximus, et ea plerumque mente tractamus et revolvimus, quæ nec vidimus aliquando, nec experti sumus. Ex illa tam inutili evagatione ita intra nos arescimus, ut nulla cordis pinguedine, nulla mentis dulcedine cor valeamus sursum ad Deum erigere. Quando videmus alios homines, qui in Christo manentes Deum in corde et ore portant, magna cum Deo dulcedine perfrui, ipsi in ariditate nostra persistimus nullaque dilectione Deo conjungimur. Unde, proh dolor! in nobis adimplebitur quod continuo hic sequitur : *et colligent eum, et in ignem mittent, et ardet.* Quando peccatis
B nostris exigentibus sic intra nos arescimus, statim adsunt maligni spiritus, diligenter investigantes et colligentes, si secundum emissionem, qua cor nostrum extra nos misimus, in aliquo nos inutiliter vivere conspiciant; notant verba, signa, habitum nostrum et opera, si secundum pravas cogitationes, ex quibus intus aruimus, nos habitum nostrum deprehendant deflectere exterius. Ita arescentes, sic extra nos vagantes, a malignis spiritibus, frequenter *in ignem mittimur*, in ignem plane invidiæ, iræ, libidinis cæterorumque vitiorum, in quem ignem missi sine dubio *ardemus*. **301** De hoc igne dictum est per Psalmistam : *Supercecidit ignis, et non viderunt solem* (*Psal.* LVII, 9). Igitur quando ignis
C iræ, invidiæ, superbiæ et aliorum vitiorum cadit in superius nostrum, ita hoc igne offuscamur, et obnubilamur, ut verum solem Dominum Jesum Christum videre nequaquam vacamus, et idcirco satis juste, satis digne, in hoc igne vitiorum ardemus. Sequitur :

Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint, quodcunque volueritis, petetis, et fiet vobis. In verbis istis, ut præmissum est, remuneratio justorum, quæ futura erit in æternitate, valet intelligi. Ac si dicat Dominus : *Si manseritis in me*, id est in carne et corpore meo, quod est Ecclesia, fidei morumque concordia, et congregationis sanctæ, in qua conversamini, unitatem murmure, detractione non dividatis, *verba* quoque *mea*, *verba*
D mandatorum meorum in homine interiori sollicite observetis, *quodcunque volueritis, petetis*, *et fiet vobis.* Quid sit pro quo rogare debeamus Deum, ipse Dominus per se dignatus est instruere. Non enim pro caducis et temporalibus supra modum nos patitur orare, sed pro æternis et cœlestibus assiduis nos Deum vult interpellare precibus. Sed quoniam corpus **302** nostrum servire debet spiritui, et non potest carere solatio et usu rerum temporalium, ideo succincte et modice pro his orandum est, ut temporalibus non destituamur auxiliis, quatenus rerum temporalium præsidio suffulti, debitum Creatori nostro possimus persolvere obsequium. Pro æternis autem et cœlestibus obtinendis vim quamdam Deo debemus inferre, et ut voluntas

ejus bona et perfecta in nobis perficiatur, obnixius deprecari, sicut et in Oratione Dominica dicimus: *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo et in terra* (*Matth.* VI, 10). Voluntas Domini est, ut consortes et cohæredes regni ejus efficiamur, et ejus jucunda visione in æterna vita perfruamur. Quod si oramus fideliter, sine dubio in æterna vita fiet nobis. Ipse ergo Pater luminum, a quo omne datum optimum, et omne donum perfectum descendit, qui docet hominem scientiam, doceat nos quomodo in ipso permanere debeamus, ut post ærumnas, et labores hujus exsilii quandoque in patria adimpleat in bonis desiderium nostrum, qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XLII.

IN VIGILIAM SS. APOSTOLORUM PHILIPPI ET JACOBI PRIMA.

Præcepit Joseph dispensatori domus suæ, etc. (*Gen.* XLIII).

Omnium sanctorum festivitates, quorum per totum annum sacra celebramus solemnia, magna a nobis veneratione sunt recolenda, utpote illorum, qui jam ad æternæ securitatis pervenerunt portum, nobis in præsentis vitæ periculis adhuc fluctuantibus, ope subvenire non desistunt suæ intercessionis, manu sustentare non cessant continuæ protectionis. Sed sacrosancta apostolorum natalitia tantò majori devotionis studio, tanto excellentiori venerationis cultu a nobis sunt celebranda, quanto majori honoris et dignitatis gloria ab ipso Domino nostro Jesu Christo præ cæteris sanctis sublimati sunt in cœlesti curia. Credere enim indubitanter possumus, quia quos divina prædestinatio de toto mundo ad hoc elegit, ut incarnati filii Dei corporali præsentia uti familiarius digni essent præ cunctis mortalibus, hos etiam præ cæteris sanctis ampliori **303** dignitatis gloria sublimaverit in cœlestibus. Si ergo aliorum sanctorum festa, qui utique nobiscum sunt judicandi, solemni veneratione a nobis sunt recolenda, multo excellentiori laudis præconio sacrosancta apostolorum natalitia a nobis sunt veneranda, qui nos in illo tremendo ultimi judicii die sunt judicaturi.

Isti sunt enim, per quos salus peracta est totius mundi. Nam universa opera Domini, quæcunque operatus est in medio terræ, quasi mortua quodammodo essent et sepulta, si non per vocem eorum prædicationis mundo annuntiata fuisset redemptio humani generis. Unde necesse fuit ut ipso Domino nostro Jesu Christo, per passionis et mortis ignominiam transeunte de mundo et assumpto in gloria ipsi servarentur in corpore, quemadmodum in passione sua quærentibus se persecutoribus, respondit: *Si me quæritis*, inquit, *sinite hos abire* (*Joan.* XVIII, 8), præcavens procul dubio in futurum, ne si isti vitæ æternæ prædicatores cum ipso in morte occubuissent, seminarium fidei, vera cognitio divini hominis, humanis sensibus minime innotuisset.

Et quia tales et tanti erant, quod per eos omnipotens Dominus totum mundum ad salvationis æternæ consortium vocare disposuerat, dignum revera fuit, ut in omni patriarcharum et prophetarum Scriptura, quæ de ipso erat, illorum inæstimabilis gloria et dignitas, illorum incomparabilis præfiguraretur sanctitas. Unde et in Veteri Testamento mystice eos Scriptura præfiguravit, ubi Joseph fratribus suis convivium parari præcepit, in quo convivio, quod ipse frater eorum esset, quem in Ægyptum vendiderant, illis manifestavit. Sic enim commemorat Scriptura: *Præcepit Joseph dispensatori domus suæ dicens: Introduc viros domum, et occide victimam, et instrue convivium, quia mecum comesturi sunt meridie. Joseph* iste typum gerit veri Joseph Domini nostri Jesu Christi. *Fratres* ejus sancti intelligendi sunt apostoli. *Convivium* illud, quod Joseph iste fratribus suis, discipulis videlicet suis fecit, ultima illa sacrosancta cœna fuit, in qua æternæ vitæ illis propinavit pocula, et tanta familiaritatis usus est clementia, sicut nunquam antea in omni vita sua. Nam et tunc illum sermonem locutus est. quem nunquam antea in diebus carnis suæ **304** locutus fuerat, nec non et secreta illa revelavit cœlestia, quæ nunquam audita fuerant ante sæcula. *Biberunt et inebriati sunt*, quando die quinquagesimo, adveniente Spiritu sancto, ita cœlestis gratiæ satietate sunt corroborati, ita infusione Spiritus sancti inebriati, ut prorsus in Spiritu sancto innovati, omnia visibilia altitudine mentis transcenderent, nullaque jam mundi adversa formidarent, sed quasi proposito sibi gaudio illatas contumelias libenter susciperent, nec non et mori pro Christi nomine tota desiderarent et optarent mentis devotione, quemadmodum de illis scriptum est: *Ibant autem apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt, pro nomine Jesu contumeliam pati* (*Act.* V, 41).

Hinc iterum illorum laudem et gloriam libri Regum præfiguravit historia, ubi recensitis Philisthæis, quos rex David et servi ejus, David videlicet duos, servi vero ejus tres laudabili peremerunt victoria ita subjungit Scriptura: *Hi quinque ceciderunt in manu David et servorum ejus* (*II Reg.* I, 22). Per *David*, qui *manu fortis* dicitur, Dominus noster Jesus Christus vere *manu fortis*, fortissimus spirituum designatur; servi ejus sancti intelligendi sunt apostoli. Per duos Philisthæos, quos verus David, Dominus noster Jesus Christus interfecit, duas, ut ita dicam, mortes possumus accipere, mortem videlicet corporis et mortem animæ. Mortem corporis in seipso occidit, quia ipse resurgens a mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur, quod nullus unquam electorum facere potuit aut poterit. Mortem vero animæ in illis sanctis animabus occidit, quas de infernalibus claustris triumpho passionis suæ eripuit. In quibusdam etiam

electis mortem corporis simul et animæ occidit, quos anima vivificatos, etiam corpore secum resurgere fecit. *Tres* autem *Philisthæi*, qui *in manu servorum David*, id est apostolorum Christi ceciderunt, Judæi, pagani, hæretici intelligendi sunt, quos ipsi gladio verbi Dei ita mortificabant, ut quos ad fidem verbo prædicationis convertere non poterant, tanta virtute eloquentiæ prostéruerent, ut nullo modo resistere verbis eorum possent.

Sed et alio modo *tres Philisthæi ceciderunt in manu servorum David*; **305** quia enim tribus modis, cogitatione videlicet, locutione et opere omne peccatum perpetratur, quasi tres, ut ita dicam, mortes esse dicuntur, dum homo prava cogitatione, perversa locutione, iniqua operatione depravatus quodammodo moritur. Qui tres Philisthæi *in manu servorum David ceciderunt*, quia sancti apostoli post adventum Spiritus sancti, quidquid vitiorum aut in cogitatione, aut in opere in illis prius vixerat, tanta zeli constantia mortificabant, ut præter ipsum Dominum nostrum Jesum Christum ac sanctissimam Genitricem ejus nullus unquam mortalium fuerit, qui æquali sanctitatis prærogativa illis assimilari potuerit.

Ex his electis Christi discipulis duorum hodie apostolorum gloriosa prævenimus solemnia, beati videlicet Philippi et beati Jacobi. Hic est beatus Jacobus, de quo locuti sunt prophetæ, qui et frater Domini legitur, non solum secundum carnem, sed etiam per virtutum ac sanctitatis imitationem. Si enim inter discipulos Christi major aliquis esset dicendus beatum Jacobum majorem sanctitatis prærogativam præ cæteris omnibus adeptum esse dicere possemus, qui intantum oculis complacuit divinæ pietatis, ut solus præ cæteris apostolis pontificali honore in illo sublimaretur loco, in quo ipse Mediator Dei et hominum salutem operatus est totius humani generis, et ad ejus imperium et consilium, non solum totius populi confluebat multitudo, sed etiam oculi intendebant omnium apostolorum.

Sed et beatus Philippus ejus coapostolus, quanti meriti quantæque fuerit sanctitatis, insula illa, quæ Scythia nominatur, usque in sempiternum erit testis, quam ipse Christo acquisivit et affluenti doctrinæ eloquio et assiduæ intercessionis auxilio.

Istorum igitur Christi discipulorum sacra hodie prævenimus solemnia, gloriosa hac nocte celebraturi sumus merita. **306** Si ergo in aliorum sanctorum festivitatibus Christo placere desideramus digna servitute et congruis honoribus, quanto magis in istorum sacrosancta solemnitate totis viribus, tota devotione et intentione mentis in divinis vigilandum est laudibus? Si enim unius apostoli esset festivitas, dignum esset ut summis exciperetur laudibus, quantum humana prævaleret possibilitas. At nunc quia duorum apostolorum festiva simul celebranda sunt solemnia, congruum valde est ut ad hæc digne veneranda, solemniter peragenda tota se erigat et invigilet virtus et intentio humana. Ipsi quippe sunt judices nostri, ipsi consiliarii regis æterni, et secundum ipsorum consilium et voluntatem sic omnipotens bonitas humanis miseriis larga subvenit miseratione. Unde unusquisque nostrum, sicut desiderat et optat, ut ipsorum intercessionis patrocinia consequi valeat, sic mente et corpore in ipsorum vigilare studeat laude.

Tunc autem laus nostræ jubilationis grata et accepta beatis erit apostolis, si cum laudem ipsorum lingua extollit carnis etiam intentio et devotio vigilat mentis, ne cum exterius laudibus eorum insistere videamur, interius inaniter circumvagando a mercede vacuemur. Sed quia sine auxilio divinæ miserationis nihil valet infirmitas mortalis, deprecemur beatos apostolos patronos et judices nostros, ut ad promerenda illorum patrocinia, ipsorum nos præveniat et subsequatur intercessio gloriosa, et ut sic in præsenti sæculo laudibus eorum insistere valeamus quatenus cum quandoque cum Christo ipsi judices advenerint, nos in sorte electorum annumerari faciant; quod ipse præstare dignetur Dominus noster Jesus Christus, qui est sanctorum suorum exsultatio, laus et gloria per infinita sæculorum sæcula. Amen.

307 HOMILIA XLIII.

IN FESTUM SS. APOSTOLORUM PHILIPPI ET JACOBI PRIMA.

Qui sunt hi qui ut nubes volant (*Isa.* LX), etc.

Quia duorum apostolorum, duorum Christi discipulorum, Philippi scilicet et Jacobi, festiva solemnia hodie celebramus, amborum vitæ sanctitatem, specialem meritorum prærogativam longe ante eos a prophetis prænuntiatam invenimus. Sancti enim prophetæ, licet magni essent apud Deum, licet eminentia virtutum vitam præcellerent aliorum, prævidentes tamen beatos apostolos oculo præsagi cordis, tantæ æstimationis apud ipsos habiti sunt, tali excellentia vitam ipsorum præcellere visi sunt, quod non sine magna admiratione loqui de ipsis potuerunt, et nonnunquam cum de incarnando Dei Filio mystice prophetabant, laudem et gloriam apostolorum obscuris sententiis præcinendo attollebant.

Unde et unus ex illis, Isaias scilicet propheta, prophetico eos spiritu intuens, cum quadam admiratione de ipsis loquebatur dicens: *Qui sunt hi qui ut nubes volant, et quasi columbæ ad fenestras suas?* Hæc verba prophetica licet de omnibus apostolis sint dicta, tamen quia duorum apostolorum Philippi et Jacobi hodie festa celebramus, specialiter ad eos hæc eadem verba referre possumus, specialiter eos prophetam his verbis insinuasse non inconvenienter accipere valemus.

Qui sunt, inquit, *qui ut nubes volant, et quasi columbæ ad fenestras suas?* Possumus per *nubem volantem* beatum Philippum accipere, per *columbam* vero *ad fenestras* beatum Jacobum satis congrue possumus intelligere. Legamus vitam ipsorum, et mox luce clarius patebit quomodo beatus Philippus nubes volans, qualiterque beatus Jacobus columba ad fenestras suas fuerit. Narrat Scriptura de beato

Philippo, quod per annos viginti instanter gentibus per Scythiam Evangelium Christi prædicaverit, ubi cum multa miraculorum insignia **308** ostendisset, infirmis sanitatem restituens, mortuos resuscitans, totam pene Scythiam ad fidem Christi convertit, et ordinato ibi episcopo, presbyteris et diaconibus, atque multis Ecclesiis institutis, multa millia hominum ab idolorum cultibus erepta omnipotentis Dei servitio mancipavit. Hic ergo non incongrue nubi volanti assimilatur, qui tot terrarum spatia nudis pedibus percurrit, qui tam longinquam regionem, quæ ultimis finibus terræ pene proxima est, prædicando pervolavit.

Duo autem in nube notantur. Nubes enim volat, et aquam in se continet. Beatus ergo Philippus, et nubes volans, et aquam in se continens fuit, cum, sicut diximus, tot terrarum spatia pervolavit; aquam vero emisit, cum doctrinæ salutaris fluenta aridæ terræ infudit.

Possumus et aliter intelligere quod videlicet beatus Philippus nubes volans in seipso fuerit, cum in contemplativa sublimitate a terrenis sublevatus, secretis familiariter interfuit cœlestibus. Cumque ab hac altitudine nubes illa volans aliquantulum se dimisit, tam salutaris doctrinæ fluenta effudit, per quæ arida infidelium corda irrigavit, et ad proferendos bonorum operum fructus indesinenter provocavit. Sic ergo beatus Philippus per nubem volantem potest accipi.

Beatus vero Jacobus per *columbam ad fenestras* satis congrue valet intelligi. Si simpliciter sensum hunc intelligere volumus, simpliciter dicere possumus quod beatus Jacobus *quasi columba ad fenestras suas* fuerit, quia dispersis per totum mundum apostolis, ille locum suscepit regendum, qui est Jerosolymis, et illis totum mundum peragrantibus, hic solus loco illi præsedit, ubi immolata est hostia nostræ salutis, principatum et potestatem specialem quodammodo tenens præ cæteris omnibus. Sed et aliter beatus Jacobus *quasi columba ad fenestras suas* fuit. **309** *Quia* enim *columba* simplex animal est, et per *fenestras* nonnunquam in sacro eloquio sensus hominis intelliguntur, satis congrue per *columbam* ille designatur, qui tanta sanctitatis et innocentiæ puritate pollebat, ut Scriptura de illo refert quia ex utero matris sanctus fuerit, vinum et siceram non biberat, oleo non est perunctus, balneis non est usus, cui soli licebat introire in sancta sanctorum, qui laneo non est usus indumento, sed tantum sindone et solus ingrediens templum jacebat super genua sua, orans pro populi indulgentia, ita ut orando callos faceret in genibus in modum camelorum super genua flectendo, et nunquam ab oratione cessando. Ergo quia tali districtionis custodia *fenestras suas*, id est sensus suos interiores et exteriores observavit, ut pro incredibili continentia et summa justitia justus ab omnibus sit appellatus, recte de illo dici poterit quod quasi *columba ad fenestras suas* fuerit.

A Credere enim indubitanter possumus quod speciali sanctitatis prærogativa præditus fuerit, qui in illo loco culmen regiminis suscepit, in quo, ut superius diximus, ipse Auctor salutis per passionem et mortem suam opus consummavit humanæ reparationis. Ad illum enim omnium oculi respiciebant; ad ejus sanctitatem magnum respectum habebant; in ambiguis rebus ad ejus auxilium et consilium confugiebant, utpote ad illum de cujus sanctitate nullus, licet etiam incredulus et perversus, dubitare potuerat, sed omnes tam credentes quam etiam aliquam dubitationem de ipso Domino nostro Jesu Christo habentes, huic tamen testimonium perhibebant.

In his vero virtutum profectibus sequi beatos B apostolos, prout Dominus largiri dignabitur, possumus. *Nubes* enim *volans* tunc est quilibet electus, cum summo studio ad hoc invigilat, ut per contemplationis gratiam de imis ad cœlestia mente crebro volare valeat. Et qui ita nubes volans factus fuerit, hic nonnunquam flumina aquæ vivæ de se emittit, cum aut pro deliciis suis, aut pro amore cœlestis patriæ compunctus, continuos producit fontes lacrymarum, in quibus arida terra cordis dulciter irrigatur, et ad proferendos dignæ operationis fructus fecundatur.

Fenestræ nostræ sunt sensus interiores et exteriores. Si ergo sensus nostros **310** interiores et exteriores tali distinctionis diligentia observare contendimus, ut nil in his operemur, nisi quod C Conditoris nostri placere valeat oculis, recte de nobis dici poterit quod *quasi columbæ ad fenestras nostras* simus. Hac virtutum excellentia, hac sanctitatis magnificentia ita pleniter beati apostoli præditi erant, ita incomparabiliter eminebant, ut, præter ipsum Dominum nostrum Jesum Christum ac beatissimam ejus Genitricem, nullus unquam mortalium fuerit, qui in altitudine divinæ contemplationis, in sanctitate mentis et corporis illis assimilari potuerit.

De his electis Christi discipulis duorum hodie apostolorum festa celebramus, beati Philippi scilicet et beati Jacobi, quorum gloriosa merita longe ante eos, ut supra memoravimus, a prophetis sunt D pronuntiata. Beatus Philippus in lectione hodierna sancti Evangelii nobis commemoratur, et beatus Jacobus in Lectione *Stabunt justi* (*Sap.* v) satis congrue designatur. Cum enim Dominus noster Jesus Christus, ut Evangelium hodie refert, discipulos suos in ultima cœna sua admoneret ne per hoc quod ipse de mundo ad Patrem transiturus erat, corda eorum turbarentur, atque multiplici consolatione tristitiam eorum relevare desiderans, quod in domo Patris ejus mansiones multæ essent eis prædiceret, beatus Philippus, quanta dilectionis flamma, quam ardenti desiderio in amore divino succensus fuerit, his verbis suis aperte declaravit: *Domine*, inquit, *ostende nobis Patrem, et sufficit nobis* (*Joan.* XIV, 8) Quasi diceret: Omnia, quæ in mundo vi-

dentur fastidium nobis generant; nil delectabile, nil jucundum esse poterit, si tua præsentia uti non licebit. Unde *ostende nobis Patrem*, ostende nobis tuam divinitatem, quia tunc sufficiet nobis, cum revelata facie contemplari inceperimus gloriam tuæ divinitatis. In his verbis beatus Philippus evidens indicium dedit, quam vere *nubes volans*, alta videlicet cœlorum penetrans fuerit. Nam quando hæc dicebat, totus de terrenis ad Deum et ad cœlestia elevatus fuerat, omnia visibilia, et quidquid in sæculo diligi solet, totum ab intentione mentis excluserat, ardore cœlestis desiderii totus inflammatus fuerat, nec sicut nos infirmi et fragiles, cum aliquando per divinæ pietatis auxilium raptim, et quasi in ictu oculi in contemplatione **311** mentis erigimur, illud tamen, quod secundum carnem diligimus, a mentis intentione ex toto amovere non possumus. Hoc autem, quod Philippus orabat, hoc et Jacobus, hoc et alii eorum coapostoli orabant, etsi non ore, tamen corde. Nam tale desiderium ad ejus corporalem præsentiam habebant, ut jam perituros se crederent, si corporaliter habere eum non possent.

In Lectione autem hodierna, *Stabunt justi in magna constantia*, beati Jacobi mentionem specialiter facimus. Nam legamus passionem ejus, et quanta animi *constantia* in ipsa passione sua steterit clare videbimus. Cum quodam tempore hæresis exorta fuisset in Jerosolymis, convenerunt omnes ad Jacobum, ut quoniam ob religiosæ et continentissimæ vitæ merita justissimus apud omnes habebatur, ipse suæ exhortationis testimonio satisfaceret populo. Statuentes autem eum Scribæ et Pharisæi supra pinnam templi rogaverunt, ut, quoniam populus erraret post Christum, qui crucifixus est, ipse enuntiaret eis quod esset ostium Jesu (59). Cumque ille invictissimus testis veritatis cum magna constantia testimonium redderet Filio hominis, quod ipse sederet in cœlo a dextris summæ virtutis, et venturus esset in nubibus cœli, multi crediderunt, et laudantes Deum dixerunt: *Hosanna filio David*. Sed rursus Scribæ et Pharisæi immanitate malitiæ suæ excæcati in necem ejus vertuntur, dicentes: O, o, et justus erravit! quasi insultando dicerent: Hic, qui in æstimatione justissimus habitus est, erroris nequitia depravatus reus est mortis. Et mox præcipitantes eum de summis gradibus urgere indesinenter cœperunt lapidibus. Qui dejectus de pinna templi, conversus ad Dominum, et more sibi solito procumbens super genua sua hac voce Dominum deprecabatur pro lapidantium ignorantia: *Rogo*, inquit, *Domine Deus Pater, dimitte eis peccatum; non enim sciunt quid faciunt*. Hic ergo *in magna* procul dubio *constantia* stetit, qui in tam immanissima passionis acerbitate, inter duros lapidum more grandinis cadentium ictus ab amore Christi, a veritatis testimonio amoveri non potuit. Non enim idolis sacrificare coactus est beatus Jacobus; pro solo testimonio,

A quod veritati reddidit, mortis sententiam accepit, qui si hoc solum **312** non perhibuisset (quippe qui justus apud omnes habebatur) nulla causa morti addici potuisset.

Stetit etiam beatus Philippus *in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt*. Nam quemadmodum legimus, ductus est ad statuam Martis vinculis mancipatus, in carcerem retrusus, superari non potuit, imo *magna constantia* nomen Christi prædicavit, et plures, ut supra memoravimus, ad fidem Christi convertit.

Hic vero beatus Jacobus, quantæ fuerit sanctitatis, quam speciali meritorum præditus fuerit dignitate et excellentia, in hoc perspicuum esse poterit quod ipse Dominus noster Jesus Christus sanctitati
B ejus in quodam Evangelii loco testimonium reddidit, non solum gloriosam vitam ipsius collaudans, verum etiam pretiosam mortem ejus verborum suorum affirmatione testificans. Cum enim, ut quædam evangelicæ historiæ tradit auctoritas, Judæorum perfidiam et crudelitatem Dominus increparet, et quantæ eos damnationis pericula manerent pro sanguine justorum, quem non solum ipsi, sed etiam patres eorum effuderunt, eis prænuntiaret, sic inter cætera subjunxit: *Ut veniat*, inquit, *super vos omnis sanguis, qui effusus est super terram, a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ, filii Barachiæ, quem occidistis inter templum et altare* (*Matth*. XXIII, 35). Zacharias *memor Domini*, Barachias vero interpretatur *benedictus Domini*. Et quis
C rectius *benedictus Domini* accipitur quam ille de quo canitur: *Benedictus qui venit in nomine Domini?* (*Psal*. CXVII, 24.) Per Zachariam vero, qui *memor Domini* interpretatur, beatus Jacobus non incongrue designatur. Nam ipse omnipotentis Dei memoriam quam radicitus cordi infixam retinuerit, ita bonorum operum attestatione comprobavit, ut pro laudabilis vitæ meritis, quemadmodum sæpe jam diximus, justus certissime habitus sit in æstimatione et in oculis omnium hominum. Unde et bene *filius Barachiæ* dicitur, quod *benedictus Domini* interpretatur, quo nomine, sicut præfati sumus, Dominus noster Jesus Christus accipitur. Vere beatus Jacobus benedicti Patris benedictus
D erat filius, et per innocentis vitæ puritatem et inæstimabilem morum sanctitatem. Sanguis ergo *Abel justi* est **313** sanguis Domini nostri Jesu Christi, qui tanta viget fortitudine, tanti æstimatur ponderis, quod recompensari non potuerit pretio totius orbis. In hujus sanguinis ultione duriori damnationis pœna mulctandi sunt Judæi, quam in omni justorum sanguine, qui effusus est super terram ab initio sæculi. *A sanguine* ergo *Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ, filii Barachiæ, qui occisus est inter templum et altare*, ultionis damnum passuri erant Judæi. Nam postquam ipsum Dominum nostrum Jesum Christum cruci affixerunt, ultionis initium sumpserunt; post mortem vero beati Jacobi, tanta

(59) Ita Cod. videtur leg. *hostis Jesu*.

persecutionis vindicta vastati sunt, quod nullam, ut prius soliti erant, in sanctorum persecutione potestatem exercere potuerunt.

Quem occidistis, inquit, *inter templum et altare. Inter templum et altare* beatus Jacobus occisus est. Nam ut ipsa passionis ejus narrat historia, ejectum illum de pinna templi, dum crudeliter et indesinenter lapidibus urgerent Judæi, inter ipsos lapidantium ictus accurenc unus fustem arripuit, et sanctissimo cerebro ejus illisit, sicque glorioso martyrio consummatus in eodem loco, quo vitam finivit, sepultus est.

Hæc sunt festiva præsentis diei gaudia sacrosancta apostolorum Philippi et Jacobi solemnia. Illis enim et eorum coapostolis excellentissimæ promissionis gratiam Dominus perfecit, quam in ultima cœna sua, ut Evangelium hodie refert, eis repromisit. *Amen dico vobis*, inquit, *qui credit in me, opera quæ ego facio et ipse faciet, et majora horum faciet, quia ego ad Patrem vado; et quodcunque petieritis in nomine meo, hoc faciam* (*Joan.* XIV, 12, 13). Unigenitus Dei filius, homo Christus Jesus, sicuti erat æterni Patris virtus et sapientia, sic in diebus carnis suæ magnifica valde miraculorum ostendit insignia, utpote mortuos resuscitans, cæcis visum reddens, et alia innumera divinitatis suæ exercens mirabilia. Sed sancti ejus apostoli, ipso tamen in eis et per eos operante, aliqua majora fecerunt opera, aliqua majora per eos fiebant signa et prodigia, cooperante illius, ut diximus, gratia divina. Majus revera fuit infirmos umbra corporis sanare quam mortuos resuscitare. Hæc ergo fuerunt illa *majora opera*, quæ quidem **314** ipse facere potuisset, si voluisset, sed ideo noluit, quia gloriam tantæ sublimitatis suis reservavit apostolis.

Sed et nos infirmi et fragiles, cooperante gratia Christi, horum operum ejus esse possumus imitatores. *Qui credit*, inquit, *in me, opera quæ ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet*. Credere in Deum ille recte dici poterit qui, divina inspiratione compunctus, sæculo renuntiaverit et terrenis omnibus. Hæc revera Christi sunt opera, quia quod homo exterius operari videtur, hoc ipse Deus invisibiliter in homine et per hominem operatur. Sed quæ sunt illa *majora*, quæ electos suos facturos esse repromisit illa bonitas summa? Cœlum et terram et omnia, quæ in eis sunt, ipse creavit, et quis unquam mortalium *horum majora* facere poterit? In creatione cœli et terræ æquali operum virtute assimilari Christo non possumus, nec cogitare debemus; sed est aliqua dignæ operationis magnificentia, in qua majora operum Christi operatur quodammodo fragilitas humana. Cum enim, ut prædiximus, homo sæculo renuntiaverit, et alieno se imperio tradiderit, opera quidem Christi facit; cum vero totis viribus ad hoc invigilat, ut mortificare in se vitia et carnis concupiscentias valeat, propriæ voluntatis delectamenta, pristinæ vitæ voluptates resecare a se queat, hæc, inquam, tanti la-A boris diligentia, tantæ virtutis opera in conspectu divinæ pietatis tam pretiosa erunt et magnifice, quod in comparatione operum suorum illa dijudicat esse *majora*. Quod enim omnipotens Deus cœlum et terram creavit, nullam, ut ita dicam, laboris molestiam pertulit, quia tantum dixit, et facta sunt; quod autem homo mortalis, cui fragilitas innata est, ex ipsius naturæ conditione tantis laboribus, tantis virtutum exercitiis oculis placere contendit sui conditoris, hoc, inquam, in ipsius Creatoris æstimatione tanti pretii valet, ut etiam ipsius ejus operibus opera hominis *majora* esse dijudicet.

Quia ego, inquit, *ad Patrem vado; et quodcunque petieritis in nomine meo, hoc faciam*. Quasi dicat: Qui ego, qui Deus et homo sum, humanam naturam, B quam pro humanæ salutis reparatione mihi coadunavi, ad interpellandum pro toto humano genere in memetipso ad Altissimum paternæ **315** gloriæ sublevo thronum, per hoc, inquam, fiet ut *quodcunque id nomine meo petieritis*, fiat vobis, hoc est, quidquid pro salute animæ vestræ orationum supplicationumque effuderitis, petitionis vestræ fructum ex larga manu mea sine dubio percipietis. Petunt etiam electi nonnunquam pro corporalibus necessitatibus, et quia non tantum pro terreni commodi aviditate, quantum cœlestium bonorum amore et desiderio petunt, ut videlicet præsentis vitæ arridente sibi prosperitate, liberius Conditoris sui insistere laudibus valeant mente et corpore, ideo, inquam, C quia taliter, tam feliciter petere videntur, petitionis suæ effectu minime privantur.

Hujus eximiæ virtutis gratia tam incomparabiliter præditi erant sancti apostoli, etiam cum adhuc in præsenti essent vita, ut omnia quæ voluissent, veloci consequerentur effectu. Unde si in præsenti vita tam specialis dilectionis privilegio amplexari eos dignatus est ipse Filius Dei ut eos præ cunctis mortalibus dignos dijudicaret qui corporali ejus præsentiæ die noctuque interessent, actum, habitum illius familiarius intueri, verborum ejus suavissimam eloquentiam aure cordis et corporis percipere digni essent, credere indubitanter possumus quod præ cæteris **316** electis et justis speciali dilectionis dulcedine sibi eos associaverit in cœlestibus, et D quotiescunque voluerint, pro qualibet re fiducialius præ cæteris sanctis ad thronum gratiæ possunt accedere et citius impetrare, quia sicut specialiter, ut diximus, a Christo diliguntur, ita et specialiter exaudiuntur.

Quapropter tota intentione, tota devotione mentis gratiam imploremus eorum intercessionis, ut moti misericordia super desolationem peregrinationis nostræ, qua in hoc fragili corpore gravati ingemiscimus, de plena et abundantissima cœlestium deliciarum mensa, qua ipsi ineffabili et inæstimabili satietate gloriantur et lætantur, nostram inopiam aliquantulum sublevare dignentur, et cum quandoque in extremi judicii die judices cum Christo advenerint, misericordiam superexaltent judicio, ut,

si digni non sumus cohæredes et compartícipes gloriæ eorum esse, saltem gloriam ipsorum contemplantes illorum claritati, illorum dignitati in supernis æternaliter congaudeamus. Quod ipse præstare dignetur Dominus noster Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XLIV.

IN FESTUM SS. APOSTOLORUM PHILIPPI ET JACOBI SECUNDA.

Perfectio tua et doctrina tua viro sancto tuo, quem probasti in tentationibus ad aquas contradictionis (*Deut.* XXX), etc.

Beatissimorum apostolorum Philippi et Jacobi gloriosa et jucunda festivitas loqui aliquid de illorum gloria nos compellit, sed lingua carnis digne de ea loqui non sufficit. Illi enim et cæteri eorum coapostoli sicut sanctitatis eminentia omnes homines præcesserunt, ita gloriæ magnitudine in cœlis omnes sanctos præcellunt. Et ideo humanum sensum et eloquentiam excedit ut aliquis digne loqui aut cogitare possit, quibus nullus sanctorum, præter ipsam Matrem Domini, æquari potuit vel poterit. Ipsa quippe Sapientia Dei Patris corporaliter cum eis manens in diebus suæ carnis, quantum omnes antiquos Patres præcederent, multis commendavit testimoniis, sicut ibi specialiter beatitudinis eorum magnitudinem commendavit, ubi inter cætera sic ait : **317** *Beati oculi qui vident quæ vos videtis. Dico enim vobis quod multi prophetæ et reges voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt, et audire quæ auditis, et non audierunt* (*Luc.* X, 25).

Omnes siquidem patriarchæ et prophetæ Deum in carne venturum videre toto cordis et animæ desiderio optaverunt, et quod tam ardenter desiderabant accipere nequaquam meruerunt. Unde Moyses, quem Dominus ad liberandum populum suum misit, tanti laboris immanitatem super se esse considerans ait : *Obsecro, Domine, mitte quem missurus es* (*Exod.* IV, 13). Quod idem est ac si dixisset : Ego, Domine, ego me infirmum et invalidum ad onus tam grande esse conspicio ; illum, obsecro, tandem mitte quem ad salvandum omne humanum genus disposuisti quandoque venire. Hinc et Isaias propheta non sufferens tandiu adventum Christi differri, impatienti desiderio clamabat ad eum : *Utinam disrumperes cœlos, et descenderes !* (*Isai.* LXIV, 1.) Omnes utique sancti ardenti cordis affectu hujus adventum desiderabant, sine quo nequaquam se redimi posse sciebant.

Soli ergo oculi beati apostolorum, soli, inquam, apostoli ultra omnes homines beatissimi, qui desideratum ab antiquis Patribus et viderunt et audierunt, suavissimaque ejus præsentia perfrui, et introitum et exitum illius contemplari meruerunt. Hinc ipse alias gloriæ illorum præconium commodans ait : *Vos estis lux mundi* (*Matth.* V, 14). Quæ profecto verba, si ipsi Filio Dei dicta fuissent, nemo mirari posset; sed valde gloriosum est et magnificum, quod mortalibus hominibus tantæ dignitatis excellentia attribuitur, ut *lux mundi* dicantur. Quos David prævidens in Spiritu sancto quantæ dignitatis quantæve potestatis futuri essent, prænuntians dicit : *Constitues eos principes super omnem terram* (*Psal.* XLIV, 17). Patriarchæ quippe et prophetæ quamvis magni exstiterunt in vita sua, nullus tamen eorum ad hanc pervenit gloriam, ut principari posset super omnem terram. Summo namque patriarchæ Abrahæ pollicitus est dicens : *Benedicens benedicam tibi* (*Gen.* XXII, 16), non tamen ait : Constituam te principem super omnem terram. Moysi quoque dulci familiaritatis gratia locutus est, utpote amicus ad amicum, nec tamen omnis terræ **318** dedit principatum. Sed ex omnibus et præ omnibus apostoli electi a Domino *principes* sunt *super omnem terram* constituti, ipsi solummodo digni fuerant, ut a Domino audirent : *Vos estis, qui permansistis in tentationibus meis ; et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo* (*Luc.* XXII, 30). Et quia socii passionum et tentationum Christi fuerant in hoc sæculo, regnantes nunc in cœlo participes ejus sunt, et in extremo examine judices orbis cum ipso futuri erunt.

Sed ut evidenti gloriæ præconio consortes gloriæ Domini sui illos esse approbemus, unum dicamus, quo in præsenti vita dignitatis eorum excellentiam satis patenter commendari videmus. Sancta quippe Ecclesia hoc honoris privilegium eis attribuit, ut solummodo in ipsorum festivitatibus sponsæ Christi per desponsationis arrham ei copulentur, quod nec in aliqua solemnitate sanctæ Mariæ, nec aliorum sanctorum fieri permittitur, nisi in ipsius Domini duabus solemnitatibus, Epiphania scilicet et Pascha. Et quia omnes animæ, quæ Christi sponsæ nuncupari merentur, universalem ejus sponsam sanctam designant Ecclesiam, congruo satis ordine offeruntur ei in sanctis talium principum festivitatibus, quos ad acquirendam sibi sponsam hanc vicarios suos cœlestis fecit sponsus. Ex his gloriosis cœli primatibus et inclytis Ecclesiæ patribus egregii duo isti principes existunt beatus Philippus et Jacobus, quorum præclara festivitas hodie refulget, non impares cæteris dignitate aut gloria, quos idem Dominus pari electionis sublimavit gloria.

Sed non abs re fieri putamus quod una die duorum pariter apostolorum festum celebramus, sed Spiritu sancto disponente ordinatum et constitutum credimus. Nam ter in anno id agere solemus, hodie videlicet, et natali apostolorum Petri et Pauli, nec non Simonis et Judæ. *Philippus* namque, qui dicitur *os lampadis*, cognitionem Dei, *Jacobus* vero, qui *supplantator* interpretatur, designat timorem Dei. Per cognitionem quippe Dei in amore ejus lucere homo et ardere incipit, per timorem vero ejus supplantare vitia et peccata discit. Hoc quoque Petrus, qui *agnoscens*, et Paulus, **319** qui dicitur

quietus. designant, quia homo Deum agnoscendo quiete et tranquille vitam suam in omnibus ordinat. Per Simonem etiam, qui *obediens*, et per Judam, qui *confessio* interpretatur, eadem scilicet cognitio et timor Dei designantur, quia cognoscere Dominum, est voluntati ejus obedire; timore vero homo Creatorem suum confiteri compellitur et credere.

Et quia isti gloriosissimi apostoli Philippus et Jacobus in agnitione amoris Dei et timoris ejus perfectissimi fuerunt, recte solemnia eorum pariter celebramus, quia et socii passionum Christi in hoc sæculo fuerunt, et nunc consortes gloriæ ejus in cœlis cum ipso regnant. Beatus namque Jacobus cum Christo in tentationibus permanens speciali quadam passionis comparatione imitari videtur ejus tentationes. Dominus enim noster Jesus Christus cum a diabolo tentatus, nec prima tentatione ab eo superatus fuisset, tentator eum in sanctam civitatem assumens supra pinnam templi statuit, suadens ut se deorsum demitteret, et hinc humanæ laudis favorem acquireret. Sicut ergo Christus a diabolo per vanam gloriam tentatus est, nec superatus, ita a membris diaboli tentatus est Jacobus. Nam Judæi, videntes quosdam credere in Jesum, statuerunt Jacobum supra pinnam templi, rogantes ut, fidem Christi hæresim esse asserens, populum ab errore revocaret. Tantæ namque sanctitatis erat ut nullus, licet incredulus et perversus, de eo dubitare potuerit; sed omnes sanctitati ejus testimonium reddebant. Quemadmodum ergo diabolus Christum tentabat, ut propter vanam gloriam de pinna se dejiceret, ita membra ejus Jacobo suadebant ut, supra pinnam stans, credere in Christum errorem esse prædicans, inanem gloriam appeteret. Diabolus itaque sicut superatus est a Christo, sic in membris suis, videlicet Judæis, confusus et devictus est a Jacobo, quia quod illi per inanem ab eo fieri suadebant gloriam, ad æternæ gloriæ provenit ei coronam, dum pro veritatis assertione de pinna ejectus pretiosa morte laudabilis victoriæ adeptus est palmam.

Cum igitur tam admirabili præditus sit sanctitatis prærogativa, multis in locis meritorum ejus excellentiam prænuntiare videtur Scriptura; unde unum libet dicere, ubi obscuris verbis testimonium perfectissimæ ejus commendatur justitiæ. Moyses quippe, in morte sua benedicens singulas **320** tribus filiorum Israel benedictionibus singulis, gloriosa benedictione tribum Levi extulit his verbis: *Perfectio tua et doctrina tua viro sancto tuo, quem probasti in tentationibus, et judicasti ad aquas contradictionis*. Verba præclaræ hujus benedictionis, quæ tunc carnalibus dicta sunt Levitis, illos spiritales levitas in mysterio præferebant, qui ad veri ministerium sacerdotii a Christo quandoque eligendi erant et assumendi perfectionis et doctrinæ Christi imitatores perfectissimi. Ex his egregiis Domini levitis beatus Jacobus dilectus et electus Christi levita et sacerdos exstitit, cujus sanctitatis et per- A fectionis testimonium per benedictionis hujus confirmatur præconium. *Perfectio tua et doctrina tua viro sancto tuo*, quem non solum singulari vitæ sanctimonia sanctificasti, verum in utero matris consecrasti; quem perfectionis tuæ et doctrinæ imitatorem in tentationibus probasti. *Probasti* eum *in tentationibus* tuis, in quibus tecum perseveranter permansit; *probasti* eum *in tentationibus*, quibus illum diabolus per membra sua, scilicet Judæos, tentavit; *probasti* eum efficiendo probabilem et per victoriam tentationum fecisti laudabilem. *Et judicasti ad aquas contradictionis. Aquæ multæ*, ut beatus ait Joannes, *populi multi sunt* (*Apoc.* XVII, 15). Et bene hoc in loco per *aquas contradictionis* Judaicus designatur populus veritati semper con- B trarius, qui merito *aquæ dicitur contradictionis*, quia semper contradixit et restitit prædicationi sui Redemptoris. Quomodo vero Dominus Jacobum *ad aquas* has *contradictionis judicavit?* Justo valde judicio dijudicavit eum insuperabilem veritatis prædicatorem, qui pro veritatis testimonio subire non timuit mortem.

Ut ergo talis beati Jacobi et cæterorum apostolorum amplius glorificetur perfectio, recte de illis adhuc dicitur benedictionis testimonio. *Qui dixit patri suo et matri suæ: Nescio vos, et fratribus suis: Ignoro illos, hi sunt qui custodierunt testimonia tua, o Jacob, et mandata tua, o Israel* (*Deut.* XXXIII, 9). Nunquidnam putamus verba hæc de illis levitis dicta esse, qui utique uxores habebant, de C quibus filios, sacerdotii sui successores, generabant? Nunquid ergo illi patrem et matrem nescierunt et filios suos ignoraverunt? Quia igitur futuri quandoque erant spiritales levitæ, qui antiquæ legis sacerdotes longe ante præcellunt sanctitatis prærogativa et perfectionis, **321** satis aperte de illis dicitur per mysterium benedictionis: *Qui dixit patri suo et matri suæ: Nescio vos, et filiis suis: Ignoro illos.* Illi profecto patrem et matrem nesciebant, et filios ignorabant, quos pro Christi amore contempserunt, et (quod his majus est) proprium corpus pro nihilo ducentes, morti se ultro pro Domino obtulerunt. Revera beatus Petrus verus mundi et suimet contemptor erat, qui magna spei fiducia ad Dominum D dicebat: *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te* (*Matth.* XIX, 27).

Sunt etiam innumerabiles nunc apostolicæ perfectionis imitatores, qui, contemptis sæculi deliciis, postpositis amicorum solatiis, soli desiderant adhærere Domino, pro cujus amore se alieno subdunt imperio. Spiritales quippe homines, apostolorum perfectionis et doctrinæ sectatores, exemplo illorum discunt patrem et matrem ac fratres ignorare, quod est corde et corpore huic mundo se alienare. Ad hæc etiam quid perfectissimorum horum levitarum, scilicet apostolorum oratio obtinere valeat, sequentia verba declarant. Sequitur enim:

Ponent thymiama in furore tuo, et **322** *holocaustum super altare tuum*. Sicut ira Dei dicitur,

cum leviter contra hominem commovetur, sic *furor* A ejus est, dum graviter adversus delinquentes indignatur. Cum enim ita Deum provocamus, ut etiam æternæ damnationis pœnas mereamur, isti gloriosissimi sacerdotes dulcissimum intercessionis suæ thymiama ponunt, cujus gratissima suavitate Dominus delectatur, et peccantibus gratuita sua pietate reconciliatur. Quia enim acceptissima Deo hostia fuerunt, præ cæteris sanctis amplius iram et furorem Domini placare suis intercessionibus poterunt, et inexhaustæ pietatis ejus gratia citius convertitur ad reconciliationem per amabilium sibi amicorum intercessionem.

Hos ergo dulcissimos Patres et advocatos assidua devotionis laude imploremus, ut, cum de præsentis vitæ migraverimus exsilio, cum illorum educamur B auxilio, et ipsorum ducatu ad mensam æterni convivii perveniamus, ubi cum eis insatiabili Conditoris nostri visione perfruamur. Quod iste præstare dignetur, cujus regnum et imperium sine fine permanet in sæcula sæculorum. Amen!

HOMILIA XLV.

IN FESTUM INVENTIONIS S. CRUCIS PRIMA.

Stetit angelus juxta aram templi (*Apoc.* VIII).

Sacra hujus diei festivitas, quam Ecclesia Dei pia devotione recolit et veneratur, hæc est, in qua pretiosum lignum Dominicæ crucis inventum esse memoratur. Cum enim Judæi Christum Dominum Redemptorem nostrum crucis supplicio interemissent, lignum, in quo ipse Auctor vitæ pro nobis moriens occubuit, ad cumulum perfidiæ suæ humanis obtuti- C bus absconderunt, ut hoc facto memoriam nominis illius penitus de terra auferrent. Quod quandiu latuit et salutiferi hujus signaculi munimine sancta Ecclesia caruit, tantas dæmonum pertulit infestationum phantasias, ut ubicunque conventus esset Deo famulantium, ob horrorem, quem dormientibus inferebant, nequaquam communiter requiescere præsumerent, sed dum una pars congregationis se quieti dabat, altera ad sedandum impetum illorum vigiliis et divinis laudibus instabat. Postquam autem, revelante Domino, ipsa crux gloriosa inventa est, signum ejusdem crucis in Ecclesia honorari et adorari cœpit. Ita potestas diaboli contrita est, et ab humano genere exclusa, ut maligni spiritus viso hoc signo D territi fugiant, nec fideles sacro signaculo insignitos pro velle suo ultra inquietare prævaleant.

Nec eis tantummodo, qui per fidem rectam et vitæ meritum Deo accepti sunt, per sanctam crucem præstatur auxilium, sed etiam illos plerumque defendit et adjuvat, quos nec fides nec aliqua bona actio commendat, quemadmodum beatus Gregorius de quodam Judæo refert, qui dum multitudinem malignorum spirituum circa se astantem vidit, timore illorum perterritus, signo se sanctæ crucis, licet incredulus munivit. Quem cum ad lædendum ipsi adversarii expetiissent, mox in fugam versi exclamaverunt dicentes: Væ, væ, vas signatum et vacuum!

Hæc ergo sacrosancta crux Christi, per quam facta A est salus humani generis, late in Scripturis sanctis prænotata est, obscuris licet mysteriis. Sanctus quoque evangelista Joannes in Apocalypsi sua, in qua revelante 323 Domino de præterito, præsenti et futuro statu Ecclesiæ disseruit, ejusdem sanctæ crucis gratiam commendat, ubi ait: *Stetit angelus juxta aram templi, habens thuribulum aureum in manu sua, et data sunt ei incensa multa, et ascendit fumus aromatum de manu angeli in conspectu Dei.* Angelus iste Mediator est Dei et hominum, homo Christus Jesus, quem propheta nuncupat *magni consilii Angelum.* Angelus enim interpretatur *nuntius.* Et ipse vere est nuntius, qui missus a Deo Patre ad salvandum genus humanum, annuntians salutem venit in hunc mundum per Incarnationis suæ mysterium. Multi quidem B nuntii ante adventum ejus missi sunt annuntiare mundo redemptionem quandoque venturam, quorum annuntiatio sine fructu pertransiit; nam per hanc homo perditus liberari non potuit. Sed iste magni consilii Angelus, Filius æterni Patris solus gloriosum, suave ac singulare nuntium attulit, qui per se hominem redimere Salvator advenit.

Totus namque mundus propter hominem factus est. Sed dum homo peccando periit, omnis creatura ad nihilum quodammodo redacta fuit. Et melius profecto erat nunquam hominem a Deo conditum fuisse, quam non redemptum æternæ damnationi subjacere. Ut autem liberaretur, ipse Mediator Dei et hominum factus nobis a Deo redemptio, *stetit juxta aram templi.* Templum, de quo hic dicitur, sancta C universalis est Ecclesia, hujus vero templi *ara* est crux Dominica. Templum quidem, in quo nomen Domini a digne sibi servientibus jugiter laudatur, sanctum est et honorabile; ara autem *templi* majori sanctitate præeminet et magnificentia, quia super hanc Deo offertur oblatio munda, corporis et sanguinis Christi, hostia pura et immaculata. Quomodo in templo manu facto visibile altare omnimoda dignitate præeminet, sic in Ecclesia crux Christi sublimior est et sanctior universis propter magnum illud pretium quod in ea pependit, per oblationem, inquam, corporis Christi Jesu, quod super ipsam immolatum est pro salute totius humani generis.

Universa namque sacrificia antiquorum tempo- D rum, quæ ad impetrandam propitiationem Domini ei offerebantur, quæque illi ab initio sæculi complacuerunt, nobile illud sacrificium redemptionis futuræ, videlicet Christum Jesum præfiguraverunt. Sic agnus ille, quem Abel justus Deo obtulit, figuram præferebat, quod verus ac immaculatus 324 Agnus, Christus, pro salute nostra in ara crucis immolandus erat. Sic Abraham patriarcha per immolationem Isaac, unici hæredis, eumdem Redemptorem nostrum, unigenitum Dei Filium, præsignavit, qui semetipsum æterno Patri pro nobis obtulit super altare crucis.

Stetit ergo *juxta aram templi* ipse mundi Salvator, quando homo factus semetipsum, ut jam dictum est, pro nobis redimendis pretium in cruce dedit, quia dignum profecto erat ut homo, qui perditionis dam-

num per lignum incurrit, per lignum quoque redemptus, salutis gratiam consequeretur, juxta illud quod in honorem sanctæ crucis hodie laud ndo dicimus : *Christus peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui, justitiæ vivamus, cujus livore sanati sumus* (*II Petr.* II, 24).

Et bene *juxta aram* stetisse scribitur ; nam sedere quiescentis est, stare vero pugnantis. *Stetit* revera, quia dum in cruce animam suam in mortem tradidit, durum satis bellum cum forti illo antiquo adversario iniit, qui nobilem facturam suam, hominem videlicet violenter ablatum, injuste possidebat, quique a lapsu primi hominis usque ad tempus illud totum genus mortalium ita sub dominio suo captivum tenuit, ut nullus esset tam sanctus et justus, qui manum ejus effugeret, sed electos cum reprobis omnes in regnum suum, scilicet infernum transtulit. Hunc male fortem in virtute sua confidentem fortissimus iste præliator devicit et prostravit per passionem crucis, electos suos de potestate ejus eripiens, nec solum justos, sed etiam latronem juxta se in ligno pendentem, quem diabolus jam absorbendum credidit, in ipso mortis articulo de faucibus illius abstraxit; sicque illum propria privavit potestate, ut nequaquam ultra, sicut prius, adversus hominem exercere valeat vim dominationis iniquæ.

Et notandum ipsum Redemptorem nostrum stetisse *juxta aram templi*, quia *templum*, ut supra memoravimus, sancta est Ecclesia, quæ adhuc laborat in terris. Per quod etiam templum Ecclesiam, quæ in superis beata inmortalitate jam cum Deo regnat, intelligere possumus. *Juxta aram* utriusque *templi*, præsentis scilicet Ecclesiæ et cœlestis stans Deus operatus est salutem, Paulo attestante, qui ait : *Pacificans per sanguinem crucis ejus sive quæ in cœlis, sive quæ in terris sunt* (*Coloss.* I, 20). Ecclesia quidem cœlestium animæ sunt sanctorum, quos idem benignus Salvator **325** per triumphum passionis suæ de infernalibus claustris eripuit, ex quibus etiam multi cum eo surrexerunt, omniumque electorum spiritus, qui, deposito carnis onere quotidie de morte ad vitam transeunt. Præsens vero Ecclesia *templum* vocatur propter electos, quorum mater est qui sunt templum Dei, quos ipse per gratiam suam inhabitat et possidet, juxta verba Apostoli dicentis : *Templum Dei sanctum est, quod estis vos* (*I Cor.* III, 17). Liquet profecto quanto crimine obnoxius coram hoc sæculo tenentur qui materiale templum aliquo nefando opere violaverit. Sed quanti putamus, sceleris reus est, qui templum Dei, templum, inquam, corporis et animæ suæ sordidis actibus inquinare non metuit? Audiamus Apostolum de ejusmodi terribiliter intonantem ac dicentem : *Si quis templum Dei violaverit, destruet illum Deus* (*I Cor.* III, 17). Terribilis valde hæc sententia. Nam horrendum est incidere in manus Dei viventis, quia si per angelum, vel per aliquem alium, homo ille pro reatu suo pœnæ condemnaretur, absolutionis utique gratia speranda esset. Sed quem Deus per se damnando A destruit, nunquid ei aliqua spes recuperandæ salutis erit? Quapropter mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, ut immaculati Regis et Domini immaculatum templum mereamur fieri. Nam ipsum auctorem totius munditiæ nihil, quod sordis est, vel contingere condecet vel respicere, cui nullus sordidus vel abominabilis creditur esse locus, nisi cor peccatorum pollutum sordibus. Sequitur :

Habens thuribulum aureum in manu sua. Per *thuribulum*, quod fortiter tunditur, ut multis patens foraminibus superpositi incensi fumus exire valeat, sanctissimum corpus Christi accipere possumus, quod causa salutis nostræ de massa humani generis assumpserat. Hoc itaque omnibus diebus, quibus in terra conversari voluit, multis et diversis B tribulationum pressuris tundebatur ac laboribus, et intolerabilibus, ut ita dicam, perforatum est doloribus. Nunquam enim in omni vita sua aliquid dulcedinis, gratiæ vel quietis sibimet indulsit, sed semper Deo Patri pro nobis in laboribus serviebat, nec tantum in hoc mundo habere voluit, ubi saltem vel una nocte caput suum reclinare posset, sed de loco ad locum transiens velut exsul et peregrinus in magna semper egestate degebat. Cum autem prædicationi insistere cœpit, o quanta opprobria, o quales insidias, **326** contradictiones et irrisiones ab impiis Judæis perpessus est! In passione vero sua qualia pertulerit, nullus est qui ignorare possit quomodo a Judæis comprehensus et ligatus, ac postmodum C judici Pilato oblatus, ab ipso crudeliter flagellis cæsus est, quasi fur et latro sceleratissimus. Deinde vero militibus ejus traditus ad illudendum, et ab eisdem inhoneste tractatus est, sputa, colaphos aliasque plures insultationum injurias sustinuit, et ad ultimum cruci affixus, felle et aceto potatus, ac perforatus lancea militari inter duos latrones pependit in conspectu totius populi.

Hæc autem omnia innocens passus est, *habens thuribulum aureum*, corpus, inquam, purissimum, ab omni prorsus peccati labe immune et liberum. Nos omnes in iniquitatibus concepti et nati sumus, et in peccatis vivimus. Sed ipse solus ex deifica operatione Spiritus sancti in utero matris suæ conceptus, et de eadem virginea et intemerata carne beatæ D Mariæ progenitus totus immaculatus fuit, quia nunquam cogitatione, verbo vel opere aliquid peccati contraxit. Homo igitur sic a Deo conditus erat, ut, si non peccasset, nunquam mori debuisset, sed dum lapsus est peccando, pœnæ etiam peccati, morti scilicet addictus est justo Dei judicio. Mediator autem Dei et hominum homo Christus Jesus, quia solus inter homines a peccato liber erat, nihil morti debebat, sed mortem, quam justitia non exegit, ex sola dilectione, spontanea voluntate pro nobis subiit. Quæ pia miserantis voluntas in his comprobatur verbis : *Habens thuribulum aureum in manu sua*, quia non ex debito aut ex necessitate aliqua, sed larga et benigna voluntate causa redemptionis nostræ mortem pertulit, juxta illud quod de semetipso

loquitur dicens: *Potestatem habeo ponendi animam meam, et iterum sumendi eam* (*Joan.* x, 18). Si ergo nos indignos, quibus nihil nisi mala pro malis debuit, intantum dilexit, ut gratuita voluntate pro nobis mori non dedignaretur, spem magnam et fiduciam habeamus ad ipsum, sperantes quod pretioso sanguine suo redemptos nunquam nos derelinquat, Paulo affirmante, qui ait: *Commendat autem suam charitatem Deus in nobis, quoniam, cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est; multo magis justificati nunc in sanguine ejus salvi erimus ab ira per ipsum* (*Rom.* v, 8). Beata ergo passio Christi qualiter fructificaverit, quidve salutis et gratiæ **327** Ecclesiæ contulerit, sequens declarat littera, cum subinfertur:

Et data sunt ei incensa multa. Hinc *multa incensa* multimoda fidelium Christo digne famulantium sunt obsequia, quæ jugiter per diem et noctem ei impendunt memores multitudinis misericordiæ ejus et charitatis illius, quod dilectam animam suam in mortem tradidit. Ante passionem quidem Christi plerique erant, qui Deum Creatorem suum cognoscentes glorificabant, sed non in tanta amoris dulcedine, sicut nunc fideles ipsi serviunt, laudare eum noverant vel poterant, quia necdum redemptionis gratiam ab ipso consecuti fuerant. At ubi per passionem illius facta est redemptio, dulcedine laudis ejus repleta est terra, ita ut nullus jam locus in orbe lateat, quin illic aliqui sint qui nomen Domini cognoscentes, fideliter ei serviant. Idcirco autem Domini servi longas noctium vigilias in laudibus ejus expendunt, et quotidie in obsequio illius tantopere laborant, ut videlicet magnis laboribus, quos pro nobis sustinuit, pro modulo suo vel aliquantulum respondeant, et sicut ille corpus suum tradidit ad passionis supplicia, sic ipsi vicem et rependendo sub aliena potestate in servitutem redigunt corpora sua. Et vere beati illi, quorum corda a voce laudis non discordant, sed sicut corpore exterius, ita et mentis intentione divino operi insistere, quantum possibilitas admittit, satagunt, quia hi profecto gratiam illam consequuntur, quæ sequentibus innuitur:

Et ascendit fumus aromatum de manu angeli in conspectu Dei. Fumus aromatum lacrymosa est deprecatio fidelium, dum divina inspiratione compuncti peccata sua deflent; nec solum pro peccatis compunguntur, sed etiam ex desiderio cœlestis patriæ interdum ad lacrymas suaviter accenduntur. Est etiam *fumus aromatum*, quando homo opus redemptionis humanæ dulci ruminans memoria ex amore Redemptoris in lacrymas prorumpit, nec tantummodo communem redemptionis gratiam, qua totum genus humanum salvavit, verum etiam singularem pietatis dulcedinem, quam Deus cum illo operatus est, ad mentem reducit seque beneficiis ejus non solum ingratum exstitisse, verum etiam retribuisse illi mala pro bonis amaris deplorat fletibus in fervida compunctione cordis. Iste *fumus aromatum*, suavissima videlicet affectu sanctorum precum, *ascendit in conspectu Dei*, quia profecto **328** oratio illa, quæ in dulcedine lacrymarum ad Deum dirigitur, penetrat cœlum et pervenit usque ad ipsum summæ majestatis conspectum.

Ne autem homo talem gratiam suis meritis habere se glorietur, apte fumus aromatum ascendisse *de manu angeli* scribitur, quia magni consilii Angelus, Redemptor noster, per prævenientem et subsequentem gratiam suam omnia hæc in cordibus electorum suorum operatur. Ille quidem est qui fumum istum aromatum in terris accendit; idem ipse qui superius ascendentem in cœlis suscipit. Unde dignum revera est ut homo de bono, quod in se videt, nihil sibimet fallaciter usurpando attribuat, sed totum soli Deo, a quo bona cuncta procedunt, humiliter ascribat.

Hæc de solemnitate hodiernæ diei, quæ in Inventione sanctæ crucis celebris illuxit, prout potuimus, Deo opitulante, prælibavimus. Ipsam ergo gloriosam crucem Domini speciali devotionis affectu honorare nos oportet et diligere, quia per hanc absoluti sumus ab antiqua primæ prævaricationis maledictione. Sed hi nimirum memoriam vivificæ crucis recte venerantur et recolunt qui per continentiam vitæ imitatores illius sunt, qui carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifixerunt, stigmata crucifixi Domini in corpore suo portantes, ipsam ejus crucem in membris suis jugiter circumferunt. Cujus et nos imitatores esse pro modulo nostro studeamus, castificantes nos in timore Domini, corpora, inquam, nostra eidem semper memorandæ affigentes cruci. Fixuræ autem clavorum spiritales sunt disciplinæ quibus sensus corporis nostri, visum videlicet, auditum, gustum, odoratum et tactum, omnia omnino membra nostra, ne peccatis succumbant, fortiter debemus configere.

Omnes itaque, qui sic crucem Domini imitati fuerint, cum ad finem vitæ venerint, jamque in agone positis eadem crux sancta ante oculos eorum ponitur, læti eam aspiciunt et procul dubio per defensionis ipsius auxilium ab insidiis malignorum spirituum illic astantium muniuntur, et a potestate eorum eripiuntur, sicque liberi et expediti, hujus mortalitatis exuti miseria, ad æternæ beatitudinis transeunt gaudia. Ad quæ gaudia nos perducat qui per crucem et passionem suam de morte ad vitam nos reparavit, Jesus Christus Dominus noster, cui est honor et gloria per infinita sæcula sæculorum. Amen.

329 HOMILIA XLVI.

IN FESTUM S. BONIFACII EPISCOPI ET MARTYRIS PRIMA.

Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ (*Matth.* x).

Dominus et Salvator noster Jesus Christus discipulos suos contra visibilium luporum rabiem, contra visibilium dico inimicorum persecutionem, ad quos mittebantur, in quorum medio conversaban-

tur, sic præsens præsentes. sicut modo, cum Evangelium legeretur, audivimus, tunc armavit et corroboravit, ut et eisdem verbis nos moneret et doceret quo studio, qua sollicitudine contra invisibilium luporum, malignorum videlicet spirituum rabiem vigilare oporteret. Sublatis namque e medio persecutoribus, qui tunc electos Christi martyres insectabantur et impugnabant, vivunt adhuc, nec mori possunt, lupi ferociores his et nequiores, maligni spiritus, qui eos ad persecutionem et necem sanctorum instigabant.

Quorum morsus crudeles, ut cavere et evadere possimus, quasi presentem præsentibus nobis Dominum quotidie clamantem audiamus. *Ecce*, inquit, *ego mitto vos*, aperte insinuans quia, etsi secundum humanitatis suæ substantiam ad dexteram Patris in cœlo residet, secundum divinitatis suæ excellentiam nobiscum in terris manet, quemadmodum ipse protestatur dicens : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20). Ipse est missor noster, nos missi ejus; ab ipso enim mittimur, missi semper et ubique ab ipso inspicimur. Homo quidem, qui ab homine mittitur, fideliter sive infideliter in legatione illius, a quo missus est, agere poterit, a quo videri non metuit. Sed non talis Dominus, non talis missor noster, qui servis suis, quos mittit, ubique præsens diligenter considerat quam fidelem, quamque sollicitum se quisque in ejus missione exhibeat.

Tres namque sunt missiones, quibus mittuntur electi a Domino. Prima missio est quando homo, præventus gratia Dei, de sæculari vita ad vitam spiritalem mittitur; **330** secunda missio est quando per sanctæ conversationis exercitium ad dulcedinem orationis admittitur; tertia quando ad opus Dei consistit. In singulis his missionibus cautos nos et providos exhibere debemus, illorum qui semper et ubique nos persequuntur et impugnant, ferocissimam fortitudinem considerantes, nostram infirmitatem formidantes. Ait ergo Dominus : *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum.* Ovis animal est impotens et infirmum. Et est quasi dicat : *Mitto vos sicut oves*, sicut instabiles, sicut impotentes, sicut imbecilles, *in medio luporum*, in medio malorum spirituum, ut semper considerantes infirmitatem vestram sub manu mea vos humilietis, quia non vestra, sed mea virtute fortitudini eorum resistere valetis.

Ad hanc etiam infirmitatis nostræ impotentiam considerandam mittit nos Dominus loquens ad beatum Job : *Memento belli, ne ultra addas loqui* (*Job.* XL, 27). Quis est cum quo bellum gerimus? Serpens tortuosus, hostis antiquus, qui, quantæ superbiæ, quantæque fortitudinis sit, quod videlicet nec ipsis quoque electis et perfectis parcere noverit, figuraliter Dominus exprimit, cum post pauca subjungit : *Sternet sibi aurum quasi lutum.* Sequitur :

Estote ergo prudentes sicut serpentes. Suprema prudentia est, ut illud quod supra omnia est, ante omnia quærat et diligat, quod est regnum cœlorum. A Ait ergo Dominus : *Primum quærite regnum Dei et justitiam ejus* (*Matth.* VI, 33). Bene autem addidit, *sicut serpentes.* Prudentia serpentis est quod nimia calliditate et sollicitudine caput suum custodit, nec magnopere curat, si alia corporis parte lædatur, dum caput tantummodo illæsum permaneat. Et nos itaque prudentia serpentis imitantes caput nostrum, quod est Christus, summa sollicitudine observare debemus, ne a peccantibus nobis sic lædatur, ut penitus nobis moriatur. **331** Vel etiam sic caput nostrum observemus, ut cor nostrum et sensus cordis nostri illæsos, hoc est impollutos a pravis cogitationibus, a noxiis delectationibus custodiamus.

Et simplices sicut columbæ. Columba fel non habet, neminem rostro laniat, neminem unguibus B cruentat. Sic et nos instar *columbæ* sine felle amaritudinis simplices esse debemus, ne duplicitatem aliquam in corde teneamus, non rostro, id est verbis proximum lædentes, non unguibus, id est factis aliquem contristantes. Doctrina ista Dei doctrina solummodo est perfectorum, juxta quam nos, qui spiritales sumus, oportet judicari, testante Apostolo, qui ait : *In die, quando judicabit Dominus occulta cordium* (*Rom.* II, 16). Aliter enim spiritales judicantur et remunerantur, aliter sæculares judicantur et remunerantur; *alia enim claritas solis, alia claritas lunæ; stella enim a stella differt in claritate* (*I Cor.* XV, 41). Sequitur :

Cavete autem ab hominibus. In præcedenti versi- C culo admonemur de interiori cordis custodia; his autem verbis admonet nos Dominus qualiter in exteriori etiam homine custodire nos debeamus. Ad hoc enim lupi illi rapaces, maligni spiritus, die ac nocte laborant, ut et intus coram Deo in cogitationibus, et foris coram hominibus pravis nos actionibus prosternant. Unde sequitur :

Tradent enim vos in conciliis, et in synagogis suis flagellabunt vos. Concilium dicitur conventus judicantium; *synagoga* vero interpretatur *congregatio*. Nomine congregationis, quæ a gregando dicitur, gregales et bestiales cogitationes non incongrue figurantur. Sed quare dicit, *tradent autem vos?* Traditio malignorum spirituum suggestio est illorum. Et apte dicit : *Tradent autem vos in conciliis suis.* D Ad hoc enim conventum suum faciunt, ut judicent inter se quomodo hominem decipere, quibus suggestionum tendiculis eum possint subvertere. Conveniunt etiam, ut judicent inter se utrum suggestiones eorum homo velit recipere aut respuere. *Flagellant* nos *in synagogis suis*, hoc est in congregationibus suis, quando gregales atque bestiales cogitationes ingerunt nobis, quia quemadmodum visibili flagello corpus exterius sauciatur, sic cogitationes iniquæ quoddam flagellum sunt animæ, per quod miserabiliter dilaniata fœdatur. Sequitur :

332 *Et ad reges et ad præsides ducemini propter nomen meum in testimonium illis et gentibus.* Per *reges* possumus intelligere exteriores sensus, per quos regitur corpus, per *præsides* sensus interiores, qui

sensibus exterioribus præsident. Et notandum quod dicit : *ducemini*. *Flagellare* eorum pertinet ad consensum peccati, qui fit in cogitationibus : *ducere* eorum pertinet ad actum peccati, qui committitur per corpus. *Ad reges et ad præsides ducimur*, quando exterioribus et interioribus sensibus ad actum peccati suggestionibus malignorum spirituum inflectimur. Sed quare omnia ista faciunt nobis ? *Propter nomen meum*, ait Dominus. Nomine Jesu, quod *salvator* interpretatur, salus nostra figuratur. Igitur propter nomen ejus, id est propter salutem nostram insequuntur nos, ut ad æternæ damnationis interitum secum trahant nos. Ut autem suggestiones illorum et discernere et declinare valeamus, admonet nos Dominus in consequentibus :

Cum autem tradent vos, inquit, *nolite cogitare quomodo aut quid loquamini*. Ac si dicat : *Cum tradent vos*, hoc est cum primo suggestione sua incipiunt impetere vos, *nolite cogitare*, hoc est, in cogitationem vestram ea quæ suggerunt suscipere. *Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini*. Si purum cor vestrum et integrum servaveritis, nec ea, quæ suggerunt vobis, receperitis, *dabitur vobis* quid eis respondeatis ; *dabitur*, inquam, *vobis*, ut eis resistere valeatis. *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*. Loqui Spiritus sancti operatio est Spiritus sancti. Et est quasi dicat : Si vos non estis loquentes secundum eos, *Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*, hoc est qui operatur in vobis, *dabit* et docebit vos *quid loquamini* contra eos. Quod vero hæc Spiritus sancti operatio sit, figuraliter exprimit, cum dicit :

Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater filium, et insurgent filii in parentes, et morte eos afficient. Per *fratrem* hunc, qui *fratrem tradit in mortem*, potest, ut arbitror, spiritus hominis non inconvenienter intelligi, qui *fratrem* suum, quod est corpus, *in mortem tradit*, quando operante in eo Spiritu sancto in carne sua mortificat quidquid peccati et injustitiæ vivere in se considerat. *Et pater filium*. In patre, ut æstimo, **333** consensus boni sive mali, in *filio* vero actus boni sive mali convenienter potest intelligi (60). Fratre fratrem in mortem tradente, hoc est : Spiritu carnem mortificante, tradet et *Pater filium ;* quia bonus ille consensus, quem tunc homo, inspirante Spiritu sancto, ad bonum habere incipit, filium, id est actum peccati, quem genuit aliquando ex se, punire et comprimere incipit in se.

Cætera desunt in Cod.

HOMILIA XLVII.

IN VIGILIAM ASCENSIONIS DOMINI PRIMA.

Pater, manifestavi nomen tuum hominibus quos dedisti mihi (*Joan.* XVII).

Verba ista verba sunt unigeniti Filii Dei, qui in divinitatis suæ majestate consubstantialis et coæternus eidem Patri a celsitudine suæ divinitatis ad infima descendit nostræ mortalitatis, ut nomen Dei Patris in mundo manifestaret et notificaret electis suis. Sed quale *nomen* ejus ? *Nomen* utique Patris. A filiis appellatur nomen patris, nam qui filios non habet, pater dici non valet. Sed nunquid Abraham, Isaac et Jacob, aliique qui ante Christum fuerunt, Deum non cognoverunt nec crediderunt ? Cognoverunt utique et crediderunt. Cognoverunt, inquam, nomen Dei Creatoris, qui creavit omnia, sed non cognoverunt nomen Dei Patris, qui per coæternum sibi Filium, quem missurus erat in mundum, recreaturus et reparaturus erat omnia.

Genitus itaque æternaliter ab æterno Patre Dei Filius, a Virgine matre temporaliter homo in mundum natus, *nomen Patris manifestavit hominibus*. Et hæc eadem manifestatio sic necessaria erat, ut si non facta fuisset, nullus hominum salvari potuisset. *Hæc est enim*, ait Dominus, *vita æterna ut cognoscant te solum Deum, verum Deum, et quem misisti Jesum Christum*. Hoc est sane prædulce nomen illud et salutare, quod sanctificari in nobis petimus in Oratione Dominica, qua dicimus : *Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum* (*Matth.* VI, 9). Omnipotens Deus, cujus majestas incomprehensibilis, cujus potestas interminabilis, Pater est coæterni sibi Filii, Domini nostri Jesu Christi, cujus quia nos **334** membra sumus et esse debemus, ex ipsius institutione et doctrina, *Patrem* ejus ex natura, cum ipso ex ipsius gratia *Patrem nostrum* nominare audemus ; cujus si nos in nobis nomen sanctificare, prout oportet, studemus, non ingrati, non degeneres, sed electi, dilecti et nobiles filii esse valemus. Sic sane Patris nostri, qui *in cœlis* est, nomen digne et recte sanctificamus, si perfecte eum timemus ac amamus ; si eo quod Dominus et Deus noster est, propter timorem ejus mala vitamus, et propter amorem ejus, quia Pater noster est, bona agere studeamus. Ergo quia ex ipso et in ipso subsistimus, nec quidquam sine ipso, hoc est sine dono et gratia ipsius possumus, ab ipso, ut nomen ejus in nobis sanctificetur, hoc est ut voluntas et facultas declinandi in timore ejus mala, faciendi in amore ejus bona nobis donetur optamus, cum dicimus : *Sanctificetur nomen tuum*.

Post primam hanc petitionem sequitur petitio secunda, in qua *advenire regnum Dei* optamus (*ibid.*, 10), ubi et ipse regnet in nobis et nos cum ipso et in ipso regnare valeamus. Hæc sane petitio non in hoc sæculo, sed post decursam præsentis vitæ miseriam in glorificatione animarum complebitur, quia quandiu mortali corpore prægravati in regno peccati vivimus, nec peccati vitare maculam possumus, *regnum* Dei esse non possumus, quia etsi regnat aliquando Deus in nobis per visitationis suæ gratiam, variis succedentibus peccatorum contagiis, ne stabiliter regnet in nobis, regnum ejus in nobis dissipamus. Postquam autem deposito carnis onere illuc pervenerimus, ubi nulla unquam peccati **335** ma-

(60) Sic cod.

cula contaminari poterimus, ibi vere regnum Dei erimus. Ibi enim ita regnabit in nobis, quod nunquam tolletur a nobis.

Quia vero in hac glorificatione animarum necdum plenum constat gaudium electorum, tertia post hanc petitio adnectitur, quæ post resurrectionem mortuorum perfecte complebitur. Dicimus enim; *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra* (*ibid.*). *In cœlo* accipimus spiritum, *in terra* accipimus corpus nostrum. Petimus itaque ut voluntas Dei sicut spiritu, ita etiam et in corpore nostro fiat, hoc est ut voluntati Dei sic voluntas nostra adunetur et concordet, ut nec corpore nec spiritu aliquid cogitemus, desideremus aut quæramus, per quod a voluntate Dei in aliquo dissentiamus. Sed quando erit hoc? Nec in præsenti vita, nec in ipsa, quam post hanc vitam possident electi, requie animarum, sed in ea qua, post universalem resurrectionem, sancti et electi Dei remunerabuntur glorificatione animarum simul ac corporum complebitur. Sancti enim illi electorum spiritus, qui jam cum Christo gaudent in cœlestibus, quia adhuc in desiderio illo sunt, ut corpora sua, in quibus laboraverunt, recipiant (61) post peractam vero resurrectionem dum corpore simul et anima glorificati in æternam requiem transferentur, ibi fere *fit voluntas* Dei *sicut in cœlo et in terra*, quia spiritu, anima et corpore ita Deo unientur et stabilientur, quod ne dicam voluntate, imo nec minima quidem cogitatione a Deo separabuntur.

Explanatis pro modulo nostro tribus primis petitionibus, quomodo reliquæ tres quæ sequuntur respondeant videamus. Dicimus enim : *panem nostrum quotidianum da nobis hodie* (*ibid.*). In verbis istis petimus illam cœlestem supernæ visitationis dulcedinem, qua in hujus fame mortalitatis Pater noster, qui est in cœlis, dilectos suos filios alere consuevit. Quæ recte pani comparatur, quia sicut corporali pane homo exterior sustentatur, ne deficiat, sic plane pane isto spiritali anima recreatur, vegetatur, ut proficiat. Et bene quarta hæc petitio primæ respondet, qua dicimus, *sanctificetur nomen tuum*, quia qui istum panem ex misericordissima Dei visitatione quotidie habuerit, hic vere nomen patris sui, qui est in cœlis, sanctificare poterit. Ex ipsius **336** enim cœlestis alimoniæ, qua quotidie intrinsecus reficitur, dulcedine recreatur, informatur, confortatur, ut Deum timeat et diligat, ut propter timorem ejus a malo declinare, ut propter amoris ejus dulcedinem bonis studeat insistere, quod vere est sanctificare nomen Dei.

Sed et secundæ petitioni, qua dicimus : *adveniat regnum tuum*, quinta hæc respondet, qua supplicamus Deo dicentes : *Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*ibid.*, 12). Quemadmodum enim quandiu in hac vita subsistimus, semper offendimus, semper offensionum nostrarum atque debitorum remissionem quærimus, quam tamen nunquam perfecte in hac vita consequi possumus, testante Joanne, qui ait : *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est* (*I Joan.* I, VIII). Si talis hic atque tantus vir, qui supra pectus Domini in cœna recubuit, seipso teste sine peccato esse non potuit, quid nos dicemus, qui quotidie peccatis subjacemus? Ergo petitio ista, qua dimitti nobis petimus debita nostra, nequaquam fieri potest in præsenti vita. Cum autem advenerit *regnum Dei*, hoc est cum, deposito corpore mortis hujus regnum peccati esse desierimus, regnumque Dei esse cœperimus, ibi omnia debita nostra perfecte nobis dimittentur. Quia sicut nunquam ibi peccare poterimus, sic nunquam regnum Dei esse desierimus.

Ibi vere implebitur petitio sexta, qua dicitur : *Et ne nos inducas in tentationem* (*Matth.* VI, 13). Et bene sexta hæc petitio tertiæ illi petitioni respondet, qua dicimus, *fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra*. Quandiu enim in hac vita manemus, nullus hominum quantumcunque justus, quantumcunque sanctus vivere absque tentationibus valet. Sed quid dicimus de his qui sunt in loco tentationis, cum hi, qui jam cum Deo gaudent in cœli requie, nondum plenarie liberati sunt *a malo*, quia quod in semetipsis non patiuntur per doloris afflictionem, patiuntur in membris suis (illis videlicet electis, qui ubique peregrinantur adhuc in terra) per benignissimam compassionem. Quia quemadmodum, cum unum membrum corporis [patitur], omnia simul membra compatiuntur; sic pars illa corporis Christi, quæ in semetipsa nunc cum Deo est in **337** æterna beatitudine, compatitur parti illi quæ jactatur adhuc in fluctibus exsilii hujus et miseriæ. Sed post peractum judicium, cum diabolus, caput omnium iniquorum, cum membris suis præcipitatus fuerit in infernum, et Christus cum corpore suo, cum multitudine videlicet electorum suorum regnum suum introierit, ibi vere *liberabit* eos a *malo* (*ibid*), ubi seipsum dabit eis in præmium, et ipsi unum erunt in ipso, quia sine fine gaudebunt cum ipso. Unde ait ipse in Evangelio : *Amen dico vobis, quod præcinget se, et faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis* (*Luc.* XII, 37).

HOMILIA XLVIII.

IN FESTUM ASCENSIONIS DOMINI PRIMA.

Recumbentibus undecim discipulis, apparuit illis Jesus, et exprobravit incredulitatem illorum et duritiam cordis, quia his qui viderant eum resurrexisse a mortuis, non crediderunt (*Marc.* XVI).

Quia festiva Dominicæ Ascensionis gaudia celebramus, dignum est ut de ipso tantæ solemnitatis sacramento subtilius considerando loquamur. Dominus et Salvator noster, Redemptor videlicet humani generis, sicut omnia, quæ in diebus carnis suæ fecit, non pro se, sed pro nobis utique fecit, sic nimirum post gloriosum devictæ mortis triumphum non pro se, sed pro nobis hodierna die ascendit in cœlum. Ut enim moriendo mortem docuit non

(61) Videtur aliquid deesse.

timere, et resurgendo de vita confidere, sic ascendendo [de] cœlestis patriæ hæreditate docuit gratulari, ut quo caput præcessit, illuc se subsequi membra fidelium non dubitarent. Unde non immerito animus electorum spretis infimis ad superna cogitanda suspenditur, ubi singularis ille homo, *speciosus forma præ filiis hominum* habitat (*Psal.* XLIV, 3), cujus comparatione terrena omnia vilescunt, et quidquid est quod eo absente tenent, non sufficit, donec eum solum inveniant, quem unum unice quærunt et diligunt. Denique, sicut mos est peregrinantium in hoc mundo terram patriamque nativitatis suæ crebro cum gemitu et dolore ad memoriam revocare, sic nimirum justi ad videndam et recipiendam patriam suam, terram videlicet viventium novis quotidie desideriis inflammantur, optantes quatenus finitis hujus sæculi ærumnis capiti suo, id est Christo **338** perpetuo sociari mereantur. Ergo qualiter unum facti cum illo cœlorum alta conscendere, et cœlestis patriæ cives fieri quandoque mereamur, præsentis sancti Evangelii verbis instruimur et roboramur. Ait ergo evangelista :

Recumbentibus undecim discipulis. Quicunque præveniente gratia Dei, contemptis hujus mundi fallaciis, jugum Domini suave et onus ejus leve super se suscipiunt, seque exercitandos et erudiendos de agnitione Dei magisterio spiritali submittunt, merito *discipulorum* Christi vocabulo censeri digni inveniuntur. Qui dum mente revolvunt in quantum per illicita opera a Deo deviaverint, zelo justitiæ accensi alieno imperantis sibi judicio devote se substernunt, et quantum in ipsis est, se contra se erigentes peccata sua pœnitendo solerter insequuntur. Hi utique quoniam decem præceptorum Dei transgressores inveniuntur, non de perfecto, sed de undenario discipulorum Christi numero esse describuntur. Per denarium quippe, qui perfectus est in numero, perfecta Decalogi designari valet observantia; per undenarium autem, qui perfectionem non habet, transgressio præceptorum Dei figurari potest.

Sunt igitur, ut diximus, quasi de undenario numero, quos adhuc imperfectos intra conscientiam mandatorum **339** Dei vehementer redarguit transgressio, cujus transgressionis debitum si digna satisfactione Deo reddere voluerint, procul dubio toto studio totisque viribus conformari eos oportet *discipulis recumbentibus.* Dicimus enim proprie *recumbere* jacere : unde et antiqui inter convivia non solum sedere, sed et recumbere soliti erant. Unde et per recubitum vera humilitatis virtus exprimi valet, quæ internam animi quietem tribuere solet. Ut ergo transgressionis illorum culpa diluatur, sint *discipuli recumbentes*, hoc est veraciter se ipsos humiliantes; nam ex toto corde contritis et humiliatis mox aderit gratia pii Conditoris, juxta quod sequitur :

Apparuit, inquit, *illis.* Apparere Dei est interna illos visitare dulcedine qui præter ipsum solum nulla penitus refoveri appetunt consolatione. Qui quanto longius ab humanis repelluntur prosperitatibus, tanto dulcius divinis jucundari merentur consolationibus. Et notandum quod *apparuisse* dicitur, quia, proh dolor! non mansuro, sed repentino et citius transeunte quodam corusco dulcedinem intimæ suavitatis prægustando cognoscunt, quemadmodum beatus Paulus ait : *Videmus nunc per speculum et in ænigmate* (*I Cor.* XIII, 12). Ergo quia immensitatem tantæ dulcedinis quasi furtim et per transitum vident, recte apparitio quædam dici valet. Quæ utique apparitio internæ videlicet suavitatis gratia quanto plus semel gustata ambitur, tanto magis esurienti animæ infusa adaugetur. E contra desides et negligentes, qui venientem ad se Dominum nec cum amore suscipere, nec avertentem se ab eis per interna desideria revocare contendunt, prorsus benedictionis hujus extorres fiunt. Non enim ad contemplanda interna perducuntur, nisi a terrenarum rerum strepitu studiose subtrahantur. De talibus per Psalmistam dicitur : *Noluit benedictionem et elongabitur ab eo* (*Psal.* CVIII, 17). Nolle benedictionem Dei est post degustata cœlestia dona iniquis operibus a Deo elongari.

At vero electi quanto in bonis actibus se probabiliores reddunt, eo magis hujus apparitionis gustui approximant, sicut per beatum Jacobum dicitur: *Appropinquate Deo* bonis desideriis, *et appropinquabit vobis* (*Jac.* VI, 8), per multimodam gratiam suæ benedictionis. Quicunque igitur **340** hujus apparitionis radium quantulumcunque perceperit, profecto seipsum in vera cognitione totum invenit, et dum peccata sua sollicite considerando examinat, stringitur per timorem, et ex hoc raptus in agnitionem Dei per internum quemdam pascitur amorem, pensans quæ a Deo bona percepit, et quanta mala bonis illius perverse vivendo reponit, quam patienter toleraverit quem justo judicio suo punire debuisset; quomodo alium meliorem et fortiorem se repulerit, se vero introrsus ad se misericorditer traxerit. Hæc dum intra sinum retractationis recolligunt, seipsos vehementer redarguunt, quemadmodum sequitur :

Exprobravit incredulitatem illorum et duritiam cordis. Deus enim clemens et misericors tunc *exprobrat* homini, quando ipsum hominem exprobrantem et irascentem sibimetipsi facit pro pristina *incredulitate* sua. Pristina nempe vita hominis peccatis apte *incredulitas* quædam dici valet. Nam dum iniquis operibus fidei contradicit, licet verbo tenus credulus et fidelis dicatur, tamen præmium fidei, quod ex merito bonæ actionis remunerari potuisset, non habet. Unde de talibus per Jacobum dicitur: *Confitenter se nosse Deum, factis autem negant* (*Tit.* I, 16). Igitur anima in compunctione affecta cum factorum suorum facta ignominiosa reminiscitur, seipsam pœnitentiæ mucrone transfigens exprobrando, increpando persequitur, et in ipsa afflictione mentis dulcedo simul et amaritudo conveniunt. Dolet se

lugenda commisisse, et tamen ipsa amaritudo pœ- A nitentiæ dum mentem affligit, eadem ipsa intrinsecus dulciter reficit. Attendit sibimet iratus quod in tantam devenerit duritiam cordis post gratiam conversionis; attendit quomodo exterior homo, qui per laborum certamina quotidiana exercitari debuit, negligentiæ vel torpori se mancipaverit; et dum uniuscujusque animam, quam Deus inspirando inhabitat, quanta sanctitate fulgeat, quam solemnem diem Domino in corde suo agat, considerat, damnum negligentiæ et pigritiæ suæ pensando fortiter objurgare semetipsum incipit. Sed unde hæc duritia cordis nascatur, apte sequentibus verbis demonstratur, cum subjungitur:

Quia his, qui viderant eum resurrexisse a mortuis, non crediderunt. Cum nullus sit mortalium adhuc in B carne viventium, qui teste oculo resurrectionis **341** Christi insignia se vidisse fateatur, nec quemquam eorum viderit, quibus veraciter post resurrectionem suam apparuisse legitur, necesse est ut quod secundum litteræ speciem probare nequimus, ad utilitatis nostræ profectum per mortalitatis sensum mystice vertamus. Quatuor nempe modis Deus omnipotens ab electis suis specialiter videtur; quibus modis ad se invisibiliter trahit quos per adoptionis spiritum in sortem filiorum suorum pervenire quandoque prædestinavit. Quidam enim Dominum, quasi natum ac teneris indutum membris, in præsepi pannis involutum vident, quidam in cruce pendentem, alii a mortuis resurgentem, nonnulli ad cœlos ascendentem. C Hæc sunt quatuor sacramenta, quæ semel in terra conversatus omni humano generi exhibuit. Sed et hæc eadem sacramenta usque in finem sæculi in electis suis spiritaliter operari non desinit. In quibusdam enim Deus homo quasi nasci et concipi videtur, quando ipso donante bonæ voluntatis concipiunt desiderium; sed quandiu bona voluntas nondum ad perfectionem consummati operis pervenit, tandiu quasi puer et tenellus filius est Deus in corde hominis. Optant quippe interdum de concupiscentiis hujus mundi egredi, sed e contrario relinquere terrena omnia valde impossibile dijudicant. Interdum vires corporis ad tolerandos labores non suppetere causantur. Cum vero tandem relictis omnibus abnegare seipsos et crucem Domini bajulare cœperint, D quasi in cruce pendentem Dominum vident, cujus repleti devotione parant se ad omnia mala toleranda pro nomine ejus; carnem enim suam cum vitiis et concupiscentiis crucifigentes Christo gestiunt commori, et, quantum in ipsis est, per omnia similitudini mortis ejus configurari.

Ita ergo peccatis mortui et justitiæ viventes vident quasi gloriam Dominicæ resurrectionis. Nam ille vere in Christo resurrexit qui, veterem hominem cum actibus suis deponens, non in carne sed in spiritu, non in vetustate, sed in novitate vitæ ambulat. Sed hi omnes quam eminentes et laudabiles coram Domino sint audivimus. Sed adhuc eminentiores et sublimiores inveniuntur in quibus Christus dignatur ascendere, ita ut ipsi cum Deo ad Deum transeant ascendendo sursum per gratiam contemplationis, assidue tendentes illuc corde ubi ille ascendit corpore. Quicunque igitur talibus credere **342** recusaverint qui hoc modo, ut diximus, Deum videre meruerunt, procul dubio frigido et duro corde remanebunt. Quomodo autem non credunt, nisi quia laudabilem conversionem sanctorum jam cum Christo regnantium, sive adhuc in carne laudabiliter viventium imitari contemnunt? Hoc denique verbum *credere* apte pro imitatione ponitur, Verbi gratia: Quidquid homo verax et admodum fidelis pronuntiaverit, omnino sequi et imitari opportunum videtur; et ideo convenienti ratione illi *non credere* dicuntur quia bona facta, quæ in aliis vident, minime sequendo imitantur. Sed quia perpauci sunt electi, qui hujus apparitionis talisque exprobrationis modum experiantur, qui resurgentes vel ascendentes imitentur, tamen quia nemo est, qui se abscondat a calore ejus, nequaquam pauperum suorum misereri obliviscitur Deus, sed quid agendum sit, misericorditer innotescit. Sequitur:

Et dixit eis: Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Ire in universum mundum est ex omni parte cognoscere seipsum, quomodo non in uno corporis membro, sed cum omnibus membris suis, visu, auditu, gustu, odoratu, et tactu offenderit Deum. Quia vero, ut beatus Gregorius ait, omnis creaturæ nomine signatur homo, recte *prædicat* ille *Evangelium omni creaturæ* qui eisdem membris suis, quibus contra præcepta Dei deliquit, formam bene vivendi juxta præceptum Domini proponit, ut recto jam moderamine incedant quæ prius per illicita opera a Deo deviaverant. De quibus actus suos diligenter examinantibus et discutientibus recte subinfertur:

Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit. Supra diximus incredulitatem esse pristinam hominis vitam in peccatis; istud vero *credere* in bono accipi potest. Nam illi veraciter *credunt* qui præceptorum Dei custodia constricti beneplacitis Deo insistunt virtutum operibus. Hi altiori agnitione veritatis attacti, ad videndum internum lumen baptizandi per lacrymas accedunt, ubi quotidianis fletibus in interiori homine renovantur et sanantur, nec tantum graviora flagitia, sed et fenum et stipula, levioris scilicet excessus opera per hujus compunctionis ignem absumuntur. Sed quia hujus baptismatis gratia non omnibus hominibus administratur, quibus tamen bene vivendi censura injungitur, apte mox sequitur:

343 *Qui vero non crediderit, condemnabitur.* Non enim ait: *Qui non baptizatus fuerit, condemnabitur,* sed quod paucorum esse præscivit, prætermisit et illud, quod omni homini congruit, videlicet *credere,* quod est beate vivere, posuit. Sunt etenim nonnulli qui salutari compunctionis fonte baptizari non merentur, et per hoc minime damnantur. *Qui vero non crediderit,* hoc est qui male vivendo operibus iniquis

fidei contradicunt, justæ damnationis sententiam subibunt. Qui enim beate vivere contempserint, et in profundo vitiorum usque ad terminum vitæ perduraverint, quantalibet consolationis gratia a quoquam hominum foveantur, nulla tamen ratione cœlestis regni aditum se adipisci sciant, nisi per pœnitentiæ lamenta veraciter convertantur. Sed inter hæc unusquisque nostrum seipsum fortassis intuetur, scire desiderans utrum in sortem electorum Dei salvandus pertingat, an reproborum vindicta Deo justo judice damnari debeat. Hæc cum pavore considerantibus, mox quid futurum sit eis, sequentibus verbis edocentur:

Signa autem eos qui in me credunt hæc sequentur: In nomine meo ejicient dæmonia, linguis loquentur novis, serpentes tollent. Si enim tria sequentia signa in ipsis spiritaliter expleta fuerint, in gloriam filiorum Dei se quandoque transire nullo modo dubitare debent. Videamus ergo quænam sint hæc signa non corporalia, sed spiritalia, quæ in mente aguntur, per quæ non corpora, sed animæ curantur, qui recte vivendo antiqui hostis pompis ac operibus abrenuntiant, ut qui erant vasa iræ apta in interitum, jam sint vasa misericordiæ per laudabilis conversationis meritum. *Linguis loquuntur novis*, qui vitæ veteris sæcularia verba derelinquunt, et jam cœlestia mysteria eloqui ac Conditoris sui laudes et potentiam enarrare, in quantum possunt, satagunt. *Serpentes tollunt*, dum post relicta opera mala et verba inutilia et desideria illicita de cordibus suis auferunt, qui etsi internam munditiam cogitationum nequeunt observare, ipsas tamen peccati concupiscentias in seipsis student castigare.

Et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Cur *mortiferum* potius *bibere* quam manducare dicantur **344** debemus animadvertere; nam mortis antidotum non solum in potu, sed et in cibo nonnunquam sumitur. Sed si attendamus quod esca manducantibus quemdam, ut ita dicam, laborem ex crebro masticamine dentium præbet, potus vero lenem et facilem transitum per guttur hominis habet, recte per haustum veneni lubricas serpentis suggestiones possumus accipere, quæ interna cordium ita facile penetrant, ut non sentiantur, et per speciem boni nonnunquam ad vitia tanquam ad virtutes pertrahant. Ille igitur *mortiferum bibit* qui pestiferis diaboli suggestionibus incaute decipitur. Sed si se ingerat mentibus electorum per tentamenta suggestionum, non eis nocebit, quia juxta sequentia verba: *Super ægros manus imponent, et bene habebunt.* Et quid per *manus* nisi operationis bonæ virtus exprimi potest? Electi igitur dum ad cor introrsus redeunt, qualescunque excessus suos invenerint, manu sanctæ operationis cooperiunt, *et bene habebunt.*

Quicunque recumbentium discipulorum unus est, et sub præsentia apparitionis Domini actus suos discutiendo solerter sibi exprobraverit, et incredulitatem suam per bonam conversionem diluerit, et negligentias vitæ suæ, quibus promeruit duritiam

A cordis, ante oculos suos ponendo coacervaverit, et exempla Patrum præcedentium et aliorum in carne laudabiliter viventium in corde suo congerere non destitit, qui baptismo lacrymarum a vetustate sua renovatur, qui incredulitate non stringitur, dum sanctorum opera inspiciens eorum imitatione provocatur, ac tribus sequentibus signis, operibus scilicet, et verbis suis et desideriis cautus et circumscriptus fuerit, divinitus exaltari meretur, juxta quod sequitur:

Et Dominus quidem Jesus, postquam locutus est eis, ascendit in cœlum, et sedet a dextris Dei. Postquam enim hæc omnia, quæ prædiximus, Conditor noster inspirando et adjuvando perfecerit, *ascendit in cœlum*, in ipsis utique electis ponens ascensum

B suum, ut ipsi per eum sursum mente ascendentes suavitate intima perfruantur. Sed et alio modo *cœlum ascendunt*, dum Scripturæ sacramenta sensui et intellectui eorum aperire dignatur.

345 Sed unde hoc totum habeant, et cui ascribere debeant, adjungitur, cum subditur, *et sedet a dextris Dei.* Quia Dominus noster *ad dexteram Patris sedisse* alibi legitur, quærendum quare hic non ad dexteram, sed *a dextris Dei* sedisse scribatur. *Dexteræ Dei* gratiæ ejus vel opera misericordiæ ejus sunt; *sedere* autem *a dextris Dei* est humilem existere de perceptis muneribus Dei, quia quidquid est quod pii possunt, quod habent, quod cupiunt, non de suis meritis, sed *a dextris Dei*, hoc est solius Dei auxilio et opere se accepisse recognoscere debent.

C Ex hac sessione, id est vera cordis humilitate, qua de perceptis Dei beneficiis humiliantur, et glorioso nomini ejus ascribunt, ipse etiam sedem et mansionem in eis facere dignatur, et de virtute in virtutem magnis profectuum gradibus transire facit, quemadmodum sequitur:

Illi autem profecti prædicaverunt ubique Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis. In magnis **346** denique virtutum profectibus sese exercentes *prædicant ubique*, quia sancta conversationis eorum exempla sunt quasi quædam vivæ vocis prædicamenta. Nam etsi ad publicum prædicationis officium non exeunt, ipsis tamen moribus suis et sanctæ conversationis studiis exem-

D plum præbentes, semper et ubique proximos suos, præveniente et subsequente gratia Dei, informant et edocent, juxta quod sequitur: *Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis.* Denique in cunctis operibus eorum cooperator existens, sermonem, quem prædiximus de ineffabili ipsius apparitione, quæ exprobrationem laudabilem pro incredulitate et duritia cordis in homine seipsum dijudicantis excitat, et alia, quæ Deo donante perstrinximus, cum signis sequentibus, quæ spiritaliter in mente aguntur in electis suis, ipse cooperando confirmabit Jesus Christus Dominus noster, qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XLIX.

IN FESTUM ASCENSIONIS DOMINI SECUNDA.

Ascendens Christus in altum captivam duxit captivitatem (*Psal.* LXVII).

Præsentis diei festivitas tanto majori devotionis studio nobis cunctisque fidelibus celebranda est et veneranda, quanto majori gratia ipse Dei Filius, qui sua eam ascensione consecravit, humanam in hac die naturam sublimare curavit, dum supra id quod creata fuit, in semetipso eam hodie transtulit. Sic enim conditus erat homo, ut si in humilitate et obedientia cum Deo perstitisset, ad consortium angelorum transire debuisset. Sed consideremus quanta omnipotentis Dei dignatio, quam inæstimabilis ejus circa nos fuerit miseratio, qui post culpam majorem contulit gratiam, dum humanam naturam non solum post lapsum reparavit, sed etiam, quo nunquam pervenisset, si lapsa non fuisset, supra omnes videlicet choros angelorum in semetipso transvexit. Hinc dicit Scriptura:

Ascendens Christus in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus. Captivitas, quam ascendens in altum hodierna die *captivam duxit*, multitudo fuit electorum suorum, quos resurgens ab inferis reduxit. Sed et ipsam *captivitatem* secundum verba beati Augustini, ipsum mortis principem intelligimus, qui omnem mundum captivaverat, quia omne humanum genus suæ ditioni subjugaverat. *Captivam* Unigenitus Dei *duxit captivitatem*, dum morte sua destructo mortis imperio substratum pedibus suis humani generis inimicum potentia virtutis suæ ita contrivit, et colligavit, quod, ne dicam super bonos et justos, sed et super ipsos peccatores et injustos, nullam potestatem habere, nullam malitiæ suæ crudelitatem valet, nec audet exercere, nisi quantum ipse permiserit, qui eum catena suæ virtutis et potentiæ vinctum tenet. Hinc Apostolus dicit: *Fidelis Dominus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis* (*I Cor.* X, 13). Qui enim ante passionem, resurrectionem et ascensionem Domini bonos et malos, justos et injustos potenter absorbuit, modo nec in ipsis peccatoribus, si vel unius momenti ante mortem pœnitentia eorum fuerit, potestatem aliquam habere poterit.

Quod autem addidit, *dedit dona hominibus*, dona Spiritus sancti, quæ post **347** ascensionem suam distribuit fidelibus apte intelligimus, per quæ utriusque sexus fideles, viri scilicet ac mulieres eruditi et inspirati ad diversa spiritalis vitæ conversationis studia accincti Deo servire cœperunt, et usque in finem sæculi servire non cessabunt.

Sed et hæc eadem verba, quæ de capite dicta sunt, ad membra nihilominus referri possunt. *In altum* Christus *ascendit*, quando cor hominis, quem salvare decrevit, ab inferis ad superos, a carnalibus desideriis ad cœlestia desideria per visitationis et inspirationis suæ gratiam sublevat et accendit. *Captivam ducit captivitatem*, dum peccata et vitia, sub quibus quasi captivus abductus et seductus diabolo

A servivit, per misericordiam Dei in semetipso superat et comprimit. Post captivatam captivitatem, post relictam et superatam vitiorum enormitatem sequitur:

Dedit dona hominibus. Dona ista sunt diversa gratiarum munera, quæ omnipotens Dominus suis tribuit fidelibus dum hominem peccatorem et vitiosum, hominem facit justum et virtuosum, hominem insipientem et nescium veritatis, hominem facit sapientem et gnarum justitiæ et æquitatis, dum eum per sacræ Scripturæ illuminationem ad Dei et sui ipsius perducit cognitionem.

Tales nimirum homines spiritalis utique vitæ æmulatores, in quorum altum sic Deus ascendit, quorum captivitatem sua virtute captivam duxit, quibus B dona sua dedit, in lectione hodierna Lucas evangelista mystice prænotavit, cum dixit: *Igitur qui convenerant, interrogabant eum dicentes: Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel?* Bene dicitur de his *qui convenerant*, qui, relicto sæculo, corpore, anima et spiritu in unitate fraternæ charitatis et dulcedinis in sancta conversatione Deo militant, quorum delectatio et cogitatio cum sit in Altissimum, cum nihil in hoc mundo quærant et diligant præter Deum, recte de eis dicitur: *interrogabant eum.* Interrogare eorum est desiderare eorum. *Domine*, inquiunt, *si in tempore hoc restitues regnum Israel?* Ac si dicant: Domine, fons indeficiens æternæ dulcedinis et gratiæ, ecce, ante te omne desiderium animæ meæ, insinua mihi **348** in miserationis tuæ C multitudine, *si in tempore hoc* sacrosanctæ ascensionis tuæ destructo in me regno vitiorum *regnum* tuum facies in me? si tu solus, quem solum desidero, quæro et diligo, in me regnare, si aliqua dignationis tuæ gratia *hoc in tempore* digneris me visitare?

Verum quia gratia ista internæ dulcedinis non in voto hominis, sed in potestate et pietate omnipotentis Dei consistit, qui eam, quando vult et quomodo vult, suis electis tribuit et subtrahit, recte respondit: *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Cum non possit homo omni tempore æterno intendere bono, sunt tempora a temporibus separata, ut est præsens dies cæteraque solemnia, in quibus is qui amatur, D omnipotens videlicet Dominus, a beata anima studiosius quæritur, ardentius desideratur. Illa nimirum *tempora* notantur hic, cum dicitur: *Non est vestrum nosse tempora.* Quod vero additur, *vel momenta*, in hoc non incongrue ipsam horam supernæ visitationis possumus accipere. Et est quasi dicat: Non est vestræ possibilitatis, ut *tempora vel momenta* meæ visitationis *nosse*, vel ad votum vestrum habere debeatis. Et adjecit, *quæ Pater posuit in sua potestate. Pater* relativum nomen est ad *Filium;* nisi enim Filium haberet, Pater dici non valeret. Et est quasi dicat: Quæ per vos habere non potestis, gaudete, quia in ejus potestate posita sunt, cujus vos filii estis, qui cum opportunum et utile vobis esse perspexerit, quia *Pater* est, paterna vobis dulcedine præ-

stare poterit. *Non est vestrum*, inquit, *nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.*

Sed accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos, et eritis mihi testes in Jerusalem et in omni Judæa et Samaria, et usque ad ultimum terræ. Virtus Spiritus sancti virtus est humilitatis. Hæc est nimirum virtus illa, quam Apostolus virtutem Christi appellat, ubi dicit : *Ut inhabitet in me virtus Christi* (*II Cor.* XII, 9). Et vere quæ est virtus Christi, virtus est Spiritus sancti. Propterea, inquit, *non est vestrum nosse tempora vel momenta*, ut *accipiatis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos*, hoc est ut in vera **349** humilitate ei vos submittatis, a quo solo et per quem solum consequi potestis, quod desideratis. Nec otiosum mihi videtur quod ait, *sed accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos. Supervenit in nos virtus Spiritus sancti*, dum hoc quod superius est in nobis, cor utique hominis, humilitate tangitur, quæ vere virtus est Spiritus sancti. Et postquam hanc virtutem supervenientis in nos Spiritus sancti acceperitis, *testes* mei esse poteritis *in Jerusalem*, in vera vestri recognitione, *in omni Judæa*, in vera cordis et oris confessione, *et Samaria*, in vitæ observatione, *et usque ad ultimum terræ*, in plena carnis mortificatione. Nec injuste per *Jerusalem*, quæ visio pacis dicitur, ipsius hominis recognitio exprimitur, quia qui vere seipsum recognoscit, non dissidet a se, sed humilis et mansuetus subsistens in se quasi in *visione pacis* positus requiescit. Unde enim in nobis dissidemus, unde tantis impatientiæ turbinibus subjacemus, nisi quod veram nostri recognitionem non habemus? Si enim perfecte nosmetipsos cognosceremus, non solum de minimis non moveremur injuriis, sed etiam grandia interdum mala levia putaremus. *Testis* igitur operum Christi quasi *in Jerusalem* homo fit, dum in vera humilitate seipsum recognoscit ; fit *testis* ejus *in omni Judæa*, dum post veram sui cognitionem ad veram consurgit confessionem ; fit *testis* ejus *in Samaria*, quod interpretatur *custodia*, dum post veram confessionem ad perfectam vitæ observationem accingitur ; fit *testis* ejus *usque ad ultimum terræ*, quando per sollicitam vitæ observationem ad plenam carnis pertingit mortificationem. Sequitur :

Cumque hæc dixisset, elevatus est in cœlum. Dicere Dei est facere Dei. Et bene dicitur, *cumque hæc dixisset*, quia in quocunque hominum sua misericordia Deus ista fecerit, in illo procul dubio *elevatus in cœlum*, dum cœlesti dulcedine ita eum sublevat ad se, ut quidquid in imo est, per desiderium mentis transeat ad solius Conditoris et Redemptoris sui amplexus anhelet et ardeat. Post hæc recto ordine subinfertur :

Cumque intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo viri astiterunt juxta illos in vestibus albis, qui et dixerunt. Duo illi *viri* duo Testamenta possunt accipi, quæ tunc vere homini illi, in quo **350** Deus ista fecerit, *assistunt*, quia quidquid ex sacra scriptura Veteris ac Novi Testamenti audierit, vel legerit, totum ei sapit, totum ad amorem Dei eum provocat et accendit.

Hic Jesus, inquiunt, *qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.* Ac si dicatur, *Hic Jesus*, hic æternæ salutis auctor et dulcedinis, *qui a vobis assumptus*, qui in cœlesti vobis dulcedine est conjunctus, *sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum*, quia etsi ad horam recedit quasi deserens vos, iterum in eadem humilitatis mansuetudine si quæsitus fuerit, in eadem multitudine misericordiæ suæ veniens visitabit vos.

Hæc sunt præsentis diei gaudia, hæc sunt Dominicæ Ascensionis solemnia, in quibus peracta et completa sunt universa redemptionis nostræ sacramenta, quemadmodum dicit Psalmista : *Dominus*, inquit, *salvabit me vespere, mane, et meridie* (*Psal.* LIV, 18). Per *vespere* designatur Christi passio, per *mane* Christi resurrectio, per *meridiem* Christi ascensio. Sed quare incarnationis ejus sacramentum prætermisit? Idcirco, ut æstimo, quia in incarnatione Christi humani generis salvatio est quidem initiata, sed non consummata, quia nascente Christo et in hoc mundo conversante animæ, sicut et ante, descendebant ad infernum, nullus quantumcunque justus vel sanctus promereri potuit regnum cœlorum. Adveniente autem *vespere* illo, in quo æterna vita salutis nostræ gratia mortem degustare voluit, infernus spoliatur, paradisus reseratur, sicque impletum est quod dicitur : *Dominus salvabit me vespere, et mane.* Post vespere et mane subjunxit, *et meridie*, quia humana natura per mortem et passionem Christi salvata in ascensione Christi plene est glorificata, quando in ipso Domino nostro Jesu Christo super omnes choros angelorum ad dexteram Dei Patris est collocata. Hæc sunt redemptionis nostræ sacramenta, sine quorum fide nemo salvari poterit, quemadmodum sequentibus verbis mystice Psalmista insinuat, cum dicit : *Vespere et mane et meridie narrabo et annuntiabo, et exaudiet vocem meam. Narrabo*, inquit, ut sciatur ; *annuntiabo*, ut credatur, quia omnis, qui hæc ejus sacramenta fideliter crediderit, recteque vivendo secutus fuerit, hujus vocem **351** Deus exaudit, hujus oratio fructuosa et Deo acceptabilis erit.

Nec injuste in *meridie* ascensionem Christi peractam credimus. Testatur enim nobis hoc Marcus in hodierna sancti Evangelii lectione, qua dicit : *Recumbentibus undecim discipulis apparuit illis Jesus et exprobravit incredulitatem illorum, et duritiam cordis, quia his, qui viderant eum resurrexisse a mortuis, non crediderunt.* Recumbebant, quando reficiebant, et illa refectionis hora sublato ab eis Sponso semper nona fiebat, quemadmodum loquens ante passionem suam idem Sponsus discipulis Joannis prædicebat : *Non possunt*, inquit, *filii Sponsi lugere, quandiu cum illis est Sponsus; veniet autem tempus, cum auferetur ab eis Sponsus, et tunc jejunabunt* (*Matth.* IX, 15).

Notat nobis nihilominus hunc meridiem scriptura Veteris Testamenti, ubi legimus de Joseph et fratribus ejus ad se venientibus, nec tamen quod frater eorum esset agnoscentibus; quos cum ad agnitionem suam admittere vellet; præcepit dispensatori domus suæ dicens : *Introduc viros domum, et occide victimas, et instrue convivium, quoniam mecum comessuri sunt meridie* (*Gen.* XLIII, 16). Per Joseph Deus Pater figuratur, per dispensatorem domus ejus unigenitus Filius ejus designatur, cui præcepit, ut instrueret convivium, quando eum in Redemptorem generis humani misit in hunc mundum. Convivium hoc humanæ redemptionis, convivium æternæ salvationis, ad quod omnes vocati sunt, qui fidem Dei receperunt, aut recepturi sunt, tunc instruere cœpit, quando incarnatus de Spiritu sancto in utero Virginis concipi voluit. Instruxit illud nascendo, instruxit moriendo, instruxit resurgendo, instruxit, imo et perfecit hodierna die cœlos ascendendo. Unde bene dispensator domus Dei, quod est sancta Ecclesia, appellatur, cujus ipse redemptionem per suæ incarnationis fecit dispensationem. Ait ergo : *quoniam mecum comessuri sunt meridie.* Cum enim hodierna die meridiano tempore circa horam nonam victor in cœlum ascendit, illis suis electis de tenebris et umbra mortis ereptis, quos secum adduxit, apposuit **352** convivium illud quod instruxit, ubi sedente primogenito juxta primogenita sua, et minimo juxta ætatem suam, unicuique secundum merita sua æternæ beatitudinis distribuit gaudia.

Nec vacat a mysterio quod, peracto convivio, carnalis ille Joseph scyphum suum argenteum, in quo augurari solebat, in ore sacci fratris sui junioris poni præcipiebat. Per fratres seniores significabatur populus Judaicus; per juniorem fratrem Benjamin, qui *filius dexteræ* interpretatur, populus Christianus figurabatur, in cujus sacco scyphum suum argenteum verus ille Joseph poni præcepit, quando misso desuper Spiritu sancto sacræ mysteria Scripturæ populo Christiano in unitate fidei congregato revelare cœpit. Sicut enim tunc per scyphi illius occasionem reducti sunt fratres Joseph ad familiarem ejus recognitionem, sic ex sacri mysterio eloquii, quod jam per illuminationem Spiritus sancti repositum est in corde populi Christiani, eveniet, quod populus Judaicus, per seniores fratres designatus, in fine mundi una cum populo gentium, qui tunc inventus fuerit, ad familiarem veri Joseph cognitionem et amorem perveniet.

Recte autem de scypho isto argenteo, quod in eo Joseph augurari soleret, dicitur; quia in sacra Scriptura diversa nobis auguria proponuntur, quomodo videlicet recte viventes per bonæ operationis studium æternæ vitæ consequantur præmium; quomodo hi, qui male vivendo salutem suam negligunt, perpetuæ damnationis incurrant periculum. Hæc ipsa auguria invenimus hodie in lectione evangelica : *Qui crediderit*, inquit Dominus, *et baptizatus fuerit, salvus erit; qui autem non crediderit, condemnabi-* A *tur.* Ecce unum augurium æternæ salvationis perducens ad regnum cœlorum! Ecce aliud augurium, ignem comminans infernalium suppliciorum!

His de præsentis diei gaudiis breviter prælibatis exsultemus hodie cum angelis, quia nimirum convenit ut in hac die Dominicæ Ascensionis ad speciale gaudium attollamus corda nostra, in qua constat quod diabolo, salutis et beatitudinis nostræ inimico, propter humanæ **353** naturæ in Christo exsultationem lethalis oborta sit tristitia. Nam quod Deus homo fieri et nasci voluit, ex hoc quidem ineffabili mœrore contabuit; quod passus et mortuus est et resurrexit, ob hoc immenso et lethali dolore obstupuit, quia tunc potestatem tyrannidis suæ, qua in animas tam fidelium quam infidelium de- B bacchatus esse, penitus amisit. Sed hæc quodammodo ei fuerunt tolerabiliora ad comparationem doloris illius quem hodierna die concepit visa gloria Dominicæ ascensionis, in qua hominem, quem tam lethali odio despexit, non solum ad pristinæ beatitudinis reduci statum, quo angelis æqualis esse debuit, verum etiam supra omnem angelicam creaturam in Christo Domino exaltari aspexit; et ipse ita conculcatus est, quod nunquam amplius contra electos Dei caput elevare audet. Unde justum est ut præsentis diei festa, quæ inimico nostro maximi sunt causa doloris, nobis perpetuæ materia sint exsultationis, et ita ea celebremus, ut illuc quandoque pervenire mereamur, ubi non annua, sed C æterna et præsentia semper illa habeamus. Quod ipse præstare dignetur Dominus noster, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA L.

IN VIGILIAM PENTECOSTES PRIMA.

Cum Apollo esset Corinthi, et Paulus peragratis superioribus partibus veniret Ephesum, et inveniret quosdam discipulos, dixit ad eos : Si Spiritum sanctum accepistis credentes ? (*Act.* XIX).

Sacrosancta solemnitas hæc Spiritus sancti specialiter illis celebranda est et veneranda, qui ab ipso nomen sortiuntur, id est qui ob hoc quod non secundum carnem, sed secundum spiritum vivere professi sunt, *spiritales* dicuntur. Aliæ namque festi- D vitates Dominicæ, sicut Nativitas Christi, et Resurrectio ipsius sive Ascensio communes sunt quodammodo etiam sæcularibus; ista vero solemnitas, quam Spiritus sancti consecravit adventus, non in figura tantum, sed et in veritate recte celebratur a spiritalibus. Celebrant quidem hanc sæculares ludendo, epulando, vestimenta sua superflue et inaniter componendo velut inexperti, quid in se supernæ dulcedinis contineat solemnitas Spiritus sancti. Ipsi nimirum, qui in sæculo positi, sæcularibus actibus dediti sunt, vere dicere possunt, quod in hodierna lectione legitur, quæ de Actibus apostolorum sumpta esse cognoscitur : *Neque si Spiritus sanctus est audivimus.* Nullus ergo sæcularium est eorum, qui Christiani nominis professione tenentur, nisi Spiri-

tum sanctum audierit nominari, et solemnitatem ejus, id est Pentecosten sciat in Ecclesia celebrari, sed mundo huic dediti, ita Spiritum sanctum esse non audierunt, quod nil nisi carnale sapientes, spiritalis gratiæ et dulcedinis sunt immunes. Et utinam nos, qui spiritali censemur nomine, verborum istorum nota non tangeret! Nam et ipsi nonnunquam dicere possumus: *Neque si Spiritus sanctus est audivimus*, quando obduratas cordis aures habentes, licet in spiritali habitu apparentes, curis tamen immiscemur sæcularibus, et ea quæ carnis sunt, **354** sapiendo, nos ipsos spiritalium donorum expertes et indignos efficimus.

Et quia aliquid in hac lectione hodierna colloquendo tetigimus, nunc ab exordio ejus incipientes, quantum Dominus largiri dignatur, videamus, si in ea aliquid, quod nostræ conveniat professioni, invenire valeamus. Neque enim Spiritus sanctus, qui servitium Dei dictavit et composuit, hanc in sua solemnitate legi ordinasset, nisi etiam in ea designaretur, quod spiritalibus aptari hominibus posset. Sic enim Lucas in Actibus apostolorum dicit:

Cum Apollo esset Corinthi, et Paulus, peragratis superioribus partibus, veniret Ephesum, et inveniret quosdam discipulos, dixit ad eos: Si Spiritum sanctum accepistis credentes? In duobus istis prædicatoribus Verbi Dei quilibet homo ex anima et corpore consistens potest intelligi. Hoc nomen *Apollo* ita interpretari possumus, quod *discipulus* dicatur; *Paulus* vero *modicus* vel *quietus* interpretatur. Nomen *Apollo* unusquisque homo in se exprimit, dum sæculum deserens, et in spiritali vita discipulus Christi et prælatorum suorum esse incipit, et sub disciplina Domini usque ad mortem vivere disponit. Recte autem verbum hoc *Corinthi* adjungitur, quod *conversatio eorum* sive *administratio reipublicæ* interpretatur. Interpretationes hujus nominis tunc in homine complentur, dum in spiritali vita positus bene et honeste conversari cœperit, et administrationem reipublicæ peragit, id est in exercitio laborum commanentium sibi strenuus cooperator esse **355** satagit, et omni ordini sub spiritali habitu observando ipse quoque corpore interest, quod totum administratio reipublicæ vocari potest.

Sed quisquis hoc in initio conversionis suæ studiose exsequitur, paulatim de die in diem proficiens divina subsequente misericordia ad majora provehitur, ut etiam *Paulus* dici possit, quod sicut diximus, *modicus* vel *quietus* interpretatur, quod se videlicet ab illicitis quibusque moderari incipit, et in vera humilitate se Deo et cunctis se videntibus, quantum potest, subjicit. Sic *modicus*, id est humilis effectus, ad hoc etiam proficit, ut *quietus* esse possit, quod videlicet nullum in corde suo dijudicet, nulli detrahat, nulla amaritudine nec odio vel invidia moveatur, quod totum magna inquietudo cordis esse dignoscitur. Quisquis ita potest effici *quietus*, de hoc venit, quod studet esse *modicus*, quia nihil est quod tantam homini pariat quietem, A sicut vera humilitas, quod se omnibus judicat inferiorem. Est etiam hoc modo *quietus*, dum exteriori habitu a voluptatibus sæculi conversus, intrinsecus quoque in mente a strepitu carnalium desideriorum studet requiescere.

Per hanc veram humilitatem et mentis quietem edoctus *peragrare superiores partes* incipit, sicut in consequentibus Scriptura dicit, *et Paulus peragratis superioribus partibus*. Per *superiores partes* homo interior intelligi valet, qui ad Dei similitudinem creatus majori dignitate corpori præeminet. Peragrat superiores partes homo quilibet beatus, cum in interioribus animæ sensibus diligenti cura perscrutari et discutere nititur, in quibus Deum offenderit, quæ et qualia, quam mortalia peccata contra
B Creatorem suum commiserit. Sic etiam *superiores partes peragrare* intelligitur, dum terrena cuncta despiciens, toto corde, totis desideriis cœlestibus innititur.

Peragratis ita superioribus partibus *Ephesum pervenitur*, quod *voluntas mea in eo* interpretatur. Dum homo quilibet beatus in cunctis, quæ contra Deum deliquisse se meminit, tam districte semetipsum discutit, vel cum a terrenis desideriis abstractus, totum animum suum ad appetenda cœlestia contulerit, recte dici potest quod *voluntas Domini in eo* sit. Fit etiam voluntas hominis in Deo, dum omnem voluntatem suam ad divinæ voluntatis convertit arbitrium, et quasi lethale malum abhorrescit quidquid voluntati Creatoris sui obsistere
C cognoscit, et **356** ita delectatur, propter Deum bonis, quibuscunque potest, in spiritali vita insudare, sicut olim in sæculo posito dulce et delectabile fuerat contra Deum pravis actibus et mundi voluptatibus se occupare.

Peragratis igitur superioribus partibus, cum sic Ephesum pervenerit, *quosdam discipulos invenire* poterit, id est dum cuncta quæ retro sunt oblitus, ad anteriora et superiora se extenderit, et voluntatis Dei cum sua bona voluntate cooperator effectus fuerit, tunc per Dei gratiam, non sicut prius, carnales, et ea, quæ carnis sunt, sapientes, sed singulares et spiritales sensus, qui per *quosdam discipulos* intelligi possunt, in seipso inveniet, ut multa,
D quæ prius incognita erant, in sanctis Scripturis scire et investigare valeat. Hos speciales sensus assecutus in multis seipsum cognoscere incipit, et ob hoc magis magisque conscientiam suam humiliat, et coram Deo negligentias suas confitendo se accusat, quemadmodum in consequentibus lectionis hujus verbis intelligimus, quæ per singula quidem interpretari non aggredimur, sed summatim perstringendo quamdam beati hominis, in veritate seipsum agnoscentis, accusationem, qua coram Deo culpabilem se confitetur notare hic tentamus.

Præmisso enim *et Paulus peragratis superioribus partibus veniret Ephesum, et inveniret quosdam discipulos*, mox additur: *Et dixit ad eos: Si Spiritum sanctum accepistis credentes? At illi dixerunt ad*

eum : Sed neque, si Spiritus sanctus est audivimus. Ille vero ait : In quo ergo baptizati estis ? Qui dixerunt : In Joannis baptismate. Dixit autem Paulus : Joannes quidem baptizavit baptismo pœnitentiæ populum dicens in eum qui venturus esset post ipsum ut crederent, hoc est in Jesum. Hæc verba interrogationis et responsionis sunt vicissitudines illius reprehensionis, qua homo ipse qui quosdam discipulos, id est singulares sensus, de quibus diximus, invenerit, se intra semetipsum multipliciter accusare non desinit.

Si Spiritum sanctum accepistis credentes ? Quasi dicat : Heu miser homo tu ille, qui pignus Spiritus sancti, id est fidem in baptismo suscepisti, ubi renuntiaturum te diabolo, et pompis ejus promisisti! heu omnia, quæ vovisti, prave in sæculo et contrarie Deo vivendo irrita fecisti ! *Sed neque si Spiritus sanctus est audivimus.* Falsum quidem Christiani hominis, qui Spiritum sanctum in baptismo acceperit, nomen **357** hucusque habui. sed dum male et carnaliter vivendo Spiritui sancto contradixi, quæ essent spiritalium dona charismatum, per vitam et experientiam nunquam intus audire merui. *In quo ergo baptizati estis ? In Joannis baptismate.* Gratia quidem Dei operata est mecum et in me, dum ad agnitionem sui nominis per fidem attingere me voluit, sed eadem gratia ejus in me usque ad præsens tempus vacua fuit, dum ei male vivendo ingratus exstiti, et nomen Christianum, quod per fidem suscepi, bonis operibus in meipso adornare contempsi. Per hæc verba homo quilibet beatus in cunctis, quæ in sæculo deliquit, seipsum reprehendit et accusat ; in sequentibus verbis, si mystice attendamus, negligentias suas, quas post assumptum spiritalem habitum commisisse se meminit, deplorat. Sequitur :

Dixit autem Paulus : Joannes baptizavit baptismo pœnitentiæ populum, dicens in eum qui venturus esset post ipsum ut crederent, hoc est in Jesum. Ego, inquit, infelix homo, stulte quidem et petulanter in sæculo vixi. Sed his omnibus finem imponere cogitans, humilitatis habitum suscepi, a tumultu sæculi, ut in Deo requiescerem, corpore me separavi. *Et Joannes quidem baptizavit baptismo pœnitentiæ*, id est gratia Dei, quam Joannis nomen exprimit, ita mecum operata est, quod aliquando hoc mihi contulit, ut inundatione lacrymarum mearum, quod est, baptismus pœnitentiæ, meipsum abluerem, *dicens in eum qui venturus esset post ipsum ut crederent, hoc est in Jesum*, id est hoc in me efficere volens, ut rectam fidem Deo Creatori et Salvatori meo observando, quod est *credere*, æternam salutem consequi possem. Sed nunc cognosco, quod gratuitæ gratiæ Dei indignum me exhibui, eo quod bona, quæ potui et debui, negligentius, quam oportuit exercui. Hæc sunt verba confessionis, quibus homo se coram Deo accusat in spiritu veræ humilitatis. Sed quod Dominus, cui proprium est humilibus dare gratiam, vocem confessionis in vera sui cognitione seipsum agnoscentis audiat, vel quod

A homo verba humilitatis Deum in se loquentem cognoscat, sequens littera nobis demonstrat.

His auditis, inquit, *baptizati sunt in nomine Domini Jesu.* Audit nimirum Deus, sicut diximus, hominem in desiderio animæ suæ, et in delectatione virtutum loquentem ad se, quemadmodum Psalmista protestatur expertus in se : *Desiderium pauperum* **358** *exaudivit Dominus, præparationem cordis eorum audivit auris tua* (*Psal.* IX, 22). Audit etiam homo Deum loquentem in se, dum subsequente gratia hoc experiri incipit, quod verba veræ humilitatis Deus in eo locutus sit, sibi ipsi volens iter ad cor hominis præparare, dum per prævenientem gratiam dedit ei conscientiam suam perfecte humiliare. Inter hoc audire Dei hominem, et audire hominis

B Deum, nonnunquam *baptizatur in nomine Domini Jesu*, id est talis ei nascitur compunctio, de qua vere dici possit, quod æternam salutem operetur in eo. Sequitur :

Cumque imposuisset illis manus Paulus , venit super eos Spiritus sanctus. Dum enim homo ille, qui Pauli nomen in se exprimit, quod videlicet *modicus* est per humilitatem, et *quietus* per mentis mansuetudinem, qui Deum audit loquentem in se, et quem Deus audit loquentem ad se verba humilitatis, humilium attestatione operum in se comprobaverit, quod est *Paulum illis manus imposuisse*, tunc profecto *venit Spiritus sanctus*, sicut ipse per prophetam repromisit in veritate se humiliantibus : *Super quem requiescam*, inquit, *nisi super humilem et quie-*

C *tum, et trementem sermones meos ?* (*Isa.* LXVI, 2.) Quid autem in electis hominibus, qui hæc omnia, quæ diximus, consecuti sunt, adveniens Spiritus sanctus operetur, sequentia verba testantur :

Et loquebantur, inquit, *linguis et prophetabant.* In quorum cordibus habitaculum sibi Spiritus sanctus præparaverit, haud dubium quin in variis linguis loqui possint. Quæ sunt hæ linguæ ? Una loquuntur lingua, dum accusant et damnant per pœnitentiam quidquid mali egisse se recolunt, reprehendunt se de cogitationibus, insequuntur de verbis, puniunt flendo de factis. Alia rursus lingua intonant , dum bona , quæ facere debuerunt et potuerunt, neglexisse se deplorant. In hora ergo visitationis Spiritus

D sancti *linguis loquuntur* electi, dum tandiu subjacere temporalibus et a patria, ad quam creati fuerant, se separari plangunt et deplorant , et ad contemplandam speciem Creatoris sui suspirantes, fortiter ad Deum per desideria clamant. Tunc et *prophetare* incipiunt, quia sicut prophetarum est ventura prædicere, sic et ipsi sibi prophetant de futuris pœnis malorum , et de gloria et remuneratione bonorum, damnationem quidem malorum evadere satagentes, gaudia vero cœlestis regni toto desiderio appetentes. Sequitur :

359 *Erant autem omnes viri fere duodecim.* Per *duodecim*, qui perfectus numerus esse cognoscitur in multis Scripturarum locis perfectio designatur. Sunt enim *omnes viri fere duodecim*, qui ita, ut diximus,

et loquentes linguis, et prophetantes sunt effecti, quia in virtuosis virtutibus, quæ per viros figurari possunt, constant perfecti. Quod autem verbum istud *fere* apponitur, per hoc nobis innuitur, quod electus quilibet, ad quantamcunque virtutum celsitudinem conscenderit, nunquam tamen ad plenam perfectionem, ut nihil ei obsistat, vel desit, in hoc mundo pertingere poterit, sed plenæ perfectionis beatitudo futuræ vitæ reservata est, ubi tanta erit corporum et animarum libertas, quod nunquam aliquam maculam homo contrahere cogitatione, verbo vel opere vel vult, vel potest. Quod autem is qui tantam virtutum gratiam, ut prædiximus, adeptus fuerit, nonnunquam per divinam dispensationem assumatur verbo doctrinæ, et consequentibus verbis possumus colligere :

Ingressus autem, inquit, *in synagogam cum fiducia loquebatur per tres menses disputans et suadens de regno Dei*. Synagogam namque ingreditur, dum Ecclesiæ Dei vel sanctæ alicui congregationi præficitur. In qua *cum fiducia loquitur*, si ea, quæ verbis instruit, factis suis non destruit. Vere *cum fiducia verbum Dei loquitur*, qui objici sibi posse non timet, quod ea ipsa faciat quæ vitanda esse docet, sed ita circumspecte se in omnibus custodire invigilat, ut vita verbo concordare valeat. At ille cum fiducia loqui non potest, quem doctrina sua remordet, quem videlicet accusat conscientia sua, quod his, quæ verbis prædicat, male vivendo ipse contradicat.

Cum fiducia, inquit, *loquebatur per tres menses*. In tribus mensibus tria hæc, fidem, spem, charitatem, vel cogitationes, verba et opera, intelligere possumus. Ad hoc enim onus quisque prælatus intendit, ut in fide, spe et charitate subditos suos instituat, sive ad hoc eos instruat, ut cogitationibus, verbis et operibus suis cauti et circumspecti esse studeant. *Disputans*, inquit, *et suadens de regno Dei*, *Disputat*, dum verbo prædicationis instat; *suadet*, dum ea quæ docet, operum attestatione confirmat. Sed si disputet aut suadeat, id est verbo vel exemplo doceat, utrumque *de regno Dei* faciat, id est non suis meritis hæc tribuat, nec humanæ laudis favorem inde requirat, sed totum ad Deum referat, a quo **360** habet, ut et bene verbum Dei loqui sciat, loquendo formam recte vivendi subditis suis in seipso exhibere valeat.

Hic ipse versiculus, quem ad prælatum quemlibet jam retulimus, unicuique etiam homini salvando potest aptari. Ipse namque quilibet beatus homo, cum quo, et in quo Deus hæc omnia, quæ præfati sumus, operatus fuerit, *in synagogam ingreditur*, id est intus graditur, tam mente quam corpore in congregatione conversatur, nequaquam gressus mentis extra ponit, per carnis videlicet desideria in mundo non vagatur, attendens quod secundum professionem suam mundo huic crucifixus esse debeat, nihil eorum, quæ in sæculo sunt, interius vel exterius tractare curat, sed qui de mundi rebus curam non habet. Qualia iste in congregatione exercet? *cum fiducia*, inquit, *loquebatur per tres menses*. Quisquis enim ita in synagogam ingreditur, id est ita in Ecclesia, vel in sancta aliqua congregatione commoratur, quod intus est corpore, intus est et mente, et a præsentis sæculi delectatione gressus cogitationis penitus amovit, hic *cum fiducia loqui* et arguere potest quidquid in congregatione contra Deum committi videt. Tanto enim quis omnem male agentem fiducialius et liberius corripere poterit, quanto sibi conscius est, quod vita ejus talis non sit, ut aliquis ei in faciem objicere valeat, quod vitio huic quod in aliis arguit, ipse succumbat. Loquitur *per tres menses*, dum aliorum in congregatione conversantium pravam voluntatem, mala verba, perversa opera ita arguit, quod ipse in his tribus vigilanter et circumspecte seipsum custodit. *Disputans*, inquit, *et suadens de regno Dei*. *Disputat*, cum, sicut diximus, proximorum vitia in zelo charitatis arguit, et [ad] bona, quæcunque potest, exhortatur; *suadet* dum ita corripit et admonet, quod proprio exemplo, quæ facienda vel vitanda sint, in seipso docet. *De regno Dei*, inquit, id est de corde bono et humili. Regnum enim *Dei*, ut ait Apostolus, intra nos est (61*), quod vere est cor bonum et humile, ad habitandum ei jucundum valde et delectabile. *Disputat* quilibet beatus homo et *suadet de regno Dei*, dum omnis correptio ejus et exhortatio sive operum ipsius attestatio de humili corde et vera dilectione Dei et proximi procedit, et contra neminem zelo amaritudinis commovetur, nec ob hoc vitio jactantiæ succumbit, quod ipse irreprehensibiliter inter cæteros conversatur.

361 Quia hæc, quæ de hodierna Lectione exposuimus, in nullo hominum, nisi per cooperationem Spiritus sancti efficiuntur, recte in solemnitate ejus quam celebramus legitur : *Conversi ergo ad ipsum Dominum et Creatorem nostrum Spiritum sanctum, ipsius benignitatem imploremus, et nos in sua festivitate visitationis suæ et consolationis immunes esse permittat, sed ita sibi ad habitandum corda nostra emundari faciat, ut intus experiri valeamus quid sit quod exterius celebramus. Ipse Deus et Creator noster Spiritus sanctus, qui multis nominibus dignitati suæ congruentibus appellatur, stabilis etiam et mobilis dicitur.*

Quod recte *stabilis* dici debeat, non ignoramus, quia immutabilem eum esse cognoscimus. Sed quomodo *mobilis* dici valet qui omni mutabilitate et mobilitate caret? Bene itaque mobilis sicut et stabilis dicitur secundum id quod nunc dicturi sumus. Sunt quædam virtutum merita sine quibus nemo salvari potest, sicut est fides, spes et charitas, et per hæc in electis suis *stabilis* est Spiritus sanctus, id est in his nunquam eos deserit quia necesse est ut

(61*) Ferme hæc leguntur apud Lucam, cap. XVII, vers. 21, sed non apud apostolum Paulum, nec alibi

qui ad cœlestem patriam tendunt, semper fide, spe et charitate præditi sint. Ecce quomodo *stabilis* sit Spiritus sanctus audivimus; nunc, qualiter etiam mobilis dicatur, cognoscamus. Iterum sunt alia, sicut sunt genera linguarum et prophetia et cætera plura, quibus et si aliquando viri sancti **362** careant, ab æterna tamen salute vel introitu regni cœlestis excludi non debent, et in his est *mobilis* Spiritus sanctus, quia quando vult, illa tribuit; iterum, quando vult, illa subtrahit. Eliseus nimirum vir sanctus exstitit, futura sæpe prædixit, et tamen omni hora prophetiæ donum non habuit. Quod ex hoc aperte claruit, quia, cum mulier illa Sunamitis pro mortuo filio rogatura ad eum in montem Carmeli veniret, ob quam causam venerit ignoravit; et cum Josaphat de futuris requireret, Psalten sibi fecit applicari, videlicet ut per laudem psalmodiæ sanctus Spiritus descenderet, atque ejus animum de venturis repleret. Sic sunt et alia spiritalium dona charismatum, quæ homo semper habere non potest in hoc sæculo, sicut est beatæ contemplationis dulcedo.

Imploremus ergo Paracletum nostrum Spiritum sanctum, ut et in nobis stabilis et mobilis esse dignetur, id est per has virtutes sit jugiter in nobis perseverans, sine quibus salvi esse non possumus; eas etiam, in quibus mobilis est, nobis aliquando conferat, id est ut vel ad horam suæ dulcedinis gratiam infundat, quatenus per ejus momentaneam hic visitationem illuc pervenire valeamus, ubi jugiter dilectioni ejus et dulcedini inhæreamus. Quod ipse præstare dignetur Deus et Creator noster Spiritus sanctus, qui cum Patre et Filio vivit et regnat unus Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LI.

IN DIEM SANCTUM PENTECOSTEN PRIMA.

Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui in loco, quem elegerit, in solemnitate azymorum, et in solemnitate hebdomadarum, et in solemnitate tabernaculorum, etc. (*Deut.* XVI).

Sancta et veneranda solemnitas, quam colimus, festivitas est Spiritus sancti, quam suo adventu mirifice consecravit et ornavit, quæ olim in Veteri Testamento multis figuris est ostensa et præfigurata. Unde quodam loco per Moysen legislatorem de hac sacra solemnitate filiis Israel Dominus præcepit dicens: *Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui in loco, quem elegerit, in solemnitate azymorum, et in solemnitate hebdomadarum, et in solemnitate tabernaculorum.* Tres istæ solemnitates, quæ eminentia et dignitate sua omnes præcellunt festivitates, quas per totum annum celebramus, ita filiis Israel Domino præcipiente per legislatorem fuerant commendatæ, ut per singulos annos his tribus vicibus, omne quod erat in eis masculini generis, in *conspectu Domini*, id est in templo sancto, quod erat Jerosolymis, *apparere* deberet. Quibus in Jerusalem, in loco, quem Dominus elegerat, præsentatis, **363** nullus illuc vacuus ante Dominum venire, sed ut uniuscujusque manus poterat invenire, salutares Domino hostias debuit immolare. Hæc *omnia*, ut Apostolus ait, *in figura contingebant illis, scripta sunt autem ad doctrinam nostram in quos fines sæculorum devenerunt* (*I Cor.* X, 11). Illi quippe cuncta carnaliter intelligebant, carnaliterque celebrabant; nos vero, *in quos fines sæculorum devenerunt*, in quibus mundus iste finitus est, qui sæculo sæculique actibus renuntiantes, etsi ex integro peccatis absolvi non possumus, tamen Deo opitulante per capitalia crimina in viam scandali ultra non declinabimus.

Igitur juxta præceptum Domini *omne masculinum* nostrum *appareat in conspectu Domini*, cum, deposita omni feminea levitate, virilia, fortia et virtuosa opera agimus, per quæ conspectui summæ deitatis placeamus, talesque inveniamur, super quos oculos suos Dominus ponere dignetur. Nam sicut in præsenti sæculo cernimus, quilibet præpotens Dominus servum suum, qui oculos ejus offenderit, aspicere dedignatur, eum vero, quem veraciter diligit, frequenter aspicere delectatur. Ita revera *in conspectu Domini* sunt quos dilectione sua dignos judicaverit; ab eis autem qui respectum gratiæ ejus non merentur, oculos ejus avertit. *In conspectu* autem *Domini* et alio modo *apparemus*, cum ad altare sanctum accedimus, ubi ex intimo cordis affectu sacramenta corporis et sanguinis Filii Dei debita reverentia percipimus.

Præcipitur quoque nobis, ne ante conspectum Domini *vacui* veniamus, ne in his tribus solemnitatibus imparati inveniamur; sed unusquisque, quantum potuerit, devotionem suam Deo offerat. Qui majoris est meriti, præclara et majora offerat Deo; qui vero minoris est meriti, quantum pro paupertate sua potuerit, studeat, ne in conspectu Domini vacuus appareat. *In solemnitate*, inquit, *azymorum*. Solemnitas azymorum festivitas est paschalis, in qua Pascha nostrum immolatus est Christus, quem præfigurabat agnus ille, quem in Ægypto positi filii Israel quarta decima luna ad vesperum immolabant. Hujus agni sanguinem super utrumque postem et in superliminaribus domorum poni præcepit, ut, cum exterminator veniret, qui in vindictam gentis illius a Deo missus fuerat, ut omnia primogenita Ægypti interficeret, **364** nequaquam domos eorum introiret, sed viso sanguine præteriret. Hujus rei exemplum nos in nostra solemnitate veraciter observamus, cum Agni nostri carnem et sanguinem, qui pro nobis in ara crucis immolatus est, ad remedium animæ nostræ puro corde et corpore sumimus. Agni istius sanguinem super utrumque postem, et in superliminari ponimus, cum sanguine Filii Dei corpus et animam nostram munimus, ne exterminator diabolus, Dei videlicet servus et nuntius, nos [*cod.* ne nos non] præsumat in aliquo nocere. Sed cur diximus diabolum *Dei servum?* Ea scilicet ratione, quia diabolus cum membris suis, perversis hominibus, Deo mul-

tum servit et servivit; etiamsi mali et perversa voluntate id faciunt, totum tamen omnipotens Dominus qui malis bene utitur, ad laudem et gloriam nominis sui, et ad salutem electorum suorum convertit.

Post dies azymorum sequitur *solemnitas hebdomadarum*, quam festivitatem nos *Pentecosten* nominamus, quæ quinquagesimo die post Pascha celebrata est Domino præcipiente, in qua adventus Spiritus sancti, qui hodierna die repentino sonitu super apostolos venit, præfigurabatur. De hac sacra solemnitate dicit Lucas in Actibus apostolorum : *Dum complerentur dies Pentecostes, erant omnes discipuli pariter in eodem loco, et factus est repente de cœlis sonus tanquam advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum, ubi erant sedentes* (*Act.* II, 1, 2). Videamus ergo quomodo hæc sacra solemnitas in B Veteri quoque Testamento sit præfigurata.

Mense, inquit Moyses, *tertio egressionis Israel de terra Ægypti in die hac venerunt in solitudinem Sinai, ibique Israel fixit tentoria e regione montis. Moyses autem ascendit ad Deum ; vocavitque eum Dominus de monte et ait : Hæc dices domui Jacob, et annuntiabis filiis Israel : Vos ipsi vidistis quomodo portaverim vos super alas aquilarum, et assumpserim mihi in peculium de cunctis populis, eritisque mihi regnum sacerdotale et gens sancta* (*Exod.* XIX, 1-6). Hæc verba cum exposuisset Moyses majoribus natu, respondit universus populus : *Cuncta quæ locutus est Dominus faciemus* (*ibid.*, 8). Cum retulisset Moyses verba populi ad Dominum, ait Dominus : *Jam nunc veniam ad te in caligine, ut audiat me populus* C **365** *loquentem ad te, et credant tibi in perpetuum* (*ibid.*, 9). Venit itaque Moyses et annuntiavit filiis Israel omnia quæ locutus fuerat Dominus. At illi adoraverunt. Nuntiavitque Moyses verba populi ad Dominum. Qui dixit ei : *Vade ad populum, et sanctifica illos hodie et cras, laventque vestimenta sua, et sint parati in diem tertium ; die enim tertio descendet Dominus coram omni populo super montem Sinai. Descenditque Moyses ad populum, et sanctificavit eum. Cumque lavissent vestimenta sua, ait ad eos : Estote parati in diem tertium, ne appropinquetis uxoribus vestris. Jam dies tertius advenerat, et mane inclaruerat, et ecce cœperunt audiri tonitrua, et micare fulgura, et nubes densissima operire montem, clangorque buccinæ vehementius perstrepebat; timuitque populus, qui erat in castris* (*ibid.* 10-16).

In his tribus diebus possumus accipere tempus ante legem, sub lege, sub gratia. In tribus quoque diebus possumus intelligere annuntiationem Dominicam, incarnationem, passionem et resurrectionem ipsius. Et bene in *mane* resurrectio Dominica valet intelligi, quia sicut mane illucescente finis est noctis, et tenebræ a luce segregantur, sic, Christo destructo mortis imperio resurgente, *mane* illud inclaruit per quod peccatorum tenebræ per Christi misericordiam sunt effugatæ. Ante passionem quidem ejus et resurrectionem totus mundus in tenebris erat constitutus, quia omnes sancti, quotquot ante Christi ad- A ventum fuerunt, mortis debito soluto ad inferos descenderunt, ibi mundi salutem magno desiderio præstolantes, quibus peracta passione sua serenus apud inferos illuxit, eosque secum a mortuis resurgens, latrone prævio, ad amœna paradisi introduxit.

Sed et in *mane* incarnationem Christi possumus intelligere, quando ipse Unigenitus Dei per nativitatem suam humanæ substantiæ copulari voluit, cum tempus gratiæ advenit. Nato itaque Salvatore nostro *mane* præclarum illuxit, quo tenebræ infidelitatis et ignorantiæ hujus sæculi sunt depulsæ. Conversatio namque ipsius, qua inter peccatores in hac vita est conversatus, et prædicatio ipsius, qua peccatores ad pœnitentiam vocavit dicens : *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum* (*Matth.* IV, 17), totius mundi tenebras illuminavit. Unde de prædicatione ejus statim subjungitur : *Et ecce cœperunt* **366** *audiri tonitrua, et micare fulgura.* In tonitru duo inveniuntur, quæ prædicationi Christi assignare possumus : unum, quod audito tonitru magno timore terrentur homines; secundo, quod per tonitrum percussi plerumque moriuntur. Et hac de causa prædicatio Christi convenienter in tonitru potest accipi. Judæis denique amatoribus sæculi magno terrore prædicationis intonuit, dum humilis et pauper in hoc mundo degens contemptum sæculi et paupertatem spiritus prædicavit dicens : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* V, 3). Dominus autem per Moysen populo Judaico demandaverat, promissionibusque suis firmaverat, si mandata ejus legalesque cæremonias sollicite custodirent, omnium rerum abundantiam, filiorum copiam, agrorum et vinearum fertilitatem, et quidquid ad transitoriam felicitatem pertinet, eis absque ulla penuria largiretur. At postquam Dominus noster Jesus Christus in hunc mundum venit, et hæc omnia ob amorem cœlestis patriæ contemni docuit, *tonitru* hujus prædicationis impii Judæi percussi facibus invidiæ in Filium Dei succensi usque ad mortem eum sunt persecuti, cujus revera mors corporis mors animæ illorum exstitit. Unde de quodam adolescente in Evangelio scriptum est, qui cum venisset ad Dominum interrogans quid faciendo vitam D æternam possideret, Dominus respondens dixit : *Non adulterabis, non furtum facies, non falsum testimonium dices.* Cum ille responderet : *Hæc omnia a juventute mea custodivi* (*Matth.* XIX, 20), Dominus ad eum : *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesauros in cœlo, et veni, sequere me* (*ibid.*, 21). Adolescens audito verbo hoc, quod facultates et divitias propter Deum relinquere deberet, *tristis* ab eo discessit, quia tonitrus verbi Dei magno eum doloris terrore intus concussit. O quanto terrore tonitrus impios Judæos perculit, cum veniens Jerosolymam invenisset in templo columbas vendentes et ementes, facto flagello de resticulis ementes et vendentes ejecit de templo, et æs, mensas nummulariorum subvertit, di-

cens : *Scriptum est : Quia domus mea domus orationis est cunctis gentibus; vos autem fecistis illam speluncam latronum* (*Matth.* XXI, 13). Hujus tonitrus terrore alii salubriter exterriti, quales apostoli fuerunt, pauperem Dominum imitando relictis omnibus secuti sunt eum.

367 Postquam sic in prædicatione sua Filius Dei intonuit, cœperunt deinde *micare fulgura*, per quæ mira et stupenda miracula valent intelligi, quæ secundum divinitatis suæ potentiam operatus est in terra. Ante adventum autem ipsius boni et sancti homines exstiterunt, qui signa et portenta coram populis ostenderunt. Sed hæc miracula non potestative aut ex virtute propria habuerunt, sed ut mira facere potuissent, precibus apud Deum obtinuerunt : Elias namque et Eliseus mortuos orando suscitabant. Sed Dominus omnipotens, nullo adjumento orationis indigens potenti virtute verborum mortuos suscitavit, sicut in Evangelio de viduæ illius filio legimus, qui extra portam delatus, solo verbo Domini ad vitam est resuscitatus, dicentis : *Adolescens, tibi dico : Surge* (*Luc.* VII, 14). Sic quatriduanum in monumento Lazarum potenti sermone de sepulcro vocavit dicens : *Lazare, veni foras* (*Joan.* XI, 43). Ita prædicando et miracula exhibendo inter homines conversatus, tandem carnis dispensatione peracta per passionis ignominiam in cruce consummatus resurrectionis triumpho a Deo Patre glorificatus ad cœlos rediit, ubi ad dexteram Patris residens, hoc quod sequitur in apostolis suis veraciter adimplevit.

Et nubes densissima operuit montem. Nubes densissima est gratia Spiritus sancti, quæ densa fuit in patriarchis, densior in prophetis, *densissima* in apostolis. Quæ *nubes densissima montes* illos æternos, apostolos videlicet, post Christi ad cœlos ascensionem cœpit *operire* quia gratia Spiritus sancti, qua illuminati sunt apostoli, præcellunt omnia dona Spiritus sancti, quæ ab initio sæculi electi Domini sunt consecuti. Nam quamvis Moyses, David, Isaias, Jeremias cæterique prophetæ pleni essent scientia Dei, apostolorum tamen scientia, quam hodierna die dono Spiritus sancti in linguis igneis super eos apparente perceperunt, omnium antiquorum Patrum scientiam superavit. Et quia, cum nubes densa cernitur, pluvia, qua terra irrigetur, ventura speratur, sic profecto cum apostoli abundanti gratia Spiritus sancti sunt repleti, tantus imber gratiæ spiritalis ex eorum doctrina descendit, quo tota Ecclesia in universo mundo posset irrigari. Sequitur :

Clangorque buccinæ vehementius perstrepebat. In *clangore buccinæ* sonum **368** apostolicæ doctrinæ possumus accipere, quæ doctrina post acceptam gratiam Spiritus sancti tam fortis, tam valida est effecta, ut ampliorem fructum verbo prædicationis suæ proferrent Domino, quam ipse Christus populis prædicans protulisset. Eo quippe prædicante et docente in terris pauci admodum crediderunt ex Judæis. Sed apostoli misso de cœlis Spiritu sancto

A illuminati, cum exhortationis verba ad populum facerent, una die tria millia, sequenti die quinque millia hominum conversi sunt ad Dominum. De quorum perfectione Lucas in Actibus apostolorum scribit dicens : *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una, afferentesque pretia sua ponebant ante pedes apostolorum, et erant illis omnia communia* (*Act.* IV, 32). Clangor hujus buccinæ modo *vehementius perstrepit* quia conversio et unanimitas communis vitæ, quæ sub apostolis in primitiva cœpit Ecclesia in parvo numero, modo per universum mundum sic est dilatata, ut ab initio sæculi tanta multitudo Deo servientium non fuerit, quanta modo per Dei gratiam est in sancta Ecclesia. Modo viri uxores propter Deum relinquunt, mulieres viros,

B dulcia pignora, ob amorem æternæ vitæ contemnunt; alii in virginitate perseverantes omni obedientia se subdunt prælatis suis, libenterque et patienter omnia sibi adversantia sustinent propter Dominum.

Et notandum quoniam, sonus buccinæ cum insonuerit, milites ad bellum armantur et præparantur, quidam ut victoriam consequantur, quidam ut in morte occumbant. Sonitu hujus buccinæ, clangore apostolicæ doctrinæ, et vos, charissimæ, ad hoc estis excitatæ, ut omnia mundi blandimenta divitiasque contemneretis, et in arctissimo claustro sub obedientiam vos daretis, ubi propter Deum vinctæ ab omnibus gaudiis, quæ possidet mundus, estis segregatæ.

C Arma vestra, quibus contra hostem pugnare debetis, est castitas et continentia vestra, velum vestrum, et cætera indumenta abrenuntiationem sæculi significantia, quibus ad hoc armamini, ut victoriam de tyranno consequamini.

Sed heu, res dolenda ! multi sunt in proposito spiritali, qui, quamvis de Ægypto cum filiis Israel exstiterint, in deserto tamen prosternuntur, et nequaquam terram **369** repromissionis ingrediuntur, hi profecto qui in spiritali conversatione usque ad finem vitæ suæ non perdurant, sed ad sæculum sæculique voluptates redeunt.

Sunt et alii, qui in spiritali proposito corpore quidem usque ad finem suum perseverant, sed corde frigido remanentes miserabiliter et inutiliter

D in eo moriuntur. Sequitur :

Timuitque populus, qui erat in castris. Populus ille qui erat in castris gens Judæorum fuit, qui dum Jerosolymis morabantur et in lege legalibusque cæremoniis versabantur, audito quod apostoli accepta gratia Spiritus sancti omnium gentium linguis loquerentur, timuerunt stupore vehementi, et sicut in Actibus apostolorum legimus, admirantes dixerunt : *Nonne ecce omnes isti qui loquuntur Galilæi sunt, et quomodo nos audivimus unusquisque linguam nostram, in qua nati sumus ?* (*Act.* II, 7.) Et iterum : *Musto pleni sunt isti* (*ibid.*, 13). Deinde ad Petrum et ad reliquos apostolos dixerunt : *Quid faciemus, viri fratres ? Et Petrus ad eos : Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Do-*

mini, ut deleantur vestra peccata (Act. II, 38). Sequitur:

Cumque eduxisset eos Moyses in occursum Domini de loco castrorum, steterunt ad radices montis. Timore sancto, timore casto perterritis Judæis, qui in Filium Dei prædicatione apostolorum crediderunt, cœpit eos Moyses educere *in occursum Domini*, quando cognoscere cœperunt, quoniam quæ in lege scripta erant, quam illi carnaliter intelligebant, eductio fuit Moysi in occursum Domini. Quidquid enim Moyses sub velamine legis occultabat, totum in Domino Jesu Christo impletum videbant. Et tunc veraciter cognoverunt, quod Moyses ad hoc solum intendebat, ut eos *de loco castrorum*, hoc est de legalibus cæremoniis, *in occursum Domini* educeret, ut in Filium Dei carne indutum crederent, quem omnia quæ in lege erant præfigurabant. *Steterunt*, inquit, *ad radices montis*. Mons ille cœtus est apostolicus. Cujus montis radices fides illorum exstitit, super cujus **370** fidei fundamentum firmatur et fundatur Ecclesia. Et quia in plurali numero positum est *radices montis*, possumus hic duas radices fidei advertere, super quas omnes credentes innituntur et stabiliuntur. Credimus siquidem Dominum Jesum Creatorem et Redemptorem nostrum: Creatorem nostrum secundum divinitatem, Redemptorem nostrum secundum humanitatem, in qua semetipsum pro nobis obtulit Deo Patri. Quibus radicibus ita innitimur, ut sine hac utraque fide nullum salvari posse confiteamur. Ad hujus montis radices nuper per apostolorum doctrinam conversi constiterunt, cum Dominum nostrum Jesum Christum Creatorem et Redemptorem suum crediderunt, et in hujus fidei constantia totam spem suam collocaverunt.

Totus autem mons Sinai fumabat, eo quod descendisset super eum Dominus in igne, et ascenderet fumus quasi de fornace. In monte Sinai, qui *mandatum* interpretatur, Judæorum populus potest designari, qui præ cæteris nationibus legis præcepta susceperat servanda et custodienda; in fumo vero, qui lacrymas solet excitare, lacrymosa suspiria eorum possumus accipere. Ipsi namque legis observationes audita Evangelica doctrina toti *fumabant* quia dum cognovissent quam perverse et malitiose erga Creatorem et Redemptorem suum egissent, lacrymosa suspiria ex intimo cordis affectu proferentes dixerunt ad apostolos: *Quid faciemus, viri fratres?*

Eo quod descendisset super eum Dominus in igne. Visis denique signis et miraculis, viso quod in linguis igneis super eos Spiritus sanctus descendisset, et ipsi igne Spiritus sancti intus accensi, in amorem Filii Dei se converterunt, quem ante fuerant persecuti. *Et ascenderet fumus quasi de fornace.* Dum fornax igne succenditur, speramus quod in ea panis præparetur, unde corpus corruptibile, quod gestamus, refocilletur et sustentetur. Ita dum apostoli Spiritu sancto sunt inflammati, panis verbi Dei in ipsis est præparatus, ex quo omnes credentes aluntur et reficiuntur.

371 *Eratque omnis mons terribilis, et sonitus buccinæ paulatim crescebat in majus, et prolixius tendebatur.* In monte isto, ut prædiximus, cœtus valet intelligi apostolicus, qui tunc *terribilis* est factus, cum emisso desuper Spiritu sancto ab Altissimo ita in amore Conditoris accensi sunt, quod postposito omni timore verbum Dei cum fiducia prædicabant. Unde in Actibus apostolorum Lucas dicit: *Cæterorum autem nemo audebat se conjungere illis; sed magnificabat eos populus, et erant unanimiter orantes in templo* (Act. v, 13). Terribilis itaque factus est cœtus apostolicus Judæis non credentibus, sicut et frequenter nunc cernimus, quomodo sæculares homines, hujus sæculi vanitati et cupiditati dediti, spiritales et bonos viros reverentur, et ab eorum conspectu terrentur.

Et sonitus buccinæ crescebat in majus. Sonitus apostolicæ doctrinæ crescebat in majus, quando Paulus apostolus ordini apostolico est sociatus, qui in prædicatione verbi Dei, ut ipse asseruit, plus omnibus laboravit. Universum enim mundum prædicatione sua ad fidem et cognitionem Filii Dei convertit, ita ut ab Jerusalem usque in Illyricum totum Evangelio repleverit. *Et prolixius*, inquit, *tendebatur*. Buccina verbi Dei *prolixius tenditur*, dum usque ad exteras nationes incarnati Verbi mysterium progreditur.

Quis olim credere posset, quod fides Domini usque ad Ascalonem tenderetur; in qua fortitudo gentium erat, **372** semperque populo Dei rebellabat? At nunc, millia Deo servientium in ea collecta, culturaque dæmonum exstirpata, spiritus nobis præstat quod et in Persidam, et in Babyloniam, et cæteras nationes gentili adhuc errore deceptas, Spiritu sancto disponente ad cognitionem sui sancti nominis pervenire faciat.

Igitur quia adventum colimus Spiritus sancti, studere dilectissimæ dignas vos exhibere Spiritui gratiæ, ut sicut olim in cœnaculo Sion constitutis, et propter metum Judæorum inclusis paracletum Spiritum sanctum larga benedictione infudit, sic et vobis consolationem de cœlo mittere dignetur, quæ simili modo propter metum Judæorum, non carnalium, sed spiritalium inclusæ estis.

Timuistis enim, si sæculo huic licite uteremini, quod maligni spiritus vos in anima interficerent per peccata, et ideo a mundo corpore segregatæ contempsistis propter Deum, quidquid deliciarum habet mundus.

Quapropter condecet majestati et bonitati ejus, ut et vobis vinctis et desolatis suis consolationem et gaudium Spiritus sancti largiri dignetur, Jesus Christus Dominus noster, qui cum Patre et eodem Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

373 HOMILIA LII.

IN DIEM SANCTUM PENTECOSTES SECUNDA.

Si quis diligit me sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus (*Joan.* XIV).

Quia sacrosancta hæc solemnitas, quam celebramus, solemnitas est Spiritus sancti, digne ejusdem Spiritus sancti providentia et dispositione lectio sancti Evangelii, quam audivimus, quæ tota ad hoc tendit, ut divinam et humanam unigeniti Filii Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi naturam manifestet et commendet, in hunc primum diem Spiritus sancti posita est. Hodierna enim die misso de cœlis super apostolos Spiritu sancto hanc utramque divinitatis et humanitatis ejus naturam plenius atque perfectius, quam unquam antea cognovissent, cognoscere cœperunt. Et si subtilius consideremus, recte ad hunc diem pertinet speciale illud donum Spiritus sancti, spiritus utique sapientiæ. Vere enim spiritus sapientiæ in hac die operatus est in apostolis et in cæteris qui cum eis congregati erant Christi fidelibus, in qua quidquid de Domino nostro Jesu Christo sciendum et credendum fuit, inæstimabili et ineffabili munere unctionis suæ pleniter cordibus illorum infudit.

Hæc est enim plena et perfecta scientia, ut illuminetur homo ad cognitionem, inflammetur ad dilectionem: ut cognoscamus, inquam, quæ cognoscenda sunt, et diligamus quæ diligenda sunt. Quæ sunt quæ cognoscenda sunt, aut quæ sunt quæ diligenda sunt? Ut cognoscamus in Domino nostro Jesu Christo, quia secundum divinitatem suam Creator noster est; diligamus in ipso, quia secundum humanitatem suam Salvator et Redemptor noster est. Hanc cognitionem sive dilectionem divinitatis et humanitatis suæ, quia hodierna die sanctis suis discipulis, atque per eos universo mundo mirifico adventu Spiritus sancti declarare voluit, recte Evangelium hujus diei a dilectione **374** exordium sumit. Sic enim ait Salvator:

Si quis diligit me sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. Tria sunt hujus versiculi membra, quia et trifaria est dilectio, per quam ad æternæ beatitudinis pertingitur præmia. Prima est dilectio incipiens, secunda dilectio proficiens, tertia dilectio perficiens. Prima fit in conversione, secunda in medietate, tertia in perfectione. Cum enim dicitur: *Si quis diligit me sermonem meum servabit*, dilectio incipiens designatur, per quam primum homo initiatur. Necesse enim est ut qui, relicto sæculo, diligere Deum cœperit, per multos sermones Domini in spiritali vita addiscat qualiter ad unum sermonem Domini, qui perfectionem designat, pertingere debeat. Quod enim non dicit, *si quis diligit me, sermonem meum servat*, sed *servabit*, per hoc mystice nos edocuit quia in hoc gradu incipientis dilectionis homo non debet subsistere, sed per observantiam sermonum, id est mandatorum Dei semper se in ante extendere. Unde et ait:

A *Et Pater meus diliget eum.* Per Patrem diligentem intelligimus dilectionem proficientem. In hoc enim Deus Pater diligenti se et sermonem suum servanti quasi Pater Filio dilectionem suam ostendit, quod in spiritali vita virtutibus virtuosisque actibus eum proficientem facit, ut sciat et intelligat quæ ante nesciebat, ut perficere bona velit et valeat quæ antea nec volebat nec valebat. Per hos duos gradus incipientis et proficientis dilectionis ascendit homo ad tertium gradum perficientis dilectionis, in qua feliciter quodammodo consummatur, dum per supernæ visitationis gratiam frequentibus visitatur, quam mysticis **375** verbis ostendit Dominus dicens in consequentibus:

Et ad eum veniemus, et mansionem apud eum fa- B *ciemus.* In verbis istis ostenditur nobis operatio totius sanctæ Trinitatis. Licet enim persona sancti Spiritus specialiter hic expressa non sit, quidquid tamen dictum est de Patre, quidquid dictum est de Filio, hoc dictum est et de Spiritu sancto. Inseparabile est enim opus Trinitatis sanctæ; nam quidquid Pater, quidquid Filius operatur, hoc cum Patre et Filio Spiritus sanctus operatur; totum enim per Spiritum sanctum perficitur et consummatur. *Et ad eum*, inquit, *veniemus.* Venit Verbum Patris altissimi unigenitus Filius Dei per suæ visitationis illuminationem, venit Deus Pater per suæ consolationis miserationem, venit Spiritus sanctus per suæ unctionis infusionem. In hoc enim individuo sanctæ Trinitatis adventu vere illuminatur homo ad cognoscen- C dum, pœnitendum et satisfaciendum Deo, non solum mala quæ commisit, sed et bona quæ neglexit et prætermisit. Ibi divinæ consolationis munere ad spem veniæ animatur, ibi vere in dilectione Dei perficitur et consummatur, ibi pignus quoddam æternæ vitæ accipit. Quod exponens Salvator subjungit dicens:

Et mansionem apud eum faciemus. Venit omnipotens Trinitas hic ad electos suos, quos gratia dulcedinis suæ visitat, sed non manet apud eos, quia gratia ista quasi in raptu quodam fit, et non durat; in futura vero vita *mansionem apud eos* [cod. *eum*] *faciet*, quos nunquam deseret, sed in æterna dulcedine semper erunt, ubi Patrem in Filio, Filium D in Patre cum Spiritu sancto sine fine videbunt. Ecce audivimus et modum et præmium diligentis. Quid autem illum sequatur qui non diligit, continuo manifestat, cum dicit:

Qui non diligit me, sermones meos non servat. In præcedentibus dixit, *si quis diligit me, sermonem meum servabit*; hic autem dixit, *qui non diligit me, sermones meos non servat.* Et bene; multi enim sunt *sermones* Dei, quos necesse est ut homo ille servare studeat, qui ad unum illum *sermonem*, in quo tota lex pendet et prophetæ, venire **376** desiderat. Et est quasi dicat: *Qui non diligit*, hoc est qui vel incipientem dilectionem Dei non habet, multos *sermones*, per quos ad unum pervenitur, *non servat*, sed totus in malo est, quia sine incipiente dilectione

quæ Dei est, et proficiente dilectione quæ ad proximum pertinet, salvari non potest.

Quia vero electi discipuli Domini non solum incipientem et proficientem dilectionem habuerunt, sed etiam usque ad perficientem pervenerunt, ideo audire a Domino meruerunt : *Et sermonem, quem audistis, non est meus, sed ejus qui misit me, Patris.*

Nec transeunter animadvertendum quod dicit, *sermonem, quem audistis*. Sermonem Domini non audierunt, quibus dictum est a Domino : *Sermo meus non capit in vobis* (*Joan.* VIII, 37). Sermonem Dei audit, cui sermo Dei sapit. Unde quia electi discipuli Domini, sancti apostoli sermonem Domini, quem foris audiebant, intus per cordis dulcedinem sapiebant, recte audire a Domino meruerunt, *et sermonem, quem audistis, non est meus, sed ejus qui misit me Patris*. Ac si dixisset : Quod sermonem meum audire potuistis, ita quod audita exterius interius sapuistis, non est meæ humanitatis, sed divinitatis, cujus dono hoc præstitum est vobis.

Hæc locutus sum vobis apud vos manens. Hæc, inquam, operatus sum in vobis, quando mansione illa, quæ Dei est, apud vos mansi, quando invisibili unctione divinitatis meæ ad capiendum et sapiendum sermonem meum corda vestra illuminavi et dilatavi. Et sermonem, quem audistis, non solum vobis locutus sum, sed et unicuique homini, quia quicunque ita Verbum meum audit, quod sapit ei, quod audit, ex divinitatis meæ munere venit. Nisi enim ego mirifice mansero, in vanum laborat sermo doctoris extrinsecus prædicando. Sed num homo ab audiendo verbo Dei idcirco se subtrahere debet, si per internum saporem comprehendere illud non valet? Absit! Audiat, attendat, quantum valet, quia si intentus fuerit, et in ipsa sui intentione perseveraverit, gratia Spiritus sancti non **377** deerit, qui sollicite attendentem facit sapientem. Hoc enim ipse, qui est Veritas, nobis innuit, cum subjungit :

Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille docebit vos omnia, et suggeret vobis quæcunque dixero vobis. Et notandum quod non simpliciter dicit : *Spiritus sanctus*, sed *Paracletus Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo.* Semper mittitur a Patre Spiritus sanctus, sed non semper est Paracletus. Missus est prophetis, ut quæ ventura essent, præscire et prænuntiare possent. Missus est etiam Balaam, qui ad maledicendum populum Dei eductus, non solum non maledixit, sed etiam quasi benedicendo, quæ ventura erant, in Spiritu sancto prævidit et prædixit. Mittitur et adhuc sanctis prædicatoribus, ut sciant et valeant in sermone Dei utiliter commonere populum Dei. Sed in his omnibus est quidem Spiritus sanctus, sed non *Paracletus*. Ubi vero cor humile, cor, inquam, vel pro recordatione peccatorum vel pro amore cœlestium bonorum mœrens, et sollicite consolationem, qua respirare possit, in verbo Dei quærens perspexerit, illuc mittitur a largiflua paternæ dulcedinis gratia, ut sit ei Paracletus in omnibus et animæ et

A corporis tribulationibus. Unde recte ait : *Quem mittet Pater in nomine meo.* Quod est *nomen ejus*? Jesus, quod interpretatur *Salvator*. Ista namque missio numquam fit sine salvationis remedio. Unde subjunxit et ait :

Ille docebit vos omnia, et suggeret vobis quæcunque dixero vobis. Ac si dicat : Spiritus sanctus Paracletus, quem mittet vobis Pater in nomine meo, ut sit vobis Consolator et Salvator, *ille docebit vos* per cognitionem, *suggeret vobis* per dilectionem, *docebit vos* ad ea quæ scienda sunt vobis, intrinsecus vos illuminando, *suggeret vobis* ad ea quæ diligenda sunt vobis, amorem dando. Quæ sunt illa? *Quæcunque dixero vobis*, ego, qui Verbum sum Dei Patris, quia quidquid in verbo meo dicitur vobis, ego Verbum

B Patris dico vobis :

Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, non quomodo mundus **378** *dat ego do vobis.* Triplex pax ista subtili consideratione nobis est perspicienda. Prima pax, pax est a vitiis; secunda pax, pax est a mundo; tertia pax, pax est a diabolo. Igitur pacem relinquere est pacem a vitiis dare. Pacem Dominus a vitiis dat, quando in multitudine virtutis suæ suis tribuit fidelibus, quod resistendo carni et sanguini vitiis superiores fiunt; compriment et abjiciunt a se quidquid noverint in se Deo posse displicere. Hæc est pax prima, cui necesse est ut secunda succedat, quam unigenitus Dei Filius suam pacem nominat. *Pacem meam*, inquit, *do vobis*. Hæc est pax a mundo.

C Quid est pax a mundo? Mundus offert nobis læta et tristia, prospera et adversa, per quæ hominem ad cœlestia tendentem plerumque in semetipso facit dissidentem. Modo enim elevat eum prosperis et lætis, modo dejicit eum tristibus et adversis. Sed quia, ut comprimatur hoc malum inquietudinis, in solius potestate est Conditoris, recte ait : *Pacem meam do vobis.* Ac si dicat : Hæc est *pax mea*, quam ego specialiter meis do, ut pacem habeant a mundo, quos sic facio subsistere in se, ut nec prosperitate eleventur supra se, nec adversitate cadant infra se. Sed quia adhuc pax una restat quæ et paci a vitiis et paci a mundo sublimior exstat, subjunxit adhuc Salvator et ait : *Non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Hæc est pax a diabolo, quæ in hoc mundo non dabitur,

D sed in æternam vitam reservabitur. Nam quis erit, qui in hoc mundo tutus esse valeat a diabolo? Unde quanto sublimior pax illa erit, ubi nullus sanctorum diabolum timebit, tanto specialius eam commendare curavit dicens : *Non quomodo mundus dat ego do vobis.* Sed quomodo?

Non turbetur cor vestrum, neque formidet. Ac si dicat : Pax illa quam daturus sum in æterna vita, non talis erit, qualis pax prior, qualis pax secunda fuit, sed talem pacem ego do vobis, ut *non turbetur cor vestrum, neque formidet*, hoc est ut ibi mecum sitis, ubi liberi et quieti ab omni impetu diaboli, nec corde turbemini alicujus malæ cogitationis, nec corpore formidetis formidine alicujus pravæ, quæ **379** vobis succedere possit, actionis. Et quia Salvator

noster duas in se naturas habuit : unam quam videbant ; alteram quam necdum perfecte cognoscere valebant : unam humanitatis, in qua cum eis manducavit et bibit ; alteram divinitatis, in qua et per quam hæc omnia in eis se facturum repromisit, subjunxit et ait :

Audistis quia dixi vobis : Vado et venio ad vos. Ac si diceret : *Audisti quia* ego, propter vos factus homo, *dixi vobis : Vado et venio ad vos. Vado*, ubi cognoscar a vobis, non sicut hic cognoscor, ubi cognoscar, inquam, in alterius dignitatis magnificentia, hoc est in divinitatis meæ excellentia; *vado* ad illam gloriam, quam habet Pater meus, cui ego consubstantialis sum et coæternus, quam, quia carnales adhuc estis, hic in me cognoscere non potestis ; *vado* igitur corporalem meam præsentiam vobis subtrahendo, *venio ad vos* per adventum Spiritus sancti divinitatis meæ vobis ostendendo excellentiam. Et si hanc in vobis gratiam non fecero, hoc est si Spiritum sanctum vobis non misero, in divinitatis meæ substantia cognosci a vobis non potero.

Si diligeretis me, gauderetis utique, quia ad Patrem vado, quia Pater major me est. Quomodo dicit, *si diligeretis me ?* Annon dilexerunt eum, pro cujus amore reliquerunt totum mundum ? Vere dilexerunt, sed tamen non ea dilectione qua eum postea diligere cœperunt. Habuerunt quidem dilectionem Dei incipientem, habuerunt nihilominus dilectionem proficientem, sed dilectionem perficientem non habuerunt ; ideo ab ore Veritatis audierunt, *si diligeretis me.* Ac si dixisset : *Si diligeretis me*, qualem postea diligetis, quando advenientis Spiritus sancti gratiam accipietis, *gauderetis utique, quia ad Patrem vado ; gauderetis*, inquam, gaudio meæ divinitatis, qua Patri coæqualis sum et consubstantialis ; *gauderetis utique*, quia qui nunc vobiscum comedo et bibo, verus Deus sum et verus homo. Sed quia in sola humana natura mea gaudetis, quam videtis, nullumque de visibili et incomprehensibili natura divinitatis meæ gaudium habetis, ideo dico vobis, *si diligeretis me*, **380** *gauderetis utique, quia vado ad Patrem, quia Pater major me est. Major me est* in humanitate, non *major me est* in divinitate. Sed et ego ipse major sum meipso. Major enim sum in substantia divinitatis, quam appaream oculis vestris in substantia humanitatis. Sed omnia ista, quæ de divinitatis meæ excellentia nunc vobis absconduntur, per adventum Spiritus sancti, quem missurus sum, vobis manifestabuntur.

Et nunc dixi vobis, priusquam fiat, ut, cum factum fuerit, credatis. Postquam enim Spiritum sanctum vobis misero, in cujus adventu inæstimabili divinitatis meæ cognitione vos replevero, tunc primum credetis, tunc primum, quæ *nunc dixi vobis*, cognoscetis et diligetis.

Jam non multa loquar vobiscum. Venit enim princeps mundi hujus. Licet juxta sententiam expositorum *princeps mundi* diabolus intelligatur, tamen quia plerumque in Scripturis sacris una eademque sen-
A tentia et in malo et in bono accipitur, dicerem, si auderem, imo audeo, quia contra sanum intellectum sentire me in hoc non æstimo, *principem mundi* Spiritum sanctum posse intelligi. Nec injuste per quem formatus est mundus, *Principem mundi* esse dicimus ; quæcunque enim creata sunt, ab ipso formam acceperunt. Sic denique in primordio creationis legitur de ipso : *In principio creavit Deus cœlum et terram, terra autem erat inanis et vacua, et Spiritus Domini ferebatur super aquas* (*Gen.* I, 1, 2). Ait ergo : *Jam non multa loquar vobiscum ; venit enim Princeps mundi hujus.* Ac si dicat : Multa locutus sum vobiscum in humana natura mea, sed postquam venerit *Princeps mundi hujus*, Spiritus sanctus, ipse de multis pauca faciet, quia dum inundanti divinitatis munere
B vos collustrabit, universa quæ scienda sunt vobis paucis insinuabit. Sed si princeps mundi Spiritus sanctus est, imo quia est, quomodo audiri potest quod ait :

Et in me non habet quidquam ? Dicimus quod nihil in eo habuerit Spiritus sanctus ? Absit hoc a sensu fidelium, ut nihil in eo habere dicatur Spiritus sanctus, cum quo unus est Deus. **381** Est enim quasi dixisset : Sicut ego et Pater, ita et Spiritus sanctus, qui unus nobiscum Deus est, *Princeps mundi* est, *et in me non habet quidquam*, hoc est in me non habet aliquid, sed totum quod ego sum, totum quod in me est divinum et humanum, habet ipse in me, habet ipse mecum. Quod Deus sum, mecum habet,
C quod homo sum, mecum habet, quia in divina natura verus Deus cum ipso sum ; in humana natura verus homo ex ipso conceptus sum.

Sed ut cognoscat mundus quia diligo Patrem, et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Ideo, inquam, *venit Princeps mundi hujus* Spiritus sanctus, ut et vos et per vos cognoscere faciat mundum, quia Deus et homo sum : Deus, *quia diligo Patrem*, id est quia in divina natura mea, quo Deo Patri consubstantialis sum, sicut diligit me Pater, ita et ego diligo Patrem dilectione illa, quam nemo novit, nisi Pater et Filius ; homo autem quia in humana natura mea, *sicut mandatum mihi dedit Pater, sic facio*, id est pro mandato et obedientia Patris **382** homo factus sum, et pro redimendis homini-
D bus humanam, quam assumpsi, naturam morti dare paratus sum.

Hæc sunt verba evangelicæ Lectionis, quæ pro modulo nostro duce Spiritu sancto utcunque digessimus. Nunc ipsius imploremus auxilium, ut qui Paracletus dicitur, Paracletus nobis esse dignetur, quatenus gratia ipsius et illuminemur ad cognitionem, et inflammemur ad dilectionem, ut quæ sit dilectio Patris ad Filium, quæ dilectio sit Filii ad Patrem, ita cognoscamus, ut et obedientiam ipsius, qua obedivit Deo Patri in redemptionem generis humani, sic in præsenti sæculo imitemur, ut et nos quandoque per gratiam ipsius redimamur, et cum redemptis omnibus, gaudiis æternæ beatitudinis admittamur, ubi Patrem in Filio, Filium in

Patre cum Spiritu sancto sine fine vivere mereamur. Quod ipse præstare dignetur Dominus noster Jesus Christus, qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LIII.

IN FESTUM NATIVITATIS S. JOANNIS BAPTISTÆ PRIMA.

Elisabeth impletum est tempus pariendi, et peperit filium (*Luc.* I).

Licet omnis Scriptura divinitus inspirata, tum per verba, tum per ænigmata vitæ perennis insinuare videatur gaudia, evangelicæ tamen veritatis auctoritas plenius et manifestius denuntiat, quæ et qualis sit ipsa patriæ cœlestis claritas. Sic et præsentis sancti Evangelii sensus, si subtiliter fuerit inquisitus, mystica denuntiat ratione, qualis honor et gloria, quæ pax et concordia in curia sit Regis cœlestis, in civitate Dei viventis. Ait enim Evangelista:

Elisabeth impletum est tempus pariendi, et peperit filium. Quia beatus Joannes, cujus hodie festa celebramus, summæ beatitudinis singularis exstitit nuntius, per parentes ipsius omnes ad æternæ felicitatis gaudia pertinentes accipere non incongrue possumus, in *Zacharia* spiritum hominis, in *Elisabeth* vero carnem, quæ sola in præsenti vita laborem portat et dolorem. Habet ergo fidelis quisque *tempus pariendi*, cum in tempore hujus mortalitatis quasi gloriosum numerum filiorum laudabiles fructus bonorum multiplicat operum, per quos gaudia regni cœlestis, per quos gloriam possideat æternæ hæreditatis. Cujus nimirum *tempus pariendi* tunc *impletur*, cum terminus ille advenerit, quem præterire nullus **383** mortalium poterit. Si quis ergo hoc tempore pariendi bono ardenter insistendo operi non sterilis sed fecundus studuerit inveniri, cum hoc impletum tempus fuerit, id est, cum de corpore mortis ad statum immortalitatis pervenerit, dici de illo non incongrue poterit quia *filium peperit.* Et bene non *filiam*, sed *filium* peperisse dicitur, quia evacuata tunc omni carnalis vitæ imbecillitate in virum perfectum proficiet in plenitudine ætatis Christi, in incommutabilis justitiæ stabilitate. De hujusmodi partus gloria quale gaudium in cœlesti fiat curia, recte verba innuunt sequentia:

Et audierunt vicini et cognati ejus quia magnificasset Dominus misericordiam suam cum illa, et congratulabantur ei. *Vicini* cujuslibet felicis animæ spiritus angelici accipi possunt non incongrue, qui ei ad omne, quod adversus carnem et sanguinem, adversus spiritalia nequitiæ habet prælium, ut vere vicini et proximi benignum semper exhibent præsidium. Nam quomodo unquam homo fragilis, homo terra et cinis, congredi aut resistere spiritibus posset malignis, nullo carnis onere gravatis, si non cœlestium acies castrorum protectionis suæ indesinenter ei ferret auxilium? qui etiam spiritus angelici ejusdem animæ dicuntur *cognati*, utpote ab uno Patre, Domino Jesu Christo progeniti. Nam ipse, qui angelicæ conditionis auctor existit, humanam

A etiam naturam et mirabiliter condidit, et mirabilibus reformavit.

Cum ergo beata quælibet anima educta fuerit de præsentis vitæ laboribus et miseria, cum, inquam, partus hujuscemodi, fama videlicet virtutum ejus et laudabilis meriti, vulgari cœperit in aula cœlesti, vicini et cognati benigne ei dicuntur congratulari. Nam si teste Veritatis sententia, angeli cives nostri de unius peccatoris tantopere gaudent pœnitentia, quanto majori utuntur gaudio, cum ereptum eum de imperio mortis, ad veram libertatem, ad gloriam filiorum Dei, ad regnum agnoverint transisse immortalitatis, ubi sic auctori justitiæ conjunctus inhæreat, ut peccati maculam nec levissimam quidem ulterius contrahere valeat? Nam
B quantum **384** hominum felicitati congaudeant, quanta admiratione æstimationem humani meriti præferant et extollant, plenius adhuc sermo narrationis evangelicæ videtur nobis indicare.

Et factum est in die octavo, venerunt circumcidere puerum, et vocabant eum nomine patris sui Zachariam. Quoniam octavo die celebratur gloria resurrectionis Dominicæ, recte per diem octavum generalis exprimitur resurrectio mortuorum. Sed qui sunt illi, qui *octavo veniunt die puerum circumcidere?* Spiritus videlicet administratorii, per quorum ministerium omne vivorum et mortuorum terminabitur judicium, quemadmodum ipse judiciorum Dominus in Evangelio testatur evidentius. *Mittet*, inquit,
C *Filius hominis angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala.* Veniunt ergo spiritus administratorii *octava die*, ut puerum circumcidant, ut electum quemque ab omni corruptionis miseria funditus expiatum æternæ reddant puritatis fonte inebriandum. Qui cum viderint abjectam humani generis naturam, non solum suæ dignitati æquatam, verum in capite suo, mediatore Dei et hominum Jesu Christo, et in quibusdam etiam membris, matre videlicet ejusdem mediatoris ultra se viderint mirabiliter exaltatam, mirantur summopere fragilem limum pro acquirendo regno gloriæ tantum passionis pretium dedisse, pro quo semetipsos nunquam vel minimum quid laboris sciunt impendisse. Cernentes igitur incomparabile electorum
D meritum, jure censent eos *nomine patris sui Zachariæ* vocandos, quia secundum magnifica, quæ in corpore egerunt, opera dignos eos dijudicant sempiterno coronandos honore et gloria. Vere Joannem amicum Sponsi intimum, cœli senatorem inclytum pro singularis innocentiæ meritis dignissimum judicant senatu gloriæ perennis, qui ut secretis cœlestibus interesse mereretur familiarius, in ipso adhuc teneræ ætatis tempore humanæ se funditus subtraxit commanentiæ. Vere assatum ignita crate Laurentium cœlestis dignitatis corona justissime dijudicant laureandum. Vere Georgium cæterosque invictos veritatis testes, nobilem de hostibus triumphum referentes, **385** pro effusione proprii sanguinis dignos dijudicant stola perennis

gloriæ et immortalitatis. Sed ipse felix electorum A numerus, cum pro laudabilis vitæ meritis tantum sibi ab angelis honorem deferri viderint reverentiæ et laudis, non alta, sed humilia de se sentientes, cui meritorum suorum magnificentia ascribi debeat, verbis sequentibus patenter denuntiant.

Nequaquam, sed vocabitur Joannes. Cum enim ad animum revocaverint quantas calamitates, quales miserias in exsilio pertulerint, cum, inquam, memores erunt quales tentationes a conventu malignantium perpessi sint, et in his omnibus in fragili corpore victores gloriosos se exstitisse, victoriæ palmam non suis meritis, sed dono ascribunt et gratiæ solius Dei omnipotentis. Dicunt igitur suis convicibus, angelicis illis spiritibus, de suæ remunerationis gloria tantopere mirantibus : *Nequaquam, sed vocabitur Joannes*, hoc est nequaquam B nostris operibus vel meritis ad hac gloriam provecti sumus cœlestis dignitatis, sed totum et bonæ actionis nostræ meritum, et tantæ remunerationis insigne gaudium illius gratiæ est ascribendum, a quo est omne datum optimum, et omne donum perfectum. Hinc etiam Paulus apostolus, gentium doctor egregius, doctrinæ et prædicationis suæ laborem nequaquam sibimetipsi, sed dono ascripsit multiformis gratiæ Christi, *plus*, inquiens, *omnibus laboravi, non autem ego, sed gratia Christi mecum* (*I Cor.* xv, 10). Dum ergo electorum numerus nil super statu suæ beatitudinis propriis attribuens meritis, sed totum divinis ascribit muneribus, illa C superna angelorum agmina magis magisque humilitatem illorum magnificant et approbant, quemadmodum verba sequentia declarant :

Et dixerunt ad illam : Quia nemo est in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine. Quod idem est ac si dicant : Digna de Conditoris majestate sentitis, dum gaudia acceptæ remunerationis non propriæ virtuti ascribitis, sed dono assignatis pii Redemptoris. Nullus enim est inter filios hominum, quem natura humanæ conditionis ad hoc non trahat, ut propriam laudem quærendo magis in **386** se gloriari velit quam in Domino. Sequitur :

Innuebant autem Patri ejus quem vellet vocari eum. Quandiu horribilem mortalitatis hujus carcerem inhabitamus, tantas cæcitatis tenebras patimur, tan- D tis ignorantiæ nebulis constringimur, ut proprii cordis conscientia vix aliquando nobis ipsis sit nota; aliena vero omnino nobis manet incognita, nisi exterioris hominis nutibus vel signis fuerit prodita. Hujusmodi caliginis umbras supernæ patriæ prorsus ignorat claritas, in qua cunctorum Deo conregnantium corda tanta divini luminis illustrantur gloria, ut singulorum affectus pateat singulis. Et hoc est quod mutuo *innuere* dicuntur, quia opus ibi nequaquam erit exterioris hominis motu aliquid exprimere, ubi singulorum singulis manifestæ sunt conscientiæ. Sic ergo cœlestium agminum spiritus annuunt, hoc est per angelicæ naturæ subtilitatem intelligunt, quid electorum animæ a Domino postulent et appetant, quod videlicet recipere corpora sua summopere expetunt et desiderant, quod congruenti ordine verba sequentia declarant.

Et postulans pugillarem. Pugillaris proprie nuncupari solet, quod pugillo manus contineri valet. Et quid per *pugillarem* aptius accipere possumus, quam electorum carnem et corpus, quod in præsenti vita manu validæ contritionis vitiis cruciligentes et concupiscentiis, emundare studebant ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi? Electorum igitur spiritus et animæ magno desiderii clamore a Deo videntur *postulare*, ut carnem propriam, fidelem sui certaminis coagonistam immortalem recipiant et incorruptam, quia de visione omnipotentis Dei plenum nequaquam habere valent gaudium, quandiu hanc, quam in omni præsentis sæculi asperitate fidelem habuerunt comitem, in perventionis gaudio habere non valent consortem. Hæc est etiam validi clamoris virtus, qua electorum animæ magna ad Deum voce in Apocalypsi referuntur clamare : *Usquequo sanctus et verus non judicas et vindicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra?* (*Apoc.* vi, 10.) Sed cum hæc validi clamoris virtus ad aures Domini Sabbaoth introierit, ipseque **387** Redemptor animarum desiderio illarum per resurrectionem corporum satisfecerit, jam tunc veraciter adimplebitur, quod in consequentibus commemoratur :

Scripsit dicens : Joannes est nomen ejus. Dum ergo omnes electi, qui ad æternam vitam prædestinati sunt, ab initio sæculi duplici fuerint, corporum simul et animarum immortalitate vestiti, cumque ad memoriam revocaverint quod in sola protectione Dei cœli omnes præsentis vitæ labores et miserias, omnes antiqui hostis tentationes evaserint et insidias, vere non tam dictis transeuntibus, quam scriptis permanentibus affirmant non sua virtute, sed solius Dei gratia se salvatos esse. Proinde profunda corporis et animi humilitate, verissima suimet agnitione, pro se in perpetuum submittunt Redemptori, per quem ab æternæ mortis damnatione misericorditer sunt redempti. Cum hac omnium electorum laude et gloria fiet etiam de inenarrabili pii Conditoris misericordia civibus summis admiratio non minima, quam patenter verba manifestant sequentia.

Et mirati sunt universi. Cum universa Conditoris nostri opera magna valde sint et inenarrabilia, unum tamen opus est præcipuum, unum præ cunctis, præcellentissimum antiquum videlicet illud consilium, quod beatus ille beati Dei Filius delicias suas quondam æstimavit esse cum filiis hominum. Miratur ergo, et mirando magnificat tota cœlestium agminum dignitas, quod Deus, qui sine tempore fuit, homo sub tempore fieri voluit, quod concipi et comprehendi in teneræ Virginis voluit utero, quem cœli et terræ comprehendere non valet amplitudo.

Ipse autem electorum numerus nunquid tantæ

dignationi existens ingratus ultra a Redemptoris sui cessabit laudibus? Non utique; nam *et apertum est illico os ejus, et lingua ejus, et loquebatur benedicens Deum.* Per *os*, quod foris est, visibile quodque hominis exprimitur; per *linguam*, quæ intus est, illud non incongrue accipi valet, quod invisibile in conscientia hominis latet. Quæ simul utraque, exteriora electorum et interiora ita in Conditoris **388** laude aperiuntur, ut amplius per sæcula non claudantur, sed ipsi suo Conditori gratias agentes voce incessabili jucunda suæ redemptionis gaudia lætissimo cœlestis harmoniæ concentu resonabunt in sæcula.

Et factus est timor super omnes vicinos ejus. Dictum est superius cives supernos esse *vicinos*, qui cum eosdem devicta omni corruptionis molestia corpori claritatis Christi viderint conformatos per omnia, fiet in eis *timor* sanctus, *timor* in sæculum sæculi permansurus. Timent quippe timore pio, venerantur et laudabunt per sæcula non solum divinæ majestatis potentiam, sed etiam ineffabilem ejusdem Redemptoris misericordiam, qui, quos condidit, tanto dilectionis pondere appendit, ut quoniam neminem habuit majorem, seipsum pro his daret in redemptionis pretium.

Et super omnia montana Judææ divulgabantur omnia verba hæc. Judæa, quæ *confessionem* sonat, civitatem cœlestem designat, in qua in voce exsultationis et confessionis jugiter laudatur et magnificatur nomen æterni Conditoris. Hujus *Judææ montana* ea angelorum vocantur agmina, quæ incircumscripto lumini tanta sunt vicinitate conjuncta, ut inter hæc et Deum nil existat medium. *Super* hæc *montana omnia* humanæ redemptionis *divulgantur verba*, quia ipsi Spiritus angelici venerari non desinunt et mirari, quod præpotens cœlorum Dominus pro hominibus homo humilis fieri sit dignatus. Erit etiam summæ admirationis causa, quod humana natura de limo terræ edita, ita in capite suo, Mediatore Dei et hominum, supra omnem principatum et potestatem, supra omnem virtutem et dominationem ita sit exaltata, ut in eadem claritate, qua æterna regnat divinitas, ipsa regnare videatur assumpta in Deum humanitas. Dum ergo cuncti, qui redempti sunt a Domino, cum ipso redemptionis suæ auctore in gloria cœperint apparere, ipsi spiritus administratorii nil aliud sunt acturi, nisi quod sequentia declarant hujus evangelii :

Et posuerunt omnes in corde suo dicentes : Quis, putas, puer iste erit? **389** Dei unigenitus cum omni corpore suo, quod est Ecclesia, dicitur quodammodo *puer* unus, quod dilectum corpus tanto immortalitatis decore adornabit, ut ipsis spiritibus angelicis, quorum natura est splendor et gloria, dignum habeatur præconio admirationis. *Quis*, inquiunt, *puer iste erit*, excelsus videlicet filiorum Dei cœtus tam perfectus in decore, tam decenter coronatus gloria et honore? *Etenim manus Domini erat cum illo.* Ideo, inquiunt, talem claritatis decorem homo promeruit terra et cinis, quia intantum Conditor ejus miseriis condoluit et fragilitati, ut homo fieret Filius Altissimi. Filius enim Dei proprie dicitur *manus Domini*, sicut eadem voce dicitur Psalmistæ : *Manus tuæ, Domine, fecerunt me et plasmaverunt me* (*Psal.* CXVIII, 73).

Et Zacharias pater ejus impletus est Spiritu sancto, et prophetavit dicens : Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit, et fecit redemptionem plebis suæ. Electorum Dei numerus per *Zachariam* prænotatus, **390** quandiu corpus, quod aggravat animam, gerit, ea quæ sunt spiritus, cognoscere ad plenum nequaquam poterit. Sed cum corruptibile hoc induerit incorruptionem, cum ad plenæ securitatis transierit gaudia, ibi revelata facie perfecte cognoscet plenitudinem divinæ sapientiæ et scientiæ, ibi redemptionis suæ gaudia, non quasi futura, sed jam per Mediatoris sanguinem veraciter facta pronuntiat, ac intimis gratiarum votis nomen ejusdem Redemptoris in æternum benedicit et magnificat. *Benedictus*, inquit, *Dominus Deus Israel.* Quasi dicat : Benedictus ille, qui, ut multos regni sui faceret cohæredes, injuriam maledictionis, ignominiam sustinere non abnuit crucis ; qui in multiplici mortalitatis nostræ miseria, in multa nos *visitavit* miseratione et misericordia ; qui totum, quod vel caro blandiens, vel mundus sæviens solebat ingerere, evacuavit per revelationem gloriæ suæ, perpetuam faciens *redemptionem plebis suæ*, cui sit honor et imperium per infinita sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LIV.

IN VIGILIAM FESTI SS. APOSTOLORUM PETRI ET PAULI PRIMA.

Dicit Jesus Simoni Petro : Simon Joannis, diligis me plus his? (*Joan.* XXI.)

Beatissimus Petrus apostolorum princeps, quia tantæ fidei, tamque ardentissimæ charitatis erga Dominum et magistrum suum exstitit, sicut ex lectione evangelica audivimus, merito illi ut fideli dispensatori alendarum ovium suarum curam Dominus contradidit. Qui profecto illum, qui est in sanctis suis mirabilis, morte sua clarificavit, dum pro ipso devote et gloriose in crucis stipite elevatus occubuit. Sed quid scire vel audire tanti viri merita nobis proderit, nisi ea, quæ audimus, factis utcunque imitari velimus? Sicut enim tunc Petrum, an se plus his omnibus diligeret, requisivit : sic quotidie in sancta Ecclesia, in electis scilicet animabus, post tempus conversionis, majoris et ardentioris requirit opus fidei et dilectionis. Ait ergo evangelista :

Dicit Simoni Petro Jesus : Simon Joannis, diligis me plus his? Simon *obediens*, Joannes *gratia Dei* interpretatur. Per *Simonem*, qui interpretatur *obediens*, quilibet fidelis homo accipi potest, qui mundum deserens, propriis voluntatibus abrenuntiare quærit, et pro imperio divino, et pro spe æternæ remunerationis alieno se regimini subdens, Dominicis per omnia præceptis obedire satagit, et ex hoc obedien-

tiæ bono *gratiam Dei*, quæ per *Joannem* figuratur, affatim percipere meretur.

391 Hic qualiter in primordio conversationis Deum et Dominum suum omnibus mundi voluptatibus anteponere, ipsumque quam ardenter sitire, et quam vehementer diligere debeat, ipse Dominus docendo insinuat : *Simon*, inquit, *Joannis diligis me plus his?* Quid est dicere, *plus his*, nisi quod diligendus est Dominus plus omnibus terrenis atque caducis? *Hic* etenim verbum est demonstrativum, per quod innuitur quidquid est in hoc mundo visibile et transitorium. Convenit namque eis qui pia colla jugo obedientiæ humiliter submittunt, et ob hoc majora charismatum dona a Deo Patre percipiunt; *plus his*, id est præ cunctis visibilibus, præ cunctis mundi divitiis, Deum et Dominum suum Creatorem et Redemptorem omnium amplecti et diligere, non patrem, aut matrem, non fratres aut sorores, sed ipsum solum beatum Deum *plus* omnibus *his* totis animæ medullis sitire et amare. Quisquis ille est, qui in hujus mortalitatis mutabilitate, in amore Conditoris sui sic inardescit, ut supra omne, quod est, unice Deum suum diligat, ipsum sinceræ dilectionis suæ testem recte invocat, dicens cum Petro : *Etiam, Domine, tu scis quia amo te.* Qui dum vera cordis humilitate in Dei amore profecerit, quam districta animadversione postmodum in tempore bonæ conversationis in se punire debeat, quidquid contra Deum deliquit, sequentibus verbis insinuat Dominus dicens :

Pasce agnos meos. Per agnum pœnitentia designatur, quæ primum appetenda est quærenda, quia nisi peccata præterita condigna pœnitentiæ satisfactione diluantur, nequaquam anima ad cœlestis munditiæ mysterium admittitur. At vero cum ante actæ vitæ culpas detergimus per pœnitentiam, a peccatis præteritis absoluti ad veram redimus innocentiam. Et notandum quod ait : *Pasce agnos meos.* Quia sicut pastio diaboli est vitiorum et peccatorum fœda volutatio, sic quodammodo quædam laudabilis et jucunda refectio Omnipotentis est vera cordis munditia et innocentia per veram acquisita pœnitentiam. Sed inter hæc dum pœnitenti homini a Deo dimittitur, quod deflevit, nec etiam a Deo imputantur peccata,
392 quæ aliquando perpetravit, non semel tantum, sed iterum et tertio agnos Dei pascere jubetur, quemadmodum Petro secundo dicitur a Domino :

Simon Joannis, diligis me? Ait illi: Etiam, Domine. Dicit ei : Pasce agnos meos. Sicut superius per agnos pœnitentia, sic et hic per agnos simplicitas, mansuetudo vel patientia accipitur. Igitur quicunque ille est, qui tactu veri luminis illustratus sese contra se erexerit, et per amaram pœnitentiam ad veram redierit innocentiam, restat ut summopere simplicitati studeat, ac pro benefactis suis laudes humanas non requirat, sicque fit simplex in malo, ut tamen prudens esse meminerit in bono. Non enim simplex, sed duplex cor retinet, qui hic ex merito bonæ actionis superbiens, humanis favoribus pascitur, et tamen de futura æternæ vitæ retributione gloriatur.

Studet et mansuetudini, quia omnino parat sibimet requiem, quam mox in secreto cordis invenit, qui secundum jubentis sibi imperium vivens, nunc cavet interdicta, nunc valenter et sollicite perficit quælibet injuncta. Patiens et fortis est ad irrogata, seque ipsum sic metitur, ut nec prosperis immodice extollatur, nec adversis nimium dejiciatur. Sequitur :

Dicit ei tertio : Simon Joannis, amas me? Quid est quod post profectum tantarum virtutum jam tertio amorem confiteri debet, nisi quod is qui tali ordine profecerit, ad profectum multarum vocatur, ut præesse aliis debeat qui dignius aliis vivit? Vult enim omnipotens Deus ut et aliis innotescat quam fervidam erga se dilectionis gratiam in corde retineat, aliosque virtute doctrinæ ad summa inardescere et fervere faciat, ut quod divina inspiratione didicit, auditoribus suis annuntiare et prædicare meminerit. Quod autem hoc omnino pertimescere, et magis inde contristari, quam gaudere necesse habeat, recte sequentia verba insinuant.

Contristatus est, inquit, *Petrus quia dixit ei tertio : Amas me. Et dicit ei : Domine, tu omnia scis, tu* 393
scis, quia amo te. Primo tempore conversionis præcipienti Deo per omnia devote obedire, et amori ejus nihil proponere dulce habet et jucundum. Item tempore bonæ conversationis, dum tantarum virtutum numerum in se augeri conspicit, merito hilarescit. Cum vero ad culmen prælationis promoveri compellitur, ubi multorum moribus servire debet, merito turbari et contristari habet.

Novit enim periculosum valde esse alienam vitam discutere et dijudicare, qui vix ad hoc sufficiens est, ut propriam valeat regere et gubernare. Unde jure cum Petro Domino dicit : *Domine, tu omnia scis. Tu scis quia amo te.* Ac si dicat : Tu, Domine, qui omnium corda nosti, tu scis si dignus sim præesse populo tuo; ego nihil meriti, nihil virtutis, nihil scientiæ in me esse sentio. Attamen tuæ omnia committo voluntati, meque totum tuæ prosterno pietati.

Hinc est quod beatissimus Martinus, qui dissolvi et esse cum Christo diu optaverat, nihil in voto suo [*cod.* tuo] ponens, nihil voluntati relinquens dicebat : *Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem, fiat voluntas tua.* Dum juxta beati hujus viri exemplum prælatus quisque Deo et Domino suo se humiliter ad obediendum exhibuerit, qualiter earumdem ovium curam gerere debeat, continuo audit :

Pasce, inquit, *oves meas.* Ac si dicat : *Oves meas*, simplices scilicet et innocentes meos, et non solum simplices et innocentes, sed et peccatores meos, per pœnitentiam utique meos factos, quibus te præesse volui, quos tuæ fidei et amori commisi, *pasce* nimia tuimet sollicitudine, *pasce*, inquam, prædicatione, operatione, oratione.

Hac trimoda refectione spiritalis quisque prædicator oves Dominicas debet pascere, prædicatione videlicet, operatione et oratione, quia prius se per sublimia facta debet exercere, et sic ad bene agendum alios admonere. Nam si vita discordat a lingua, pascit quidem prædicatione, sed non pascit operatione. Unde quod intonat voce, **394** ornare debet morum et operum claritate, et ad hæc, quod potissimum est, commissas sibi animas, ut quandoque in Christo inveniantur, assiduis Domino orationum victimis commendare. Quantus vero labor, quantave sollicitudo eidem in prælatione futura sit, jurejurando affirmat Dominus, juxta quod sequitur :

Amen amen dico tibi, cum esses junior, cingebas te, et ambulabas, ubi volebas; cum autem senueris, extendes manus tuas, et alius te cinget, et ducet quo non vis. Notandum quænam sit juventus, in qua homo cingitur et ambulat secundum velle suum ; et quæ senectus, in qua manus extendit et ducitur quo non vult.

Audiamus David de hac juventute et senectute dicentem : *Junior fui, etenim senui* (*Psal.* XXXVI, 25). Et iterum : *Renovabitur ut aquilæ juventus tua* (*Psal.* CII, 5). Cur potius more *aquilæ*, quam alterius avis renovari debeat homo, videamus. Nam natura aquilæ altius inspecta habet in se nonnulla ad exemplum trahenda. Cum autem senuerit et caligaverint oculi ejus, vadit usque ad ipsum solis ignem, et incendit alas suas, et sic cadens in fontem ter aquis immergitur, et exinde pristinæ juventuti redonatur.

Per aquilam peccator accipitur, qui quasi senio prægravatur, et quasi caligine quadam obducitur, dum animæ juventutem amittit, et solito more lumen internum videre non prævalet. Qui ut hujus senectutis molestiam deponat, more aquilæ altiora petit, dum totis desideriis, tota intentione ad cœlestia extenditur, ubi usque ad ipsum æterni Solis splendorem pertingens, ab illo validius inflammatur, et accenditur, sicque igne compunctionis incalescens quasi fonti immergitur, dum dulci lacrymarum flumine perfunditur, quo etiam perfusus et dealbatus, diu optata juventute renovatur.

Insinuat ergo Dominus pastori et prædicatori suo quod innumeris occupationibus et curis præpeditus, hujusmodi juventutis gratiam pro voto et desiderio suo habere nequeat, qui aliquando **395** ab exterioribus rebus quiescens, tanto magis in spiritu renovari meruit, quanto studiosius hæc horrenda, quæ exterius perstrepunt, mente calcavit. In qua nimirum juventute se quodammodo *cinxit*, quia per custodiam disciplinæ cunctorum visibilium superfluo appetitu Deo adjuvante fortiter semetipsum constrinxit.

Ut enim vestimenta cinguntur, ne defluentia humi impediant, sic ne per inania et inutilia laberetur, per arctam vitæ custodiam sese constringebat. *Ambulabat* quoque *ubi volebat*, qui in nimia mentis tranquillitate et dulcedine conversatus, nunc dulcia meditari, nunc in mentis excessu sublimia contemplari, nunc orationi instare quantum libuit, licuit.

Quod vero in dispositione regiminis, ubi multæ curæ subintrant, hæc minus et rarius habere valeat, manifestatur, cum subjungitur *Cum autem senueris, extendes manus tuas, et alius te cinget, et ducet quo non vis.* Ac si dicat : Tu, qui aliquando totus intus eras, et uni, quod necessarium est, inhærebas, postquam senuisti, hoc est postquam magnitudine dulcedinis meæ crebrius renovari, ut solitus eras, non meruisti, *extendes manus tuas*, id est extra tendes te ad exteriora opera, quia propter necessaria sumptuum subsidia, quæ impendenda sunt filiis, turbari et sollicitari habes erga plurima. *Alius* quoque **396** *cinget te*, alius videlicet labor astringet, *et ducet quo non vis* quia propositum non est tuæ voluntatis, quod ad curas mundi venire compelleris.

Hoc autem dicebat, hoc est ita fieri oportere præmonstrabat, *significans* quod non solum in vita laudabili, sed et in *morte* sua, qua moritur Deo propter Deum, *clarificaturus sit Deum.* Primo namque moritur per pœnitentiam et innocentiam mundo ; secundo moritur per patientiam et mansuetudinem et simplicitatem peccato ; tertio, ut diximus, in prælatione moritur Deo propter Deum, dum internæ dulcedini mori incipit, ut consulat saluti plurimorum.

Si enim pretiosa est in conspectu Domini mors illorum, qui soli Deo viventes moriuntur per pœnitentiam et innocentiam mundo, itemque per patientiam et simplicitatem moriuntur peccato, sic quoque laudabilis et gloriosa mors est, quando pro lucro multorum internæ dulcedini mori incipiunt, ut et alii illorum instinctu et exemplo Deum in vita sua clarificare noverint, qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

397 HOMILIA LV.

IN FESTUM COMMEMORATIONIS S. PAULI APOSTOLI PRIMA.

Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te. Quid ergo erit nobis ? (*Matth.* XIX.) Quia beati Christi apostoli omnium hominum perfectissimi erant, merito ei qui cordium inspector est, dicere præsumebant reliquisse se omnia, jure et ex debito profitentur seipsum secutos esse. Licet pauca visibilium rerum bona reliquissent, omnia tamen reliquerunt, quia omnem voluntatem, omne desiderium habendi amiserunt, et post hunc tantæ perfectionis gradum eminentiori adhuc via per laudabilis vitæ meritum Dominum sequi studuerunt. Hæc illi ultra omnes homines beati Domino donante potuerunt, et quid pro hoc in munere essent accepturi, audire in subsequentibus meruerunt.

Sed et nos miseri, si eorum imitatores esse volumus, si præmii consortes, illorum exemplo omnia relinquere, et Dominum sequi pro posse nostro debemus. Quid est enim beatum et fidelem quemlibet omnia relinquere, nisi omni voluntate a malo declinare ? Quid est Dominum sequi, nisi post inchoatum bonæ voluntatis initium, quo a malo declinatur,

virtuosæ actioni operam dare? Est quippe laudabile A omnia relinquere, id est a malo declinare. Sed quia in hoc perfectio non est, laudabile bonum est Dominum sequi, hoc est bonum facere, quia primum tantum evadit supplicium, istud auget et confert meriti præmium. Unde omnia relinquentes, id est perfecte a malis pro viribus suis declinantes, Dominum sequentes, bona videlicet actione Domino placentes, recte cum apostolis Domino aiunt: *Quid ergo erit nobis?* Scire, inquiunt, scire et nosse, o Domine, desideramus, quid præmii non solum in futuro, sed et in præsenti nobis conferas, **398** quod omnia reliquimus, quod te secuti sumus.

Jesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis. In *regeneratione* hac, quam bene- B dictus Dei Filius suis repromittit exsecutoribus, mentis non incongrue accipi potest renovatio, quam vera cordis operatur compunctio. Nam cum homo perfecte et humiliter intrinsecus compungitur, invisibiliter coram Domino regeneratur, quia peccatorum vetustate ipsius cooperante gratia exutus, totus quasi alter ab illo emundatur et innovatur. Talis enim et tanta hujusmodi est regeneratio, quod eum, qui pulvis est et cinis, secundum præsentem Domini sententiam sedem efficit summæ et æternæ majestatis. *In regeneratione*, inquit, *cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ.* Sed quid est *sedere Filium hominis in sede majestatis suæ?* Homo quidem salvandus, qui ad Deum et ad ea quæ C Dei sunt, bonam voluntatem habet, sed necdum bonam voluntatem ad bonam operationem perducere valet, sedes quidem est Dei, sed sedes infirmitatis; cum autem veterem hominem deposuerit, atque per assiduam cordis compunctionem regeneratus et renovatus, bonis operibus viriliter insistere cœperit, non sedes infirmitatis, sed sedes *majestatis* Dei jure vocatur, in qua sedere et regnare omnipotens Dei Filius non dedignatur.

Et vere beati, qui hoc modo regenerati fuerint et emundati, quia sedente in illis Domino per divinitatis suæ præsentiam et requiescente, et ipsi nihilominus *super sedes duodecim* constituentur, quia corpus et animam, interiores **399** exterioresque sensus suos, qui quasi pro duodecim sedibus accipiendi D sunt, potestative possidere merentur. Unde cum præmisisset Dominus, *in regeneratione cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ*, continuo adjecit dicens: *Sedebitis et vos super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel.* Fiunt potentes possessores sui, quando, adjuvante et cooperante gratia Dei, ita corpus spiritui subjiciunt, quod utriusque hominis sui sensibus nihil præter Deum sapiunt, quærunt vel diligunt. Sed et *duodecim tribus Israel dijudicant* quando singula verba, cogitationes et opera, quæ quasi *duodecim tribus Israel*, videntis scilicet et videre desiderantis Deum animæ sunt, summa sollicitudine examinant et discutiunt si in ipsis etiam bonis suis aliqua inveniant, quæ interni arbitri oculos vel ad modicum offendere valeant. Sed quia pius et misericors Dominus electos et perfectos filios suos verbi sui dulcedine ita recreat et consolatur, quod tamen infirmiores et minus perfectiores non abjicit nec aspernatur, recte æterna Dei prævidit sapientia, ut anterior evangelicæ lectionis pars solos perfectos respiciat; pars autem posterior infirmos adhuc et debiles ad perfectionis summam invitet et doceat. Unde sequitur:

Et omnis, qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet et vitam æternam possidebit. Domus ista, quam primum relinquere debet, qui fastigium perfectionis apprehendere desiderat, cor terrenum et malam voluntatem sive conscientiam hominis convenienter significat. Ibi revera opus bonum, opus veritatis et gratiæ initiatur, ut primo omnium malam voluntatem, voluntatem scilicet peccandi, homo abjiciat, cor terrenum deserat; quod quandiu peccatis subditum est, recte domus diaboli dici potest. Unde Dominus ad Abraham: *Egredere*, inquit, *de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui* (*Gen.* XII, 1).

Post relictam *domum* relinquendi sunt et *fratres*, quia postquam malam terreni cordis voluntatem abjecerit, opera **400** etiam carnis, quæ per *fratres* intelligi valent, Deo auxiliante, deserere poterit. Sed quia nonnulli opera carnis abjiciunt, qui tamen concupiscentias carnis non deserunt, recto ordine æterna Dei sapientia post relictam *domum* et *fratres*, relinquendas etiam esse docuit et *sorores*, quia non sufficit opera carnis abjicere, nisi desideriis carnalibus, quæ per *sorores* accipere possumus, omnimodis studeat contradicere. Relinquendus est etiam *pater*, per quem diabolus significatur. Ipse est enim qui *domum* hanc, cor scilicet terrenum, libenter inhabitat; ipse est qui exsecrabiles *fratres* istos et *sorores*, mala videlicet opera malasque concupiscentias, in corde hominis generat, et ne deserantur et abjiciantur, diversis tentationibus contradicere festinat. Hunc malæ sobolis *patrem* perfecte relinquit qui tentationibus et contradictionibus ejus fortiter et viriliter resistit.

Sed hujusmodi contradictio perfecta, stabilis et firma esse non potest, nisi et *mater* relinquatur, hoc est nisi mundanæ conversationi homo penitus contradicat, quæ, quia malos hos de quibus diximus *filios* nutrit et fovet, matris nomine non incongrue intelligi valet. Postquam *matrem* reliquerit, mox, inquam, ut a mundana conversatione ad spiritalis vitæ militiam transierit, restat, ut et *uxor* relinquatur, hoc est ut voluptas carnis, quæ per *uxorem* accipi potest, omnimodis abjiciatur et contemnatur, quia placere Deo non poterit, qui in vita spiritali secundum voluptatem carnis vivere non pertimescit. Repulsa uxore relinquendi sunt et *filii*, quod sunt sensus mundani, quia cavendum summopere est, ne secundum sensus sæculares, res et causas spiritales tractare vel judicare audeat, sed in omni simplici-

tate præceptis majorum atque judiciis humiliter subjacendo, mala declinare, bona amplecti et amare studeat.

Post hæc omnia relinquendi sunt etiam *agri propter nomen Domini*. Ex nomine homo agnoscitur, ideoque non incongrue per *nomen* Domini cognitio et notitia Domini accipi poterit, ad quam sola mentis puritas cordisque sinceritas hominem ducit. Per *agros* **401** autem bona opera non incongrue sunt intelligenda. Sed quomodo dicimus bona opera esse relinquenda? Non enim sunt relinquenda; sunt tamen aliquando intermittenda *propter nomen Domini*, quod est notitia Domini. Mox namque ut ex præveniente gratia Dei homo senserit opportunum esse ut ad lectionis et orationis studium conferat se, relinquendi sunt *agri*, quia intermittenda sunt interim bona exteriora, ut transire possit ad bona interiora; intermittenda sunt bona per quæ homo exterior exercitatur, ut ad suave illud *nomen*, quod est notitia Dei, quæ in mentis contemplatione manifestatur, homo interior suavius et liberius admittatur.

Omnis igitur, qui hoc modo non solum mala et noxia quæque reliquerit, sed et bona exteriora pro bonis interioribus capiendis et consequendis, cum opportunum est, intermiserit, *centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit*. *Centuplum* istud, quod accipit, est plenitudo copiosa gratiæ Spiritus sancti, qua invisibiliter infunditur intrinsecus et ditatur. Vita autem æterna intelligi potest sacræ Scripturæ intelligentia, per quam hac in vita largiente Deo homo illuminatur et vivificatur, ut felicius in futuro vivere cum ipso mereatur, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

402 HOMILIA LVI.

IN OCTAVAM FESTI APOSTOLORUM PETRI ET PAULI PRIMA.

Jussit Jesus discipulos suos ascendere in naviculam (*Matth.* XIV).

Si verba hujus lectionis evangelicæ subtili consideratione discutere velimus, in ea profecto magnum erga electos suos divinæ pietatis respectum invenimus, quod videlicet eos nunquam in tentationibus deserat, nec plus quam possint sustinere, tentari illos aliquando permittat. Sicut enim olim præsens discipulis suis in fluctibus maris periclitantibus clementer subvenire non distulit, sic nunc quotidie electorum suorum in hoc mari magno et spatioso laborantium periculis misericorditer et invisibiliter se opponit, dum eos a procella tentationum graviter incumbentium eripit, et ad portum quietis et tranquillitatis perducit. Sed hi nimirum consolationem Domini et adjutorium in tentationibus experiri merentur, qui ei ad hæc, quæ in hac lectione evangelica jubet et consulit, obtemperare nituntur.

Jussit Jesus discipulos suos ascendere in naviculam et præcedere eum trans fretum. Per *discipulos* Domini hoc in loco nos ipsos possumus accipere, et omnes quicunque Christiano censentur nomine; per naviculam autem præsens Ecclesiæ congregatio, seu quælibet bona et spiritalis intelligi valet conversatio. Dominus ergo *discipulis suis*, illis dico qui sub disciplina ejus vivere decreverunt, hanc *intrare jubet naviculam*, bonam videlicet et spiritalem vitam, *et præcedere eum trans fretum*, id est transitoria cuncta despicere, mortalitatis suæ angustias, quæ in hoc mundo opprimuntur, per immortalitatis desiderium transire. Sed quando vel quomodo quisque Dominum hoc modo præcedere *trans fretum* debeat, subsequens littera demonstrat.

Donec dimitteret turbas, inquit. *Turbas* Dominus tunc *dimittit* procul dubio, quando omnis electorum cessabit turbatio. Sed quando hoc erit, nisi dum præsens vita finitur, et ad altitudinem cœlestis gloriæ homo perducitur? Quandiu vero in hac mortali carne vivitur, Dominus cum turba quodammodo esse dicitur, quia qui in electorum suorum cordibus habitare dignatur, in his etiam turbari non dedignatur, et si quid adversitatis, si quid perturbationis **403** eis forte in hoc mundo ab iniquis infertur, ad suam profecto injuriam deputat, et ipse illis tanquam caput membris compatitur. Hinc est quod Saulo adhuc membra sua persequenti ait: *Saule, Saule, quid me persequeris?* (*Act.* IX, 4.) Ipse enim jam per resurrectionis et ascensionis potentiam omnem mortalitatis hujus miseriam transierat, jam gloria et honore coronatus ad dexteram Patris consederat, et tamen Saulum se persequi dicebat, qui ei omnino appropinquare non valebat. Hoc est quod diximus, quia ipse quotidie patitur omne quod a reprobis ejus membra patiuntur; et quamvis caput hujus corporis, quod videlicet sunt omnes electi, jam sese super omnia liberum exserat, reproborum tamen perturbationes adhuc per suum quod deorsum retinet corpus sentit. Sequitur:

Et dimissa turba ascendit in montem solus orare. *Dimissa* itaque *turba*, id est omni membrorum suorum perturbatione sedata (quod nunquam erit, nisi quando præsens vita finem accipit), tunc juxta verba evangelistæ *ascendit in montem solus orare*. Quid per *montem* convenientius hoc loco, quam celsitudo valet designari cœlestis curiæ? Hunc *montem* peracto generali judicio *solus* Jesus *ascendit* cum omni corpore suo. *Solus* itaque *ascendere* dicitur, quia Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, collectis omnibus membris suis, unum corpus cum congregatione justorum efficitur. Ipse namque caput est corporis; omnes autem electi membra sunt hujus capitis, sicut et antiquus hostis unum corpus est cum collectione reproborum, quia ipse eis in hoc mundo ad iniquitatem præeminebat; illi autem, dum iniquitati deservierunt, velut subjunctum capiti corpus inhærebant.

Ascendit, inquit evangelista, *in montem solus*. Sed quid, aut cur ascendit? *Orare* profecto. Hic quæstio animum pulsat, cur dicatur *orare*, quia ubi omnes electi capiti suo uniti, et a corruptionis suæ vincu-

lis absoluti, ad illa libertatis gaudia pervenerint, ibi non est necessarium, ut oratione quæratur misericordia, quia ibi nulla est miseria. Sed citius hæc absolvitur quæstio, si ad memoriam revocemus, quia totum coram **404** Deo est oratio, quidquid adhuc etiam in hoc mundo constituti ad laudem et gloriam Creatoris sui agunt electi. Sæpe namque cum ad opus Dei assistimus, hymnum Domino dulci melodia canimus, in quo multoties nulla resonant verba orationis, sed tamen pro oratione reputabitur, quia ad laudem pertinet Conditoris. Si enim omne quod in valle lacrymarum ad gloriam agimus Creatoris nostri, oratio quodammodo valet appellari, quanto magis in illa beata patria, ubi nullum erit malum, nullum latebit bonum? Orare itaque in illa cœlesti curia electi dicuntur, quod nihil aliud est nisi quod Deum Creatorem et Redemptorem suum, quem sine fastidio amabunt, eum quoque sine fatigatione in gaudio sempiternæ jubilationis laudabunt, misericordias Domini in æternum delectant cantare, cujus sanguine liberati ad tantæ beatitudinis gloriam meruerunt pertingere. Horum beatitudinis ineffabile gaudium sanctus David, spiritu prophetiæ intuens, ait ad Dominum: *Beati, qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te* (*Psal.* LXXXIII, 5).

Vespere autem facto, solus erat ibi. Per istud *vespere* significari valet finis præsentis vitæ. *Facto* itaque hoc *vespere solus* Jesus remanebit in monte, in illa videlicet cœlestis regni celsitudine; *solus*, inquam, erit, quia, ut superius est dictum, caput cum membris, id est Christus cum fidelibus unum corpus erit cum omni multitudine fidelium. Sed in his. quos in futuro illa æterna quies suscipiet, quid interim in hoc mundo multoties agatur, per subsequentis litteræ ordinem exprimitur:

Navicula autem in medio maris jactabatur fluctibus. Erat enim contrarius ventus. Per *naviculam* sano intellectu intelligi potest aut præsens Ecclesia, aut quæque spiritalis congregatio, seu fidelis quælibet anima. Quodcunque horum, quæ diximus, per *naviculam* accipere volumus, verum est utique, imo verissimum quod evangelista ait: *Navicula autem in medio mari jactabatur fluctibus.* Sive enim sit Ecclesia, sive quæque sancta congregatio, sive quælibet felix anima, quandiu **405** *in medio mari*, id est in hoc mundo moratur, *fluctibus jactatur*, diversis scilicet tentationibus opprimitur et angustiatur. Quicunque recte sapit, quam verum sit quod dicimus intelligit. Quando enim anima omnia circa se recte agi putat, citius dicto magni maris fluctus intumescunt, id est diversæ tentationum molestiæ ingruunt, quas nec investigare liceat, unde aut ex qua radice procedant. Tria sunt, quæ in hac Evangelii littera continentur, *mare, fluctus et contrarius ventus*, quia nimirum a tribus his procellosa tentationum surgit perturbatio, a mundo videlicet, a propria carne et a diabolo. *Mare*, per quod more divini eloquii mundus figuratur, animam prosperis

A et adversis perturbat; *fluctus* autem, per quos carnales necessitates accipi possunt, vitiis et concupiscentiis aggravant. Sed et si aliquando hæc duo conquiescant, ecce *contrarius* imminet *ventus*, scilicet diabolus, qui diebus ac noctibus animam suis inquietare non desinit suggestionibus. Cum ergo sic impugnamur, sic ex omni parte tribulamur, torporem mentis necesse est fugiamus, omni sollicitudine bonis actibus invigilare studeamus, quia si istud fecerimus, auxilium et consolationem Domini in tanto rerum articulo experiemur, sicut in consequentibus habemus:

Quarta autem vigilia noctis venit ad eos. Mos erat antiquitus quod hi qui in expeditione erant, in quatuor noctem vigilias dividebant, et semper circa quartam

B vigiliam noctis finis erat, et mane illucescere incipiebat. Per quatuor vigilias quatuor principales virtutes, temperantia, prudentia, fortitudo, justitia intelligi possunt, quas et plerique cardinales nuncupant quia sicut ostium pendet in cardine, sic in his et de his subsistunt virtutes cæteræ. Qualiter autem has virtutes quisque debeat habere, subtilius libet inquirere.

Temperantia quidem tunc in homine fit quando timore omnipotentis Dei præventus temperare se desiderat ab illicitis rebus; si capitalia in mundo crimina commisit, ab his funditus se abstrahit, vel si non admisit graviora, sed tamen pueriliter in hac conversatus est vita (pueriliter dico, quod stulte et

C petulanter in quadam torporis negligentia jacuit), ab his omnibus temperare **406** se et emendare satagit. Sed quid temperantia proderit, si virtus prudentiæ desit? Parum siquidem est declinare a malo, si sollicite quis invigilare nesciat bono. Sunt nonnulli, qui quanta sit distantia inter lucem et tenebras ignorant, qui malum bonum, bonum malum plerumque existimant. Ili nimirum, si hujus ignorantiæ vitium evadere desiderant, prudentiæ virtutem hoc modo arripere studeant, ut si ipsi intelligunt, tota se mente ad sacræ lectionis studium conferant, quatenus inter verba Dominica quid faciendum sit eis cognoscant, vel si ad intelligendam sacram Scripturam ipsi idonei non sunt, studiose a scientibus eam inquirere veritatem non desistant. Cum igitur sic

D prudentiæ donum quis acceperit, jam post primam etiam secundam vigiliam explevit. Sed sunt plerique, qui prudentia quidem præditi esse videntur, sed eorum animus adhuc teneritudine sua confusus nequaquam explet, etiam si quid intelligere prudenter valet. Unde necesse est ut tertia addatur vigilia quæ fortitudo dicitur, sic nimirum, ut qui prudenter intelligit quid agat, fortiter ac viriliter quod intellexerit perficiat. Peractis autem his tribus vigiliis adhuc non venit Jesus, præsentem se videlicet non exhibet per internæ gratiam dulcedinis, nisi et quarta expleatur vigilia, quæ appellatur justitia.

Quid est justitia, quæ virtutes excellit cæteras, nisi profunda cordis humilitas? Justitia namque vera dicitur esse, unicuique quod suum est tribuere.

Quid enim aliud vera cordis humilitas facit, nisi quod unicuique, id est Deo sibi et proximo, quod suum est, tribuit? Deo itaque quod suum est, hoc modo tribuit, quia quidquid in bonis actibus profecerit, totum ei solummodo ascribit, infirmitatem propriam sollicite perpendit, et sese de bonis quæ per gratiam percepit non extollit. Dum igitur sic totum quod est et quod agit, Deo ascribit, sibimetipsi quoque quod suum est tribuit, quia quidquid nequitiæ, quidquid torporis et negligentiæ in se deprehendit, proprium esse vitium humiliter agnoscit. Tunc etiam proximo proprium jus reddit, quia cum tacita in se cognitione non reprehendit. Sed et dum se aliquid virtutis habere cognoscit, quod proximo deesse conspicit, non se tamen justum in ejus comparatione suspicatur quia is qui vere **407** se humiliat, continuo considerationis oculo, quibus aliis ipse circumseptus sit vitiorum sordibus pensat. Hoc etiam sollicite perpendit quod statum suum nescit, verbi gratia, si virtutem, de qua hodie gloriatur cras forsitan proximus possideat, et ipse ea occulto Dei judicio privetur.

Priusquam quartam hanc vigiliam, quæ est humilitas quis expleat, Dominus Jesus non venit; sic, dico, non venit, ut supernæ contemplationis dulcedinem homo præsentem habere valeat. Recurrant ad se qui experti sunt, et tunc verum esse quod dicimus in semetipsis cognoscere possunt, quod videlicet nunquam homo quam dulcis sit Dominus prægustare in oratione valeat, nisi ante tempus orationis veræ et perfectæ humilitatis donum possideat. Qui autem experti non sunt quæ dicimus, omni studio invigilent quatenus hoc apud Dei misericordiam obtineant, ut eos adhuc experiri faciat. Specialiter ergo Dominus humilitatem commendans loquitur per prophetam dicens: *Super quem requiescam, nisi super humilem et quietum, et trementem sermones meos?* (*Isa.* LXVI, 2.) Non, inquit, in temperante, non in prudente, non in forte valeo requiescere, sed tantummodo in humili sedem mihi præparavi. Et David, qui hoc in libro experientiæ didicerat, sic ad Dominum dicebat: *Cor contritum et humiliatum Deus non despicies* (*Psal.* L, 18).

Et notandum quia, juxta illud quod superius diximus, circa quartam vigiliam noctis erat finis et mane illucescebat. Nam, cum homo vere humilis efficitur, nox, id est peccata et vitia in eo finem accipiunt, et mane illud desiderabile, quod est gratia Dei, in corde ejus oritur. *Quarta vigilia noctis*, inquit evangelista, *venit ad eos*. Et quomodo venit? *Ambulans super mare*. Ambulare enim dicitur suaviter incedere. Ambulare namque Jesu est dulcem in his profectum facere, qui ei tam devote substernuntur in humilitate. *Ambulat* itaque *supra mare*, quando electis suis tribuit cuncta transitoria amore dulcissimæ contemplationis ejus calcare, et ad cœlestia tota mentis intentione anhelare.

Videntes autem eum supra mare **408** *ambulantem*.

A Quid per hanc visionem, nisi mentis accipere possumus illuminationem? Quanto plus enim electi in se ipsis humiliantur, tanto magis ad considerandum erga se divinæ misericordiæ respectum illuminantur. *Vident* namque Dominum Jesum *supra mare ambulantem*: quia in profunda cordis humilitate positi, veraciter considerant qualiter eos per dulcedinem inspirationis suæ cuncta temporalia spe cœlestium fecerit transire. Post talem nimirum illuminatæ mentis considerationem subsequens erit quod evangelista subjungit: *Turbati sunt*. Hæc bona et salubris est turbatio, de qua etiam alio in evangelio dicitur: *Turbata est Maria in sermone angeli* (*Luc.* I, 29). Turbantur siquidem, quia vitam suam penitus despiciunt. Et tunc vere et perfecte humi-
B liati cognoscunt quod nunquam Deum, prout dignum fuit, in vita sua glorificaverunt, qui tanta eis beneficia contulit, et gratuita pietate sua de multis tentationum periculis eos sæpe sæpiusque eripuit.

Hac de causa turbati multoties dicunt: *Quia phantasma est*. Quid est *phantasma* nisi deceptio? Et est quasi dicat quilibet beatus per spiritum humilitatis illuminatus: Heu, inutilis peccator! hucusque falsa deceptus spe, putabas te aliquid esse; sed jam diligenter discussa, nil est nisi deceptio, vita tua. Sperabas siquidem quod vigiliæ tuæ et jejunia et cætera laborum tuorum exercitia Deo possent esse accepta; sed heu, deceptus es miser! Nam si quid est in vita tua, sic est aut simulatum, aut imperfectum, aut
C aliquo corruptum, ut non solum non placere, verum etiam multum Deo, qui inspector est cordis, valeat displicere.

Et præ timore, inquit, *clamaverunt*. Cum igitur quilibet beati sic humiliantur, et humiliati semetipsos agnoscendo tam salubriter, ut diximus, turbantur, quid aliud tunc faciunt, nisi quod *clamant præ timore* æterni judicis et districti illius examinis? *Clamant* nimirum ad Deum per vocem orationis, *clamant* etiam ad eos quibus animarum cura commissa est, per verba confessionis. Tanto enim quisque altius *clamat*, quanto verius Deo in oratione, confessori in confessione peccata et negligentias **409** confitetur. Quando enim validus hic clamor orationis et confessionis ad aures omnipotentis
D Dei pervenit, illis procul dubio in veritate eveniet, quod hic Evangelii littera continet.

Statimque Jesus locutus est eis dicens. Statim namque, dum vitam suam electus quisque sic interius pensat, loqui ei Jesus incipit, quia quidquid de sacra Scriptura intelligit vel audit, tunc primum fructuosum ei erit, et totum sibi ad salutem trahere delectat, quia se per omnia, quæ loquitur, notari existimat. Verbi gratia cum de superbia, de ira, vel de torpore negligentiæ, seu cæteris quibusque vitiis audit disputari, singula in se vitia reprehendit, et tacita se ipsum cogitatione redarguens dicit: Heu miser! hæc omnia commisisti, in his omnibus reum te esse cognoscis. Nam superbia te inflat, ira perturbat, ad hæc infinitam vitæ negligentiam de-

prehendis. Quando namque quilibet beati tam abjecta et vilia de se sentiunt, nonnunquam dulcem hanc et paternam Domini admonitionem intus in semetipsis audiunt.

Habete, inquit, *fiduciam*. Fiducia namque a fide dicitur. Quod electos suos Dominus admonet ut fiduciam habeant, idem est ac si illis per vocem internæ visitationis dicat : Jam infirmitatis vestræ conscii vitam vestram humiliter despicitis ; superest ut in cœpta humilitate firmam, stabilem et constantem deinceps fidem habeatis, perpendentes, *quia ego sum* a quo totum est quod habetis, et si quid in bonis actibus profecistis ; ex cujus etiam munere esse debet, ut in his perseverare valeatis. Hoc si perpenditis et humiliter agnoscitis, *nolite timere*, id est voluntas timoris in voluntatem convertatur amoris. Quod et sic possumus intelligere, quod ad consolationem eorum qui vere se humiliant, hæc verba Dominus dicat : *Nolite*, inquiens, *timere*. Si in spiritu, inquam, humilitatis, uti cœpistis, amodo mihi servire decrevistis, *nolite timere*, ut videlicet præterita vobis imputentur peccata, quæ jam per gratiam meam tecta sunt et relaxata. Sequitur :

Respondens autem Petrus dixit ei : Domine, si tu es, jube me venire **410** *ad te super aquas.* Hoc nomen Petrus interpretatum dicitur *agnoscens*, ipse namque, qui vere est agnoscens, qui hæc omnia, quæ diximus, in seipso cognoscit, multoties ad talem consolationem Domini gratulabunda cordis voce respondet : *Domine, si tu es, jube me venire ad te super aquas. Domine*, inquit, *si tu es*, imo quia *tu es*, tua est potentia, tua est fortitudo, ut venire me jubeas ad te *super aquas*, id est ut facias quatenus spe ad amorem tuum perveniendi cunctas calcare valeam concupiscentias hujus mundi.

At ipse ait : Veni. Dei namque dicere est ejus facere. Quod enim dicit *veni*, hoc est quod pio desiderio electorum sic se humiliantium effectum tribuit, ut videlicet voluptates sæculi gressibus amoris ejus calcare valeant, et ipsum desiderando, ipsum amando soli illi solummodo inhæreant. Postquam autem internam mentis quietem quis adeptus fuerit, etiam hoc quod sequitur in se experiri poterit.

Et descendens Petrus de navicula ambulabat super aquam, ut veniret ad Jesum. Notanda est convenientia verborum, et tunc quid dulcedinis, quid gratiæ in se contineant fiet perspicuum. *Et descendens*, inquit, *Petrus de navicula*. Quando namque electus quisque, qui merito *agnoscens* dici valet et esse, tam miram et ineffabilem in se divinæ pietatis gratiam redundare conspicit, *descendit* utique *de navicula*, id est de humiliato corde magis magisque ad humilitatem proficit, sicque fit ut in illa hora, qua per humilitatis donum tam proxima Deo efficitur anima, omnes homines tam inimicos quam amicos dulci amoris affectu complectatur, nec jam malum pro malo cuiquam reddere delectetur, sed hoc apud se deliberat, ut si illi irrogatum fuerit, li- A benter amplectatur, æquanimiter ferat, imo bonum pro illato malo retribuat. Tunc et *super aquas ambulat*, quia jam vere et perfecte cuncta terrena desideria calcat. Ambulat profecto, quia dulciter de virtute in virtutem proficit, donec videatur Deus deorum in Sion. Prospera cuncta despicit, adversa patienter suscipit, tantum ut ad Jesum veniat, id est per internæ contemplationis **411** dulcedinem Deo magis magisque proximus fiat. Sed quia quantum felix anima in Deo proficiat, quantum sublimis in contemplatione fiat, nunquam tamen tentationibus carebit, quandiu terrena inhabitatione aggravatur, recte nunc subinfertur :

Videns vero validum ventum timuit. Per *ventum* hoc in loco humanæ laudis favor potest intelligi. B Nec immerito per *ventum* accipitur favor humanus. Nam quid est verbum, quo quis laudat alterum, nisi *ventus? Videt* namque *ventum validum*, quando infirma mens, cum de bonis actibus aura humani favoris excipitur, ad exteriora gaudia derivatur, ut postponat, quod intus appetit, et in hoc libenter resoluta jaceat, quod foris audit, ita ut beatam se dici gaudeat, et laudis suæ vocibus inhiet, jamque magni alicujus meriti sese æstimet. Cum enim ex una parte hujusmodi ventus inflat, ex altera nonnunquam alius ventus imminet, a quo non minus infirma mens quatitur, et a statu rectitudinis suæ aliquantulum commovetur. Iste nimirum ventus est humana reprehensio et falsa criminatio. Ipse enim qui amore laudis suæ delectatus vehementer hilarescit, C et apud se latenter intumescit, rursus immoderato dolore configitur, si forte jaculum reprehensionis et falsæ criminationis ab ore proximi emittitur, verbi gratia ut dicat : Hic homo, qui sic de virtute in virtutem videtur proficere, non in Deo, nec in simplicitate cordis sui omnia studet agere. Omnis ejus actio quædam est simulatio ; minus laudabiliter vivit, et multum laudari appetit. Hæc omnia *ventus validus* non immerito dicuntur, quia nimirum infirmæ menti prævalent, et eam impulsu suo acriter commovent. Ad hæc toleranda sanctus David nequaquam idoneum se esse videns orabat Dominum dicens : *Redime me a calumniis hominum* (*Psal.* CXVIII, 134). Calumnia namque falsa est criminatio. D Hinc Salomon ait : *Calumnia conturbat sapientem, et perdit robur cordis ejus* (*Eccle.* VII, 8). Cum igitur horum contrarietatem ventorum mens sentit quod videlicet prosperis erigitur, adversis facile dejicitur, rursus timere incipit, quæ jam prius carnalis concupiscentiæ soluta compedibus, in auctorem suum libera gressum amoris tendere novit. Sicut **412** enim dudum amore Redemptoris sui dulciter inebriata ad contemplandam speciem celsitudinis ejus semper anhelabat, sic iterum vi tentationum ingruente, amore postposito, districti judicis examen trepidat.

Et cum cœpisset mergi, clamavit dicens : Domine, salvum me fac. Mergi profecto tunc quilibet beatus incipit, quando in profunda cordis humili-

tate Deo se substerait, quando humiliter culpas suas oculis cordis objicit, et pro his totum se ad pœnitentiæ lamenta convertit. Tunc etiam *clamare* incipit, per quem clamorem intimum cordis desiderium intelligi poterit. Ubi Judas et Thamar conveniunt, procul dubio *confessio* et *amaritudo*. Confitetur nimirum molestias tentationum suarum in amaritudine animæ suæ (*Isai.* XXXVIII), et quanto magis pulsatus trepidat, tanto robustius in solo auctoris adjutorio spei pedem figere desiderat, et cum pro sua liberatione die noctuque non desinit interpellare: *Domine*, inquiens, *salvum me fac*. Ac si dicat: Domine, qui es æterna salus, summum nunc turbati animi mei solatium esse perpendo, ut pulsatus tentationibus ad solam spem misericordiæ tuæ recurram; tu *salvum me fac*, misericorditer me liberando, et tranquillitatem ab impugnantibus vitiis donando. Seu nunquid Dominus, cujus gratia et munere præventus homo, cognoscere peccata sua et plangere incipit, a clamoribus et singultibus sic se invocantis aurem pietatis avertit? Non. Sed sicut tunc semel Petro in fluctibus maris titubanti *manum extendit*, sic nunc quotidie animæ quærenti illum in cunctis tentationibus ad subveniendum adest. Unde subjunxit evangelista:

Et continuo Jesus extendit manum. Quod enim ait: *continuo*, idem est quod electis suis Dominus promittit per prophetam dicens: *Antequam invocetis me, dicam: Ecce adsum. Et continuo*, inquit, *extendens manum apprehendit eum, et ait illi: Modicæ fidei, quare dubitasti?* Jesum ergo manum extendere est contra vitia hominem impugnantia vim potestatis suæ exercere: sic dico exercere, ut ea expellat, et mentem quieti et tranquillitati restituat. *Apprehendit eum*, inquit. Apprehendere namque dicitur, quando homo aliquid **413** ad se repente trahit. Dominus ergo quemlibet beatum *apprehendit*, quando eum repentino inspirationis suæ fervore, ut ita dicamus, quasi contra voluntatem suam a dissolutione spiritus, ab ira et odio, et cæteris quibusque illicitis abstrahit, ita ut erecta protinus per dona ejus mens vigeat, quem paulo ante decertantia vitia deprimebant. Tunc etiam ait illi: *Modicæ fidei, quare dubitasti?* Trifariam namque fidem in sacris Evangeliis invenimus, minimam videlicet, modicam et magnam. Minima fides dicitur esse, hominem pro corpore et corporeis rebus sollicitum existere: modicam autem fidem habet qui prosperis elevatur, adversis frangitur, quæ modica fides etiam hoc in loco arguitur. Ipse Dominus quodammodo loquitur in homine, quando homo secum in amaritudine animæ suæ loquens, nil de se nisi abjecta sentiendo sese intra semetipsum redarguit dicens: Ecce, o miser pulsatus vitiis, luce clarius apparet qualis sis, quod modica fides tua hucusque fuerit, hoc modo videlicet, quia, cum prospera hujus mundi arriderent, inani gaudio extollebaris; rursus cum adversa imminerent, in barathrum immoderatæ tristitiæ inutiliter præcipitabaris. Inde nimirum est ut totum quasi dubitationi non sit quod vixisti, sic profecto, quia nunquam in veritate, nunquam in corde perfecto coram Deo ambulasti. Si enim homo sic conversatus fuerit, et in tali propriæ infirmitatis cognitione usque ad terminum vitæ suæ perseverare contenderit, hanc abjectionem veræ humilitatis præmium subsequetur æternæ exaltationis. Unde protinus subinfertur:

414 *Et cum ascendisset in naviculam, cessavit ventus.* Hoc loco nomine *naviculæ* quies designari valet æternæ vitæ. In quam dum Jesus cum omni corpore suo ascendit, procul dubio cessabit ventus, quia ibi profecto omnis tentationum sedabitur impetus. Erit aliquando etiam ad punctum in hac vita, quod videlicet cum Dominus *in naviculam ascenderit*, id est humilitati animæ se junxerit, *cessat ventus*, id est omnis tentatio conquiescit, et mens contemplationi tantummodo Creatoris sui inhians, in summa tranquillitate constituta, sine cogitationis certamine præsentia cuncta despicit. Sed in æterna vita plene et perenniter cessabit tentatio, ubi nulla nobis obstat molestia, ubi nec a diabolo, nec a mundo, nec a propria carne aliquid patimur, quod perpetuæ tranquillitatis nostræ perturbet gaudia.

Qui autem in navicula erant, venerunt et adoraverunt eum dicentes: Vere Filius Dei es. Per hos, *qui in navicula erant*, interiores et exteriores sensus accipere possumus, per quos, et in quibus homo subsistit intus et exterius. Hi omnes in illa beata requie *veniunt et adorant*, gratias agendo videlicet in Deum vivum exsultant, cujus gratiæ solummodo beatitudinis suæ gaudia tribuentes, ipsum Filium Dei tunc in veritate confitentes, quia eos per divinæ majestatis suæ potentiam, imo clementiam ad perpetuæ immortalitatis provexit gloriam, qui cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

415 HOMILIA LVII.

IN EAMDEM OCTAVAM SECUNDA.

Jussit Jesus discipulos suos ascendere in naviculam (*Matth.* XIV).

Discipuli Domini hoc in loco cunctos Christianæ religionis cultores exprimunt, et specialiter illos significant qui exemplo horum, qui corporaliter tunc discipulatui ejus inhæserant, relictis omnibus sequi Dominum deliberant. Hos nimirum in beata deliberatione fiducialiter Dominus intrare jubet naviculam, bonam videlicet et spiritalem vitam, et præcedere eum *trans fretum*, id est fervorem carnalis concupiscentiæ transire.

Et notandum quod ait: *Præcedere eum trans fretum.* Ille namque *præcedere* dicitur, qui alterum subsequentem præstolatur. Vult namque Dominus nos hoc modo eum *præcedere trans fretum*, æstum scilicet carnalium desideriorum viriliter transiliendo exspectare, ut ipse nos subsequatur et hic consolando, et in futuro perpetualiter remunerando. De-

nec, inquit evangelista, *dimitteret turbas*. Quia ergo *turba* a *turbatione* dicitur, per *turbam* turbatos sensus non inconvenienter accipere possumus. Tandiu utique Dominum præcedere debemus, donec in nobis *turbam dimittat*, id est turbatos sensus repellat, et puros ac quietos sensus admittat et tribuat. Turbatos nimirum sensus tunc habemus, quando tentationum molestia fatigati, quod vellemus bonum facere non permittimur, et ad ea quæ nolumus ex peccati jugo constringimur.

Et dimissa, inquit, *turba, ascendit in montem solus orare. Dimissa* est tunc utique *turba*, quando conquieverint stimuli tentationum, et per Dei gratiam ad exercenda bona opera liberum nobis tribuitur arbitrium. *Dimissa* itaque *turba*, id est turbatis sensibus cooperante Deo aliquantulum mitigatis, quilibet beatus *in montem ascendit*, ad altitudinem videlicet internæ contemplationis **416** pertingere poterit. *Ascendit* profecto *in montem*, quando sancti Spiritus afflatu tangitur, et ad superna desideria provocatur, et extra carnis angustias intus sublevato per amorem Auctoris sui contemplandam speciem cognoscere datur. *Ascendit* namque *solus*, quia cum animus in divina contemplatione suspenditur, ita ut jam se percipere de æterna illa libertate, quam oculus non vidit, nec auris audivit, aliquid per quamdam imaginem lætetur, in illa hora creatus spiritus unus procul dubio cum Creatore Spiritu efficitur. *Ascendit*, inquit, *in montem solus orare*.

Oratio enim non semper pro hoc, quod quisque Deum pro quibusque suis necessitatibus interpellat, ponitur, sed etiam pro laude Dei nonnunquam accipitur. Cum igitur sic, ut diximus, quis *in montem solus ascenderit, orat* profecto, quia quidquid in tali illuminatione mentis egerit vel cogitaverit, totum ad laudem et gloriam Omnipotentis Dei pertinet, cum quo jam per internam dulcedinem, sicut præfati sumus, unus spiritus effectus est.

Vespere autem facto solus erat ibi. Per istud *vespere* cognitionem nostri possumus accipere. *Vesper* enim in corde hominis fit, quando tenebras cæcitatis suæ in veritate agnoscit, in qua vera et perfecta cognitione nonnunquam sic inspirante Deo compungitur, ut in illa compunctione, qua peccata deflet, etiam, quam dulcis sit Dominus, gustare mereatur. Mane quodammodo in homine fit, dum cognitionem Dei adeptus fuerit. Hinc legislator Moyses creationem mundi describens toties ait: *Factum est vespere et mane dies una*. Vespere et mane factum est, quando cognitionem sui et cognitionem Dei homo habere potest. Hoc vespere et hoc mane dies fit una, quia perfectum hominem facit **417** sui et Dei notitia. *Vespere facto*, inquit, *solus erat ibi*. Facto igitur hoc vespere, de quo prædiximus, homo est *solus*, quia, dum intimæ suavitatis, quam per humilitatem cognitionis sui adeptus est, lumine perfunditur, nil præter Deum cogitat, totus in illum suspenditur, strepitus terrenorum actuum quiescit a cogitatione, ut ad secretum intimum animus aurem familiarius

A apponat, et ad eum, quem diligit, medullitus suspirare, fervere, anhelare valeat.

Sed ista verba, quæ moraliter discussimus, etiam aliter intelligere possumus. Nil enim obstat, si per *vespere*, quod hic prænotatur, finis hominis intelligatur. Tunc utique *fit vespere*, quando anima claustra carnis Deo vocante debet deserere. Bene ergo dicitur *solus erat ibi* quia isto nimirum vespere solus Deus habet esse suum cum illo homine, qui sic, ut diximus, conversatus est in spatio præsentis vitæ. Sed quia, quantum electi cujusque animus in æternitatis amore in hoc mundo radicetur, in ipso tamen mortis articulo nimio terrore concutitur, recte nunc dicitur:

Navicula autem in medio maris jactabatur fluctibus. B Hoc in loco *navicula* humiliata est anima. Hæc igitur, cum supremum sibi diem jam supervenisse videt, dum considerat quod terror districti examinis appropinquet, tunc *fluctibus jactatur*, id est super eam irruet formido et pavor. Et notandum quod ait, *in medio maris jactabatur fluctibus*, quia [*cod.* qui] etiamsi in præsenti sæculo ad hoc profecisset, quod nec prosperis, nec adversis moveri posset, timore tunc non carebit quia jam conspicit instare quod internus judex, quem nec minima latet cogitatio, secreta cordis sui debeat examinare.

Erat enim, inquit, *contrarius ventus*. Quid convenientius accipere possumus per *contrarium ventum*, quam antiquum humani generis inimicum? Hic igiC tur si cunctis diebus vitæ suæ homini insidiatur, et ei adversari non desinit, in illa tamen hora plus solito *contrarius* existet. Tunc quasi leo rugiens circuit, quærens animam devorare et secum eam ad interitum æternæ damnationis **418** trahere. Sed nunquid Dominus suos in tali rerum articulo despicit, et eos a mortifero vastatore non defendit? Absit! Potius autem hoc agit quod sequitur:

Quarta autem vigilia noctis venit ad eos. Per quatuor has vigilias fidem, spem, charitatem et perseverantiam non inconvenienter intelligere possumus. Quisquis igitur in hoc mundo quatuor has vigilias peregerit, id est fidem rectam, spem firmam, charitatem perfectam, et in his perseverantiam usque ad terminum vitæ suæ habuerit, huic in hora ultimæ D necessitatis Jesus adveniet, aliquod suæ miserationis indicium dans, ut non desperet. *Quarta*, inquit, *vigilia noctis venit ad eos*. Nimirum secundum hos, qui olim in expeditione constituti in quatuor vigilias noctem dividebant, circa quartam vigiliam semper mane illuscescere incipiebat. *Quarta* est *vigilia*, quando homo vocatur, ut noctem hanc, id est præsentem vitam derelinquat, et ad splendidum illud mane æternæ beatitudinis perveniat.

Venit, inquit, *ad eos ambulans super mare. Ambulat* Dominus *super mare*, quando decreverit de illecebrosa hujus vitæ ærumna animam liberare. *Videntes autem eum supra mare ambulantem, turbati sunt dicentes: Quia phantasma est. Vident* nempe Dominum *supra mare ambulantem*, quando in ipso

A mortis articulo considerant quod sicut nemo est, sive justus sive injustus, qui hunc terminum præterire valeat, sic et ipsi jam de præsenti sæculo sint evocandi, et ad terribile examen districti judicis constituendi. Hoc dum electi in illa hora perpendunt, licet sibi conscii sint, quod quantum in hoc mundo licuit, coram Deo in veritate et in corde perfecto ambulaverint, turbantur tamen, metuentes quod apud internum arbitrum non tales inveniantur, quales hic ab hominibus habebantur. Tunc nimirum turbati in hæc verba prorumpunt *quia phantasma est*. In spiritu namque humilitatis tunc acriter semetipsos reprehendunt, totam vitam suam, si remota misericordia a Domino discutiatur, nil nisi quamdam esse deceptionem in veritate cognoscunt, eo quod aut mala perpetraverint, aut incaute etiam recte agendo deliquerunt.

419 *Et præ timore*, ait, *clamaverunt*. Per hunc clamorem, de quo hic dicitur, confessio et oratio exprimitur. Salvandi quique dum in illa periculosa mortis hora sic vitam suam cordis oculis objiciunt, *clamant* nonnunquam, peccata sua videlicet in amaritudine animæ suæ veraciter confitendo, *clamant* Deum etiam pro his intime interpellando. Sed quod Dominus animæ suæ in extremis laboranti et in tali afflictione positæ manum paternæ consolationis porrigat, bene evangelista in consequentibus demonstrat. Ait enim : *Statimque Jesus locutus est eis, dicens* : Hæc itaque locutio est, quæ non foris tunc, sed intus auditur, Domini consolatio. Sed quid consolando electis suis Dominus dicat, audiamus : *Habete, fiduciam. Habete*, inquit, *fiduciam* æternæ salutis, de mea pietate multum confidite. *Ego sum*, æterna videlicet salus. Ideo *nolite timere* periculum damnationis, sed sperate potius gaudia perpetuæ remunerationis.

Respondens autem Petrus dixit. Per Petrum namque beata anima potest figurari, quæ in hoc mundo *agnoscens* fuit, veram videlicet Dei et sui cognitionem habuit. Hæc nimirum dum verba Dominicæ consolationis intus audit, ipsa, quæ paulo ante de corpore exire nimium formidabat, dissolvi citius et cum Christo esse cupit, jam carere præsentis vitæ tenebris anhelat, ut quæ sit æternæ retributionis lætitia cognoscat. Sed quid dicit tali affecta desiderio? *Domine*, inquit, *si tu es, jube me venire ad te super aquas. Domine*, ait, *si tu es*. Scio quidem quia *tu es* ille quem desidero, ad quem suspiro. Sed ideo quasi dubitative dico *si tu es*, quia nondum percepi in re, quod habeo in spe. Adhuc enim excludor, nec manifeste contemplationis tuæ gaudio perfruor. *Jube* ergo *me venire ad te super aquas*, id est fac me de peregrinationis hujus miseria transire, et te duce illuc, ubi tuum verum est esse, pervenire.

At illi ait : Veni. Hoc idem est, quod et sponsæ in Canticis canticorum loquitur dicens : *Veni de Libano, veni, coronaberis. Veni*, inquit, id est mortalitatis hujus corpus, quod aggravat, depone et præsentia desiderantissimæ visionis meæ fruere.

420 *Et descendens Petrus de navicula ambulabat super aquam, ut veniret ad Jesum*. Deo igitur vocante, quæque fidelis anima *descendit de navicula*, carnis scilicet relinquit domicilium, de præsenti educitur Ecclesia, incipit *super aquas ambulare*, id est cunctas mundi hujus illecebras ad cœlestia migrando transire. Et notandum quod evangelista ait, *ambulabat* ; quod est quasi diceret : Cœpit ambulare super aquas ; quia et tunc anima incipit separari de corpore, quando facta in agonia, nil in hoc mundo, nil eorum quæ circa corpus sunt sentit, sed tantummodo invisibilibus futuri sæculi, ad quæ jam est transitura, intendit. Ideo namque felix anima de medio umbræ mortis educitur, *ut veniat ad Jesum*, id est cœlestis Sponsi sui amplexibus consoletur, et
B cum post peregrinationis hujus miseriam in gaudio sempiternæ jubilationis semper videat. Sed quia antiquus serpens viam, qua tendit ad patriam, quasi insidians latro obsidet, recte evangelista subjungit :

Videns vero ventum validum timuit. Per *ventum validum* intelligere possumus diabolum. Hic adversarius, qui animæ egredienti de corpore non prævaluit, egressæ jam prævalere se posse confidit, et per arctam viam tendenti ad patriam præsto erit, objiciens ei in faciem aliqua mala quæ fecit, vel quæ bona quæ debuit facere neglexit ; objicit etiam plura quæ nunquam fecit, aut si fecit, quæ tamen per pœnitentiam diluit, quatenus tali objectione aggressam beatitudinis via valeat prohibere. Sic Mar-
C tino se objecit, in quo tamen nil suum reperire se posse cognovit. Hunc *ventum validum*, scilicet diabolum, sic improperantem, talia objicientem dum videt, non immerito contremiscit et timet.

Possumus etiam sic intelligere quod tunc *ventum validum videat*, quando carnis ergastulo educta, et in conspectu districti Judicis constituta, multa ex improviso proruunt, quæ nec hic mala esse putavit, et ideo ea digna pœnitentiæ satisfactione delere tardavit, ubi etiam, quæ æstimavit esse bona, apparent nigerrima peccata. Hæc anima dum videt, *timet* profecto a facie Judicis, et districti sui examinis. *Et cum cœpisset mergi*, id est cum pro delictis suis, quæ hic luctu pœnitentiæ non diluit, jam damnationis **421**
D sententiam subire, formidat, illa anima, quæ tamen salvanda est, de pietate ejus, quem non solum Judicem, verum etiam Redemptorem suum esse recolit, confidens, in tali angustia miserationis auxilium implorans clamat dicens : *Domine, salvum me fac*. Ac si dicat: Domine, nunc in veritate video quia non est dignum tuæ placationi quidquid unquam boni feci. Jam hic sum constituta, ubi non est locus pœnitentiæ, ubi nec confessione faciem tuam placare, nec bonis operibus valeo insudare. Tu gratuita pietate tua *salvum me fac*, tibimetipsi me suscipe, liberans me de manu extranea, et de præsenti qua coarctor augustia. Sed nunquid miserator et misericors Dominus animam, quæ, in hac carne posita, magna propter eum fecit, ibi propter minima de-

spicit? Nequaquam. Magis autem deprecanti ad subveniendum est paratus, sicut in consequentibus habemus.

Et continuo extendens manum apprehendit eum. Quandiu enim anima ergastulo carnis inclusa fuit, Dominus manum, ut ita dicamus, quasi intentam habuit, quia etsi quando subvenit, et requiem ab impugnantibus vitiis dedit, verum citius dicto auxilium subtraxit, et quietem ejus perturbari aliquo permisit. Sed tunc ibi, ut Dominus virtutum et Rex gloriæ, *manum* quodammodo *extendet*, quia sic animam perfecte ab omni corruptione liberabit, quod nunquam amplius vitiorum ditioni vel alicui periculo subjacebit. *Apprehendit eum*, inquit. Apprehendere namque hoc esse dicimus, quando homo ad se aliquid repente trahit. Sic Dominus beatam animam in futuro apprehendit, ut nunquam ab eo separari valeat, sed ipsa amoris amplexu in cœlestis Sponsi sui visione in perpetuum requiescat.

Et ait illi: Modicæ fidei, quare dubitasti? Hæc verba sonant, quasi ipse Dominus increpando dicat. Sed magis intelligendum est, juxta hunc sensum quem protulimus, quod ipsa anima hæc eadem ad ipsam proferat, quia valde inconveniens est ut post adepta tantæ gaudia beatitudinis verba sequantur Dominicæ increpationis. Ipsa, ut diximus, anima sic in Domino beatificata, dum angelicæ et humanæ beatitudinis ibi conspicit gaudia, dum contemplatur quæ sit in eis sine fine festivitas visionis Dei, **422** et sine defectu lætitia, tunc non immerito ad seipsam dicit, *modicæ fidei*, quia ibi vere cognoscit quod in hoc mundo modicum fuit in fide et in spe quod jam habet in ipsa re, ita ut jam perfruens visione veri pacifici, reginæ austri verbis valeat uti: *Majora sunt* inquiens, *opera tua, quam rumor, quem audivi* (*III Reg.* x, 7). Sed et dum considerat ibi quia tanta erga humanum genus Dei redundabant beneficia, quod etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro redemptione ejusdem humani generis illum tradidit; et dum in illa cœlesti curia quam plurimos conspicit, qui, olim in hoc mundo positi, gravi peccatorum pondere erant oppressi: quos tamen ipse sinum pietatis suæ eis aperiens misericorditer suscepit, et sic in excelso solio gloriæ suæ exaltavit, tunc præ gaudio ineffabili semetipsam increpat, *quare*, inquiens, *dubitasti?* Cum hæc, inquit, omnia scires in fide, licet non videres in re, *quare* unquam *dubitasti* de salute corporis vel animæ? Hæc nimirum increpatio plena et ineffabilis cordis est exsultatio. *Et cum ascendisset*, inquit, *in naviculam, cessavit ventus.* Hoc loco per *naviculam* jucundam et desiderabilem cœlestis regni intelligere possumus aulam. In quam dum felix anima introducta fuerit, *ventus cessabit*, id est omnis perturbatio, nulla eam amplius impugnat tentatio. Sequitur:

Illi autem qui in navicula erant, venerunt et adoraverunt eum, dicentes: Vere Filius Dei es. Quinam illi sunt qui consistunt *in navicula* nisi beata angelorum et electorum agmina? Si igitur ipsa Veritate A teste gaudium est angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente, quantum, putamus, in ejus gaudent assumptione, de cujus tam benigne gratulabantur conversione? *Venerunt*, inquit, *et adoraverunt eum dicentes: Vere Filius Dei es.* Omnes igitur electi videntes talem gratiam collatam a Deo animæ *veniunt et adorant*, id est in gratiarum actionem assurgunt, divinitatis ejus potentiam collaudant, in quam et per quam eam ab adversaria potestate protexit, et usque ad contemplandam speciem suæ celsitudinis provexit. Qui cum coæterno sibi Filio et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

423 HOMILIA LVIII.

IN FESTUM TRANSLATIONIS S. BENEDICTI PRIMA.

B *Nemo lucernam accendit, et in abscondito ponit, neque sub modio, sed super candelabrum, ut qui ingrediuntur, lumen videant* (*Luc.* xi).

In *lucerna* ista sacrosancta humanitas Domini nostri Jesu Christi intelligitur, quam vere *accenderat* et illuminaverat Deus Pater lumine et flamma suæ divinitatis. *Lumen* quippe in *lucerna* divinitas est in humana natura, quæ sic refulsit, sic in hoc mundo resplenduit, ut sola super omnes homines totius peccati macula caruerit. Quæ lucerna *neque in abscondito, neque sub modio* posita est, sed *super candelabrum, ut qui ingrediuntur, lumen videant.* Quid est *absconditum*, et quid *modius?* Quantum intelligere possumus, per duo hæc duo populi, gentes et C Judæi possunt designari, per *absconditum* gentes, per *modium* Judæi. Et non incongrue per *absconditum* gentilitas designatur, quia per hoc quod in infidelitate sua perdurat, quasi quodammodo *abscondita* est Deo, ipseque Deus absconditus est illi. Non autem idcirco dixerim *absconditum* Deo, quasi nesciat eam, quasi non videat perversitatem ejus, qui omnia scit et videt Deus, sed propterea dicitur ei abscondita, quia ab omni amore suo, donec resipiscat, exclusit et amovit eam.

Per *modium* vero, quod quædam mensura est, populus ille Judaicus, per legem mensuratus accipitur, cui omnia mandata legis ita mensurata et ordinata erant, ut juxta uniuscujusque qualitatem culpæ extendi deberet mensura pœnæ, verbi gratia, oculum D pro oculo, dentem pro dente, fracturam pro fractura reddere quemlibet oporteret. Sed *lucernam* istam, illuminatam videlicet humanitatem Christi, *neque in abscondito, neque sub modio*, hoc est neque in gentili aut Judæorum populo conversari vel poni decebat, *sed super candelabrum*. Quid per *candelabrum* nisi sancta Ecclesia? Et pulchre per *candelabrum* **424** Ecclesia exprimitur, quia sicut *candelabrum* nunc ignibus, nunc frequentibus et diversis malleatoris tunsionibus in speciem et naturam suam perducitur, sic sancta Ecclesia diversis et infinitis pressurarum, laborum dolorumque tunsionibus per manum summi artificis ab initio formata est, et usque in finem formatur et elimatur, ut lumen lucernæ hujus, fidem scilicet Filii Dei tenere et am

pigriti digna inveniatur. Quare autem hæc *lucerna* posita est *super candelabrum*, hoc est Christus super Ecclesiam, nisi ut, *qui ingrediuntur*, omnes videlicet Catholici, sive gentes et Judæi, qui ingrediuntur per fidem, *videant lumen*, fidem teneant humanitatis Christi, et salvi fiant? Hæc de Christo et Ecclesia ita accipi possunt.

Sed tamen hæc eadem verba hujus sancti evangelii nos tangunt, ad nos respiciunt, nos instruunt et ædificant. *Nemo*, inquit Dominus, *lucernam accendit, et in abscondito ponit, neque sub modio, sed super candelabrum*. Fidelem quemlibet ad vitam æternam prædestinatum Deus quodammodo *accendit* et illuminat, quando ex gratuita bonitate sua bonæ alicujus scientiæ, bonæ voluntatis lumen desuper administrat, et ei cœlitus inspirare dignatur. Hæc nempe duo, scientia bona, voluntas bona quædam sunt animæ *lucerna*, per quæ illuminata et accensa, sese totam ad hoc præparare et exhibere debet, ne lumen gratiæ Dei irritum fiat in ea, quia tunc inutile et infructuosum erit, si gratiæ Dei cooperari renuerit. *Ponit* enim homo *lucernam* suam in *abscondito*, si bonæ voluntatis, bonæ scientiæ, bonorum sensuum lumen, quo eum Deus perfudit, ad plenitudinem perfectæ operationis non perducit. Erit enim imitator **425** mali illius servi, qui, accepta pecunia domini sui, *abiens fodit in terram, et abscondit pecuniam domini sui* (*Matth.* XXV, 18). Illud absconditum pecuniæ huic *abscondito* lucernæ mystice respondet, quia, sicut figuraliter pecuniam Dei dicitur abscondere, qui perceptum donum Dei in lucrum bonæ actionis non vult expendere, sic etiam *lucernam* suam *in abscondito ponit*, qui quod videt per scientiam, qui quod habet per bonam voluntatem, qui quod intelligit non operatur, sibique et aliis infructuosum et inutile facit.

At si talia opera agit, quæ bona dici possunt, sed pro laude humana hæc eadem exhibet, ponit ea sine dubio *sub modio*. Quid per *modium* nisi temporalis retributio? Quam si quis ardenter quæsierit, et semper pro benefactis suis transitoriam laudem recipere appetit, sempiternæ remunerationis sublimitatem perdet. Sciendum tamen inter hæc quid sit bona sua omnino perdere, et quid sit non perdere. Ille bona sua non perdit, qui non mala sed bona et simplici intentione eadem inchoavit, et quoniam bonum ac salvum erat principium intentionis, quamvis inanis gloria subripiat, si aliqua levitas se intermisceat, dum hoc recognoscitur, et pœnitentiæ dono diluitur, Deo adjuvante, præteriti operis bonum non perditur. Qui vero in initio cogitationis corrumpitur, et non Deo, sed hominibus solummodo per hæc placere gestit, quamlibet justum et rectum videatur esse, quod agit totum perdit, quia intentio mala præcessit et ex illorum numero erit, de quibus Dominus in Evangelio ait : *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam* (*Matth.* VI, 2). Igitur *lucerna* nostra *in abscondito* non est ponenda, quia nequaquam pigri et hebetes esse debemus ad bona facienda, nec *sub*

A *medio*, ut si laude digna operemur, temporalis per hæc non placeat aut delectet retributio, sed *super candelabrum*, hoc est super corpus nostrum, quia honorem Dei et commodum animæ nostræ ponere debemus *super* omnia terrena commoda corporis nostri, ut Dominum supra, nos *infra constituamus*, humiliter gratiæ ejus subdamur, qui supra nos regnat nosque gubernat.

Certe David ille beatus lucernam suam super candelabrum posuerat, quando ait : *Si memor fui tui super stratum* **426** *meum, in matutinis meditabor in te* (*Psal.* LXII, 2). Ac si dixisset : Quia super omnia et in omnibus, quæ mihi dulcia et suavia erant secundum carnem, te solum, Dominus Deus meus, dilexi, te habui, tui memor fui, idcirco *in* B *matutinis meditabor in te*, quia cum serenum mane tuum advenerit, cum electis omnibus tuis sempiternum illuxerit regnum, illuc perduces me, ubi semper meditabor in te, nunquam recedens a te. Per *stratum* potest accipi, quod et per *candelabrum*, corpus videlicet nostrum, in quo misera anima velut in strato suo recumbit et requiescit. Memoria autem Dei, quæ *super* illud *stratum* esse debet, honor et laus est Dei, verba illa sancta, quibus in servitio Dei utimur, quorum non memores, sed, proh dolor! immemores sumus, dum ibi, ubi sola meditatio nostra in Deum fixa esse deberet, pro irrogatis injuriis mordemur, quid justæ contradictionis pro injuste illatis opponamus, meditamur et tractamus. Unde, quia memoria Dei non est *super* C *stratum* corporis nostri, sed memoriam strati nostri superponimus memoriæ Dei, fit plerumque justo judicio ejus ut *in matutinis* nequaquam *meditemur in eo*, quia cum præclarum mane dulcedinis ejus meditantibus de se resplenduerit, nos in tenebris cordis nostri sumus, nihil de hoc mane sentire et videre prævalemus.

Sed cur lucerna nostra ita accendi, cur non *in abscondito, neque sub modio, sed super candelabrum* poni debet, nisi ex eo quod subjungitur, *ut qui ingrediuntur, lumen videant?* Sunt boni, sunt mali, *qui ingrediuntur*. Quo? In cor utique nostrum. Sunt bonæ affectiones, bona desideria, sanctæ cogitationes, quæ cor ingrediuntur; sunt et malæ cogitatio- D nes, injusta desideria, quæ ad cor veniunt, et idcirco ingrediuntur, ut aliquid mali ibi committant et operentur. Quod quia ita est, imo quia nihil verius, levemus lucernam, accendamus lumen, teneamus semper lumen gratiæ et memoriæ Dei in nobis, quia si hoc lumen jugiter tenuerimus, dum bonæ et sanctæ cogitationes ingrediuntur, de hoc lumine jucundantur et delectantur ; dum malæ et inutiles veniunt, viso hoc lumine terrentur et expelluntur. Quam sententiam alibi Dominus astruit dicens : *Omnis, qui male agit, odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus* (*Joan.* III, 20). **427** Omnis qui male agit, omnis perversa est cogitatio, quæ aut a diabolo, aut carne, sive a mundo venit. Hæc omnis perversa cogitatio hanc

lucem odit, nec venit ad hanc lucem, ut non arguantur opera ejus: omnis autem cogitatio iniqua, quæ hac luce arguitur, continuo fugatur et expellitur. De tanta talique perfectione, ut audistis, Dominus noster Jesus Christus filios suos studuit admonere, in quibus stabile esse suum voluit habere.

Quam perfectionis gratiam beatus Pater noster Benedictus, unus ex filiis ejus, cujus hodie festa celebramus, fideliter assecutus est, qui vere lucernam suam neque *in abscondito, neque sub modio, sed super candelabrum* posuit: quia in teneriori et puerili adhuc ætate positus, divinæ et a Deo inspiratæ voluntati ita studuit cooperari, ut, relictis omnibus quæ in hoc mundo habere potuisset, nudus et expeditus silvarum deserta peteret, ubi subtractis sibimetipsi omnibus commodis et quiete corporis, honorem et memoriam Dei superposuit omni corporali dulcedini et prosperitati. Ardebat enim *lucerna* gratiæ Dei interius, et ideo parvipendebat, quid pateretur exterius. Sed jam recurramus, et videamus quid subjungat Dominus:

Lucerna corporis tui est oculus tuus, Per hæc, ut arbitramur, verba præcedentia Dominus exposuit, qui brevibus, et paucis verbis magna et profunda mysteria novit, potuit comprehendere et proferre. Sed et beati apostoli illius, quibus hæc locutus est, tanquam ab æterna Dei sapientia edocti, perpaucis verbis quid hæc essent scire potuerunt. Nobis autem stultis et tardis corde, a quibus, etsi multa dicantur, vix pauca intelliguntur, necessarium est, ut Deo adjuvante apertius exponantur. Per *oculum* intentio, per *corpus* opus hominis potest intelligi. Intentio cordis, si bona, si munda fuerit, *lucerna* et *lumen* est totius operis. Ponatur itaque similitudo, et videamus quomodo opus bonum perversum faciat mala intentio. Est aliquis, qui dulcibus et amabilibus verbis proximo suo loquitur, non dico ex affectu sinceræ dilectionis, sed causa callidæ circumventionis. Bonum quidem opus ostendit, sed quia intentio mala erat, non fuit *oculus* **428** iste *lucerna corporis*. Est qui multum orat et bonum opus facit. Sed si ea intentione orat, ut videatur, non est iste *oculus* pravæ intentionis *lucerna corporis*, id est operis. Est qui multa indigentibus largitur, sed si ea intentione facit, ut de eleemosynarum suarum largitate ab hominibus beatificetur et prædicetur, non est *oculus*, id est intentio ejus, *lucerna corporis* ejus. Sed inter hæc, quoniam haud facile discernere novimus quid sit duplicitas et simplicitas, docet nos Dominus in consequentibus quid sit vera simplicitas.

Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Vera simplicitas duos oculos habet, quibus clare videt. Unus oculus cognitio est boni, alius oculus amor boni. Quam cognitionem boni si homo nescierit, discat et interroget ab alio doctiori et meliori se, quid sit cognitio boni; et, accepta cognitione boni, petat a Domino ut detur ei amor

A boni. Si enim cognoverit et non amaverit, videt quidem, et non videt. Videt uno oculo, et non videt ex alio. Quod et si bonum cognoverit et amaverit, iste *simplex oculus* totum opus lucidum facit.

Si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit. Sicut simplex oculus duo bona habet, cognitionem boni et amorem boni, per quæ illuminatur et regitur, sic nequam oculus duas econtrario acies habet, ignorantiam et malitiam. Ignorantia est quando quid sit bonum non agnoscitur. Et hæc ignorantia non est dicenda vel nominanda simplicitas, sed magna insipientia et fatuitas. Quæ ignorantia parit ex se malitiam, ut bonum, quod ipse ignorat, aliis invideat, aut si forte noverit, nunquam ex imminente cordis malitia diligere vel
B in se vel in proximo queat. Qui *nequam oculus totum corpus tenebrosum* facit, quia ubi ignorantia et malitia cor possederit, totum opus hominis in nocte est et tenebris peccatorum. Ut ergo hæc caveamus, et diligenter nos ipsos attendamus, monet Dominus dicendo:

Vide ergo ne lumen, quod in te est, tenebræ sint. Quid est dicere, *Vide*, nisi diligenter præcave *ne lumen* gratiæ Dei, *quod in te est, tenebræ sint* ignorantiæ et malitiæ? *Si ergo totum corpus tuum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum.* Quod idem est ac si dixisset: Si totum opus tuum ita lucidum erit, quod non habet aliquam partem tenebrarum, nec partem tenebra-
C rum **429** ignorantiæ, nec partem tenebrarum malitiæ, *erit* hic et in futuro *lucidum totum, erit lucidum totum* coram me, cum in judicio ad discutiendum verba, opera et cogitationes venero. Ibi si nunc oculus tuus fuerit simplex, si bonum, quod agnovisti, etiam amasti; si malitiam et ignorantiam declinasti, eris lucidus totus, transies et pervenies in illud vitæ æternæ lucidum, ubi nunquam aliqua occurret pars tenebrarum. Qui, ut ita inibi toti lucidi fieri mereamur, necesse habemus ut ille, qui nihil superflui et inepti in Evangeliis suis dixit, hoc in nobis adimplere dignetur, quod in fine adjecit:

Et sicut lucerna fulgoris illuminabit te. Lucerna fulgoris est, ut dixi, gratia divini et interni splendoris, per quam dum homo intrinsecus illuminatur
D ad cognoscendum bonum, exterius etiam illuminatur ad perficiendum; et dum exterius laborare contendit, per exteriora opera hoc meretur, quod plus et plus interius illuminatur, quemadmodum Dominus in alio Evangelio ait: *Et omnem, qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat* (*Joan.* xv, 2).

Revera beatus Pater noster Benedictus, cujus festa hodie celebramus, simplicem oculum per omnia habuit, quia et bonum cognovit, et bonum amavit; nequam oculum non habuit, quia ignorantiam **430** et malitiam instanter declinavit. Lucerna erat super candelabrum posita ardens et lucens, ut omnibus, qui in domo Dei sunt, resplendeat. Ad hanc micantem lucernam respiciamus, et in ipsa videamus, quo gressum operis ponere debeamus, sperantes nos, sub

ejus ducatu militantes, ad superni Regis palatium A intromitti, et quod nostris meritis non præsumimus, ejusdem ducis nostri intercessione adipisci confidamus. Certe cum in generali resurrectione resurrexerit, universi utriusque sexus et ætatis ordines, qui nunc sub vexillo sanctæ institutionis ejus viriliter certaverunt, tunc vexillum ejus in unum collecti sequentur. Et vere beati, qui ibi non deerunt, qui tali exercitui interesse digni inveniuntur! Suppliciter itaque rogitemus beatissimum Patrem nostrum Benedictum, ut paterni nominis in filiis suis non obliviscatur, meminerit, quia, etsi minus fortiter, minus gloriosius, quam deberemus, prælia Domini præliati sumus, tamen pro amore Regis nostri nunquam signa militiæ nostræ deposuisse, sed semper ei pro modulo nostro astitisse, nosque B in die ultimi examinis non repellat, sed infinitæ multitudini sanctorum, quam Domino acquisivit, interesse concedat per eum, qui vivit et regnat per immortalia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LIX.

IN FESTUM S. PATERNIANI EPISCOPI BONONIENSIS PRIMA.

Homo quidam peregre proficiscens vocavit servos suos, et tradidit illis bona sua (*Matth.* XXV).

Quoniam Domini et Salvatoris nostri verba suavius sapiunt, delectabilius ad amorem Dei mentem hominis alliciunt, ubi suaviter ad institutionem vitæ humanæ interpretari possunt, videamus si quid nobis ex dono et gratia Spiritus sancti ex hujus evangelicæ lectionis abscondito occurrat quod ad C nostram nos utilitatem, doctrinam et salutem alliciat intrinsecus et accendat.

Homo quidam, ait Dominus, *peregre proficiscens vocavit servos suos. Homo quidam* iste, qui *peregre proficiscitur*, quilibet homo salvandus non incongrue accipitur, qui tandiu *homo* est, quandiu id quod est et a quo est, *humum* videlicet, id est carnem suam carnisque voluptates et desideria diligit et sequitur. Homo iste *homo quidam*, homo singularis tunc fit, quando dividere se aliquantulum et coercere a carnalibus suis voluptatibus incipit. *Peregre proficiscitur*, quando de mundo ad Deum, de carnali vita ad spiritalem, de terrenis et caducis ad appetenda et promerenda cœlestia et æterna felicem transitum D facit. Et bene dicitur, *peregre* **431** *proficiscens*. Est enim gravis admodum peregrinatio homini recedere a se, relinquere seipsum, et extendere se in id quod est contra ipsum, ut videlicet qui mundum et ea quæ mundi erant diligendo homo prius carnalis erat, caste sobrieque vivendo homo spiritalis esse et spiritaliter vivere incipiat. Sic tandem *peregre proficiscens*, sic ea quæ retro sunt obliviscens, quid tandem agere debeat ut perveniat, sequens ordo verborum Domini mystice demonstrat.

Vocavit, inquit, *servos suos*, *et tradidit illis bona sua*. Servi isti sensus hominis possunt intelligi. *Servos suos* vocat, quando sensus suos ad se intra se colligit et revocat, ut sibi eos subjiciat, ut ad suam sibi utilitatem et salutem servientes eos faciat. *Et tradidit illis bona sua. Bona* ista, quantum datur intelligi, sunt universa divinæ misericordiæ et miserationis opera, quæ cum homo humiliter recognoscere, pensare et magnificare in seipso cœperit, ac per hoc ad timendum et diligendum Deum semetipsum recollegerit, hoc est vere tradere bona sua servis suis.

Et uni dedit quinque talenta, *alii autem duo*, *alii vero unum*. Secundum consequentiam litteræ uni servorum iste videtur quinque talenta dedisse. Sed nos largiente, ut putamus, Spiritu sancto, qui dat unicuique, prout vult, aliud in verbis his considerantes lectoris arbitrio relinquimus, si nostram, licet ab aliis diversam, non tamen, ut putamus, a veritate discordantem sententiam velit recipere: tantum ut ad ædificationem audientium, non ad ostentationem laudantium pro posse nostro operam nos sciat dare. Per triplicem talentorum distributionem summæ et individuæ Trinitatis inseparabilem intelligere possumus operationem. Per *unum* enim illum, cui *quinque* dantur *talenta*, Deus Pater intelligitur, cujus est opus creationis nostræ; per *alium*, cui *duo* dantur, Deus Filius, cujus est opus creationis et redemptionis nostræ; per *alium*, cui *unum* datur, Deus Spiritus sanctus, cujus est opus illuminationis nostræ. Et notandum quam proprie, quam signanter evangelista verba ista, quæ ad Trinitatem referimus, unum, alium et alium, non primum, secundum et tertium dixerit, quia in sancta Trinitate unus Deus Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus, et tamen in hac Trinitate nihil prius aut posterius, sed tres isti coæterni sibi sunt et coæquales. **432** Igitur quasi *quinque talenta uni* damus, quando Deum Patrem, qui creavit nos, qui quinque sensibus quasi quinque talentis in anima et corpore ditavit nos, honoramus et laudamus. *Alii* autem quasi *duo* assignamus, quando Deum Filium, qui creavit et liberavit nos, humiliter pro redemptione nostra laudamus et amamus. *Alii* vero *unum* damus, quando Deum Spiritum sanctum, qui et ad agnitionem Dei Patris, qui creavit nos, et ad agnitionem Dei Filii, qui liberavit nos, tenebras ignorantiæ nostræ suæ lucis infusione illuminavit, glorificamus et laudamus. Nihil enim creari, nihil nobis redimi profuisset, nisi ad cognoscendum Creatorem et Redemptorem nostrum illuminatio Spiritus sancti accessisset. Hæc autem triformis, sed inseparabilis sanctæ Trinitatis operatio manifestius adhuc exprimitur, cum subjungitur:

Unicuique secundum propriam virtutem. Propria virtus Patris est creare nos, propria virtus Filii est liberare nos, propria virtus Spiritus sancti est illuminare nos, ita tamen proprium cujusque dicimus, ut communem eorum operationem in nostra salute fuisse non dubitemus. Igitur, dum sic homo salvandus *unicuique secundum propriam virtutem* tribuit, hoc est dum opus creationis suæ in Deo Patre, opus redemptionis suæ in Deo Filio, opus illumi-

nationis suæ in Deo Spiritu sancto recognoscere et diligere cœperit, recte de eo dici poterit, *et profectus e t statim. Profectus* iste profectus est animæ, quando homo ex humili recordatione beneficiorum Dei sic in Deum proficit, quod pro ejus amore caduca quæque et terrena despicit et parvipendit. Ex hoc profectu interiori fit sane profectus nihilominus salubris in homine exteriori, quando etiam in exterioribus suis sensibus sanctis et justis exercere se non desinit laboribus. Ait ergo Dominus:

Abiit qui quinque talenta acceperat, et operatus est in eis, et lucratus est alia quinque. Quem, rogo, iste *qui quinque talenta acceperat*, nisi unum eumdemque hominem significat? Ipse, qui dedit, ipse est qui accepit. Dat Deo *quinque talenta*, quæ acceperat ab eo, quando corpore et corporeis sensibus suis abstinendo se a peccatis et vitiis constanter atque sollicite Deo incipit servire. Dum sic in acceptis a Deo quinque talentis Deo indefesse operatur, *alia quinque lucratur.* **433** Quinque enim sensuum dona, quæ per *quinque talenta* exprimuntur, alia fiunt, et tamen eadem sunt. Alternantur enim, et in melius mutantur, cum post longam operationem, post diutinum corporalis exercitationis studium et laborem spiritalia fiunt et intellectualia quæ carnalia prius fuerunt et insensibilia.

Similiter qui duo acceperat lucratus est alia duo. Per *duo* intellectus designatur et operatio. Qui *duo* acceperat, *alia duo lucratur*, quando et intellectum suum, qui prius carnalis erat et carnaliter sapiebat, totum ad Deum et ea quæ Dei sunt dirigit, et quæ recte intelligendo de Deo sapit, recta operatione exsequi et ostendere non negligit.

Qui autem unum acceperat, abiens fodit in terram, et abscondit pecuniam Domini sui. Unum istud *talentum*, quod tertius servus susceperat, intellectum tantummodo hominis salvandi præfigurat, quem *abiens fodit in terram*, cum terram illam, quæ fert fructum salutis et gratiæ, terram videlicet sacræ Scripturæ, assiduis meditationibus fodit, scindit et rimatur, si quid forte ibi inveniat, quod eum ad desiderium æternorum exsuscitet intrinsecus et accendat. *Abscondit pecuniam Domini sui*, quando donum scientiæ et intelligentiæ spiritalis per elationis jactantiam non ejicit, sed reponit in seipso per humilitatem et recondit, ne ab iniquis latronibus, malignis videlicet spiritibus, rapiatur et furetur, sed solus cum solo, a quo accepit, et secreto humilitatis suæ glorietur et jucundetur. Quicunque homo ille est qui sic meditando, intelligendo et operando trium horum in se formam servorum exprimit, hunc Deus omnipotens nunquam derelinquit, sed appropinquat ei, dum post longum corporalium laborum tædium consolatur et relevat per occultæ visitationis et consolationis suæ remedium. Subjunxit ergo, et ait:

Post multum vero temporis venit dominus servorum illorum, et posuit rationem cum eis. Bene dicit, *post multum temporis*, quia tempus hujus hominis non breve, non parvum, sed *multum* et magnum

A valde est et videtur coram oculis divinæ majestatis. Nam sicut illi, qui male et inutiliter vixerunt, nullius temporis vel momenti coram Deo sunt et reputantur: sic isti, qui secundum Deum vivunt, homines multi temporis coram Deo æstimantur. Igitur *post multum temporis* **434** *venit dominus servorum illorum*, quando post multum laborem multam eis impendit visitationis suæ consolationem. Ibi vere *rationem cum eis ponit*, quando tribuit homini, quod seipsum potest deponere, quod Creatori, Liberatori et Illuminatori suo, Patri et Filio et Spiritui sancto in vera cordis humilitate veraciter se potest submittere. Hæc namque humilitas accessum quemdam facit homini ad Deum, quemadmodum mystice innuitur, cum protinus ab ipso subjungitur:

B *Et accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta dicens: Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque super lucratus sum.* Quid nobis hæc ratio, quid nobis ista talentorum oblatio, nisi humilem gratiarum actionem exprimit, per quam se homo humiliter Deo submittit, dum quidquid virtutis, quidquid bonæ operationis, aut in interioribus, aut in exterioribus sensibus suis adesse sibi et inesse senserit, non sibi ipsi, sed ei a quo accepit, humiliter attribuit et ascribit? Huic ait Dominus: *Euge, serve bone et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam. Intra in gaudium Domini tui.*

Accessit autem et qui duo talenta acceperat, et ait:
C *Domine, duo talenta mihi tradidisti, ecce alia duo lucratus sum. Ait illi Dominus ejus: Euge serve bone et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam. Intra in gaudium Domini tui.* Qui duo talenta acceperat, lucratus alia duo repræsentat, dum et pro spiritali intelligentia, quam intrinsecus habet, et pro bona operatione, quam extrinsecus exhibet, totum se Deo submittit, soli illi a quo habet, humili gratiarum actione ascribit. Sed quia et is qui quinque et is qui duo talenta cum lucro reportat, unum eumdemque hominem significat, recte uno eodemque responso uterque honoratur a domino: *Euge*, inquit, *serve bone et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam. Intra in gaudium Domini tui.*

D Et notandum quare dicat, *euge, serve bone et fidelis*. Servus *bonus* ille nominatur qui bona, quæcunque potest, instanter operatur. Sed si ex ipsis bonis actibus suis non Dei, sed suam laudem quærit, servus *fidelis* nullo modo dici poterit. Ergo qui bonus et fidelis, hoc est qui bona **435** libenter agit, et ex ipsis bonis suis actibus non suam, sed Dei gloriam quærit, hic verum illud *euge* audiet a Domino, quia salutare æternum hæreditabit cum Domino: *Euge*, inquit, *serve bone et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam.*

Sicut dicit B. Gregorius, *pauca sunt bona omnia præsentis vitæ.* Sed servus bonus et fidelis *supra multa* constituetur, quando in æterna illa beatitudine pro paucis bonis istis, quæ tempore transeunt,

multis illis cœlestis patriæ bonis, quæ nec numerantur, nec terminantur, sine fine perfruetur.

Quod autem post lætam hanc æternorum promissionem bonorum non semel, sed secundo repetit, *intra in gaudium domini tui*, *intra in gaudium domini tui*, per hoc duplex quoddam gaudium nobis præscribitur, quod ex supernæ visitationis gratia in præsenti vita homo concipit, quo hic interim sustentatur, donec ad illud perveniat, quod nunquam perturbatur, quod nullo fine terminatur. Duplex istud gaudium *irriguum inferius irriguum superius* (*Judic.* I, 15), interpretari possumus. *Irriguum inferius* est quando ex recordatione peccatorum, quæ aut exterioribus aut interioribus sensibus suis commisisse se recolit, humiliter homo compungitur. *Irriguum superius* est quando humili B gratiarum actione, quam Deo exhibet, aut pro spiritali intellectu suo interius, aut pro bona operatione exterius eo usque provenitur, quod gratia dulcedinis Dei invisibiliter intus tangitur, quod vere *gaudium* et *gaudium Domini* est, quo hic servus bonus et fidelis interim, sicut diximus, consolatur et sustentatur, quousque illuc perveniat, ubi *supra multa constituatur*, ubi æternaliter in ipso gaudeat, qui est gaudium omnium sanctorum suorum, Jesus Christus Dominus noster, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

436 HOMILIA LX.

IN FESTUM S. MARIÆ MAGDALENÆ PRIMA.

Rogavit Jesum quidam de Pharisæis, ut manducaret cum illo (*Luc.* VII).

Dominus ac Redemptor noster, qui ad salvandum genus humanum de sinu Patris in uterum Virginis matris descendit, in diebus carnis suæ et invitari et venire ad convivium plerumque dignatus est, non ut exteriorum administratione ciborum delectaretur, sed ut grande aliquod pietatis opus ibi ostenderet, per quod ad desiderandas insatiabiles æternitatis epulas corda hominum vocaret et accenderet.

Eadem pietate et misericordia domum Pharisæi hujus intravit, non tam ut cum illo manducaret, quam ut beatam hanc mulierem, cujus festa hodie recolimus, a peccatorum sordibus purgatam ad convivium epularum suarum invitaret. Sic et adhuc quotidie cum ad domum, id est cor salvandi cujuslibet hominis venire dignatur, secundum antiquæ suæ pietatis gratiam magnum aliquid et memorabile opus salutis operatur. Quid autem majus esse potest, quam secundum multitudinem misericordiæ suæ peccata condonare, virtutibus hominem informare? Qualiter autem hoc fiat, vel unde incipiat, præsens sancti Evangelii lectio mystice nobis insinuat.

Rogavit, inquit evangelista, *Jesum quidam de Pharisæis, ut manducaret cum illo.* Pharisæus, quod interpretatur *divisus*, congrue quilibet homo nominari poterit, quando supernæ miserationis gratia præ- A ventus a sæculo et a peccatis sæculi dividere se incipit. Tale enim nomen nequaquam ei congruit, quandiu corpore et corde desiderio et amore mundum, et quæ mundi sunt, amplectitur et diligit. Mox vero ut, his abjectis et despectis, ad sanctæ conversationis militiam transierit, necesse habet, Pharisæi hujus exemplo, *rogare Dominum, ut manducet cum illo.* Manducare Dei cum homine est salutem hominis operari in homine. Cibus enim Dei est salus nostra. Ad hujus cibi convivium quanta diligentia, quanta mentis constantia rogari et invitari debeat, egregius doctor gentium Paulus verbis suis manifestius nobis insinuat: *Orate*, inquit, *sine intermissione* (*Act.* XII, 5). Sine intermissione orat, qui omni hora, omni 437 momento non modo verbis B et lacrymis, quod impossibile est omni tempore fieri, sed votis et desideriis divinæ pietatis suffragium implorat.

Bene quidam de Pharisæis rogare Jesum, ut manducet cum illo, comprobatur, quando conversus quisque in primordio conversionis suæ nunc precibus, nunc totis utriusque hominis desideriis et affectibus humiliter Domino supplicat, ut quemadmodum secundum magnam misericordiam suam segregatum eum a mundo, suorum adunari voluit collegio, ita etiam per adjuvantem gratiam suam in spiritali vita ei cooperari dignetur, ut ex bona ejus conversatione et ipse in Deo, et Deus in eo reficiatur et lætetur. Nihil enim homo per se valet, nisi desuper ei datum fuerit; sicut in alio loco per se C Dominus ostendit, cum dicit: *Sine me nihil potestis facere* (*Joan.* XV, 5). Sequitur:

Et ingressus domum Pharisæi discubuit. Per *domum Pharisæi* significatur conscientia hominis conversi, quam misericorditer quodammodo Dominus *ingreditur*, quando per visitationis suæ gratiam ipse homo ad se intra se, hoc est in propriam cordis sui conscientiam ad cognoscendum se divinitus reducitur. *Discumbit* etiam in eadem domo, quando ipsum hominem, qui usque tunc male superbiendo stetit, misericorditer humiliando discumbentem facit. In illo laudabili et desiderabili discubitu fit continuo quod sequitur:

Et ecce mulier, inquit evangelista, *quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quod accubuisset in domo* D *Pharisæi, attulit alabastrum unguenti, et stans retro secus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, et capillis capitis sui tergebat, et osculabatur pedes ejus et unguento ungebat.* Per *mulierem*, quæ a *mollitie* dicta est, mollita per gratiam Dei anima convenienter accipi potest. *Civitas* autem, in qua eadem mulier habitat, corpus hominis juste significat. Bene autem dicitur, *et ecce mulier*, *quæ erat in civitate peccatrix;* quia quandiu anima exteriora corporis membra ad iniquitatis opera suscitat, movet et agitat, quasi *mulier peccatrix in civitate* corporis habitat. Unde quidquid boni aut mali exterior homo operatur, aut ad præmium aut ad judicium animæ reservatur. Sed mulier, beata animæ

438 scilicet ad æternam vitam prædestinata, quæ aliquando quasi *mulier peccatrix* erat, dum utriushominis sui sensibus peccato subjacebat, mox ut per gratiam Dei, sicut diximus, emollita *cognoscere*, id est diligere incipit, *quod Jesus*, æternæ, inquam, auctor salutis, *in domo Pharisæi accubuerit*, hoc est quod separatam eam a sæculo, sæculique criminibus, per internæ visitationis suæ ingressum, aliquantulum intrinsecus humiliaverit, *affert alabastrum unguenti*, quod est cor contritum, vera, inquam, humilitate ad capiendam sancti Spiritus unctionem confortatum ac stabilitum.

Et stans retro secus pedes ejus. Bene quidem *stare* homo dicitur, dum ex profundo vitiorum, in quibus jacebat, dum sæculariter vivebat, per conversionem cordisque contritionem et humilitatem sublevatus in sublime virtutum erigitur. Nam quod semper humilitatem virtus sequatur, Propheta ostendit, cum dicit : *Surgite, postquam sederitis, qui manducatis panem doloris* (*Psal.* CXXVI, 2). Sed quid est quod dicitur : *Stans retro secus pedes Domini?* Qui retro hominem stat, illum retro quem consistit, semper utpote oppositum oculis inspicit. *Stat* quidem *retro secus pedes Domini*, qui misericordiam et judicium ejus pavido et humili corde frequenter secum recogitat, reductisque post tergum oculis quam ingratum divinæ bonitati et misericordiæ se exhibuerit, quot et quantis peccatorum criminibus districtum ejus judicium provocaverit sollicite considerat. Duobus his pedibus, quod est misericordia et judicium sive veritas ejus, per universum mundum super omne genus humanum graditur; quia quidquid humanæ creaturæ est, aut pede misericordiæ salvat, aut pede veritatis suæ judicat et damnat. Sed ut unus e multis exemplo nobis sit, videamus qualiter retro secus hos Domini pedes electus Propheta ejus David se collocaverit, cum dixit : *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam* (*Psal.* L, 1). Sed qua causa, qua ratione? *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper* (*ibid.*, 4). Ad consequendam miserationis divinæ gratiam non seipsum, non dimidium bonorum suorum, sed solam et assiduam peccati recordationem obtulit, quam vera et perfecta pœnitentia quotidie intrinsecus renovavit. Sed et nos, ut crimina præterita evacuare, atque futura cautius declinare valeamus,
439 quid ad eumdem David aliunde Dominus dixerit, qualiter ad præliandum contra inimicos eum instruxerit audiamus!

Legimus in libro Regum quod, uncto David in regem super Israel, universi Philisthiim ascenderint, ut quærerent David, ipsumque David consuluisse Dominum, si ascendere ad eos deberet, an non, ac respondisse Dominum et dixisse : *Ascende, quia tradens tradam tibi Philisthiim in manu tua. Et addentibus adhuc Philisthiim, ut ascenderent, rursum consuluit David Dominum : Si ascendam contra Philistheos, et tradas eos in manus meas? Qui respondit: Non ascendas in obviam eorum, sed gyra post tergum eorum, et venies ex adverso pyrorum. Et cum audieris sonitum gradientis in cacumine pyrorum luci, tunc inibis prælium contra Philisthiim, quia tunc egredietur Dominus ante faciem tuam, ut percutiat castra Philisthiim* (*II Reg.* V, 19-24, etc.). Per Philisthiim malignos spiritus, aut quælibet peccata accipere possumus, quæ quasi ad quærendum David ascenderunt, quando aut per malam cogitationem, aut iniquam voluntatem cor *manu fortis* cujusque athletæ Dei, qui per David exprimitur, præoccupare primum contendunt. Quibus hoc modo contra nos ascendentibus, et nos nihilominus ascendere jubemur, quia adversus malarum tela cogitationum invictissimæ orationis clypeum obtendere debemus. Facilius enim superabimus, si in ipso primordio a radice cordis exstirpare eas et effugare festinaverimus. Sed, si rursum ascendere contra nos addiderint, hoc est si ad delectationem et consensum importunitate sua inflectere nos tentaverint, ascendere in obviam eorum prohibemur, gyrare autem post tergum eorum divinitus edocemur. Sicut obviare invicem sibi dicuntur, qui unam eamdemque viam pariter gradiuntur, sic in obviam Philisthiim, malignorum scilicet spirituum, peccata suggerentium, quodammodo properant qui viæ eorum per peccati operationem se associant. Ab hac via revocat nos Dominus, cum dicit : *Non ascendas in obviam eorum, sed gyra post tergum eorum.* Ac si dicat : Nunquam malignis spiritibus per suggestionem peccati tibi occurentibus ita obviam procedas, ut una cum eis via incedendo, opera, quæ suggerunt, perficias, *sed gyra post tergum eorum*, hoc est semper retro peccata ita stare, ita a fine usque ad finem circumvallare ea memento, ut 440 initium eorum, quod a cogitatione sive mala voluntate inchoatur, et finem eorum, qui per operationem peccati consummatur, providæ circumspectionis oculo discernere et declinere valeas. Unde autem et quomodo ad hanc virtutem homo proficere valeat, continuo manifestat, cum dicit : *Et venies ex adverso pyrorum.* Quia in pomo primus homo peccavit, recte nomine pyrorum, quæ delectabilem gustum præbent edentibus, peccati delectationem accipere possumus. Ex adverso pyrorum venire est adversando, contradicendo, resistendo delectationibus contraire. Quicunque homo taliter ex adverso incesserit, quicunque ita se contra vitia erexerit, huic pius et misericors Dominus per invisibile pietatis suæ auxilium succurrit, sicut sequens littera mystice insinuat, cum dicit : *Et cum audieris sonitum gradientis in cacumine pyrorum luci, tunc inibis prælium contra Philisthiim.* Per gradientem in cacumine pyrorum unigenitus Filius Dei digne figuratur, qui in similitudine peccati sine peccato vixerat, quia, quidquid peccatum vel delectatio peccati dicitur, per divinitatis suæ potentiam ita pedibus suis substraverat ac conculcaverat, quod nec tenuissima cogitationis iniquæ macula sanctissimæ

animæ ejus unquam appropinquare poterat. *Sonitus* ejus interna et invisibilis visitatio illius. Sonitus iste, cum in interioribus hominis auribus delectabiliter insonuerit, fiducialiter prælium contra Philisthæos inire poterit. Tunc egredietur Dominus ante faciem ejus per divinitatis suæ potentiam, ut castra Philisthinorum percutiat, hoc est ut, sopito bello vitiorum majori, militem suum constantia animatum de virtute in virtutem magis ac magis proficere faciat.

Taliter a Domino et in Domino confortatus, potest juxta exemplum beatæ hujus mulieris, cujus festa recolimus, *pedes Jesu lacrymis rigare, capillis capitis sui tergere, et osculari, et unguento ungere.* Possumus intelligere per *lacrymas* dolorem cordis et pœnitentiam præteritorum, per *capillos* superflua carnis et continentiam futurorum, per *osculum* confessionem, per *unguentum* peccati satisfactionem. *Rigat lacrymis pedes* Salvatoris qui rigidam atque districtam, quam promeruit, futuri judicii Dei sententiam flectere ad pietatis gratiam, per quotidianam dolentis atque gementis cordis elaborat **441** pœnitentiam. *Tergit capillis capitis sui*, quando sollicite continendo et custodiendo se a futuris abscidere festinat, quidquid superfluitatis, hoc est quidquid peccati et iniquitatis aut in mente per non bonam intentionem, aut in carne regnabat per malam operationem. *Osculatur*, quando per veram et humilem confessionem Deo Creatori suo reconciliari conatur. *Unguento ungit*, quando superni iram judicis bonis operibus mitigare atque lenire incipit.

Quanta et quam valida unguenti hujus fragrantia apud Deum sit, alius nobis evangelista manifestat, cum dicit : *Et domus impleta est ex odore unguenti* (*Joan.* XII, 3). Domus ista cœlestis et terrestris est Ecclesia. Denique supernas beatorum mansiones unguenti hujus odor penetrat, quia homini perfecte pœnitenti, et dignos pœnitentiæ fructus facienti, non solum spiritus et animæ justorum, sed et cœleste collegium angelorum congaudet et congratulatur, sicut in alio Evangelio Dominus testatur dicens : *Dico vobis, gaudium est angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente* (*Luc.* XV, 7). Sed et terrestris Ecclesia ex ejusdem odore unguenti suaviter respergitur, quando omnes, qui cum eodem homine conversantur, ex profectu et constantia illius et lætantur et ædificantur. Post tale hoc unguentum, post tanta, inquam, pœnitentiæ opera, tenebris peccatorum tandem per gratiam Dei remotis, ad lumen cognitionis Dei et amoris mentis oculos aliquantulum aperire incipit, sicut consequenter evangelista manifestat, cum dicit :

Videns Pharisæus, qui vocaverat eum, ait intra se dicens. Recte Pharisæus, homo scilicet perfecte conversus videre eum dicitur, quem pœnitendo pro præteritis, continendo se a futuris vocavit, quem per confessionem peccati atque satisfactionem jam ex parte sibi reconciliavit, quando amor Dei aliquantulum timorem temperat, atque per resumptam ex respectu divinæ miserationis spei confidentiam totum cor hominis per desiderium ad Deum sublevat. Ibi sane inter gemitus et suspiria plerumque in hæc prorumpit verba :

Hic, si esset propheta, sciret utique quæ et qualis esset mulier quæ tangit eum, quia peccatrix est. Licet beata quælibet anima tangere quodammodo Deum credatur, quoties ardentissimæ charitatis fervore ad thronum gloriæ Dei per mentis contemplationem rapitur et sublevatur, **442** vere tamen et specialiter tunc eum *tangit*, quando casto corpore, mundo et humili corde ad communicandum sacrosancto corpori et sanguini ejus fideliter accedit. In illo invisibili æternæ majestatis attactu, in illo vero et inconsummabili æternæ suavitatis gustu memor miseriarum sui, memor etiam multitudinis misericordiarum Dei, eum quem tangit, cui communicat, verbis hujusmodi humiliter et suppliciter appellat et interpellat : *Hic si esset propheta.* Ac si dicat : Hic angelorum Dominus, Creator et Redemptor misericors, *si propheta*, hoc est si homo solummodo esset, et non Deus, *sciret utique*, quibus et quantis peccatorum contagiis *hæc mulier*, hæc misera anima mea coinquinata sordescit, quæ ut mollescere intrinsecus et reviviscere valeat, ad tangendum eum, ad communicandum, inquam, carni et sanguini ejus æstuat, sitit et anhelat. Nunc autem quia Deus et homo est, quia naturaliter benignus, essentialiter bonus atque misericors est, scit peccata mea per divinitatis suæ potentiam, sed nescit, quia scire non vult, propter coessentivæ sibi miserationis et benignitatis suæ clementiam.

Sed et alio modo nomine prophetæ bonus quisque prælatus, sive alius quilibet homo accipi poterit, qui et de futura perennis vitæ remuneratione et æternæ mortis damnatione sibi et cæteris utiliter prophetare didicit. Homo itaque beatus, spe divinæ miserationis animatus, quacunque hora misericordias Domini retractare secum ac recolligere cœperit, quasi hujusmodi verbis semetipsum consolatur et dicit : *Hic si esset propheta.* Quasi dicat : O Domine, indeficiens fons pietatis, origo et consummatio æternæ suavitatis, si aliquis proximorum latentes cordis mei nequitias, sicut tu, cognosceret, si tot ac tantis malis sibi, ut tibi, obnoxiam me deprehenderet, *sciret utique*, hoc est nunquam, ut reor, culpam meam oblivioni daret, opprobriis et injuriis dignam pro meritis vindictam animæ meæ recompensaret. Tu vero, qui, cæteris hominibus nequaquam assimilaris, qui ut summus Deus, ita et summa bonitas esse comprobaris, peccata mea scire quidem te scio per divinitatis tuæ præscientiam, nescire autem te confido propter ineffabilem pietatis tuæ magnificentiam. Qui hoc modo in misericordia Domini speraverit, et bonæ spei bonis operibus concordaverit, hic benedictionem et consolationem a Domino accipiet, sicut consequenter evangelista subjungit, cum dicit :

443 *Et respondens Jesus dixit ad eum : Simon,*

habeo tibi aliquid dicere. Ac si dicat : Tu, qui contra rectitudinem præceptorum meorum hactenus vixisti, quia jam Simon factus es, hoc est quia per pœnitentiam præteritorum, per continentiam futurorum, per veram confessionem et dignam satisfactionem obedientiæ meæ te subdidisti, habeo et ego aliquid grande, aliquid magnificum, quod tibi respondeam, quod tantis tuis laboribus jure rependere debeam.

At ille ait : Magister, dic. Ac si dicat : Quanquam, miserator Domine, abundent in anima mea misericordiæ suæ, utpote quem de lacu miseriæ eduxisti, quem de profundo vitiorum clementer eripuisti, *Magistrum* tamen te nomino, quia quem diligere cupio propter ineffabilem, quam in me ostendisti, pietatis tuæ clementiam, timere adhuc ut *magistrum* et judicem compellor propter præteritorum criminum meorum conscientiam. Tantam hominis humilitatem pius et misericors Dominus nequaquam despicit, sed ut humiliter timentem perfecte faciat diligentem, verbis indicibilibus ei loquitur intrinsecus.

Duo, inquit, *debitores erant cuidam fœneratori : Unus debebat denarios quingentos, alius quinquaginta.* In duobus his debitoribus Adam et Evam intelligere possumus. Quasi *quingentorum denariorum* cuidam fœneratori, Deo scilicet omnipotenti, Adam debitor erat, quia et dignitate conditionis, et universæ sapientiæ et scientiæ perfectione omni creaturæ irrationabili præeminebat. *Quinquaginta* autem *denarios* Eva debebat, quia sub potestate viri constituta minorem cœlestium donorum gratiam acceperat. Et bene quidem Deus omni creator quidam nominari potest *fœnerator*, qui idcirco nos creavit, atque præ cæteris creaturis suis sensu et intellectu sublimavit, ut et in spiritu per sancta desideria, et in carne per bona et justa opera in præsenti fœneremur, quæ ad laudem et gloriam nominis ejus in futuro reportemus. Nos enim *duo debitores* sumus, qui et in spiritu *quingentorum*, et in carne *quinquaginta denariorum* debitum exsolvere debemus. Quinquies centum *quingenta* faciunt. Et recte numerus iste, quia perfectus est, et ex perfecto constat, perfectionem quinque sensuum mystice nobis demonstrat, quibus *unus* ille, spiritus scilicet qui est in homine, ita præsidere deberet, ut in omni perfectione, **444** in omni sanctitate et justitia sine peccati contagio mundos eos et illibatos conservaret Domino. Sed et a carne *quinquaginta denariorum* debitum expetitur, quæ quasi in adjutorium spiritui creata est, ut innocenter sibi ad omnia consentiret, atque per exteriora justitiæ et æquitatis opera, quæ bene per *quinquaginta* intelliguntur, uni Domino, uno voto et desiderio humiliter et simpliciter serviret. Sed per inobedientiam et transgressionem primi hominis perfecta illa plenitudo cœlestium donorum versa est ad male perfectam plenitudinem peccatorum, factusque est spiritus hominis debitor *quingentorum*, caro vero *quinquaginta denariorum*, quia mi-

A nores quodammodo et pauciores sunt excessus carnis quam spiritus, cum spiritus nunc mala voluntate noxiis cogitationibus, nunc illicitis desideriis, noxiisque delectationibus multa intrinsecus committat, a quibus caro aliena est, quia ei per peccati operationem non communicat.

Sed et per *denarios quinquaginta* vera et perfecta, quæ a carne exigitur, interiorum exteriorumque excessuum pœnitentia exprimitur. Has humanarum vicissitudines miseriarum, quas nunc in spiritu, nunc in carne patitur, dum pœnitenti corde homo salvandus humiliter secum retractare cœperit, pius et misericors Dominus mox invisibiliter eum alloquitur intrinsecus : *Duo*, inquit, *debitores erant cuidam fœneratori.* Hæc Domini verba mirificæ visi-
B tationis ejus gratiam mystice designant, qua ei, quem visitat, quid per se fuerit, et quid a Deo acceperit, misericorditer innotescit et insinuat, qualiter in iniquitatibus conceptus et natus, qualiter in peccatis post nativitatem suam sit conversatus, et cum in spiritu et in carne, utpote multorum patrator criminum, justitiæ Dei esset obnoxius, ab utriusque debito gratia Dei absolutus pristinæ innocentiæ in baptismo sit restitutus. Hoc est enim quod sequitur :

Non habentibus autem illis unde redderent, donavit utrisque. Utrisque donavit, quando, sicut jam dictum est, et spiritus et carnis contagia gratuita bonitate sua in baptismate expiavit. Per hanc hu-
C milem beneficiorum Dei considerationem tandem a timore ad amorem magis ac magis proficit; sicut sequentibus verbis Dominus manifestat, cum dicit : *Quis ergo, eum plus diligit?* Homo cum interrogat, **445** ideo quidem interrogat, ut scire possit, quod adhuc ignorat. Deus autem scientiarum Dominus cum interrogat, non sic interrogat, ut aliquid eum lateat, sed ut sua interrogatione nos quod ignoramus scire faciat. Sic et hac sua interrogatione, quæ invisibiliter ad hominem intrinsecus fit, quantum dilectionis Deo debeat, verbis indicibilibus insinuat, cum dicit, *quis ergo eum plus diligit?* Loquitur hæc Dominus, cum hominem loquentem intrinsecus facit, cum ipse homo ex profunda cordis humilitate proclamat in semetipso, *quis ergo eum plus*
D *diligit?* Ac si dicat : Dignum esset ut eum qui ad imaginem et similitudinem suam ex nihilo me creavit, qui nobiliter creatum, sed mirabiliter vitiatum per baptismi gratiam emundavit, totus totum diligerem, totum quod sum, quod possum, ad laudem et gloriam nominis ejus impenderem. Rursumque quasi ipse sibi respondens inter gemitus et suspiria in hæc continuo prorumpit verba : *Æstimo quia is cui plus donavit.* Quasi dicat : Scio, misericors Domine, et spes et refugium animæ meæ, quia te, cujus tanta hactenus circa me erat miseratio, in spiritu meo, quem emundasti, cui tanta peccatorum crimina condonasti, merito præ omnibus et super omnia diligere debeo. Sed et tua jam præventus misericordia, diligo te, ut *æstimo*, et tamen quod perfecte te

diligam, affirmare non audeo, quia cum in comparatione dilectionis tuæ dilectio mea quasi nihilum sit, quomodo tibi placeat, vel si dilectio dici coram te valeat, ignoro.

At ille respondit : Recte judicasti. Bene dicit, *recte judicasti*, quia tale Deus judicium diligit et approbat, quod homo propter veram cordis humilitatem, dilectionem suam, qua Deum diligit et amplectitur, non perfectam dilectionem, sed quasi dilectionis opinionem reputat, cum nullus hominum, etiamsi totum se ad redamandum colligat, aliquid dignum amori Dei recompensare valeat.

Et conversus ad mulierem dixit Simoni : Vides hanc mulierem? Ad *mulierem* Dominus *convertitur*, quando ad emollitam et humiliatam illam animam, a qua aversus aliquando fuerat, totus per pietatis suæ gratiam revertitur. *Vides*, inquit, *hanc mulierem?* Ac si dicat : Quia non tuis meritis, sed gratuita pietate mea dignam te feci, ad quam miserationis meæ oculos converterem, volo, quia expedit **446** tibi, ut et tu talem te, qualis ante fueras, pœnitendo respicias, et hanc, quæ jam per gratiam meam facta es, gaudendo et humiliter gratias agendo semper attendere studeas.

Intravi in domum tuam; aquam pedibus meis non dedisti. Hæc autem lacrymis rigavit pedes meos. Osculum mihi non dedisti; hæc autem, ex quo intravit, non cessavit osculari pedes meos. Oleo caput meum non unxisti; hæc autem unguento unxit pedes meos. In tribus his rebus, *aqua* scilicet, et *osculo* et *oleo*, tres virtutes, fidem scilicet spem atque charitatem, sine quibus nemo salvari potest, congrue intelligendas æstimo. Fides enim, quæ in *aqua*, id est in baptismate, suscipitur, decenter per *aquam* intelligitur; *osculum* vero, quod spe majoris dilectionis inter homines fit, spem, per quam homo ad Deum sublevatur, non injuste exprimit. In *oleo* autem, quod omnibus supereminet liquoribus, digne charitatem intelligimus.

Monet itaque Deus hominem per internam sui inspirationem, ut cognoscat quid commiserit, quam contrarie tribus his virtutibus vixerit. *Intravi*, inquit, *in domum tuam*, quando propulso antiquo possessore diabolo cor et animam tuam per baptismi sacramentum emundavi, atque ut domus mea esset, invisibili spiritus mei unctione invisibiliter consecravi, tu vero *aquam pedibus meis non dedisti*, quia secundum susceptæ atque promissæ in baptismo fidei sacramenta vivere neglexisti. *Hæc autem*, quam jam feci ex te, a prioris statu vitæ immutando te, *lacrymis rigavit pedes meos*, *et capillis capitis sui tersit*, quia per stabilem pœnitentiam criminum præteritorum, per continentiam futurorum emollito districto pede justitiæ meæ et veritatis, tandem me donante ad pedem pertingere meruisti misericordiæ meæ et pietatis. *Osculum mihi non dedisti*, quia spem, qualem ad me, qui vere pius, vere misericors sum, habere deberes, per quam ad majorem dilectionis meæ sinceritatem teipsum excitasse debueras, usque nunc non habuisti. *Hæc autem*, hæc, inquam, anima tua, per gratiam meam jam emollita, *ex quo intravit*, hoc est ex quo ad se intra se regressa suam miseriam, meamque misericordiam humiliter recognoscere meruit, *non cessavit osculari pedes meos* : quia per veram fidem, firmam atque stabilem spem fideliter **447** mihi adhærendo et misericordiam meam perfecte diligere, et judicium meum humiliter et utiliter metuere didicit.

Oleo caput meum non unxisti : hæc autem unguento unxit pedes meos. Possumus hoc in loco in *capite* Christi divinitatem, in *pedibus* vero sanctissimam ejus accipere humanitatem. *Oleo caput meum*, inquit, *non unxisti*, quia eo quod Creator tuus sum, hactenus me, prout dignum esset, non dilexisti. Nunc autem *unguento pedes meos* quodammodo *unxisti*, quia passionibus, abjectionibus, miseriis atque vulneribus, quæ in assumpta pro te humanitate perpessus sum, dignis pœnitentiæ operibus digne pro posse tuo respondisti.

Propter quod dico tibi : Remittuntur ei peccata multa, quoniam multum dilexit. Cui autem minus dimittitur, minus diligit. Hæc verba Domini ita sonare videntur, quasi dilectio causa sit remissionis, et remissio causa sit dilectionis. Quod profecto ita esse nemo est qui dubitet quia cor illud, quod perfecta dilectione Dei redundat, ipse qui diligitur Deus ab universis peccatorum sordibus expurgat et emundat, quantoque purius a peccatis, tanto capacius fit divinæ charitatis. *Cui autem minus dimittitur, minus diligere* comprobatur, et ubi minor dilectio, ibi minor peccatorum fit remissio. Sed ut eadem hæc Domini verba subtilius adhuc distinguamus, qualiter per occultam operationem in uno plerumque homine compleantur, videamus. Fit aliquando ut homo aliquis multum, sicut diximus, diligere Deum valeat, atque in illa multa dilectione multam peccatorum remissionem accipiat. Sed si forte mentis subrepente elatione de dono Dei intrinsecus superbierit, atque hoc, quod ex sola gratia Dei habere meruit, plus æquo propriis viribus attribuerit, fit recto judicio Dei ut, dum cognito errore ad se intra se redierit, minorem remissionis gratiam inveniat, moxque minor illa remissio causa minoris dilectionis esse incipiat, sicque impletur quod dicitur : *Cui autem minus dimittitur, minus diligit.*

Et dixit ad mulierem : Remittuntur tibi peccata. Quid in his verbis Domini, qui modo de muliere ad Simonem, *remittuntur et peccata multa*, modo ad ipsam mulierem, *remittuntur*, inquit, *tibi peccata*, mystice nobis datur intelligi, **448** nisi quod duobus modis Deus alloquitur hominem, duobus modis homini tribuit peccatorum remissionem? Primo alloquitur eum verbi sui doctrina per doctores suos exterius; secundo alloquitur eum invisibili et indicibili inspirationis suæ lingua interius. Sic et remissio peccatorum primum homini datur in spe, secundo datur ei in re. Homo quidem perfecte con-

versus, qui digna dignæ pœnitentiæ opera quasi A quædam suaveolentia pedibus Domini unguenta adhibere meruit, mox ut hic verbum Dei audierit, operibusque, quantum potest, exsequendo custodire in semetipso cœperit, de misericordia Dei præsumendo, spe remissionis animatur, ardentioris constantia amoris inflammatur; sicque mirum in modum is, qui prius voce verbi sui exterioribus insonuit auribus ad mulierem, ad emollitam, inquam, animam, per semetipsum loquitur intrinsecus, *remittuntur tibi peccata*. Et hæc est vera atque perfecta peccatorum remissio, quæ fit in re quam ipse auctor indulgentiæ per se tribuit, cum se totum diligenti animæ infuderit, cum per ineffabilem visitationis suæ gratiam, sublata tandem amaritudine timoris; ad perfectam perfecti eam B perduxerit dulcedinem amoris, per quam totum sibi cor hominis ita vendicat, quod nihil præter Deum cogitat, quærit vel desiderat. Unde continuo recte subjungitur.

Et cœperunt qui simul accumbebant dicere intra se : Quis est hic, qui etiam peccata dimittit? Isti simul accumbentes sunt universi sensus hominis in solo solius Dei amore humiliter sibi consentientes, qui bene *simul accumbere* comprobantur, quando in omnibus, quantum possibile est, spiritui concordant et condelectantur. *Quis est hic*, inquiunt, *qui etiam peccata dimittit?* Vox ista vox est animæ Deum medullitus amantis, ad contemplandam celsitudinem majestatis ejus ardenter suspirantis, quæ C nunc corde, nunc corpore, nunc voce, nunc desiderio humiliter proclamat Domino : *Quis est hic?* Ac si dicat : O miserator Domine, quando erit, quando de carcere laboriosi hujus exsilii ad te mihi transire licebit, ubi abjecta gravi corporis sarcina videre te valeam in majestatis tuæ gloria? Nihil in hac vita quod delectet invenio, quandiu te, qui tot et tanta **449** mihi peccata dimisisti, qui tot et tam innumerabilia mihi beneficia contulisti, videre non valeo. Beata et vere beatificanda anima, quæ in hujus vitæ exsilio tanto æternitatis afficitur desiderio, quia cum tempus resolutionis ejus advenerit, occurret et succurret ei quem semper optavit, quæsivit et amavit, a diabolicæ incursionis timore misericordissimæ pietatis præ- D muniendo eam et defendendo consolatione.

Fides, inquit, *tua te salvam fecit, vade in pace.* Ac si dicat : Quia vera fide et dilectione hactenus mihi adhæsisti, quia perfectis fidei operibus in hac me vita glorificasti, a contractis peccatorum vulneribus salvata, cum pace ex hac vita proficisceris, cum pace in æternæ quietis gaudia recipieris, ubi nullo peccatorum vulnere, nulla inimicorum incursione læderis, sed perpetuæ pacis tranquillitate sine fine gaudebis. Ad hæc internæ quietis gaudia, ad hanc perpetuæ pacis tranquillitatem nos perducat, qui sine fine vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

450 HOMILIA LXI.

IN FESTUM S. JACOBI APOSTOLI PRIMA

Accessit ad Jesum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans et petens aliquid ab eo (*Matth.* xx.)

Beatus Jacobus apostolus, cujus hodie festa celebramus, unus erat ex duodecim, unus, inquam, quem Dominus inter alios discipulos suos speciali quodam amore dilexit, ac secretis suis familiarius interesse voluit. Licet enim omnes, tanquam beatissimos et ultra omnes homines sanctiores, diligeret, quibus omnia quæ a Patre audierat nota fecerat, tamen, sicut in Evangeliis legimus, tribus illis, Petro videlicet Jacobo et Joanni, specialius quodammodo et frequentius dilectionis suæ dulcedinem ostendere dignatus est, non propterea ut tres istos quasi per singularitatem quamdam diligendo exciperet, sed quia plus pietatis, plus internæ et divinæ cujusdam dulcedinis cordibus eorum inesse noverat; unde eos amplioris dilectionis suæ dignos fecerat. Quæ autem hæc præcipua sanctitas, quænam singularis dulcedo cordis illorum fuerit, solus ipse qui dedit noverit; nos neque scimus, neque scire digni sumus.

De his tribus viris legimus in Evangelio quod, conscenso cum illis Dominus noster Jesus Christus monte præcelso, conspicuam esse voluit claritatem gloriæ suæ; ubi et Petrus gaudio totius visionis impletus, optans cum Jesu ibi semper habitare, ubi manifestata ejus lætabatur gloria, ait : *Domine, bonum est nos hic esse. Si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, et Eliæ unum* (*Matth.* xvii, 4). Sed et instante hora passionis, iterum assumpto tantum Petro, Jacobo et Joanne, cœpit, sicut evangelista ait, contristari et mœstus esse dicens : *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Marc.* xiv, 34). Quid est quod hujus beati Joannis Evangelium præ cæteris Evangeliiis tanta redundat dulcedine, nisi quod et inaudita quadam suavitate æstuabat in interiori homine, quam celare non potuit in sermone? Hinc etiam præsens Evangelium, quod hodierna die de beato Jacobo legitur, singularem quamdam dulcedinem Dei tangere videtur, qua dulcedine cor et animam ejus plenissime perfusam esse non dubitatur.

Accessit, inquit Evangelista, *ad Jesum mater filiorum Zebedæi cum filius suis, adorans et petens aliquid ab eo.* Mater ista, quæ accedit ad Jesum cum filiis suis, sancta est Ecclesia, quæ *mater* est et tamen virgo est, cujus *filii* per gratiam sunt omnes electi et sancti ad vitam æternam prædestinati. Quæ nequaquam sine certi causa mysterii *mater* describitur fuisse *filiorum Zebedæi*. Zebedæus enim interpretatur *iste fluens*. Et quis est *iste fluens* nisi mundus præsens? **451** Iste pronomen est demonstrativum, et per hoc verbum præsens mundus non incongrue accipitur, quia totum quod in mundo est, visibile est, demonstrativum est; quod vero de mundo non est, invisibile est. Est etiam *fluens*, quia quotidie quasi aqua labitur, deficit et transit, et nunquam

in eodem statu permanet. Si enim bona sunt, si prospera vel læta quæ occurrunt, eadem dicto citius fluunt, quia non subsistunt; si mala, si adversa imminent, ipsa fluunt, quia et eadem deficiunt. Unusquisque nostrum quotidie fluit, quia de juventute ad senectutem transeuntes morti approximamus, et ipsum nostrum vivere et crescere est, ut ita dicam, miserabile quodam fluere et deficere.

Hujus Zebedæi, hujus videlicet mundi filii tandiu eramus, donec in baptismo regenerati sumus, in quo ab originali et actuali peccato mundati, de filiis mundi facti sumus filii matris Ecclesiæ, jamque sumus, qui primitias spiritus habemus, sicut Paulus ait: *Eramus aliquando natura filii iræ, sicut et cæteri: nunc autem justificati filii Dei facti sumus per mortem ipsius* (*Ephes.* II, 3). Itaque in Baptismo filiis Ecclesiæ renatis sancta mater Ecclesia cum filiis suis ad Jesum accedit, quando recta fide, bona voluntate, sanctis operibus saluti suæ approximare contendit.

Postquam autem sic ad Jesum accesserit, quod de salute animæ suæ sollicita esse studuerit; *adorans et petens aliquid ab eo* debet esse. Quid est *adorare* nisi seipsum humiliare? Quia de adoratione hominum, qua angelos aut homines adorare volebant, tam in Novo, quam Veteri Testamento crebro legitur, per istud *adorare* virtus humilitatis intelligitur convenienter. Ille veraciter *adorat* qui seipsum humiliat, qui contrito et humiliato corde ad orationem accedit, qui nihil erga proximum suum amaritudinis vult habere tempore orationis. Quo contra nequaquam humiliato, sed superbo corde adorat qui fratri illatas parvipendens injurias cum cordis amaritudine precum suarum Domino afferre vult victimas. Iste procul dubio arrogans convincitur esse et superbus, quia Dominici præcepti transgressor est inventus, quo de reconciliatione fratris sui primo admonetur, et tunc offerre **452** munus ad altare jubetur. Si cui fortassis a magistro suo aliquid injungeretur, et ille obaudire dedignaretur, moxque ad rogandum eum, vel loquendum ei, quidquid voluisset, audacter accederet, superbus et arrogans valde judicaretur. Sed multo magis divinæ indignationis iram provocat qui proximum suum non diligendo præceptum Domini transgreditur, et tamen superbe et audacter accedendo ad Deum audiri se in precibus suis ab eo æstimat, quem contempsit. Debemus itaque prius *adorare*, hoc est in vera nos dejicere humilitate, jam jamque *petere* a Domino *aliquid* possumus. Quid est, fratres mei, *aliquid petere?* Orat et petit aliquis pro temporalibus et caducis rebus; iste non petit *aliquid*, sed petit nihil. Qui pro salute animæ suæ et acquirenda æternæ vitæ gloria Domino precibus suis instat, ille profecto *petit aliquid*, magnum *aliquid*, ineffabile *aliquid*. Quod etsi aliquando pro necessariis hujus vitæ, quibus carere non possumus, Deo supplicamus, prior tamen et conjuncta debet esse intentio vitæ æternæ, pro qua sola hæc exteriora interim quæramus, ne deficiamus. Sancta itaque mater Ecclesia pro filiis suis irreprehensibiliter Dominum adorat et petit. Et quia bona et humilis est ejus adoratio, justa ejus non contemnitur petitio, sed adoranti et petenti dicitur.

Quid vis? Dicere Dei est ipsius facere; ipsius interrogatio nostra est excitatio, qua nos excitat, suam, non nostram voluntatem petere. Et quid orat pro filiis suis sancta mater Ecclesia?

Dic, inquit, *ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram, et unus ad sinistram in regno tuo.* Notandum quid sit quod mater filiorum Zebedæi in petitione sua a Domino non repellitur, vel reprehenditur; filii autem, a quibus petitio hæc descendit, reprehenduntur et arguuntur, dum dicitur eis a Domino: *Nescitis quid petatis.* Quia per matrem hanc sanctam Ecclesiam diximus figurari, hanc esse credimus rationem, idcirco matrem petentem non repulsam, quod generalis sanctæ Ecclesiæ petitio, quam pro omnibus filiis suis ad Deum facit, justa sit et necessaria; filios autem, qui tanquam carnales adhuc, majorem supra coapostolos suos in cœlis gloriam et sedem quærebant, ideo a Domino correptos **453** ut per hoc doceamur, quod nullus nostrum sibi soli regnum Dei, aut excellentiorem præ cæteris in cœlis gloriam et sedem condonari debeat Deum exorare, sed omnibus Christianis eadem merita, eadem pro meritis quæ et sibi præmia desiderare. Hinc est quod et in quotidianis orationibus nihil petimus singulariter, sed totum generaliter dicentes: *Da nobis, Domine, da omnibus nobis;* non, *da mihi soli*, quia male orat qui pro se tantummodo, non pro proximo orat.

Dic, inquit, *ut sedeant hi duo filii mei unus ad dexteram, et unus ad sinistram in regno tuo.* Per *dexteram* futura vita, per *sinistram* præsens prosperitas, per *regnum cœlorum*, quod varias habet significationes, præsens et futura Ecclesia potest designari. Dicit mater filiorum Zebedæi, dicit et Ecclesia ad Christum, mater filiorum Dei: *Dic*, o Domine, *ut filii mei*, quos matre gratia tibi regeneravi et parturivi, *in regno tuo*, in præsenti videlicet Ecclesia, *sedeant ad sinistram tuam*, id est præsentis vitæ habeant prosperitatem et gloriam, et de sinistra, de temporali scilicet hac lætitia et gloria migrantes, *ad dexteram tuam* sedere facias, id est vitæ æternæ partem et societatem eis in regno tuo tribuas. Huic sententiæ concordat illud, ubi oramus *ut et temporalibus abundemus commodis*, hoc est *sinistra, et fulciamur æternis*, hoc est, *dextera.* Beati, qui de sinistra sic transferuntur ad dexteram, sed multo beatiores et Deo digniores, qui *ad sinistram* sedent, hoc est in præsenti vita quietem habere refugiunt, qui laboribus et ærumnis, voluntaria paupertate, juxta præceptum Domini, castigari eligunt, quia per hoc *ad dexteram* Dei sedebunt quandoque gloriosiores et sublimiores.

Job ille beatus aliquando ad sinistram sedebat, quando, tanquam rex præpotens et dives, bonis om-

nibus affluebat. Et cum talis esset ante flagellum Domini, ut de eo diceret quod non esset ei vir similis super terram, satis præmii a Domino in regno cœlorum consequi potuisset. Sed quia postmodum tentatus et probatus, ablatis filiis, perdita substantia, a planta pedis usque ad verticem ipse vulneratus, fidelissimus a Domino est inventus, major data est *ad dexteram* Dei corona vincenti, quam non vincenti. **454** Abstulit ei Dominus minus, ut daret majus, quia si *ad sinistram* cum gloria et prosperitate sedisset, minus præmium *ad dexteram* Christi in regno cœlorum accepisset.

Possumus etiam altiori sensu per *dexteram et sinistram* utrasque Dei et hominis Jesu Christi naturas accipere, in *dextera* divinam, in *sinistra* humanam. De qua utraque natura loquitur sponsa in Canticis dicens : *Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me* (*Cant.* II, 6). Ac si dicat : Si tota intentione mea, quod est caput meum, opera Domini mei Jesu Christi, quæ in humana natura fecit, consideravero, et corde fideli tenuero, *dextera illius*, sancta videlicet Divinitas ejus, quandoque ita amplexabitur me, ut nunquam patiatur me separari a se.

De hac *dextera et sinistra* Salomon ait : *In dextera ejus longitudo dierum et in sinistra divitiæ et gloria* (*Prov.* III, 16). Longitudo dierum est in *dextera* ejus, quia in divina natura nullam mutabilitatem recipit, sed semper idem esse habet. Vel sic in *dextera* ejus longitudo dierum, quia de lumine divinitatis suæ illuminat suos fideles bonis sensibus, sanctis desideriis, et voluntatibus et laudabilibus operibus. Quæ dona sua licet per partes electis suis nunc, ut vult, distribuat, plenius et perfectius discedentibus hujus mortalitatis tenebris donabit. Corpus enim, quod corrumpitur, aggravat animam, nullusque tantæ sanctitatis esse potest, qui sic sensus suos colligere, qui sic cogitationum suarum custodiam tenere, qui sic bona operari, quemadmodum oporteret, possit. Sed cum ad longitudinem dierum, id est ad contemplandum lumen divinitatis ejus pervenerimus, sic illuminabimur, ut totum, quod vivimus, in lumine sanctitatis vivamus. Si sic *in dextera ejus longitudo dierum*, dic, obsecro, quomodo in *sinistra ejus divitiæ et gloria*, qui nec passum pedis habebat, qui nec habuit, ubi caput suum reclinaret, qui triginta et eo amplius annos tanquam pauper et mendicus in hoc mundo erat. Si attendas, quales istæ divitiæ sint et gloria, vero omnino esse intelliges quod audis. Diximus per *sinistram* humanitatem Christi figurari. In hac sacra humanitate *divitiæ et gloria* **455** erant, quia sanctæ animæ illius, et sancto homini illi, quem assumpserat, omnes divitiæ sanctarum omnium virtutum insitæ erant, ut bene de illo possit dici : *Gloria et divitiæ in domo ejus* (*Psal.* CXI, 3). Et bene additur divitiis *gloria*, quia licet in prædicando laboraverit, fatigationes multas in vigiliis, in jejuniis, in tentationibus, in lacrymis sustinuerit, omnia hæc non profuerunt, quia adhuc animæ eo vivente ad in- A feros descenderunt, donec in cruce levatus de diabolo glorisissime triumphavit. De hac gloria Paulus ait : *Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi !* (*Gal.* VI, 14.) Hoc ergo intelligi valet de *dextera* et *sinistra* Christi.

Orat ergo sancta Ecclesia sive unaquæque anima, ut ad hanc *dexteram* et *sinistram sedere* mereatur, ut et divinam et humanam naturam acutius considerare et perscrutari digna inveniatur; sive ut in *sinistra*, sicut diximus, habeat prosperitatem et requiem, et in *dextera* Dei, quod est futura vita, æternam mereatur percipere beatitudinem. Sequitur :

Respondens Jesus dicit : Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum ? Hæc verba aliquid sonare videntur increpationis. Sed non B sunt verba increpativa, sed verba salutis, plena dulcedinis, et nostræ exhortationis. *Nescitis*, inquit, *quid petatis*. Nihil verius. Nam cum ad orationem venimus, ubi saluti nostræ necessaria petere debemus, in tantam plerumque vagationem et errorem ducimur, ut nec ipsi sciamus quid petamus. Nihil est enim unde magis impugnemur, sive a mundo, sive a diabolo, aut a propria carne, quam quod mens nostra, quæ tota serena esse deberet hora orationis, sic a se per inutilium cogitationum phantasmata aliena efficitur, ut nec aliquando ipsa sciat vel intelligat verba suæ petitionis. Vult ergo Dominus filios suos scienter petere, quia si sunt scienter petentes, fiunt etiam potentes ad bibendum calicem Domini. Si C scitis, inquit, quid petatis, *potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum*. Per *calicem* intelligitur passio Christi. Quare passus est Christus? Ideo passus est, ut nos reconciliaret Deo Patri. Et non incongrue **456** per passionem Christi, qua nos reduxit in gratiam Dei, dilectio proximi accipitur, quia per mediantem dilectionem proximi pertingitur ad dilectionem Dei. Sed et per calicem, in quo figura vini ad altare offertur, sanguis Domini nostri Jesu Christi accipitur, per quod sancta Ecclesia, sive unaquæque anima, in remissionem peccatorum suorum potatur et reficitur. Ad quem digne tunc accedit, si dilectionem Dei et proxime habere studuerit.

Interrogati, id est, excitati electi ad dilectionem Dei et proximi, quod est *bibere calicem* Domini, bene D dicunt, *possumus*, quia ipse est qui dat eis possibilitatem, ut bonum quem erga Deum et proximum habent affectum perducere possint in effectum. Qui si in humilitate accedunt et adorant, si scienter petunt, si calicem Domini bibere possunt, hoc est dilectionem Dei et proximi habuerint, bonum responsum a bono magistro audiunt :

Calicem, inquit, *meum bibetis ; sedere autem ad dexteram vel sinistram meam non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo*. Ac si dicat : Quia ad salutem vestram accessistis, in humilitate vera me adoratis, quia scienter petitis, dilectionem Dei et proximi habentes, digna satisfactione coram me diluistis quod in proximo vestro deliquistis, jam *calicem meum bibetis*, corpori et sanguini meo licen-

per communicare potestis, mea possibilitate bonum A affectum perducere potestis in effectum, *sedere autem ad dexteram vel sinistram meam non est meum vobis dare. Ad dexteram autem meam sedere* est divinitatis meæ magnitudinem considerare; *ad sinistram meam sedere* est infantiles necessitates humanitatis meæ considerare, quomodo ego, qui immensus sum et incomprehensibilis, Creator omnium rerum in divinitate mea, in præsepio reclinari, in sinu matris foveri, lacte nutriri, balneari, gestari, aliaque, quæ assumpta humanitas exposcebat, usque ad mortem velle experiri, illa, inquam, omnia vos considerare, in quantum petitis et vultis, *non est meum vobis dare*, nisi magna præparatione cordis vestri a Patre meo desuper missa nos paraveritis; et tamen licet magno apparatu cordis vestri quæratis, **457** ut omnia mea, B et quæ de me sunt, perpendere et intueri ac dulciter in dulcedine animæ vestræ inde jucundari velitis, hic perfecte fieri non potest; dulcedo mea, ad quam suspiratis, quam desideratis, perfecte et pleniter hic non valet possideri. Ut autem hic, quantum fas est, in præsenti et in futura vita cum plenitudine hoc, quod quærimus, possideamus, multimodis virtutum ornamentis nos præparare debemus, quemadmodum Salomon nos admonet dicens: *Fili, accedens ad servitutem Dei sta in timore, et præpara animam tuam ad tentationem* (*Eccli.* II, 1).

Omnis illa exterior præparatio sacerdotis ad altare est exhortatio nostra, quibusnam paraturis cor nostrum debeamus exornare. Unaquæque enim anima sacerdotis officio fungitur, si invisibiliter C imitatur quod ibi visibiliter agitur. Induitur sacerdos alba. Induere et nos debemus alba veste, munditia et castitate corporis et animæ, ablata peccatorum et vitiorum nigredine. Stringitur sacerdos zona. Et nos stringi debemus sub obedientiæ jugo, ut mala libertate resolvi non optemus, sed sub proposito, quod professi sumus, usque ad mortem fortiter stringi et teneri cupiamus. Superinduit sacerdos casulam. Et nos latum illud mandatum nimis, geminam scilicet dilectionem Dei et proximi, ante omnes virtutes tanquam eminentiorem et excellentiorem superinduere oportet.

Item alio modo potest intelligi quod ait: *Calicem quidem meum bibetis; sedere autem ad dexteram meam* D *vel sinistram non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo.* Vos, inquit, apostoli mei, qui me omnia relinquendo secuti estis, *calicem meum bibetis*, id est passionis meæ imitatores eritis; *sedere autem ad dexteram et sinistram meam non est meum vobis dare*, quia præsentis vitæ **458** prospera, quod est *sinistra*, et futura bona, quod est *dextera*, insimul habere non potestis, neque debetis. Venient illi, *quibus paratum est hoc a Patre meo*, quia vobis per persecutorum manus occisis, et *ad dexteram meam*, ad requiem videlicet sempiternam translatis, erunt in Ecclesia mea illi fideles, qui *ad dexteram et sinistram meam* sedebunt, qui præsentia et futura bona in regno meo possidebunt.

Certe beatus Silvester, Gregorius, Martinus aliique confessores quasi *ad dexteram et sinistram* Domini sedebant, quia licet occulto martyrio seipsos quotidie Domino immolarent, tamen tempora eorum tempora erant pacis et prosperitatis, dissimilia temporibus apostolorum et martyrum, quando persecutio talis erat, ut nullus nomen Christi aperte confiteretur, quin statim morti traderetur. Et illi beati confessores de *sinistra*, id est de temporali quiete, *ad dexteram*, id est ad futuram beatitudinem transierunt, quia hoc illis *paratum* erat *a Patre*. Apostoli vero et martyres in regno Dei, in præsenti scilicet vita, multa mala sustinuerunt, et futura bona sine fine permanentia invenerunt.

Hæc de evangelica lectione, quantum donante Deo potuimus, breviter perstrinximus, quæ bene de tanto viro, in cujus corde tanta erat dulcedo, leguntur, per quæ et nos admoniti proficere studeamus, ipsum sanctum Dei apostolum Jacobum sedulo implorantes, ut illud summum bonum dulcedinis Christi, quod hic gustare cœpit et in plenitudine jam accepit, nos hic et in futuro participari mereamur per ipsum sponsum Ecclesiæ Jesum Christum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

459 HOMILIA LXII.

IN FESTUM S. LAURENTII MARTYRIS PRIMA.

Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet (*Joan.* XII).

Verba istius sancti Evangelii de illo sermone dicta sunt, quem ante passionem suam Dominus Jesus locutus est turbis quando gentiles quidam, qui Jerosolymis venerant, ut adorarent in die festo, accesserunt ad sanctum Philippum et rogaverunt eum dicentes: *Domine, volumus Jesum videre*, et Philippus dixit Andreæ, et rursum Philippus et Andreas dixerunt Jesu. Tunc ipsum hunc sermonem ita exorsus ait: *Venit hora, ut clarificetur Filius hominis.* Et continuo subjunxit: *Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet.* In his verbis hujus sacræ lectionis evangelicæ Dominus Jesus mystice præsignavit gloriam passionis ac mortis suæ; prædixit etiam qualis passionem suam fructus per universum mundum esset secuturus. In hoc ipso quoque Evangelio manifestare dignatus est quæ gloria, quantæ dignitatis præmium eos consequi deberet, quicunque recta fide et digna conversatione passionis ejus imitatores existere vellent.

Nisi granum, inquit, *frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Granum frumenti* ipse Dei Filius valet intelligi; quia ille est pabulum quo angeli in cœlis pascuntur, et quo sanctorum animæ in hac adhuc peregrinatione constitutæ sustentatur. Et sicut in dulcedine divinitatis suæ invisibilis cibus est sanctarum animarum, ita nihilominus per ejusdem divinæ majestatis potentiam recreator est et sustentator corporum. Nam ex

quo est nisi de divinitatis ejus potentia, quod terra profert fructum, sine **460** quo vivere non valent corpora? Si ergo in dulcedine sua permansisset, nec nobis miserabiliter lapsis, ipse quoque cadendo in terram subvenisset, nil nobis profuisset divinitas ejus, ad quam per originale peccatum inimicitiarum pariete interposito pertingere non potuimus. Et quia Filii Dei non erat justitia, ut nos voluntarie lapsos tantummodo divinitatis repararet potentia, ipse condescendit nobis, humiliavit se usque ad assumptionem nostri corporis, *cecidit in terram*, id est in uterum intemeratæ et perpetuæ Virginis.

Sed quia nihil nobis nasci profuit, nisi redimi profuisset, recte subinfertur, *mortuum fuerit.* Sicut ante incarnationem Filii per quinque millia annos (62-3) nullus alicui hominum ingressus vitæ patuit, ita nihilominus per totos illos triginta tres annos, quibus in terra cum hominibus Deus et homo conversatus est, nulli animæ januam vitæ ingredi licuit. Ut ergo perfectum esset opus redemptionis nostræ, ipse, qui humanam nostri causa formam assumpsit, in eadem humanitate per passionem in morte occubuit. Tunc nimirum, quando in cruce animam suam in manus Patris tradidit, et lancea latus ejus miles aperuit, statim aperta est janua vitæ, et sic aperta constat, ut omnes ab illo die usque in finem sæculi dignis conversationibus per illam intrare volentes suscipiat. *Nisi granum* hoc *frumenti*, ita, ut diximus, *cadens in terram mortuum* fuisset, *solum* profecto remansisset, id est nisi Filius Dei filius hominis factus, animam suam in mortem tradidisset, nullus homini ad eum esset accessus, ipse lucem habitaret inaccessibilem solus.

461 Sed cur ille solus dicitur remanere, qui humana cohabitatione non indiget, et ipse sibi ipsi gaudium æternum est? Si ergo nos non creasset, et postea a se exsulantes factus homo iterum non redemisset, nullum hoc esset detrimentum gloriæ suæ, quam non de nostra communione, sed de propria habet æternitate. Non enim ob hoc nos creando et redimendo cohæredes suos esse voluit, quod ipse aliquid beatitudinis, aut gloriæ augmentum caperet de nostro consortio, sed ut nos ei conjuncti beati et gloriosi essemus de illo. Neque enim ob ingenitæ pietatis dulcedinem ferre potuit, ut ipse solus gaudium suum esset, nisi et illos haberet, quos gaudii sui participes faceret, et qui in illo gaudio, quod ipse est, gaudere possent. Ut ergo hoc fieret, nobile istud *granum frumenti in terram cecidit*, id est Filius Dei, qui angelos in cœlo pascit, fideles in terra reficit, carnem assumendo seipsum exinanivit. Sed quid? In hoc suffecit? Minime. *Solus* adhuc remansisset, nisi et mortuus pro nobis fuisset. In hoc enim quod mortem subire non renuit, hæc quæ subsequuntur implevit.

Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Quantus per mortem illius in tota mundi latitudine

A excreverit fructus, jam per Dei gratiam luce clarius intueri valemus. Attendamus primum apostolos et primitivam Ecclesiam, quæ per ipsos fundata est, quantus exstiterit in eis fructus, deinde quantum granum istud fructificaverit in martyribus et postea in confessoribus. Adhuc etiam usque in finem sæculi multiplicem afferre fructum non desinit. Nam a principio Ecclesiæ nunquam ullo tempore, sicut modo nostris temporibus, tam innumerabilis multitudo utriusque sexus per angustam intrare portam contendit.

Non incongrue Evangelium istud beato Laurentio, cujus hodie natalitia celebramus, legitur. Nam ipse quoque *granum* illud erat, quod *mortuum multum fructum attulit*, quia dum pro Christo mortem corporis pertulit, plurimos a morte animæ liberatos B Creatori suo restituit. Ipse enim magnus cœlestis aulæ archisenatorum unus nobili triumpho æternæ dignitatis gloriam est adeptus. Sicut enim potentissimus aliquis princeps aliis arma illius præferentibus, aliis autem **462** militibus subsequentibus aulam regis ingreditur, sic beatus Laurentius palatium æterni imperatoris ingressus dignoscitur. Miles, qui eum ad cœlestem curiam præcessit, Romanus fuit, subsequentes vero milites principem suum Hippolytus cum sociis suis exstitit. Hæc per excessum diximus, nunc ipsa sancti Evangelii verba, quæ ad caput, id est ad Christum retulimus, quomodo etiam membris aptari possint, videamus.

C *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet.* Per *granum frumenti* ex comparatione aliqua homo valet intelligi, quia granum antequam ad maturitatem perveniat, antequam in panis firmamentum præparetur, multis sudoribus laboratur. Sic immensis laboribus desudatur, antequam infantiles vincat necessitates, antequam in virilem ætatem proficiat homo, qui tandiu in præsenti sæculo moratur. Dicamus nunc per singula, qualiter ad plenum usum perveniat grani natura. In primis quidem ager multo labore excolitur, ut grani semini aptetur deinde semen in exaratam terram spargitur, in qua per totam longam hiemem jacet et putrescit, supervenientes tempestatum turbines, et hiemalem glaciem suscipit. Verno post hæc tempore vix parD vissimum germen emittit, et ab herba tantummodo tenerrima incipit, deinde paulatim de die in diem crescit, postea æstivo tempore maturescit, aristas producit. Subinde cum ad plenam maturitatem pervenerit, non minimo labore metitur, in horreum congregatur, in aream ad trituram deponitur, deinde in mola confringitur, postremo in clibanum mittitur, in quo nonnunquam omnis labor adhibitus inanis efficitur.

Ad similitudinem igitur grani homo in utero matris per singula paulatim membra formatur; postea dum natus in mundum fuerit, longum tempus, et immensus labor expenditur, antequam infantiles devincat necessitates, antequam ad loquen-

(62-3) Ita codex

dum, et ad incedendum informetur. Deinde cum in virilem ætatem profecerit, quantas tribulationum et tentationum angustias perferat, quemadmodum granum turbines et tempestates, ipse homo magis experimento scire potest quam documento. Sed, heu! sicut granum, postquam in panis usum formatur et **463** perficitur, cum in clibanum mittitur, nonnunquam omnis præcedens hominum labor cassatur, sic in homine, tantis laboribus a die nativitatis suæ nutrito et erudito, si in contrariam se partem verterit, omnis, adhibita ei diligentia perditur et annihilatur. Si autem Deo adjuvante dies vitæ sibi concessos non inutiliter transire, et sobrie, juste et pie in hoc sæculo vivere studuerit, nihil super terram in omni creatura Dei nobilitati ejus et gloriæ comparari valebit.

Et quia nullus homo, qui aliquandiu in hoc mundo immoratus est, ab aliquo peccati casu immunis esse potest, recte subjungitur, *cadens in terram*. Ille homo *cadit in terram*, qui in terrenæ voluntatis seu actionis ceciderit culpam. Nemo, ut diximus, hujusmodi casus expers esse poterit, nisi quem Dominus brachio virtutis suæ sustentaverit. Cum autem in peccati præcipitium quis lapsus fuerit, hoc quod subinfertur, *mortuum fuerit*, in unoquoque salvando consequens erit. Salubriter namque moritur homo quilibet, si causas lapsus sui, terrenas videlicet illecebras et carnales concupiscentias, ab anima sua penitus abstrahat et mortificet. De beata hac morte Paulum apostolum novimus dixisse: *Qui mortuus est, justificatus est a peccatis* (*Rom*. VI, 7). Si enim de communi morte carnis hoc dixisset, quo veritatis testimonio hoc probare posset, cum multi moriantur impii, qui tamen post mortem non justificentur, imo magis pro peccatis, quæ commiserunt, pro quibus Deo in hoc mundo satisfacere neglexerunt, condemnentur. Illam potius mortem beatus Apostolus designavit, qua electi post casum suum mori peccatis, in quibus lapsi sunt, desiderant, ut Deo et justitiæ vivant. Quisquis autem beatem hanc mortem subire neglexerit, illi procul dubio quod sequitur eveniet.

Ipsum solum manet. *Solus* itaque remanebit, qui peccatis mori noluerit, quia eum hic divinæ visitationis non comitabitur gratia, quam a se sua exclusit negligentia. *Solus* etiam in futuro sæculo remanebit, si eum mors ita viventem in peccatis repente invenerit, quia particeps æternæ vitæ non erit, eo quod in hoc mundo pretiosa in conspectu Domini morte occumbere noluit. Cum autem qui peccatis mori et justitiæ vivere **464** studuerit, quæ gratia subsequatur, patenter hic ostenditur:

Si autem mortuum fuerit,] *multum fructum affert*. Qualem ergo fructum feliciter peccatis moriens afferat, apostolus Paulus insinuat: *Fructus*, ait, *spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas* (*Gal*. V, 22). Talem igitur fructum exhibet in semetipso, in aliis etiam hominibus fructificat Deo, quia qui ejusmodi est divina dispensatione

A nonnunquam præficitur, ut et cæteri verbo et exemplo ejus ædificentur. Sequitur:

Qui amat animam suam, perdet eam. Simpliciter hæc si volumus intelligere, ita possumus, quod, si necessitas incumbat, etiam animam pro Deo in mortem dare quisque debeat. Quam si male amaverit, ita ut, ingruente persecutione, negare Deum potius quam eam pro illo dare malit, profecto *perdet*, quia eam æternæ mortis periculo subjacere facit. Secundum priorem autem moralem sensum, quem exposuimus, ille *animam suam amare* dicitur, qui eam a carnali voluptate, et ab illicitis quibusque cogitationibus abstrahere dissimulat, sed cum noxia quæque irrepserint, ea remissa securitate et inerti oblectatione suscipere non recusat. Ille nimirum *eam perdet*, quia, cum his quæ diximus longum tempus B inutiliter expenderit, et postea in se regressus, nefas suum et negligentias perhorrescere incipit, alios etiam circa se aspiciens, qui in custodia cordis sui permanserunt, in quanto consistunt fervore spiritus, qualiter in orationibus suis experiri merentur quam suavis est Dominus, ipse quoque arentis animi languorem atque hebetudinem stolidæ mentis fugare nititur; sed præcedenti obsistente incuria nil ei de suavitate spiritus sentire præstatur. Sequitur:

Et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Qui est qui animam suam odire dicitur nisi ille, qui sibi ipsi in omnibus suis C delectationibus malis violentus est, et nunquam noxias in se cogitationes morari patitur? *In hoc mundo*, inquit. Quid sit mundus, in Epistola sua Joannes insinuat, in qua ait: *Omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ* (*I Joan*. II, 16). Quisquis ergo animam **465** suam sic odio habet, ut hujus trifariæ delectationis mala ab ea amputet, scilicet ut carnis concupiscentiam devitet, et oculos suos avertat, ne tale quid videant, quod mentis puritatem perturbet et omnem superbiam intus et exterius præcaveat, ille *eam* ad hoc *custodit*, ut *vitam æternam*, id est Christum per excessum mentis in tempore orationis dulciter contemplari valeat.

Et notandum quod in præcedenti versu futurum D tempus ponitur, id est *perdet;* hic autem dicitur *custodit*, quod est præsentis temporis. Ille enim, qui totam noctem vel diem vanis quibusque rebus animam suam occupat, postea *eam perdet*, quando in se reversus, illam ad divinæ contemplationis dulcedinem paratam habere vellet. Ipse autem, qui jugiter in custodia cordis sui positus animam suam per inanes præsentium rerum voluptates vagari non patitur, præsentem semper habet materiam, per quam internæ dulcedinis gratiam consequatur. Ne alicui autem difficile vel durum videatur, ut in tali se custodia jugiter contineat, ad imitationem Christi quam ipse nobis in consequentibus proponit, placidam semper cordis sui charitatem extendat. Ait enim:

Qui mihi ministrat, me sequatur. At si dicat : Quisquis mihi pervigili cordis sui circumspectione ministrare deliberat, ne hoc, quasi non valeat perficere, perhorrescat, *me sequatur*, id est me Salvatorem suum oculis cordis sui præponat, et quomodo ego in hoc mundo conversatus sum, ita et ipse, quantum valet, conversari studeat. Sed fortasse aliquis dicat : Ego terra et cinis qui carnem porto, quam semper spiritui repugnantem sentio, quomodo ad hoc proficere valeo, ut eum imitari possim qui Deus est et homo ? Sic anxius, et tamen devotus in bono, verba consolationis audiat a Domino : Laboriosum est quidem, ait, sicut dicis, ut meo exemplo semper in custodia vitæ permaneas ; sed audi immensæ dignitatis quod propono præmium. In cujus consideratione et recompensatione meum etiam, quamvis arduum et difficile, non perhorrescas exemplum :

Et ubi ego sum, inquit, *illic et minister meus erit.* Per hoc *ego*, quod demonstrativum verbum est, humanitas **466** Christi, quæ localis fuit et palpabilis valet intelligi ; per *sum*, quod est præsentis temporis divinitas ejus potest designari, cui nihil est futurum vel præteritum, sed cui omnia præsentia assistunt, sive quæ fuerunt, vel quæ post futura sunt. Unde ipse Moysi nomen ejus inquirenti divinitatem suam designans ait : *Ego sum, qui sum. Et sic dices filiis Israel : Qui est misit me ad vos* (*Exod.* III, 14). O quale et quantæ suavitatis præmium Dominus promittit ! *Et ubi ego sum*, ait *illic et minister meus erit.* Ac si dicat : Sic ministerium suum unicuique imitatori meo rependam, quod eum divinitatis et humanitatis meæ dulcedinem gustare faciam, et quem hic per internæ aspirationis gratiam visito, in futuro etiam ejusdem Divinitatis et humanitatis meæ gloria satiabo. Sequitur :

Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus, qui est in cœlis. Quando ergo Deus Pater ministrum Filii sui honorificabit, nisi cum in generali resurrectione corpus, quod nunc in terra putrescit, mirabiliter et ineffabiliter glorificabit? *Si quis mihi*, inquit, *ministraverit*, id est quisquis in ministerio meo usque ad finem vitæ perseveraverit, *honorificabit eum Pater meus, qui est in cœlis.* Recte dicitur, *honorificabit*, quia corpus, quod nunc est corruptibile, æternam in futuro induet incorruptionem, et sic ab anima recipitur, quod nunquam, sicut nunc, adversus eam concupiscat, sed perpetuæ pacis firmamentum inter eos in æternum permaneat. Si ergo tale, quale nunc portamus, Dominus restitueret, nullum nobis gaudium, imo magis luctum, ejus receptio conferre posset. Nunc autem credimus, et verum scimus, quia corpus humilitatis nostræ configurabit corpori claritatis suæ ; et inde ejus resumptionem animæ suspirant, quod sic honorificandum non ignorant. Hunc honorem beatum Paulum significasse putamus, cum dixit : *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra, ut abstineatis vos a fornicatione, ut sciat unusquisque vestrum suum* A *vas possidere in sanctificatione et honore* (*I Thess.* IV, 4). Vas nostrum corpus nostrum est. Hoc utique *in sanctificatione et honore* quandoque possidebimus, si in hoc mundo sanctimoniam vitæ et munditiam corporis et animæ **467** custodire studeamus. Hæc de Evangelio, ut Dominus dare dignatus est, tractavimus, nunc autem, quæ exposuimus, breviter quibusdam verbis notare curemus

Quatuor namque membris Evangelium hoc distinguitur, duo et duo versiculi usque ad ultimum, qui superest, convenire videntur. Primum membrum est, *nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet ; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert* ; in quo notari B potest carnis mortificatio. Secundum, *qui amat animam suam, perdet eam, et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam ;* in quo intelligi valet cordis circumspectio. Tertium, *qui mihi ministrat, me sequatur, et ubi ego sum, illic et minister meus erit ;* in quo designatur animarum remuneratio. Quartum subinde membrum est, *si quis mihi ministraverit, honorificabit illum Pater meus, qui est in cœlis ;* in quo figurate intelligitur corporum glorificatio.

Ad *ipsum* nunc precibus convertamur, qui *granum frumenti cadens in terram*, id est Filius Dei, filius hominis factus, mori voluit, ut multum fructum afferret, ut suo scilicet corpore acquireret, quibus C glorificationem corporis conferre posset, quatenus suæ pietatis largitate nobis concedat, sic in præsenti sæculo carnem cum vitiis et concupiscentiis mortificare, sic in cordis custodia **468** semper permanere, ut verba, quæ in præsenti festo beati Laurentii ex persona illius cantamus, in fine nostro et ipsi cum fiducia dicere possimus : *In craticula te Deum non negavi, et ad ignem applicatus te, Christe, confessus sum.* Craticula corpus nostrum est, in qua misera anima diversos tentationum ignes patitur. Nam etsi Decius mortuus est, qui in materiali craticula imaginario igne Laurentium exuri fecit, sed diabolus vivit, qui ad hoc nefas tyranni mentem incitavit. Ipse per suos carnifices, id est inmundos spiritus, subter cratem nostram, corpus D nostrum videlicet, diversarum passionum et tribulationum carbones ministrare non desinit. Quos si homo rore compunctionis jugiter in suo corde exstinguere curaverit, cum omni securitate in exitu suo decantare poterit : *In craticula te Deum non negavi.* In craticula Deum non negat, et ad ignem applicatus Dominum Jesum Christum confitetur, qui suggerente diabolo, igne pravæ delectationis exuri non acquiescit, et si aliquando consensit, hoc ante mortem digna pœnitentiæ satisfactione Deo emendare non negligit. Hic, inquam, ista verba in fine certaminis sui cum gaudio decantabit ; quæ ut et nos tunc possimus dicere, ipse præstare dignetur, qui est auctor totius salutis nostræ Dominus noster Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu

sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LXIII.

IN VIGILIAM ASSUMPTIONIS B. MARIÆ VIRGINIS PRIMA.

Sapientia ædificavit sibi domum (*Prov.* IX).

Quia gloriosam beatissimæ Virginis Mariæ assumptionem celebraturi sumus dignum est, ut de laude ejus, prout poterimus, aliquid loqui curemus Quod enim eadem hæc Virgo sanctitatis ac dignitatis merito omnes homines præcelleret, multis in locis sancta Scriptura præsignavit, quæ eam antequam nasceretur, qualis et quam sublimis futura esset sæpe prænotavit. Hinc etiam Salomon sapientissimus, de cujus genere ipsa erat nascitura, sicut multis eam testimoniis extulit, ita et in Proverbiis suis gratiam, quam cum illa et per illam universo mundo Deus operatus est, his verbis prætulit : *Sapientia ædificavit sibi domum.*

Æternali Dei Patris *Sapientia*, suaviter disponens omnia *domum sibi ædificavit*, **469** quando virginalem beatæ Mariæ aulam ad habitandum consecravit. Cum enim quis voluerit domum ædificare primum si quid in ligno seu in lapide superfluum et minus aptum videt, abscindit, et planat, ut in junctura structuræ ordinate coaptari valeat. Sic nimirum sapientissimus ille architectus, Pater æternus, cum Filio suo hanc eminentissimam *domum* præparavit, omnem originalis (64) et actualis peccati contagionem penitus de illa abscidit, ita videlicet, ut nullam vel levem maculam in se haberet, sed tota munda, tota sancta, Regi cœlorum ad habitandum aptissima esset. *Domus* ergo hæc tantopere præparata, qua virtutum sustentata fuerit eminentia, verba insinuant sequentia :

Excidit columnas septem. Septenarius numerus, qui ex quatuor constat et tribus, specialia quædam virtutum merita nobis hoc in loco commendat, quibus septiformis Spiritus sancti gratia dominam nostram Mariam undique præmunierat quia videlicet fides sanctæ Trinitatis pleniter in ea operabatur quatuor cardinales virtutes, fortitudinem, temperantiam, prudentiam atque justitiam. Fortis revera beata Maria fuit in castitatis proposito, quæ nunquam per peccati maculam pollui permisit corpus suum vel animam. Videamus etiam quam temperans fuerit in silentio quia profecto cum Gabriel archangelus legationem illam in secreto cœlorum divinitus dictatam ei detulisset : *Ave*, inquiens, *gratia plena, Dominus tecum* (*Luc.* I, 28). Non procax aut festina fuit statim ad respondendum, sed diu deliberans in animo *cogitabat qualis esset ista salutatio* (*ibid.*, 29). Et quia fortis in castitatis proposito et temperans erat in silentio, prudens quoque fuit in responso. Denique cum idem angelus insolitæ salutationis ordinem pandisset et causam : *Ecce*, inquiens, *concipies et paries filium*, ipsa prudenti inquirit interrogatione quo pacto id fieri possit vel qua ratione : *Quomodo*, ait, *fiet istud, quoniam vi-*

(64) Vide Dissert. præviam.

A *rum non cognosco?* Sciebat namque firmissimum suæ integritatis esse propositum, et ideo mirabatur hujus conceptionis eventum. Quia ergo in silentio temperantiam, in responso habuit prudentiam, in vera humilitate perfectam exhibuit justitiam.

470 Nam cum audisset quod ipsum Altissimi Filium per obumbrationem desuper venientis Spiritus sancti paritura esset, humillima Virgo humiliter respondit : *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum* (*ibid.*, 38). Et alibi : *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ* (*ibid.*, 48). Ac si diceret : Nullius meriti mihi conscia sum ad tantam dignationem, nisi quod *respexit Deus humilitatem ancillæ suæ*. Unde et in Canticis canticorum dicitur : *Cum esset rex in accubitu suo nardus mea dedit*
B *odorem suum* (*Cant.* I, 11). Est nardus humilis herba, sed suaveolens, cui congrue humilitas sanctæ Virginis comparatur, quæ tam amabilem suavitatis fragrantiam in cœlesti palatio respersit, ut ipse Dei Filius hujusmodi odore delectatus, de sinu Patris in uterum ejus descenderet, et humanæ carnis substantiam de illa acciperet. Hæc est domus sapientiæ divinitus ædificata et septem columnis subnixa et excellenter ornata.

Si etiam *septem columnas* ad ipsum Christum retulerimus, septem dona Spiritus sancti, qui in eo corporaliter requievit, per eas non immerito significari cognoscimus, quæ scilicet de monte æternitatis, de sublimitate Trinitatis excidit et humanitati suæ divisit. Sic enim de ipso flore nobili, qui
C de virga Jesse processit, Isaias propheta prædixit : *Et requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis; et replebit eum spiritus timoris Domini* (*Isai.* XI, 2). *Spiritus timoris Domini* eum replevit quia nemo eum unquam vidit nisi in timore sancto, quo se Deo Patri in humanitate sua humiliter subjecit. Requievit in eo *spiritus pietatis* quia quidquid faciebat, quidquid docebat, totum ad pietatem, totum ad dulcedinis gratiam respiciebat. Quid memorem *spiritum sapientiæ et scientiæ* in illo habitasse, cum ipse Dominus scientiarum fuerit, in quo omnes thesauri sapientiæ sunt absconditi? In *spiritu fortitudinis* superavit tenta-
D tiones, quas propter nos sustinuit, et ad extremum ipsam passionis ignominiam glorioso mortis trophæo fortiter devicit. *Spiritu consilii* peccatores ad pœnitentiam vocavit, quibus **471** per pietatis ac clementiæ sententiam consilium dans ait : *Pœnitentiam agite; appropinquavit enim regnum cœlorum* (*Matth.* IV, 17). *Spiritum intellectus* se habere in resurrectione sua potenter innotuit, cum discipulis suis sensum aperuit, ut intelligerent Scripturas. Sequitur :

Immolavit victimas suas, miscuit vinum et proposuit mensam suam. Christus profecto *victimas suas immolavit*, quando in ara crucis seipsum victimam salutarem, hostiam vivam, Deo Patri placitam in

odorem suavitatis obtulit, de cujus revera immolatione victimæ tanta virtus excrevit, ut quoties modo immolatur ad sacrosanctum altare, peccatorum veniam tribuat et regnum cœlorum aperiat. *Miscuit vinum*, cum antiquæ legis severitatem in evangelicæ gratiæ convertit lenitatem. Sicut enim vinum aliquando cum aqua miscetur, ut ad potandum levius efficiatur, ita et is qui olim in veteri lege oculum pro oculo, manum pro manu, dentem pro dente reddi jussit, in Evangelio debita debitoribus donari præcepit. *Miscuit* etiam *vinum* quia resurgens a mortuis discipulos suos in omnes gentes misit, qui ne in viam gentium abirent, ante eos prohibuit. *Euntes*, inquit, *in omnes gentes, baptizate eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII, 19). Quando vero *mensam suam proposuit*, nisi cum in B ascensione sua, **472** corpora, ipso resurgente resuscitata ad cœlos secum vexit? Nam cum is qui stans vel ambulans comedit, minus saturatur, sedens autem ad mensam pleniter et abundanter reficitur; sic nimirum ascendente Domino plena illis et abundans facta est refectio, quia cum ipso consederunt ad epulas cœlestis convivii, cum eo pariter in æternum regnaturi. Cum ergo Christus ad cœlos ascendisset et promissum Spiritum sanctum apostolis misisset, tunc factum est quod sequitur:

Misit ancillas suas, ut vocarent ad mœnia et ad arcem civitatis. Per *ancillas* sancti apostoli hoc in loco valent accipi, qui ante adventum sancti Spiritus fragiles erant et pavidi. An non beatus Petrus princeps apostolorum mollis et fragilis fuit quem unius ostiariæ C vox ad negandum Dominum emollivit? Sed post acceptam Spiritus sancti gratiam tantam ipse cæterique ejus coapostoli acceperunt fiduciam, ut ante reges et præsides nomen Jesu libere confiteri non timerent, imo et corpora sua pro ipso morti traderent. *Ut vocarent ad mœnia*, inquit, *et arcem civitatis.* Per *mœnia* activa designatur vita per *arcem* autem *civitatis* fastigium theoricæ contemplationis. *Ad mœnia* ergo *et ad arcem civitatis* sancti apostoli nos *vocaverunt*, quia activæ et contemplativæ vitæ stabilate sanctam Ecclesiam fundaverunt.

HOMILIA LXIV.

IN FESTUM ASSUMPTIONIS B. MARIÆ VIRGINIS PRIMA.

Intravit Jesus in quoddam castellum, et mulier quædam, Martha nomine, excepit illum in domum suam (*Luc.* X).

Intrans *castellum* præsentis sæculi duas in se naturas habuit Filius Dei, humanum videlicet et divinam, quæ etiam recte per has duas designantur sorores, *Martham* scilicet et *Mariam*. Per *Martham*, quæ *sollicita circa frequens ministerium* describitur, non incongrue assumpta humanitas omnipotentis Dei figurari potest; per *Mariam* vero, quæ *sedens secus pedes Domini audiebat verbum ejus*, divina ipsius natura designari valet.

Sed notandum est quod, cum de duabus sororibus in hac evangelica lectione sermo habitus sit, A cur evangelista nomen unius, quod est *Martha* describens, distincte continuo addiderit *mulier quædam*, nomen vero alterius, quod est *Maria*, simplici tantum sermone prænotaverit? *Mulier* siquidem nomen est infirmitatis quia Redemptor noster in humana natura, quam pro nobis assumpsit, infirmitatem nostram portavit. Sed divina ejus natura nulla infirmitatis **473** molestia, nulla unquam humanæ fragilitatis tangi vel tenuiter poterat miseria. Sed hæc *mulier*, natura scilicet humana Dei omnipotentis, non quælibet, sed *quædam*, id est singularis fuit quia omnis humana natura, quæ in Adam infirmari cœpit, infirma est, et semper erit in peccatis præter hanc solam, quæ revera *quædam*, ut diximus fuit, immunis nimirum ab omnibus peccatis, expers prorsus totius humanæ contagionis.

Hæc igitur *mulier quædam suscepit eum in domum suam*, in domum scilicet infirmitatis et miseriæ, quia pro nobis homo factus præter sola peccata omnem humanæ mortalitatis fragilitatem pati non est dedignatus. Et bene hæc eadem mulier *Martha* nominatur, quæ *irritans* vel *provocans* interpretatur, quia Redemptor noster, ut diximus, humanæ fragilitatis membris indutus frequenti ministerio, quod pro humana redemptione Deo Patri exhibuit, fortiter adversum se antiqui hostis iram provocavit, quem etiam usque ad mortem provocando morte propria postmodum prostravit.

Et huic erat soror, nomine Maria. Sorores esse dicuntur et sunt, quæ ab uno patre, vel ab una progenitæ sunt matre. Humana ergo et divina omnipotentis Dei natura sorores invicem quodammodo erant, quia utraque natura de Deo Patre est, humana natura a Deo Patre creata est, divina natura a Deo Patre in Christo (65) genita est. Recte etiam per *Mariam*, quæ *dominans* vel *dominatrix* in nostra resonat lingua, divina ejus intelligenda est natura, quia quamvis apparens in carne humiliando se usque ad mortem indigna quæque sustinuerit humanæ fragilitatis et miseriæ, divinitate tamen, qua Patri semper mansit et manet coæternus, tam cœlestibus dominabatur quam terrestribus. Sequitur:

Quæ etiam sedens secus pedes Domini audiebat verbum ejus. Sedere judicantis; stare vero est pugnantis. Per *pedes* autem *Domini*, quemadmodum sacræ D Scripturæ plerumque tradit auctoritas, universæ viæ Domini intelligendæ sunt, misericordia videlicet et veritas. *Secus* hos *pedes Domini* **474** divina tunc sedebat natura, quando æterni Patris Filius coæqualis, coæternus, coomnipotens cum eodem Patre judicabat omnia in misericordia et veritate, quia omnes salvandi per misericordiam salvantur, et omnes damnandi per veritatem judicantur. In hac æternitatis quiete, in hac coæqualis substantiæ sedens majestate *audiebat verbum Domini*, id est audiebat et obaudiebat Deo Patri, Verbum autem ejusdem Patris consilium fuit humanæ reparationis, quod ab initio mundi vera et æterna deliberavit divinitas, ut

(65) Id est Christus, qua Deus a Deo Patre est, scilicet Deus de Deo, etc.

videlicet pro reparando homine multa passurus homo Deus appareret in carne. Hoc *verbum*, hoc paternæ voluntatis consilium *audiebat*, delectabili videlicet devotionis affectu amplectens et desiderans, ut formam servi accipiens seipsum Deus exinaniret, hominique perdito per passionis et mortis ignominiam subveniret.

Sed inter hæc recurrendum est nobis ad nos intra nos, et sollicita consideratione ad oculos mentis revocandum, quantæ damnationis sit periculum, quod nos, qui utique terra et cinis sumus, pro commodo et utilitate propriæ salutis divinis obaudire præceptis contemnimus; cum ille, qui erat in sinu Patris, coæqualis in omnipotentia, indivisæ majestatis, nullam habens indigentiam, nullius indigens gratiæ, pro nostræ salutis dilectione æterno Patri non dedignatus est obaudire. Sed quoniam qualiter ad subveniendum nobis æterna se divinitas humiliando inclinaverit, audivimus dignum est, ut quanta benignitatis gratia humanitas ejus erga salutem nostram exstiterit sollicita, pie considerando advertamus. Nam sequitur sancta lectio.

Martha autem satagebat circa frequens ministerium. Circa frequens enim *ministerium Martha satagebat*, quia totum, quod divina voluntas pro reparando homine fieri disponebat, assumpta postmodum humanitas voluntarie perficiebat. *Satagebat* etiam *circa frequens ministerium*, cum debitæ satisfactionis obsequium, quod pro se homo debuit, ipse in corpore suo Deo Patri serviens humiliter persolvit. Libet adhuc in verbo hoc *satagebat* subtilioris sensus intelligentiam inquirere.

475 Nam in hoc quod dicit, *satagebat*, idem intelligere possumus, quasi diceret, *satis agebat*. Dominus etenim et Redemptor noster, si tantum pro nobis natus esset, si, inquam, in mundo bene tantummodo vixisset, bene docuisset; si etiam ipsam mortem sustinens ad inferos pro liberandis animabus non descendisset, vel etiam post resurrectionem et ascensionem promissum Patris Spiritum sanctum in corda fidelium non misisset, non utique satis egisset. Sed postquam hæc omnia, uti humanæ perditionis indigebat miseria, in humanitate complevit assumpta, cum, inquam, opus consummavit quod dedit sibi Pater ut faceret, jam tunc bene dici potuit quod *circa frequens ministerium Martha sategisset*, id est satis egisset.

Circa frequens etiam *ministerium* tunc Martha *satagebat*, quando in ultima cœna corpus suum, hostiam sanctam, viventem suis contradidit discipulis, *hoc est*, inquiens, *corpus meum; hoc facite in meam commemorationem, quotiescunque sumitis* (*Luc.* XXII, 19). Quod nimirum *ministerium* recte *frequens* dicitur, quia quoties hujus hostiæ commemoratio celebratur, opus nostræ redemptionis exercetur.

Non solum enim *ministerium* illud quod in diebus carnis suæ Deo Patri exhibuit, tunc temporis pro peccatis mundi intercessit, sed usque ad consummationem sæculi idem frequentatur *ministerium*, id est

A intercedere non desinit pro peccatis hominum. Nam ideo idem Filius Dei hostiam viventem se exhibuit Deo Patri, ut *ministerium* illud liberatis et liberandis *frequens* quodammodo esset, id est sicut tunc morte animæ mortuis vivificatio fuit veræ immortalitatis, sic quandiu præsens manet sæculum, mortui in peccatis per hoc vivificari valeant ministerium, hoc est quoties homo a via veritatis peccando erraverit, toties per hoc ministerium reconciliationem invenire possit. Ita ergo *circa frequens ministerium* Martha satagendo, quantum pro nobis serviendo laboraverit, quæ et quanta pro nobis sustinuerit, subsequens mox ratio aperte declarabit. Ait enim;

476 *Quæ stetit et ait.* Sicut superius diximus, sedere judicantis, *stare* vero est pugnantis. Venit Fi-B lius Dei in hunc mundum non ad sedendum vel quiescendum, sed ad standum, ad expugnandum videlicet fortem illum armatum, qui custodiebat atrium suum, et in pace erant quæ possidebat. *Stetit* ergo non quiescendi gratia, sed laboriosi certaminis aggressus prælia. Laboriose enim *stetit*, dum sputa, colaphos et flagella omnemque humanæ mortalitatis miseriam perseveranter sustinuit. Unde etiam cum usque ad mortem stando laborasset, etiam immenso certaminis pondere fatigatus sanguinei sudoris guttas desudasset, sancta ejus humanitas, quæ sola passa est, quasi derelictam se conquerens: *Domine*, inquit ad Patrem, *non est tibi curæ quod soror mea reliquit me solam ministrare? Non est tibi curæ* quod ego solus C sine peccato, auctor innocentiæ, tantam abjectione miseriam, tantam, tam multifariam passionis sustineo ignominiam? Pendens etiam in cruce, in ipso mortis positus articulo, clamans voce magna dicebat ad Patrem: *Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti?* (*Matth.* XXVII, 46.) Sicut enim hic quasi interrogando dixit: *Non est tibi curæ quod soror mea reliquit me solam ministrare?* Ita et illic interrogando quodammodo loquitur ad Patrem: *Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti? — Non est*, inquit, *tibi curæ, quod soror mea reliquit me solam ministrare? Soror mea*, id est divinitas mea, cum impassibilis et immortalis sit, quasi solum me ministrare reliquit. *Solum*, inquam, *me ministrare reliquit*, quia totum certaminis laborem, totum passio-D nis dolorem cum sola sustinui et sustineo humanitate.

Dic ergo illi ut me adjuvet. Tunc Filius æterni Patris adjutorium quæsivit divinitatis, cum, ut præfati sumus, factus in agonia oravit ad Patrem: *Pater*, inquit, *si possibile est, transeat a me calix iste* (*Matth.* XXVI, 39). *Si possibile est*, inquam, ut humani generis redemptio reparari possit sine passionis et mortis meæ pretio, *dic illi*, videlicet divinitati, *ut me adjuvet*, id est per divinæ majestatis potentiam imminentem passionis transfer a me miseriam.

477 *Et respondens dixit illi Dominus: Martha, Martha, sollicita es et turbaris erga plurima.* Quod idem est ac si vox paterna passuro jam Filio in hæc respondeat verba: Novi, quod piæ compassionis af-

fectu sollicitaris, ut homo perditus ad dignitatem re- A paretur ingenitæ hæreditatis; novi quod *turbaris ergo plurima*, quia pati tot passionum dolores caro formidat infirma. *Porro unum est necessarium. Unum* istud *necessarium* salubre est passionis et mortis tuæ remedium. *Necessarium est* enim ut justus pro injustis, solus liber a peccatis pro servis peccati, Agnus innocens et immaculatus pro ovibus perditis patiaris. *Necessarium est*, inquam, ut morte tua mortis destruatur et dissolvatur imperium

Dignum est etiam intelligentiam sensus adhuc altioris in his Domini quærere verbis. Neque enim indiscussum est relinquendum quod respondens Dominus Marthæ non semel eam nominaverit, sed repetens quodammodo bis eam nomine suo vocaverit: *Martha*, inquiens, *Martha sollicita es et turbaris erga* B *plurima*. Verum quia omnis homo ex duobus constat, ex anima videlicet et corpore, duas etiam in se habet voluntates, unam secundum animam, alteram secundum corpus. Sic ergo incarnatus æterni Patris Filius duas in se habens naturas, humanam videlicet et divinam, duas etiam voluntates habuisse dignoscitur, unam secundum humanitatem, alteram vero secundum divinitatem; secundum humanitatem quidem voluntatem obedientiæ, secundum divinitatem vero voluntatem justitiæ. Sed humana natura voluntate quidem obediendi constricta, propter fragilitatem autem carnis ferre vim passionis infirma, cum quasi derelictam se conquerens sororis adjutorium quæsivit, ipse Deus in divina manens natura humanitati suæ his verbis respondit: *Martha*, C inquit, *Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima*. Quasi diceret: O humana natura, ex anima et corpore composita, sollicita es secundum animam, ut homo perditus redimatur; *turbaris* vero secundum corpus, quia pati tot certaminum labores, tot passionum dolores caro trepidat infirma. Sed ecce utilis admodum sollicitudo tua, proficua nimis turbatio erit tua; quia *turbaris erga plurima* bona, **478** erga plurimorum scilicet salutem. *Porro unum est necessarium. Unum* istud *necessarium* divinitas mea est, qua mecum unus es, qua mihi consubstantialis, coæternus, coæqualis manes in æternum. *Porro* istud *unum est necessarium*, id est necessarium semper habet esse, quia divinitas mea, sicut nullam recipit D commutabilitatem, ita etiam nullam admittit infirmitatem, nullam pati poterit passionem; ideoque *necessarium* valde *est* ut, illa incommutabili permanente, tu *erga plurima turberis*, id est ut turbatio tuæ passionis plurimis conferat salutem æternæ redemptionis, quia nisi tu factus obediens usque ad mortem (*Philipp.* II) mortis interimas principem, morte animæ mortuum vivificari nullo modo poterit genus humanum.

Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Optima pars Mariæ opus fuerit redemptionis humanæ. *Optimum* fuit opus redemptionis humanæ, quia opus misericordiæ fuit, quia omnia opera sua Deus per potentiam fecit; hoc autem opus redemptionis humanæ fecit per misericordiam, et hoc opus misericordiæ sancta Trinitas ita inter se partita est, ut divina natura in Patre propitiaretur, divina natura in Filio propitiaret, divina natura in Spiritu sancto igniret, et beatam virginem Mariam obumbraret per quam obumbrationem Dei Filium conciperet: *Quæ non auferetur ab ea*, donec perficiatur, donec homo redimatur.

Et non incongrue præsens Evangelium in hac sacrosancta beatæ Virginis legitur Assumptione, quia hæc eadem beata Virgo Maria humanæ redemptionis singularis exstitit materia, utpote quæ Dei Filium, per quem opus istud misericordiæ, opus redemptionis nostræ totum erat perficiendum, de se genuit incarnatum. Nunc ergo conversi ad ipsam deprecemur, ut plena gratia, pietate ac misericordia, sua nobis obtineat intercessione veneranda, quatenus hujus optimæ partis participes efficiamur, et in throno gloriæ, quo hodierna die gloriosa super choros angelorum exaltari meruit, ipsam videre mereamur, adjuvante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per inmortalia sæculorum sæcula. Amen.

479 HOMILIA LXV.

IN EAMDEM FESTIVITATEM SECUNDA.

Intravit Jesus in quoddam castellum, et mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum suam (*Luc.* X)

Quoniam solemnitatem colimus gloriosæ virginis Mariæ, libet magnificentiam sanctitatis ejus gloriæ contemplari in titulo lectionis evangelicæ, velut in speculo compositionis virgineæ. In cujus lectionis area, licet multorum et magnorum expositorum, tam modernorum quam antiquorum, subtilia et sublimia desudaverint ingenia, odorifera tamen et sub palea litteræ recondita tam gloriosæ Matris virginis quam præcelsi Filii regis, adhuc innumera redolent mysteria. Spiritus enim sanctus, qui auctor et descriptor est lectionis istius, apothecam thesauri sui, quibus voluit, prout voluit, mirabiliter aperuit, et eamdem inexhausta mysteriorum copia redundantem, adhuc quibus vult, prout vult, misericorditer detegit. Ait ergo evangelista:

Intravit Jesus in quoddam castellum. Castellum ubi pro tuitione construitur, munitione muri per circuitum undique cingitur, et, turre in medio eminente, ipsa muri constructio desuper protegitur, ut vicissim et a turre murus defendatur, et a muro turris muniatur. Hujus ergo castelli nomine intemerata beatæ Mariæ virginitas convenienter figuratur, cujus et vita sub magisterio sancti Spiritus constituta, tota continentiæ munitione mirabiliter roboratur, et ipsa incomparabili et inexpugnabili humilitatis arce contra omnia diabolicæ suggestionis jacula humiliter defensatur. *In* hoc ergo *castellum Jesus intravit*, cum ille Filius Dei Rex angelorum, Creator cœlorum, beatissimæ virginis Mariæ incomparabili simul castitate et humilitate delectatus, palatium uteri ejus visitavit, et instar solis fenestram vitream radio suo

perstringentis nec disrumpentis, virginitatem ipsius fecundavit, non violavit, eamque suo introitu et exitu **480** mirabiliter decoravit, glorificavit et sublimavit.

De quo nimirum glorioso et mirabili æterni Regis introitu et exitu Ezechiel propheta magnifice disseruit, dum in ædificio montis portam orientalem conspiciens, ita descripsit: *Et dixit Dominus*, inquit, *ad me: Porta hæc clausa erit, et non aperietur, et vir non transiet per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa principi. Princeps ipse sedebit in ea, ut comedat panem coram Domino. Per viam vestibuli portæ ingredietur, et per viam ejus egredietur* (*Ezech.* XLIV, 2, 3). Porta enim clausa fuit beata Maria virgo perpetua, quæ soli principi patuit, dum soli Filio Dei ad redemptionem mundi uterum ejus suæ virtutis obumbratione Spiritus sanctus aperuit. Princeps ipse in ea sedit, et panem coram Domino comedit, dum ipse Rex regum et Dominus dominantium in ejus humilitatis et castitatis gremio velut hinnulus cervorum suavissimam et desiderantissimam suæ quietis umbram sibi elegit, sicut ipse per Isaiam prophetam prædixit: *Super quem requiescam nisi super humilem, et quietum, et trementem sermones meos?* (*Isa.* LXVI, 2.) Cui etiam re ipsa beata Virgo in cantico suo attestatur, dum per profundam humilitatem suam cœlitus a Filio Dei se respectam esse gratulatur: *Quia respexit*, inquit, *Dominus humilitatem ancillæ suæ; ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes* (*Luc.* I, 48). Princeps ergo in ea sedens panem suum coram Domino comedit, cum Filius Dei, cooperante sibi majestate Patris ac Spiritus sancti, carnem in ejus utero assumpsit, quam pro redemptione mundi totius in cruce Deo obtulit. De quo pane dixerunt impii in libro Sapientiæ: *Mittamus lignum in panem ejus* (*Jer.* XI, 19). Per viam vestibuli portæ **481** ingreditur, et per viam ejus egreditur dum Filius Dei per fidem beatissimæ Virginis concipitur, et per fidem ejus ad redemptionem mundi mirabiliter ex utero Virginis nascitur. Vestibulum enim portæ virginitas et humilitas beatæ Mariæ accipitur. Via vestibuli fides ipsius intelligitur, per quam ipsa cœlesti paranympho Gabrieli sic loquitur: *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum* (*Luc.* I, 38). Unde et congrue in lectione evangelica sequitur:

Et mulier quædam, Martha nomine, excepit illum in domum suam. Mulier quædam, quæ hic ab evangelista describitur, ipsa profecto intelligitur, de qua Creator in paradiso serpenti loquitur: *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius* (*Gen.* III, 14). Serpens enim hostis ille antiquus accipitur; *mulier* beata virgo Maria intelligitur. Semen serpentis mors illa fuit, quæ per invidiam diaboli in orbem terrarum introiit; *semen mulieris* Christus Dominus fuit, qui morte sua mortem et mortis auctorem in cruce peremit. De qua etiam muliere beatissima dicit Jeremias propheta: *Ecce Dominus novum faciet in terra. Femina circumdabit virum* (*Jer.* XXXI, 22). Quia enim *mulier* a *mollitie* dicitur, recte hoc nomine beatissima Virgo exprimitur, cujus cor igne sancti Spiritus liquefactum in amorem sui Creatoris eatenus resolvitur, ut ipsum in suo utero corporaliter concipere, et verum Deum verumque hominem parere mereatur, quem præ cunctis mortalibus incomparabili et ineffabili amore spiritaliter ejus anima complectitur.

Recte etiam *mulieris* nomine describitur, quæ singulari miserationis affectu ad compassionem humani generis ducitur, ut pro redemptione mundi continua precum suspiria fundat ei quem specialiter ipsa præ omnibus diligit, Filio Dei. Cujus miserationis et compassionis vehementia in beatissima Virgine Maria in libro Regum denotatur, ubi princeps quinquagenarius tertius, cœlesti igne consumptis primis duobus, ipse humiliter flexis genibus Eliam de monte descendere suppliciter deprecatur (*IV Reg.* I, 13). Elias enim, qui *Dominus Deus* dicitur, Christus Dominus intelligitur; princeps quinquagenarius tertius humanum genus accipitur, quod tertio hujus sæculi tempore, scilicet post legem naturalem, **482** post legem scriptam, sub gratia constituitur. Qui nimirum princeps quinquagenarius sua *genua* contra Eliam flectit, dum genus humanum Virginem beatissimam sua legatione functam Filio Dei opponit, ut ipsa eum suis lacrymis suisque precibus vincat, et victum de cœlis ad terras deponat, quem vincere nec patriarcharum nec prophetarum clamor intolerabilis poterat. Quæ nimirum beata virgo Maria recte per *genua principis* exprimitur, quia in ea Deus homini jungitur et cœlestia terrestribus confœderantur, sicut in genibus superior et inferior pars corporis continuatur. De hac muliere beata et gloriosa dicit evangelista: *Et mulier quædam, Martha nomine, excepit illum in domum suam.*

Quia Martha *irritans*, vel *provocans*, vel etiam Syro sermone *dominans* interpretatur, recte hujus nominis etymologia beatissimæ Virginis corpus figuratur, quod jejuniorum, vigiliarum et totius continentiæ nimietate hostem antiquum *irritat*, quod nimietate lacrymarum, contritione jejuniorum et vigiliarum vel flexione genuum Filium Dei de cœlis ad terras venire *provocat*, quo ipsa beata Virgo, ut cœlo et terræ dominari mereatur, humiliter elaborat. Hæc ergo Martha Jesum in domum suam excipit, dum beatissima virgo Maria Filium Dei sua humilitate, sua castitate, suaque dilectione de cœlis ad terras deponit; eumque pro nobis pauperem factum, pro nobis exsulem et peregrinum in sui corporis hospitium recipit, dum ei de suæ carnis substantia carnis materiam, quam pro nobis in cruce Deo Patri offerat, tribuit, denique dum ei uti Anna Samueli parvam tunicam facit, qua ipse suæ majestatis potentiam ab hoste antiquo occultare possit. Tunica enim parva Samuelis est humilis humanitas Christi Redemptoris, quam ei Spiritus sanctus in

utero Virginis intexuit, qua eum mater Virgo de sua carne induit, ne divinitas ejus ab hoste agnoscatur, ne redemptio crucis præpediatur. *Si enim*, inquit Apostolus, *cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent* (*I Cor.* II, 8). Nihil enim nobis nasci profuit, nisi redimi contigisset. Sequitur :

Et hic erat soror, nomine Maria. Maria *stella maris*, vel Syro sermone *domina* interpretatur, ac proinde sicut per **483** Martham caro beatæ Virginis figuratur, ita per *Mariam* sanctissima ejus anima designatur. Quæ recte *stella maris* dicitur quia omnibus fidelibus in hujus sæculi salo fluctuantibus ipsa defensione sua, ereptione et propitiatione *stella* efficitur, per quam peccatorum tenebras et mortis abyssum evadant, et ad portum æternæ salutis pertingant, ubi ipsa super choros angelorum a filio suo sublimata totius mundi mediatrix et domina est constituta. Maria ergo *soror* Marthæ esse describitur quia anima beatæ Virginis Mariæ, dum suo corpori in præsenti astringitur, hæres quidem Christi, cohæres autem Dei futura esse exprimitur, sicut ei Spiritus sanctus in Canticis loquitur : *Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea et veni : jam enim hiems transiit, imber abiit et recessit.*

Quæ etiam sedens secus pedes Domini audiebat verbum ejus. Martha autem satagebat circa frequens ministerium. Maria *secus pedes Domini sedet*, cum anima beatæ Virginis, in carne posita, amori Creatoris sui inseparabiliter inhæret. *Secus pedes Domini sedet*, dum totam sui cordis intentionem ad misericordiæ vel censuræ divinæ dirigit considerationem, qua scilicet misericordia homo de terra plasmatus in paradiso fuerit locatus, quo judicio de paradiso fuerit exsiliatus. Dum ergo ad pedes Domini sedet, *verbum illius audit* quia beatæ Virginis anima in carne posita, dum misericordiæ vel judicio Creatoris Dei jugiter intendit, dispensationem Filii Dei de redemptione mundi in Spiritu sancto recognoscit.

Verbum ergo illud Dei anima beatæ Virginis *audit*, quo Moyses in principio Genesis lucem factam describit. Lux enim per verbum Dei fit, quando ipse Filius Dei cooperatione Patris et Spiritus sancti animam rationalem et carnem suæ divinitati in utero Virginis personaliter unit, qui de seipso in Evangelio ait : *Ego sum lux mundi* (*Joan.* VIII, 12). De quo item evangelista ait : *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Joan.* I, 9). Moyses quoque verbum Dei describit, cum post factam lucem sic ait : *Dixit quoque Deus ? Fiat firmamentum in medio aquarum, et dividat aquas ab aquis* (*Gen.* I, 6). Verbo **484** Dei firmamentum in medio aquarum conditur, cum verus Virginis Filius operatione sancti Spiritus in salutem credentium temporaliter nascitur. Aquæ ab aquis dividuntur, cum fideles ab infidelibus per nativitatis ejus mysterium in futuro judicio discernuntur. Verbum Dei repetitur, cum post interpositionem firmamenti a Moyse subinfertur : *Congregentur aquæ, quæ sub*

A *cœlo sunt, in locum unum, et appareat arida* (*Ibid.* I, 9). Aquæ, quæ sub cœlo sunt, in locum unum congregantur, dum per baptismum Redemptoris fideles omnes de lavacro baptismatis emergentes, et in unitate matris Ecclesiæ consistentes, in cœlesti regno quandoque coadunantur; ubi nimirum apparet arida quia in cœlesti regno viventium exuberat terra, de qua proclamat Psalmista : *Credo videre bona Domini in terra viventium* (*Psal.* XXVI, 13).

Congregatis sub cœlo aquis Moyses subdit quia Deus ait : *Germinet terra herbam virentem et facientem semen* (*Gen.* I, 11). Terra herbam virentem germinat, cum post baptismum Salvatoris ipso prædicante verbum salutis terra sobolem credentium multiplicat. Quæ semen facit dum per fidem, spem et charitatem, cogitationibus mundis, verbis rectis, operibus piis æternæ vitæ successionem emittit. De qua emissione sponsus in Canticis dicit : *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus* (*Cant.* IV, 13). Post germinationem terræ Moyses subdit, quia Deus dixit : *Fiant luminaria in medio cœli, et dividant diem ac noctem* (*Gen.* I, 14). Luminaria in firmamento cœli fiunt, cum per passionem Redemptoris vulnera redemptionis in ejus corpore nitescunt. Quæ diem ac noctem dividunt, cum mysteria passionis ejus Judam ab apostolis, latronem a latrone, fideles ab infidelibus in inferno secernunt.

Post facta luminaria in firmamento cœli, Scriptura subdit quia Deus dixit : *Producant aquæ reptile viventis et volatile super terram* (*Ibid.*, 20). Reptile enim aquæ viventis de aquis producitur, cum anima Redemptoris cum innumeris fidelium turmis de inferni claustris triumphali pompa regreditur. Volatile super terram producitur, cum corpus Redemptoris mortuum, et in sepulcro positum anima regrediente tertia die de sepulcri sinu gloriose resurgendo educitur. Ubi **485** vel reptilia vel natatilia vel volatilia Deus benedixisse describitur, quia in resurrectione Christi Deus Pater ordines sanctæ Ecclesiæ vel in conjugatis fidelibus, vel in continentibus, vel in prælatis propagasse intelligitur.

Post quæ omnia Moyses subdit quia Deus ait : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*ibid.*, 26). Homo enim ad imaginem et similitudinem Dei formatur, cum per ascensionem Redemptoris humanum genus ad imaginem et similitudinem sui Creatoris reformatur. Quæ nimirum reformatio in ascensionis ejus mysterio inchoatur, sed in futuro judicio pleniter consummatur, quando electos suos ad dexteram constitutos, ipse caput omnium fidelium uti membra sibi cohærentia benigne alloquetur : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum* (*Matth.* XXV, 34). *Tunc* enim, inquit Apostolus, *similes ei erimus*, quando eum in regno Patris sui constitutum, sicuti est, *facie ad faciem videbimus* (*I Joan.* III, 2), ut in ipso, qui est vita vivens in se, veraciter vivamus, ut in eo qui est summe beatus, veræ beatitudinis participes esse

valeamus, ut denique in ipso, qui est gaudium electorum omnium, æternaliter gaudeamus, et in eo qui est incommutabilis Deus, incommutabiles semper esse possimus.

Maria ergo sedens secus pedes Domini verbum illius audit, dum beatæ Virginis anima in carne posita, et misericordiæ vel judicio Creatoris Dei intenta, dispensationem unigeniti Filii Dei de redemptione mundi, in Spiritu sancto pleniter recognoscit, quam ipse Dei Unigenitus, et suus primogenitus et unigenitus in suæ incarnationis, nativitatis, baptismi, passionis, resurrectionis, ascensionis et futuri judicii mysterio misericorditer et mirabiliter perag t. Sequitur :

Martha autem satagebat circa frequens ministerium. Dum Maria verbum Domini audit, *Martha circa* B *frequens ministerium satagit*, quia dum beatæ Virginis anima in carne posita redemptionis mysterium in Spiritu sancto recognoscit, corpus ipsius Spiritu sancto imprægnatum, verum Dei Filium, verum hominem concipiendo et pariendo ipsum redemptionis mysterium mirabiliter peragit. Proinde Martha *circa frequens ministerium* satagere describitur, quia ipsa mundi Domina nato de se Dei Patris Unigenito, **486** suo primogenito vel unigenito *frequens ministerium* impertitur, dum ipsum pannis involvit, dum manus cruraque fascia constringit, dum eum in cunabula ponit, dum in præsepe reponit, dum lactis alimoniam sollicite tribuit, dum oscula benigne porrigit, dum Magorum munera recipit, dum ad C templum cum oblationibus inducit, cum ab Herode fugientem illum in Ægyptum deducit ac reducit, denique cum omnia illi maternæ pietatis et compassionis officia studiosissime in susceptæ ab ipsa et in ipsa humanitatis infirmitate impendit. Unde consequenter evangelista subjungit : *Quæ stetit, et ait : Domine, non est tibi curæ quod soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi, ut me adjuvet. Stat* beata Virgo dum suo filio in cruce posito astat maternæ compassionis affectu indefesso, cunctis ejus visceribus vel ossibus doloris nimietate irremediabiliter concrepantibus, sanctissimis oculis ejus lacrymarum fluenta die noctuque incomparabiliter distillantibus. *Ait* beata Virgo, cum sui dilecti primogeniti et unigeniti acerba intuens vulnera, cruenta D considerans membra, amara quoque sui cordis vulnera per continua illi lacrymarum exprimit profluvia. *Domine*, inquit, Fili Dei, Creator cœli, qui primum hominem de terra plasmasti, qui jussu Dei Patris pro Redemptione humani generis verum hominem de me matre Virgine suscepisti, *non est tibi curæ* quod tuæ non convenit misericordiæ, qui es misericordia Dei Patris, pendens in cruce pro salute totius humani generis, cui cura est de omnibus te diligentibus, in te credentibus, sub lege naturali, sub lege scripta te desiderantibus, te in inferno exspectantibus, tibi per successiones temporum usque in finem sæculi militantibus. *Domine*, mi unigenite, *non est tibi curæ* de me paupercula, matre tamen Virgine, *quod soror mea reliquit me solam ministrare?* Non dignaris considerare quod anima mea, quæ in mea quondam imprægnatione sanctissima, in tui conceptione suavissima et desiderantissima olim exsultavit, et Deum Creatorem magnificavit, illa, inquam, anima mea nunc passionis tuæ gladio transfixa, sicut mihi Simeon ille prophetavit, qui te infantem in suis ulnis portavit, illa, inquam, anima mea caligine mortis circumfusa, nunc ad portas inferi tristitia demergente appropinquavit.

487 Proinde *soror mea me solam* tibi *ministrare reliquit* quia, anima mea in dolore et mœrore mortis deficiente, corpus meum velut exanimatum, moles vigiliarum, tabes jejuniorum, imbres lacrymarum ferre jam jamque non sufficit. *Dic ergo* tu, qui es Verbum Dei Patris; qui verba habes æternæ vitæ, *dic illi*, dic animæ meæ desolatæ et amaricatæ verba consolationis æternæ. Fac me audire vocem tuam, sonet vox tua in auribus meis. *Dic ergo illi ut me adjuvet*, ut anima mea, filiali tua consolatione sublevata, corpus meum exanime, jamjamque mortuum et ruiturum sublevet, sustentet et vegetet. Sequitur :

Et respondens dixit illi Dominus : Martha, Martha sollicita es, et turbaris erga plurima. Respondens Christus in sua passione matri sanctissimæ : *Mulier*, inquit, *ecce filius tuus* (*Joan.* XIX, 26), qui in carne de te sumpta totius humani generis hostia in cruce sum factus. Dicit Christus in sua resurrectione matri sanctissimæ lætificans eam sua visione et apparitione : Mater, ecce vivit filius tuus, qui pro mundi salute in cruce fuerat mortuus. Quam quidem visionem et apparitionem sancti evangelistæ tacuerunt, qui sanctissimam Domini Genitricem cæteris hominibus, qui illum post resurrectionem suam videre meruerunt, non esse conferendam judicaverunt, et ideo forsitan factam illi apparitionem filii sui silentio supprimendam esse censuerunt. Ait ergo matri suæ filius in cruce positus : *Martha, Martha*, mater dilecta et prælecta! *Martha*, quæ me de te incarnatum materno affectu fovisti, procurasti et educasti; *Martha*, quæ me in passione non deseris, quæ mihi materna affectione compateris, *sollicita es* [pro *fuisti*] quæ me de te natum maternæ pietatis affectu prosequi studuisti, natum abluendo, nudum vestiendo, esurientem cibando, sitientem potando, vagientem consolando, in præsepium reclinando, ad templum deportando, in Ægyptum transmigrando, de Ægypto reportando, annorum duodecim ad templum deducendo, perditum requirendo, requisitum recolligendo, et omnia in me maternæ pietatis et sollicitudinis officia diligenter explendo. Nunc vero in passione mea *turbaris erga* **488** *plurima*, videns tot cruenta corporis mei vulnera, dolens tot et tanta sanguinis mei profluvia. *Turbaris erga plurima*, æstuans sollicitudine materna, qualiter et a quibus corpus meum post emissum spiritum de cruce deponatur, quomodo sepeliendum linteaminibus involvatur, quomodo ubi, vel a quibus sepulturæ tradatur.

Porro unum est necessarium. Expedit ut ego *unus* A homo, ego innocens Deus et homo, qui solus inter mortuos liber ero, expedit ut unus ego moriar pro omni electorum meorum populo, et non tota gens pereat, ne tota fidelium meorum plebs ab initio usque in finem sæculi in profundum barathri corruat. Necesse est impleri omnia quæ de me in lege et psalmis aut prophetis sunt conscripta, quando quidem sanguine meo, qui de latere meo fundetur, ignita romphæa restinguetur, et fideli latroni meo paradisus aperietur, descensione mea ad inferos sanctorum populus eripietur, resurrectione et ascensione mea electis meis regnum cœlorum aperietur.

Proinde *Maria optimam partem elegit*, quia sanctissima anima tua, o mater dilectissima, omnium fidelium animarum domina, *optimam partem* sibi B *elegit*, quæ in carne posita solius Creatoris Dei amori terrena cuncta postposuit, et suæ dilectionis integritate sibi et omnibus suis filiis cœlorum regnum promeruit. Dum enim me regem et principem ac caput omnium electorum, Virgo sanctissima, genuisti, ipsa mater omnium electorum meorum, uti membrorum meorum, ab initio usque in finem sæculi dici et esse meruisti. Quorum profecto omnium tecum, o mater dignissima, *pars* ista erit *optima* visio Creatoris Dei indeficiens et æterna, exuberans satietate perpetua, sicut ait Psalmista: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos* (*Psal.* XXXV, 9). *Quæ non auferetur ab ea*, quia a te sanctissima, dulcissima et C amantissima matre mea, et a cohærente tibi omnium electorum meorum familia *non auferetur* visio mea, jucunditatis et gaudii plena, per quam oblivione delebitur cuncta præsentis vitæ miseria per infinita sæculorum sæcula. Amen.

489 HOMILIA LXVI.

IN EAMDEM FESTIVITATEM TERTIA.

Surge, amica mea, speciosa mea, et veni, columba mea, in foraminibus petræ, in caverna maceriæ (*Cant.* II).

Præclara hodiernæ diei festivitas, in qua assumptionem sanctæ Dei Genitricis veneramur et colimus, tanto solemnius, tanto celebrius, veneranda et recolenda a cunctis est fidelibus, quanto constat, quod idcirco eam de præsenti sæculo Dominus trans- D ferre voluit, ut elevata super choros angelorum fiducialius pro peccatis nostris intercedat, quemadmodum præsenti festo universalis Ecclesia humiliter supplicando exorat: *Magna est*, inquiens, *Domine, apud clementiam tuam Dei Genitricis oratio, quam idcirco de præsenti sæculo transtulisti, ut pro peccatis nostris apud te fiducialius intercedat.*

Ut autem hæc eadem beata Virgo, cujus revera magna in auribus summæ majestatis est oratio, fiducialius apud Deum pro nobis peccatoribus intercedere possit, hanc Spiritus sanctus in Canticis canticorum per os sapientissimi Salomonis ab hac valle lacrymarum super thronum gloriæ exaltandam invitans ait: *Surge, amica mea, speciosa mea, et veni, columba mea, in foraminibus petræ, in caverna maceriæ.* Hæc etenim verba, nec non singula libri, mysteria, licet universali Ecclesiæ seu fideli cuique animæ aptissime congruant, et dilectionem sponsi ac sponsæ mystico intellectu spiritaliter exprimant, specialius tamen convenire videntur beatæ Virgini Mariæ, quæ singulariter præ omnibus speciali dilectione plena fuit, et specialiter super omnes ab ipso sponso suo diligi meruit. Et quia plus omnibus apud eumdem sponsum precibus suis obtinere poterit, jam sicut diximus, invitatur, ut surgat et veniat, quo majori fiducia sine intermissione pro delinquentibus interveniat.

Surge, inquit, *amica mea, speciosa mea, et veni, columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ.* Quidnam hæc diversa volunt nomina, ut *amica, speciosa* quoque nominetur, et *columba?* Quando quidem multis ac diversis adornata erat virtutibus, multis etiam ac diversis **490** eam Spiritus sanctus honorare voluit nominibus. Nam singula ista nomina singularia prætendunt virtutum insignia, quibus mirabiliter eam divina adornavit gratia. Amica namque propter fidem, *speciosa* propter spem, *columba* nominatur propter charitatem. Nam quanta in beata Virgine fidei constantia fuerit, ex hoc manifeste datur intelligi, quod angelo mira et inaudita nuntianti indubitanter credidit, quod salva virginitate filium se concipere et parere non dubitavit, et sic bene credula verbis annuntiantis angeli facta est specialis et singularis *amica* Dei. *Speciosa* nihilominus erat per spem, quia totam spei suæ confidentiam in Deo posuit, et omnia, quæ dicta vel promissa illi per angelum fuerant, veraciter in se adimpleri certissime sperabat. Erat etiam *columba* per charitatem quia in charitate Dei et proximi nullus omnino eidem Virgini potuit vel poterit assimilari. Nam quis unquam ita dilexit Dominum? Quis ita condolere et compati novit miseriis et angustiis proximorum?

Possunt etiam aliter intelligi jam dicta nomina, *amica* scilicet, *speciosa* et *columba*, ut *amica* per humilitatem, *speciosa* per castitatem, *columba* appellanda sit per simplicitatem. Et bene per humilitatem *amica* Dei nominari valet, quoniam vera et perfecta humilitas animam fidelem proximam et amicissimam Deo facit; et sicut superbia hominem, licet sanctum et pium, plerumque a Deo separat; ita humilitas hominem licet peccatorem et impium misericorditer reconciliat. Ubi enim vera et profunda virtus humilitatis, ibi procul dubio vera et fructuosa pœnitentia non deerit, quæ humili satisfactione multitudinem peccatorum delet et abstergit. Sicut per superbiam ex angelo factus est diabolus, et de paradiso primus ille parens expulsus est et ejectus, ita per humilitatem beatæ et intemeratæ Virginis destructo inimicitiarum pariete facta est reconciliatio humani generis. Nam in quantum præ omnibus, quibus adornata **491** erat, virtutibus sola humilitas in ea Domino placuerit, verba ejus-

dem Virginis patenter innuunt, ubi ait : *quia respexit humilitatem ancillæ suæ* (*Luc.* I, 48). Licet enim sanctitate, castitate et humilitate omnique morum honestate cunctis præesset mortalibus, tamen in profunda cordis humilitate inferiorem se et abjectiorem judicavit omnibus. Et ideo non incongrue *amica* Dei dici et esse meruit, qui solis humilibus gratiam dare novit.

Facta etiam *speciosa* coram Domino per omnimodam castitatem cordis ac corporis, nullis unquam carnalibus vitiatam desideriis, quia non solum custodire studuit integritatem membrorum ac sensuum, imo illibatas custodivit universas intentiones cogitationum. Quæ dum sic *speciosa* esset in oculis Domini per castitatem, *columba* nihilominus erat per simplicitatem. Et quomodo eam simplicem dicamus, quam æterna inhabitavit Sapientia, ipse Deus? Est in plerisque minus astutis non laudanda quædam simplicitas, quæ magis vituperanda appellari solet fatuitas. Sed quis hanc fatuam simplicitatem in beata Virgine fuisse existimet, quæ mater æternæ Sapientiæ esse meruit, quæ sapientior cunctis sapientibus exstitiit? Bona namque et laudabilis illa simplicitas in ea fuisse creditur, per quam laudatur Job sanctissimus, de quo dicitur : *Vir simplex et rectus* (*Job* I, 1). Quamvis recta, sancta et justa tota hujus sapientissimæ Virginis esset operatio, quamvis casta et munda esset universa virginei cordis intentio vel cogitatio, cuncta tamen tanto simplicitatis ponderabat moderamine, ut nil unquam **492** suis meritis, nil propriis meritis, sed totum divinæ ascriberet pietati et misericordiæ.

Hanc itaque *amicam* humilem, hanc *speciosam* corde et corpore castissimam, hanc *columbam* quoque vere simplicem Spiritus sanctus lætabunda voce revocat, monens eam, *ut surgat et veniat*. Quo, vel ad quid eam hortatur surgere? Nunquid ad opus aliquod laudabile, quæ nunquam a bono cessavit opere? Hortatur utique eam, ut de hoc exsilio, de hujus vitæ surgens miseria, ad regale regni solium perveniat, ubi sine labore, sine tædio miseris nobis et tribulatis, ut supra dictum est, subveniat. *In foraminibus*, inquit, *petræ, in caverna maceriæ*. Quid per *petram* intelligendum est nisi Christus? *Petra*, inquit Apostolus, *erat Christus* (*I Cor.* X, 4). Per hujus autem firmissimæ *petræ foramina* intelligere non incongrue possumus cœlestia beatorum spirituum agmina. Nam sicut in lapidibus pretiosis foramina præparantur, quibus aurum interponi debeat, ut alterum ex altero ornatum accipiat, ita illi beati angelici spiritus lapidi pretioso, qui est Christus, cui inseparabiliter cohærent, æterni splendoris decorem habent; ipsi nihilominus ornamentum quodammodo Conditori suo existunt, quia ad gloriam illius ab ipso conditi sunt, et non solum spiritus angelici decor et ornamentum sunt Conditoris sui, verum etiam beatæ electorum animæ quæ non incongrue designari videntur per *cavernas maceriæ*.

Videtur deesse epilogus.

HOMILIA LXVII

IN FESTUM ASSUMPTIONIS S. MARIÆ VIRGINIS QUARTA.

Tota pulchra es, amica mea et macula non est in te (*Cant.* IV).

Quoniam electa et præelecta Mater Redemptoris sola salutis nostræ exstitit materia redemptionis, merito generale omnium sanctorum dignoscitur esse studium, Matri Creatoris, omnibus præferendæ creaturis, tam devotum, quam debitum laudis impendere obsequium, cujus excellentissima meritorum præconia merito et scientia laudabilium patriarcharum et prophetarum ubique ediderunt testimonia, exspectantium et desiderantium unicum hujus unicæ filium, cujus in carne adventus necessarius, addictæ captivitatis exoptatus fieret terminus. Hinc Salomon sapientissimus nitido sapientiæ suæ auro novam nobilitatis gemmam superaddit, dum inter cætera, quæ mirabiliter in Conditoris **493** laudem edidit, singularis elegantiæ carmen in gloriam Matris depromere gestit. Inter hujus carminis plurima admodum memoranda quodam in loco speciali eam laude notat, cunctis per ævum sæculis admiranda, *Tota*, inquiens, *pulchra es, amica mea, et macula non est in te.*

Digne et congrue beata Maria, mundi domina, cœlorum regina, angelorum imperatrix, sacramentorum omnium materia singularis, *tota pulchra, tota formosa* describitur, quæ, ut summi Regis Matrem decuit, decore et pulchritudine virgineæ carnis ipsum Patris Unigenitum induit, qui ut est ineffabilis, ineffabilia operari voluit in matre Virgine, cui in loco peccati peccatum non adhæreret ullum sive in verbo, aut cogitatione, vel in opere. Quæ quanta mentis custodia contra cogitationum se munierit illicita, indicio sunt verba Salomonis dicentis denuo in laudem Matris Salvatoris : *Consideravit semitas domus suæ et panem otiosa non comedit* (*Prov.* XXXI, 27). Liquet profecto angustiorem esse semitam, quam latam et spatiosam viam. Quid ergo per *domus semitas* nisi cogitationes accipimus subtiles et minutas? Has nimirum *semitas*, hoc est intentiones cogitationum, tam sagaci mentis intuitu *consideravit*, ut ipsas etiam radices cogitationum investigare et observare meminerit, ut tota intentio ad illum spectaret, cui se modis omnibus aptaret. *Panem* quoque *otiosa non comedit*, quia fructum, quem percepit spiritalis doctrinæ, totum convertit ad observantiam laudabilis vitæ. Panem enim otiosus quisque comedit, qui verba vitæ, quæ auditu percipit, operibus adimplere negligit. Hinc quanta verborum beatæ Mariæ inesset dulcedo, quantæque gravitatis pulchritudo, infertur continuo : *Et lex*, inquit, *clementiæ in lingua ejus* (*ibid.*, 28). Ad laudem quippe et honorem filii sui dulcia legis testimonia, quæ sanctissimo vertebat in pectore, mellito eructabat gutture; et quem non solum ventre, sed et mente conceperat per Evangelium corde creditum ad justitiam, eumdem quodammodo peperit cordibus fide-

lium annuntiando et prædicando ejusdem filii sui gratiam, quæ quoniam habitaculum pectoris dilataverat ad conferendum et conservandum **494** omnia verba, quæ de ore filii avido auditu hauserat, jure nominari et esse meruit amica Dei specialis et intima, custos videlicet animi ejus fidelis et integra.

Sed notandum, cum tota pulchra mente et corpore castissima dicatur, cur inferatur subinde, *et macula non est in te*. Cum enim tota sit sanctitatis formula, quænam, rogo, hanc peccati contingere posset *macula?* Habuit ergo mater innocentiæ maculam, nullam videlicet aliam nisi originalis peccati culpam, qua in ortu suo non caruit, quia ut cæteri Adæ filii sine crimine in mundum prodire non potuit. In deliciis enim concepta et nata (66) usu naturæ hoc cum aliis peccatoribus habuit commune, ut originali peccato tandiu subjaceret, donec ipse ejus Unigenitus per semetipsum a Matre et per Matrem ejusdem originalis peccati maculam ab omnibus tolleret atque deleret. Quid sit autem originale peccatum, manifeste edocet sententia Patrum, ignorantia scilicet animæ, concupiscentia carnis, quam omnes homines quasi hæreditario jure ex Adæ culpa contraximus, quam etiam Dominæ nostræ perpetuæ virgini Mariæ solummodo adhæsisse non ambigimus. At cum plenitudo multiformis gratiæ Spiritus sancti hanc inebriavit et perfudit, omnem funditus ignorantiam, omnemque carnis concupiscentiam ita in ea attenuavit et exclusit, ut omnium divinorum secretorum non ignara scientem omnia sola sciret, nullamque carnis concupiscentiam virtute Altissimi obumbrante sentiret. Sic enim promittit sermo angeli pariturae Christum dicendo Virgini: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi* (*Luc.* I, 35). Veniente, inquam, Spiritu sancto in superius tuum, id est, animam tuam, omnis tibi ignorantia tolletur, omnisque carnis concupiscentia in te attenuabitur et exstinguetur, ut sicut nulla tibi actualia, sic etiam nulla tibi peccata adhæreant originalia. Sequitur:

Favus distillans labia tua. Recte favo distillanti labia ejus comparantur, quia melliflua oris ejus eloquia tanta redundabant gratia, ut nunquam corda audientium sine fructu vacua redderet, qualicunque modo vocem exhortationis **495** emitteret. Nam, secundum Apostolum, nonnisi favos exhortationis sive ædificationis aut consolationis distillare consueverat, quorum stillicidiis corda proximorum infundere et reficere salubriter poterat. Hanc quippe formam doctrinæ unumquemque doctorum congruit tenere, ut bonis ad meliora tendentibus verba proponat exhortationis, tardos vero et ingratos ædificare non negligat, pusillanimes et vacillantes sustentare meminerit verbo consolationis. Quæ omnia Domina nostra virgo Maria tanto perfectius adimplevit, quanto dulcius et suavius non ex parte, sed

A ex toto Dei Patris Unigenitum præ cunctis diligere et recognoscere meruit, a quo plenissime acceperat quod aliis dulciter administrare poterat. Unde et apte sequitur:

Mel et lac sub lingua tua. Cum enim per labia favum mellifluæ gratiæ distillantia utilitati proximorum deserviret, tempore orationis in illam requiem intimæ ingressa contemplationis, *mel et lac*, non in lingua, sed *sub lingua* repositum invenit, quia de ineffabili humanitatis et divinitatis Christi dulcedine, quantum libuit, tantum gustare licuit. Et ideo *sub lingua*, quia humanæ eloquentiæ non sunt condigna. Oculus enim non vidit, auris non audivit, nec in cor hominis ascendit quantum dulcedinis cordi instillaverit Virginis dulcissimus ipse filius

B Virginis.

Odor unguentorum tuorum super omnia aromata. Quid per aromatum unguenta, nisi suave flagrantia virtutum odoramenta, quibus nimirum Domina nostra Maria ab intus et de foris ita erat delibuta, ut non solum odorem terris, sed et odorem virtutum inferret cœlis? Sed licet omnium in ea virtutum fragrarent aromata, duo tamen specialius virtutum meruit habere principalia, quæ *super omnia aromata*, omnia, inquam, supereminerent meritorum insignia. Sed quæ, rogo, hæc duo, e quibus tam mirifici odoris redolet magnitudo? Nimirum castitatis decus et humilitatis pondus, quibus eam custos suus, Spiritus sanctus ita circumdederat et supereminentem reddiderat, ut ipsis etiam spiritibus ange-

C licis in admiratione esset et stupore, quomodo tanta tamque profunda se immergeret humilitate, quæ angelorum excellentiam, sanctitatem hominum **496** meritorum transcenderet immensitate, ut quanto castior et mundior, tanto in oculis suis esset humilior; quanto præ cunctis mortalibus sublimior, tanto sibi videretur inferior. Cujus etiam adhuc nobilissima virtutum præconia latius exprimuntur, cum subjungitur:

Jam enim hiems transiit, imber abiit et recessit. Quid per *hiemem* nisi frigore infidelitatis congelata totius humani generis designantur corda? quæ profecto hiemalis congelatio tota in beata Virgine *transiit*, quia ex quo nata est, et in disciplinam Spiritus

D sancti assumpta, inexstinguibili dilectionis ardore semper ardere cœpit, utpote quæ sola adhuc carne circumdata plenissima perspexit et recognovit, imo gustavit veritate, quale esset futuræ beatitudinis meritum, quo seipsum remunerationis auctor diligentibus se dabit in præmium. Quid enim ignoraret, quam semper lætificavit in gaudio cum vultu suo Pater cum Filio, Filius cum Spiritu sancto?

Inde ergo, quod *hiems transiit*, *imber* etiam *abiit et recessit*. Per *imbrem* fluxus immundi seminis accipitur, quo omnes homines in vulva matris procreamur et concipimur. Qui profecto *imber* tunc *abiit*, quando domina nostra procedens ex peccato (67)

(66) Vide de hac Godefridi opinione Dissert. nostram præviam.

(67) De hac opinione Godefridi vide quæ paulo supra monui in not. 66.

seminis immundi, sine peccato vivens, facta est virgo Spiritus sancti. De carnis quippe concupiscentia nihil in hanc Virginem manavit, quæ de carnis commistione procedens, carnis delectationem ignoravit. *Recessit* enim funditus, quando homo ille nobilis, homo solus, non seminis concipi dignatus est in utero ejusdem Virginis. Inde ergo quod *hiems* peccati *transiit*, quod *imber* immundi seminis abiit, quod virtute Altissimi *recessit*, inde, inquam, multimodi *flores apparuerunt*, qui non nisi splendidissimas virtutum gemmas afferre potuerunt. In omnibus enim omnino corporis sensibus sic effloruit, quod sola de flore virtutum florem filium totius gratiæ fructum edidit.

Vineæ florentes odorem dederunt. Per *vineas* corpus et anima illius accipitur, ex quibus vinitor, summus Pater agricola, vinum novum, vinum jucunditatis et lætitiæ expressit, unde inebriavit angelos, lætificavit homines, odorem cœlo terraque respersit.

497 HOMILIA LXVIII.

IN EAMDEM (68) FESTIVITATEM QUINTA.

Erit firmamentum in terra in summis montium, superextolletur super Libanum fructus ejus, et florebunt de civitate sicut fenum terræ (*Psal.* LXXI).

Propheta sanctus David, venturum in carne Dominum spiritu prophetico intuens, de ejusdem incarnatione Spiritu sancto repletus cecinit dicens : *Erit firmamentum in terra*. In firmamento Dominus noster Jesus Christus apte valet intelligi, quia sicut in firmamento cœli sol, luna et stellæ continentur, ita revera in Christo Jesu hæc omnia inveniuntur. Sol in Domino Jesu fuit divinitas, quæ in Christo corporaliter habitavit. Luna assumpta humanitas, stellæ virtutes, quibus ipse, qui est Dei virtus et Dei sapientia, repletus erat. Exsultavit ergo Propheta in Spiritu sancto, eo quod *firmamentum* hoc, quamvis esset, in cœlo, futurum tamen erat *in terra*, hoc est, quamvis Deus esset super omnia, carnem tamen inter omnia de nobili illa terra, de beata Maria virgine Filius Dei vellet assumere.

Sed dicit aliquis : Ergo si *firmamentum* hoc futurum erit *in terra*, si Verbum carnem assumet, quid fiet in cœlo? Huic sic quærenti Propheta respondet dicens, *in summis*, inquit, *montium*. Summi montes sunt Pater, Filius et Spiritus sanctus ; ac si diceret : Quamvis hoc *firmamentum* futurum sit *in terra*, quamvis carnis materiam de incorrupta Virgine induat, tamen a *summis montibus*, a Patre et Spiritu sancto Filius, qui una persona in Trinitate est, non recedet, sed in ipsis et cum ipsis in gloria divinitatis suæ permanebit. Jam quid de ipsa assumpta humanitate Filii Dei futurum sit, subnectit dicens :

Superextolletur super Libanum fructus ejus. In *Libano*, quod *candidatio* interpretatur, angelica creatura, quæ in candore perennis vitæ cum Deo 498 perstitit, valet exprimi. Igitur *fructus ejus*, filius videlicet Dei et hominis, quem beata virgo Maria in Spiritu sancto fructificavit, perfecta carnis dispensatione, quam pro nobis salvandis suscepit, in assumpta humanitate non hic remanebit, sed ipsam carnem, in æternum victurus in ea, super omnes choros angelorum exaltabit. Qualis autem fructus in sancta Ecclesia ex eo ortus sit vel oriatur, quod Dominus noster Jesus Christus pro nobis incarnatus, jam in ipsa carne super omnem creaturam angelicam est exaltatus, mox in consequentibus subinfertur, cum dicitur :

Et florebunt de civitate sicut fenum terræ. Civitas est sancta Ecclesia, in qua nunc sanctæ animæ post Christi incarnationem et ascensionem *florent* flosculo virginitatis et castitatis, *sicut fenum terræ*. *Fenum terræ* est Christus Dominus homo factus, ad cujus feni similitudinem se nunc formant beatæ animæ, ipsius munditiam et integritatem sequendo, quia et Agni caro utique virgo.

Ante incarnationem quippe Salvatoris pauci virginitatem suam Deo voverunt et consecraverunt. Sed postquam Filius Dei homo factus est, multi utriusque sexus virgineo corpore ipsum incorruptionis Sponsum sequendo et imitando castitate et integritate, jam in sancta Ecclesia effloruerunt.

Hæc de Christi incarnatione et humanæ substantiæ, quam de intemeratæ Virginis utero sumpsit, super angelicam creaturam exaltatione Propheta præcinens, in superiori psalmo de potentia divinitatis ejus et de judiciaria potestate, quam secundum humanam naturam a Deo Patre accepit, 499 præmisit dicens : *Donec annuntiem brachium tuum generationi omni, quæ ventura est*. In *brachio* Domini fortitudo divinitatis ejus potest accipi. In brachiis quippe maxima hominis viget fortitudo, et per brachia fortia quæque et laudabilia opera exercentur et peraguntur.

Proinde recte per brachium fortitudo divinitatis ejus accipitur, qua fortitudine fortia et laudabilia gessit et gerit opera, faciens quæcunque voluit in cœlo et in terra. Hoc brachium, hanc fortitudinem divinæ majestatis dixit Propheta se annuntiaturum generationi omni, quæ ventura est. *Generatio, quæ ventura est*, generatio justorum est, quæ ad verum esse tendit, quam Dominus sibi in hæreditatem elegit, quæ in supervenientibus sæculis usque ad finem mundi ad fidem et dilectionem Filii Dei est ventura. Nam quisquis ad verum esse non tendit, nihil est, et in nihilo coram Deo computatur, quia sine Deo nihil est homo. Sequitur :

Potentiam tuam et justitiam tuam, Deus, usque in altissima, quæ fecisti magnalia. Deus, quis 500 *similis tibi?* Deus Pater Filio sub Domino nostro Jesu Christo secundum humanam naturam dedit potestatem et judicium facere, ut in forma servi, in qua judicatus est, judex sit vivorum et mortuorum, sicut ipse filius in Evangelio dicit : *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio* (*Joan*. V, 22).

(68) Forte quia codex hoc diserte non habet.

Igitur *potentia et justitia*, quam exercet in judicio, tam magna et tam districta est, ut non solum in hominibus hanc judiciariam exerceat potestatem, sed usque ad angelos hac æquitatis districtione pertingat, sicut hic dicitur: *Usque in altissima, quæ fecisti magnalia.* In verbo hoc, *altissima magnalia*, apostatæ angeli possunt accipi, qui quamvis a Deo apostatando degeneraverint, tamen in magno honore conditi, teste propheta, *principium viarum Dei* fuerunt (*Job* XL, 14).

Potentia ergo sua, quam secundum humanam naturam a Deo Patre accepit, *et justitia* sua, qua utitur in judicio, ab hominibus pertingit usque ad apostatas angelos ipsos æternaliter damnando in inferno, quia angelorum peccaverunt Domino.

HOMILIA LXIX.

IN FESTUM ASSUMPTIONIS B. MARIÆ VIRGINIS SEXTA.

In omnibus requiem quæsivi, et in hæreditate Domini morabor (*Eccli.* XXI).

Verba hujus sacræ lectionis, quæ de libro Sapientiæ [Ecclesiastici] sunt excerpta, si quis perfecte videre et intelligere posset, vel proferre idoneus aut dignus esset, totum opus humanæ redemptionis in eis inveniret. Congrue autem hæc eadem lectionis verba de libro Sapientiæ sunt excerpta, quia vere liber Sapientiæ, et opus Sapientiæ erat salus redemptionis humanæ. Licet enim universa opera sua æterna Sapientia in magna et mirabili sapientia fecerit, omnia tamen opera ejus opus redemptionis superexcellit. Et quia beata Dei genitrix Maria causa ejusdem redemptionis exstitit, utpote per quam, et per cujus filium complenda et perficienda fuit, recte et non incongrue in præsenti festivitate ad honorem ipsius legendam Spiritus sanctus instituit.

In omnibus requiem quæsivi. Hæc verba, verba sunt sanctæ Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti. *In omnibus requiem quæsivi.* Omnia, quæ sunt, Deus creavit; sed *in* his *omnibus requiem* non quæsivit. Quædam fuerunt, in quibus *requiem quæsivit.* **501** Hoc erat rationalis creatura, angelica videlicet et humana, propter quam omnia creavit. Et quia propter rationalem creaturam cætera omnia creata sunt, dum in hac, cui omnia subjecta sunt, æterna Dei sapientia requiescit, non immerito *in omnibus requiem quæsisse* dicitur. Ita autem requiem quæsivit et quærit, non ut ei, cui secundum divinitatem nihil unquam accessit vel decessit, requies aliqua necessaria esset, sed ut angeli et homines sempiternam in eo requiem et beatitudinem invenirent, cognitionis et dilectionis ejus participes fierent. Sed *in* his *omnibus requiem*, quam *quæsivit*, non invenit, quia summus angelus cecidit, homo cecidit.

Sed tamen non omnino requies illa periit, quia cadente angelo apostata cum suis pars quædam angelorum remansit, in quibus morabatur et requievit, sicut ait, *et in hæreditate Domini morabor.* Facti sunt enim hæreditas Domini, in qua moraretur, dum per lapsum malorum angelorum ita firmati sunt, ut A nunquam possent cadere. Sed etiam homo ita non cecidit, quin posset resurgere, et ad eamdem hæreditatem Domini, id est angelorum consortium aliquando redemptus pervenire. Quod quia sancta Trinitas ab æterno prævidit et præordinavit, bene futurum tempus ponitur, *morabor.* Semper enim in dispositione sua Deus Pater hoc habuit, ut requies illa, quæ perierat, reformaretur et repararetur. Et tamen quia hæc reformatio et reparatio fieri non potuit nisi per incarnationem et passionem Filii sui, *tunc præcepit et dixit*, quod per incarnationem Christi, passionem Christi, resurrectionem et ascensionem Christi hæc requies esset reformanda, et per adventum Spiritus sancti in universo mundo prædicanda. In tribus verbis *præcepit, dixit, Creator omnium*, B tota simul sancta Trinitas intelligi potest: in verbo *præcepit* Deus Pater, in verbo *dixit* Deus Filius, in verbo *Creator omnium* Deus Spiritus sanctus. Ex præcepto enim Dei Patris venit Deus Filius in hunc mundum ad humani generis redemptionem; ex præcepto Dei Patris missus est Spiritus sanctus ad illuminationem et prædicationem. Quia vero opus redemptionis ad Filium solummodo pertinuit, non ait *præcepit* **502** *mihi*, sed *dixit mihi.* Ipse est enim Verbum Patris indicibile, per quod facta sunt omnia, sicut scriptum est: *Dixit, et facta sunt* (*Psal.* XXXII, 9). *Dixit*, inquam, *mihi*, Filio suo, ut per me cooperante Spiritu sancto humani generis fieret redemptio

Et dum præcepto Patris, mediante Spiritu sancto, C obaudio, ille *qui creavit me, requievit in tabernaculo meo, et dixit mihi: In Jacob inhabita, et in Israel hæreditare.* Notantur hic omnia Christi sacramenta, in verbo *creavit me* incarnatio, *requievit in tabernaculo meo.* Deus Pater Filium sibi coæqualem, coæternum tunc quodammodo *creavit*, quando eum incarnari constituit: in cujus tabernaculo requievit, cum eum ad passionem misit. *Tabernaculum* enim, quod est militantium, sacrosanctum corpus ejus non injuste significat, in quo Deo Patri fideliter et fortiter militavit pro salute generis humani. Antequam tabernaculum istud, quod de intemerata virgine beata Maria induerat, per passionem in cruce disrumperetur, Deus Pater in nullo hominum requievit, quia post incarnationem Christi sicut et ante D omnes post præsentis vitæ decursum ad inferos descenderunt, disrupto autem hoc tabernaculo in ara crucis Deus Pater tunc primum requiem, quam quæsivit, invenit. Nam per passionem Filii sui credentibus in eum diu clausa regni cœlestis janua est reserata. Post trophæum passionis statim subinfertur gloria resurrectionis.

Et dixit mihi: In Jacob inhabita. Per *Jacob*, quod *supplantator* dicitur, resurrectio Christi figuratur, quia per passionem et resurrectionem suam diabolum supplantavit, mortem et mortis imperium superavit. Et proprie resurrectioni congruit verbum hoc *inhabita*; quia ubi homo habitat, ibi stabile esse habere desiderat. Christus secundum humanam naturam mortalis erat, et mori voluit. Resurgens autem

a mortuis ita seipsum stabilivit, ut ultra non moriatur, et in æternæ incorruptionis stabilitate inhabitans cœlo terræque præsideat et dominetur, nobisque mortalibus post hujus vitæ instabilitatem corporis et animæ peracta resurrectione repromisit incommutabilitatem. Sed quia nec in **503** incarnatione, nec in passione, nec in resurrectione ejus plena spes æternæ visionis nobis esset, nisi eamdem humanam naturam, quam assumpsit, ad dexteram Patris collocaret, subjunxit et ait :

Et in Israel hæreditare. Per *Israel*, quod interpretatur *vir videns Deum*, recte ascensio figuratur; quia Filius Dei, qui de sinu Patris descendit, hominem, quem assumpsit, ad visionem Dei Patris perduxit, ac per hoc nobis spem dedit, ut et nos quandoque illuc, quo ipse ascendit, pervenire debeamus, ubi æternæ beatitudinis requiem cum ipso possideamus. Et bene ascensioni congruit verbum hoc, *hæreditare*, quia quod hominem hæreditario jure attinet, a quoquam mortalium auferri ab eo nec valet nec debet. Sic, sic Dei Filius cœlum hæreditavit, quando Deus Pater, cum quo omnia secundum Divinitatem habuit, omnia ei secundum humanitatem tradidit, sicut ipse ait : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra* (*Matth.* XXVIII, 18). Ut autem omnia hæc firmarentur et toti mundo insinuarentur, mittendus erat Spiritus sanctus apostolis. Unde continuo subjungitur :

Et in electis meis mitte radices. Electi Dei sancti erant apostoli, quos sibi de omni mundo elegit, in quos *radices suos*, omnia videlicet sacramenta incarnationis, passionis, resurrectionis et ascensionis suæ misit dum eis eadem sacramenta ubique prædicanda et annuntianda commisit, dicens : *Euntes docete omnes gentes* (*ibid.*, 19). Quare eadem sacramenta *radicibus* figurantur? Ubi radix est, ibi fructus speratur, sive bonus sive malus. Si vero evulsa fuerit radix, spes nulla erit fructus. Sic quicunque Dominica sacramenta credunt, confitentur, bonis operibus exsequuntur, talem profecto fructum proferunt, per quem æternaliter salvantur. Sequitur :

Et sic in Sion firmata sum, et in civitate sanctificata similiter requievi, et in Jerusalem potestas mea. Tria ista, *civitas*, *Sion*, *Jerusalem* tres ordines, qui sunt in Ecclesia, possunt significare : *Sion* quod interpretatur *specula*, contemplantes ; *civitas sanctificata* bene operantes ; *Jerusalem*, quod dicitur *visio pacis*, prælatos bene prædicantes. Peracta passione, resurrectione et ascensione bene subjunctum est : *Et sic* **504** *in Sion firmata sum*, quia *sic*, id est in hac fide incarnationis, passionis, resurrectionis et ascensionis firmata est illa requies in contemplantibus, in bene operantibus, in bene prædicantibus, quia nisi per ista sacramenta homo pervenire non posset, nec ad dulcedinem orationis, nec mentis contemplationem, nec ad sacræ Scripturæ cognitionem. Hæc enim sacramenta dulciter hominem accendunt intrinsecus, Scripturam sanctam aperiunt; quæ tota

A plena et perfecta est pretio et decore redemptionis nostræ. Quia vero paucorum et perfectorum est virtus contemplationis, consolatur per hoc quod subjungit :

Et in civitate sanctificata similiter requievi. Per *civitatem*, in qua est multitudo hominum, in activa vita bene operantes, ut dixi, designantur, in quibus Deus *similiter requiem* suam firmat, quia sicut illi per mentis contemplationem, sic isti per bonæ vitæ actionem salvantur et sanctificantur. Sed quia his duobus ordinibus prælatorum deesse non debet sollicitudo, addidit, *et in Jerusalem potestas mea*. Nomine *Jerusalem*, quod interpretatur *visio pacis*, ideo prælati censentur, quia iter illud, quo tenditur ad visionem æternæ pacis, debent ostendere et insi-

B nuare, et per doctrinam contemplantibus et per bona opera bene operantibus. Qui bene admonentur in hoc quod ait :

Et in Jerusalem potestas mea. Quod enim aliis præeminent, et plus cæteris hominibus possunt, hoc non ex sua, sed ex Dei potestate habent. Et ideo dicit, *potestas mea* ; et ideo *potestas mea*, quatenus per hoc admoneantur, ut dominium et potestatem, quam in subditis suis exercent, ita exerceant, ut non illorum, sed Dei potestas dici valeat. Et quoniam non solum in illis, qui in præsenti sunt, sed in illis *firmata* fuit, qui ante legem et sub lege erant, apte sequitur :

Et radicavi in populo honorificato, et in parte Dei

C *mei hæreditas illius.* Populus honorificatus patriarchæ erant, quos vere Deus honorificabat, et in quibus fidem suam radicabat, licet videre et exspectare non mererentur quod credebant. Noe enim ille pius et magnus patriarcha multum a Deo est honorificatus, quando pereunte mundo **505** in diluvio solus cum paucis in arca est salvatus. Abraham eximius et præcipuus patriarcharum valde honorificari meruit a Domino, qui præcipiente Domino exiit de terra, et de cognatione sua, et unicum filium suum Domino immolare non est reveritus, et per hoc doctor et propheta in populo Dei meruit nominari. Sic firmata requie ista in illis et in cæteris sanctis, qui erant ante legem, quomodo et in eis, qui sub lege erant, firmata sit, continuo adjunxit :

D *Et in parte Dei mei hæreditas illius.* Pars hæreditatis Dei populus Judæorum erat, quos sibi in peculium elegit, et legem suam dedit. Omnes enim gentes permisit abire in viam suam, istos tantummodo in hæreditatem suam sumpsit, sicut scriptum est : *Pars autem Domini populus ejus, Jacob funiculus hæreditatis ejus* (*Deut.* XXXII, 9).

Denotatis, qui ante legem et sub lege erant, introducuntur etiam qui sub gratia sunt, dum dicitur, *et in plenitudine sanctorum detentio mea.* Licet enim *in populo honorificato* radicaverit requiem suam, licet ex pluribus partem quamdam in hæreditatem sibi tulerit, tamen *in plenitudine sanctorum detentio ejus*, quia quos sub gratia elegit et redemit, in plenitudinem gratiæ suæ admittens ita fortiter detinet,

et ad se stringit, ut nec ipsi ab eo, nec ille ab eis in perpetuum separari velit aut possit. Quæ sanctorum plenitudo, qualis esse debeat in merito, et quid perceptura sit in præmio, æterna Dei Sapientia, quæ hic loquitur, mystice demonstrat dicens :

Quasi cedrus exaltata sum in Libano, et quasi cypressus in monte Sion ; quasi palma exaltata sum in Cades, et quasi plantatio rosæ in Jericho ; quasi oliva speciosa in campis, et quasi platanus exaltata sum juxta aquam in plateis ; sicut cinnamomum et balsamum aromatizans odorem dedi ; quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris. Quatuor hic ponuntur, *cedrus exaltata in Libano, cypressus in monte Sion, palma exaltata in Cades, plantatio rosæ in Jericho,* per quæ quatuor omnium salvatorum et salvandorum vita exprimitur, quos ita subnotamus. Per *Libanum,* quod interpretatur *candidatio,* possunt accipi per baptismum candidati, vel emundati ; per *cypressum in monte* **506** *Sion,* pœnitentes per doctrinam illuminati ; per *palmam exaltatam in Cades,* per bonam vitam sanctificati ; per *plantationem rosæ in Jericho,* per martyrium consummati.

Et bene primi illi per baptismum candidati *cedro,* cujus odor serpentes fugat, comparantur, quia dum candidantur per baptismum et emundantur, procul maligni spiritus ab eis pelluntur et effugantur. Sed et per *montem Sion* non incongrue accipiuntur pœnitentes per doctrinam illuminati. Mons enim Sion altitudinem significat doctrinæ, per quam edocti et illuminati intimæ satisfactionis et pœnitudinis studio seipsos a peccatis suis emundare non desistunt. Hi tales per pœnitentiam ad veram conversi innocentiam similes sunt *cypresso,* cujus odor, sicut et cedri, fugat serpentes, quia vere pœnitentes fugiunt et detestantur mali illi serpentes, hostes videlicet invisibiles, nihil in eis prævalentes. Post cypressum in monte Sion, id est post altitudinem illam pœnitentium sequitur *palma exaltata in Cades.* Cades interpretatur *sancta,* per quod intelliguntur per bonam vitam sanctificati, qui quasi *palma exaltata* in virtutibus proficientes, sublimiores per baptismum candidatis, eminentiores per pœnitentiam emundatis, per bonam vitam a Deo meruerunt sanctificari, sicut beatus Gregorius, Martinus, Nicolaus, Benedictus eorumque consimiles, qui sicut palma exaltabantur, dum de virtute in virtutem ire conabantur, hoc, quod secundum carnem in eis vivebat, vincentes, et secundum spiritum sancte ac juste viventes.

Post palmam exaltatam in Cades sequitur *plantatio rosæ in Jericho.* Per *rosam,* quæ rubet, bene intelliguntur per martyrium consummati, qui in *Jericho,* id est in defectum carnis suæ venerunt, dum pro veritate confirmanda indubitanter sanguinem suum fuderunt, et per hoc in cordibus aliorum fidem Christi plantaverunt, sicut beatus Stephanus, qui plus tunc temporis sanguine suo in cordibus credentium fidem confirmavit Christi, quam facerent, aut facere docendo possent adhuc apostoli. Itaque quos nominavimus per baptismum candidatos, per pœnitentiam illuminatos, per bonam vitam sanctificatos, per martyrium consummatos, possumus alio modo **507** vocare innocentes, pœnitentes, proficientes sive vincentes, perficientes sive morientes.

His quatuor membris, quæ ita distinximus, alia quatuor membra, quæ sequuntur, recte respondent, *oliva speciosa, platanus exaltata, cinnamomum et balsamum, myrrha electa,* magnamque convenientiam præcedentia cum sequentibus, sequentia cum præcedentibus habent. *Cedro exaltatæ in Libano* recte respondet *oliva speciosa,* quod est misericordia ; *cypresso in monte Sion* recte respondet *platanus exaltata juxta aquam in plateis,* quod est peccatorum indulgentia ; *palmæ exaltatæ in Cades* recte respondet *cinnamomum et balsamum,* quod est castimonia carnis et munditia cordis ; *plantationi rosæ in Jericho* recte respondet *myrrha electa,* quod est perfecta mortificatio. Cur autem et qua proprietate per singula verba has virtutes ita nominaverimus, modo Deo donante discutiamus.

Per *olivam* bene intelligitur misericordia, quia sicut oleum cunctis præcellit, quibus immiscetur, liquoribus, sic misericordia Dei est super omnia opera ejus. Per *campum* autem, qui nec aratur, nec scinditur, innocentes accipiuntur. Et bene dicit, *oliva speciosa in campis,* quia revera illa est *oliva speciosa in campis* gratuita Dei misericordia in innocentibus, qua eos remunerat et coronat, qui nullo laboris aratro vel vomere disciplinæ exarati vel scissi, mox transeunt et perveniunt ad gaudia cœlestis regni. Per *platanum,* quæ lata folia habet, non incongrue intelligitur indulgentia peccatorum, quæ debetur pœnitentibus, quia secundum peccatorum multitudinem indulgentiæ suæ omnipotens Deus extendere debet latitudinem : *Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei* (*Rom.* III, 23). Juxta *aquam in plateis,* hoc est secundum carnalem **508** concupiscentiam, latam et spatiosam sæculi viam incedentibus. Per *cinnamomum,* quod cinerei coloris, et *balsamum,* quod boni odoris, optime significari potest corporis castimonia, et cordis munditia, sive justitiæ gloria, quam quidam ita perfecte assequuntur, ut in carne sua nullum aliquando illicitum motum sentiant ; sicut de beato Benedicto legimus, quod post semel superatam tentationem nullam deinceps in carne sua istiusmodi sustinuerit molestiam. Sed et cordis munditiam ita assequuntur, dum ita justificantur et glorificantur, ut sicut ad illicita non moventur exterius, sic etiam pravam cordis delectionem non admittant interius. Isti *sicut cinnamomum et balsamum aromatizantes* bonam de se aliis reddunt fragrantiam, dum corporis castimoniam et cordis conservant munditiam.

Post ista omnia bene sequitur *myrrha electa,* quod est perfecta mortificatio, quæ dabitur in futuro. Et ut breviter eadem verba comprehendamus, iterum repetamus, innocentibus in merito datur *oliva speciosa,* id est gratuita misericordia in præmio. Pœnitentibus in merito datur indulgentia peccatorum

In præmio. Vincentibus in merito datur castimonia A carnis et cordis munditia in præmio. Perficientibus sive morientibus in merito datur perfecta mortificatio in præmio. Quæ perfecta mortificatio ideo, ut diximus, dabitur in futuro, quia etsi sunt sese in præsenti mortificantes, nunquam tamen nisi in illa vita æterna, *myrrham* accipiunt *electam*, id est mortificationem perfectam, quia ubi mors non erit, ibi nec peccatum, nec dolor ullus aut infirmitas, nec aliquid corruptionis ulterius accedet, ubi odor suavitatis Dominus noster Jesus Christus erit, qui bonis omnibus electos suos satiabit et replebit per immortalia sæcula sæculorum. Amen.

509 HOMILIA LXX.

IN EAMDEM FESTIVITATEM SEPTIMA.

Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ et thuris et universi pulveris pigmentarii? (*Cant.* III).

In verbis istis, quæ quasi admirando Spiritus sanctus per os sapientissimi Salomonis pronuntiat, gloriam et beatitudinem intemeratæ Virginis, cujus hodie festa colimus, evidenter insinuat. Nam quod casta et immaculata ejus in terris conversatio, et veneranda ejus, quæ hodie colitur, ad cœlos assumptio, non solum hominibus, sed et angelis admiranda fuerit, his paucis verbis breviter comprehendens ait: *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi?* Per *desertum* præsentis sæculi hæc eadem beata virgo Maria immaculato calle transivit C et ascendit, dum tota cordis intentione, tota animi devotione, solis cœlestibus intendens, cuncta visibilia et terrena mentis contemplatione transcendit. Unde hodierna ejus ascensio sive assumptio mirabilis et venerabilis cunctis angelicis erat spiritibus, quando in æternum secum regnaturam cum gaudio ineffabili eam suscepit unigenitus Filius ejus.

Manens autem adhuc in hoc mortali corpore *ascendebat* quotidie corde et animo, *ascendebat* utique non sicut *virga*, sed *sicut virgula*, non sicut magna, sed sicut parvula, quia non se magnam, non sublimem et excelsam esse credidit, sed parvulam et humilem, ac omnibus inferiorem semetipsam existimavit. Sicut enim *virgula* recta est ac tenera, et facile flecti et inclinari valet, et per hanc homo D ad disciplinam coerceri ac compesci solet, ita beata Dei Genitrix, rectas gradiens semitas justitiæ, ad omne opus bonum et perfectum tenerum semper ac flexibilem habebat animum. Nam sibimetipsi facta *virgula* disciplinæ ita omnes sensus suos conservavit et compescuit, quod ab omni peccato animam et corpus suum custodivit. Et bene *sicut virgula fumi* ascendisse dicitur. **510** Nam per fumum, qui in altum consurgens amarus est, et amaras excitat lacrymas, lacrymosus ejus et contribulatus non incongrue accipiendus est spiritus, quæ pro salute et redemptione humani generis amaras Deo quotidie offerebat lacrymas. Cujus nimirum lacrymosa deprecatio, ut suavissimi *virgula fumi* in altum consurgens, de humili et contrito corde ejusdem Virginis ascendebat coram Domino.

Et unde orta est hujusmodi *virgula fumi? Ex aromatibus*, inquit, *myrrhæ et thuris*. Possumus per *aromata* non inconvenienter bonarum accipere virtutum opera, per *myrrham* carnis mortificationem, per *thus* mentis contemplationem. Quid de virtutibus sanctissimæ Dei genitricis Mariæ lingua humana dicere vel enarrare sufficiat, in qua ipsa Dei virtus et Dei sapientia corporaliter inhabitabat? Nam singula virtutum ornamenta, quæ Spiritus sanctus, prout vult, electis suis dividit, omnia simul Matri suæ Deus homo dedit. De mortificatione vero virgineæ carnis suæ licet nihil pene sacra Scriptura dixerit, nulli tamen dubium, quod carnem suam B et ea, quæ carnis sunt, stabili et districto rigore semper in semetipsa mortificaverit. De contemplatione vero, qua soli Deo vacabat, quid dicere valeam, cum universa multitudo divinæ dulcedinis sine dubio repleverit eam?

Et universi pulveris pigmentarii. Licet *universi pulveris pigmentarius*, hoc est universarum virtutum operator magnificus aptissime accipiendus est Spiritus sanctus, aliud tamen quiddam in his verbis accipere possumus. Sicut enim peritus quilibet pigmentarius universas pigmentorum species in tenuissimum pulverem conterere et conficere satagit, quo curare diversas infirmitatum molestias possit, ita supra dictus ille verus **511** utique pigmentarius Spiritus sanctus *universum pulverem* medicinalis gratiæ, videlicet universa dona miserationis et gratiæ contulit et congregavit, in corde intemeratæ virginis Mariæ; ut quoniam in genere humano multa et diversa sunt infirmitatum incommoda, multa etiam ac diversa curationum medicamenta habeat, quibus infirmas peccantium animas sanare et curare valeat. Nam etsi omnino homo peccator desperatus, sive in peccatis mortuus fuerit, si ipsa mater misericordiæ manum intercessionis suæ super ægrum imposuerit, nulla omnino infirmitas, nulla prorsus iniquitas peccatrici animæ prævalere poterit.

Hæc ad laudem et gloriam hodiernæ festivitatis, prout potuimus, sub brevitate transcurrimus, nunc ad nos eadem verba transferre studeamus. Nam licet specialiter nobilissimæ reginæ nostræ conveniant, mystice tamen fideli cuilibet animæ aptari poterunt, quia et initium bonæ conversionis, et studium sanctæ conversationis et humiliati cordis et corporis contritionem nobis exprimunt.

Unde angelici illi spiritus, qui humanis semper congaudent et congratulantur profectibus, salvandum quemlibet, qui per *desertum* præsentis sæculi ascendere desiderat, his verbis quasi admirando laudant et magnificant. *Quæ est ista*, inquiunt, *quæ ascendit per desertum?* Per *desertum*, in quo crudeles sunt bestiæ et animalia, quorum non est numerus, præsens sæculum sive cor hominis peccatoris apte intelligi potest. *Per* hoc *desertum* bona conversione et sancta conversatione homo salvandus

ascendere appetit, dum divina misericordia præventus spiritales bestias ac nociva animalia, id est iniquitates et peccata sua agnoscere et pertimescere incipit, et ne ab his bestiis et animalibus occidatur et pereat, proponit in animo suo *per desertum* supra dictum *ascendere*, id est bona conversione ad Deum confugere. Sed quale initium, vel qualis voluntas hujus conversionis in primordio sit, verbis consequentibus patenter innuit.

Sicut virgula, inquit, *fumi*. In *virgula*, quæ, ut dixi, recta est ac tenera, et cum qua homo ad timorem **512** disciplinæ compescitur, voluntas bonæ conversionis, quæ aut timore supplicii, vel timore districti judicii nascitur, non injuste accipitur. Nam sicut in *virgula* rectitudo ac teneritudo est, ita et voluntas novæ conversionis rectitudinem simul habet et teneritudinem. Habet quidem rectitudinem, quia recta voluntas est, quod homo animalis ad bona converti concupiscit. Habet teneritudinem, quod velle bonum nondum opere adimplere poterit. Unde et eadem voluntas non tantum *virgula*, sed etiam *virgula fumi* dicitur, quia sicut fumus videtur, sed tamen non tangitur, nec palpatur, ita et voluntas recta, licet adhuc infirma sit et tenera, videtur a Domino, videtur a sanctis angelis, et tamen non tangitur, non palpatur manibus, quia nondum bonis comprobatur operibus. Ad hæc etiam sicut fumus amarus est et tenebrosus, ita amaritudinem et tenebras tunc homo in semetipso patitur, cui amarum valde est dulcia sibi gaudia mundi contemnere, et dulcia carnis desideria in semetipso mortificare et abscindere. Et ideo quasi in tenebris quodammodo ambulat. Nam quid eligere, quid respuere possit, ignorat. At ubi opitulante Domino velle bonum placita Deo conversione, compleverit, et in sancta conversatione laborare cœperit, fit profecto quod consequenter ait:

Ex aromatibus myrrhæ et thuris et universi pulveris pigmentarii. In *myrrha* accipienda est mortificatio carnis, in *thure* contemplatio mentis sive odor bonæ opinionis, in *universo pulvere pigmentarii* humiliati cordis et corporis contritio. Mortificata carne cum vitiis et concupiscentiis per *myrrham* continentiæ, per *myrrham* continui et indefessi laboris, succedit *thus* contemplationis sive *thus* bonæ opinionis. Nam postquam vigiliis et jejunis aliisque laboribus vitia ac desideria carnis mortificando devicerit, et divinæ contemplationis gratiam, quantum possibile in hac vita est, prægustare meruerit, fit plerumque ut odor bonæ opinionis et fama sanctæ conversationis illius ad aures multorum perveniat, et sic ventus elationis animum non bene providum incaute pulsare incipiat. Ibi profecto necessarium est ut tunc *universus* **513** *pulvis pigmentarii* insurgenti apponatur elationi.

Universus etenim pulvis duplex non injuste accipienda est humiliati cordis ac corporis contritio, ut videlicet pro bona operatione foras humanam laudem non quærat vel appetat, nec intus pro illuminatione mentis extollatur vel intumescat. Nam si pro bonis operibus ab hominibus laudari refugeret, et pro invisibili contemplationis gratia inaniter extolli non timeret, *pulvis* utique esset, sed *universus pulvis* non esset. Studeat ergo fidelis anima *universum* habere *pulverem*, pro bona scilicet actione et pro divina contemplatione profundissimam cordis humilitatem. Debet etiam hoc modo *universum* habere *pulverem*, ut si vitio elationis lapsa fuerit, sibimetipsi pro hoc in oculis suis displiceat, et ad humilem satisfactionem veraciter pœnitendo recurrat.

Sed quia *universum* hunc *pulverem*, de quo diximus, sine dono et gratia veri illius pigmentarii, Spiritus sancti, nemo habere poterit, ipsam Matrem misericordiæ, cujus hodie festa colimus, humiliter imploremus, ut ipsa interveniente, quæ sanctorum omnium sanctissima, electorum omnium electissima, specialius se sola humilitate Domino complacuisse testatur, sic in præsenti sub potenti manu Dei humiliemur, quatenus in gloria, qua hodierna die super omnes choros angelorum exaltata est, in lætitia et exsultatione eam videre mereamur. Quod ipse præstare dignetur, qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

514 HOMILIA LXXI.

IN OCTAVAM FESTI ASSUMPTIONIS B. MARIÆ VIRGINIS PRIMA.

Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris (*Eccli.* XXIV.)

Jucundam festivitatem Assumptionis pretiosæ Dominæ et reginæ nostræ, quam septem his diebus solemni devotione celebravimus, hodie octava die determinamus. Per sanctorum enim octavas quas digno laudum præconio colimus, futura quandoque corporum resurrectio et duplex, corporum simul ac animarum declaratur remuneratio. Sex quippe diebus in præsenti vita semper operamur et laboramus, septimo vero die ab omni labore cessamus. Qui septimus dies illud nobis tempus designat, in quo electorum animæ laborum suorum præmia consecutæ, æterna Conditoris sui fruuntur visione; corpora quoque tanquam de laborum nimietate erepta, in sepulcris requiescunt a cunctis laboribus et doloribus jam secura. Cum autem desiderabilis octavæ diei splendor illuxerit, cum videlicet futura resurrectio advenerit, tunc nimirum accepta duplici stola immortalitatis corpus et anima pariter triumphabunt gaudio plenæ securitatis.

Pro illius ergo octavæ diei ineffabili gloria si omnium sanctorum octavæ festivæ appareant et jucundæ, excellentiori tamen dignitatis honore veneranda est octava gloriosissimæ Virginis Mariæ, per quam solam omnes sancti sunt sanctificati, et ad hanc gloriam a filio ejus prædestinati et vocati. Et sicut dignitas vitæ illius omnium sanctorum merita præcellit, ita nihilominus omnibus illis ipsa plus valet, et idcirco præ omnibus ipsis gra-

tia ejus est quærenda, per quam solam omnium sanctorum ad Filium diriguntur suffragia.

Quali vero meritorum præcellentia, quantave sanctitatis prærogativa ad talem gloriam pervenerit, commendat nobis lectio hodierna, in qua Spiritus sanctus gloriosa ejus enumerat merita, dicens quasi ex ipsius persona: *Ego quasi* **515** *vitis fructificavi suavitatem odoris.* Verba hæc etsi generaliter ad sanctam Ecclesiam pertineant, aptissime tamen dignitati beatæ Mariæ conveniunt, ad cujus laudem electa et ordinata sunt. Nobilis revera ipsa *vitis* fuit, in qua Spiritus sanctus desiderantissimos hortos plantavit, a quo bene culta et undique præmunita *suavitatem odoris fructificavit. Vitis* denique inter cætera ligna despicabile lignum est et deforme, sed fructus, quem profert, homines abundanti pascit dulcedine. Convenienter itaque humilis Virgo viti seipsam assimilavit, quæ tanta se dejecit humilitate, ut in oculis suis inferior appareret omnium hominum comparatione. *Vitis* ergo hæc fructifera verbis istis humilitatis suæ nobis insinuat præconia. *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris.* Quod idem est ac si diceret: *ego*, quæ me in æstimatione humillimi cordis mei omnibus subjeci, *suavitatem odoris fructificavi*, quia ipsa humilitas mea suavissimum odorem respersit in aula cœlestis regni. Unde et in Canticis: *Cum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum* (*Cant.* I, 11). Nardus quippe humilis est herba, sed nimis odorifera. Et recte ei humilitas beatæ Mariæ comparatur, cujus gratissima suavitate Rex regum amabiliter delectatur. *Cum rex*, inquit, *esset in accubitu suo*, cum lateret in divinitatis suæ secreto, profunda humilitas mea tantæ *suavitatis* coram eo fragrabat *odore*, ut eum de sinu Patris Dei et de excelso cœlorum attraheret in virginalem uterum meum. Hinc etiam ipsa alias ait: *Cum essem parvula placui Altissimo, et de meis visceribus genui Deum et hominem.*

Quia igitur tantam *suavitatem odoris fructificavi*, merito *flores mei* sunt *fructus honoris et honestatis.* Flores siquidem cum apparuerint, sequens cito fructus speratur. Et congrue per flores hoc in loco cœlestes legationes et magnifica verba accipiuntur, quæ per gloriosum cœlestis aulæ principem Gabrielem eidem virgini deferuntur. Cum, inquit, hi flores mei apparuerunt, cum verba summæ legationis per archangelum auribus meis insonuerunt, statim secutus **516** est *fructus* ille nobilis, *fructus honoris et honestatis*, quia mox Filium Dei concepi per virtutem desuper venientis Spiritus sancti.

Et bene eum appellat *fructum honoris*, quia revera ipse est honor Dei Patris, quem coæternum, coæqualem et consubstantialem sibi genuit in æternitate suæ divinitatis. Honor quoque ejus fuit in humanitate sua, quia per illum Deus Pater agnitus est et manifestatus, qui prius occultus erat et ignotus. Ante adventum namque ejus in carne mundo incognitum fuit, quod sancta Trinitas, Pater videlicet Filius et Spiritus sanctus esset, et vix pauci fuerunt, qui fidei hujus agnitionem habere potuerunt. Sed ubi Christus in carne apparens prædicare cœpit, fides sanctæ Trinitatis per ipsum declarata (69) toto mundo innotuit. Unde ipse in Evangelio ait ad Patrem: *Pater, manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi* (*Joan.* XVII, 6).

Factus est etiam *fructus honestatis*; quia illius honestati omnium sanctorum honestas vel sanctitas non potest adæquari. Illi quidem in peccatis concepti et nati sunt, et quandiu vixerunt peccati labe minime caruerunt. Hic vero homo honestissimus sine peccatis conceptus et natus est, et nunquam peccati maculam verbo, actu aut cogitatione contraxit. Quia ergo fructum hunc nobilem *vitis* fructifera virgo et mater humillima protulit, recte de seipsa adhuc ait:

Ego mater pulchræ dilectionis et timoris et agnitionis et sanctæ spei. Ac sic diceret: *Ego mater* illius hominis, cujus revera solius *pulchra dilectio* fuit, quia tantummodo de fonte misericordissimæ pietatis ejus profluxit. Homo etenim hominem propter suum diligit commodum, sperans aliquod recompensationis ab eo beneficium, nec ista *dilectio pulchra*, sed potius dici poterit necessaria. Sola Filii Dei, qua nos dilexit, *pulchra dilectio* fuit, quæ non ex aliqua necessitate, sed ex incomprehensibilis fuit ipsius bonitatis magnitudine.

Videntur quædam deesse.

517 HOMILIA LXXII.

IN FESTUM SANCTI BARTOLOMÆI APOSTOLI PRIMA.

Facta est contentio inter discipulos Jesu, quis eorum videretur major (*Luc.* XXII).

Erigenda nobis est hominis interioris intentio, et considerandum quid in se moralis suavitatis evangelica hæc contineat lectio, et ne contentionem inter discipulos Jesu factam imitabilem nobis esse credamus, qualiter eos ipse humilitatis Magister ab hac contentione revocaverit, audiamus:

Reges, inquit, *gentium dominantur eorum. Reges* etenim isti carnales sunt sensus nostri, quorum sub potestate contraria minus caute corpus nostrum regitur et anima. Hi namque recte vocantur et sunt *reges gentium*, omnium videlicet gentili more viventium, qui dum ea, quæ sunt spiritus, desideriis carnalibus subjiciunt, jugum cum infidelibus sub Christiano nomine ducunt. Cum autem peccatum in mortali corpore eorum regnare cœperit, et caro adversus spiritum concupiscens omnino prævaluerit, fit repente quod in consequentibus ait: *Et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur.* Tunc etenim carnales sensus nostri quasi *benefici vocantur*, dum ipsis adversus animam militantibus quælibet a nobis vitiorum fomenta subministrantur, ita ut putredo carnis im-

(69) Ita codex.

pinguata dilatetur, et virtus animæ sicut aranea tabefacta attenuetur.

Vos autem non sic, inquit. Vos, inquam, electissimi humilitatis meæ discipuli, charismata meliora æmulamini, ut *qui major in vobis est, fiat sicut minor.* Hæc etenim verba in superficie quidem magnæ humilitatis formam præferunt, **518** sed tamen spiritali intelligentia excellentius aliquid innuunt. Nam quis *major* vocari rectius potest, quam spiritus hominis, qui in ipso est? Ipse enim spiritus omni creatura *major* est et sublimior, si tamen, ut dictum est, semper sit sicut junior, ut videlicet juventutem, quam per novitatem vitæ in fonte suscepit baptismatis, innovare semper studeat in anima sua operibus justitiæ et veritatis, ne quando vetus homo ille male senescentem animam suis iterum involvat actibus, quibus semel exuta est per regenerationem aquæ et spiritus. Hanc juventutem laudabilem, quam prædiximus, et senectutem bonis cavendam omnibus David expertus fuerat, qui dicebat: *Junior fui, etenim senui, et non vidi justum derelictum* (*Psal.* XXXVI, 25).

Magno quidem juventutis decore floruit, quando soli adhærere Deo, omnemque in ipso spem suam ponere optimum judicavit, et in ipso juventutis flore spiritalis contemplationis prævidit oculo, quoniam usque in sæculum non derelinquetur justus a Domino. Postea vero peccatorum prægravatus senio, dormitare anima ipsius cœpit præ tædio. Unde mox veritas innuit, qualiter periculosa hæc dormitantis animæ senectus præcavenda sit.

Et qui præcessor est, sit sicut ministrator. Quisnam sit *præcessor* iste, diligenter animadvertat sapiens quisque. Præcessor quippe cujuslibet nostri operis ipse est spiritus, qui habitat in nobis. Nam bona quælibet seu mala nobis agere cupientibus ipse occulta inspiratione **519** cuncta disponens, *præcessor* est in omnibus, hic singulis quibusque membris fideli administratione famulatur, dum corporalis per hunc exercitatio laudabiliter intrinsecus præordinatur. Qui dum bene administrationis suæ fungitur officio, accepta coram Deo omnis nostra comprobatur actio. Tunc ipse Mediator Dei et hominis, qui non ministrari, sed ministrare venit, quasi *ministrator* in medio nostrum erit. Unde protinus ait:

Ego sum in medio vestri sicut qui ministrat. In medio quippe animæ nostræ pius tunc minister dignabitur esse, quando inundans illa divinitatis suavitas se cordibus nostris per Spiritus sancti infundens gratiam omnem simul hominis interioris repleverit substantiam. In cujus medio dum delectabiliter inhabitans, locum sibi ministerii vindicat, varias in ea virtutum gemmas pie administrando congregat. Ut autem sciamus, in quibus tantæ talisque minister majestatis habitare dignetur, audiamus, quod continuo subinfertur:

Vos enim estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis. Sunt nonnulli, qui primo tentationis A impulsu nequaquam locum dantes diabolo, fraudibus tentatoris forti aliquandiu resistant animo; sed mox ut gravior tempestatis procella pulsaverit, statum soliditatis suæ mens infirma repente deserit.

Hi vero quoniam non bene currunt in stadio, permanere diu in tentationibus nequeunt cum Domino. Et quia sunt plerique non solum illicita respuentes verba vel opera, verum etiam omni cor suum servantes custodia, hos nimirum ipse, qui pro nobis tentatus est, supra id quod possunt, tentari aliquando non permittet, sed ut sustinere possint, proventum etiam cum tentatione faciet. Quibus continuo promittit dicens:

Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater
B *meus regnum.* Per *regnum*, quod dispositum sibi a Patre æternus Dei gloriatur Filius, nil rectius **520** quam regnum virtutum accipimus, qui cum sit splendor paternæ gloriæ, portans omnia verbo virtutis suæ, omnis procul dubio virtutum gloria in regnum sempiternum paterna sibi dispositione constat esse tradita. Quod videlicet regnum ipse solus per divinitatis habens potentiam in filiis adoptionis mirifice operatur per gratiam, ut morum honestate præclari regnum Dei intra se habeant, et inter convivas Jesu quam suaviter de mensa ipsius bibant et comedant; hinc enim est quod sequitur:

Ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo. Per *mensam* quippe Domini, in qua di-
C versæ deliciarum redundant epulæ, divinarum intelligendæ sunt Scripturarum paginæ. Has dum nonnulli sub brevitate historica transcurrendo deglutiunt, sine suavitate mysterii animam sitientem quasi bibendo reficiunt; qui vero profunda quæque et arcana laboriosa investigatione perscrutantur, dulces cum Domino capiendo cibos superabundanti refectione saginantur.

De mensa etenim ista gratulabundus Domino ait Psalmista: *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me.* In conspectu quippe animæ nostræ istius parata sunt convivia mensæ. Necesse namque est ut quibus adversus tribulantes quotidiana instat colluctatio, hos nimirum in
D abundantia suavitatis mensæ hujus alat refectio, ne pondere laboris depressi in agone deficiant, sed devictis quandoque hostibus solium gloriæ cum principibus teneant. Unde et sequitur:

Ut sedeatis super thronos judicantes duodecim tribus Israel. Postquam enim fidelis quælibet anima feliciter ab hoste triumphans internæ pacis obtinebit gaudia, sedere *super thronos* dicitur quasi regina præpotens, sensibus videlicet carnis potenti judicio præsidens. Quæ dum ad tantæ dignitatis gloriam pervenit, *tribus duodecim* juste judicare poterit.

521 Sed altius forsitan considerare nos convenit, quid per *tribus duodecim* intelligendum sit. Per duodenarium vero numerum universitatem nostro-

rum intelligamus actuum, quos tribus videlicet modis committimus, cogitationibus, verbis et operibus, quæ dum mens Christo inhærens provida discretione disponere nititur, quasi *tribus duodecim judicare* vel regere dicitur.

Nos ergo ut pervenire valeamus ad tam sublime regimen judicii, diligenter attendamus quæ apposita nobis super mensam sunt Domini, ut ex ea quam suaviter in conspectu Dei epulantes, adversus eos, qui nos tribulant, fortes efficiamur et constantes, ipso præstante et adjuvante, cui laus, potestas et gloria per infinita sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LXXIII.

IN FESTUM DECOLLATIONIS S. JOANNIS BAPTISTÆ.

Misit Herodes ac tenuit Joannem, et vinxit eum in carcerem propter Herodiadem, uxorem Philippi fratris sui, quia duxerat eam (*Marc.* VI).

Egregius iste Domini præcursor sicut in nativitate in novæ singularisque conversationis eumdem Dominum nostrum præfiguravit sanctitate, ita nihilominus in morte sua, quam pro veritatis testimonio in carceris imo sustinuit, occulta illa et invisibilis mors Christi non incongrue exprimitur, qua in humano corde miserabiliter quotidie moritur. Mortem istam tam flebilem tamque miserabilem, quia etiam plerique perfectorum vix interdum aut nullatenus effugere valeant, præsentis hujus lectionis verba manifeste insinuant.

Misit, inquit, evangelista, *Herodes, ac tenuit Joannem, et vinxit eum in carcerem.* Per regem *Herodem* spiritalem quemlibet prælatum credimus satis congrue posse definiri, quem ut seipsum cunctosque sibi creditos secundum Deum regere valeat, ab omnibus curis sæculi penitus oportet expedire. Sed et eodem nihilominus rege convenienter universi designantur, qui relicto funditus sæculo ob amorem cœlestis patriæ semetipsos exinanire, et habitu et professione dignos se Deo conantur exhibere. Hi tales profecto in conspectu Dei sunt, et dicuntur *reges* electi, dum se actusque suos districte **522** dijudicantes, si quid minus dignum in semetipsis deprehenderint, multiplici cordis corporisque contritione resecare non cessaverint.

Hos nimirum Petrus apostolus majori adhuc laudis præconio extollit ubi absque generis distinctione: *Vos*, ait, *estis genus regium et sacerdotale* (*I Petr.* XXIX). Sed mirari possumus, quomodo in fragili sexu constituti sacerdotes Domini debeant appellari. Sed hæc admiratio citius tollitur sacræ testimonio Scripturæ, qua dicitur: *Sive masculus, sive femina, omnes in Christo unum sumus* (*Gal.* III, 28). In utroque ergo sexu reges et sacerdotes dicuntur coram Domino, qui cœlestis patriæ flagrantes desiderio, in ara cordis ignem divini amoris succendunt, et per assiduitatem internæ compunctionis hostiam vivam, sanctam et immaculatam semetipsos Domino offerunt.

Sed sicut omnes tam sublimi non solum, sed et sacerdotis nomine fungentes in Herode expressos

A audivimus, sic in fratre ejus *Philippo* sæculares nihilominus rectores, nec non et universos mundi amatores accipere possumus. Qui profecto, quia nequaquam secundum Deum incedunt, neque vitam, mores et actus suos secundum præcepta Dei **523** instituunt sive regunt, non reges, non sacerdotes sacræ testimonio Scripturæ, sed *fratres* tantummodo nostri dicuntur, quia ab uno Patre, scilicet Christo, creati, nomen Christianitatis nobiscum sortiuntur.

Horum uxor est *Herodias*, per quam designatur mundi hujus concupiscentia, quam libere et quasi licenter amplexantes corde et corpore impudenter sectantur, quia quanto verius huic mundo conformantur, tanto se feliciores esse arbitrantur. Sed B sciendum quia concupiscentia mundi, non solum luxuria carnis dicitur, sed et omne, quod in mundo possidetur, vel concupiscitur, superbia scilicet et acedia, vana gloria, cæteraque his similia. Et bene concupiscentia sæculi per *Herodiadem* dicitur exprimi, quia sicut ista Herodis cor improvidum tunc ad amorem inflectere studuit illicitum: ita hæc cunctis per *Herodem* signatis quotidie invisibiliter se ingerit, diversisque imaginationum suarum illusionibus a recti itineris tramite avertere satagit. Unde plerumque contingit ut, qui latas sæculi vias pridem spreverant, et sanctæ conversationis studio cœlestia tantummodo sequi cœperant, hujus spiritalis *Herodiadis*, id est concupiscentiæ sæcularis amore decepti, in uxorem sibi eam accipiant, et eam in thalamo C cordis sui delectabiliter collocantes, illicita cum ea connubia illicite exerceant. Quod nimirum non tunc solummodo perficitur, cum quis ad vitium carnis prolabitur, sed toties fit, quoties aut superbia, aut avaritia cæterisque his similibus homo interior corrumpitur. Nam ubi is, qui in spiritu humilitatis et mansuetudinis servire Deo decrevit, hujusmodi vitiis delectabiliter cor suum submittit, quasi alienæ copulatus uxori detestabile coram oculis Dei crimen adulterii committit.

Huic *Joannes*, id est vox Verbi, vox Sapientiæ fortiter resistit, eique, ut ad cor redeat, talibus violenter verbis insistit: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui.* Ac si dicat: Non tibi expedit, ut, quem D a præsenti sæculo inchoata vitæ perfectio absolverat, terrenarum appetitus rerum rursum inficiat, Christique spreta dulcedine post carnis concupiscentias mentis gressus dirigere præsumas. Sed hæc vox correptionis, heu **524** nonnunquam agitur sine fructu correctionis, quia ubi mens prædictis subacta vitiis intus male captiva tenetur, fit miro modo, quemadmodum in principio evangelicæ hujus lectionis habetur. *Misit Herodes, et tenuit Joannem, et vinxit eum in carcerem.* Patet profecto his tribus verbis quia omnis macula criminis tribus committitur modis, consensu scilicet, et opere atque peccati consuetudine, Hoc etiam in tribus mortuis apte demonstratur, quos mirabiliter Dominus resuscitasse memoratur. Sed jam diligentius intuendum est

quando vel quomodo Herodes mittat, quibus vinculis, quali carcere vinctum Joannem teneat.

Ista Herodis missio est spiritalis peccatorum suggestio. *Mittere* namque dicitur, qui pulsantibus se vitiis per consensum subjicitur, eisque reserata cordis janua delectabiliter intus acquiescit, quæ tamen foris agere non valet, aut agere crubescit. Et hæc est prima mors animæ convenienter per filiam archisynagogi, quæ venienti Domino infra paternæ domus tecta paucis admodum videntibus est resuscitata.

Hanc igitur mortem, qui evadere desiderat, in ipso confestim exordio contriti cordis passibus iter ad Dominum quantocius accelerare studeat. Nam qui noxiæ delectationis voragine intus per consensum cordis absorbetur, majora sui procul dubio adhuc detrimenta patietur. Unde bene, postquam dictum est, *misit*, continuo subinfertur, *et tenuit*. Constat enim quia ad omne quod tenemus, manuum ministerio maxime indigemus. Sed quid in Scripturis sanctis manuum vocabulo, nisi bona sive mala designatur operatio? Manus ergo ad tenendum Joannem extendit, qui per pravæ delectationis consensum prostratus, relictis virtutum gressibus ad perversæ actionis ima descendit. De hac lethali perditionis fovea si resurgere quærit, majori procul dubio remedio opus habebit, hoc est ut per fructuosæ animadversionem pœnitentiæ obviam Domino extra portam fetidæ deferatur conscientiæ. Nam nisi perstrepens carnalium turba desideriorum et operum, per occultam supernæ visitationis gratiam reprimatur, mortuus non solum non resurgit, sed et deterioris adhuc **525** mortis sententiæ subjacebit, sicut apte in sequentibus declaratur, cum dicitur:

Et vinxit eum in carcerem. Per catenas, quibus homo ligari solet, dura peccandi consuetudo intelligi valet; per *carcerem* autem locum tenebrosum, multisque spurcitiis fœdatum, non immerito accipitur cor pravum multimodis vitiorum sordibus fetidum et offuscatum. In hujusmodi carceris squalore tunc Joannes *vinctus* teneri dicitur, dum eo usque perversus quilibet devolvitur, ut, qui prius quasi sub timore peccans coram humanis aspectibus pro malefactis suis reprehendi metuebat, longa peccandi excæcatus consuetudine, quasi quadam adepta libertate malis pejora de die in diem adjicere non pudeat.

Sed quia per prædictum Herodem non solum hos expressos audivimus, qui in spiritali vita non spiritaliter gradiuntur, sed et universos, qui cæteris prælati, vicem Christi in Ecclesia gerunt, quomodo etiam, id est prædicatores, superbissimi ejusdem Herodis fiant imitatores, diligentius inquirere studeamus. Ille eum revera imitatur, qui relicta humilitate duris superbiæ facibus inflammatur. Quæ nimirum ubi cordis murum expugnaverit, suæque habitationis locum in eo præparaverit, omnem sui secum introducens comitatum, vitiis singulis singularem dominandi locum tribuit atque principatum.

A Ibi procul dubio verbum Domini, vox sapientiæ, quasi vinculis addicta captivatur, quia vitia, quibus semetipsum homo per levitatem mentis subdidit, nequaquam in altero utiliter reprehendere aut emendare poterit. Nam quomodo ad humilitatis et mansuetudinis bonum alios admonet et hortatur, qui iracundia aut mentis tumore super se elevatur? Qualiter prædicationis verbo ab appetitu terrenorum alios compescit, qui etsi non in aperto, toto tamen cordis desiderio lucris sæculi inhiare non erubescit? Ab hujusmodi profecto vinculis liberum se Apostolus gaudebat, qui nullam reprehensibilis vitæ objectionem metuens fiducialiter dicebat: *Legatione fungor in catena, sed verbum Dei non est alligatum* (*Ephes.* VI, 20). Verbum quippe Dei in corde ipsius

B alligatum non erat, qui licet corpore ferro astrictus teneretur, liber tamen spiritu nullo remordentis conscientiæ vitio præpeditus a veritatis tramite ulla averti poterat **526** ratione. Sed si sequentibus sancti Evangelii verbis diligentius intendere studebimus, hæc omnia, quæ supra diximus, per occulta potius insidiarum machinamenta, quam per aperta operis inquinamenta fieri videbimus. Sequitur:

Herodias autem insidiabatur ei. Abominabile quidem et omnino esset abhorrendum, si is, qui unquam vel ad momentum degustare meruit, quanta divinæ dignatio visitationis sit, diabolicæ fraudis superatus nequitia, ad aperta carnis subito inflecteretur flagitia. Hoc enim cum antiquum hostem non lateat, per inevitabiles fraudis suæ insidias homini obviat, nunc animi tumorem, nunc arrogan-

C tiam, inanisque gloriæ ingerens favorem. His profecto vitiis in humano corde quasi pro fundamento positis, dum internæ mentis acies a veræ lucis intuitu reverberatur, quæ continuo mala sequantur sequentibus evangelistæ verbis clarius demonstratur.

Volebat, inquit, *eum occidere.* Vita quippe carnis anima, vita autem animæ Deus est. *Vult* quidem Herodias Joannem *occidere*, quia concupiscentia hujus mundi ad nihil aliud tendit, nisi ut animæ vitam suam, quæ Deus est, per male dulces vitæ carnalis illecebras auferre possit. Sed tamen quia in homine illo, qui aliquando rex fuerat, qui de interna Christi dulcedine vel tenuiter aliquando prægustare

D meruerat, hæc malæ Herodiadis voluntas subito fieri non possit, sequenti versu satis evangelista insinuat, ubi eamdem Herodiadem voluntatem occidendi Joannem habuisse, sed possibilitatem perficiendi, quod voluit, defuisse sibi nuntiat. *Volebat*, inquit, *occidere eum, nec poterat.*

Sed quæ hujus impossibilitatis causa fuerit, continuo manifestat, cum dicit: *Herodes autem metuebat Joannem, sciens eum virum justum et sanctum, et custodiebat eum. Metuit Herodes Joannem*, quia dum verbum Dei, quod per *Joannem* exprimitur, audit vel legit, peccata sua pertimescere incipit. *Sciens eum virum justum et sanctum, et custodiebat eum. Scit*, inquam, quia totum quod Scriptura sancta prætendit, ad virtutes, ad justitiam, ad sanctitatem

tendit, et ideo, quantum facultas suppetit, custodire eam incipit.

527 *Et audito eo multa faciebat, libenter eum audiebat. Audito* Joanne, audito verbo sacræ Scripturæ in qua gratia Dei latet, *multa facere* incipit, quæ antea facere neglexit, *et libenter* eam *audit*, licet totum, quod loquitur, contra se esse noverit. *Et cum dies opportunus accidisset Herodes natali suo cœnam fecit principibus et tribunis et primis Galilææ. Opportunus* iste *dies*, qui tam sublimiter ab evangelista notatur accidisse, opportunam supernæ visitationis gratiam convenienter exprimit, quæ se non solum perfecte viventibus, sed etiam minus perfecte coram Deo gradientibus apte et opportune plerumque ingerit.

Talis iste dies bene Herodi *accidere* dicitur, quando fidelis prælatus, sive quilibet homo beatus, internæ contemplationis dulcedine supra se elevatus, ad illius summæ et ineffabilis suavitatis mensam non corpore, sed spiritu accedere permittitur, ubi spiritalibus recreatus deliciis, spiritaliter in Deo renascitur. Sic, sic cœlesti convivio impinguatus, et ut ita dicam, feliciter in semetipso regeneratus, cœlestem illam *cœnam*, quam ille intrinsecus meruit prægustare, *principibus et tribunis et primis Galilææ* per prædicationis officium incipit ministrare.

Qui autem *principes* isti et *tribuni*, *et primi Galilææ* sint, quibus talis hæc cœna conveniat. Psalmista manifestius insinuat : *principes*, inquit, *Juda duces eorum, principes Zabulon, principes Nephthalim* (*Psal.* LXVII, 28). Judas *confessio* interpretatur. *Principes Juda* non incongrue homines illi dicuntur, qui relicto funditus sæculo pro antiquis semetipsos excessibus districte dijudicant, non excusantes excusationes in peccatis, sed propriæ vulnus infirmitatis detegentes per amaritudinem puræ et perfectæ confessionis.

Qui dum tanto fervoris zelo contra semetipsos armati incedunt, per adjuvantem gratiam Dei etiam *tribuni*, id est *principes Zabulon* fieri poterunt. Zabulon *habitaculum fortitudinis* interpretatur. *Principes Zabulon* appellari possunt, quando divinæ inspirationis instinctu ad hanc fortitudinem perveniunt, quod spiritu ambulantes menteque legi Dei 528 consentientes, carnis vitia ferro continentiæ, quantum valent, resecant, et non minus cogitatione quam verbo et opere sollicite se custodiunt.

Per triplicem hanc custodiam, dum in tribunatu suo laudabiliter progrediuntur, *primi Galilææ*, id est *principes Nephthalim*, quod interpretatur *cervus emissus*, efficiuntur. Quod tunc revera fit, quando in spe cœlestis patriæ currentes, si qua obstacula ex impedimento hujus mutabilitatis obviant, viriliter transeunt, et altis contemplationis saltibus corde et animo ad superna conscendunt.

Sed et alio modo *diem* istum *opportunum*, alio modo *principes* istos, *tribunos et primos Galilææ* possumus intelligere. Per *diem opportunum* prosperitatem mundi rerumque temporalium non incongrue accipere possumus. Quæ cum homini Herodiadem amplectenti, homini, inquam, concupiscentiam, amorem vel avaritiam hujus mundi diligenti accidit, magnam opportunitatem peccandi administrat, in qua *principibus, tribunis et primis Galilææ* cœnam delectabilem facere incipiat.

Per *Galilæam*, quod *rota* vel *volubilis* dicitur, mundus iste non incongrue accipitur, qui nunquam stat, sed in modum rotæ semper circumfertur et volvitur. Hujus *Galilææ principes; tribuni et primi* maligni spiritus non incongrue possunt dici, sicut ex ipsius testimonio Veritatis in Evangelio invenimus : *Venit enim*, ait, *princeps hujus mundi, et in me non habet quidquam* (*Joan.* XIV, 30).

Sed notandum, quare *principes*, quare *tribuni*, quare *primi Galilææ* dicantur. Tria hæc vocabula idcirco, ut credimus, congrue sortiuntur, quia tria sunt, in quibus universi homines ab eisdem dæmonibus tentantur et impugnantur. Tentantur in carne, tentantur in spiritu, tentantur in mente. Recte ergo dæmones illi *principes* nuncupantur, qui in carne hominem tentant, hoc est qui hominibus carnalibus carnalia vitia maligna suggestione sua intentant. *Tribuni* autem dæmones illi non incongrue dici poterunt, qui in spiritu spiritales et perfectiores homines sua fallacia impetunt. 529 Tribunus enim ille dicitur, qui centum militibus præficitur. Et apte hoc numero, qui perfectus est, spiritalis et perfectus quisque intelligi potest. In spiritu ergo tentantur, quando imaginibus rerum ab eisdem dæmonibus intrinsecus falluntur. Imagines rerum autem dicuntur, quando unum cernitur, per quod alterum designatur, verbi gratia, ubi scribitur Deus aut homo, non hoc Deus aut homo est, sed imago et signum quoddam illius est quod Deus sit, quod et homo sit. Qui in hoc fallitur, hoc est qui imaginem pro veritate amplectitur, male in spiritu a dæmonibus tentatur. Sunt et alii spiritus, his nequiores ad tentandum genus hominum subtiliores, illi videlicet, qui in mente, id est in intellectu hominem impugnant. Sed cum mens vel intellectus primum et præcipuum sit in homine, recte isti non *principes*, non *tribuni*, sed *primi Galilææ* possunt appellari. Sed ut triplex hæc principum, tribunorum et primorum tentatio manifestior fiat, de hac eadem causa subtilius aliquid adhuc disserere non pigeat.

Tres visiones sunt, corporalis, spiritalis, intellectualis. Corporalem visionem dicimus, quod corporalibus oculis corporaliter cernimus. Spiritalis autem visio est, cum in spiritu aliquid videmus, quod tamen, quid sit, intellectu discernere non valemus, sicut de Pharaone legimus, qui vidit septem boves pulchras et crassas, totidemque fœdas et macilentas. Vidit etiam septem spicas plenas et formosas et septem tenues uredineque percussas. Hæ nimirum visiones imagines quædam erant rerum sequentium, quas idem Pharao futuras per somnium et in spiritu prævidit, sed quid portenderent, men-

tis intellectu comprehendere nequivit. Joseph au- A tem in intellectu mentis videre meruit, quando futuram rerum veritatem, imaginarie præsignatam, eidem Pharaoni sublimiter exposuit. Per intellectualem hanc visionem, qua ipsa rerum veritas conspicitur, tertium illud cœlum convenienter exprimitur, ad quod raptum se Paulus apostolus dicit, ubi verba arcana, quæ non licet homini loqui, audire promeruit, quia sicut triplex est visio, corporis, spiritus et mentis, ita triplex etiam sensus est in Scripturis sanctis, litteralis, spiritalis, intellectualis. Litteralem atque spiritalem sensus egregius ipse doctor gentium tunc transcenderat, et usque ad tertium cœlum, intellectualem scilicet sensum, gloriose
530 conscenderat, quando toto cordis intellectu ita cœlestibus est conjunctus, quod utrum in corpore, an extra corpus esset se nescire asseruit. Sunt ergo dæmones, qui nos, sicut præmisimus, impugnant in corporalibus; sunt dæmones, qui nos impugnant in spiritalibus; sunt dæmones, qui nos impugnant in intellectualibus.

His omnibus copiosam et delectabilem *cœnam* homo efficit, quando aut corpore, aut spiritu, aut mente peccare Deo non metuit. Hæc nimirum *cœna* tam dulcis tamque amabilis spiritibus immundis raro confici poterit, nisi quando prædictus ille dies, quem prosperitatem sæculi diximus, arridere homini incipit. Dies enim ille valde aptus, valde opportunus est ad peccata, quia rarus nimis homo ille est, qui cunctis prospere succedentibus, ita statum suum tenere valeat, quin supra dictis principibus, tribunis et primis Galilææ aut inordinata cogitatione, aut superflua locutione, aut etiam illicita operatione lethalem hanc cœnam plerumque conficiat. Non facile enim ad peccata trahitur qui aut infirmitate, aut alia qualibet molestia vel adversitate assidue premitur. Nam quod status rectitudinis facilius in adversitate quam prosperitate servetur beatus Job suis manifestius verbis insinuare videtur: *Pereat*, inquit, *dies, in qua natus sum* (*Job* III, 3). Diei nativitatis suæ Job maledixit, quia omnem mundi hujus prosperitatem, in qua delectabiliter in semetipso quodammodo homo renascitur, ad animæ perditionem tendere conspexit. Unde perfectus etiam homo sicut dictum est, facilius prosperitate quam adversitate ad peccata flectitur; stultus autem et prosperis et adversis dejicitur teste Salomone, qui ait: *Aversio parvulorum interficiet eos, et prosperitas stultorum perdet illos* (*Prov.* I, 32). Igitur mortiferam principibus mundi hujus cœnam ex diversis peccatorum generibus homo tunc parare incipit, quando ex arridente rerum temporalium prosperitate totus a Deo avertitur, et ad sæculum toto cordis desiderio convertitur, sicque in eo invisibiliter fit quod tunc visibiliter factum evangelista subjungit:

Cumque introisset, inquit, *filia ipsius Herodiadis, et saltasset, et placuisset Herodi simulque recumbentibus.* In *Herodiadis* filia voluptas cordis et corporis non incongrue est intelligenda, quæ convivantibus
531 principibus, tribunis et primis Galilææ, quos malignos spiritus diximus, recte dicitur subintrare, quando homo ex maligna eorumdem dæmonum suggestione suaviter, voluptuose, delectabiliter incipit peccare. Dulcescentibus peccatis intrinsecus miserabiles eadem filia saltus addit, dum de vitio in vitium, de peccato in peccatum transilire hominem facit, ut diversis nequitiis vicissim sibi succedentibus saltantem recte imitetur, qui nunc unum, nunc alterum locum petere videtur. *Placent* autem *Herodi* tales tamque perversi saltus Herodiadis, quando complacere sibimetipsi homo incipit in peccatis. Placent etiam *simul recumbentibus*, id est universis sensibus suis, ad peccata sibi consentientibus. Sic-
B que fit quod sequitur:

Et rex ait puellæ: Pete a me quod vis, et dabo tibi. Fit, inquam, ut homo ille, qui aliquando rex fuerat, qui regnum suum, corpus scilicet et animam suam secundum voluntatem Dei regere proposuerat, petitioni perversæ hujus *puellæ*, per quam, sicut præmisimus, voluptas designatur, in omnibus se satisfacturum pollicitatur. Et non incongrue voluptas nomine *puellæ* notatur, quia sicut *puella* tenera est et mollis, infirma et fragilis, sic omne cor, quod illa possederit, molle et tenerum ad consentiendum, infirmum et fragile ad resistendum peccatis efficit. Unde apte satis subjungitur: *Pete a me quod vis, et dabo tibi. Petere* voluptatis est illicere hominem ad
C aperta flagitia iniquitatis. Dicere autem hominis ad eam, *pete a me*, est illecebris carnalibus ab ipsa procedentibus devoto corde et corpore seipsum submittere. *Pete*, inquit, *a me quod vis.* Quasi dicat: Ad omnia, quæ petieris, ad quæcunque me flagitia inflectere volueris, paratus ero tibi, quia dictis illicitis, cogitationibus superfluis, operibus malignis satisfacere tibi studebo.

Et juravit illi: Quia quidquid petieris, dabo tibi, licet dimidium regni mei. Per juramentum istud fortis ille et firmus consensus intelligi poterit, per quem male dulci peccatorum delectatione instigatus perniciosæ voluptati homo semetipsum astringit. Hoc lethali juramento constrictus, hoc pernicioso peccatorum consensu excæcatus, dum carnalium
D amore rerum intrinsecus superatur, pollicetur etiam *dimidium regni sui*, si petatur. Sed cum totum regnum anima et corpus hominis sit, per dimidium regni convenienter **532** corpus intelligi poterit, quod tunc miser homo Herodiadi promittit, quando ad obediendum et satisfaciendum carni carnisque desideriis totum se voluptati submittit. Peracta autem hac miserabili promissione de die in diem deterior fit, quemadmodum consequenter evangelista subjungit:

Quæ cum exisset, inquit, *dixit matri suæ: Quid petam?* Non sine causa esse credimus, quod prædicta Herodiadis filia modo introisse, modo exisse tantopere notatur ab evangelista. Filia Herodiadis quodammodo dicitur introire, quando voluptas malo

providum cor hominis diversis peccatorum oblectamentis ad male faciendum incipit emollire. Exire autem dicitur, quando iterando peccata novis semper sceleribus semetipsum innovare nititur. *Quid petam*, inquit? Quærit quodammodo filia a matre quid petere debeat, quando homo deditus voluptati nunc ad concupiscentiam carnis currit, nunc ad superbiam mentis recurrit, quærens et investigans diligenter quibus potissimum vitiis miseram animam suam oblectare possit. *Quid*, inquit, *petam?*

Et illa dixit : Caput Joannis Baptistæ. Nomine *Joannis*, quod interpretatur, *in quo est gratia Dei*, vetus et nova lex consequenter valet intelligi, in qua revera gratia Dei esse dicitur, quia ex ea homo perfecte eruditur, quomodo Deo placere, quibus meritis et remissionem peccatorum, et æternorum plenitudinem gaudiorum possit obtinere. Hujus *Joannis*, hujus, inquam, veteris ac novæ legis *caput*, licet Christus sit, possumus tamen adhuc in Joanne, et Joannis capite etiam hominis intentionem accipere. Habet igitur Joannes caput suum, quando homo salvandus totam intentionem suam ad Deum, et sacram Dei Scripturam dirigit, et ea devotione verbum Dei legit et audit, ut gratiam illam in eo inveniat, quo et Deum et seipsum perfecte cognoscere valeat. Huic Joannis capiti, huic, inquam, tam salubri hominis intentioni, Herodias cum filia sua semper insidiatur, quia nihil aliud intendit concupiscentia et voluptas sæculi, nisi ut totam hominis intentionem a Deo et a doctrina Dei avertat, et carnalis vitæ amorem et oblectationem cordi hominis substituat. Hoc ejusdem Herodiadis consilio apte demonstratur, quo ad petendum caput Joannis Baptistæ filiam admonet et hortatur.

533 Sed notandum quid sit quod, cum diceret, *caput Joannis*, addidit, *Baptistæ*. Est in verbo Dei, quod per Joannem accipitur, gratia baptizans, et est in verbo Dei gratia non baptizans. Gratia baptizans dicitur, quando homo ex verbo Dei emollitus ad lamenta compungitur, quia dulcis ille lacrymarum fluvius ex recordatione peccatorum et amore cœlestium, ex profundo cordis erumpens, baptisma quoddam est hominis, in quo feliciter quodammodo baptizatur, in quo peccatorum abolita vetustate feliciter in Christo regeneratur. Est et alia adhuc gratia, quæ ex verbo Dei concipitur, satis quidem bona et utilis, huic tamen nequaquam similis, gratia videlicet illa quod homo verbum Dei libenter et delectabiliter, suscipit quæ tamen *Joannes Baptista*, id est gratia baptizans dici non poterit, quia etsi audire verbum Dei delectatur, virtus tamen lacrymarum quia deest, ex eo non baptizatur, quia a peccatorum labe sine compunctione et humili cordis contritione, homo non emundatur. Talis ergo virtus verbi Dei, ex qua sic homo baptizatur et renovatur, cum hostem antiquum non lateat, nunc per concupiscentiam, nunc per voluptatem concupiscentiæ filiam importune homini incumbit, ut *caput Joannis Baptistæ* petat, hoc est ut omnem intentionem suam a baptizante illa gratia, quam aliquando ex verbo Dei concipere meruit, penitus avertat. In hoc dum homo miser diabolo consenserit, dum concupiscentia et voluptate superatus carnalia spiritalibus prætulerit, subito in deterius labitur, quemadmodum consequenter evangelista prosequitur.

Cumque introisset, inquit, *statim cum festinatione ad regem, petiit dicens : Volo ut protinus des mihi in disco caput Joannis Baptistæ.* *Cum festinatione* filia Herodiadis ad regem intrat, quando hominem spiritalem corde et corpore ita sibi voluptas substernit, quod totus fervet ad scelera, quod festinat perficere, ad quæcunque eum caro videtur illicere. *Volo*, inquit, *ut protinus des mihi in disco caput Joannis Baptistæ.* Imperat quodammodo voluptas, quæ ante blandiebatur, quando homo suimet per omnia impotens effectus resistere peccatis non valet, sed corde et corpore ad *discum*, id est ad gulam convertitur, ut videlicet nihil facere, dicere vel cogitare libeat, nisi quod caro suggerit aut desiderat.

Et contristatus est rex. Contristatur **534** ad primum, qui aliquando rex fuerat, dum sic a carne se superatum, dum illa, quam aliquando ex dono Dei habuit, gratia tam miserabiliter se privatum considerat. *Propter jusjurandum autem et propter simul recumbentes noluit eam contristare.* Per *jusjurandum*, sicut præmisimus, fortem et stabilem, lethalem et exsecrabilem peccati consensum accipimus, *simul* autem *recumbentes* sunt interioris exteriorisque hominis sensus peccato consentientes. Firmus peccatorum consensus, quando cor intrinsecus possederit, omnes sensus hominis idem sapere, idem diligere et quærere facit. Sicque fit ut dominantem sibi voluptatem resistendo peccatis contristare non velit, sed ad imperium ejus desideriis carnis suæ per omnia studeat satisfacere dicens sibi ad se intra se : Quid hæc mihi confert tristitia? Quid mihi proderit, nunc peccata dimittere, nunc cum resistere carni non valeam, iterum eadem repetere? Sicque totus in præcipitium ruit, sicut consequenter evangelista subjungit :

Et misso, inquit, *spiculatore, præcepit afferre caput ejus in disco. Spiculator*, quia arma domini sui portat, intellectum hominis convenienter significat, qui spicula illa, sacræ videlicet testimonia Scripturæ frequenter colligere et portare in seipso solebat, quibus hostem antiquum ferire, quibus ab invisibili ejus incursu aliquando se satagebat præmunire. *Spiculatorem* suum homo ad decollandum Joannem *mittit*, quando totam intentionem suam a Deo et sancta Scriptura avertit, totumque intellectum atque sensum ad *discum*, id est ad satisfaciendum gulæ desideriis propriis convertit, sicque fit quod sequitur :

Et decollavit eum in carcere, et attulit caput ejus in disco, et dedit illud puellæ, et puella dedit matri suæ. Per *carcerem*, sicut præmisimus, tenebrosum cor hominis accipimus. *In carcere* Joannes *decolla-*

tur, quando ab omni gratia spiritali homo intrinsecus evacuatur. *Quo audito discipuli ejus venerunt, et tulerunt corpus ejus, et posuerunt illud in monumento. Venerunt* per affectionem, *tulerunt* per operationem, *posuerunt* per mentis contemplationem. Veniamus et nos per mentis obedientiam, tollamus per operis efficaciam, ponamus in boni operis perseverantia, ut ad gaudia, quæ perseverant sine fine, quandoque mereamur pervenire. Quod ipse præstare dignetur Jesus Christus Dominus noster, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

535 HOMILIA LXXV.

IN FESTUM NATIVITATIS S. MARIÆ VIRGINIS PRIMA.

Exsurgens Maria abiit in montana cum festinatione in civitatem Juda, et intravit in domum Zachariæ, et salutavit Elisabeth (*Luc.* II).

Quia nativitas perpetuæ Virginis Mariæ, quam debita veneratione recolimus, gaudium perpetuæ vitæ annuntiavit omnibus in hac peregrinatione gementibus, debemus subtili inquisitione animadvertere quomodo præclara gloriosæ ejusdem Virginis nativitas verbis sit expressa lectionis evangelicæ. Plerique enim sine intellectu remanentes spiritali, solent inquirere quomodo hæc evangelica verba gloriosæ Virginis congruant nativitati. Sed his, quibus intus spiritus loquitur, aperte datur intelligi, non solum nativitatis primordia, verum etiam laudabilis conversationis ejus merita in eis excellenter esse declarata. Ait enim evangelista :

Exsurgens Maria abiit in montana cum festinatione. Tunc ergo primum domina nostra perpetua virgo Maria exsurrexit, quando regalibus orta natalibus virga de radice Jesse, Virgo floris, in lucem mundi processit. Sed videamus hæc regina cœlorum sic exsurgens quo ascenderit, quem in locum declinans abierit, ad quale virtutis opus ibidem se extenderit.

Abiit, inquit, *in montana cum festinatione. Abiit* igitur Domina nostra Maria *in montana*, mox ut est nata, quia per ducatum sancti Spiritus, eam in sua suscipientis, sic a terrenis omnibus est separata, ut toto corde transiret ad dilectionem Dei Patris juxta præceptum Dominicæ legis sic præcipientis : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua, et ex omni mente tua, et ex omnibus viribus tuis* (*Deut.* VI, 5), quod est toto intellectu, tota voluntate, tota memoria. Dilexit plane toto intellectu Dominum, quem sicut præ cæteris in virginalem thalamum suum a se incorporandum suscipere promeruit, ita sola solum, unica unicum unicæ majestatis Dominum **536** præ cunctis mortalibus dilexit; ad cujus etiam dilectionem omne, quod erat, quod vivebat, quod intellectu comprehendere poterat, toto conamine transferre satagebat. Hanc autem dilectionem non segniter tenuit, sed exercere in opere *cum festinatione*, id est bona voluntate summopere curavit. Nam nihil hominem tam festinum et promptum

A tantæque reddit alacritatis, quemadmodum bonæ devotio voluntatis. Ad cumulum autem hujus dilectionis præcipue addidit beata Dei genitrix Maria quartum legis mandatum summo studio adimplere, *ex omnibus* utique *viribus* Deum diligere, quod est *in civitatem Juda abire.* Judas namque *confessio* sive *laudatio* interpretatur, quæ laus et confessio satis juste, satis digne Dominæ nostræ Mariæ ascribitur. In voce enim exsultationis et confessionis *ex omnibus viribus* gloriam sui quærebat Conditoris, tam corde quam corpore jugiter confitendo et laudando illum, per quem se noverat salvandam et benedicendam esse per ævum. Sequitur :

Et intravit in domum Zachariæ. Per *Zachariam*, B qui *memor Domini* interpretatur, pudici pectoris ejus purissimæque dilectio mentis figuratur, qua tota memoria Deum diligebat, cui soli sic inhærebat, ut memoriam dilecti sui, regis sempiterni, nec ad horam de principali cordis sui pateretur auferri. Sic fervens in amore Creatoris mediatrix Dei et hominum non minori charitatis affectu erga salutem vigilabat proximorum, ut in verbis consequentibus apte colligere possumus. Ait enim :

Et salutavit Elisabeth. Per *Elisabeth* sanctam, quam hæc gloriosa Virgo amando salutavit amor innuitur proximorum, quem ita indeclinabiliter tenuit, ut salutem, quam sibi die noctuque tantis lacrymis exorabat, non minori **537** charitatis affectu omni etiam humano generi profuturam votis C omnibus exoptabat, et ideo secundum legis præceptum proximum, ut seipsam diligebat. Non solum autem hanc salutem antiquis annuntiavit Patribus, sed revera quotidie Novi Testamenti annuntiat cohæredibus. Et quamvis carnis soluto debito in regnum transierit dilecti Filii sui, adhuc tamen nobis loquitur vita mirabili, suos exemplo adhuc salutat inæstimabili.

Et quia hæc breviter de gloriosa et intemerata virgine prælibavimus, videamus nunc, quomodo hæc verba in unaquaque fideli et electa anima valeant adimpleri; quæ tamen beatam Dei genitricem, in quantum fas est mortalibus, sequi voluerit et imitari. Ait ergo Evangelista :

D *Exsurgens Maria abiit in montana cum festinatione, et intravit in domum Zachariæ, et salutavit Elisabeth. Exsurgit* beata et fidelis anima, cum de terrenis desideriis et voluptatibus se erigit, cum vitia et peccata deserit, dum in spiritu suæ mentis renovata novum hominem induit, corporeque simul et anima terrenis et noxiis actibus resistit. Quæ profecto cum sic exsurrexerit, exemplo dominæ nostræ Mariæ *in montana* condescendere [debet], ut et ipsa diligat Dominum Deum suum ex toto corde suo et ex tota anima sua, et ex omni mente sua, et ex omnibus viribus suis. Debet denique sic *in montana abire*, ut omnem dilectionem suam ad illum montem Dei, Deum scilicet omnipotentem transferat, illum super omnia et inter omnia in quan-

tum intellectu suo capere prævalet, dulci amore diligat.

Sed hoc abire, illud diligere non tepido et desidioso corde est agendum, sed *cum festinatione*, cum bona videlicet et devota voluntate ad hoc erit festinandum, quod est ex omni mente Deum diligere. Sic Deum diligendo, sic ad eum festinando beatam animam decet *in civitatem* quoque *Judæ* abire, ut quartum illud dilectionis membrum, quod in dilectione Dei a legislatore est propositum, possit efficaciter adimplere. Pergit sane in *civitatem Judæ*, si *ex omnibus viribus* suis Deum diligit. Nam, ut præmisimus, Judas *confessio* vel *laudatio* interpretatur, quam laudem et confessionem tunc veraciter Deo offerre poterit, si corde et corpore cœlestem Patrem laudans et confitens, nihil ex hoc meritis suis attribuit, **538** sed tantummodo laudem et honorem Creatoris sui requirit.

Huic laudi et confessioni illam memorialem adjungat dilectionem, de qua in verbis sequentibus subjungitur, cum dicitur, *et intravit in domum Zachariæ*. Zacharias *memor Domini* interpretatur. *Domum Zachariæ* fidelis anima *ingreditur*, quando in dilectione Dei ardens animus memoriam abundantiæ suavitatis ejus die noctuque eructare et præmeditari nititur. Sequitur:

Et salutavit Elisabeth. In beata Maria matre Domini Jesu, quæ Salvatorem nobis genuit, in plerisque Scripturarum locis prælati et doctores sunt designati, quia revera sicut ipsa carne incorrupta Deum nobis protulit, sic prælati et prædicatores verbo suæ exhortationis Deum quodammodo pariunt in subditis. Ita in præsenti loco per beatam Mariam illi prælati possunt figurari, qui tali, ut prædiximus, ordine in dilectione Dei stabiliti et sublimati, tandem Dei vocatione ad curam regimenque animarum merentur assumi. Per *Elisabeth* vero, quæ *saturitas Dei mei* interpretatur, boni subditi possunt accipi, qui ex nulla rerum transeuntium delectatione queunt aut volunt satiari, sed in solius Dei visione satietatem suam constituerunt, ut confidenter dicere possint cum Psalmista: *Satiabor, cum apparuerit gloria tua*. Istos bonos subditos, qui per Elisabeth designantur, boni prælati, qui per Matrem Jesu sunt designati, frequenter *salutant*, cum verbo dulcissimæ exhortationis eos alloquuntur, cum mandata et præcepta vitæ eis proponunt, cum verbis salutaribus, quæ ipsi ex ore Domini perceperunt, de salute sua eos sollicitos faciunt. Sic, sic bonis prælatis subditos suos salutantibus, magnus plerumque profectus inde Deo opitulante proveniet, sicut verbis sequentibus aperte intelligi [datur]. Nam sequitur:

Et factum est ut audivit vocem Mariæ Elisabeth, exsultavit in gaudio infans in utero ejus. Factum istud magnum et memorabile, de quo modo audivimus, inter verba prædicationis bonorum prælatorum Deus frequenter solet operari in subditis. Auditis denique verbis divinæ dulcedinis, ex Spiritus sancti A gratia eos interius tangentibus et accendentibus [*cod*. tangentes et accendentes], talis plerumque oboritur in eorum cordibus exsultatio, quæ recte **539** nomine *infantis* potest exprimi. Infans enim quasi *non fans* dicitur. Revera hæc exsultatio, quam in cordis jubilo inter verba prædicationis percipiunt a Domino, talis est, ut eam fari non possit homo, ita ineffabilis est, ut eam humanis verbis exprimere et explanare nullus sufficiat.

HOMILIA LXXV.

IN NATIVITATEM B. MARIÆ VIRGINIS SECUNDA.

Nativitas tua, sancta Dei Genitrix Virgo, gaudium annuntiavit universo mundo; ex te enim ortus est Sol justitiæ, Christus Deus noster (*Ecclesia*).

Paritura Solem justitiæ beatissima virgo Maria B universum mundum hodierna die illuminavit et lætificavit nativitate sua, quia tenebris peccatorum, tenebris æternæ damnationis ita involutum erat totum genus humanum, ut nullus ex antiquis esset Patribus, qui licet sancte, licet pie et juste viveret, tamen post longas vitæ hujus miserias, post longas mundi hujus tenebras cum dolore non descenderet ad inferos, donec in fine temporum ex eadem beata Virgine ipse ortus est Sol justitiæ, qui peracta dispensatione assumptæ carnis sedentes in tenebris et umbra mortis ad patriam æternæ claritatis dignatus est reducere. Et nunc humanæ substantiæ dignitas tam mirabiliter et misericorditer reparata est, quod electus quisque, qui bene et feliciter in hac vita vixerit, mox in hora C egressionis suæ de corpore gaudia perpetuæ beatitudinis possidebit; impius vero et peccator etiamsi in ultima hora perfecte pœnituerit, veniam, quam non meruit, exemplo latronis sero pœnitentis, procul dubio obtinebit; qui dum latrocinando multisque malis insistendo tempus vitæ perageret, tandem in cruce sero pœnitens, bona paradisi consecutus est per gratiam, quæ habere non meruit per innocentiam.

Et quia beata Dei Genitrix Maria materia, ut ita dicam, humanæ reparationis exstitit, omnis pene Scriptura, quæ opus creationis et reparationis humanæ commemorat, hanc eamdem Virginem quasi reparatricem humani generis speciali laude commendat. Nam si reparati non essemus, melius erat D quod creati non fuissemus. Unde etiam primus ille divinæ legis lator Moyses ubique in Scripturis suis mentionem hujus gloriosæ Virginis faciens, **540** quandoque eam nascituram et genus humanum misericorditer per eam reparandum pene in exordio Veteris Testamenti his verbis denuntiat, dicens: *Non enim pluerat Dominus Deus super terram; et homo non erat, qui operaretur eam. Sed fons ascendebat e terra, irrigans universam superficiem terræ* (*Gen*. II, 5, 6).

Licet juxta litteram ita se rei veritas habeat, quod in primordio, quando cuncta creata sunt, super terram non plueret, mystice tamen aliquid spiritus veritatis innuit, quod ad laudem et gloriam beatæ Dei Genitricis satis convenienter respicit. Nam

pluvia visibilis, quæ desuper veniens terram infundit et inebriat, pluviam cœlestis disciplinæ, doctrinam videlicet castitatis et humilitatis, quæ exemplo castissimæ hujus Virginis quandoque futura erat, satis congrue significat, quia dum hac salutari pluvia terra humani cordis irrigatur et infunditur, multiplici bonorum operum ubertate fecundatur. Hanc profecto pluviam *nondum Dominus super terram*, id est super nullum bene terrenum hominem *pluerat*, sed specialiter præ cunctis nascituræ quandoque Genitrici dilecti Filii sui Deus Pater reservabat, ut hanc præ cunctis quoque mortalibus hac salutari pluvia castitatis et humilitatis perfunderet et fecundaret, et sic exemplo illius in multorum corda Deo donante derivaret.

Et homo, inquit, *non erat*, *qui operaretur eam.* Quia nondum, sicut dictum est, Dominus Deus pluerat super terram, *homo non erat*, *qui operaretur eam*, id est qui terram cordis et corporis sic operari sciret, ut et caste viveret, et hanc castitatem in tanta cordis humilitate custodiret vel qui sic terram suam operari sciret, ut post finem vitæ ad gaudia paradisi rediret.

541 Est et alia vere cœlestis pluvia, videlicet Spiritus sancti gratia, qua in plenitudine temporis obumbranda et imprægnanda erat eadem virgo Maria. Sed pluvia hæc non desuper terram pluerat, quia Spiritus sanctus in hanc eamdem virginem nondum supervenerat. Hinc etiam eximius ille propheta Isaias, qui spiritu prophetico prænotavit dicens : *Ecce, virgo concipiet et pariet filium* (*Isa.* VII, 14), ipsam Virginem in opus humanæ redemptionis venturam, et Spiritu sancto gravidandam invitat et ait : *Rorate, cæli desuper, et nubes pluant justum; aperiatur terra, et germinet Salvatorem* (*Isa.* XLV, 8). Cum enim cœlorum nomine plerumque in Scripturis sancti et justi quique designari soleant, cur etiam per eosdem cœlos Pater et Filius et Spiritus sanctus rectissime intelligi non debeat? Quis ergo tam veraciter sanctus et justus, sicut est Pater et Filius et Spiritus sanctus? Unde est, ac si electus iste propheta, qui, ut dictum est, Virginem Dei Filium concepturam et parituram prævidit, omnipotentiam summæ Trinitatis pro eadem Virgine humiliter interpellando expostulet, ut Deus Pater talem dilecto Filio suo matrem Virginem provideat, quæ hunc ad redemptionem humani generis Spiritu sancto cooperante concipiat et pariat. *Rorate, cæli*, inquit, *desuper*. Vos, inquam, o cœli cœlorum, id est, Pater et Filius et Spiritus sanctus rorem misericordiæ desuper mittite; tempus miserendi, quod exspectamus, accelerate. Roret ergo Deus Pater Filium, sicut locutus est, mittendo; roret Filius Patri mittenti obediendo; roret Spiritus sanctus Virginem divino partui consecrandam superveniendo. *Et nubes pluant justum.* Hunc ergo justum qui solus justus, justos de injustis misericorditer facturus erit, hunc, inquam, justum nubes pluant, id est angelicæ virtutes desuper venientes matri Virgini

A concipiendum et pariendum annuntient. Veniat ergo summus ille cœlorum nuntius Gabriel, et dicat beatæ Virgini : *Spiritus sanctus superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Aperiatur terra et germinet Salvatorem* (*Luc.* I, 35). Terra illa, cui benedixit Dominus, terra, inquam, virginalis thalami aperiatur sine tactu pudoris unico Filio Dei; aperiatur, obsecro, æterno Principi, conceptura et paritura totius Salvatorem sæculi; aperiatur, dico, sic ut, quemadmodum **542** eadem Virgo in animo suo disposuit, clausa semper et intacta permaneat, et Mater facta decus virginitatis non amittat. *Et germinet Salvatorem.* Quid est *germinet Salvatorem*, cum potius dici posset, pariat vel generet Salvatorem? Germen cujusque rei sive herbarum sive ar-

B borum in primis quidem exiguum valde, infirmum est et fragile; sed tamen spes sequentis fructus in ipso quodammodo præmonstratur germine. Sic etiam parvulus ille filius Virginis, dum teneris indutus membris inter arcta vagiret præsepia, spem tamen futuræ salutis, quam humano generi facturus erat per omnipotentiam habitantis in se divinitatis, plurimis virtutum indiciis præmonstrabat, et nunc fructus ejusdem virginei germinis, fides, inquam, tantilli infantuli totam replevit latitudinem mundi. Unde et supra memoratus ille Moyses, laudem et gloriam tam matris quam et Filii altius adhuc intuens, ait :

Fons ascendebat e terra, irrigans universam super-

C *ficiem terræ. Terra* hæc, terra illa est vere beata, vere benedicta, de qua supra diximus; *fons* vero de illa egrediens parvulus est filius ejus, qui *irrigasse universam superficiem terræ* satis convenienter dicitur, quia per fidem incarnationis et passionis suæ solus Creator et Redemptor in universa terra adoratur et colitur. Et ecce, de fonte illo exiguo per fines orbis terrarum innumera processerunt flumina cœlestis sapientiæ.

Et quia ad laudem Virginis matris salvo intellectu pene cuncta transferre possumus, quæ de filio ejusdem Virginis mystice in Scripturis intelligenda invenimus, ecce, jam per *fontem ascendentem de terra*, quem ad personam Filii pertinere diximus, satis congrue intelligi valet eadem mater et virgo, quæ

D *de terra*, id est, terrenis parentibus orta, *universam irrigavit superficiem terræ*, id est exemplo castitatis suæ et humilitatis universas illustravit Ecclesias. Ecce, jam *fons* ille virginalis ita *universam terram irrigavit*, ita rivos castitatis et humilitatis per fines orbis terræ dilatavit, quod jam innumerabilis multitudo utriusque sexus *superficiem terræ* suæ, membra videlicet sua, quæ sunt super terram caste vivendo mortificare non desinit, et non solum custodire desiderat castitatem exterioris hominis, quod est integritas corporis, **543** verum etiam castitatem spiritus, quod est vera humilitas cordis. Hæc est, inquam, fontis hujus salutifera irrigatio, quæ nunc diffusa et dilatata est in universa terra, quam etiam Salomon sapientissimus in Spiritu san-

cto providens sic de eodem fonte testatur dicens : *Fons hortorum, puteus aquarum viventium* (*Cant.* IV, 15). *Fons* aqua est de terra ascendens, et desuper terram manifeste fluens, *puteus* vero altus ac profundus est, et aquæ, quas habet, patenter videri non valent. Et hæc duo beatæ virgini bene convenire videntur. Nam quibusdam quasi *fons hortorum*, quibusdam quasi *puteus* est *aquarum viventium*; *fons*, inquam, simplicioribus et minus intelligentibus *puteus* alta et profunda sapientibus. Sunt enim nonnulli, qui velut *horti* bene fructiferi, et exterius fructum bonæ operationis et interius fructum veræ dilectionis proferre satagunt, et tamen mystico Scripturarum intellectu ardua et sublimia loqui vel cogitare de hac eadem Virgine nesciunt, scientes tantum ipsam Matrem misericordiæ clementer intervenire pro peccatoribus, multosque pene desperatos piissimis ejus salvatos esse precibus, et sic eam a filio suo honorari, ut nil ab eo Matri roganti possit negari; et ideo simplici corde preces et lacrymas illi offerunt, humiliter illi pro peccatis suis supplicant, ejusque interventu veniam delictorum se obtinere non dubitant. Sic profecto simpliciter de ea sentientibus, sic humiliter eam invocantibus, quasi *fons hortorum* est. Nam aquas salutis de hoc eodem fonte hauriunt, dum misericordiam, quam expostulant, ejus suffragantibus meritis inveniunt. Quæ sicut simplicioribus, ut diximus, fons quodammodo est, ita et perfectioribus alta et ardua sapientibus *puteus* est *aquarum viventium*, qui multa ad laudem Virginis **544** pertinentia ex Scripturis sanctis mystico sensu intelligunt, qui post longa pœnitentiæ lamenta quasi digna satisfactione purgati de percepta spe indulgentiæ gaudent, et solo desiderio et amore cœlestis patriæ jam fere dulce habent. His profecto hoc modo *puteus* est *aquarum viventium*, quia si forte minus aliquando ad mysticum valent intellectum assurgere et minus valent de interna mentis gustare dulcedine, ad puteum istum, ad beatam videlicet Virginem dum orando et obsecrando veniunt, *aquas viventes*, aquas sapientiæ et intellectus, aquas compunctionis intimæ de hoc puteo misericordiæ hauriunt.

Unde aquæ istæ fluunt? *Quæ fluunt*, inquit, *impetu de Libano*. Per *Libanum*, quod *candidatio* interpretatum dicitur, candidus et immaculatus ipsius Virginis filius non inconvenienter accipitur, qui licet in carne peccati appareret, totus tamen revera erat candidus, quia nec minima erat peccati contagione respersus. De hoc namque Libano, id est de filio Virginis Domino nostro Jesu Christo totum omnino fluit, totum revera procedit, quidquid consolationis et gratiæ eadem Virgo mater generi humano impendit.

Et notandum quia non simpliciter dictum est, *quæ fluunt de Libano*. Sed additum est, *cum impetu*. Nam quid est aquas viventes *cum impetu* fluere, nisi fortiter, suaviter mentem hominis intus petere? Ergo cum *impetu* magno fluunt, dum cor ab imis elevant, dum ad amorem invisibilium mentem erigunt, quia non sine magno fructu salutis esse poterit, quidquid precibus Virginis matris homini supplicanti desuper datum fuerit.

545 HOMILIA LXXVI

IN EAMDEM FESTIVITATEM TERTIA.

Vidit Jacob scalam. Summitas ejus cœlos tangebat etc. (*Gen.* XXVIII).

Hodiernæ diei solemnitas, sicut specialem mundo contulit causam salutis, ita sancta Ecclesia speciali eam celebrat tripudio exsultationis. Perpetua enim virgo Maria et totius mundi domina diem hunc ineffabiliter extulit, quæ ortus sui claritate universum orbem irradiavit. Cum etenim aliorum sanctorum festivitates celebrantur, hoc quidem recolitur, quod de hoc sæculo migraverunt, et digna laborum suorum præmia acceperunt; illi vero soli hanc honoris prærogativam sancta mater Ecclesia attribuit, quem nullus sanctorum habere potest, nec poterit, præter illum solum, qui est sanctorum Sanctus, quem ipsa incorrupta Genitrix genuit. Baptistæ etiam et præcursoris Domini Joannis nativitas honorifice recolitur, quod quidem non sic ad suorum dignitatem meritorum, quam ad ejus honorem respicit quem ipse sua nativitate præcurrit et præfiguravit.

Siquidem festiva hæc dies adhibet nobis quodammodo occasionem laudandi beatam Mariam, quia videlicet per ipsam maledictio illa ablata est, quam prima mater Eva posteritati suæ induxit; et dolor ille nobis temperatur, quem ipsa superbiendo promeruit. Cum enim ad hujus vitæ miserias nascimur, quid protoplasti parentes nostri meruerint, quidve nos passuri simus, in primo ortu nostro etsi non verbis, miserabili tamen et flebili clamore indicamus. Merito ergo hæc mater, hæc communi omnium laude digna est prædicari, speciali autem amoris et gratiarum actionis privilegio sexus mulierum attollere illam debet; quia ipsa opprobrium abstulit, quod prima mulier eis attulit. Nam si mulier hæc et Virgo nata non fuisset, forsitan viri dicerent quia mulier causa reatus et mortis esset. Sed jam hujus improperii **546** objectio convenientiam non habet, quoniam domina nostra virgo Maria omnium virorum et mulierum vitam edidit. Ille quondam primus parens excusans suam culpam ad Deum dicebat: *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno et comedi* (*Gen.* III, 12). Nunc vero tam viri quam feminæ in gratiarum actione dicere habent suo Creatori: Mulier, quam dedisti nobis auctricem et reparatricem salutis, edidit nobis lignum vitæ, quo reficiuntur animæ nostræ. Pomum quippe vitale est ille panis vivus, qui descendit de cœlo, qui quotidie sanctas animas reficit in altaris sacramento.

Hujus itaque Virginis ortus universo mundo necessarius multis modis per sanctos Patres tam scriptis quam figuris insigniter est prænuntiatus. Hinc convenienter laudi ejus aptari potest, quod de Jacob patriarcha legitur, qui unus de tribus illis patribus

exstitit, quorum specialiter se Deum Omnipotens A appellare consuevit dicens : *Ego sum Deus Abraham et Deus Isaac et Deus Jacob* (*Exod.* III, 6). Denique sic de eo legimus : *Vidit Jacob scalam* (*summitas ejus cœlos tangebat*) *et descendentes angelos, et dixit : Vere locus iste sanctus est* Quid per *scalam* hanc convenientius quam beatam virginem Mariam accipere possumus, cujus vita de imis ad cœlos semper creata [erecta ?] fuit? Tria in hac scala fuerant, quæ merito summitas ejus dici possunt, summitas scilicet castitatis, summitas charitatis, summitas humilitatis.

Et revera hæc *summitas* illius *cœlos tangebat*, in tantum ut immensa charitatis ejus devotio, qua pro humano genere sollicitabatur, ad thronum divinæ majestatis perveniens orationibus omnium sanctorum præferretur, et quod ipsi optaverant B illa pleniter obtinere mereretur. **547** Moysi quidem et aliorum sanctorum oratio apud Deum multum valuit, sed ejus oratio ipsorum preces adeo excellebat, ut omnem divinæ virtutis magnitudinem ad se traheret, et ipse cœli creator in uterum ejus descenderet.

Notandum vero quod non singulariter dicitur *cœlum*, sed *cœlos tangebat*, quia Patrem et Filium et Spiritum sanctum tetigit, qui per *cœlos* designantur. Latera nobilis hujus scalæ corpus ejus erat et anima, in quibus tres gradus, humilitatis videlicet, castitatis et charitatis Deus posuit, in quibus per eam descendere de cœlis ad terras voluit. Hinc protinus sequitur : C

Et descendentes angelos, et dixit : Vere locus iste sanctus est. Si intueamur quali modo per eam angeli descenderint, eximium Archangelum sanctum Gabrielem ad ipsam de cœlis missum, his verbis mystice denotatum, intelligere possumus, qui, ut arbitramur, non solus ad salutandam tam excellentem Virginem magnificum ei opus insinuaturus advenit, sed quasi præpotens princeps cum cæteris innumeris sibi subjectis angelis ad eam venit. Descenderunt quoque per eam sancti angeli ea nocte, qua Redemptorem nostrum peperit, quia, ut evangelista refert, dum unus pastoribus apparuisset, et salvationis nostræ opus eis denuntiasset, subito *acta est cum eo multitudo cœlestis exercitus laudantium et dicentium : Gloria in altissimis Deo et in terra* D *pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II, 13, 14).

Possumus autem et hæc verba ad unamquamque beatam animam referre, quæ diligendo et laudando Deum huic innititur scalæ. Quandiu in hoc mundo vivit, ad visitandam eam sæpe **548** dignantur descendere, ac labores ejus, quibus in præsenti vita premitur, consolationibus suis non cessat revelare. Cum vero de corpore migrare jussa fuerit, si fixam in hujus scalæ firmamento spem habuerit, totus procul dubio angelorum exercitus ad suscipiendam eam descendet, et cum laude ac exsultatione ad conspectum Regis æterni illam deducent. Merito itaque sanctus patriarcha, cum per Spiritum sanctum hanc scalam prævidisset, dixit : *Vere locus iste sanctus est.*

Celebrantes ergo natalem ejus solemni devotione, quidquid gratiarum actionis, quidquid laudis est, totum ad ipsius venerationem debemus expendere. In hac solemnitate impleamus verba Isaiæ prophetæ. Ait enim : *Qui reminiscimini Domini, ne taceatis; et ne detis silentium ei* (*Isai.* LXII, 6). Itaque ne taceamus a laude Genitricis Creatoris nostri (quia laus ejus honor est Filii) silere ipse faciat cor nostrum a strepitu vitiorum, ut libere illum laudemus, et ore ac corde ad eum clamemus. Et ut ipse non sileat in nobis, sed loquatur remissionis verba et pacis, dicere dignetur nobis verba, quæ Mariæ Magdalenæ dixit, quæ pedes ipsius lavit : *Remittuntur tibi peccata multa ; vade in pace* (*Luc.* VII, 48). Remittat hic nobis peccata nostra, et in extremis nostris dicat : *Vade in pace*; et transferat nos ad æternam pacem, ut ipsum videamus facie ad faciem. Quod ipse præstare dignetur Dominus noster Jesus Christus, qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et gloriatur Deus per infinita sæcula sæculorum. Amen.

549 HOMILIA LXXVII.

IN EAMDEM FESTIVITATEM QUARTA.

Dominus possedit me initio viarum suarum ; antequam quidquam faceret a principio, ab æterno ordinata sum etc. (*Prov.* VIII).

Quid causæ, vel quid rationis est quod lectio hæc hodierna die Nativitatis Virginis Mariæ legitur, quæ tota æternitatem divinitatis unigeniti Filii ejus Domini nostri Jesu Christi, qua coæqualis et coæternus est Patri, resonare et commendare videtur? Æstimo quod hæc sit causa et ratio quia in festo temporalis Matris Dei idcirco legere lectionem hanc Spiritus sanctus ordinaverit, ut significaretur per hoc et affirmaretur, quia propter assumptam ex temporali matre humanitatem, eam, qua æqualis est Patri, nec amisit divinitatem, nec minuit potestatem. Hoc enim ipsum Verbum Patris affirmat in primordio lectionis hujus, cum dicit : *Dominus possedit me initio viarum suarum ; antequam quidquam faceret a principio, ab æterno ordinata sum, et ex antiquis, antequam terra fieret.* Tria hic posuit, per quæ inseparabilem et individuam Trinitatis substantiam mystice exposuit. Quæ sunt hæc tria ? *Initium, principium, æternum.* In *initio* Deus Pater, in *principio* Deus Filius, in *æterno* Deus Spiritus sanctus non incongrue est intelligendus. Et bene unicuique personæ verbum sibi proprium et congruum assignavit et aptavit. Ad *initium*, quod est Pater, posuit *Dominus possedit me ; ad principium*, quod est Filius, posuit *antequam quidquam faceret; ad æternum*, quod est Spiritus Sanctus, posuit *ordinata sum*. In verbo *possedit* duo quædam notantur, potentia videlicet et sessio, et hæc duo proprie pertinent ad Patrem. Sessio designat quietem. Qui in hoc sæculo potentes sunt, ex occasione susceptæ potestatis magnæ inquietudini plerumque succumbunt. Sed non talis potestas Dei Patris. Potentia ejus potestas est et quies, semper potens est, semper quietus est. Hoc enim æterna Sapientia per hæc distinguit verba. *Do-*

minus, inquit, *possedit me*, **550** et addidit, *initio viarum suarum*. Viæ Domini sunt, sicut sæpe audivimus, veritas et misericordia Domini.

In his etiam duabus viis Domini Filius et Spiritus sanctus potest intelligi. Veritas enim Filius misericordia Spiritus sanctus. Ipse Pater est, qui a nullo est; a quo cum Filius et Spiritus sanctus sit, recte nominatus ipse *initium viarum suarum*, hoc est initium Filii, initium Spiritus sancti. Per has enim vias ipse graditur quia omnia per Filium, omnia per Spiritum sanctum operatur. Et tamen *initium* hoc, quod habet a Patre Filius et Spiritus sanctus, sine initio est, quia coæternus Patri Filius, coæternus Patri et Filio Spiritus sanctus est. Nec injuste in verbo hoc *a principio* notamus coæternum Patri Filium. Invenimus enim in Evangelio quod ipse nominavit se principium. Interrogantibus eum Judæis, quis esset, respondit: *Ego principium, qui et loquor vobis* (*Joan*. VIII, 25).

Et recte personæ illius convenit quod dicit : *Antequam quidquam faceret*. Sicut enim possidere Dei Patris est, ita facere Dei Filii est. *Omnia* enim *per ipsum facta sunt*, *et sine ipso factum est nihil* (*Joan*. I, 3). Et quia proprium est Spiritui sancto, omnia a Deo Patre per Deum Filium facta ordinare, recte ibi ponitur, *ab æterno ordinata sum*. Ipse enim Spiritus sanctus cuncta disponit, cuncta ordinat, ipse informitati rerum formam donat. Sic enim legimus quia, cum crearet Deus cœlum et terram, omnia confusa erant, sed veniens Spiritus sanctus omnem omnium rerum informitatem formavit et ordinavit. Igitur possidere est Patris, facere Filii, ordinare Spiritus sancti.

Et ne quis putaret singularitatem aliquam vel divisionem esse inter Patrem et Filium et Spiritum sanctum, ea quæ singulariter jam de differentia personarum dixit, conjunctim mox comprehendit, cum subjungit :

551 *Et ex antiquis, antequam terra fieret*. Hoc solo verbo coessentivam sanctæ Trinitatis substantiam satis decenter demonstrat quia et Pater et Filius et Spiritus sanctus omnes sunt antiqui, omnes coæterni, quia omnes coæquales, omnes consubstantiales. Sed quid est quod addidit *antequam terra fieret?* Intelligimus hoc in loco per terram assumptam propter nos humanitatem Filii Dei. *Antequam terra fieret*, inquit, quasi diceret *antequam* ego, qui sum Sapientia Patris, *terra fierem*, antequam humanam naturam de Virgine matre assumerem, eram, *ex antiquis*, eram quasi in Trinitate, eram in Patre, eram in Spiritu sancto in deitatis æqualitate.

Necdum erant abyssi, et ego jam concepta eram. Per *abyssos* angelicam creaturam intelligimus, quæ non incongrue abyssus nominari, et abysso comparari potest propter profunditatem sapientiæ, in qua creata est; quæ et aliunde in sacra Scriptura notatur, ubi dicitur : *Prior omnium creata est Sapientia* (*Eccli*. I, 4). Non ibi intelligenda est æterna Patris sapientia, sed condita in sapientia et per sapientiam angelica natura. Igitur *necdum erant abyssi*, inquit, *et ego jam concepta eram*. *Concepta eram* a Deo Patre in æternitate, et tamen conceptio illa erat Deo Patri coæterna. Vel etiam *concepta* in ordinatione Dei Patris, concipienda et generanda in tempore de carne virgineæ matris.

Necdum fontes aquarum eruperant, necdum montes gravi mole constiterant. Possumus intelligere per *fontes* primos parentes nostros Adam et Evam, per *aquas* humanam creaturam. Nec incongrue primi parentes nostri *fontes aquarum* nominari possunt. Vere enim fontes et origo totius humanæ creaturæ fuerunt. Post tales hos fontes congruo ordine posuit *montes*, per quos satis congrue patriarchæ designantur, qui ob celsitudinem vitæ et morum jure montibus comparantur. His certe verbum hoc recte oppositum est, *necdum montes gravi mole constiterant*. Gravis illa moles originale peccatum accipi potest, quod ex corruptis fontibus, ex seductis per malitiam serpentis primis parentibus in illos et in totum genus humanum defluxit. Quod nimirum originale peccatum, ut gravis et intolerabilis moles illis incubuit, miserabiliter illos depressit, qui dum tanto tempore in **552** hujus mortalitatis ærumnis atque miseriis vivebant, cum fideliter Deo servierint, tamen post vitam præsentem omnes ad infernum descendebant.

Post montes ponit *colles*, quia post notatos in montibus patriarchas succedentes patriarchis prophetas per *colles* significat dicens, *ante colles ego parturiebar*. Quomodo dicit, *parturiebar ?* Dicitur parturire quasi parere gestire. Igitur verbum hoc *parturiebar* notat ineffabile illud quod habebat coæternus Patri Filius desiderium nascendi pro hominibus. *Ante colles*, inquit, *parturiebar*, ac si diceret, ante patriarchas, ante prophetas hoc semper desiderium meum fuit in æternitate, ut parerer in temporalitate.

Adhuc terram non fecerat, et flumina et cardines orbis terræ. Possumus per terram hoc in loco non incongrue intelligere Ecclesiam. Quomodo dico Ecclesiam ? Ideo dico Ecclesiam, quia non solum tunc primum cœpit Ecclesia, quando nascente, moriente, resurgente et ascendente in cœlum Domino Jesu Christo multitudo credentium in fide crescebat, et multiplicari incipiebat, sed cœpit etiam in primo homine, qui prædestinatus est ad vitam. Nullum enim a constitutione mundi tempus erat, in quo aliquem Deus non haberet, qui ad Ecclesiam ejus pertineret. Unde de eadem Ecclesia dicit in Canticis eadem, quæ et hic loquitur, æterna Patris Sapientia : *Una est columba mea* (*Cant*. VI, 8), quia, licet diversa tempora, licet diversa fuerint sacramenta, *una* tamen apud Deum erat et est in fidei simplicitate Ecclesia. *Adhuc*, inquit, *terram non fecerat, et flumina et cardines orbis terræ*. Si per *terram* Ecclesiam intelligimus, quid per *flumina* intelligendum est nisi legalis et prophetica doctrina, quibus infundenda et irriganda erat eadem sancta Dei Ecclesia ? Per *car-*

dines autem *terræ* sanctos apostolos possumus intelligere. Nec injuste ordo apostolicus per *cardines* præfigurabatur. In illo enim ostium totius sanctæ Ecclesiæ versabatur.

Ante hæc omnia eram, ait æterna Patris sapientia ; eram ante abyssos, ante angelicam creaturam ; eram ante fontes aquarum, ante humanam creaturam ; eram ante montes et colles, ante patriarchas et prophetas. Adhuc Deus **553** Pater omnia faciens per Filium, cuncta ordinans per Spiritum sanctum, *terram*, id est Ecclesiam, *non fecerat ;* adhuc legalis et propheticæ Scripturæ *flumina* non emiserat, et ego eram in Patre omnia possidens, cum Patre omnia faciens, cum Spiritu sancto cuncta disponens.

Quando præparabat cœlos, *aderam*, hoc est quando creavit rationalem creaturam in angelicis et humanis spiritibus, qui cœli ejus sunt, in quibus ipse sedet et requiescit, *cum eo aderam*, cum ipso et in ipso omnia faciebam.

Quando certa lege et gyro vallabat abyssos, quando æthera firmabat sursum, et librabat fontes aquarum. In verbis istis intelligere possumus malorum angelorum dejectionem, bonorum angelorum confirmationem, lapsi hominis reparationem. Intelligimus enim hoc in loco per *abyssos* malos angelos propter superbiam dejectos a Deo ; per *æthera* bonos angelos *sursum*, ne cadere ultra possent, firmatos cum Deo ; per *librationem fontium aquarum*, misericordissimam dispositionem Dei super reparatione lapsorum hominum. Et bene dicit, *quando certa lege et gyro vallabat abyssos. Certa* enim *lege* ista et *gyro* sententia illa sempiternæ damnationis non inconvenienter intelligenda est, qua justo Dei judicio apostatici spiritus ita vallati et circumclusi sunt undique, quod nulla unquam ratione eam ultra possunt evadere. Et recto quidem ordine prosequitur dicens, *quando æthera firmabat sursum*, quia post lapsum malorum angelorum facta est confirmatio bonorum angelorum. Sed quid est quod sequitur, *et librabat fontes aquarum?* Verbum istud, si recte attendimus, si digne pensamus, suaviter nimis resonat. Suavem enim et mirificam Dei erga genus humanum miserationem magnifice notat. *Fontes* enim illos *aquarum*, Adam videlicet et Evam, a quibus propagatum est totum genus humanum, non vallavit Deus omnipotens certa lege et gyro æternæ damnationis, sicut abyssos, sicut diabolum et angelos ejus, sed *libravit* eos. *Libravit* eos, ut ita dixerim, lance æquitatis et misericordiæ, quia secundum multitudinem miserationum suarum pie pensavit quid essent, pensavit quia cinis et pulvis essent, pensavit quod suadente diabolo cecidissent. Illos, qui sola superbia **554** ceciderunt, et malitia sua homines cadere fecerunt, *certa lege et gyro* sempiternæ damnationis, ne resurgere possent, juste vallavit ; istos vero, qui non ex se, sed ex malitia diaboli decepti ceciderunt lance pietatis *libravit*. Deceptores æternaliter damnavit ; deceptos misericorditer salvavit. Et quia duo

A erant populi, unus, qui assumendus, alter, qui erat relinquendus, mystice utrosque notavit in sequentibus :

Quando circumdabat mari, inquit, *terminum suum, et legem ponebat aquis, ne transirent terminos suos.* Potest intelligi per *mare* populus gentium ; per *aquas* populus Judæorum. *Terminus* ille, quem Deus Pater *mari*, id est populo gentium, *circumdedit*, præfiguravit non incongrue tempus illud, in quo per incarnationem Filii sui visitare eum, et ab amaritudine infidelitatis ad dulcedinem divinæ cognitionis perducere disposuit : *Lex* vero, quam *ponebat aquis*, præfiguravit justum Dei judicium, quo Judæi venientem ad se in carne Filium Dei reprobantes reprobati sunt a Deo, atque relicti infra fines suæ B incredulitatis. Istis *posuit legem, ne transirent fines suos*, hoc est ut permanerent in perfidia sua et malitia ; gentibus *circumdabat terminum*, in quo salvandi et liberandi essent ab infidelitatis suæ stultitia. Sed terminus iste salvationis gentium eo usque dilatus est, quousque coæternus Patri Filius de beatissima virgine Maria homo factus est. Quam etiam in præsenti hac prophetia Sapientia Dei non tacuit, sed nobiliter atque decenter verbis sequentibus prænotavit ac præfiguravit dicens :

Quando appendebat fundamenta terræ, *cum eo eram cuncta componens.* Per *terram* illam terram benedictam, beatam virginem Mariam, credimus esse præsignatam. *Fundamenta* autem *terræ* hujus possumus dicere mirabilem castitatem ejus incom- C parabilemque humilitatem ejus. Sed quomodo fundamentis istis fundata erat, quomodo *fundamenta* hæc Deus Pater in ea *appendebat*, quæ necdum nata erat? Certe quæ mundo necdum nata erat, in præscientia et ordinatione Dei talis erat ; talem eam Deus omnipotens prævidebat, qualis nascitura postmodum et victura in mundo erat. Sed quia præscivit et prævidit Deus, quod Virgo hæc in mirabili castitate, in incomparabili humilitate non solum cæteris mulieribus, sed cunctis prorsus hominibus **555** præeminere deberet, hoc erat quodammodo *appendere fundamenta* ejus. Erat enim apud Deum tam ponderosa, tamque gratiosa castitatis atque humilitatis virtus, quam futuram in D eadem beata virgine Maria prævideret, ut solam inter omnes mulieres dignam judicaret ; cui unigenitum Filium suum, humana carne vestiendum daret. Sed quando fundamenta ista Deus Pater primum per prædestinationem in ea posuit, idem Filius manens in Patre pariter cum Patre ea composuit. Hoc enim ipse hic ostendit, cum dicit : *quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens*, quasi diceret, *cuncta* ista, castitatis videlicet et humilitatis insignia, *eram componens* cum Patre in futura Virgine matre.

Et delectabar per singulos dies. Quid est *per singulos dies?* Dies unus dies erat castitatis, dies secundus dies erat humilitatis. *Singulos dies* istos, quia singulariter et præcipue in beata virgine Maria fu-

turos Dei Filius prævidit, ideo dixit, *et delectabar* A *per singulos dies*. Per hoc ejus *delectari* præfigurabatur magnum illud desiderium, quod habebat de tam pretiosa Virgine pro humani generis salute incarnari. Desiderabat eam nascituram, quam tam dissimilem cæteris mulieribus præscivit futuram. Sed cum impletum est hoc ejus desiderium, cum nobilissima hæc cœli et terræ regina nata est in mundum, respiciens eam de alto cœlorum habitaculo, tam inaudita et transacti temporis hominibus prorsus incognita castitatis et humilitatis virtute reliquis hominibus præcellentem, gaudebat super eam, desiderabat venire ad eam. Hoc enim probat nobis duplex ille ludus, de quo mox subjungit idem unigenitus Dei Filius :

Et delectabar, inquit, *per singulos dies*, *ludens* B *coram eo omni tempore*, *ludens in orbe terrarum*. *Ludens* erat *coram eo*, hoc est coram Deo Patre, *omni tempore*, hoc est in æternitate; *ludens* erat in *orbe terrarum*, hoc est secundum humanitatem, talem se matrem habiturum in terris. Duplex quidem erat gaudium Christi. Gaudium ejus fuit esse Filius Dei, gaudium ejus fuit esse Filius hominis. Illud gaudium erat propter se; istud gaudium erat propter nos. Quomodo propter nos, ostendit ipse in sequentibus :

556 *Et deliciæ meæ*, ait, *esse cum filiis hominum*. Quare dicit *deliciæ?* Quales delicias habuit *cum filiis hominum? Deliciæ* dicuntur, ubi in ferculo dulcia et diversa apponuntur. *Deliciæ* Unigeniti C Dei, quæ eum de sinu Dei Patris in uterum virginis Matris ad convivendum et communicandum filiis hominum traxerunt, diversitates multarum, quas futuras prævidit in sancta Ecclesia, sanctarum conversationum, diversitates sanctarum animarum fuerunt, quæ quotidie et momentis singulis Deo apponuntur, quia quotidie innovantur, quotidie multiplicantur et variantur. Istæ *deliciæ* Dei cum multitudine sanctorum angelorum fieri quodammodo non poterant, quia in eo quo creati sunt statu semper permanentes, multiplicari, innovari, variari nec poterant, nec necesse habebant. *Deliciæ* vero, quas habet Deus in bonis hominibus, sancte et juste in hac vita viventibus, quas habet in sanctis animabus de hac vita quotidie ad Deum transeunti- D bus, illæ momentis singulis multiplicantur et innovantur. Quotidie enim ad Deum homines convertuntur, quotidie homines nascuntur, quotidie homines moriuntur, quotidie sanctæ animæ ad cœli palatium translatæ mensæ Dei apponuntur.

Istæ sunt *deliciæ* illæ, de quibus dicitur in Canticis : *Quæ est ista quæ ascendit de deserto*, *deliciis affluens*, *et innixa super dilectum suum?* (*Cant.* VIII, 5). Per istam, quæ in deserto ascendit, assumpta in Deum humana natura non inconvenienter intelligi poterit, *innixa super dilectum suum*, id est super Deum, super divinitatem suam. Quando unigenitus Filius Dei post mortem resurrectionemque suam cum sancta, quam nostri causa assumpsit, humanitate sua in cœlum ascendit, eamque Deo Patri et sanctis angelis ostendit, possumus credere quod vox ista vox fuerit angelicæ multitudinis, unitam deitati humanam naturam mirabili laude magnificantis et glorificantis, simulque admirantis sanctarum fructum animarum, quas morte sua idem Dei Unigenitus Deo Patri acquisivit, quarum tunc copiosa multitudo eruta ab inferno cœlum cum ipso intraverat, et quotidie eum usque in finem sæculi illuc secutura fuerat.

557 *Quæ est ista*, inquiunt, *quæ ascendit de deserto deliciis affluens?* Quid est *de deserto?* Desertum possumus dicere mundum? Quare *desertum?* Ex quadam non inconvenienti similitudine. Quandiu enim in domo est aliquis, qui multum diligitur, cujus præsentia grata valde est et amabilis cohabitantibus, videtur, quasi ex ejus commanentia tota domus sit plena. Si autem recesserit, videtur eis, quasi tota domus deserta et vacua sit. Sic et mundus iste; quandiu in eo et cum eo erat nobilis et dilectus homo ille Jesus Christus Filius Dei, totus quodammodo plenus erat; sed cum relicto mundo Christus in cœlum ascendit, totus mundus erat quasi *desertum*, quia nusquam erat, aut est vera plenitudo, nisi ibi, ubi ipse est, in cœlo. Sed quomodo aut qualis est in cœlo eadem sancta humanitas Christi? *Innixa super dilectum suum*, innixa super Deum, innixa super divinitatem suam. Ita enim unita est humanitas deitati, quod nunquam ab invicem possunt separari. Est etiam semper *deliciis affluens*. Deliciæ istæ sunt delicatæ justorum animæ quæ quotidie ei affluent, dum de hujus mortalitatis miseria ad æternam vitam transeunt. Istæ deliciæ non affluebant ei, necdum quando natus est, necdum quando mortuus est, sed quando resurrexit et in cœlum ascendit, tunc primum deliciis istis affluere cœpit, quia ex illa hora non erat dies, neque momentum, quo non affluerent ei beatæ animæ, quæ vere ejus sunt deliciæ.

Et notandum quod dicit, *affluens*. Nemo potest venire ad Deum, nisi fluat ad Deum. Quædam enim flumina sunt, quæ de hoc mundo animas ad cœlum et in cœlum transvehunt. Est enim flumen baptismatis; est post susceptum baptisma et violatum, flumen lacrymarum, flumen compunctionis; est etiam flumen passionis. Regnum etenim cœlorum nullum prorsus recipit, nisi qui per aliquod fluminum istorum illuc affluxerit. Affluxerunt ei flumine passionis sancti martyres, qui pro Deo sanguinem suum fuderunt : affluxerunt ei flumine baptismatis, qui conservata suscepta in baptismate innocentia debitam Deo fidem conservaverunt; affluxerunt ei flumine lacrymarum et compunctionis, qui amissam innocentiam, quam in **558** baptismo susceperunt, qui corruptam fidem, quam omnipotenti Deo in baptismo voverunt, quotidiano compunctionis et lacrymarum flumine renovaverunt in hac vita et reparaverunt. Quocunque horum flumine Deo affluxerunt, magnæ et delectabiles ejus deliciæ fuerunt. Istæ ejus deliciæ quotidie et usque in finem sæculi semper innovantur et multiplicantur, quia etsi non flumine passionis,

flumine tamen baptismatis, flumine compunctionis et lacrymarum, aut innocentia suscepta in baptismate post baptisma conservata, aut non conservata virtute lacrymarum reparata quotidie ei affluunt, quotidie in delicias ejus transeunt.

Et ut breviter eumdem hunc versum comprehendamus in prima sui parte, qua dicitur, *quæ est ista, quæ ascendit de deserto?* notatur nobis, sicut prænotavimus, Christi ascensio; in secunda sui parte, ubi subjungitur, *deliciis affluens*, collecta jam ad eum, et usque in finem sæculi colligenda sanctorum congregatio; in tertia sui parte, ubi dicitur, *et innixa super dilectum*, eorumdem sanctorum confirmatio. *Dilectus* iste, Deus omnipotens est, cui modo quasi uno tantum pede innituntur. Nondum enim ita confirmati sunt in Deo, ut utrisque ei pedibus innitantur, hoc est ut nihil præter Deum solum affectare videantur. Adhuc enim de resuscitando corpore cogitant. Postea vero cum resumpto in fine mundi corpore, carne simul et anima beata immortalitate vestientur, tunc soli Deo utrisque pedibus, totis videlicet corporis et animæ effectibus ita unientur, ita semper innitentur, ut nihil amplius sit, quod vel ad punctum mentem eorum ab illo avertere possit. Ibi certe *deliciæ* Dei plene perficientur. Ibi enim semper in sanctis suis deliciabitur, ibi sine fine in sanctis suis gloriabitur.

Has *delicias* quiescens adhuc in sinu Patris Filius Dei prævidit, prævidendo desideravit, cum dixit, *et deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* Et quia desideravit eas, de sinu Patris descendit propter eas, quæsivit eas, homo factus est propter eas. Descendit ipse ad nos, ut ad se ascendere faceret nos. Unde subjungit et dicit:

559 *Nunc ergo, filii, audite me.* Quasi dicat: Quia semper deliciæ meæ erant, ut venirem ad vos, ut delicias meas facerem vos, modo, quia adsum, quia homo pro vobis factus sum, *ergo, filii, audite me.* Ante adventum meum, ante incarnationem meam eratis servi, serviebatis ut servi, [neque] partem neque hæreditatem habuistis in domo Domini, quia servi, sicut scriptum est: *Filius manet in domo; servus non manet in æternum* (*Joan.* VIII, 35, 36). *Nunc* autem quia natus sum vobis, quia mutato per mortem meam nomine servorum hæreditare vos feci dulce nomen filiorum, per quod mansionem atque hæreditatem accepistis in domo, hoc est in regno cœlorum, *ergo, filii, audite me.* Quid audite me? Quid loquor vobis?

Beati qui custodiunt vias meas. Ut simpliciter hoc intelligamus, vias Unigeniti Dei mansuetudinem ejus et humilitatem, vel opera ejus in carne, sive doctrinam ejus intelligamus. Has *vias* ejus vere *custodimus*, si humilitatem ejus et mansuetudinem imitamur. Unde ipse: *Discite*, inquit, *a me, quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI, 29). Et iterum: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* V, 3). Sed si subtilius aliquid in *viis* ejus intelligere cupimus, possumus dicere quod

A quasi duas vias habuerint in divinitate, quatuor vero in humanitate. Duæ in divinitate viæ ejus est misericordia et veritas ejus. Quatuor in humanitate viæ ejus sunt quatuor sacramenta, incarnationis, passionis, resurrectionis et ascensionis ejus. Istæ sunt *viæ*, per quas Deus ad homines venit; per easdem vias venire homo ad Deum debet. Nemo enim venire ad Deum poterit, nisi incarnationem, passionem, resurrectionem et ascensionem ejus fideliter crediderit, et bonis, quantum potest, operibus imitatus fuerit. Omnes has *vias*, sive divinitatis ejus sive humanitatis ejus, qui *custodiunt*, hoc est qui aut vias divinitatis ejus, quas misericordiam et veritatem ejus diximus, frequenter oculis præponunt, sollicite attendentes et considerantes quod

B licet sit misericors, non tamen deserit æquitatem, sicque respectu misericordiæ illius bona faciunt, ex metu veritatis et justitiæ illius mala deserunt; sive qui vias humanitatis **560** ejus fideliter credunt, sicut diximus et imitantur, quantum possunt, illi procul dubio *beati* sunt in hac vita, *beati* erunt in æterna vita. Subjungit ergo adhuc, et ait:

Audite disciplinam, et estote sapientes, et nolite abjicere eam. Quid est *disciplina?* Disciplina est et rerum cognitio et morum compositio. Disciplinatus homo non solum ille dicitur qui scit quæ scienda sunt, sed et ille homo disciplinatus est et dicitur qui scientiam suam compositis, hoc est bonis et honestis moribus adornare nititur. Ad hanc *disciplinam*

C hortatur nos Dominus hic, cum dicit, *audite disciplinam, et estote sapientes, et nolite abjicere eam. Audite* per intellectum, *estote sapientes* per mentis affectum, *nolite abjicere eam* per operis effectum. Et bene sibi tria hæc invicem congruunt, quia ex eo quod homo frequenter bonum *audit*, inde intelligere etiam bonum incipit. Sed quia non multum prodest homini bonum audire et intelligere, nisi addat etiam bonum diligere, recte adjungit, *estote sapientes.* Et bene verbum hoc *sapientes* congruit dilectioni. Illud enim sapit homini quod diligit; quod non diligit, illud nec sapit. Sed quia sunt nonnulli qui audiunt bonum, et intelligunt, et diligunt, et tamen non faciunt, subjungit adhuc et dicit, *et nolite abjicere eam.* Ac si dicat: Si auditis disciplinam intelligendo,

D si sapientes estis diligendo, *nolite abjicere eam* opere adimplendo.

Beatus homo qui audit me, qui vigilat ad fores meas quotidie, et observat ad postes ostii mei. Beatus homo quicunque ille est, *qui* ita, sicut jam dictum est, *audierit me*, et postquam audierit me, *vigilat* etiam *ad fores meas quotidie, et observat ad postes ostii mei.* Fores sunt exteriora ostia in domo. Et satis congrue per *fores* legalis et prophetica Scriptura potest intelligi, vel etiam doctores Veteris Testamenti, qui quasi *fores* erant, quia nec seipsos, nec alios in domum illam regni cœlestis introducere valebant. Viam quamdam, per quam eundum esse illuc, ostendebant, aditum ejus reserare non poterant. Per *ostium* vero, quod interius et vicinius domui est,

Christus et fides Christi, per quem fit introitus in regnum **561** cœlorum, satis digne intelligi potest. Per duos *postes* hujus ostii spes et charitas, sive per *ostium* prædicatores Novi Testamenti, per duos *postes* evangelica et apostolica doctrina potest intelligi. Illa omnia, quæ præfigurata per *fores* diximus, licet foris, quemadmodum dictum est, fuerint, aditum quemdam regni cœlestis docuerunt; *ostium* vero, quod est Christus, nec non fides, spes et charitas, quam docuit et dedit regni sui cohæredibus, sive evangelica et apostolica doctrina ipsam regni cœlestis januam aperuerunt, et quotidie aperiunt his qui diligunt et custodiunt ea.

Nec prætereundum quod dicit, *qui vigilat ad fores meas quotidie, et observat ad postes ostii mei*. Ad legalem et propheticam Scripturam, cum difficilis et obscura sit, opus est vigilantia, opus est intelligentia; ad evangelicam et apostolicam Scripturam opus est observantia. Multi erant Veteris Testamenti observatores, et per hoc tamen non salvabantur: quotquot autem Novi Testamenti cultores et observatores erant aut erunt, perpetuam a Domino salutem consecuti sunt aut consequentur. Hoc enim in consequentibus misericorditer probat et affirmat Dominus.

Qui me, inquit, *invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino*. Quasi dicat: Qui sic vigilando ad fores meas, qui sic observando ad postes ostii mei *invenerit me, inveniet vitam*, hoc est inveniet in præsenti vita requiem animæ, per quam assidue cum Deo consolatur, misericorditer a Deo vivificatur; *inveniet* post vitam præsentem *vitam* sine fine manentem. *Et hauriet salutem a Domino.* Quid est *hauriet?* Notat verbum istud ineffabilem futuræ vitæ beatitudinem inexhaustam qua post generalem resurrectionem omnes prædestinati ad vitam donabuntur sempiternæ jucunditatis plenitudine. Ex fonte sive puteo aqua hauritur. Et licet semper hauriatur, nunquam tamen fons vel puteus a suæ plenitudinis copia minuitur: cunctis haurientibus similem aquarum præbet copiam: ipse tamen nullam in seipso sentit inopiam. Fons sive puteus iste, qui semper hauritur, sed nunquam exhauritur, Deus omnipotens est omnibus **562** ad salutem sufficiens, et nunquam in seipso deficiens. Qui fontem istum haurient, omnes prædestinati ad vitam intelligi valent. Quid *haurient* ab illo? salutem. *Hauriunt* ab illo in vita præsenti remissionem peccatorum; *haurient* ab illo, post decursam præsentis vitæ miseriam, *salutem* animarum; *haurient* ab eo, post resurrectionem, duplicem stolam immortalitatis animæ et corporis, inexhaustamque illam æternæ beatitudinis plenitudinem quæ nunquam recipit finem. Et illa plenitudo sine omni erit fastidio. Nullus in dante defectus, in accipientibus semper novus accipiendi erit affectus. Nunquam ibi deficiet desiderium accipiendi, nunquam ibi succedet fastidium hauriendi. Nulla in fonte illo licet semper hauriatur erit indigentia, imo erit in illo omnibus omnium bonorum plena et sempiterna sufficientia.

Hæc est lectio, quam in præsenti festo nativitatis beatissimæ Dei Genitricis Mariæ ad laudem et gloriam nominis illius legendam annuatim Spiritus sanctus ordinavit. Bene etenim excellentiæ ejus congruit, quia nunquam fierent ista omnia, nisi mediante illa, nisi inter Deum et hominem mediatrix nostra facta fuisset, nisi illum, per quem salvati et liberati sumus, Dominum nostrum Jesum Christum in hunc mundum genuisset, ad hanc, de qua jam dictum est, æternæ felicitatis gloriam nullus mortalium venisset, aut venturus esset. Et ideo nunquam satis digne ab humano genere laudari et glorificari poterit, per quam tanta nobis salus venit, et ventura erit. Et quia ipsa donante et adjuvante perstrinximus, pro modulo nostro, quid vel quomodo eadem Sancta lectio ad eam pertineat, quæramus etiam et videamus si quid ex Evangelio occurrat quod eamdem beatissimam dominam nostram præfiguraverit, quod ad laudem et honorem ipsius referri possit. Ait namque evangelista.

Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham (*Matth.* I, 1). Et sic quadraginta duas generationes enumerando usque ad Jacob descendit, per quem quasi claudere eumdem generationis Christi librum incipit, cum dicit: *Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus* (*Ibid.* 16). Videamus imprimis quid causæ, quidve rationis sit, quod **563** sacrosanctum hoc Evangelium in hac sacra solemnitate præcelsæ Genitricis Dei Mariæ singulis annis legimus. Multum videtur excellentiæ illius congruere. Nam etsi totum Evangelium videre non possumus, nec digni sumus, invenimus tamen in eo aliquid quod ad eam ipsa adjuvante satis congrue referri possit. Invenimus ibi quatuor mulieres genealogiæ Domini nostri Jesus-Christi intextas et annumeratas, et has ex parte notabiles habentesque aliquid in se, quod muliebri obfuit verecundiæ. Una erat *Thamar*, altera *Rahab*, tertia *Ruth*, quarta suppresso nomine evangelista notat, *Bethsabee* mater Salomonis regis erat. Sed quare hoc, quod prætermissa Sara, Rebecca, Rachel et Lia cæterisque nobilibus et laudabilibus Israeliticæ stirpis mulieribus, quatuor notabiles has mulieres genealogiæ suæ inscribi voluit Christus? Si simpliciter intelligere volumus, magna hinc consolatio et spes datur peccatoribus, quod nullus videlicet tam sceleratus, tamque desperatus sit quin ascribi in libro vitæ promereatur, si per veram tantum pœnitentiam atque satisfactionem redire ad Deum conatur.

Sed ad altiorem sensum beatissimam dominam et reginam nostram Dei Genitricem Mariam per quatuor mulieres istas intelligere possumus. Nec indignum hoc ejus clementiæ, injuriosum ejus excellentiæ esse credimus, quandoquidem vermiculo cæterisque abjectis rebus comparare seipsum, ut plerumque in Scripturis invenimus, dignatus est

unigenitus Filius ejus. Sed primum de nominibus earumdem mulierum videamus, si in interpretatione eorum aliquid, quod ad eam respiciat, invenire valeamus. Thamar interpretatur *amara*, Rahab *latitudo*, Ruth *festinans*, Bethsabee *puteus satietatis*. Sed quomodo nomen *Thamar*, quod dicitur *amara*, dulcissimæ virgini Mariæ congruit, vel aptari poterit? Erat ipsa *amara* erga homines? Absit, ut hoc putemus, vel dicamus! Non est homo natus in mundum, præter solum, quem genuit, Dominum nostrum Jesum Christum, qui tantæ esset mansuetudinis, qui erga omnes homines **564** tantæ esset dulcedinis. Non erat *amara* ad homines, sed erat *amara* propter homines. Erat *amara*, amaram totius humani generis mortem amarissime quotidie gemendo atque deflendo; erat *amara* propter hoc quod omni humano generi, sub potestate diaboli constituto, tantum in creatura sua Deus omnipotens detrimentum patiebatur, quod omnes homines quanquam sancte et juste in hoc mundo viventes, mox ut ex hac vita migrabant, ad infernum cuncti properabant. Sic nomen *Thamar* in se habuit. Videamus etiam, si quid de his quæ facta sunt cum Thamar, vel quæ ipsa fecit, ad eamdem beatissimam dominam nostram referri per mysterium possit.

Dicit historia de Thamar (*Gen.* XXXVIII) quod Judas unus ex duodecim filiis patriarchæ Jacob eam primogenito suo, nomine Her uxorem dederit. Sed quia mortuus est hic absque liberis, et hoc legitimum servabatur in Israel, sicut et per legem postea firmatum est, ut dum aliquis inter eos absque liberis moreretur, relictam uxorem frater defuncti duceret, primoque, quem haberet ex ea, Filio nomen imponeret defuncti fratris ad renovandam et conservandam memoriam ejus in Israel, junxit eam alteri filio suo, nomine Onan. Mortuo et illo absque liberis noluit eam dare tertio filio, cujus nomen erat Sela; timuit enim, ut ait Scriptura, ne et ille moreretur. Evolutis autem multis diebus mortua uxore Judæ, nuntiatum est Thamar quod ascenderet Judas in Thamnas ad tondendas oves. Illa autem dolens esse se absque liberis (maledicta enim erat in Israel mulier illa quæ non haberet posteritatem), mutato habitu sedit in bivio, coopertoque vultu simulabat se coram Juda quod non erat, et accepto ab eo annulo suo, armilla et baculo, quem manu tenebat, concepit ab eo, et abiit. Post tres autem menses accusata est Thamar quod fornicata esset; quæ dum data super eam mortis sententia, duceretur ad pœnam, protulit annulum, armillam atque baculum dicens: *De viro, cujus hæc sunt, concepi* (*Ibid.*, 25), sicque salvata est. Instante autem partu effudit geminos, vocavitque nomen unius Phares, nomen alterius Zara.

565 In *Juda* Deum Patrem accipere possumus; in *Thamar* beatam virginem Mariam, sicut præmisimus, in duobus filiis Judæ, *Her* videlicet, qui interpretatur *pelliceus*, et in *Onan*, qui interpretatur *mœror eorum*, infantia ejusdem beatæ Virginis atque

A pueritiæ non incongrue valet intelligi. Nec injuste *Her*, quod *pelliceus* dicitur, ad infantiam virginis Mariæ refertur. Licet enim innocenter, ut vere credimus, hanc ætatem transegerit, sensibus tamen carnis, quandiu infans erat, sicut infans obnoxia subjacebat. Onan vero, quod interpretatur *mœror eorum*, congrue satis ad pueritiam ejus refertur, quia, postquam infantili decursa ætate altius sentire et intelligere poterat, vita ejus pro humani generis perditione semper in mœrore erat.

Ex duobus filiis istis quodammodo non peperit, quia nec tempore infantiæ, nec tempore pueritiæ parere illum idonea erat, cujus sanguine mediante tota prædestinatorum ad vitam successio recreari et reparari debuerat. Sic duobus filiis illis Her et B Onan sine posteritate e medio factis, hoc est duobus illis infantiæ et pueritiæ suæ temporibus sine fructu humanæ reparationis tandem transactis, cum tertium filium, qui erat *Sela*, quod interpretatur *umbra*, diu exspectaret, hoc est cum remissionem peccatorum, quæ per *umbram* potest intelligi, et illis qui adhuc viventes vel etiam umbram, id est refrigerium, illis qui erant in tenebris et in umbra mortis sedentes, longo nimis desiderio optaret, et necdum tempus miserendi appropinquaret, sustinere diutius non potuit, exemplo Thamar *sedens in bivio*, Deo Patri se obtulit. Cui accepto prius ab eo annulo, armilla et baculo se supposuit. Sedens enim *in bivio*, hoc est inter viam vitæ, quam aperiri C sibi et omnibus hominibus optavit, et viam mortis, quam præcludi omnibus desideravit, in hoc, inquam, bivio sedens ad Deum Patrem accessit, ejusque pedibus, fidei, spei et charitatis instantia, quod est quasi *annulus*, *armilla et baculus*, in suspiriis et lacrymis, orationibus, vigiliis et jejuniis tandiu procubuit et succubuit, donec concepto ab illo fetu, apparerent *gemini in utero ejus*, hoc est donec plenitudo temporis veniret, **566** ut illa imprægnaretur, qui geminæ gigas substantiæ erat, Domino utique nostro Jesu Christo, qui verus Deus et homo erat.

Vocatumque est nomen unius Phares, nomen alterius Zara (*Gen.* XXXVIII). Phares *divisus*, Zara *oriens* interpretatur. Gemina hæc nomina illi geminæ gi-D ganti substantiæ optime congruebant. In hac enim parte, quo homo futurus erat, recte appellari poterat *Phares*, id est *divisus*. Quomodo divisus? a seipso. *Exinanivit* enim *seipsum*, ut ait Apostolus, *formam servi accipiens* (*Philipp.* II, 2). In ea parte autem, qua Deus erat, merito appellandus erat *Zara*, id est *oriens*, hoc est unus atque idem Deus cum Patre, unus atque idem Deus in Patre sine fine permanens. Hoc modo beatissima hæc cœli et terræ regina similitudinem *Thamar* in se expressit. Videamus etiam, si quid in *Rahab* fuerit, quod referri ad ejus excellentiam possit.

Erat *Rahab*, ut Scriptura dicit (*Jos.* II), meretrix in Jericho. Hæc suscepit exploratores missos a Josue ad explorandam terram urbemque Jericho,

celavitque eos ab his qui ad perdendum quærebant eos nuntiis regis, absconditos in solario domus suæ; acceptaque ab his securitate, ut tradita a Deo in manu eorum urbe Jericho, ipsa cum domo patris sui salvaretur, dimisit eos per funem de fenestra Ob hanc igitur causam destructa Jericho, ipsa salvata est et domus patris sui, habitaveruntque in medio Israel.

Si Rahab *meretrix* fuit, imo quia fuit, quomodo illam præfiguravit, cui in innocentia et castitate, et universa vitæ morumque honestate nullus mortalium, præter solum illum, quem genuit, Dominum nostrum Jesum Christum assimilari potuit aut poterit? Dicimus salva gratia et pietate sua, quod satis convenienter per Rahab fuerit præsignata. Rahab itaque interpretatur *latitudo*, quod nomen apte beatæ virgini Mariæ congruit, quia si appellari poterat *Thamar* propter amaritudinem, quam pro humani generis perditione habebat, poterit etiam nominari *Rahab* propter ineffabilem dilectionem, qua sanctissimum ejus cor erga Deum et proximum ultra omnes homines dilatatum erat. Sed quam in ea parte, **567** qua meretrix fuit, ad castissimam virginem Mariam *Rahab* convenientiam habere potuit? Prorsus nullam. Nam Spiritu sancto obumbrante eam et conservante, nunquam ei accedere potuit quod integerrimam castitatem cordis sive corporis in aliquo corruperit. Igitur non assimilamus eam Rahab in aliqua notabilis vitæ actione, sed in laudabili, quæ in quibusdam ejusdem Rahab actibus inveniri potest, significatione. *Meretrix* erat Rahab; et bene. *Meretrix* enim dicta est a *merendo*, eo quod mereatur pretium ab amatoribus suis proprio corpore suo. Amatores habuit Rahab sui similes, injustos homines et peccatores, quibus corpus suum prostituit; amatores habuit et Maria, Patrem et Filium et Spiritum sanctum, quibus virginei corporis sui integritatem consecravit, quibus virgineam spiritus et animæ suæ castitatem omni tempore vitæ suæ inviolabiliter conservavit. Igitur sicut apud amatores suos Rahab merebatur corruptione corporis sui pretium, quod sibi competebat, sic beata virgo Maria ab amatoribus suis, Patre et Filio et Spiritu sancto incorruptione corporis sui pretium illud meruit, per quod venundatum sub peccato genus humanum ad vitam reparari debuit. Pretium illud nobilissimum erat Unigenitus Dei, quem sola fuit digna portare, et in hunc mundum generare; sanguinis enim illius pretio facta est humani generis salvatio.

Suscepit Rahab exploratores missos a Josue; suscepit et Maria exploratores missos a Deo Patre, quorum primus erat Gabriel archangelus. Qui bene explorator Dei altissimi dici poterat. Ad explorandam enim et desponsandam eamdem beatissimam Virginem venerat. Sed quomodo suscepit eos? Suscepit eos fideliter universa credendo quæ dicebantur ei ab angelo. Suscepit etiam exploratores Dei, pastores videlicet, qui ad eam in ipso partu venerant, ut explorarent si verum esset quod super natum Salvatorem angelica multitudine attestante dixerant Dicebant enim: *Transeamus usque Bethlehem, et videamus hoc verbum, quod Dominus ostendit nobis* (*Luc.* II, 15). Nonne qui hæc dicebant, exploratores jure dici poterant? **568** Suscepit et alios exploratores Dei, tres videlicet illos reges, qui ad investiganda, veneranda et adoranda nativitatis Christi mysteria stella duce venerunt ab Oriente. Omnes exploratores istos beata virgo Maria non solum suscepit, sed et *in solarium domus suæ ascendere fecit*. Suscepit eos omnia verba eorum fideliter audiendo, abscondit eos in solario domus suæ, hoc est in superiori cordis sui diligenter omnia colligendo. Sic enim de illa dicit Evangelium: *Maria autem conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo* (*ibid.*, 19). Sic erat *Thamar*, sic erat et *Rahab*.

Sed et in *Ruth* aliquid invenire possumus, quod ad eamdem Dei Genitricem satis congrue referendum credimus. Erat *Ruth* in seipsa satis laudabilis, in genere suo erat notabilis. Erat enim de turpi et maledicta Moabitarum gente progenita. Hæc relictis parentibus et terra in qua nata erat, peregrinari elegit in terra non sua, et propter magnam, quæ in illa erat, vitæ morumque honestatem juncta est matrimonio cuidam nobili Israeliticæ gentis homini, nomine Booz, genuitque ex eo filium nomine Obed, patrem patris David regis, ex cujus semine natus est Christus Filius Dei. *Ruth* interpretatur *festinans*. Et apte beatæ Dei Genitrici Mariæ nomen hoc congruere credimus, quæ semper *festinans*, hoc est fervens erat in sanctis et justis operibus. Erat Ruth ex turpi et maledicta gente progenita Moabitarum; erat et Maria ex populo illo edita, quem ignobilem et maledictum fecerant originalis peccati crimina. Reliquit Ruth patriam et parentes pro conservanda fide socrui suæ, et peregrinata est in terra non sua; reliquit et Maria patriam et parentes suos, dum pro conservanda Deo Patri fide et castitate sua separavit se a communi vel conversatione sæculi. Reputabat se in hoc mundo exsulem et peregrinam, quia, despectis omnibus quæ præsens diligit mundus, ad solam et interminabilem festinabat cœlestis patriæ gloriam. Ex semine Ruth natus est rex David; ex virginea carne virginis Mariæ natus est verus noster **569** David, vere *manu fortis* et *visu desiderabilis* Dominus noster Jesus Christus, per quem totus salvatus est mundus.

Mulier quarta, *Bethsabee* videlicet, quam ablatam viro suo David sibi junxit matrimonio, genuitque ex ea regem Salomonem, nihilominus præfiguravit beatam Dei Genitricem, quia et eam, sicut dicere possumus, viro suo, Joseph videlicet, qui eam desponsaverat, Deus Pater quodammodo tulit, quia immaculatam cunservavit. Sic, sic a viro suo sejuncta, omnipotenti Deo conjuncta ex Spiritu sancto concepit, et peperit illum verum Salomonem, verum pacificum Dominum nostrum Jesum Christum, qui per suum sanguinem pacem fecit inter Deum et

hominem. Hoc enim et nomen illud *Bethsabee* significat. Bethsabee enim interpretatum *puteus satietatis* sonat.

Sic beata Dei Genitrix Maria quatuor mulierum istarum nomina in se mystice habuit. Erat enim, ut breviter comprehendamus, *Thamar* in cordis contritione, erat *Rahab* in vera Dei et proximi dilectione, erat *Ruth* in perfecta operatione, erat *Bethsabee* in plena Spiritus sancti perceptione.

Possumus etiam hæc omnia, quæ ad dominam nostram beatam virginem Mariam ipsa adjuvante retulimus, ex parte ad unum quemlibet salvandum hominem satis convenienter referre, qui primo fit *Thamar* amare peccata sua pœnitendo, et pro concipienda a Deo virtutum sobole humiliter laborando, deinde fit *Rahab* Deum et proximum diligendo, et exploratores, id est prædicatores ejus et doctrinam eorum in superiori domus suæ, hoc est in superiori cordis sui desideranter suscipiendo, libenter conservando; fit et *Ruth*, id est *festinans* et fervens in bene operando; fit *Bethsabee* mente contemplando. Dat Judas, per quem Deus omnipotens figuratur, primum homini duos filios suos, Her videlicet et Onan, per quos intelligere possumus corpus hominis et animam. Nec injuste. Her enim interpretatur *pelliceus*. Et hoc nomen apte referri potest ad corpus, quod ex carne et pelle constat. Onan vero interpretatur **570** *mœror eorum*. Et hoc nomen recte ad animam respicit, quæ mœret et plangit peccata, quæ corpus committit.

Duobus filiis istis morientibus, sicut heu! contingere solet, in peccatis, exspectat tandem *Thamar*, quod est homo pœnitens, et accipere desiderat tertium filium, qui *Sela*, id est *umbra* dicitur, per quem remissio peccatorum satis congrue accipitur. Exspectat sane et optat remissionem peccatorum suorum. Sed dum considerat quod nullis suis meritis vel viribus consequi eam valeat, æstuat in seipso et sollicitatur, ne moriente illo sine liberis, hoc est sine fructu bonorum operum, memoria illius de medio Israel, de medio *videntium Deum*, in futura vita auferatur.

Hæc dum sollicite secum agere incipit, audiens tandem quod Judas ascenderet in *Thamnas*, quod interpretatur *defectus*, ad tondendas oves, hoc est quod Deus omnipotens in defectum hujus sæculi venire dignatus est ad exonerandas animas a peccatis, quod propter hoc homo factus, universas infirmitatis nostræ miserias præter solum peccatum in se suscepit, ut morte sua veterem hominem nos exueret, et novum indueret, bene *Thamar* exemplo *mutato habitu venit et sedet in bivio*. Bivium hoc dicitur, ubi duæ viæ dividuntur. Nec incongrue in bivio spiritalem quamlibet conversationem intelligendam æstimo, quæ quasi duas vias dividit; unam, quæ ad mortem, alteram, quæ ad vitam ducit. Spiritales quique homines sedent quasi *in bivio*. Unam enim viam, quæ ducit ad infernum, prorsus despiciunt; viam alteram, quæ ducit ad regnum cœlorum, ante

A mortem attingere non possunt. *Mutat Thamar*, id est homo pœnitens, *habitum*, quando relinquit peccata et sæculum; collocat se *in bivio*, quando in aliqua spiritali conversatione justorum hominum se conjungit consortio.

Sed veniente Juda, hoc est visitante cum supernæ pietatis gratia, susceptoque annulo ejus, armilla et baculo, hoc est fide, spe et charitate, jungit se Deo, ut diu desideratam virtutum sobolem concipiat ab eo. Imprægnata autem ejus misericordia tandem ad partum proficit **571**, apparentque *gemini in utero ejus*, per quos cognitionem Dei et sui accipere possumus. *Vocavitque nomen unius Phares*, nomen alterius *Zara*. Nec incongrue per *Phares*, quod *divisus* dicitur, cognitio sui accipitur; per *Zara* autem,
B qui *oriens* interpretatur, cognitio Dei figuratur. Nam dum recte cognoscere incipit quot et quantis peccatis a Deo et a regno Dei seipsum diviserit, quam misericorditer divina eum pietas in tantis peccatis supportaverit, et a tantis malis liberaverit, per hanc Dei et sui cognitionem paulatim proficit ad dilectionem Dei, quæ semper *oriens* est; hic enim inchoatur, in futura vita plenius perficietur.

Ecce autem post tres menses accusata est Thamar quod fornicata esset. In his tribus mensibus tempus ante legem, tempus sub lege, tempus sub gratia non inconvenienter accipere possumus. Post tres istos menses accusabitur Thamar, accusabitur, inquam, post transacta tria hæc tempora, hoc est
C post præsentis vitæ curricula, cum diabolus venerit, omnesque transgressiones ejus et peccata objicere illi cœperit. Sed quid tandem faciet anima illa in tantæ necessitatis articulo posita? A facie impie accusantis fugiet ad pietatem misericorditer salvantis. *De viro*, inquit, *cujus hæc sunt, concepi. Cognosce cujus sit annulus, et armilla, et baculus* (*Gen.* XXXVIII, 25). Cognosce, Judex clementissime, fidem, spem et charitatem tuam in me. Hæc tua munera, quæ mihi dedisti; hæc tibi, quantum te donante potui, conservata in testimonium salvationis meæ ad te retuli. Agnitis a Juda, id est a Deo Patre, muneribus istis, diabolus confundetur, anima in æternæ beatitudinis gaudia recipietur per eum, qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

D

572 HOMILIA LXXVIII.

IN EAMDEM, UT VIDETUR, FESTIVITATEM QUINTA.

Et ædificavit sicut unicornium sanctificium suum in terra (*Psal.* LXXVII).

Beatissima Dei Genitrix Maria, quia sola inter cunctas mulieres virgo benedicta, sola, inquam, ex omni humano genere digna esse meruit, ex cujus virginali corpore unigenitus Filius Dei perdito homini succurrere disponens homo fieri voluit, omnes, qui eamdem gratiam in Spiritu sancto prævidere meruerunt, eam utpote mediatricem ejusdem gratiæ non tacuerunt, sed dictis et scriptis dignitatis excellentiam multis in locis mystice præfiguraverunt et extulerunt. Ex quibus unus specialiter electus, scilicet propheta Domini David, prævidens in Spiritu

sancto qualis eadem beata Virgo futura esset, longe antequam nasceretur, eam in quodam loco Psalmi septuagesimi septimi præsignavit dicens : *Et ædificavit sicut unicornium sanctificium suum in terra, quam fundavit in sæcula.*

Quod dixit, *et ædificavit*, in hoc personam et opus Dei Patris, quod mirabiliter et ineffabiliter in eadem beata Virgine operatus est, satis convenienter expressit. Ipsa enim fuit *terra* illa, terra nobilis et benedicta, in qua vere Deus Pater *sanctificium suum ædificavit*. *Sanctificium* illud erat spiritus et anima illius, quam ab ipso nativitatis ejus primordio mirabili virtutum structura, inæstimabilis castitatis et munditiæ sanctimonia in locum habitationis suæ Deus Pater mirabiliter composuit, decenter ornavit et sanctificavit.

573 Sed quomodo *ædificavit* illud ? *Sicut unicornium*, hoc est singularis gloria dignitatis ornatum, quia sicut sola sine exemplo singularis fuit in novo et inaudito quo Deo se consecravit castitatis voto, sic singularem dignitatem habet in præsenti sæculo et in futuro. Singularem quidem dignitatem acceperat, quia post Deum talis homo non erat, neque futurus erit, scilicet, ut et virgo et mater, et non modo mater hominis, sed mater Dei et hominis fieret, ut virgo filium procrearet, materque virgo permaneret. Sic utique sano fidei intellectu intelligere possumus quod dixit : *Et ædificavit sicut unicornium sanctificium suum in terra, quam fundavit in sæcula.*

Jam vero videamus quomodo *terram* illam, beatam scilicet Mariam, *fundaverit in sæcula.* Fundamentum nominari solet, quod surgentem in altum ædificii molem firmat et sustentat. Hoc utique aptissime convenit excellentiæ ejusdem dominæ nostræ. Ipsa enim est fundamentum hoc quod Deus Pater fundavit, cui domum sanctæ suæ Ecclesiæ mirabiliter superædificavit. Ipsa est fundamentum fidei nostræ. Ex ea enim initium credendi sumimus, quia Matrem eam Creatoris et Redemptoris nostri Jesu Christi confitemur et credimus. Quam sic Deus Pater *fundavit in sæcula*, ut sine hoc fundamento, sine sacramento fidei illius, quæ in ea et in eo est, quem genuit, Salvatore nostro, nullus salvare potuerit vel possit. Postquam prædictus Domini Propheta tanto laudis præconio matrem Virginem prophetando extulit, de eo quem paritura erat, in salutem generis humani subjunxit, et ait :

Et elegit David servum suum. David iste figuram Domini nostri Jesu Christi præferebat, qui secundum assumptam humanitatis formam congrue appellatur *servus* Dei Patris, cui tanta fide et veritate nunquam homo servivit, quia quod paternitatis ejus oculos offenderet nec minima quidem cogitatione unquam admisit. Quomodo autem elegerit eum, manifestat in sequentibus, cum dicit :

Et sustulit eum de gregibus ovium. Greges ovium multitudo erat omnium 574 qui Christum præcesserant electorum. *De* illis *gregibus ovium sustulit eum*, quia super illos extulit eum ut inter omnes

A homines solus ille esset, cui nulla, originalis sive actualis, macula criminis accedere posset. Sed unde eum elegerit hoc est de quorum progenie nasciturum eum præordinaverit, consequenter exprimitur, cum dicitur :

De post fetantes accepit eum. Per *fetantes* sanctos patriarchas intelligere possumus, qui vel ideo, quod semen verbi Dei habebant, vel quod ex semine suo Christum nasciturum in promissione acceperant, convenienter *fetantes* dici poterant. Et quia *post fetantes*, id est patriarchas, prophetæ exstiterunt, ex quorum progenie natus est Christus, recte dicitur, *de post fetantes accepit eum*, hoc est de semine sanctorum prophetarum, qui *post fetantes* erant, constituit eum nasciturum. Post tempora enim pa-
B triarcharum et prophetarum venit Christus in mundum. Et quare *de post fetantes accepit eum ?*

Pascere Jacob servum suum, et Israel hæreditate n suam. Jacob figuram gerit omnium qui *supplantantes* in semetipsis vitia et peccata, constanter Deo serviunt in activa vita. Per *Israel* vero, qui interpretatur *vir videns Deum*, congrue illi significantur, qui in contemplativa vita positi, in interna cordis dulcedine assidue Deum contemplantur. Et recte loquens in propheta Dominus, *Jacob servum suum*, *Israel* vero *hæreditatem suam* appellavit, quia licet misericordia sua *pascat* omnes fideliter propter Deum in activa vita laborantes, tamen speciali quadam dulcedine familiarius illos *pascit* quos in contem-
C plativa vita sibi soli vacare conspicit. *Hæreditas* enim ipsius sunt, ipsique nihilominus hæreditatem ejus familiarius quandoque cum ipso possidebunt. Unde et sequitur :

Et pavit eos in innocentia cordis sui, et in intellectibus manuum suarum deduxit eos. Videretur nobis rectius sonare, si intellectum ad cor et innocentiam ad manus posuisset. Sed juxta mysterium sensus spiritalis rationabiliter positum est, quos pietatis suæ 575 gratia *in innocentia cordis* servaverit, illos etiam ad *intellectum manuum suarum* perducit, ut intelligibiliter et prudenter omnia opera sua faciant, et nihil in his, nisi honorem Dei et salutem animarum suarum requirant. Ad hunc intellectum manuum nostrarum perducat nos Jesus Christus Dominus no-
D ster, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LXXIX.

IN FESTUM EXALTATIONIS S. CRUCIS PRIMA

Ego si exaltatus fuero a terra omnia traham ad meipsum (*Joan.* XII).

Verba hæc evangelica verba sunt fastidientis cujuslibet terrena omnia, qui, divina compunctus inspiratione, ea quæ super terram sunt respuere, et ad inquirenda quæ sursum sunt, aciem mentis appetit erigere.

Ego, inquit, *si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.* Exaltari desiderat a terra, qui mente et corpore disjungi decernit ab actione terrena, ut mundi abstractus operibus, ad salutis suæ

profectum extendi valeat liberius. Ac si aperte dicat : Si divina præveniente misericordia exaltata fuerit ab actibus mundi vita mea, *omnia traham ad meipsum, omnia* videlicet, non solum bona, sed etiam pravæ perpetrationis quælibet opera per dignum pœnitentiæ fructum ad salutis meæ *traham* profectum. In hoc siquidem, quod non simpliciter dicit, *omnia traham ad me*, sed distincte quodammodo *ad meipsum*, subtilius aliquid est considerandum. Nonnunquam enim illud homo *ad se* trahit, per quod tamen nullum utilitatis effectum consequi poterit. Ille vero *ad seipsum trahit omnia* qui, sicut diximus, mala quælibet opera quæ gessit, pervigili mentis intuitu pœnitendo considerat, ac per hoc despectus in oculis suis magis ac magis sese humiliat, et tanto ante oculos Dei fit pretiosior, quanto humiliando se sibimet fuerit dejectior. Sequitur :

Hoc autem dicebat significans qua morte esset moriturus. Cum ergo tacitus adhuc secum cogitando tractat qualiter **576** a temporalibus abstrahi valeat, *significare* operibus quibusdam incipit, quomodo mortificare vitia et concupiscentias in carne sua possit. Jam enim abstinet se ab illicitis, temperat se resistendo carnalibus desideriis, ac per hoc *signum* quoddam exprimit, de se, quod mortificationem Jesu in corpore suo appetat circumferre. Hos vero ascensionis gradus disponens in corde suo quisque salvandus, quales conflictus cogitationum invicem accusantium, aut etiam defendentium in se inveniat, sequentis rationis ordo denuntiat.

Respondit ei turba. Quid rectius *turbæ* hujus nomine nisi turbatos hominis sensus valemus accipere? Qui bene *turbæ* comparantur; nam in se discordantes tumultus quosdam in corde excitant, et hinc inde turbine tentationum agitatam mentis tranquillitatem inquietant. Diversas in corde suo perturbationes homo patitur, dum oblivisci posteriora, et in anteriora extendi appetit ; sed male dulcis delectatio carnis inolita vitiorum consuetudine mentem retrahit, arduam spiritalis vitæ disciplinam aggredi desiderat. Sed ne ad perficiendum, quod bene inceperit, vires suppetant, formidat. Talem fluctuationem turba supra memorata homini ingerit, dum hæc quæ sequuntur, occulta suggestione objicit. Ait namque :

Nos audivimus ex lege quia Christus manet in æternum. Hoc loco *legis* nomine testimonium Scripturarum apte valemus intelligere. *Christus* vero interpretatur *unctus*. Unctus autem Domini **577** homo ille dicitur, quem spiritali unctione gratia divina unxerit, et labenti sæculo quasi alienum reddiderit. Quod idem est ac si ipsa tumultuans turba homini, ad portum salutis et quietis tendenti, in hæc respondeat verba : Scripturæ edocet testimonium *quia Christus manet in æternum*, quos is videlicet qui semel unctus unctione divina vivere decreverit, sub spiritalis vitæ disciplina, ferventi studio præcavere debet, ne ab ea per vitæ torporem quandoque de-

A clinet, sed diligenti perseverantia suum custodiendo propositum in his quæ bene inchoavit, permaneat in æternum. *Et quomodo tu dicis, exaltari oportet Filium hominis? Quomodo*, id est quali modo, stabili vel mutabili, tantæ districtionis rigorem aggredi proposuisti ? Utrum in labore, quem subire disposuisti, perseveranter vis permanere, aut ad tempus in his demorari, et iterum ad solita præsentis vitæ delectamenta relabi ? *Quis est iste Filius hominis ? Quis es* vel qualis, qui tantæ gravitatis pondus aggrederis ? Perpendat igitur sollicitudo tuæ mentis, quod *filius* es *hominis*, homo natus de muliere, cui fragilitas innata est ex ipsa naturæ conditione. *Filius*, inquam, es *hominis*, expers angelicæ naturæ et sublimitatis, ideoque angelicam vitam in hoc mundo

B ducere et bonis mundi carere nequaquam poteris. Hæc est enim tumultuantis turbæ responsio, quam necesse est ut divina misericordia præveniente salvandus quisque virili devincat constantia, quemadmodum mox innuunt verba evangelica.

Dixit ergo eis Jesus. Dicere Dei est per occultam inspirationem hominem ad effectum bonæ operationis invitare. *Adhuc*, inquit, *modicum lumen in vobis est.* Per *lumen* itaque *modicum* accipi potest cor hominis bona voluntate illuminatum. Sed quia nondum perfectionem habet operum, est adhuc quasi *lumen modicum*. Unde sequitur : **578** *Ambulate, dum lucem habetis. Ambulate* in affectu cordis, *dum lucem habetis* bonæ voluntatis. Ambulare est suavi

C gressu incedere, id est ea quæ agenda sunt, delectabiliter agere, ut videlicet per bona opera quæ agit, solus [solis] Conditoris oculis placere appetat, nec humanis favoribus attolli cupiat. *Ut tenebræ vos non comprehendant.* Per *tenebras* istas ignorantia accipitur et concupiscentia, non solum carnis, sed etiam humani favoris. Ideo autem bonæ voluntatis desiderium non tarde, sed delectabili quodammodo devotione est peragendum, ne cor aut ignorantia velut tenebris quibusdam obnubilare valeat, aut concupiscentia gloriam terrenæ laudis requirat.

Qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat. Ambulare in tenebris ille homo dicitur, qui bona quæ

D agit, ignoranter et sine interni saporis dulcedine operatur. Hic pro certo *nescit quo vadat*, quia ad quem finem tendat, vel quam remunerationis gratiam consequatur, prorsus ignorat. Unde et sequitur : *Dum lucem habetis, credite in lucem. Dum lucem habetis*, id est dum bonam habetis voluntatem, *credite in lucem*, id est credendo in bonam transite operationem. *Ut filii lucis sitis.* Nomine *lucis* ipse Pater accipitur luminis. *Filii lucis* sunt qui, servili timore seposito opera lucis faciunt, quemadmodum Joannes in Epistola sua (70) loquitur : *Servus non manet in domo in æternum; filius autem manet in æternum* (*Joan.* VIII, 35). Quicunque, ut prædiximus, fide et devotione ut Filii Deo Patri obediunt in omnibus.

(70) Textus sequens legitur in Evangelio et non in Epistolis Joannis.

hos pro certo et regni sui cohæredes, et paternæ gloriæ faciet quandoque comparticipes. Quod ipse præstare dignetur Dominus noster Jesus Christus, qui cum eodem Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

579 HOMILIA LXXX.

IN FESTUM S. MATTHÆI APOSTOLI ET EVANGELISTÆ PRIMA.

Vidit Jesus hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine, et ait illi : Sequere me (*Matth.* IX).

Beatus apostolus et evangelista Matthæus, cujus veneranda festivæ solemnitatis gaudia hodie celebramus, magnum de speranda divina pietate exemplum, tam prædicationis eruditione quam vitæ conversione, cunctis præbet peccatoribus. In nullius enim apostolorum Christi solemnitate tanta peccatoribus spei et confidentiæ præstatur fiducia, nec ad ullius gratiam talem consolationis respectum habere possunt, sicut ad illius, quem de publicano conversum ad talem dignitatis et gloriæ sublimitatem assumptum a Domino esse cognoscunt. Nullus enim discipulorum Christi tam manifeste legitur vel publicanorum amicus, vel lucra sæculi tam ardenter sectatus. Nam Philippus, Jacobus frater Domini, Petrus, Joannes, Andreas, Jacobus, cæterique eorum coapostoli quasi innocentes a Domino sunt electi ; hic vero quia de publicis vitiorum actibus ad apostolatus dignitatem est assumptus, majori compassionis affectu condescendere debet peccatoribus, quam hi qui nullos graves peccatorum contraxerunt reatus, quia peccator compati debet peccatoribus.

Hic ergo beatus Matthæus, quamvis perverse vivendo lucris diu inhiaret terrenis, in prædestinatione tamen divina ante mundi constitutionem ad hoc erat præordinatus, ut non solum apostolus, verum etiam primus inter evangelistas, librum evangelicum de incarnatione Christi conscriberet. Unde etiam in descriptione quatuor animalium ipse *faciem hominis* habere videtur, quia et ipse, ut diximus, mysteria incarnationis Christi plenius et perfectius scribendo mundo patefecit. Ad hanc vero electionis gratiam qualiter a Domino vocatus sit, ipse hodierna sancti Evangelii lectione patenter denuntiat, atque ita propriæ conversionis 580 ordinem prænotat, ut ejus exemplo peccator quilibet cognoscere valeat, qualiter ad Deum converti, qualiter in bonæ conversationis perfectione perseverare usque ad finem vitæ debeat.

Vidit, inquit, *Jesus hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine*. Dominus et Salvator noster electum apostolum et evangelistam suum tunc oculis supernæ miserationis vidit, cum eum de noxiis terrenarum rerum negotiis, quibus inhiabat, semovere et abstrahere decrevit. Quibus etiam oculis adhuc quemlibet peccatorem respicit, quem de sæcularium rerum occupatione secernere disponit. *Videre* autem ejus misereri ipsius est. Quemadmodum enim nos quæ arctius diligimus diligenti intuitu frequen-

A tius inspicere non sufficimus ; ab eo autem, quem minus charum habemus, oculos citius avertimus, sic et omnipotens Deus hominem, quem disponit salvare, oculis divinæ intuetur clementiæ ; ab eo autem, quem ad vitam æternam non præordinavit, oculos pietatis suæ quodammodo avertit. *Sedentem*, inquit, *in telonio*. Mos est ejus qui *in telonio* sedet alienas res accipere, et proprio usui eas mancipare. Unde quid rectius nomine telonii valet designari quam avaritia hujus sæculi ? Qui enim avaritiæ hujus sæculi intendit, qui temporalibus negotiis miserabiliter se irretire non metuit, more telonarii res alienas accipit, quia peccata et vitia, quæ proprie diabolum contingunt, ab eo quasi rapiendo accipit, et hæc nequiter possidendo male libere proprio cor-

B pori et animæ conjungit.

Et notandum quod dicit, *sedentem in telonio*. Sunt nonnulli, qui ita quasi inviti in sæculari conversatione consistunt, ut, si possent, libenter sæculo renuntiarent et concupiscentiis ejus. Et econtra sunt nonnulli, qui ita totis desideriis, tota devotione 581 vanitatibus delectantur præsentis vitæ, ut nunquam sæculi gaudia fastidiant, sed perseverare in eis usque ad finem vitæ dulce habeant. Quicunque ergo est, quia ita delectabiliter terrenis rebus utitur, hic recte *in telonio residere* dicitur. Sed omnipotens Deus cum hominem ita male quietum in telonio residere viderit, id est cum misertus illius ab hac ærumnosa conversatione revocare decre-

C verit, occulta eum inspirationis gratia alloquitur, et quam inaniter omne tempus vitæ suæ consummaverit, perpendere eum facit, quemadmodum sequitur :

Et ait illi: Sequere me. Dicere Dei est ipsius inspirare, cum, sicut prædiximus, interius cor hominis alloquitur, et quid agendum ei sit, quomodo vitam adipisci valeat æternam, invisibiliter instruit et hortatur. Quasi dicat : *Surge* de hac ignominiosa qua hactenus vixisti conversatione, retrahe animum tuum ab hac noxia terrenarum rerum intentione : *Sequere me*, hoc est imitare me. Et revera, quicunque est, quem sic gratia divina intus vocaverit et interius invisibiliter traxerit, apte quod hic sequitur adimplere mox poterit.

D *Et surgens secutus est eum*. Cum enim divina compunctus inspiratione pœnas perpendere incipit damnationis æternæ, gemebunda cordis voce seipsum alloquitur intra se : O miser, inquit, et miserabilis ! quæ tibi spes salutis adesse poterit, si ita inventus fueris ? quantis æternæ damnationis tormentis misera anima tua excrucianda erit, si ita finis vitæ te invenerit ! Et hoc timore compunctus *surgit* de perversis veteris vitæ actibus, *sequitur Dominum* spiritalis vitæ suscipiendo habitum. Hæc vero omnia, quæ prædiximus, quamvis in nobis et nobiscum per inspirantem gratiam suam operetur omnipotens Dominus, modica tamen quodammodo probantur esse in comparatione sequentis gratiæ, quam subsequens mox littera videtur insinuare. Quod enim sæculum

reliquimus, et ad spiritalem vitam devenimus, opus quidem ipsius est; sed factum illud memorabile, de quo jam dicturi sumus, majus est his omnibus.

Et factum est, inquit evangelista, *discumbente eo in domo.* Plerumque in sacra Scriptura, ubi verbum hoc, *factum est*, invenitur magnum aliquid per hoc **582** nobis innuitur. Sic in præsenti loco per *factum* istud memorabile opus intelligere possumus divinæ misericordiæ. Hoc est autem opus divinæ misericordiæ, cum omnipotens Dominus hominem, quem de communi sæculi vita ad spiritalem conversationem vocaverit, secundum multitudinem miserationis suæ clementer dignatur visitare. Omnia quidem opera ipsius magna sunt et laudabilia; sed istud opus misericordiæ majus est omnibus operibus potentiæ suæ, quia testante Scriptura *miserationes ejus super omnia opera ejus* (*Psal.* CXLIV, 9). Quid sit etiam *factum* istud tam grande, quod opus diximus divinæ misericordiæ, Lucas evangelista manifestius videtur indicare hesterna sancti Evangelii lectione, qui eamdem gloriosam publicani istius describens conversionem, *fecit ei*, inquit, *convivium magnum in domo sua* (*Luc.* v, 29). Per convivium illud, quod conversus publicanus iste Domino in domo sua describitur fecisse, non solum illud accipiendum est, quod ei exterius visibiliter exhibuit, sed potius illud quod in domo pectoris invisibiliter ei præparavit. Cibus enim Christi et refectio sunt, ut ita dicam, bona desideria nostra et jugis salutis nostræ meditatio, quemadmodum ipse ait: *Meus cibus est ut faciam voluntatem Patris mei* (*Joan.* IV, 34). Pascitur revera in nobis, cum per bona desideria salutem nostram cogitando cœlestibus semper intendimus. Si ergo auctori propriæ salutis convivium, quo ipse delectetur, in domo pectoris nostri præparare desideramus, paratos ad hoc animos semper habere debemus. Nam si aliquem amicum nostrum in domum exteriorem suscepturi sumus, non subito, quæ necessaria sunt, invenire possumus, nisi prius ad adventum ejus obsequia paraverimus. Sic necesse est ut ad suscipiendum in domo cordis auctorem æternæ salutis semper parati existamus.

Ut autem de his quæ exterius fieri solent aliquid loquamur, videamus quo laboris studio corporalium ciborum parari solet refectio, et hoc quod in rebus visibilibus fieri videmus, spiritaliter nobis ad exemplum trahamus. Solent sæculares quique homines amicos suos in domum suam invitare, et ad convivium illorum cibos diversos præparare. In quo convivio carnes coctæ prius apponuntur, deinde assatæ offeruntur. Quæ carnium præparatio ita fieri solet: **583** mactatur hostia alicujus pecoris, cujus carnes in frusta concisæ in ollam vel in caldarium ponuntur, deinde aqua infunditur, post hæc ignis subjicitur. Peracta autem hujusmodi præparatione, sumptæ de illa carnes super discos ordinantur, et mensis inferuntur. Et siquidem bene paratæ fuerint, delectant, reficiunt comedentes et vegetant; si autem crudum aliquid in eis fuerit, infirmitatem comedentibus ge-

A nerant. Post hujus cibi refectionem carnes afferri solent assatæ, quas usitatiori vocabulo assaturam solemus nominare.

Hæc ergo quæ carnaliter fieri videmus, spiritaliter exsequi studeamus. Hostia nostra est carnalis vita nostra; olla vero, quæ de limo conficitur, terrenum cor nostrum accipitur. Per aquam, quæ desuper infundi solet, aqua lacrymarum intelligi valet; per ignem autem, qui huic subjicitur ollæ, compunctionem possumus intelligere. Ad præparandum ergo Domino in nobis delectabile convivium hostiam nostram, id est carnalem vitam mactare debemus. Non sic dico, ut quis seipsum (quod absit!) interimere velit, sed ut id quod carnaliter in nobis vivere deprehenderimus, mortificare summopere studeamus.
B Mactata hostia carnes ejus ollæ inferre, ignemque et aquam ad coquendum subministrare debemus, quia oportet ut carnalia opera, quæ gessimus, tandiu in corde nostro per ignem compunctionis et aquam lacrymarum decoquamus, donec ipsa vita nostra, quæ quasi cruda prius erat, exhausto funditus sanguine vitiorum desiderabilis cibus Domini fiat. Et revera si tali studio nos ipsos præparaverimus, cibus electus et delicatus in mensa Dominica erimus, ipseque Rex cœlestis delectabiliter in suum nos assumet corpus, et nos ei incorporati sine fine in illo manebimus. Quicunque vero hujusmodi præparationis studium minus in se habuerit, qui quasi crudus sanguinem vitiorum exsiccare in se non studuerit, hic non cibus desiderabilis, sed quasi infirmitatem generans devi-
C tandus est et abominabilis. Abominabilis, inquam, est et infirmitatem generat, quia talis hominis conversatio gravem infirmitatem parit, dum perversis moribus suis iram, invidiam et dissensionem in congregatione excitare non desinit.

Solet autem fieri nonnunquam ut **584** prævalente ignis ardore olla fervens aquam ebulliat. Mox vero extracta de igne calor immensus moderatur, et missa in ollam fuscinula caro intus coercetur, quia quanto plus pinguedo defluxerit, tanto minus saporis caro postmodum habebit. Et nos igitur, si quando cor nostrum, quod per ollam significatur, ex bona operatione nostra intumescere deprehenderimus, districte coercendo intus contineamus, ne dum foras
D per appetitum humanæ laudis elevatur, intus a pinguedine divinæ dulcedinis evacuetur.

Post has igitur carnes aqua coctas, ad convivium Dominicum carnes afferre debemus igne assatas. Caro quæ igne assatur, ligno, quod est veru, affigitur. Veru autem, ut notum est, lignum est non curvum, sed in ante extensum et acutum, cui dum caro infixa fuerit, in neutram partem declinare poterit. Quid per hoc lignum accipi convenientius poterit, quam districtio spiritalis disciplinæ, quæ quidem extensa est et acuta, quia semper in anteriora tendit; cui dum homo quilibet subjicitur, acuta, ut ita dicam, districtione ab ea detinetur, ut, si velit nolit, vagari ultra non possit. Huic ligno si tali modo vita nostra infixa et igne compunctionis

assata fuerit, gustum suavissimi saporis, ut prædiximus, præbere Domino poterit. Quam bene et fortiter caro beati Laurentii assata fuit, quem judex Decius positum in craticula vivum assari fecit! Qui de craticula assumptus, et mensæ Domini illatus, ut cibum electum et desiderabilem in suum Dominus eum assumpsit corpus, dum et congregationi sanctæ Ecclesiæ eum conjunxit, vel in cœlestibus angelicis spiritibus eum associavit.

Hæc autem ideo diximus, ut ea, quæ exterius fieri videmus, spiritaliter nobis ad exemplum trahamus. Hoc est ergo opus misericordiæ, hæc est visitatio miserationis divinæ, cum ita homo interius præparatur, ut ipse auctor suavitatis mira dignationis pietate in domo cordis ejus dignetur discumbere.

Nec prætereundum est quod dicit *discumbere*, hoc est cum ita præparatum cordis habitaculum invenerit, ut ipse in eo requiescere, et mansionem inibi digne in habitaculo dignetur facere. Sicut enim absente patre familias domus quasi desolata videtur, ubi vero præsens aderit, jucunda et quasi plena ex ipsius **585** erit præsentia; sic cum summus ille Pater familias domum humani cordis deserit, vacua est et multimodis vallata miseriis. Et quemadmodum domus quælibet deserta sordibus nonnunquam plena est, et aranearum telis circumdata; sic domus cordis, ubi Christus habitator non manet, sordidis polluitur cogitationibus, et multimodis patet miseriarum calamitatibus. Ubi vero ipse Creator cordis *discumbere*, id est requiescere, dignatur in corde hominis, fit profecto illud quod ordo sequentis denuntiat narrationis.

Ecce, multi publicani et peccatores venientes discumbebant cum Jesu et discipulis ejus. Per *publicanos* gravia peccata, per *peccatores* vero leviora intelligere possumus commissa. In illa igitur hora, ut prædiximus, qua in corde hominis familiariter requiescere dignatur Jesus, *veniunt* isti *publicani et peccatores, et discumbunt cum Jesu et discipulis ejus*, quia tunc nimirum homo collectis sensibus suis interioribus, qui per *discipulos Jesu* designantur, ita ad se intra se reducitur, ut non solum graviora peccata digne considerando pœniteat, verum etiam leviora quæque cogitationum aut intentionum delicta perfecte cognoscendo pœnitere et deflere valeat. Sequitur:

Et videntes Pharisæi dixerunt discipulis ejus. Per *Pharisæos* qui interpretantur *divisi*, hoc in loco maligni spiritus possunt accipi. Ipsi enim hostes perversi et humanæ salutis inimici, cum tam salubrem profectum in homine cognoverint, facibus invidiæ succensi, callida arte omnimodis elaborant, ut ab incœpto cumpunctionis et pœnitentiæ fructu hominem revocare valeant.

Possunt etiam per *Pharisæos* cogitationes illæ designari, quas ipsi spiritus maligni ad pervertendum hominem humano immittere solent cordi. Cum enim homo quilibet beatus in amaritudine animæ

A suæ, pravæ conversationis recogitat et tractat reatus, incidit ei nonnunquam hæc cogitatio, quod inutilis sit ejus pœnitentia, quod nullam salutis gratiam obtinere ejus valeat compunctio, atque ea quæ sequens hic littera indicare videtur, secum in dolore cordis sui loquitur: *Quare*, inquit *cum publicanis et peccatoribus manducat Magister vester?* Quasi dicat: Quare tantopere peccata **586** mea pœnitere debeo? Quid mihi prodest crebro pro peccatis compungi? Nam cum modo ea defleo, et iterum ad eadam facienda recurro, nunquid per talem pœnitentiam veniam consequi potero? Sed hæ cogitationes perversæ, immissiones, ut ita dicam, sunt diabolicæ, quas ideo in cor hominis mittunt, ut pœnitentiæ et compunctionis fructum auferant, et

B in barathrum desperationis inducant, ut jam desperare incipiat, ne veniam consequi possit, quasi Deus ante actam pœnitentiam suam oblivioni tradiderit. Quæ contra Dominus et Salvator noster in his tribus sequentibus versiculis magnam nobis præstat consolationem suæ pietatis, et ut homo nunquam de bonitatis divinæ clementia diffidat, nec indultum pœnitentiæ tempus negligat, evidenti nos clementiæ suæ exemplo confirmat et corroborat.

At Jesus dixit eis: Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus. Et iterum atque iterum consolando nos divitias misericordiæ suæ et pietatis commendans ait: *Euntes autem discite quid est: Misericordiam volo et non sacrificium. Non enim veni vocare justos, sed peccatores.* In his tribus versi-

C culis tres vices notare possumus, quas et beatus Gregorius exposuisse videtur in Moralibus, ubi sic ait: Hæc omnia operatur Deus tribus vicibus per singula. In primo ergo versu, ubi ait Dominus, *non est opus valentibus medicus, sed male habentibus*, inchoatio, id est conversio hominis valet designari; in sequenti vero, ubi dixit *euntes autem discite*, medietas; in ultimo autem finis ejus apte valet figurari. In inchoatione, id est conversione, est homo adhuc quasi infirmus et ideo *opus habet medico*. Infirmus autem est, quia necdum peccata cognovit, nec pœnituit, nec confessus est, nec satisfecit, sed ut perfectam sanitatem consequi valeat, opus habet ut medicus ei subveniat, hoc est ut bonus

D aliquis doctor curam ejus gerat, qui blanda consolatione et aspera increpatione tandiu favere non desistat, quousque perfectam sanitatem recipiat. Sanus autem et firmus tunc veraciter dici poterit, cum hoc ab ore boni doctoris didicerit, ut peccata, quæ perpetravit, cognoscere valeat, et post agnitionem digne pœnitendo, confitendo et satisfaciendo corrigere **587** non desinat. Ita vero inchoatione, id est in conversione sanatus et adjutus opus habet in medietate, ut altiores semper ascendere studeat gradus, quod recte denuntiat sequens iste versus: *Euntes autem discite quid est; misericordiam volo et non sacrificium.* Debet enim semper sursum tendere, ire, inquam, de virtute in virtutem, et quandiu in hujus mortalitatis manet tempore, semper sanæ doctrinæ audi-

tum cordis præbere, ut videlicet summopere hoc discere et adimplere studeat, quod quasi imperando Dominus hic denuntiat: *Discite*, inquit, *quid est: Misericordiam volo.* Illud, inquam, discere studeat, ut misericordiam, id est miserum cor habere sciat et valeat, ut videlicet, si quid virtutis in se senserit, non propriis meritis, sed divinæ hoc clementiæ ascribat. *Et non sacrificium*, inquit, hoc est, ut non in hoc quasi superbiendo gloriari velit, quod seipsum sacrificium Deo obtulit, nec pro hoc gloriam requirat laudis humanæ, quod mortificationem Jesu circumferre in suo contendit corpore. Qui ita inchoatione sanatus et in medietate instructus fuerit, sperare jam confidenter in Domino poterit quod in fine suo adesse ei misericorditer dignetur, quemadmodum in ultimo versu isto ipse consequenter pollicetur:

Non veni vocare justos, sed peccatores. Per *justos* istos angeli sancti possunt intelligi; per *peccatores* vero homines congrue valent figurari. Nulli vero creaturæ Dei justitia sive injustitia deputabitur, nisi soli angelicæ creaturæ et humanæ. Angeli enim sancti, qui apostatis angelis cadentibus, in justitia sua cum Domino perstiterunt, semper *justi* ante oculos divinæ majestatis fuerunt. Primus autem parens noster Adam cum per inobedientiam tramitem justitiæ excessit, omni posteritati suæ injustitiæ crimen quasi **588** ingenitam hæreditatem dereliquit. Nam omnes in peccatis concipimur et nascimur, nec est homo natus de muliere, qui liber esse possit a peccatorum contagione, quemadmodum Paulus ait apostolus: *Omnes peccaverunt, et egent gloria Dei* (*Rom.* III, 23). *Venit* autem Mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, sine peccato conceptus et natus, liber prorsus a peccatis omnibus *venit*, inquam, non ad reparandum angelum, qui non peccavit, sed ad subveniendum homini, qui nexibus peccatorum in lacu miseriæ detentus jacebat. Et hoc est quod dicit: *Non veni vocare justos, sed peccatores*, hoc est non propter angelos homo natus in mundum deveni, sed propter homines humanam mihi naturam coadunavi. Ergo quia ipse Redemptor noster, non propter angelos, sed propter peccatores vocandos venisse se denuntiat, magnam revera in hoc ad sperandum fiduciam cunctis præstat, ne peccator quilibet conversus spem consequendæ veniæ unquam amittat. Et est, quasi hominem propter enormitatem peccatorum suorum pene jam desperantem his verbis consoletur, et dicat: Cum per tanta beneficia largus erga te exstiterim, quod in inchoatione tua medicina mea infirmitati tuæ subveni, et in medietate tua salubrem tibi doctrinam adhibui, quid est quod quasi pro fine tuo sollicitus, de mea misericordia desperando diffidis, et non magis spem tuam confidenter in me ponis? Ego enim sum qui inchoationem et medietatem tuam in manu mea teneo; ego etiam, si tu spem tuam firmiter in me ponens a justitia non deviaveris, in fine tuo remunerationem præstabo, præmium

A illud æternæ vitæ, quod ego ipse sum, qui solus æternæ sum beatitudo sanctorum omnium mihi conregnantium per infinita sæcula sæculorum. Amen.

589 HOMILIA LXXXI.

IN FESTUM S. MICHAELIS ARCHANGELI PRIMA.

Accesserunt ad Jesum discipuli dicentes: Quis, putas, est major in regno cœlorum? (*Matth.* XVIII.)

Quia veræ humilitatis insignia mystico intellectu lectio in se continet evangelica, satis congrue in angelorum legitur celebritate, quia parvulos et humiles recognoverunt se in Dei æstimatione. Unde pro hujus humilitatis gratia tantæ remunerationis ditati sunt gloria, ut præcipitatis spiritibus apostaticis perpetim fruantur visione incircumscriptæ
B majestatis. Et quia dignitas tantæ remunerationis non tantum solis donata creditur angelis, sed et his quicunque præeuntis Domini vestigia sequi nituntur, qui et discipuli, imo filii adoptionis efficiuntur quo intentionis affectu adhærere Deo oporteat, in primordio lectionis hujus evangelista declarat:

Accesserunt, inquit, *ad Jesum discipuli dicentes: Quis, putas, est major in regno cœlorum?* Qui enim virtuosis operibus adhibent diligentiam, et inveterati criminis delere contendunt maculam, ad thronum gratiæ præsumentes accedere, cœlestis magisterii subdi elaborant disciplinæ. Sub hac ergo disciplina amoris Christi plerisque positis, sed nondum attingere valentibus culmen perfectionis, facile in secreto mentis illabitur, quod his verbis expri-
C mitur: *Quis, putas, est major in regno cœlorum?* Licet in Scriptura sacra *regnum cœlorum* interpretatione accipiatur varia, hic tamen digne intelligi poterit spiritalis vitæ militia. Hanc nimirum vere pœnitentes professi, et ab errore viæ suæ aliquantulum conversi, non satis provida muniti circumspectione, clandestina hac pulsantur cogitatione, quanta rerum gloria pridem, quanta abundantia inopiam fraternæ necessitatis suppleverint, et pro tantæ exhibitionis beneficio ampliori dignitatis magnificentia præferri appetunt cohabitantium sibi collegio. Si enim ventosa illorum elatio prævaluerit, nec extollendo se super **590** se superbire cessaverit, tacita lingua superbiæ audacter in hæc verba
D præsumit prorumpere: *Quis, putas, est major in regno cœlorum?* Regnum cœlorum est quidem, quod dicitur, vita vivens in se, quæ fine nullo concluditur. Hac in vita spiritu superbiæ inflati incomparabili se arbitrantur præmio remunerari, nec præ magnitudine injusti appetitus cordi illorum insidere poterit, quia personam hominis Deus non accipit, sed qui continens est justitiæ, paratas a Deo delicias mansionis percipiet æternæ. Sed misericordiam volens, male desipientes in præcipitium æternæ damnationis non permittit labi, adhibens medelam hujusmodi.

Et advocans Jesus parvulum statuit eum in medio eorum. Quisnam sit iste parvulus, quem dulcis et rectus advocat Jesus, perspicaci mentis intuitu libet

inquirere, et puritatem sequi illius innocentiæ. Est enim vera et probata humilitas, quæ carnalium mentes comprimit elatas, quam Jesus pietatis suæ respectu *advocat*, dum obdurata dudum in malis corda occulta inspiratione visitat. Sed quia abyssus conditionis humanæ diversis vagatur motibus, innumeris se occupando rerum tumultibus, datam sibi semel humilitatis gratiam obliviscendo postponit quasi neglectam. Jesus autem, cujus opera sunt in fide, prædictum parvulum *statuit in medio eorum*, spiritum videlicet humilitatis stabilem faciens et irremotum in cordibus illorum, ita videlicet ut pes superbiæ non moveat eos amplius quos et admonet in consequentibus :

Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, et efficiamini ut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Singularem tantæ humilitatis excellentiam nullus perfecte accipit, qui ex abundantia divinæ suavitatis hac in vita prægustare non meruerit. Unde liquet, quia beata, imo **591** felicissima anima, dum hora compunctionis cum sponso suo, scilicet Christo fuerit unita, humiliando se inferiorem cunctis mortalibus æstimat, affligentes se injuriarum molestiis affectu mutuæ dilectionis amplecti desiderat. His, inquam, virtutibus dum fideles crebro muniuntur intus et exterius juxta admonitionem veritatis, efficiuntur *parvuli*, nullo obsistente vitiorum obstaculo porta eis patet cœlestis regni. Sunt autem nonnulli inflexibili mentis duritiæ dediti, qui nil de intimi saporis dulcedine sapiunt, sed ea, quæ super terram sunt, tota aviditate hauriunt. Tales nimirum nullatenus attingere viribus valent propriis supereminens donum perfectæ humilitatis. Sed qui de stercore erigit pauperem omnibus prædestinatis ad æternæ beatitudinis requiem oculo misericordiæ gratiam providet, perfectæ conversionis in ultimo etiam agone positis. Nam in ipso mortis articulo Deo annuente incredibilis eos perturbat pœnitentiæ amaritudo, sic ut in ipsa amaritudine contriti cordis virtutem consequantur profundæ humilitatis. Quod autem rationi non sit contrarius iste, ipsa veritas verbis insinuat istis :

Quicunque humiliaverit se sicut parvulus iste, hic major est in regno cœlorum. Qui enim superbi cordis elationem abjecerint, et parvulos se in oculis suis toto affectu crediderint, habitaculo corporis hujus deposito, gloriose in æternæ quietis sublimantur solio. Sed quia collatum plerisque donum humilitatis ad profectum salutis non perveniat, ea quæ sequuntur manifestius insinuant :

Et qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit. Multi enim parvulum talem, gratiam scilicet humilitatis suscipiunt, sed in nomine Salvatoris observare nesciunt. Nam collata divinitus ipsa humilitatis virtus, humanis exinanitur favoribus, dum tantummodo pro reverentia honoris et gloriæ sanctis sanctiores desiderant apparere. At vero prædictum *parvulum* hi suscipiunt in nomine Salvatoris, qui nil de virtuosis operibus suis ascribunt meritis, sed soli solummodo attribuunt Patri luminum, a quo est omne datum optimum.

Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt. Parvuli quippe dici et esse possunt qui potentiam majestatis ipsius diligendo credunt; **592** et quicunque his scandalum, quod peccati dicitur occasio, præbuerit, dignum est ut satisfactioni subjaceat, quam Dominus in præsenti commendat. Ait ergo : *Expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collum ejus.* Quid ergo per *molam asinariam*, quæ magni laboris tædio trahendo circumducitur, nisi sensus irrationalis intelligitur, qui sordibus cogitationum fœdatur innumeris ad instar asini, qui diversa rerum mole plus cæteris oneratur jumentis. *Expedit* namque ut sensus iste *in collum suspendatur, et in profundum maris dimergatur.* Per *collum* namque, quo omnis sermo ad linguæ plectrum emittitur, congrue vere pœnitentis confessio innuitur. Nam *mola asinaria* recte *suspenditur in collum*, dum omne, quod sensu perpetratur irrationali, medicis animarum quique delinquentes conantur humiliter confiteri, et sic commissa confitendo scelerum *in maris demergantur profundum.* Licet *mare*, quod salsum est et amarum, varia interpretatione testimoniis accipiatur Scripturarum, hoc tamen in loco videtur exprimere amaritudinem contritionis et pœnitentiæ, in quam se affligentes pro peccatis immergunt, dum abundanti lacrymarum fonte perpetrata dudum vitia diluunt. Hi nimirum tenebras ignorantiæ suæ Deo cooperante virtutum illuminant radio, longeque effugabitur ab eis præsens maledictio.

Væ mundo, inquit, *ab scandalis.* Quis sit iste mundus, Joannes insinuat theologus : *Omne, quod in mundo est, concupiscentia carnis est et concupiscentia oculorum et superbia vitæ* (*I Joan.* II, 16). Per hunc triformem deceptionis laqueum omnia scandala exitiale sumunt initium. Nam quisquis legem Domini prævaricando transgreditur, horum trium nocivo compede illaqueatur. Quod autem status præsentis vitæ absque diversarum rerum scandalis non possit transire, verba manifestant evangelica :

Necesse est, inquit, *ut veniant scandala; verum tamen væ homini, per quem veniunt scandala!* O quale væ homini huic veniet qui parvulos Christi scandalizare non timet! Aut enim dignum pœnitentiæ fructum vita comite persolvere Deo convenit, vel gravem damnationis pœnam ex hac luce subtractus sustinebit. Unde sapiens quisque et beatus disciplinis **593** mandatorum Dei decenter adornatus consilium Domini, quod in æternum manet, pro modulo suo consequi minus tardet.

Si manus tua vel pes tuus scandalizat te, abscide eum et projice abs te. Sicut enim per *manum* cujusque hominis actus accipitur, sic per *pedem* affectus humanæ intentionis intelligitur. Quicunque scandalizari se ab his senserit, non surda percipiat aure cordis verba Veritatis salubriter admonentis, *abscide eum et projice abs te.* Non multum quidem

abscidere cuilibet proderit vitia, nisi longius a se abalienet etiam abscisa, et ferro purgatus dignæ sectionis, virtutum gressibus accipere decertet præmium promissæ beatitudinis. Unde sequitur : *Bonum est tibi ingredi ad vitam debilem vel claudum, quam duas manus vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum.* Quod autem Dominus ait : *Melius est tibi ingredi ad vitam debilem et claudum*, in hoc declaratur manifeste quia singulare bonum censetur et perenne, si operum bonorum insignia, affectu puro et simplici corde peracta, ad gloriam referantur et honorem solius Dei, qui commoda æternæ remunerationis abundanter novit suis largiri. Qui enim sic adhærentes bono, ab utroque homine vitia resecantes salubriter seipsos debilitant, edaces ignium flammas evadendo quandoque superant. Nam beata, imo felicissima dignoscitur debilitas, quæ simplices et rectos corde ad paradisi sublevat portas.

Si oculus tuus scandalizat te, erue eum et projice abs te. Quidnam per *oculum* exprimi poterit convenientius, qui cunctos hominis dirigit gressus, quam intellectus utriusque hominis, quo viget ratio providæ discretionis? Si quem vero oculus iste, intellectus scilicet deviare reprobo sensu fecerit, conscientiam mundans *illum eruat*, et simplici ac sano intellec..... (69*).

594 HOMILIA LXXXII.

IN FESTUM OMNIUM SANCTORUM PRIMA.

Vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat, etc. (*Apoc.* VII.)

Hodierna festivitas, quæ in honore omnium sanctorum celebratur, dissimilis est aliis sanctorum solemnitatibus, quas per anni cursum revolvimus, in quibus aut triumphum passionis illorum, sive de morte ad vitam transitum recolimus. Sed omnium pariter sanctorum merita sub una celebritate idcirco veneramur, ut meritis et intercessionibus eorum adjuti Domino reconciliari mereamur; etsi alio tempore in eorum servitio tardiores vel negligentiores, quam deberemus esse, fuimus, hoc per exhibitum devotionis nostræ studium hodierna celebritate pœnitendo diluamus.

Huic etiam præclaræ festivitati præsens capitulum recte videtur congruere, et in tota sacra Scriptura nihil inveniri potuit, quod tantorum principum solemnitate legi convenientius potuerit. Unde beatus Joannes, sublimi mentis intuitu supra omnem creaturam evolans, omnium ad vitam prædestinatorum multitudinem intuens ait : *Post hæc vidi turbam magnam.* Et quare dicit, *post hæc?* Quia nimirum antea viderat turbam numeratam et signatam, centum quadraginta quatuor millia. Per hunc numerum signatorum possunt accipi omnes sancti et electi, qui ante legem, et sub lege, et sub gratia fuerunt. Multi enim perfecti et justi erant ante legem, qui vere gratia Spiritus sancti pleni erant, sicut Abel protomartyr, Noe, Abraham, Isaac, Jacob et alii nonnulli, qui ita in virtutibus sublimes et eminentes erant, quod etiam Deus omnipotens, Deus eorum nominari voluit, sicut ipse ad Moysen ait : *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob* (*Exod.* III, 6). Sub lege quoque valde perfecti inventi sunt, Moyses videlicet, cum quo, sicut ait Scriptura, ita familiariter loqui dignatus est Dominus, *sicut amicus loqui solet cum amico suo* (*Exod.* XXXIII, 11), David, Isaias, Jeremias, Ezechiel eorumque consimiles. Sed et sub gratia sancti apostoli, qui omnes idcirco finito et certo numero signantur et distinguuntur, quia pauci sunt et rari, qui perfectionem eorum possint imitari. **595** Qui bene per millenarium numerum, qui perfectus est, designantur, quia in fide et operatione perfecti inveniebantur. Et hujus numeri quadragenarii compositio, qui per septies duodecim multiplicatus perficitur, sancti Spiritus, qui corda eorum repleverat, designatur perfectio. Quorum eminentiam magnifice in consequentibus commemorat, dicens :

Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati; virgines enim sunt qui sequuntur Agnum quocunque ierit. Per *mulieres* mollitia et infirmitas animi solet designari. *Mulieribus* itaque *non coinquinabantur*, quia mollia et infirma peccati opera in semetipsis comprimebant. Et ideo *virgines sunt, sequentes Agnum quocunque ierit*, quia etsi non omnes corpore sunt virgines, mente tamen et anima sunt virgines, quia pœnitentes erant et humiles. Ideoque *sequuntur Agnum quocunque ierit*, quia quidquid optimum Deus in donis suis habet, eis non negabit, et quod commune est omnium præmium, seipsum omnibus sufficienter dabit. Multi enim sunt, qui virgines nominantur, et incorrupti sunt corpore, et tamen in numero virginum non computantur, quia virginitatem carnis servant sine virginitate cordis; et multi integritatem habentes cordis virginitatem amiserunt carnis. Et hi tales *sequuntur Agnum quocunque ierit*, quia, dum per veram pœnitentiam ad veram redierint innocentiam, vere Agnum quocunque ierit sequuntur; dum quandoque coronantur. Et isti, licet virgines sint corpore, non tamen humiles mente, nequaquam Agnum sequuntur, dum superbientes et de se præsumentes damnantur.

Determinato et finito numero signatorum, id est perfectorum, ad infinitum numerum, qui æstimari non potest, se convertit, de quo subjungit : *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat.* Per turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, hi designantur qui ad perfectionem illorum de quibus superius diximus pertingere non possunt, et tamen Dei miseratione salvantur, quos ita distinguit et describit. dicens : *Ex omnibus gentibus, et tribubus, et populis et linguis.* Sunt *gentes*, et bene nominantur *gentes* homines illi qui, secundum hoc quod nati sunt, vixerunt, **596** qui in peccatis concepti et nati peccata peccatis addiderunt. Omnes enim in peccatis concipimur et nascimur. Sed illi, secundum hoc quod nati sunt, vivunt qui carnis suæ

(69*) Reliqua cum tribus foliis excisa hoc loco e codice sunt.

concupiscentiis non contradicunt nec resistunt, sed in eis delectabiliter vivunt. Qui, dum ex misericordia Dei visitantur, [et] peccata sua cognoscunt, quasi *tribus* esse incipiunt. Quomodo *tribus* esse incipiunt? Nimirum quando pro tribus istis, id est voluntatibus malis, verbis inutilibus, operibus iniquis Deo pœnitentiam exhibent, dum modo in confessione confessori suo peccata sua aperiunt, modo in oratione Deo seipsos ostendunt et committunt. Sed et *tribus* tunc esse incipiunt, dum Creatori suo, id est Patri et Filio et Spiritui sancto, credendo et bene vivendo se subjiciunt.

Post hæc fiunt *populi*. Per populos intelliguntur subditi. Illi, qui ex gentibus facti sunt *tribus*, fiunt etiam *populi*, dum malam libertatem peccandi, quam prius habuerunt, sibimetipsis auferunt, aliorum obedientiæ sese humiliter propter Deum submittunt. Post *gentes* et *tribus* et *populos* sequuntur *linguæ*. Fiunt *linguæ*, quando alios incipiunt docere non solum verbis, sed et exemplis.

Sed et in quatuor his verbis, in *gentibus* scilicet, et *populis*, in *tribubus*, in *linguis*, quatuor qui sunt in Ecclesia ordines accipere possumus, in *gentibus* pœnitentes, in *tribubus* innocentes, in *populis* obedientes, in *linguis* præsidentes. His quatuor respondent quatuor illa quæ sequuntur, *stantes ante thronum in conspectu Agni, amicti stolis albis, et palmæ in manibus eorum. Stantes ante thronum* respicit ad *gentes*, quod sunt pœnitentes. Thronus enim, qui proprie est et dicitur sedes regum, extremum tremendi judicis designat judicium. Stant ante thronum, dum statum illum, quo in tremendo extremi judicii examine ante vultum majestatis tremendæ statuendi sunt et examinandi, sollicite considerant, præparantes sibi in seipsis thronum Judicis, quod peccaverunt, districta in se pœnitentia punientes, et per propriæ districtionis censuram illud, quod meruerunt, terribile æterni Judicis judicium prævenientes. Hic enim misericordia et veritas, ibi sola justitia sine misericordia, et sicut unusquisque in hora mortis suæ **597** invenitur, ita in die judicii judicabitur. Igitur, qui judicat semetipsum hic, dum vacat, tollit judicium suum omnipotenti Deo, ut in tremendo judicio judicari non debeat ab eo.

Præmisso *stantes ante thronum*, recte subjecit *in conspectu Agni*, quod congrue ad *tribus*, per quas innocentes accipimus, potest referri. Illi namque vere innocentes sunt, et vere innocentes nominantur, qui innocenti Agno, Domino nostro Jesu Christo, in sua innocentia conformantur, qui ita innocentiam suam custodiunt, ut sit *in conspectu Agni*, hoc est ut illi placere possint qui pro nobis nocentibus innocens in cruce occubuit. Ille enim in sua innocentia omnium humillimus fuit. Ideoque qui innocens est, nisi et humilis sit, innocentia ejus *in conspectu Agni*, id est accepta Agno innocenti et humili esse non poterit. Sunt enim nonnulli, qui ex eo quod innocentes se recognoscunt, ad elationis vitium intumescunt, contemni dolentes, præ cæteris homini-

A bus, quasi qui cæteris vixerunt sanctius, se haberi cupientes. Isti etsi sunt innocentes, innocentia tamen ista non est *in conspectu Agni*, quia non placet illi, qui innocens propter nos occisus est. Qui vero innocentes sunt et innocentiam suam in ea humilitate custodiunt, quod supra nullum hominem, quamvis peccatorem, se extollunt, horum innocentia *in conspectu Agni* est, quia singularis Agnum innocentiæ imitantur, a quo et cum quo et innocentiæ et humilitatis suæ præmium consequentur.

Post *gentes* et *tribus* adduntur et *populi*, per quos, sicut præmisimus, obedientes accipimus, quibus apte congruit *amicti stolis albis*. Per albam enim stolam accipimus innocentiam, quæ per humilem acquiritur obedientiam. *Albis* quidem *stolis amiciun-*

B *tur*, quia quantumcunque peccaverint in sæculo, quantumcunque lapsi fuerint, per obedientiam, quam bono et dulci corde Deo, et propter Deum prælatis suis exhibent, inter populos, ipsos innocentes, deputantur, quia per humilem obedientiam ad veram, si tantum perseveraverint, perveniunt innocentiam. Sequitur:

Et palmæ in manibus eorum. Palmæ in manibus eorum respicit ad præsidentes, ad sanctos videlicet doctores, qui per *linguas* intelligi possunt, qui et **598** pœnitentibus, et innocentibus, et obedientibus in sancta Ecclesia præesse noverunt. Palma, quæ significat victoriam, vincentium in se vitia significat remunerationem et gloriam. Sed quare de

C sola dicitur persona prælatorum, *et palmæ in manibus eorum?* Erunt quidem palmæ in manibus pœnitentium, erunt palmæ in manibus innocentium, erunt palmæ in manibus obedientium. Attamen quia secundum verba beati Hieronymi liber iste, Apocalypsis videlicet Joannis, de qua lectio ista sumpta est, tot habet sacramenta, quot verba, non sine certa causa mysterii dicitur de persona prælatorum, *et palmæ in manibus eorum*. Per manus enim solet opera designari. Ideoque non inconvenienter per manus prælatorum designantur subditi eorum, in quibus et quos omnipotenti Deo debent operari. Tunc in subditis suis boni prælati Deo operantur, cum eos verbis et exemplis suis ad perfectum adducere nituntur. Nam cum et ipsi in se vincunt vi-

D tia, et illos, quibus præsunt, ad exemplum eorum vincere in se vitia docent, hoc est ferre *palmas in manibus*. Unde scriptum est: *Tulit ergo Deus hominem, et posuit eum in paradisum voluptatis, ut operaretur* (*Gen.* II, 15), hoc est ut ipsum hominem, qui adhuc erat imperfectus, in hominem perfectum operaretur.

De hac nimirum turba pœnitentium, innocentium, obedientium, præsidentium recte dicitur, *vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat*. Quare dicit, *quam dinumerare nemo poterat?* Ubi numerus non est, ibi confusio est; ubi vero numerus est, ibi decor et ornatus est. Hæc sane turba pœnitentium, innocentium, obedientium, præsidentium tanta tamque magna est coram Deo, quod nemo, id

est non homo, non ipsa quidem beata virgo Maria, quæ æternum nobis genuit Salvatorem, nec ipse etiam unigenitus Filius ejus, in quantum homo, hanc turbam ad plenum ornare, hoc est ad plenum remunerare potest. Quidquid enim infra Deum est, turbæ huic non sufficit, quia nullus hominum ad plenum desiderium suum in hac vita pervenit. Qui sæculum et honores divitiasque sæculi quærunt et diligunt, nunquam ad tantam plenitudinem perveniunt, **599** ut nihil amplius sit, quod desiderent, quod divitiis et honoribus suis adhuc superaddere non optent. Sic et illi, qui perfecte Deum diligunt, nunquam in tantam divinæ dilectionis et dulcedinis vim rapiuntur, quin sit adhuc quod cupiant, quo magis ac magis in desiderii sui amore inardescant. Sed ibi, ubi Deus dabitur nobis, ubi resumpto in fine mundi corpore ad illam plenitudinem desiderii nostri, supra quam nihil est, pervenerimus, quod ipsum Deum facie ad faciem videbimus, ibi vere turba ista numerabitur, ibi remunerabitur, ibi plene ornabitur, ibi nihil amplius quæret, quia ipse qui est super omnia, decor et ornatus ejus erit.

Ibi vere implebitur, quod dicitur: *Omnia in mensura et numero et pondere constituisti* (*Sap.* XI, 21). Ipse est *mensura*, quia mensurat et terminat omnia; ipse est et *numerus*, quia format omnia; ipse est *pondus*, quia ordinat omnia. In æternæ beatitudinis gloria omnia in mensura, et numero, et pondere constituentur, ubi ipse, qui est plenum desiderium, plenum gaudium omnium sanctorum suorum, secundum mensuram meritorum numerat et dat gaudia præmiorum, ubi in illo æternæ stabilitatis pondere sic cum Deo in Deo stabilientur, quod sicut nihil amplius indigent, sic nihil unquam amplius desiderare valent.

Omnium igitur sanctorum, quorum hodie festa celebramus, auxilium imploremus, ut sicut illi ex omnibus sunt collecti, id est ex peccantibus aut pœnitentibus, sive obedientibus, vel præsidentibus, et cœli cives facti; sic et nos ex peccantibus faciant pœnitentes, ex pœnitentibus obedientes, ex obedientibus præsidentes, ut ita animo nostro præsideamus, quatenus palmam victoriæ obtinere mereamur, illorumque cœtui adunati et conjuncti Deum deorum facie ad faciem contemplemur, qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

600 HOMILIA LXXXIII.

IN FESTUM SS. MARTINI ET UDALRICI EPP. PRIMA.

Ipsi sunt duæ olivæ et duo candelabra lucentia ante Dominum (*Apoc.* XI).

Quia venerandam sanctorum Christi confessorum beati Martini et beati Udalrici solemnitatem celebramus, de laudibus ipsorum loqui aliquis pro posse nostro attentamus. His profecto verba illa non incongrue possumus aptare, quæ de aliis quidem sanctis ecclesia memoriter consuevit cantare: *Isti sunt duæ olivæ et duo candelabra.* Oliva quippe salutiferum profert fructum, quia nimirum oleum lucet, reficit, et sanat. Nobiles profecto hæ duæ olivæ tale

A de se oleum proferebant, quod satis clare lucebat, reficiebat, atque sanabat. Sanctissima enim doctrina eorum lumen administrabat fidei, et reficiebant audientes mira dulcedine verbi Dei. Et quia juxta episcopalis divinitatem excellentiæ secundum sæculum divitiarum magnitudine eminebant, pauperes quosque et egenos non solum corporali reficiebant alimonia, verum etiam administrare illis non desistebant spiritalia. Quantos vero infirmos sanaverint, opus non est in præsenti replicare, quia et omnibus notum est qui vitam sancti Martini legerunt, quod non tantum infirmos innumerabiles sanaverit, sed et tres mortuos suscitaverit.

Et duo, inquit, *candelabra lucentia ante Dominum.* *Candelabrum* multimodis percussionibus et contu-
B sionibus atteritur, priusquam ad solitam decoris speciem aptetur et formetur. Et profecto magnifica hæc superni luminis candelabra magnis et innumeris tunsionum pressuris in hoc sæculo a summo opifice multipliciter sunt attrita. Beatum siquidem Udalricum in ipso, ut ita **601** dicam, nativitatis suæ primordio magna quadam percussione cœpit atterere, quia a lacte, quo adhuc illa infantilis ætas alenda et nutrienda erat, post paucos nativitatis ejus dies præsago cujusdam nuntii sui oraculo eum abstinere præcipiebat; postea vero episcopus factus novis iterum percussionibus attritus est. Nam sicut et inter cætera legitur, supervenientes Hungari omnem regionem illam vastaverunt, et de populo qui
C sub ipso erat, plurimos captivos duxerunt.

Beatus vero Martinus, quanta austeritatis attritione seipsum omni tempore vitæ suæ castigaverit, scimus. Qui etiam humilitatem et austeritatem, quam prius monachus habuit, accepto episcopatu in nullo minoravit. Hæc itaque duo candelabra tot et tantis percussionibus satis polita ante Dominum erant lucentia. Lucebant quidem apud homines vitæ ac doctrinæ præclaro lumine, sed non satis hoc fuisset, nisi et ante Dominum meritis ac sanctitate luxissent.

Et quia sic ante Dominum lucebant, *habent potestatem claudere cœlum nubibus et aperire portas ejus* Si hoc sicut littera sonat, accipere volumus, revera potentes sunt *claudere cœlum* his qui prave vivendo Deum offendunt; *aperiunt* vero *portas ejus* omnibus,
D qui devote patrocinia eorum quærunt. Est et aliud *cœlum*, in quo vere Christus requiescit, de quo Scriptura dicit: *anima justi sedes est sapientiæ.* Quæcunque enim anima seipsam mundum habitaculum fecerit, in hac profecto Dei Filio jucunda admodum et delectabilis fit sessio. Non est namque locus, in quo amabilius habitare dignetur, quam in anima, quæ virtutum meritis ornata habitationi ejus condigne exhibetur.

Sunt autem quædam *nubes*, quæ cœlum hoc obnubilant, quæ lumen ejus tenebris ignorantiæ offuscare desiderant. *Nubium* quippe nomine hoc in loco malignos spiritus possumus congrue satis accipere. *Clauditur* tunc *cœlum* **602** quodammodo *a nubibus*, cum sancta anima seipsam muniendo bonis operi-

bus consignat, ne malignis spiritibus ad eam pateat aditus. Et dum exclusis illis anima satis munitur, revera *portæ ejus aperiuntur*. *Portæ* animæ nostræ sensus ejus sunt, qui tunc ad accipiendam superni roris gratiam *aperiuntur*, cum *cœlum* nostrum ab his noxiis *nubibus clauditur*. Qualiter vero isti sancti potestatem acceperint, ut precibus suis *cœlum* nobis *claudere*, vel *portas ejus aperire* valeant, sequentia verba insinuant. *Quia linguæ eorum claves cœli factæ sunt*. Per hoc siquidem, quod *linguæ eorum claves cœli* fuerunt, cœlos claudere et aperire digni sunt.

Digna ergo cum veneratione talium intercessorum festivitas celebranda est, quorum et potestas et dignitas in cœlo et in terra gloriose eminet. Natalem namque diem beati Udalrici hodie veneramur, quo scilicet de terrena corporis habitatione exutus, ad vitam natus est æternam. Beati vero Martini ordinationem sive translationem vel etiam dedicationem basilicæ ipsius hodie celebramus, quo summus pontifex templum ejus gloriosa consecravit dedicatione. Et bene dignitati ejus conveniebat, ut cœlestis pontifex ad ejus basilicam consecrandam venire dignaretur, cui ipse, dum vixit, decora tot templa, tam de lapidibus, quam etiam de sanctis animabus construxit. Ipsi igitur suæ intercessionis auxilio ita cœlum nostrum a noxiis nubibus claudant, ita, inquam, animam nostram a malignis spiritibus muniant in extremis nostris, ut secure de præsenti educta ergastulo perducatur ad æternam requiem cum ipsorum auxilio. Quod ipse præstare dignetur Dominus noster Jesus Christus, qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

603 HOMILIA LXXXIV.

DE IISDEM SANCTIS SECUNDA.

Duo ubera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli (*Cant.* IV).

Festiva sublimium Ecclesiæ Patrum, beati videlicet Martini et beati Udalrici, solemnitas hodie refulget, quam tanto majori celebrare debemus devotione, quanto præstantiori eosdem Dei electos in cœlis recognoscimus sublimatos dignitate. Hodierna quippe die sanctus Christi confessor et pontifex Udalricus de vinculis hujus vitæ solutus, in æterna vita gaudet cum Rege suo, gloriosis ab ipso præmiis laureatus, qui omnium intus virtutum adornatus excellentia etiam secundum sæculi dignitatem ex nobilissima refulsit ortus prosapia. Attamen hanc nobilitatem vir Dei totam in amorem Christi convertens, dum ipsum pauperem pauper imitari et monachorum contubernio cogitaret associari, ut ab hac intentione animum retraheret, divina revelatione admonetur, et quia futurus esset antistes, ei insinuatur. Quod et factum est. Nam postea in urbe Augusta pontificali sublimatus cathedra quantus et quam magnus in oculis Domini fuerit, plenius gestorum ejus declarat historia.

Sancti autem Martini natalem diem, quo scilicet de hoc sæculo ad Deum migravit, non hodie, sed alio celebramus tempore, translationem vero ejus seu dedicationem episcopatus sive dedicationem basilicæ ipsius hodierna recolimus festivitate. Igitur quam gloriosa ejus vita in oculis summi arbitri fuerit, ipse in hoc demonstrare dignatus est, quod per alium nullum, nisi per seipsum ejus basilicam dedicari voluit. Denique cum dies dedicationis ejus advenisset, et turba non modica episcoporum et clericorum, nec non et aliorum Christi fidelium convenisset, superveniente nocte juxta morem egressis omnibus basilica interius denudata et quasi desolata stetit. Igitur quidam leprosus cum non haberet, ubi requiesceret, solus in ea mansit. Media vero nocte cum vigilans jaceret, vidit quemdam pontificalibus 604 decoratum infulis cum innumera multitudine eamdem ecclesiam consecrare. Expleto autem consecrationis officio, is qui pontifex esse videbatur accedens ad eum interrogavit si se cognosceret. Cumque ille minime se eum cognoscere diceret, ipse respondit: Ego sum Jesus Christus, qui ipse dedicavi hoc templum nomini meo in honore dilecti mei Martini. Tu ergo facto mane surgens omnibus denuntia ut nullus ad dedicandum hoc templum manum apponat, quia ego ipse illud dedicavi. Rursum dum leprosus nequaquam populum sibi velut legationis hujus indigno credere assereret, ipse leprosam ejus cutem a capite usque ad ima pedum decorians, sanavit eum. Cutem vero ante pedes ipsius ponens ait: Si verbis tuis non crediderint, signum istud eis demonstra. Tum facto mane homo propere exsurgens omnia quæ viderat, episcopis et reliquæ multitudini narravit. Quo audito omnes glorificaverunt Deum, nec ausi sunt templum consecrare, quod sic insigniter dedicatum esse cognoverunt. Fertur etiam quod nullus hac nocte ad serviendum Deo ipsam basilicam ingredi præsumat, quia nonnullis revelatum est quod ipse summus Pontifex, cui eam consecravit, cum suis angelis ibi præsens aperte adsit.

Quia ergo tribus his ejus festivitatibus dies iste insigniter sublimatus emicat, merito illum omnes Christi fideles summo laudis præconio attollere debent, qui speciali cordis affectu specialis gloriæ virum beatum Martinum amplectuntur et diligunt. Specialis utique merito est laus ejus et gloria, cujus vita specialis fuit et miranda. Nam dum summum ecclesiasticæ dignitatis apicem conscendisset, nullam terrenæ dignitatis gloriam quæsivit; sed idem constantissime perseverabat, qui prius fuerat; quia eadem in corpore ejus humilitas, eadem in vestitu vilitas erat: et ita adimplebat dignitatem 605 episcopi, ut tamen propositum et virtutem non desereret monachi.

Revera his duobus Ecclesiæ Patribus, magnificis cœlestis aulæ primatibus beato Martino et beato Udalrico satis laus illa convenit, qua cœlestis ille sponsus sponsæ suæ singula quæque membra laudans, inter cætera sic ait, *duo ubera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli*. Si *ubera* hæc simpliciter accipere volumus, quid, quæso utilitatis, quidve isto-

rum excellentiæ beatorum congruum in eis invenire possumus? Sed si subtili sensum hunc perquirimus indagatione, non inconvenienter assimilari cognoscimus *duobus hinnulis capreæ duo* quædam *ubera* congratulationis et compassionis, quibus isti sancti omnes Ecclesiæ filios nutrierunt, quos ipsi Christo doctrinæ verbis et vitæ exemplis genuerunt. Hos siquidem, quos in fide catholica stabiles et bonis operibus instare viderunt, sinistro *ubere* congratulationis exhortando aluerunt; his vero, qui aliquam tribulationem habuerunt vel angustiam, ex *ubere* dextero compassionis lac adhibuerunt consolationis.

Debet etiam electus a Deo quilibet prælatus subditos suos his *duobus* pascere *uberibus*, videlicet ut singulorum exegerit vita, singulis quibusque administrare debet doctrinæ suæ nutrimenta. Hinc Paulus ait: *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus* (*Rom.* XII, 15). Gaudet cum gaudentibus, cum his, quod alacres in bona operatione videt, congratulatur, et ut ad meliora proficiant, adhortatur. Flere cum flentibus dicitur, cum aliquem ex aliqua tentatione pusillanimem et contritum compatiendo consolatur.

Sunt nimirum et alia quædam *duo ubera*, quibus semetipsam nutrire quæque felix debet anima, sinistrum scilicet bonæ operationis, et dexterum assiduæ contemplationis. Qualia vero dicuntur esse hæc ubera? *Sicut duo*, inquit, *hinnuli capreæ gemelli. Hinnulus* agilis est, *caprea* vero perspicax, quia et quisque electus debet duo hæc habere, agilitatem et perspicacitatem: agilitatem in operatione bona, perspicacitatem in bonæ operationis custodia. Dum enim bona operatur, perspicaci cordis intuitu inspicere et intendere debet, ne aliquid impuritatis sit in ejus operatione, quod **606** oculos summi inspectoris non sit offendere. Hi *duo hinnuli capreæ* sunt etiam *gemelli*, quia profecto bonæ operationi non deest interna cordis contemplatio, nec contemplationi deest exterior corporis bona operatio. Per *gemellos* etiam geminam Dei et proximi dilectionem accipere possumus. *Gemelli* namque hi solent vocari, qui pariter uno ortu nascuntur, quia et gemina Dei ac proximi dilectio indissolubili germanitatis vinculo invicem connectitur. Sed ubi vel qualem pastum quærunt hi *duo hinnuli?*

Qui pascuntur, inquit, *in liliis*. Per *lilia*, in quibus *pascuntur* hinnuli, multiplices virtutes possunt accipi. Et notandum quod non unum lilium, sed quasi plurima lilia appellat, quia non una virtus fideli animæ sufficit, sed de virtute in virtutem sibimet pastum quærendo semper proficit. Tria vero in lilio esse conspicimus quæ delectabilem dant pastum his hinnulis duobus non alte crescit, et est valde candidum, sed flosculus; qui in medio ejus stat, colorem habet aureum. In brevitate lilii perfecta intelligitur humilitas, in candore vera castitas, in flosculo vero ejus, qui colorem profert auri, pura et eminens charitas. Bonæ profecto actioni et assiduæ A contemplationi tria hæc valde necessaria sunt, ut per humilitatem custodiat, ne, quod boni gesserit, per humani favoris gloriam sive per elationem amittat. Per castitatem cor muniat, in quo contemplari summum Auctorem desiderat, et charitatis puritatem omnibus verbis et factis exhibeat. Quicunque beatus homo hæc omnia in se habet, suavem procul dubio sicut lilium de se odorem præbet, quo scilicet videntes delectati, et ejus exemplum jam incipiunt imitari. Et revera hic cum beato Paulo potest dicere: *Christi bonus odor sumus Deo* in omni loco (*II Cor.* II, 15). Sequitur:

Donec aspiret dies, et inclinentur umbræ. Duo sunt *dies*, in quibus et per quos omne vitæ nostræ tempus præterit: tertius vero nondum venit, sed adhuc B futurus est, dies videlicet inspirans, et dies respirans; tertius autem, qui nondum venit, dies dicitur aspirans. Denique cum visitatio missa ab Altissimo cor hominis illustraverit, tunc profecto dies inspirans dici poterit, quia homo tenebras **607** ignorantiæ suæ cognoscens, ad verum lumen se convertere incipit. Sed quia post conversionem diversis tentationibus sæpe obruitur, necesse est ut dies respirans in corde ejus oriatur, ne penitus tenebris excæcatus tentationum, demergatur in desperationis barathrum. Si cui ergo duo dies hi illuxerint, huic sine dubio *dies* tertius *aspirans*, id est dies æternitatis lucebit, in quo Deum facie ad faciem videbit. Hinc propheta dicit: *Vivificabit nos post duos* C *dies* (*Ose.* VI, 3), id est, post diem inspirantem et diem respirantem, *in die tertia*, scilicet, *aspirante*, *suscitabit nos et vivemus in conspectu ejus, sciemus sequemurque, ut cognoscamus Dominum.*

Ad hunc diem sancti isti jam pervenerunt, qui in hoc sæculo velut lilium per humilitatem, castitatem et charitatem floruerunt. Annon beatus Martinus candidum lilium fuit, qui nunquam carnali voluptate actus suos maculavit? Nam Deus in morte ejus signis quibusdam innotuit quanta castitatis sinceritate pollebat, dum vixit. Ita siquidem omnis caro ejus vitro purior, lacte candidior relucebat, ut septennis pueri gratia apparere in eo videretur. Ipsi ergo beatus patronus noster Martinus et beatus Udalricus suæ intercessionis auxilio nos perducant D ad illum diem tertium æternitatis, ut gaudentes cum ipsis contemplemur speciem summi Creatoris. Quod ipse præstare dignetur Dominus noster Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et gloriatur Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

608 HOMILIA LXXXV,

IN FESTUM DEDICATIONIS ECCLESIÆ PRIMA.

Omnis, qui venit ad me, et audit sermones meos, et facit eos, ostendam vobis cui similis sit (*Luc.* VI).

Quia Unigenitus Dei Patris, carnem assumens pro nobis redimendis, quidquid in corpore gessit vel docuit, totum nobis ad salutem providit, solerter intuendum est quod in lectione evangelica brevi sermone comprehendit, qualiter salvandus quisque ad eum venire per affectum, bona quæ agenda sunt

audire per intellectum, et quæ audierit exercere debeat per operis effectum.

Omnis, inquit, *qui venit ad me*. Bonæ et sanctæ conversationis primordium est, ut fidelis quisque, desideriorum carnalium appetitum deserens, et a terrenarum actionum strepitu se penitus subtrahens, ad Dominum per affectum *veniat*; et cognoscens quæ sit voluntas Dei perfecta et beneplacens, proprii libertatem arbitrii divinæ voluntati subjiciat. Sed quia ad veram non sufficit salutem ut homo mala deserat, nisi etiam bona quæ facienda sunt auditu spiritalis intelligentiæ animadvertere studeat, congrue subinfertur :

Et audit sermones meos, et facit eos. Audire etenim quasi *obaudire* est. Nam oportet ut conversus quilibet ad audiendam legem mandatorum Dei aurem cordis sollicite inclinet; et qualiter ipsi dignis actibus placere debeat, in his investigare omni cura invigilet; et cum perfecte edoctus cognoverit bona quæ agere debeat, hæc etiam per studia sanctæ operationis exercere non differat. Unde Apostolus : *Non*, inquit, *auditores legis justi sunt apud Deum*, *sed factores legis justificabuntur*. (*Rom*. II, 13). David quoque propheta perfectorum vitam per spiritum intuens ait : *Et memores sunt mandatorum ipsius ad faciendum ea* (*Psal*. CII, 18). Memores, inquit, sunt mandatorum ipsius, non ut majori per hæc cæteris scientia præemineant, sed ut ad faciendum ea semper parati existant. Is autem qui tali ordine, videlicet per affectum veniendo, per intellectum audiendo, per effectum faciendo in spiritali vita profecerit, quali æternæ retributionis gloria quandoque sublimetur, evidenter in consequentibus declaratur. Nam subditur :

609 *Ostendam vobis cui similis sit*. Bene ipsa Veritas, quæ hæc loquitur, pura veritate conspicua proferens verba, *ostendam*, ait, *vobis*, futurum scilicet tempus ponendo, non præsens, ut diceret *ostendo*. *Omnia* quippe *in futurum reservantur incerta* (*Eccle*. IX,2). Nam quandiu in hac corruptibili carne vivimus, ita mortalitatis nostræ tenebris involvimur, ut occulta vitæ alienæ mentis oculo nullatenus penetrare possimus. Unde per beatum Paulum dicitur : *Quis scit hominum quæ sunt hominis nisi spiritus hominis, qui in ipso est?* (*I Cor*. II, 11.) Cum autem corruptibile hoc induerit incorruptionem, et mortale hoc induerit immortalitatem, cum, inquam, in superna illa patria sorti gloriæ filiorum Dei annumerabimur, ubi in lætabunda beatorum civium societate sua vicissim singulis corda manifestat claritas visionis æternæ, ibi profecto *ostenditur* qualis in hoc mundo cujusque vita fuerit. Nam singulorum meritum a bono remuneratore singulis collatum distinguit præmium. Sed cui similis tunc esse memoratur felix anima in summa beatitudine constituta ?

Similis est, inquit, *homini ædificanti domum, qui fodit in altum, et posuit fundamenta supra petram*. Homo hic *domum ædificans*, homo, inquam, iste singularis Mediator est Dei et hominum homo Christus Jesus, coæterna Sapientia Dei Patris, de quo per Salomonem dicitur : *Sapientia ædificavit sibi domum* (*Prov*. IX, 1). Sapientia quippe ædificavit sibi domum, cum unigenitus Dei Filius pro salute humani generis humanum corpus sibi aptavit intra uterum intemeratæ Virginis. Huic ergo *homini* Jesu Christo uni atque eidem Dei et hominis Filio homo *similis* efficitur, qui ad gaudia vitæ perpetuæ ipso adjuvante perducitur, sicut scriptum est : *Cum apparuerit, similes ei erimus* (*I Joan*. III, 2).

Sed hoc ipsum quod dicitur : *Sapientia ædificavit sibi domum*, intueamur diligentius, et qualiter ad dominam nostram, perpetuam virginem Mariam, ejusdem Jesu genitricem specialiter respiciat, cognoscere studeamus. Ipsa profecto domus electa, domus nobilissima fuit, omnique decore adornata, quam sibimet ædificare et consecrare dignata est æterna Dei Sapientia, ut dignam **610** majestati suæ mansionem perpetuo haberet in ea. Nec incongrue ipsa beatissima *domus* nuncupatur. Nam quod in ædificio cujusque domus agi solet, in ipsa spiritaliter summus artifex operatus est. Primo quippe omnium in ædificio *fundamentum* ponitur; post hæc cum duobus hinc inde parietibus frons in superiori parte et finis in inferiori erigitur, ad ultimum vero tegulis superpositis domus tota tegitur. Sic profecto, sic a summo opifice non machina materiali, sed spiritali, non ruitura, sed in perpetuum firma et stabili ædificata est domus pretiosissima, beata scilicet Maria, quæ, si advertimus, juxta mysticum intellectum pleniter in se continet hæc omnia. *Fundamentum* plane, quod Deus omnipotens in ea posuit, singulare obedientiæ decus fuit, per quod illam decenter adornatam idem Dominus virtutum fundavit et stabilivit, quod etiam ipsa virtutum operatrix ac magistra totius sanctæ religionis, mater obedientis pro nobis usque ad mortem crucis, omnibus diebus vitæ suæ servare studuit, divinis semper præceptis obtemperando, parentibus quoque et sponso suo Joseph humilem obedientiæ subjectionem exhibendo.

Nec indiscussum prætereundum quod dicitur *supra petram* posuisse fundamentum, cum petra sit Christus, super quem firmiter fundata erant universa opera ejus. Unde et satis digne illi convenit quod evangelista subtiliter exprimens ait : *Fodit in altum*. Et qualiter vel quando perennis Dei Sapientia *in altum fodit* in ea ? Tunc nimirum, cum ipsa electorum electissima divino partu consecranda misso ad se nuntio de superis archangelo Gabriele inter cætera angelicæ salutationis, imo cœlestis legationis dulcia verba ab illo promeruit audire : *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi* (*Luc*. I, 35). Mox namque superveniens in eam Spiritus sanctus, et mirifico sui adventu ipsam collustrans, ad suscipiendum splendorem Patris altissimi virtute sua obumbrando thalamum præparavit virginalis ejus uteri, et ab omni

originalis sive actualis peccati labe liberam reddens, si quid vel tenuissimæ illi maculæ ex ipsa naturalis (70) criminis radice inhæsit, ejusdem Spiritus sancti fossorium tam **611** fortiter ejecit, ut corpore et spiritu tota sancta, tota munda et casta, atque ut ita dicam, tota transiens in Deum, nullum omnino in ea peccati remaneret contagium.

Duorum vero junctura parietum insigne virginitatis decus, et speciale humilitatis ejus meritum accipere possumus, quibus duobus virtutum gradibus ipsa mater Domini virtutum longe eminentior cunctis exstitit mortalibus. Fulgebat plane in ea incomparabilis decor mentis et carnis integritas, ut uterus ejus nulli carnali commercio accessibilis, et mens illius nulli spiritali nequitiæ unquam foret penetrabilis, sicque sola sine exemplo speciali castitatis prærogativa complaceret Altissimo. Ipsa nimirum puritate innocentiæ omnes virgines præcellens Virgo est virginum, ad cujus laudem specialiter respicit quod de cæteris sanctis virginibus Scriptura collaudando dicit: *In ore eorum non est inventum mendacium* (*Apoc.* XIV, 5). Porro licet singulari vitæ munditia universos filios hominum præcelleret, profundissima tamen humilitate intantum semetipsam in aliorum æstimatione despiciebat, ut peccator quilibet multorum sibi criminum conscius in humiliatione peccatorum suorum assimilari prorsus nequiret magnæ humilitati ejus. Sicut ergo cunctis excellentior, ita et cunctis existens humilior, de omnibus pene altiora sentiebat, et cui singulariter magnifice in sanctitate nullus sanctissimorum æquiparari poterat, indignis etiam peccatoribus præ nimia sui humilitate inferiorem se esse judicabat.

Ad hæc etenim cunctis adornata virtutibus, præcipue fide, spe et charitate, præeminebat omnibus. Quæ tria virtutum insignia per hæc tria mystice sunt intelligenda, per superiorem videlicet partem domus fides, per inferiorem spes, per tectum vero charitas. Magna profecto, laudabilis et admirabilis fides illius fuit, quia novo et inaudito miraculo angeli annuntiantis credidit quod, virginitatis permanente gloria, sine virili commistione filium conceptura esset et paritura. Et quia in soliditate fidei sic fortis erat, etiam spei longanimitate stabilis perdurabat, qua tota innitebatur super Christum, quem solum spei suæ posuerat firmamentum. Quis autem in charitate Dei et proximi exstitit talis, ut hæc dilecti **612** dilecta singularis? Illam nimirum æternus amor æterni Dei totam perfudit, totamque possedit, ut præter hanc ineffabilem intimæ charitatis dulcedinem nihil in hoc mundo diligere aut desiderare noverit vel potuerit. Proximi quoque dilectione plenissima, ex desiderantissimo charitatis affectu semper optans erat salutem proximorum, ita ut antiquorum Patrum desiderium, redemptionem humani generis toto corde desiderantium, im- A patientis amoris illius ardentissimum transcenderet desiderium. Jugiter etiam lamentando, et crebris semetipsam lacrymis et suspiriis affligendo tam graviter perditioni hominum condoluit, quasi ipsa perditionis materia exstiterit. In charitate autem vera et perfecta quam immobilis perstiterit, evangelicis aperte innuitur verbis. Nam sequitur:

Inundatione autem facta illisum est flumen domui illi, et non potuit eam movere. Quæ, rogo, ista fuit *inundatio?* Nimirum inundantes illæ persecutiones diversarum passionum, quas nobilissimus filius suus, singularis dilectus, semper impassibilis manens in divinitate sua, absque peccati debito innocens passus est in carne, de virgineo corpore ejus B assumpta. *Inundatione* ergo *hac facta, illisum est flumen domui illi*, flumen scilicet tribulationum unici filii sui, *domum* cordis illius fortiter *illisit*, quia quidquid adversitatis vel asperitatis in hac mortalitatis ærumna pertulit, virgineo pectori compatientis matris insanabile doloris vulnus inflixit. Quæ perturbationum *inundatio* ab ipso initio, cum hic singularis innocentiæ filius vagiret in cunabilis, oborta est. Nam in tenera adhuc ætate positus a facie Herodis quærentis eum occidere, cum illo fugit in Ægyptum, et iterum cum eodem parvulo ad propriam terram rediit post ipsius Herodis obitum. Cum autem ad virilem ætatem pervenit, etiam prædicationis officio insistere cœpit, quotidie passa est C cum filio et in filio, videns, quot opprobria invidentium, quantas impiorum toleravit blasphemias, et qualiter detractiones, insidias, sive accusationes sustinuit Judaicas.

Verum tunc maxima doloris *inundatio* super eam inundavit, cum talis filius ab impiis Judæis comprehensus male tractatus est, scilicet quod illusus, ab **613** ipsis sputatus, colaphis cæsus, spinis coronatus et flagellatus, ac per plateas civitatis Jerusalem ad spectaculum et irrisionem vulgi ductus est quasi fur et latro sceleratissimus. Ad ultimum vero animam ipsius pertransivit gladius, dum imminente hora passionis ejus eumdem filium et Redemptorem suum vidit crucis subire tormentum, et clavis configi, et in ipso mortis articulo felle et aceto potari, D ac militari lancea perforari; et cum sceleratis deputatum esse, sicque morte turpissima miserabiliter juxta humanam æstimationem vitam finire. Adfuit spectatrix tantorum malorum stans juxta crucem ejus, qui coram oculis suis in ea pependit mortuus. Et tamen universa hæc *non potuerunt eam movere*, ut videlicet contra eos, qui tantum nefas in innocente filio suo perpetrabant, ad iracundiam moveretur, vel vindictam de eis expeteret, aut ad odium eorum vel invidiam prolaberetur. Maternæ quidem compassionis voluntas fuit ut, si fieri posset, non moreretur talis filius. Sed materno huic affectui divinam prætulit voluntatem, ut potius desideraret humani generis salutem, nec vellet propositum Dei

(70) Vide Dissertat. præviam.

Patris averti, qui per mortem ejus totum mundum disposuit salvari. Cum enim stans juxta crucem ejusdem dilectissimi filii sui verba audivit, qui moriens et quasi ultimum jam trahens spiritum dixit : *Pater, ignosce illis; non enim sciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII, 34); etiam ipsa cum orante orabat, ut Deus illis peccatum non imputaret, sed clementi potius bonitate errantibus indulgeret. Et unde illi tanta benignitas, tam ineffabilis pietas? *Fundata enim erat supra petram*. Vere *fundata erat supra firmam petram*, id est Christum, ut tanta inundatio tribulationum nullatenus eam movere, nec ad impatientiam animi vel inimicitiam posset inflectere.

Imitemur et nos piissimam hanc dominam nostram, gloriosis ejus meritis adjuti et virtutibus jam prædictis, quibus ipsam specialiter Domino placuisse cognovimus, eam pro modulo nostro, in quantum possumus, imitari studeamus. Ponamus fundamentum *supra petram*, ut quidquid boni agimus, *supra petram* quæ Christus est, ponere meminerimus, quatenus tota actionis nostræ intentio ex sola solius Dei dilectione procedat, et **614** in ipsa radicata et fundata stabilis semper et inconcussa permaneat. Fundamentum, ut supra diximus, obedientia est cœlestium præceptorum et eorum, sub quorum imperio militare causa Christi proposuimus. Hanc probabilem obedientiam pia sollicitudine observare debemus, ut semper memores omnium, quæ præcepit Deus, semper mandatis illius, ut dignum est, obtemperemus. Prælatis quoque devota subjectione nosmetipsos oportet substernere, eorumque jussionibus non tarde, non graviter ferendo, sed hilari et benevola mente obaudire. Nam juxta traditionem Patris nostri Benedicti talis obedientia hominibus dulcis est et accepta Deo, quæ sine contradictione et murmuratione bono fit animo. Istius vero obedientiæ propositum, si qua minus debita veneratione nos observasse deprehendimus, ante oculos divinæ majestatis digna pœnitentia et satisfactione diluere festinemus.

Tale tam firmum dignæ obedientiæ ponentes fundamentum fodiamus etiam in altum. Et quid? Exemplo fodiendi quam digna et perfecta peccatorum confessio valet exprimi? Qui enim fodit in altum, terram desuper crebris ictibus percutiendo aperit, et subtus jacentem humum fodiendo ejicit. Fodiamus et nos in altum subtili investigatione discutiendo profunda cogitationum nostrarum, et a fundo cordis quæque occulta inquinatione in eo congesta effodiamus, ut quidquid intra conscientiam nostram sordidum latet, humili confessione aperiamus. Itemque alio modo fodiamus in altum, ut acuto compunctionis stimulo terram mentis nostræ incessanter confodientes aliquantulum degustemus quam suavis sit Dominus, et in illustratione spiritus nostri quiddam vel raptim de dulcedine ejus quotidie studeamus attingere, qua utcunque percepta gratia aliquomodo recreemur in defectu præsentis vitæ.

Duos proinde parietes, castitatem scilicet et humilitatem, ut in nobismetipsis valeamus erigere, officium ædificantis spiritaliter studeamus implere. Qui enim ædificat vel murum construit, quæque superflua resecando tandiu lignum aut lapidem expolire non cessat, usquedum in compositionem ædificii apta reddat. Ita et nos ædificantes domum corporis et animæ nostræ quæque superflua de carne **615** et spiritu nostro abscidamus, ut ad ædificium æternæ civitatis locum illic meritis nostris congruum sine reprehensione inveniamus, ubi tunsionibus et pressuris expoliti lapides suis coaptantur locis. Nam electorum animæ multis hic tribulationibus tunduntur et expoliuntur, ut in cœlesti illa ædificatione sine percussione componantur. Cum ergo intus in animo illicita nos delectatio pulsat, omni diligentia refrenemus linguam, ne quod mentem interius per iniqua desideria inquinat, foris per verba erumpat. Si enim omnipotens Deus tam vigilanti circumspectione in exterioribus nosmetipsos custodire perspexerit, pius ipse studiis nostris adjutor aderit, et malam concupiscentiam, cui ex infirmitate intus succumbimus, vincere tribuet. Ad hæc etiam dum vitio elationis cor nostrum intumescit, ponamus ori custodiam, ne superba locutio ab ore prodeat; nam per hoc divina nos gratia subsequente interius nos impugnans superabimus vitium superbiæ.

Castitate ergo et humilitate quasi duobus parietibus præmuniti, fidem, spem et charitatem, tres virtutes eminentissimas, in nobismetipsis habere solerter invigilemus, quas per tria hæc accipere possumus, per anteriorem videlicet partem domus fidem, per inferiorem spem, per tectum vero charitatem. Anteriorem itaque partem construamus, ut fidei catholicæ sacramentum, quod percepimus in baptismate, firmiter usque ad mortem servemus, et Dominum nostrum Jesum Christum Deum verum et hominem, Creatorem scilicet et Redemptorem nostrum confitentes, omnia quæ de eo nobis dicta sunt, fideliter absque ulla dubitatione credamus. Propositum quoque fidei, quod in conversatione sancta Deo devovimus spiritalis vitæ iter aggressi, ei persolvere satagamus, et in his, quæ recte devovimus, bonis actionibus nosmetipsos exerceamus. Inferiorem vero **616** partem ædificemus, quatenus spei nostræ certitudinem in divinæ miserationis ponamus confidentia; et ne unquam desperationis incidamus periculum, ex ipsius semper confidamus misericordia. Duabus his partibus constructis tectum superponamus, per quod virtutem charitatis non incongrue accipimus. Nam sicut duplex est tectum, quo domus solet contegi, ita duplex esse debet charitas, Dei videlicet et proximi. Duplicem hanc dilectionem in nobismetipsis habere præ omnibus studeamus, juxta illam apostoli admonitionem ita dicentis : *Ante omnia autem mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes* (*I Petr.* IV, 8), ut videlicet totis cordis visceribus Deum diligamus et

proximum, qualenus omnia terrena et transitoria amori divino postponamus, et dulcedinem fraternæ charitatis mutuo conservemus.

Talibus tamque magnificis virtutum meritis adornatis veraciter in nobis complentur verba evangelicæ lectionis. *Inundatione autem*, inquit, *facta, illisum est flumen domui illi, et non potuit eam movere. Fundata enim erat supra petram.* Inundatio ista multimodæ tribulationes sunt, quæ in peregrinationis hujus miseria sæpius nobis occurrunt. Exsurgente autem hujus inundationis procella *illisum est flu-* A *men domui illi*, quia plerumque aliqua præsentis vitæ adversitas, vel arrogata a proximo injuria, tam gravi tentationis impulsu domum cordis nostri illidit, ut nequaquam nos æquanimiter tolerara posse credamus. Sed quia mens nostra fundata est *supra petram*, id est Christum, nulla inundatio tribulationis movere nos poterit a statu nostræ rectitudinis, ipso adjuvante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen

---

VEN. GODEFRIDI

ABBATIS ADMONTENSIS

HOMILIÆ IN DIVERSOS SCRIPTURÆ LOCOS.

617 HOMILIA PRIMA.

IN CAPUT XXIV GENESIS PRIMA.

Dixit autem Abraham ad servum seniorem domus suæ, qui præerat omnibus quæ habebat : Pone manum tuam subter femur meum, ut adjurem te, etc. (*Gen.* XXIV).

Præsens historia, quæ nobis in sacra Scriptura de Rebecca contexitur, si subtili intellectu indagari posset, mystico moralitatis sensu inveniretur plena. Si autem in hac historia nihil aliud posset inveniri quam quod nuda sonat littera, diligenda tamen nobis, et intimo amore esset amplectenda, quia nimirum hæc eadem Rebecca, de qua narrat historia, quædam, ut ita dicamus, linea vel materia fuit beati illius seminis, de quo Dominus Jesus naturam voluit assumere nostræ mortalitatis. Unde ipse Dominus in Evangelio dicit : *Quia salus ex Judæis est* (*Joan.* IV, 22). Psalmista quoque de eadem re pronuntiat, dicens : *Ex Sion species decoris ejus* (*Psal.* XLIX, 2).

De hac ergo gente carnem assumens Dei Filius, operatus est salutem in medio terræ ; et idcirco generatio hæc veneranda et diligenda, quia de ipsis carnem voluit assumere, inter illos conversari, 618 in eorum terra nasci, mori et sepeliri, et demum ad cœlos ascendere disposuit. Sed videamus quid mysterii hæc ipsa lectio contineat, et si non possumus omnia mystico intellectu comprehendere, studeamus saltem aliqua in usum nobis ædificationis convertere, attendentes illud Domini præceptum, sic in lege dicentis : *Si ingressus fueris segetem amici tui, franges spicas, et manu teres , falce vero non metes* (*Deut.* XXIII, 25). Amicus noster Deus omnipotens est, cujus seges sacra est Scriptura, quam ipse verbum æterni Patris per se excoluit et seminavit. Hanc segetem, hanc sacram Scripturam ingressi spicas hujus segetis debemus manu terere, hoc est sensum, qui in ea latet absconditus, mystico intellectu B elicere. Sed, ubi sacrum intellectum littera coopertum non possumus manu terere, ibi quoque prohibemur a Domino falce metere, sed Spiritui sancto coopertum dimittere. Falce autem metere est sacram Scripturam, divinitus promulgatam, vilem temerarie dijudicare 619 reputando, carnaliterque eam sapere, quæ omnia lege Domini prohibemur facere. Nos igitur juxta præceptum segetem amici nostri introeuntes, hanc videlicet lectionem, frangamus nobis ad terendum spicas, quas possumus, cætera vero quæ restant, ad quæ intellectus non sufficit, non dijudicemus, nec vilia reputemus. Ait ergo sacra Scriptura :

Dixit ergo Abraham ad servum seniorem domus suæ, qui præerat omnibus quæ habebat. In figura C Abrahæ patriarchæ Deus Pater potest designari, cujus domus sancta est Ecclesia. *Servus* vero *senior* ejusdem domus est quilibet prælatus ad arcem regiminis Deo disponente vocatus, ut est præcipue papa in supremo loco positus, cui astipulantur alii, episcopi, archiepiscopi, et cæteri doctores eximii, a Deo sanctæ Ecclesiæ præpositi. Sed in hoc servo convenientius accipitur fidelis prælatus sanctæ et spiritualis cujusque congregationis, qui bene dicitur præesse *omnibus* quæ habet Dominus ejus, cum bonis et beatis præest hominibus. Huic fideli servo, super omnia, quæ possidet Dominus ejus, constituto, dicit verus Abraham Pater omnipotens :

Pone manum tuam subter femur meum, ut adjurem D *te per Deum cœli et terræ, ut non accipias uxorem filio meo Isaac de filiabus Chananæorum, inter quos habito.* In femore Abrahæ intelligendus est Dominus Jesus Christus, quia sicut de femore viri semen progreditur generationis, unde nascuntur liberi, sic de corde Dei Patris Dei Filius est genitus, quemadmodum ipse dicit per Psalmistam . *Ex utero ante luciferum genui te* (*Psal.* CIX, 3). Quod dicit *ex utero genui te*, idem est ac si dixisset, de femore genui te. Nam

sicut dixit, *ex utero genui te*, ita profecto si voluisset dicere, utique convenienter potuisset, *ex femore meo genui te*. Per manum autem, quæ subter femur Abrahæ ponitur, boni prælati operatio exprimitur, quæ subter Christum poni a Deo Patre præcipitur. Quare hoc? *Ut adjurem te*, inquit, *per Deum cæli et terræ*. Qualis est hæc adjuratio, qua fidelis servus a Deo adjuratur, qui **620** super omnia, quæ habet Dominus ejus, constituitur, nisi ipsa, ad quam assumitur prælatio? Quæ ei magna est adjuratio, in qua prælatione sic vivere præcipitur, ut hoc, quod docet verbis, vitæ suæ non destruat exemplis. Sequitur :

Ut non accipias uxorem filio meo Isaac de filiabus Chananæorum, inter quos habito. Quia in hoc mundo pariter sunt boni, et mali, bene in filiabus Chanaan perversi accipiendi sunt Christiani; *inter* quos se habitare Dominus dicit, non *in* eis, ob hoc revera quia fidem et nomen Christianum susceperunt, quamvis moribus, et operibus contradicant. In bonis et beatis ad vitam æternam prædestinatis Dominus se dicit inhabitare. Inter illos, id est inter perversos habitat quidem quasi invitus; in istis autem, in beatis scilicet animabus inhabitans delectabiliter pascitur et jucundatur. Bono igitur prælato a Deo Patre se adjurante præcipitur ut Filio suo Domino nostro Jesu Christo uxorem legitimam de filiabus Chananæorum, id est de perversis et popularibus hominibus non accipiat. Potest quidem concubina sive ancilla de talibus assumi, sed uxor legitima, quæ ad legitimum connubium Filii Dei transeat, non est in talibus quærenda. Sed videamus nunc ubi beata illa anima, quæ indissolubilem Filii Dei copulam mereatur, sit quærenda, quonam loco invenienda

Sed ad terram et cognationem meam proficiscaris, et inde accipias uxorem filio meo Isaac. Terra et cognatio Domini sunt illi beati, qui in spiritali vita conversantes quotidie, aut certis quibusque diebus corpore et sanguine pascuntur crucifixi Domini in cujus corpus ipsi communicando transeuntes Christi efficiuntur consanguinei. Ad istos, qui ita sunt terra et cognatio Domini, boni prælati debent proficisci, ut inde beatas invitent animas ad conjugium veri Isaac Filii Dei. Et bene per *Isaac*, qui *risus* interpretatur, Dei Filius intelligitur, quia ipse est verus et æternus risus, qui plenum et perfectum gaudium beatis præstat animabus tam nunc in æternitate consistentibus, quam adhuc in exsilio commorantibus. Sequitur :

621 *Respondit servus : Si noluerit mulier venire mecum in terram hanc, num reducere debeo filium suum ad locum de quo tu egressus es?* Per locum, de quo egressus est Abraham, signantur corda peccatorum, corda malorum, de quibus *egressus* est Dominus. Ac si bonus prælatus Deum pro his quæ audivit, consulens dicat : Si noluerint hi, ad quorum salutem me misisti, per verbum exhortationis meæ venire ad conjugium Filii tui, *num debeo Filium*

A *tuum*, dulcedinem utique Verbi tui, ad corda illorum *reducere*, qui te contempserunt, de quibus tu egressus es, qui te non sequuntur, qui verbum Dei non recipiunt? Hæc est interrogatio prælati, cui Dominus consequenter, juxta quod sequitur, respondet.

Cui respondit Abraham : Cave ne quando reducas filium meum illuc. Quod idem est ac si dicat : *Cave* diligenter *ne quando* ad eos qui illic sunt, qui longo a salute et amore meo sunt, ut ad eos *Filium meum*, dulcedinem verbi mei, aliquando *reducas*. At si semel duxeris illuc, quod etiam plerumque ex consuetudine solet accidere, ut dulcedinem verbi mei sermonibus tuis interseras, *cave* ne iterum atque iterum eum *illuc* velis *reducere*. Nam spiritum amoris, spi-
B ritum libertatis in eis non invenies, quia ego egressus sum de illis. Sequitur :

Tulit ergo decem camelos de grege domini sui et abiit, ex omnibus bonis ejus portans secum. Per *decem camelos* decem sensus hominis interiores et exteriores possunt accipi, quos tunc prælatus *de grege Domini sui* tollit, dum omnes sensus suos interiores et exteriores ad se colligit. Tollit quoque secum decem legis præcepta, et *abiit ex omnibus bonis Domini sui portans secum*. Quænam, rogo, sunt *omnia bona Domini sui?* Omnia bona Domini sui est tota Scriptura, quam, quia secum totam portare non poterit (ad hoc enim intellectus humanus non sufficit) portat saltem *ex* his *omnibus bonis* aliqua, ad profectum fortassis illorum ad quos pergit profutura.

C *Et venit Mesopotamiam ad urbem Nachor.* Mesopotamia interpretatur *elevata vocatio*. Quid per hanc urbem, quæ *elevata vocatio* dicitur, nisi **622** spiritalis vitæ conversatio figuratur, quæ satis congrue *elevata vocatio* dicitur, quia hi qui a Deo vocati, in ea conversantur, a terrenis ad cœlestia sublevati a communi sæcularium vita sequestrantur.

Cumque camelos fecisset accumbere extra oppidum, juxta puteum aquæ, vespere, eo tempore quo solent mulieres ad hauriendam aquam egredi. Per *camelos*, ut prædiximus, sensus hominis sunt accipiendi; per *puteum aquæ* sacra Scriptura vel vis compunctionis intimæ valet intelligi. Cum ergo fidelis servus, bonus quisque prælatus ordine, quo prædiximus; ire
D cœperit Mesopotamiam, id est ut ad cœtum fidelium, qui ad æternam vitam vocati sunt, perveniat, necesse est ut camelos suos, sensus videlicet interiores et exteriores *juxta puteum* sacræ Scripturæ, sive *juxta puteum* compunctionis intimæ faciat requiescere. Sed hic accubitus *extra oppidum* debet fieri *vespere*, quia profecto, si voluerit utilitati proximorum consulere, ut ea quæ ad profectum subditorum veniant valeat proferre, *extra oppidum*, id est extra commodum carnis suæ oportet eum fieri. Et hoc *vespere*, in profunda cordis humilitate. *Eo*, inquit, *tempore quo solent mulieres ad hauriendam aquam egredi*. Tempus, in quo solent mulieres ad hauriendam aquam egredi, est illud tempus, quando emollitæ animæ per gratiam, ad hoc cor suum cœperint præ-

parare, ut verbum Dei suscipiant cum dulcedine, et ex aqua verbi Dei hauriant, unde refocillentur et recreentur. De hoc tempore Salomon ait : *Tempus tacendi, et tempus loquendi* (*Eccle.* III, 7). *Tempus tacendi* nimirum tunc est, quando prælatus deprehenderit, et inutile fore judicaverit, ut per verba exhortationis egrediatur ad subditos. Sed rursus *tempus loquendi* redit, cum animo ejus insederit et fructuosum judicaverit, ut doctrinæ fluenta ministret subditis. Tempore isto sciens magister se exspectari a discipulis, nimis sollicitatur, et anxie meditatur, ut, recreatis quiete intima sensibus suis, a Deo aliquid percipiat, unde se desiderantes et præstolantes dulciter et fructuose reficiat. In tali sollicitudine positus plerumque in oratione sua in verba hujus servi prorumpit, dicens :

623 *Domine Deus domini mei Abraham, occurre, obsecro, mihi hodie, et fac misericordiam cum domino meo Abraham.* Ac si dicat : Domine Deus meus, occurre, obsecro, mihi hodie, quia pro te tua jam fungor legatione ; *occurre mihi*, ut in dispensatione verbi tui, quod creditum est mihi, aliquem fructum salutis offerre valeam tibi. *Fac* etiam *misericordiam* mecum præveniens me in benedictionibus dulcedinis, corda eorum tibi et sermonibus tuis præparando.

Ecce sto prope fontem aquæ, et filiæ habitatorum hujus civitatis egredientur ad hauriendam aquam ; Stat bonus prælatus prope fontem aquæ, cum doctrinæ fluenta suis propinat auditoribus. Egrediuntur autem filiæ habitatorum civitatis illius ad hauriendam aquam, quando beatæ animæ, illius congregationis filiæ, avido et desiderantissimo corde suscipiunt monita salutis suæ.

Igitur puella, cui dixero : Inclina hydriam tuam, ut bibam ; et illa responderit : Bibe, quin et camelis tuis dabo potum, ipsa est enim quam præparasti servo tuo Isaac, ac per hoc intelligam quod feceris misericordiam cum domino meo. Hoc in loco breviter secundum litteram est notandum quam benigne Rebecca servo huic respondit, cum ab ea dari sibi potum petiit. Ille quidem solummodo oravit, ut tale responsum audiret, *bibe.* Sed illa gratanter cum additamento respondit : *bibe, domine mi.* Igitur in puella ista intelligi valet beata anima, de qua tunc bonus prælatus dari sibi potum postulat, cum eam tempore prædicationis cœlestibus alloquitur verbis. Sed, quænam, rogo, est sitis, quam habent prælati, **624** ut sibi potum postulent dari ? Talis revera est sitis illorum, qualis fuit sitis nostri Redemptoris, in cruce pro nostra salute pendentis, dum jam morte imminente diceret in cruce : *Sitio.* An putamus, quod sitis illa corporalis fuerit ? Non, sed in mortis articulo positus salutem humani generis sitiebat. Sic et boni prælati salutem subditorum sitiunt, quos tunc subditi potu salubri reficiunt, dum spiritum amoris in eis inveniunt.

Et camelis tuis potum dabo. In camelis, ut prædiximus, sensus hominis valent intelligi. Est ergo, A quasi beata anima, corde benevolo doctori et magistro suo in secreto cordis sui gratias agens, in hæc respondeat verba : Quia te docente monita suscepi salutis perpetuæ, jam ex hoc *camelis tuis potum tribuam*, id est sensibus tuis potum lætitiæ tribuam, ut verbis et operibus meis intelligere te faciam, qualem animæ meæ fructum de doctrinæ tuæ perceperim sermonibus.

Sed et si ad Christum hæc verba convertere volumus, ut beata anima his utatur verbis ad Dominum, ita sane possumus dicere : Camelos istos, sensus videlicet meos, aliquando per peccata deformes et retortos, jam tuos, o Domine, faciam hoc modo, ut peccata præterita per lacrymarum et pœnitentiæ diluam lamenta. Quæcunque ergo anima tali ordine in B vita sua Deo adjuvante processerit, *ipsa*, inquam, *est*, de qua ad Deum dici poterit : *Ipsa est enim, quam præparasti servo tuo Isaac*, quam sic, Domine, per vitæ meritum adornasti et præparasti, quo digna foret conjugio Filii tui perenniter copulari.

625 HOMILIA II.

DE QUINQUE LIBRIS MOYSI, LIBROQUE JOSUE ET JUDICUM PRIMA.

Sacris diebus jejunii idcirco carnales deliciæ subtrahuntur corpori, ut dum caro jejuniis et cæteris laboribus atteritur, mens in Dei amore, et desiderio ardentius sublevetur, et in cœlestibus et spiritalibus bonis amplificetur. Unde his sacris diebus, quinque libri Moysi, adjunctis aliis duobus Josue et Judicum, in tota recitantur C Ecclesia, ut spiritalis intellectus, spiritalesque deliciæ, quæ in his libris inveniuntur reconditæ, ad alimoniam vegetationemque beatæ cujusque transeant animæ.

Igitur in librorum istorum ordine, si diligens et vigil investigator norit discutere, rectissime in eis ordo et processus nostræ exprimitur vitæ. Primus ergo in ordine ponitur liber Genesis, secundo Exodus, tertio Leviticus, quarto liber Numeri, quinto Deuteronomii, sexto liber Josue, septimo liber Judicum. Quibus septem libris si rite secundum mysticum intellectum perscrutentur, aptissime eis septem dona Spiritus sancti coaptantur.

In libro *Genesis*, quod *generatio* dicitur, prima illa nostræ salutis generatio non incongrue figuratur, D quam per spiritum timoris in corde hominis, quem salvare disponit, divina misericordia mirabiliter et misericorditer operatur. Sed videamus nunc quomodo spiritaliter homo a Deo generetur. Cum enim in carnali conversatione positus incipit præmeditari quid pœnæ, quid animadversionis ei sit futurum, si in tam carnali vita fuerit inventus, spiritu timoris Domini intus eum compellente et agente de tam ærumnosa et instabili vita disponit exire quantocius.

Sic per spiritum timoris Domini intus generatus, tandem pervenit ad *Exodum*, qui secundo loco est positus, qui etiam *exitus* dicitur ; in quem tunc recte pervenit, dum de peccatis et vitiis egrediens, **626** sæcularibusque cupiditatibus imponens finem, ad

spirita.em conversationem transit. Unde bene in Exodo de exitu filiorum Israel de Ægypto conscribitur, et de transitu eorum per mare Rubrum, et de manna, quod eis Dominus de cœlo pluit ad manducandum. Omni igitur homini de sæculo egredienti, transitus esse debet per mare Rubrum, ut amara pœnitentia, et felici lacrymarum unda, hostes animæ ejus, quod sunt peccata, penitus submergantur. Sic tandem hostibus in amaricati cordis pœnitentia et dolore obrutis, restat ut a Deo expectent manna dulcedinis, cujus gustu intus renovati pascantur et recreentur suaviter in homine interiori.

Sed non prætereundum quod eosdem Israelitas Dominus precedebat per diem in columna nubis, et in nocte in columna ignis. Ita denique et illos qui sunt sub claustrali disciplina adhuc Dominus præcedit, per diem in columna nubis, et in nocte per columnam ignis. In columna nubis eos præcedit, quia cum omnes amatores hujus sæculi æstus nimius et sol percutit, istos in cœnobio commorantes, quasi sub umbra columnæ nubis sibi pausantes Dominus benigne protegit. Sed et in columna ignis eos præcedit in nocte, quia cum omnes, qui hoc utuntur sæculo, etiam principes potentissimi dormiunt, in tenebris, in omnibus servorum Dei in quibus versantur habitaculis, sive in oratorio, sive in dormitorio lucerna fulget lucis; sicque fit ut non solum in spiritalibus, verum etiam in corporalibus et exterioribus dux itineris eorum sit Dominus. In tali ergo exitu, ut prædiximus, de Ægypto, quid aliud homo, quam spiritum pietatis Dei operari recognoscit in seipso, dum rememorari incipit, quanta pietate peccata ejus Dominus supportaverit, quanta rursus pietate de eisdem **627** peccatis eum diu patienter toleratum eduxerit.

Consideratione hujus pietatis Domino quodammodo invisceratus homo, demum ad librum *Leviticum* ascendit, quando ad ministerium Dei eligitur et assumitur. *Levi* enim dicitur *assumptus*; per quod nomen omnes intelliguntur, qui per Dei gratiam de communi sæcularium hominum vita assumuntur, quibus et hic liber Leviticorum conscribitur, in quo de offerendis Deo sacrificiis rite disponitur. Distinguuntur in eo hostiæ quæ pro peccata Domino offeruntur; quædam etiam holocausta, quæ in gratiarum actione mactantur; quædam hostiæ pacificorum, quæ pro pace Deo oblata consecrantur, sic ut unusquisque pro quacunque necessitate voluerit, ordinatum sibi sacrificium inveniat, si tamen scientiæ Spiritu a Deo illuminari a Deo meruerit. In hoc namque libro opus est spiritu scientiæ, per quam scientiam, Dei misericordia opitulante, scire valeat quomodo pro peccatis suis Deo satisfaciat. Hic itaque liber, ut prædiximus, maxime illos respicit qui de tumultu sæcularis vitæ ad quietem transierunt monasticæ disciplinæ, qui quasi veri Levitæ in tabernaculo, id est in monasterio Deo deserviunt nocte et die. Intuens enim legislator imo magis per legislatorem Deus, quoniam hi qui ita assumuntur et a sæcularium strepitu segregantur, quamvis sint districtioni monasticæ subditi, tamen metam vitæ labilis absque contagione non possunt transire peccati, quia in mortalitatis hujus corpore non peccare, etiam electissimis Domini prorsus est inevitabile, instituit in hoc Levitico libro offerenda sacrificia, quæ ad abluenda quotidiana peccata forent idonea. Nos igitur, qui olim in Genesi fuimus, dum secundum terrenam et carnalem generationem viximus; deinde ad Exodum transivimus, cum de peccatis et mundanarum rerum tumultu exivimus, jam nunc in Levitico sumus.

Transeundum ergo nobis est de Letivico, in quo modo sumus, quatenus ad librum *Numeri* perveniamus. In libro Numeri ordinantur et numerantur in bello pugnaturi, qui et quales essent qui ad pugnam procederent expediti, **628** quo in loco per turmas suas tabernacula figerent, qui primo loco, qui novissimo forent præliaturi. In his pugnantium turmis ad bellum numeratis, quid aliud innuitur nobis quam pugna illa interminabilis, quæ usque in finem sæculi durabit in electis, qua pugnare habebunt tam contra diabolum, quam contra vitia carnis spiritui resistentis? In hoc certamine opus est spiritu fortitudinis, per quem roborati resistere vitiis valeant, a carne propagatis, ut demum devictis hostibus mereantur in sorte filiorum Dei annumerari, tam in cœlestibus quam in terrestribus.

Postquam autem inter filios Dei computati fuerint, et inter sanctos et electos sors illorum ceciderit, tunc rite ad librum *Deuteronomii* perveniunt, qui quinto loco ponitur. Deuteronomium enim *secunda lex* dicitur. Lex prima lex est timoris; secunda lex est lex amoris et libertatis. Per legem timoris homines a peccatis et vitiis restringuntur, et per præcepti exsecutionem in virtutibus exercentur; in secunda autem lege, quæ est lex amoris, præcepto consilium superadditur, ut ille; qui præceptum jam implevit, spiritu consilii adjuvetur, quatenus ad altiorem meritorum gradum provehatur.

Sed videamus quid sit præceptum, quidve consilium. Præceptum est quod ita, absque ulla retractatione præcipitur homini, quod omnino non liceat transgredi, quale est illud legis mandatum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omnibus viribus tuis, et in omni mente tua; et proximum tuum sicut te ipsum* (*Matth.* XXII, 37), quod ita, sicuti præceptum est, oportet impleri. Consilium autem est, quo revera ita homini consulitur, ut si non fecerit, non imputetur; si vero consilium secutus fuerit, magnificentius laudetur, et coronetur, quemadmodum est virginitas illibata propter Deum servata, mundique contemptus, qui non præcipitur, sed tantum his qui possunt capere consilio suggeritur. Unde Paulus apostolus dicebat: *De virginibus præceptum Domini non habeo; consilium autem do* (*I Cor.* VII, 25). Hæc igitur et his similia spiritus consilii operatur in homine, per quem a lege timoris ad legem amoris

ascendens pervenit, in quo non jam per præcepti cohibitionem, **629** sed ducatu spiritus consilii per mentis vivat devotionem.

Sic in Deuteronomio, hoc est in secunda lege amoris et libertatis vivens quandoque, ad sextum librum, qui est *Josue* perveniet. Josue dicitur *Salvator*. Et bene per Josue librum vera hominis salvatio figuratur. In hoc libro Josue, id est veræ salvationis, spiritus intellectus operatur. Nam in vera salvatione, verus a Deo intellectus percipitur. Intellectus autem non acquiritur nisi per veram munditiam cordis, quia lumen cordis est perfecta munditia mentis, per quam ad intellectum pertingitur, sicut ipse Dominus in Evangelio protestatur: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* v, 8). Et bene in Josue libro cordis munditia designatur, qui, ut in eodem libro legitur, secundo filios Israel circumcidisse dicitur. Prima enim circumcisio est, cum homo exterius a perversis et mortuis operibus circumciditur. Secunda vero circumcisio est, quæ fit intrinsecus, quando cor ab immundis et noxiis cogitationibus emundatur.

Post librum Josue satis congrue sequitur *liber Judicum*, quia post veram salvationem et verum intellectum per cordis munditiam acquisitum, justum procul dubio in semetipso exercere poterit judicium. Sed et si ex Dei ordinatione contigerit ut superius ascendens assumatur ad prælationem per cordis munditiam non solum in seipso, verum etiam in subditis, exsequi valet judicium justitiæ et æquitatis. Nimis enim periculosum est quemquam promoveri et ad locum regiminis assumi, antequam vera cordis munditia a Deo meruerit sublimari. Qui autem in vita sua tali, ut diximus, ordine processerit, et per cordis munditiam ad intellectum ascenderit, hic prælatus judexque animarum satis digne fieri poterit. In qua prælatione et judicio opus habet a Deo repleri spiritus Sapientiæ, per quem intus affectus et illuminatus sapienter justum novit judicium discernere.

Hoc librorum ordine breviter prælibato redeamus ad *Leviticum* nostrum nobis conscriptum, et si quid de offerendis Deo sacrificiis investigare poterimus, nobis in usum ædificationis convertamus. Ait ergo inter cætera legislator sic scribens: *Si princeps peccaverit,* **630** *et fecerit unum de pluribus per ignorantiam, quod Domini lege prohibetur, et postea intellexerit, offeret hostiam Domino hircum de capris immaculatum, ponetque manum suam super caput ejus* (*Levit.* iv, 22). In principe isto prælatus quisque valet intelligi, qui principaliter vivens, suis et subditis verbo et exemplo novit principari. Sed et per principem hunc fidelis quisque potest figurari, qui, quamvis sit pauper et ignobilis secundum genus sæculi, si in virtutum culmine nobiliter steterit, inter principes procul dubio Dei veraciter in cœlestibus annumerari poterit. Qui autem sunt principes Dei nisi apostoli et martyres, et cæteri sancti, inter quos merebitur annumerari omnis, qui Deum fuerit secutus vita spiritali, quamvis in hoc mundo vilis appareat et despicabilis?

Sed, proh dolor! nonnunquam accidit ut ille, qui talis est princeps coram Domino, in peccati præcipitium corruat, quia, ut Psalmista protestatur: *Non justificabitur in conspectu Dei omnis vivens* (*Psal.* CXLII, 2). Quid ergo vel quale est peccatum illud quod committitur a tali principe? *Et fecerit*, inquit, *unum de pluribus*. Quid est istud *unum* nisi cor hominis Deo per charitatem unitum? Cor quippe unum dulci unione Deo unitum et constrictum thalamus est Dei, in quo sponsus et sponsa, illa duo amabilia, in unum conveniunt amorem. In isto uno, quod est cor hominis, illa duo, Deus et anima, tam amicabiliter et familiariter deberent sibi blandiri, ut nullus alienus interesse permitteretur huic mutuæ agnitioni, nullus extraneus amor huic intermisceretur dilectioni. Unde apostolus Paulus dicit: *Qui adhæret Deo unus spiritus cum eo efficitur* (*I Cor.* vi, 17). Sed, heu, res dolenda frequenter accidit, ut hoc *unum* homo faciat *e pluribus*. Quod tunc profecto fit, quando cor suum, quod unum esse debuit, et Dei solius amori constrictum et unitum, in plura diviserit, et in pluribus peccare fecerit. Cumque cor illud quod esse debuit unum e pluribus tractare cœperit, nunc injustum amorem assumens, nunc dolorem, qui non expedit, ex altera patre introducens, nunc meditatur, quomodo quæcunque molesta provida circumspectione effugiat, nunc magno studio agit, ut injustum amorem stabiliat, et sic inter prospera divisus et **631** adversa, modo odium comitatur, modo invidiam sectatur.

Sed unde hoc, ut tale peccatum committatur, et talis divisio in uno efficiatur? *per ignorantiam*, inquit. Ignorantia hic pro infirmitate accipimus. Quidam enim scienter peccant, et quasi peccare se nesciunt, dum tanta peccati delectatione mens eorum obnubilatur, tanto peccati desiderio offuscatur, ut scire interim non possint quid sit quod contra Deum egerint. Nam quamvis sciant in intellectu, scire non valent ex peccati voluntate et desiderio, et in tali ignorantia graviter sæpe delinquunt. Sequitur:

Quod Domini lege prohibetur. Quæ est ergo lex Domini? vel quid est quod eadem prohibet lex? Lex Domini, lex est charitatis, de qua per Psalmistam dicitur: *Lex Domini immaculata* (*Psal.* XVIII, 8). De hac charitate rursus Dominus in Evangelio dicit: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem* (*Joan.* xv, 11). Igitur quia lex Domini lex est charitatis, lex eadem bonum et justum præcipit amorem, et injustum prohibet amorem. Quicunque ergo contra hanc legem charitatis fecerit, ut illud unum, quod in uno amore esse debuit, per injustum amorem et cætera peccata dividat plura faciens ex uno, hic peccatum, *quod Domini lege prohibetur*, commisit. Quomodo autem tale peccatum committens Domino satisfaciat, mox subinfertur:

Et postea, inquit, *intellexerit peccatum suum, offert hostiam Domino hircum de capris immaculatum.*

Post peccati perpetrationem plerumque homo *peccatum suum intelligit*, cum post peccatum ad conscientiam redit, et intus per Dei misericordiam inspiratus iniquitatem suam recognoscit. Tunc quoque *peccatum suum intelligit*, cum per verba doctrinæ exterioris intus admonitus iniquitatem suam recognoscere cœperit. Sed postquam sic peccatum suum intellexerit, quid faciendum ei erit? *Offerat hircum de capris immaculatum*. In *hirco*, qui fetidum animal est, spiritum nostrum intelligere possumus; per *capras* vero peccata figurantur, sicut ipse Dominus in Evangelio testatur dicens: *Statuet agnos quidem a dextris, hædos autem a sinistris* (*Matth.* XXV, 33), **632** per hædos, qui sunt de capris, significans peccatores. Tunc ergo hircum Domino de capris offerimus, quando spiritum nostrum fetentem de peccatis agnoscimus. Nihil enim tam fetidum est coram Domino, quam sunt peccata. Sed hircus iste offerri præcipitur *immaculatus*, cujus maculam tunc auferimus, dum peccata nostra intima pœnitentia abluimus.

Ponetque manum suam super caput ejus. Per *manum* operatio, per *caput* vero intentio figuratur. Manum ergo super caput hostiæ nostræ ponimus, cum bona opera super fundamentum bonæ intentionis collocamus. Sequitur:

Cumque immolaverit eum in loco, in quo solet mactari holocaustum coram Domino, quia pro peccato est, tinget sacerdos digitum in sanguine hostiæ pro peccato, tangens cornua altaris holocausti, et reliquum fundens super basim ejus; adipem vero adolebit supra, sicut in victimis pacificorum fieri solet; rogabitque pro eo, et pro peccato ejus, et dimittetur ei. Locus, in quo solet mactari holocaustum, est cor hominis, in quo hircum, id est Spiritum suum Deo immolat, quando, ut prædiximus, fetentem spiritum suum de peccatis recognoscit. Sic immolato hirco, *tinget sacerdos*, hoc est, spiritus ejus, *digitum in sanguine hostiæ*, quia tunc discretionem suam, quæ per digitum figuratur, spiritus hominis assumit, et *in sanguine hostiæ*, quod sunt peccata ejus, hanc discretionem *tingit*. Discernit namque inter peccata majora et minora, discernit inter voluntatem et consensum, inter desideria et opera, inter fortuitum impulsum cogitationis et delectationis; discernit denique inter peccata majora utrum raro, an sæpe illa commiserit; discernit inter voluntatem et consensum, si voluntas talis fuerit, quæ, si facultas daretur peccandi, consensu in præceps ruente ad peccati opera prolaberetur; discernit inter cogitationes et delectationes, utrum cogitationem peccati delectatio subsecuta fuerit, an sola cogitatio sine delectatione, levi vago tantum incursu cor tetigerit. Postquam igitur digitum suum in sanguine hostiæ tinxerit, postquam ita, ut prædiximus, peccata sua discreverit, tandem *tanget cornua altaris*. Cornua altaris sunt duo fines, qui sunt in altari, et per **633** istos duos fines signari potest cognitio Dei et sui.

In cognitione Dei tunc quilibet homo tangit unum cornu altaris, dum corde pio reminiscitur quanta bona de manu sui perceperit Conditoris, quam patienter Omnipotens peccata ejus, dum punire potuisset, supportaverit, quam benigne de hujus mundi voragine absque peccati confusione ad portum eum perduxerit quietis monasticæ, cum multos alios se meliores majorisque meriti in sæculo dereliquerit. Hac recordatione benignissimæ pietatis Dei, dum intrinsecus cognitionem Dei tetigerit, erumpens in lacrymas dulciter in fletibus se afficit, et ad rependendas Conditori suo gratiarum actiones, laudumque præconia constanter se erigit. Tangit deinde alterum cornu altaris in cognitione sui, quando peccatorum suorum gravamina rememoratur, quæ et quanta commiserit, quam graviter contra Deum deliquerit, et in hac recordatione amarissime flere incipit.

Hac duplici cognitione, Dei et sui, tactis cornibus altaris, *reliquum fundet ad basim ejus*. Per *basim* altaris, in quo altare consistit, signantur prædicatores et prælati. Nam, sicut basibus sustentatur domus fabrica ita prædicatorum et prælatorum verbo et exemplo sustentatur **634** Ecclesia. Et quia per basim figurari diximus prælatum, bene ad hanc basim scelera et delicta sua peccator fundit, cum ei cor suum in humili confessione aperit. Quando enim peccata minora et peccati intentionem Deo confessus fuerit in oratione, postea *ad basim*, quod est confessor, *reliquum*, id est majora crimina debet *fundere*.

Adipem vero ejus adolebit supra sicut in victimis pacificorum fieri solet. Per adipem possunt accipi dulcia peccata hominis, quæ cum appetitu pravæ commisit delectationis. Quem adipem, quam pinguedinem oportet eum cremare in superiori suo igne intimæ compunctionis. Quod si fecerit, pacem a Deo consequetur et remissionem, moxque in eo adimplebitur quod continuo hic subinfertur. *Rogabitque pro eo et pro peccato ejus, et dimittetur ei*. Quicunque sic, ut prædiximus, dulcia peccata sua coram Domino in superiori suo adoleverit, et a Deo tali victima pacem promeruerit, *pro eo et pro peccato ejus rogabit* verus *sacerdos*, Dominus Jesus Christus. Rogat quoque pro eo confessor suus, cui cor suum in confessione aperuit. Ipse etiam homo rogat pro se et pro peccato suo. Et his omnibus pro eo rogantibus veniam impetrabit.

HOMILIA III.

AD CAPUT VII LIBRI NUMERORUM PRIMA.

Factum est in die qua complevit Moyses tabernaculum, et erexit illud, unxitque et sanctificavit eum omnibus vasis suis etc. (*Num.* VII).

Factum istud magnum et admirabile est mirum et magnificum opus redemptionis nostræ, quod verus ille Moyses noster non in nocte, sed in die complevit, quando in sole tabernaculum suum posuit, quando sine omni labe originalis criminis tabernaculum animati corporis de matre Virgine sumpsit. Quod revera tabernaculum tunc completum et con-

summatum erexit, quando post multas hujus vitæ A miserias, post opprobria, sputa, colaphos et verbera, in ara crucis exaltari voluit.

Et quia in eodem tabernaculo Dominici corporis habitavit omnis plenitudo divinitatis, bene dici poterit unctum et sanctificatum *cum omnibus vasis suis*, cogitationibus, verbis et operibus. Erecto autem tabernaculo illo, non solum, ut dictum est, in crucis exaltatione, verum etiam in resurrectione et ascensione, duodecim illi apostoli duces, qui eidem tabernaculo in fide et dilectione adhæserunt, *oblationem suam*, ut consequenter subjunctum est, per singulos dies *obtulerunt*. Per singulos dies gratam Deo oblationem offerebant, quia pro singulis animabus sibi commissis pari studio **635** prædicationis et orationis laborabant. Et ut hæc eadem oblatio ma- B gis ac magis accepta esset Domino, audiamus quid adhuc de ipsa oblatione, quam offerebant, sequens subjungit littera.

Acetabulum, inquit, *argenteum pondo centum triginta siclorum*, *phialam argenteam*. Acetum, a quo dictum est *acetabulum*, acidum et amarum est poculum. Et ideo per acetum non injuste amaritudo pœnitentiæ valet intelligi, quia apostoli duces dura et amara contritione corpora sua mortificabant, offerentes Domino ac Magistro suo *acetabulum argenteum*, corpus videlicet suum sic amaritudine pœnitentiæ examinatum, sicut per ignem examinari solet argentum. Verum, quia non multum valet pœnitentia, nec dura carnis mortificatio, si aut C veræ confessio fidei aut bonorum operum perfectio deerit, manifestatur in consequentibus, ubi pondus ejusdem acetabuli describitur, *pondo centum triginta siclorum*. Per *centum*, quod utique plenus et perfectus est numerus, perfectionem sanctæ et bonæ operationis, quam Deo offerebant, intelligere possumus. Sed huic perfectioni triginta, id est fidem sanctæ Trinitatis addiderunt, quia sine fide nil Deo placere cognoverunt. Sequitur:

Phialam, inquit, *argenteam*, *habentem septuaginta siclos*. Oblato quidem supra memorato corporis acetabulo, longa et dura pœnitentia amaricato et examinato, *argenteam* nihilominus obtulerunt *phialam*, hoc est animam Scripturæ sacræ capacem, igne divini amoris succensam et purificatam. *Ha-* D *bens*, inquit, septuaginta siclos. Septies decem et decies septem *septuaginta* faciunt. Et ideo per hunc numerum non injuste decem intelligenda sunt præcepta, septiformi gratia Spiritus sancti conscripta et composita. Et quomodo argenteæ apostolorum phialæ, id est illuminatæ divinitus ipsorum animæ hæc eadem præcepta habebant? Habebant, inquam, non litteram occidentem, sed spiritum vivificantem; habebant, quia spiritaliter intelligebant, spiritaliter adimplere satagebant et ad spiritalem intelligentiam docendo, prædicando alios perducere laborabant, et pro his omnibus non laudem temporalem, **636** sed æternæ retributionis gloriam exspectabant. Unde sequitur:

Juxta pondus sanctuarii. Per *pondus sanctuarii* spes vel mensura æternæ remunerationis non incongrue valet intelligi. Nam licet sancte et juste viverent, ita tamen eadem opera sanctitatis statera humilitatis ponderabant, quod non gloriam suam, sed gloriam Dei requirebant, quod solam futuræ beatitudinis mercedem exspectabant. Sequitur:

Utrumque plenum simila, *conspersa oleo in sacrificium*. Quid est *utrumque plenum simila? Utrumque* videlicet et acetabulum supra memoratum, et phiala, id est corpus apostolorum et anima, *plenum* erat *simila*, plenum erat munditia et innocentia. Nam mundi et simplices, intentione puri et innocentes erant in operatione. *Conspersa*, inquit, *oleo in sacrificium*. Simila, inquam, munditiæ et innocentiæ, sive simila bonæ operationis et piæ intentionis conspersa et commista erat oleo geminæ dilectionis, quia licet ferventes et ardentes interius essent in dilectione Dei, exterius tamen non vacabant, nec recedebant a charitate proximi. Et ideo, quia geminæ charitatis illis non deerat oleum, gratum et acceptabile Domino offerebant sacrificium.

Mortariolum, inquit, ex decem siclis *aureis plenum incenso*. Intelligere possumus per *mortariolum* humilem et contribulatum illorum spiritum, qui *ex decem siclis aureis*, ex decem videlicet præceptis spiritali intelligentia fulgidis plenus semper erat et *incenso* puræ orationis, et incenso contemplationis, quia post perfectam decem præceptorum observantiam nec assidua illis deerat dulcedo in oratione, nec supernæ visitationis gratia in mentis contemplatione. Sequitur:

Bovem de armento et arietem, et agnum anniculum in holocaustum, hircumque pro peccato. Bovem illum *de armento*, Mediatorem Dei et hominum ex nobili prosapia patriarcharum et prophetarum, secundum carnem genitum, in ara crucis pro nobis occisum et immolatum, prædicatione sua primi illi Ecclesiarum principes quodammodo offerebant, quia mysterium incarnationis, passionis ac mortis illius credendum et confitendum fidelibus annuntiabant. *Et* **637** *arietem et agnum anniculum in holocaustum, hircumque pro peccato. Aries*, *agnus* et *hircus* est figuraliter ipse Dei Filius, Dominus noster Jesus Christus, qui idcirco *aries* dicitur; quia sicut aries gregem subsequentem præcedere solet, ita ipse Dei Filius quasi dux prævius rediens ad Patris dexteram, omnem præcessit electorum suorum multitudinem, quos etiam exemplo humilitatis suæ informavit et instituit, qualiter fidelis quisque bene vivendo sequi vestigia ejus possit.

Est quidem Agnus totus innocens, totus immaculatus Deo Patri in holocaustum, id est totum incensum oblatus. Nam quidquid pro redemptione humani generis pati voluit, totum incensum fuit totum ignis paternæ charitatis sic inflammavit et incendit, quod nunquam gloriam suam, sed solius Patris gloriam quæsivit. Est etiam *hircus pro peccato;* nam, licet nullam in se peccati maculam contrahe-

ret, tamen ut nos a peccato redimeret, in forma peccati homo factus apparuit, et peccata nostra patiendo et moriendo ipse portavit. Et quia sic pro nobis bos, aries, agnus et hircus fieri dignatus est, sic semetipsum per Spiritum sanctum pro salute mundi obtulit, ecce ad membra ipsius sermo derivatur, et quid generaliter de universis ordinibus, qui sunt in Ecclesia, illi offerendum sit, consequenter subinfertur.

Et in sacrificio pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Per *duos boves* corpus nostrum et animam intelligere possumus; nam quasi *duos boves* illi offerimus, dum corpus immaculatum servituti ejus in **638** humilitate subjicimus, dum animam mundam et incontaminatam in amore ipsius custodimus. *Et arietes quinque.* Per *arietes*, qui ducatum præbent gregibus, duces et doctores Ecclesiæ non incongrue significari credimus, qui solemne sacrificium pacificorum Domino offerunt, dum quinque libros Moysi mystico intellectu perscrutantes talem ex his scientiam colligunt, unde et ipsi bene vivendo proficiant, et auditores suos ad gaudia æternitatis prædicando et exhortando perducant.

Et hircos quinque. Quoniam hircus pro peccatis offerri plerumque in lege præcipitur, non injuste per *hircos* vita conjugatorum exprimitur, qui, dum quinque sensibus suis ea quæ mundi sunt quærunt et diligunt, nequaquam sine gravibus etiam peccatis vitam suam agere possunt. Sed tamen nonnulli ex his, dum divina præveniente misericordia digne pœnitendo peccata sua diluunt, sacrificium pacificorum quodammodo Deo offerunt, quia per humilem pœnitentiam pacem inter se et Deum faciunt. *Et agnos anniculos quinque.* Per *agnos*, qui utique munda et simplicia sunt animalia, non immerito vita designatur continentium, caste et innocenter vivere cupientium, quinque sensus suos, in quantum possibile est, a peccatis custodientium, qui, dum sic Deo soli per munditiam castitatis et innocentiæ placere desiderant, gratissimum illi sacrificium pacis et charitatis immolant.

639 HOMILIA IV.

AD CAPUT XX JOSUE PRIMA.

De sex civitatibus refugii.

Sex civitates refugii constitutas a Domino legimus, ad quas confugeret et evaderet, qui animam nescius perculeret; quarum tres erant extra Jordanem, tres infra Jordanem.

Prima civitatum illarum, quæ erant extra Jordanem, vocabatur *Bosor*, secunda *Ramoth*, tertia *Gaulon*. Interpretatur autem Bosor *angustia*, Ramoth *visio mortis*, Gaulon *volutatio*. Tres istæ civitates non incongrue exprimunt sæculares homines, in voluptatibus sæculi viventes quia totum, quod in mundo diligitur, cum *angustia* possidetur, cum dolore, et angustia amittitur. Sunt etiam in *visione mortis*, sicut civitas secunda, quæ est *Ramoth*, interpretatione sua significat, quia mortem, in qua conversantur, considerant; nec tamen declinant sed voluntarie jacentes in ea, ad tertiam usque civitatem, quæ est *Gaulon*, quotidie tendunt, quia, dum de peccato in peccatum volutare se non metuunt in ipsis quæ diligunt peccatis, quamdam sibimetipsis requiem faciunt.

Possumus etiam per primam hanc civitatem quæ est *Bosor*, sæculares accipere rectores, qui in angustiis sæculi hujus vivunt, sicut sequentia manifestant verba, quæ eamdam civitatem *in campestri solitudine* sitam fuisse commemorant. *Campestris solitudo* est agrestis sæculariter et sine Deo viventium conversatio. Per *Ramoth* vero quæ sita erat in Galaad de tribu Dan, satis convenienter illi figurantur, qui habent scientiam Scripturarum; quæ per *Galaad*, quod *acervus testimonii* dicitur, figurari possunt, sed secundum Scripturam minime vivunt. Bene autem additur *de tribu Dan*. Dan interpretatur *latrunculus*. Et quia latrunculus a latendo **640** dictus est, non inconvenienter per Dan latens amor sæculi accipi potest. Sunt plane in Ramoth, quæ, sicut præmisimus, *visio mortis* dicitur, quæ sita est in Galaad; quia acervus testimonii, sacra videlicet Scriptura, quam legunt et audiunt, mortem, in qua jacent, quotidie oculis eorum obtendit. Sed *Gad*, id est latens, in corde eorum occultus amor sæculi resurgere eos ad vitam non patitur, quia voluptates et desideria carnis, quæ in aperto non possunt nec præsumunt, latenter exercere non pertimescunt. De Ramoth *in Gaulon*, quod *volutatio* dicitur, veniunt, dum de peccato in peccatum, a mala cogitatione ad noxia verba labuntur, a noxiis verbis ad iniqua opera volvuntur. Et bene Gaulon *in Basan de tribu Manasse*, quod interpretatur *oblivio*, sita fuisse describitur, quia qui hoc modo viventes Dei creatoris sui obliviscuntur, isti sane a memoria et misericordia Dei plerumque excluduntur.

Sed quia civitates istæ civitates refugii dictæ sunt, *omnis, qui animam nescius percussit*, hoc est omnis qui ex ignorantia mortalitatis hujus, quæ aut ex iniquo amore, aut ex injusta ira, vel furore nascitur, sive propriam, sive alterius animam, vel male vivendo in se, vel malum exemplum aliis ostendendo ex se occidit, si *iram proximi*, id est iram Filii Dei, qui in assumpta propter nos humanitatis natura proximus noster factus est, evadere desiderat, ad easdem civitates spiritaliter confugiat. Fugiat ad *Bosor* per *angustiam* præsentis vitæ, latos peccatorum excessus deserendo et plangendo, fugiat ad *Ramoth* peccatis et vitiis moriendo, fugiat ad *Gaulon* pœnitentiæ squaloribus humiliter semetipsum involvendo.

641 Hoc modo si in civitatibus istis extra Jordanem positis vixerit, ad reliquas tandem civitates, quæ infra Jordanem sunt, Deo propitio pertingere poterit. Quarum prima est *Cedes*, quod interpretatur *sancta* vel *mutata*; secunda, *Sichem*, quæ *humerus* vel *labor*; tertia *Hebron*, quæ *conjunctio* vel *conjugium* dicitur.

In *Cedes* denique venit, quando mutato habitu

sæculari, sancte et juste vivere incipit in vita spiritali. In *Sichem* venit, quando ad tolerandos propter Deum universos labores, qui in spiritali vita occurrunt, humerum corporis ac cordis libenter et patienter supponit. In *Hebron* venit, quando post relictum sæculum, post laboriosum spiritalis vitæ exercitium, ad ineffabile illud conjugium, quod per internæ visitationis et consolationis suæ gratiam beatæ animæ Deus conjungitur, divinitus provehitur.

Sed, quæ ad unum hunc hominem retulimus, ex adjectis verbis pluribus congruere non ambigimus. Neque enim sine causa est, quod tam specialiter notat Scriptura, quibus partibus, in quorum finibus illa et illa civitas constituta fuerit. *Cedes*, ut eadem ait Scriptura, sita erat in *Galilæa montis Nephtalim; Sichem* in *monte Ephraim*; *Cariathharbe*, quæ et *Hebron*, in *monte Juda*. *Cades* sive *Cedes* interpretatur *sancta* vel *mutata*, Galilæa *facta transmigratio*, Nephtalim *emissus cervus*. Et congrue per *Cedes* sæcularis vitæ mutatio, per *Galilæam* contemptus rerum transeuntium, per *Nephtalim* mentis contemplatio. *Cedes*, quæ *in Galilæa montis Nephtalim* sita fuerat, spiritales homines specialiter exprimit, qui despectis et abjectis præsentis vitæ voluptatibus mutaverunt quod fuerunt, cunctaque quæ hujus mundi sunt, cœlestis patriæ desiderio transmigrando ad celsitudinem contemplativæ dulcedinis frequenter ascendere noverunt. Per *Sichem*, quod interpretatur *numerus*, quæ sita erat *in monte Ephraim*, quod interpretatur *frugifer*, homines illi valent intelligi, qui de sæculari vita ad militiam Christi transeunt, et ad obsequium et sustentationem eorum, qui Domino vacant, magnis ac nimiis exteriorum laborum oneribus humerum suum devotissime supponentes, gratum Deo et acceptabilem fructum offerunt. *Cariatharbe* **642** vero quæ *Hebron*, quæ *in monte Juda* sita erat, bonorum atque justorum et spiritalium Prælatorum typum gerit, qui quasi *in monte Juda* positi sunt, quia præsident illis, qui et in monte Nephtalim mente Deum contemplando, et in monte Ephraim exteriorum exercitiis laborum Deo fructificando, et in monte Juda jugiter Deum confitendo et laudando ad supernæ vocationis bravium tendunt.

Nec injuste nomen hoc *Cariatharbe*, quod interpretatur *civitas litterarum* bonis aptatur prælatis, qui et scientiam Scripturarum a Deo acceperunt, et secundum documenta Scripturarum præesse, vivere, atque docere didicerunt. Quibus etiam nomen secundum, quod est *Hebron*, quod *conjugium* dicitur, apte congruit, quia casta et spiritali copula castis et spiritalibus subditorum animabus spiritaliter conjuncti, dilectos Deo filios generant, dum verbis eos et exemplis ad spiritales quotidie virtutes instituunt et informant.

Hæ sunt civitates per misericordiam Dei ad refugium et salvationem peccatorum in sancta Ecclesia constitutæ, atque e medio sæculi separatæ, ut qui salvari desiderant, corde et corpore fideliter ad eas A confugiant. Ait ergo Dominus; *Separate urbes fugitivorum, de quibus locutus sum ad vos per manum Moysi, ut confugiat ad eas, quicunque percusserit animam nescius, ut possit evadere iram proximi, qui ultor est sanguinis*. Animam nescius percutit, qui ex ignorantia et cæcitate hujus, quam sustinemus mortalitatis aut iniquo amore, sicut præmisimus, illectus, vel etiam injusto odio et furore succensus, aut propriam animam male vivendo, aut alterius animam malo exemplo suo inficiendo interficit. Hæc invisibili animarum interfectione debitæ indignationis ira ille noster *proximus*, Dei utique Filius, ad ulciscendum irritatur, qui, ut proximus noster fieret, et nos in sortem et gloriam filiorum Dei adduceret, nostræ in se humanitatis miserias suscepit, B nosque, qui longe eramus per crucem et sanguinem suum proximos suos fecit, qui non immerito et *proximus* et *ultor sanguinis* dicitur, quia ipse pro universis peccatorum nostrorum excessibus dignam pœnitentiæ **643** et satisfactionis ultionem in præsenti a nobis exigit, ne quid in futurum remaneat, quod a sempiterna ejus claritate quandoque nos separare valeat. Igitur, qui hujus *iram proximi* evadere desiderat, quo ordine ad unam, quam elegerit prædictarum civitatum confugiat, qua humilitate intrare et inhabitare debeat, evidenter docet nos Dominus dicens in consequentibus:

Cumque ad unam harum confugerit civitatem, stabit ante portam civitatis, et loquetur senioribus ur- C *bis illius ea quæ se comprobent innocentem, sicque suscipient eum, et dabunt ei locum ad habitandum.* Potest intelligi per *civitatem* quælibet spiritalis congregatio; per *portam civitatis* bonus prælatus ejusdem congregationis, qui congrue porta civitatis nuncupatur; per ipsum enim intratur, per ipsum introitus civitatis indulgetur. *Stat ante portam civitatis*, quando stabili constantia postulat, ut suscipi mereatur. *Loquitur senioribus urbis illius quæ se comprobent innocentem*, quando factis et dictis vere se ostendit pœnitentem. Hæc enim sunt ea quæ hominem comprobant innocentem, quia per veram pœnitentiam ad veram reditur innocentiam. *Sicque suscipient eum, et dabunt ei locum ad habitandum*, quando humiliter pulsanti aperiunt, susceptumque D in congregatione, qualiter vivere debeat, verbis et exemplis instituunt.

Cumque ultor sanguinis eum fuerit persecutus, non tradent eum in manus ejus. Ultor sanguinis diabolus est, hostis humani generis, de quo in Psalmo dicitur: *Ut destruas inimicum et ultorem* (*Psal.* VIII, 3). Inimicus est bonorum, ultor est malorum. Ipse ulciscitur et punit quidquid homo contra Deum committit; ipse peccatorem fugientem, et pie vivere cupientem semper persequitur, si forte a proposito suo eum avertere valeat, si pristinis eum sceleribus involvere possit, ut pereat. Sed *non tradent eum in manus ejus*, quando hinc eum monitis suis et consiliis ad resistendum diabolo, ad serviendum

Domino accendunt; inde meritis suis et orationibus defendunt et muniunt.

Quia ignorans percussit proximum ejus; nec ante biduum triduumve probatur ejus inimicus. Per *biduum triduumve* vel baptismi susceptio, vel sanctæ Trinitatis accipi potest confessio. Omnis **644** igitur, qui extra hoc biduum vel triduum inventus fuerit, hic in manus ejus qui ultor est sanguinis traditur, quia inimicus Dei esse convincitur. Ille vero, qui per baptismi susceptionem et sanctæ Trinitatis confessionem inter amicos Dei, inter filios sanctæ Ecclesiæ computari meruit, hic sane etsi ignorans percussit proximum, si in aliquod lethale non ex malitia, sed ex ignorantia et infirmitate lapsus est delictum, non ob hoc in manus persequentis eum hostis antiqui, quem ultorem sanguinis diximus, datur, sed, dum suis, dum aliorum Deo in spiritali vita cum ipso servientium orationibus et meritis liberatur et salvatur, si tamen a suscepto spiritalis vitæ tramite non deviaverit, atque in pœnitentia et humilitate usque ad finem vitæ suæ constanter perduraverit. Unde consequenter subinfertur:

Et habitabit in civitate illa, donec stet ante judicium causam reddens facti sui. Quod dicit, *donec stet ante judicium causam reddens facti sui*, per hoc extremum diem hominis, diem utique mortis puto significari, in quo ante judicium causam reddens facti sui constituetur ut aut pro malefactis suis puniatur aut pro bonis actibus suis æternæ beatitudinis gaudia sortiatur:

Quod autem sequitur, *et moriatur sacerdos magnus, qui fuerit in illo tempore*, per hoc extremum diem judicii arbitror posse intelligi quando verus et summus ille sacerdos, Dominus noster Jesus Christus, qui semetipsum in cruce obtulit Deo Patri pro salute generis humani, non in sua persona (*Christus* enim *resurgens a mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur* [*Rom.* VI, 9]) sed in electorum suorum persona moritur, et in corpore suo, quod est electorum multitudo, regnum beatitudinis æternæ introducitur.

Tunc revertetur homicida et ingredietur civitatem, et in civitatem, et in domum, de qua fugerat. Homicida, qui homicidii sui reatum per quotidianæ pœnitentiæ atque satisfactionis fletum hac in vita purgavit, *tunc*, id est in illo extremi judicii tempore *revertetur* de exsilio hujus mortalitatis *et ingredietur in civitatem* beatæ immortalitatis, *et in domum, de qua fugerat*, in domum utique æternitatis, de qua per inobedientiæ culpam in primo homine deciderat atque perierat, ubi a facie inimici persequentis non pavebit, sed in visione Patris, et Filii, et Spiritus sancti gaudebit.

645 HOMILIA V.

IN CAPUT XVII JUDICUM PRIMA.

***Fuit eo tempore vir quidam de monte Ephraim, nomine Michas,* etc. (*Judic.* XVII).**

Quia secundum Apostolum littera occidit, vivificantem spiritum in littera occidente inquirere cupientes, libet historiæ hujus seriem indagare, etsi per singula verba mysterium ejus enodare non possumus, saltem summam sensus, in quantum Dominus largiri dignatur, colligamus. Nomine *Michæ* istius non inconvenienter designari potest Judaicus populus. Michas *quis hic* interpretatur. *Quis*, verbum est dubitantium. Et bene hoc nomen, quod dicitur *quis hic*, populo Judaico valet aptari, quia et de salute eorum magna est dubitatio, qui in lege accepta tantummodo gloriantes, auctorem legis cognoscere non valebant.

Hic Michas *de monte Ephraim* fuisse narratur, quia Judaicus populus de stirpe patriarcharum et prophetarum originem duxit. Qui bene *Ephraim* nomine, quod interpretatur *frugifer*, possunt designari, quia in bonis operibus laboris et patientiæ vere exstiterunt *frugiferi*. Notandum autem quod dicitur, *fuit eo tempore vir quidam*. Præcedens namque historia de Samsone texitur, qui in omni vita et in cunctis actibus suis typum gerit Domini nostri Jesu Christi. Bene itaque historiam de Samsone, qui Christum significat, historia sequitur de Micha, qui Judaici populi figuram portat, quia in tempore Christi exstitit ille Judaicus populus, cujus hæc sub mystica interpretatione fuisse verba memorantur, quæ subjuncta sunt:

Qui dicit matri suæ: Mille centum argenteos, quos separaveras tibi, et super quibus audiente me juraveras, ecce ego habeo, et apud me sunt. Per binum hunc numerum *mille* videlicet et *centum* duo possunt accipi, id est lex et prophetæ; per majorem numerum doctrina legis, per minorem sermo propheticus. In duobus his, lege scilicet et prophetis, tota Judaici populi constabat doctrina, nec præter has duas alia eis tradita **646** fuit Scriptura. Narravit igitur Judaicus populus *matri suæ*, Synagogæ videlicet, quæ quodammodo mater ejus exstitit, *mille centum argenteos habere et apud se esse*, quando litteram legis et prophetarum sibi ab ea [*cod.* ab eo] traditam summo se studio et observantia confessa est custodire. Et recte dicitur, *quos separaveras tibi*. Synagoga mater Judaici populi mille centum argenteos quodammodo sibi separaverat, quia superba gloriabatur, quod præ cunctis terrarum populis ita a Deo adamata, et in tantum honore habita fuisset, quod ei Scripturæ suæ documentum per legem et prophetas tradidisset. Super his quoque mille centum argenteis *juraverat*, quando præsente et audiente omni multitudine, Domino præcepta sua dante dicebat. *Omnia, quæ locutus est Dominus, faciemus* (*Exod.* XXIV, 3). Judaico populo carnales legis cæremonias diligenter se observare profitenti, quid mater sua, Synagoga videlicet, respondeat audiamus.

Benedictus, inquit, *filius meus Domino.* Benedictum namque filium suum Synagoga a Domino affirmat, quia Judaicum populum, qui absque vivificante spiritu occidentem litteram tantummodo observare conatur, æternæ benedictionis præmium

hæreditare arbitratur. Vel in hoc filium suum *benedicum* asserit, quod solus præ cæteris gentibus legem a Deo acceperit. Quod ergo Judaicus populus hoc non gratuitæ Dei misericordiæ, sed suis et patrum suorum meritis attribueret, sequentia patenter insinuat : *Reddidit ergo eos matri suæ. Reddidit* ergo plebs Judaica mille centum argenteos *matri suæ*, quia non ex gratia, sed ex debito legis et prophetarum scripta accepisse se arbitrantur, eo quod patres eorum talis ac tanti fuissent meriti, ut jure præ cæteris gentibus specialis iste honor eis a Deo debuerit conferri. Sequitur :

647 *Quæ respondit : Consecravi et vovi argentum hoc Domino.* Consecratum namque secundum carnalem intellectum superbæ illi Synagogæ videtur quidquid in littera legis et prophetarum continetur. Et hoc votum *vovit Domino*, ut Scripturam ei traditam, quæ in lege et prophetis, sicut sæpe diximus constat non spiritaliter, sed carnaliter observet et intelligat. Et notandum quod ad suam trahit personam dicendo ; *consecravi et vovi argenteum hoc Domino.* Hoc idem est ac si dicat : Hæc sacra Scriptura legis et prophetarum, ut jure mihi a Deo dari debuisset, meritum meum et dignitas Patrum meorum exigit, qui utique tales ac tanti erant, quod soli per acceptam divinæ Scripturæ scientiam cunctas terrarum nationes excellerent.

Ut de manu mea, inquit, *suscipiat filius meus, et faciat sculptile et conflatile.* Per *sculptile* intellectum legis et prophetarum accipere possumus ; per *conflatile* autem satisfactionem illam, qua unusquisque observator occidentis litteræ, si eorum, quæ lex interdicit, aliquid admiserit, delictum suum conflare, id est purgare jubetur, sicut sæpe in littera legis invenitur, quomodo ille capram, iste hircum, alter autem ovem offerre præcipitur, et unicuique secundum qualitatem criminum hæc et illa holocausta offerenda injunguntur. Idcirco ait Synagoga : *Consecravi et vovi argentum hoc Domino*, id est ideo consecratum a me et a patribus meis hoc divinæ legis eloquium custodiendum tradidi, *ut de manu mea suscipiat filius meus, et faciat sculptile et conflatile*, hoc est ut ex meritis meis, per quæ Scripturam legis et prophetarum a Domino accipere debui, unusquisque filius meus ille videlicet, qui hanc secundum litteram observare voluerit, in ea intelligere et invenire valeat, quomodo prævaricationis suæ peccatum *conflare*, id est pœnitere debeat.

Et nunc trado illud tibi. Ac si dicat : Quandiu præsenti vita, quæ per *nunc* intelligitur, frueris, eloquium istud Scripturarum carnaliter observandum et intelligendum a me tibi commendatum noveris. *Reddidit ergo* **648** *matri suæ.* Iterum Scriptura hic inculcat et replicat vanam Judaici populi jactantiam, qua de meritis suis et patrum suorum per acceptam legem gloriabatur. Sequitur :

Qui tulit ducentos argenteos, et dedit eos argentario, ut faceret eis sculptile et conflatile. Per hunc argentarium quisque prælatus et prædicator in Judaismo potest accipi. Huic Synagoga *ducentos argenteos*, id est, gemmam Scripturarum, legis videlicet et prophetarum, tradit, ut faciat *sculptile et conflatile*, quia unicuique magistro Judaismi injungit, et quibusque subditis intellectum litteræ aperire et pandere studeat, non spiritalem dico, sed carnalem, quatenus unusquisque positus sub lege, si forte in aliquo transgressor mandati fuerit eamdem, quam lex præcipit, purgationem pro delicto suo exsolvere noverit.

Bene autem sequitur quod fuit *in domo Michæ*, quia solus superbus et carnalis intellectus in Judaico populo remanet, et placere Deo de exterioribus tantum sacrificiis quærit, *qui ædiculam in ea Deo separavit.* Per *ædiculam* templum Jerosolymis valet accipi, qui solummodo locus, quod [ad] hoc separatus erat, ut victimas et hostias in lege mandatas ibi Deo offerrent ; neque enim alibi ritum carnalium sacrificiorum suorum celebrare licebat.

Et fecit ephod ac theraphim, id est vestem sacerdotalem et idola, implevitque unius filiorum suorum manum, et factus est ei sacerdos. Ephod, quod est superhumerale, laboriosa opera legis potest significare. Magno nimirum Judaica gens labore desudat, ut carnalia opera legis impleat. Per *theraphim* autem, *id est vestem sacerdotalem* occidentem litteram nil obstat intelligi, quia sicut veste corpus obvolvitur, sic vivificanti spiritui occidens littera obducta esse videtur. Facit namque Judaicus populus *vestem sacerdotalem*, quia occidentem litteram extrinsecus attendit, et ignorantiæ suæ tenebris obcæcatus, vivificantis spiritus dulcedinem intrinsecus latentem intueri non valet nec quærit.

649 Bene autem post ephod ac theraphim appositum est, quod faceret *et idola. Idolum* enim, teste apostolo Paulo, *nihil est* (*I Cor.* VIII, 4), sed quamdam sculptam Dei similitudinem habet, cum nullum deificæ veritatis indicium in eo sit. Hoc igitur significat quod Judæi per exteriorem observantiam cæremoniarum suarum et carnale legis mandatum quamdam similitudinem prætendant, quod Deum venerentur et honorent. Sed nulla in eis est veritas, cum verum Redemptorem humani generis non intelligant, quem tota legis et prophetarum Scriptura denuntiat. *Implevitque, ait, unius filiorum suorum manum, et factus est ei sacerdos.* Hic unusquisque prædicator in Synagoga notatur, quia ad hoc præficitur, ut exteriora opera legis custodienda proponat, et carnalem sacrificiorum ritum exerceat.

In diebus suis non erat rex in Israel, sed unusquisque, quod sibi rectum videbatur, faciebat. In cunctis nimirum diebus, quibus in Judaico populo legalium vana cæremoniarum superstitio perdurat, verus *rex* Dominus noster Jesus Christus non præsidet, nec suum inter eos esse habet, *sed unusquisque, quod sibi*, non quod Deo rectum *videtur, facit*, quia non secundum Dei beneplacitum, sed secundum propriæ voluptatis vivit desiderium.

650 HOMILIA VI.

IN IDEM ET SEQUENS CAPUT LIBRI JUDICUM PRIMA.

Fuit quoque alter adolescens de Bethlehem Juda et cognatione ejus, eratque ipse Levites et habitabat ibi (*Judic.* XVII).

Quis convenientius per hunc *adolescentem* quam novus homo, Dominus noster Jesus Christus potest intelligi? Primus namque parens noster Adam vetus, homo *adolescens* vocari non poterit, sed Dominus noster Jesus Christus, qui, sicut diximus, est novus homo, jure adolescentis nomine designari debuit, qui nullam unquam noxiam peccati vetustatem cogitatione, verbo vel opere contraxit. *De Bethlehem*, inquit. Bethlehem *domus panis* interpretatur, per quam non injuste divinitas Christi figuratur. Bene Dominus noster Jesus Christus *de Bethlehem* esse dicitur, quia Deus est verus de Deo vero. *Judas* autem, qui *confessor* sive *laudator* interpretatur, cœtum figurare potest angelorum, Deum in gaudio perpetuæ jubilationis laudantium semper et confitentium. *Cognatio* vero hujus *Judæ* nos existimus, qui propinqui sumus angelorum, quia unum Patrem et Creatorem cum illis Deum habemus.

Eratque ipse Levites et habitabat ibi. Levites interpretatum dicitur *assumptus*. Quam bene nomen illud Domino Christo convenit, qui cum Dominus esset majestatis, humanam nostri causa formam assumpsit? Sed quamvis mutabilitatis nostræ corpus sibi in beatæ Virginis utero aptaret, *habitabat* tamen *ibi*, id est in divinitate sua immutabilis perstitit, assumens quod non erat, mansit quod erat.

Egressusque est de Bethlehem. Per hæc verba iterum eadem humanitas Christi commendatur. *Egressus* est enim *de Bethlehem*, quando de sinu Patris in hunc mundum venit, et pro nobis misericorditer incarnatus, visibilem se præbuit. Sed quam ob causam *egressus est? Ut peregrinaretur, ubicumque commodum reperisset*, id est ut ipse, qui per terreni corporis assumptionem de cœlo, ut ita dicamus, peregrinatus est, peregrinas gentes ad fidem suam invitaret; quas ideo peregrinas dicimus, quia per infidelitatem a Deo longe exsulaverunt. Corpore quidem, quandiu in terra commorari voluit, conversabatur cum Judæis, ne incredulitati illorum, occasionem daret, quod eis relictis ad gentes divertisset; sed tamen corde et cogitatione ac miserationis 651 respectu cum gentibus fuit, in quorum cordibus per fidem suam quandoque requiem se invenire præscivit et prædestinavit, quam superbus Judaicus populus suscipere recusavit.

Cumque venisset in montem Ephraim iter faciens, declinavit parumper in domum Michæ, et interrogatus est ab eo: Unde venis? Venit Unigenitus Dei *in montem Ephraim*, quando inter Judæos incarnatus apparuit; *iter fecit*; quia qui immutabilis est in divinitate sua et loco non tenetur, per assumptam humanitatem mutabilis et localis fieri dignatus est; *declinavit parumper in domum Michæ*, quia, sicut præfati sumus, illud modicum tempus, quod super ter- A ram videri voluit, in Judaico tantum populo conversatus est, a quo, si Evangelium attendamus, interrogatus est, sicut et adolescens iste a Micha: *Unde venis?* Nunquid non idem fuit, quando eo dicente quia si non crederent quod ipse esset, morerentur in peccatis suis, responderant ei: *Tu quis es? Levita sum*, inquit, *de Bethlehem Juda*. Si ergo non eisdem verbis, eadem tamen significatione Judæis se interrogantibus, quis esset, Dominus Jesus eadem respondit, cum dixit: *Principium, qui et loquor vobis* (*Joan.* VIII, 25). Cum ergo esse se principium dixit, procul dubio *de Bethlehem*, id est Deum de Deo se fore affirmavit. *Levita sum*, ait, *de Bethlehem Juda*, humanam naturam inter vos et de vobis assumpsi, qui sum Deus Filius de Deo Patre secundum divini- B tatem, initio carens et fine.

Et vado, inquit, *ut habitem, ubi potuero et utile mihi esse perspexero.* Ac si Filius Dei Judæis in se non credentibus diceret: Inter vos quidem factus sum homo, vobis verbum prædicationis, ut salvi fiatis, administro. Sed quoniam sermo meus non capit in vobis, vadam per prædicatores meos, quos ad gentes destinabo, ubi jucundum mihi in cordibus fidelium obtinere potero habitaculum; ubi prædicatio mea fructificabit per fidem gentium, qui eam suscepturi sunt. Unde post resurrectionem suam apostolis præcipit dicens: *Euntes, docete omnes gentes, baptizate eas in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII, 19). Sequitur:

C *Dixitque Micha: Mane apud me, et esto mihi parens et sacerdos.* Audiens hæc vetus illa Synagoga magnam 652 invidiæ perpessa tormentum (semper enim gentium saluti invidit) his ad Dominum Christum verbis quodammodo usa est, *mane apud me*, id est mecum sit habitatio tua, nec ac prædicandum gentibus procul de cognatione tua exeas, *et esto mihi parens ac sacerdos*, hoc est quidquid hic inter nos docendo cæremonias legis nostræ, quæ nobis de cœlo data est, Deo boni parere possis, noli negligere; meo quoque carnali fungere sacerdotio, ritum legalium sacrificiorum exercendo. *Daboque tibi per singulos annos decem argenteos et vestem duplicem, et quæ ad victum necessaria sunt.* Quasi diceret: D Quandiu apud me commoratus fueris, decem præcepta, quæ per *decem argenteos*, et legem et prophetas, quæ per *duplicem vestem* figurantur, tibi appono, ut in his converseris, hæc doceas. Nam si ea feceris et docueris, sufficiunt tibi ad adipiscenda quæcunque necessitas poscit animæ vel corporis. Hæc quodammodo superbæ illius Synagogæ verba fuerunt, quia, ut diximus, ægre tulit, si gentibus hæc salus proveniret, ut aliquis verbo doctrinæ, divinæ eos cognitionis capaces faceret. Dominus noster Jesus Christus, quia Judaicum populum invidiæ trabe tenebratum cordis oculum habere sciebat, ne occasione illa, quod gentes eis in docendo præferret, in odium illius prorumperent, fecit secundum verba eorum, in cunctis scilicet diebus carnis suæ inter

eos conversatus est, quemadmodum subsequens littera insinuat, A

Acquievit et mansit apud hominem, fuitque ei quasi unus ex filiis. Judaicus quidem populus non reputabat Dominum Jesum sicut verum Dei Filium et Salvatorem mundi, sed *quasi unum de filiis*, id est ut alium sapientem virum de stirpe et cognatione eorum progenitum.

Implevitque Michas manum ejus. Implevit igitur Judaicus populus, quem per Micham figurari posse diximus, *manum veri* levitæ nostri, scilicet Domini Jesu Christi, id est opus, propter quod venit in mundum, tunc adimplevit, quando post multa bona opera, quæ inter eos manens in illis ostendit, ad ultimum eum in cruce suspenderunt, in qua positus dixit: *Consummatum est* (*Joan.* XIX, 30). Recte autem B sequitur: *habuitque apud se puerum sacerdotem,* **653** quia ipse summus Pontifex, qui est propitiatio pro peccatis nostris, inter eos pro nobis crucifixus, mortuus et sepultus: Qui etiam bene *puer* dicitur, quia solus purus, innocens, solus absque peccati nævo homo inter homines conversatus est. Hæc verba quæ subsequuntur ex parte electorum, apostolorum videlicet cæterorumque fidelium, qui in Judaico populo exstiterunt, intelligere possumus esse dicta.

Nunc scio, dicens, quod mihi bene faciet Deus habenti Levitici generis sacerdotem. Quasi dicerent: Evolutis tandem tot temporum circulis, in quibus nobis male erat redemptionem non habentibus, C nunc bene erit, eo quod Deus homo factus sacerdos et sacrificium pro nobis in ara crucis fieri dignatus sit. Si autem hæc eadem ex parte etiam reproborum intelligere volumus, gloriationem illam Judæorum nobis insinuant, qua gaudebant se memoriam illius abstulisse de terra, quem pro seductore habebant, arbitrantes sublato illo de medio securos se deinceps futuros esse [de] mundanæ prosperitatis gaudio.

In diebus illis non erat rex in Israel. Certe quando hæc Judaicus populus faciebat, verus *Rex* Dominus noster Jesus Christus per gratiæ suæ præsentiam inter eos *non erat*, sed Judæis perfidiæ suæ meritis exigentibus a gratia expulsis, *tribus Dan quærebat possessionem, ut habitaret in ea*, id est populus gen- D tium ad Redemptoris sui fidem venire desiderabat, per quam ad terram repromissionis possent quandoque pertingere. Et bene hoc nomen *Dan*, quod interpretatur judicium, gentili populo figuraliter ascribitur, quia verum Dei fuit judicium ut, Judaico populo credere in eum recusante, homines gentiles vocaret.

Usque ad illum diem sortem inter cæteras tribus non acceperant. Usque ad diem mortis Christi gentilis populus sortem inter Judæos non habuit, quia cognitionem Dei et scientiam Scripturarum, legis scilicet et prophetarum, non accepit, nec cum eis societatem habere potuit, quorum patres, quorum testamentum et legislatio fuit.

Miserunt ergo filii Dan stirpis et familiæ suæ quinque viros fortissimos de Saraa et Estahol, ut explerarent terram et diligenter inspicerent. Et **654** *dixerunt eis: Ite et considerate terram.* Si hic omnia verba, ut utile esset, prescrutari non possumus, saltem summam sensus, quantum Deus donaverit, colligamus. Videtur mihi per hos quinque viros illos quinque figuraliter esse expressos, quos tantum ex gentili populo legimus, quod eis Dominus noster Jesus Christus in diebus carnis suæ communicaverit, et gratiam impertiri dignatus sit. Neque enim præter hos quinque alios de gentibus invenimus, quibus ipse, quandiu in hoc mundo conversatus est, tanta, sicut istis quinque, divinitatis suæ opera ostendit. In diebus quidem infantiæ suæ primitiæ gentium Magi illi ab Oriente adorare eum venerunt, sed illos qui tantum puerum adoraverunt tacentem, ad istos non connumeramus qui eum palam adoraverunt loquentem et viderunt miracula facientem. Horum quinque, quos præsignavimus, primus fuit beatus centurio ille, cujus incomparabilem fidem Dominus commendans discipulis suis ait: *Non inveni tantam fidem in Israel* (*Matth.* VIII, 10). Secundus erat alter centurio, cujus mentis oculos ita Deus illuminaverat, ut, visis omnibus quæ crucifixo Domino gesta sunt, exclamaverit: *Vere hic homo Filius Dei erat* (*Marc.* XV, 39). Tertius fuit latro, qui juxta ipsum pendens in cruce eum pro semetipso interpellavit, dicens: *Domine, memento mei, dum veneris in regnum tuum* (*Luc.* XXIII, 42). Quarto et quinto numero occurrunt duæ mulieres, quæ, licet non essent viri sexu, viri tamen erant sensu et intellectu. Una fuit Chananæa illa, quæ egressa a finibus Tyri et Sidonis Dominum pro liberatione filiæ suæ rogavit; quæ ab ipso audire meruit: *O mulier, magna est fides tua* (*Matth.* XV, 28). Altera erat Samaritana, cujus Deus sensum aperuit, ita ut diceret: *Scio quia Messias venit* (*Joan.* IV, 25). Quæ si ex omni cognatione gentilis non fuit, Judæi tamen, ut ipsa testabatur, non coutuntur Samaritanis. Hos quinque, de quibus modo diximus, explorandi gratia gentes quodammodo præmiserant, per quos illis spes dabatur possidendi terram repromissionis. Verbi gratia: Si Christus in diebus carnis suæ nulli unquam ex gentibus communicasset, nulla utique cæteris gentibus, quibus postea per apostolos sacramentum fidei predicabatur, ad ipsum convertendi spei fiducia remansisset. Sed, quoniam exemplum habebant **655** de his, quos per semetipsum benigne suscepit, et gratiæ suæ participes effecit, etiam ipsi eo plus de pietatis ejus misericordia præsumebant, quod et illos clementer suscipiet, et æternæ hæreditatis consortes efficeret.

Qui cum pergentes venissent in montem Ephraim, intraverunt in domum Michæ. In domum Michæ, quem Judaici populi significationem habere diximus, quodammodo *intraverunt*, quia primum inter Judæos conversari incipiebant, inter quos etiam et per quos sacræ Scripturæ agnitionem acceperunt.

Et requieverunt ibi, quia Scripturarum imbuti testimoniis invenerunt requiem animabus suis. *Et agnoscentes vocem adolescentis Levitæ, utentesque illius diversorio.* Agnoverunt nimirum gentes *vocem adolescentis Levitæ*, id est novi hominis Jesu Christi per verba prædicatorum, in quibus et per quos ipse loquebatur. Usi sunt illius *diversorio*, carne ejus videlicet, quam salutis eorum causa assumpserat, quam ideo per *diversorium* significari credimus, quia in ea versari potuit modo ad bona, modo ad mala. Non sic dicimus ad mala, quod ille unquam in omni vita sua alicui malum intulerit, qui omnis malitiæ expers fuit; sed quod dura sibimet et aspera in eadem carne sua pertulerit. Sequitur :

Et dixerunt ad eum : Quis te adhuc adduxit? quid hic agis? quam ob causam huc venire voluisti? Summam hic tantum tangamus, et quid nobis per tria hæc interrogativa verba, *quis*, *quid*, *quam*, sentire datum est, dicamus. Videtur mihi in hac trina interrogatione hoc esse expressum, quod gentes tunc ad Christum conversæ eum unam personam in sancta Trinitate esse confessæ sunt. His tribus interrogationibus tria alia verba inseruntur, videlicet *huc*, *hic*, et iterum *huc*, id est in hunc mundum salutis eorum causa venit. Sic assumptionem humanitatis in Deum in Christo confitentibus his quodammodo quæ subsequuntur verbis ipse respondit : *Hæc et hæc præstitit mihi Michas.* Quasi diceret : Hanc humanam naturam, quæ constat ex anima et carne, per quam, vos salvi facti, ex Judaico populo suscepi. Bene autem sequitur :

Et mercede me conduxit, ut sim ei sacerdos. Idcirco enim ipse Filius Dei **656** humanæ carnis indumentum ex Judæis assumpsit, ut hostiam se Deo Patri pro eis offerret, et peccata eorum in seipso in cruce absque peccato susciperet. *Rogaveruntque eum, ut consuleret Dominum.* Si ergo diligenter attendamus, omnes hos, de quibus locuti sumus, quos ad explorandam quodammodo divinæ circa gentes dignationis gratiam quasi præmissos diximus, ad Filium Dei preces suas fudisse invenimus, centurionem videlicet et latronem, Chananæam quoque et Samaritanam. Et quid mystice eos in suis rogationibus desiderasse credimus, nisi hoc, *ut Dominum consuleret*, id est ut ipse, qui summus erat Pontifex. Deus super nos, homo propter nos, inter Deum et hominem Mediator accederet. Quare? *ut scire possent an prospero itinere pergerent, et res effectum haberet*, id est ut Filio Dei Mediatore ad Patrem existente, certitudinem hanc haberent, quod eos a gratia sua non repelleret, sed devotio eorum, qua Deo appropinquare desiderabant, æternæ salutis effectum caperet. Sed divinæ miserationis gratiam exquirentibus quid verus ille levita noster et sacerdos Dominus Jesus Christus respondeat, audiamus :

Ite cum pace. Ponamus ante oculos hos, de quibus præfati sumus, et considerare poterimus quod, singulis his rogantibus, ea quæ pacis sunt, responderit Dei Filius. Nonne tibi videtur Chananææ et latroni, ut cæteros prætermittamus, quodammodo respondisse, *Ite cum pace*, quando uni pro salute filiæ constanter ei insistenti dixit : *Fiat tibi, sicut vis* (*Matth.* xv, 28), alteri vero in cruce penes se pendenti et gratiam suam imploranti respondit : *Amen, dico tibi, hodie mecum eris in paradiso?* *Luc.* xxiii, 43). Sequitur :

Dominus respiciat viam vestram, et iter quo pergitis. Ac si de statu salutis suæ sciscitantibus Dominus dixisset : Deus Pater, qui pro vobis incarnari me et pati voluit, nunc *viam* mandatorum suorum cupientibus incedere januam regni cœlorum per me aperire disposuit. Præcedentium quippe Patrum, licet per bona opera ei appropinquare desiderantium, Deus *viam* quodammodo *non respexit*, quia nulli eorum, originali obsistente peccato, cœlestis vitæ aditum pandere voluit vel debuit. Nam ego nondum humanam vestri causa formam assumpseram, **657** et necdum flammeum illum gladium, qui paradisi ingressum obstruxerat, dato sanguinis mei pretio exstinxeram. Sequitur :

Euntes itaque viri venerunt Lais, videruntque populum habitantem in illa absque ullo timore juxta Sidoniorum consuetudinem, securum et quietum, nullo penitus resistente. Per *Lais*, quod *leo* interpretatur, populus gentium non injuste designari valet quia, dum eorum cordibus defuit cognitio Dei, sub *leonis* illius, diaboli videlicet, qui circuit quærens quem devoret, dominio erant constituti. Ipsis etiam secunda interpretatio ejusdem nominis apte congruere videtur, quia Lais etiam *sibimet vir* interpretatur. Gentilis populus fuit quodammodo *sibimet vir* quia non Deo, sed sibimet ipsis vivebant, dum non divinis operibus, sed carnalis concupiscentiæ voluptati dediti erant. Per quinque autem viros hos prædicatores, sub quinque libris Moysi mystice tunc per novæ legis gratiam instructos, significari credimus, qui post ascensionem Dominicam verbum prædicationis administrare gentibus missi sunt. Sed venientes Lais, id est ad gentes, quid invenerunt in eis? *Videruntque*, inquit, *populum habitantem absque ullo timore.* Gentilis populus *absque ullo timore habitabat* quia foris per carnalem gloriam tumens, et idolorum servitio subactus, nec ignem gehennæ, nec metum futuri judicii præ oculis habere noverat. *Juxta Sidoniorum consuetudinem*, inquit. Habitabant nimirum Gentes *juxta Sidoniorum consuetudinem*, quia secundum interpretationem ejusdem nominis inutiles erant *venatores* irrationabilium desideriorum, non quidem in semetipsis illicita persequendo et transitoria sine cessatione diligendo, et iniquitatem sine ullo defectu perpetrando. *Securum*, inquit, *et quietum*. Antequam divinæ cognitionis gentes capaces fierent, in mala securitate vivebant, dum mansura nullatenus sperantes spem totam in rebus transitoriis posuerunt, et nulla habere vel desiderare, nisi quæ prætereunt, noverant. In his quodammodo requiem sibi fecerant, dum relin-

quenda omnia quasi perpetuo possidenda æstimabant. Sed unde hæc mala securitas et noxia quietudo illis inerat, nisi quia secundum quod in sequentibus habetur 658 nullus eis penitus resistebat. Illis namque, quibus legalia data sunt præcepta, etiam ipsa lex restitit et magnam timoris formidinem incussit, quia absque gratiæ condimento unumquodque prævaricationis peccatum dure satis et districte puniri jussit. Sed gentibus *nullus* penitus *restitit* quia lex illis data non est, quæ culpam licet per gratiam non deleret, per præceptum tamen innotuit, et commissa delinquentium dura animadversione distrinxit. Sed secundum mysticum subsequentis litteræ præsagium prædicatoribus verbi divini ad illos venientibus facti sunt *magnarum opum, et procul a Sidone atque a cunctis hominibus* B *separati.* Magnis quippe et laudabilibus redundabant opibus, dum magna pretiosarum virtutum venustate componi cœperunt, dum verbo sacræ locutionis, quæ etiam per opes juste designari possunt, in ornamenti sui usum assumpserunt, et ad comprehendenda sanctæ Scripturæ mysteria summo studio elaborabant. Facti sunt quoque *procul a Sidone*, id id est ab illa, de qua præfati sumus, inutili venatione, quia jam cor sub divina lege reprimere sciebant, nec circa irrationabiles carnis motus vagari sinebant. *Atque a cunctis*, inquit, *hominibus separatum.* Liquet, quam vera sint hæc verba, et quam veraciter in Ecclesia, quæ de gentibus venit, sint impleta et quotidie adimpleantur. Populus enim Ecclesiæ *a* C *cunctis* quodammodo *hominibus separatus* est; quia ad his qui humana et ea quæ super terram sunt sapiunt, si interim corpore non valet, corde tamen ob amorem cœlestis patriæ segregare se et alienare contendit, dedignatur subjacere temporalibus et ardenter suspirat æternis.

Possumus quoque sub alio intellectu per *quinque viros*, quos prædicatorum significationem habere posse diximus, supra memoratos etiam illos quinque accipere, quos, ut in superioribus dictum est de gentibus tantum legimus, quod eos Dominus noster Jesus Christus in diebus carnis suæ, gratiæ suæ participes fecerit et divinitatis suæ opera eis ostenderit. Isti quinque viri quodammodo venerunt *Lais*, quando gentili populo, qui per *Lais* potest significari, D per apostolos et cæteros fideles, qui in eos ministerium acceperunt, innotuit, quæ et qualia 659 cum his operatus sit Dominus Jesus per semetipsum, quam benigne illos susceperit, quam affabilem se eis præbuerit, et ipsi hac animati spe tanto fiducialius post tenebras ad lucem, post maculas ad munditiam per sacri mysterium lavacri redierunt, quanto certius horum susceptionem spei suæ pignus acceperant.

Reversique ad fratres suos in Saraa et Esthaol. Reversique sunt *quinque viri* isti *ad fratres suos*, quando, ut diximus, notum factum est cæteris gentibus, quanta dignatione his in carne sua communicaverit Dominus Jesus. Auditis itaque divinæ pie- A tatis operibus, quæ operari dignatus est in peccatoribus, tales utique facti sunt, quibus horum interpretationes nominum, id est *Saraa et Esthaol* convenire possent. Saraa namque *carbones* vel *angustiæ*, Esthaol autem *ignis parturiens* interpretatur. Angustiari itaque et sollicitari tunc ex eo cœperunt, quod tamdiu exstincti, id est, quod tamdiu lucis divinæ cognitionis expertes fuerint. Sicque factum est ut secundum interpretationem secundi nominis scilicet *Esthaol*, *ignis parturiens* fierent id est ut divini amoris ardore succensi sacræ Scripturæ mysterium perquirentes discerent qualiter bonarum sobolem virtutum Deo de se parere possent. *Regressique ad fratres suos in Saraa et Esthaol, et sciscitantibus quid egissent, responderunt*: *Venite et ascendamus.* Quænam sunt quæ supra memorati quinque viri egerunt nisi quod causam suam Filio Dei, cum eis in carne conversanti, revelabant, et ab eo gratiam quærebant? Hanc igitur quia invenerunt teste Evangelio, ideo hæc eorum subsecuta est ad cæteras gentes exhortatio. Non sic dicimus eorum exhortationem, quasi ipsi ad prædicandum gentibus missi sint. Sed quoniam factum suum et susceptio eorum apud gentes innotuit, per spem, quam suo eis exemplo dederunt, quodammodo dicere illorum fuit ad eos: *Surgite et ascendamus ad eos* quod est dicere *surgite* peccata et idololatriam deserendo et recte conversionis culmen appetendo, *et ascendamus ad eos*, id est ea quæ sursum sunt, non quæ super terram, sapiendo ad supernorum civium nostrorum, angelorum videlicet consortiorum pertingere festinemus.

660 *Vidimus*, inquiunt, *terram valde opulentam et uberem.* Per hanc terram Mediator Dei hominum, homo Christus Jesus, propter terreni corporis assumptionem valet intelligi. Hanc *terram* pulchre satis Scriptura *opulentam et uberem* mystice denuntiat, quia in homine Christo Jesu omnis plenitudo divinitatis corporaliter inhabitabat. Sed et hoc modo terra hæc opulenta et dulcissimæ veritatis [f. ubertatis plena est, quia Dominus noster Jesus Christus dives est misericordia, dives profecto in omnes, qui invocant illum. Hujus incomparabilis terræ opulentiæ, id est Dei et hominis Jesu Christi pietatis et misericordiæ abundantia sacramentum fidei percipere cupientibus olim promissa est gentibus, per exempla utique eorum, quibus ipse, quando homo inter homines conversabatur, miserationis suæ opem impendere dignatus est.

Nolite, inquiunt, *negligere, nolite cessare.* Quasi dicatur: Salutis nostræ gratiam gratuita Dei pietate vobis destinatam *nolite* spernere, *nolite* desistere; quin ad ipsam adipiscendam corde et corpore properetis, corde credendo, corpore sacri baptismatis mysterium percipiendo. Num in infidelitate amodo immorari debetis, cum tot exempla misericordiæ in pignore tenetis? *Eamus, et possideamus eam.* Ire et possidere terram, de qua modo diximus, est sperantes in misericordia Dei de virtute in virtutem proficere, et per fidem, quæ operibus comprobatur,

Christum in homine, et hominem in Christo manere. A Bene autem sequitur :

Nullus erit labor quia jugum Christi suave est, et onus ejus leve. Cum enim tamdiu labori infundatur, usquequo Christus possideatur, *nullus* deinceps quodammodo *erit labor* quia licet corporeæ infirmitati dura sint assidua laborum exercitia, præ amore tamen ejus, qui cordi præsidet, reputantur quasi levia. Sequitur : *Intravimus ad securos in regionem latissimam.* Quid per *securos* convenientius, quam angelos intelligere possumus, quorum securitatem nulla in perpetuum sollicitudo perturbat? Per terram vero latissimam sive charitas sive cœlestis patria, quæ charitate acquiritur, valeat intelligi. Dicant ergo prædicatores sanctæ Ecclesiæ, dicant : *Intravimus ad securos,* id est nos qui prædicamus **661** B vobis verbum veritatis, licet corpore peregrinemur in hoc mundo, in fide tamen et spe conversatio nostra in cœlis est inter supernos cives nostros, scilicet angelos, ad quorum consortium nos in ipsa re et veritate post depositionem tabernaculi nostri quandoque migraturos esse confidimus. Jucunda sunt et læta valde ad audiendum verba subsequentia, illis dico qui propter futurorum bonorum abundantiam in terra hac peregrinationis temporalem pati elegerunt penuriam.

Tradetque, inquiunt, *Dominus locum, in quo* [*nulla*] *rei est penuria eorum, quæ gignuntur in terra.* Per *locum* hunc mystice designari potest singularis illa patria, ad quam omnes suspirant, qui se incolas esse cognoscunt in terra. De quo loco bene dicitur quod C in eo *nullius rei sit penuria.* Nam in cœlesti regno omnium bonorum redundat plenitudo. Nec mirum ; nam ipse, ex quo, in quo et per quem omnia, ibi præsens aspicitur, in cujus desiderantissima visione tanta redundant bona, quæ omnia cunctorum merita excedunt et vota. *In quo nullius rei est penuria eorum,* inquit, *quæ gignuntur in terra.* Quænam sunt *quæ gignuntur in terra ?* Opes utique et divitiæ, quas fures effodiunt et furantur, quas ærugo et tinea demolitur, sed harum in cœlesti regno non erit penuria. Nam opes, quæ ibi reconduntur, nulla corrumpuntur vetustate, nulla amitti possunt occasione.

662 HOMILIA VII.

IN LIBRI III REGUM CAPUT XIX DE ELIA PRIMA.

D *Elias propheta cum venisset ad montem Dei Horeb, mansit in spelunca,* etc. (*III Reg.* XIX.)

Per *montem Horeb,* quod interpretatur *siccitas,* altitudo et excellentia divinitatis potest intelligi; in *Elia,* Dominus Filius Dei. Qui Elias, scilicet Dominus noster Jesus Christus *venit ad montem Horeb,* qui a Deo Patre æternaliter genitus est, cui consubstantialis, coomnipotens, coæternus semper fuit ante ævum et est ante ævum. Sed quomodo excellentissimæ divinitati ejus congruit quod *Horeb* interpretatur *siccitas,* cui essentialiter omnium bonorum perpetua insita erat et est affluentia et ubertas? Congruit plane, congruit. Nam, sicut omnium virtutum eminentia naturaliter in eo redundabat, sic quodammodo A *siccus* erat ; quod nec tenuissimum peccatum unquam ei appropinquabat. *Mansit* autem *in spelunca,* quando in secreto divinitatis suæ erat. Et bene per *speluncam* secretum divinitatis ejus accipitur quia, sicut occultum est quod est in spelunca, sic et ipse manens cum Patre in æternitate Deus incomprehensibilis, Deus absconditus erat ; et qui sic in cœlo cum Patre Deus sublimis, Deus æternus erat et immensus, postmodum in terra homo visibilis apparuit et manifestus. Et quia omnia in prædestinatione Dei Patris erant, quæ quandoque a Dei Filio perficienda erant gloriosa operum exhibitione, apte subjungitur :

Et ecce vox ad eum, dixitque illi : Quid hic agis, Elia ? At ille respondit : Zelo zelatus sum pro Domino B *Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum Domini filii Israel. Dicere* Patris ad Filium, et *responsum* Filii ad Patrem quale sit et quomodo fiat ignoramus. Et ideo, quia scire non possumus, humano modo et more nobis loquitur Scriptura, aperiens illud quod verbis et sensu utcunque capere possimus. Dicunt expositores, qui de hoc altius intellexerunt, quod *dicere* Dei Patris ad Filium sit voluntas **663** et prædestinatio Dei Patris ; *respondere* autem Filii sit obedientia, quam exhibet Deo Patri. Ergo quod dicitur, *quid hic agis, Elia ?* est quasi Deus Pater ante omnia sæcula Filio suo prædestinatum opus salutis nostræ, quod per eum fieri decebat, injungeret dicens : *Quid hic,* o Fili mi, *agis ?* quare non perficis opus tuum, ad quod te æternaliter præordinavi et elegi ? C Secure et tranquille in regno meo requiescis tanquam Filius meus unigenitus, et quasi nihil agis, dum humani generis salutem non operaris. Ad hæc Filius, quod non solum in terris, sed etiam in cœlo gloriose et sublimiter operatus sit, insinuat respondendo :

Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum Domini filii Israel. Zelus Filii Dei, quo *zelatus* est *pro Domino Deo exercituum,* vindicta illa erat, quam exercuit in ruina angeli apostatæ, quem idcirco de cœlo et de medio lapidum ignitorum tulit et dejecit, quia Filio Dei, qui est imago et similitudo Dei Patris, similis esse voluit dicens in corde suo : *Ponam sedem meam ad aquilonem, similis ero Altissimo* (*Isai.* XIV, 13, 14). Itaque quia per Verbum Dei omnia fecit Deus, dignum erat ut per Filium Dei, qui est Verbum Dei Patris, hoc opus perficeretur, ut projectus de cœlo ita damnaretur, ne ultra rediret, ne priori dignitati unquam restauraretur. Quare autem sic *zelo zelatus* est ? *Quia dereliquerunt pactum Domini filii Israel.* Per *filios Israel* condita per Dei sapientiam angelica creatura potest intelligi, quæ ideo per *Israel,* quod interpretatur *vir videns Deum,* non incongrue accipitur quia per meritum angelicæ naturæ semper Deum videre, semper faciem ejus in jubilo contemplari acceperat in munere. Sed *quia dereliquerunt pactum Domini,* pactum illud, quod statuit, scilicet ut creatura Creatori subjecta esset, et dignitate, quam a Deo acceperat,

non superbiret, propterea qui hoc *pactum* apostatæ A angeli *dereliquerunt*, reprobati in cœlo, dejecti sunt in terram, et non jam dici vel nominari possunt filii Israel quia ad perpetuæ claritatis visionem nunquam resurgent. De quorum adhuc casu, necnon et hominis **664** perditione, quæ per malitiosam suggestionem illorum facta est, Filius Dei adhuc loquitur dicens :

Altaria tua destruxerunt, et prophetas tuos occiderunt gladio, et derelictus sum ego solus, et quærunt animam meam, ut auferant eam. Principale quoddam *altare* Dei summus ille archangelus erat ; *altaria* vero multitudo illa reproborum angelorum, sequacium diaboli, qui propterea *altaria* nominantur quia ea ratione creati fuerant, ut non nisi hostia laudis et jubilationis Deo Creatori in eis offerri et immo- B lari deberet. Quæ *altaria* sunt destructa et ad nihilum in conspectu Domini redacta, quando seipsos superbiæ cornibus contra Deum erexerunt, et ob id antiquæ et prioris gloriæ statum irrecuperabiliter amiserunt. Sed ille apostata angelus de cœlo cum suis dejectus in terram primum hominem mox per invidiam supplantavit et occidit, quod subjecta continuo verba manifestant.

Et prophetas tuos occiderunt gladio. Prophetæ enim erant Adam et Eva, quia de prophetarum omnium propheta primi ipsi spiritum omnis gratiæ et prophetiæ acceperant. Unde Adam mox plasmatus satis notabiliter de Christo et Ecclesia prophetabat dicens : *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne* C *mea. Propterea relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una* (*Gen.* II, 23). Quis autem erat *gladius*, quo occisi sunt, nisi diabolicæ suggestionis deceptio? Certe mortifere occidit eos, dum dixit : *Cur præcepit vobis Deus ne comederetis de omni ligno paradisi? In quacunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii, scientes bonum et malum* (*Gen.* III, 1, 5). Destructis itaque altaribus, et prophetis occisis, id est dum angelus et homo peccasset, Deus Filius clemens et misericors Deum Patrem, ut in ira misericordiæ memor esse dignaretur, exorabat, seseque Mediatorem inter Deum et hominem obtulit dicens :

Et derelictus sum ego solus, et quærunt animam meam, ut auferant eam. Angeli, inquit, mei, quos ad D laudem **665** nominis mei creavi, me dereliquerunt, quia peccaverunt; homines mei, Adam et Eva, quos ad imaginem et similitudinem meam feci, et in paradiso voluptatis sine morte, sine peccato constitui, me dereliquerunt, quia obedientiæ bonum mihi exhibere noluerunt, idcirco *derelictus sum ego solus.* Et quoniam ita sum quasi solitarius in regno meo, *quærunt animam meam*, omnes videlicet electi mei, sancti mei, amici mei *quærunt animam meam*, hoc est, toto corde, totis affectibus desiderant, ut homo factus animam humanam accipiam. Et non solum quærunt, sed ita quærunt, *ut auferant eam*, scilicet ut de summis regni mei sedibus descendam ad eos ubi miserabiliter ceciderunt, et sublevem eos ad id unde corruerunt. Et si hoc tuæ majestati placitum est, ecce ego, mitte me. Hæc omnia erant in prædestinatione. Jam nunc verbis sequentibus præfiguratur quod quandoque futurum erat in divini operis consummatione.

Et ait ei : Egredere et sta in monte coram Domino. Quid est *egredere*, nisi veni de occulto divinitatis, et visibiliter mundo appare? Quid est *sta in monte*, nisi in utero beatæ Virginis Mariæ requiesce, quæ idcirco *mons* bene nominatur, quoniam in ipsa omnium dotes meritorum speciali præeminebant prærogativa? Vel *sta in monte*, id est in tali eminentia virtutum, ut tu solus liber sis ab omni originali et actuali peccato. Sive *sta in monte*, hoc est in sancta Ecclesia, ut tu sponsus sis Ecclesiæ, ipsaque sponsa sit et uxor tua. Sequitur :

Et ecce Dominus transit. Et spiritus grandis et subvertens montes et conterens petras ante Dominum, sed non in spiritu Dominus. Et post spiritum commotio : non in commotione Dominus. Dominus transit, quando malos angelos in superbia eorum dereliquit, qui et *montes* propter elationem, *petræ* propter duritiam cordis non injuste nominantur. Hos montes Dominus *subvertit*, et has *petras* taliter *contrivit*, quod illi qui toti conditi erant ad gloriam, toti addicti sint ad pœnam, et spem nullam habeant salutis, qui nunquam queunt, quia nunquam volunt deponere superbiam et duritiam cordis. Nec prætereundum quod dicit *ante Dominum*, quia ubique sunt in flagello Domini. Et revera dignum **666** valde est ut qui a gloria tantæ beatudinis nulla necessitate, sed voluntate exciderunt, semper et ubique justo Dei judicio puniantur. Quod autem tota sancta simul Trinitas hos montes subverterit, has petras contriverit, innuunt tria verba hæc *Spiritus, grandis, et fortis.* In verbo etenim *grandis*, grandis Deus Pater, in verbo *fortis*, fortis Deus Filius, in verbo *spiritus*, Deus Spiritus sanctus, quæ tota simul operata est in dejectione malorum angelorum. Quod autem sequitur, *sed non in spiritu Dominus*, quid est nisi quod post ruinam angeli non statim humanam naturam, quamvis esset in prædestinatione Dei Patris, Dei Filius voluit assumere? *Et post spiritum commotio ; non in commotione Dominus.* Quid est *et post spiritum commotio*, nisi quod post casum angeli *commotio* facta est in paradiso, commotio valde lamentabilis, lapsus videlicet et prævaricatio primi hominis? Magna quippe *commotio* erat, dum homo vetitum pomum tetigit, et post hoc a statu immortalitatis defluxit ad mortalitatem et peccatum. *Non in commotione* autem *Dominus*, quia licet homo miserabiliter motus esset, tamen adhuc Deus homo fieri distulit.

Et post commotionem ignis, non in igne Dominus. Moto angelo in cœlo, et amoto inde propter superbiam, motoque homine in paradiso, et amoto inde propter inobedientiæ culpam, congruo ordine subsecutus fuisse describitur *ignis.* Potest enim per hunc ignem æternæ damnationis pœna significari, quæ parata est angelo apostatanti et homini præva-

ricanti. *Sed non in igne Dominus*, quia licet ignis æternæ damnationis miseros peccatores puniret, et non solum impii et peccatores, sed et justi, quamvis ab hoc igne alieni, ad inferos descenderent, tamen adhuc dilata est redemptio, per quam ignis ille exstinguendus, et ab electis funditus erat amovendus.

Sed et per ignem lex Moysi idcirco accipi potest, quia in igne lex data est. Post commotionem istam, quæ facta est in paradiso super omne genus hominum, *ignis* subsecutus est, quia lex data est, per quam Deus hominibus cœpit consulere, et a peccatis aliquantulum temperare. Adveniente autem igne, id est data et accepta lege, *non in igne Dominus*, quia **667** quamvis sciret et audiret gemitus et desiderium suorum se exspectantium, tamen nondum Creator creatura fieri, nondum sempiternus temporalitatem voluit assumere

Et post ignem sibilus auræ tenuis ; et ibi Dominus. Post primum tempus, quod erat ante legem, et post illud, quod sub lege tempus gratiæ advenit, in quo *sibilus* iste *auræ tenuis* factus est. *Sibilus auræ tenuis* annuntiatio erat Dominica, quando summus ille archangelus Gabriel, gloriosissimi nuntius partus, missus est ad beatam virginem Mariam, qui tunc dulcem sibilum sibilavit, dum ait : *Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Ecce concipies et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum* (*Luc.* I, 28, 31). *Ibi* vere *Dominus*, ibi diu desideratus et exspectatus cunctis gentibus filius quia in verbo angeli beata virgo Maria Filium Dei concepit, illius in utero suo pondus suavissimum sensit, quem cœlum et terra non capit. Unde post ista apte sequitur :

Quod cum audisset Elias, operuit vultum suum, et egressus stetit in ostio speluncæ. Cum enim Deus Filius in cœlo audisset sibilum hujus auræ tenuis, id est Verbum Dei Patris missum per angelum virgini pariturae, *operuit vultum* divinitatis *pallio* humanitatis, *et egressus*, id est natus in hunc mundum, *stetit in ostio speluncæ*. In *ostio* humanitatem, *in spelunca* divinitatem potes intelligere. Et non incongrue per *ostium* humanitas, in *spelunca* divinitas. Nam sicut per *ostium* domus intratur, per *ostium* interiora domus reserantur, sic per apertum *ostium* humanitatis pervenimus et tendimus ad cognitionem divinitatis. Quod enim *egressus est*, id est quod homo factus est, ut idem esset Redemptor, qui et Creator, propterea *stetit in ostio speluncæ*, ut natura ab ipso condita, considerata et agnita ipsius humanitate, disceret occultam sibi divinitatis excellentiam amare.

Sic egresso, et sic in ostio speluncæ stanti, *ecce iterum vox ad eum dicentis : Quid hic agis, Elia ?* Vox ista vox est Dei Patris et ipsius Filii in divinitate ad assumptam humanitatem, *quid hic*, inquiens, *agis Elia ?* quod est dicere : O fili mihi compar et ejusdem substantiæ ejusdemque gloriæ, attende et considera, **668** quare egressus sis de sinu Patris. Vide, ut odium illud antiqui temporis, quod erat inter Deum et homines, destruatur, et pax diu desi-

A derata reformetur per nobile pretium sanguinis tui, quod pro filiis meis et tuis liberandis effundas. *Et ille respondit*, Filius sine dubio Patri : *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filii Israel*. *Zelus* non semper odium, sed amorem significat. Et sicut superius per *zelum* vindictam et ultionem quam in cœlo Filius Dei exercuit intelleximus, sic in loco hoc per *zelum* divinum amorem possumus intelligere. Et est quasi Deus Filius Patri dicat : Amor tuus et dilectio, qua te dilexi et diligo, et non solum tui, sed et humani generis dilectio fecit me incarnari, fecit me immutabilem et immortalem mutabilem et mortalem fieri. Sed propterea *zelo zelatus sum, quia dereliquerunt filii Israel pactum tuum*, pactum obedientiæ, quod
B statuisti *filiis Israel*, scilicet filiis hominum, tui visione in paradiso perfruentium. Et ideo nimia dilectione devictus, veni conferre eis remedium, veni dare auxilium. *Altaria tua destruxerunt, et prophetas tuos occiderunt gladio, et derelictus sum ego solus, et quærunt animam meam, ut auferant eam*. Superius diximus per *altaria* apostatas angelos posse designari, per *prophetas* Adam et Eva ; hic autem per *altaria* corpus et animam hominis possumus intelligere, per *gladium* verbum Domini, in *prophetis* verbi Dei prædicatores. Hæc, inquit Filius Dei, *altaria* homo *destruxit*, quia corpus et animam suam, quod *altare* tuum esse deberet, in quo tibi soli sacrificium laudis immolari deberet, non conservavit. *Prophetas tuos occidit gladio*, quia verbi tui præconibus fidem
C bonis operibus non exhibuit. *Et derelictus sum ego solus*, qui altaria tua minime destruxi. Nam ego solus et in corpore et in anima integer sum et immaculatus. Prophetas tuos non occidi, quia verbum tuum conservavi et opere adimplevi. *Et quærunt animam meam, ut auferant eam*. Omnes quippe electi mei, qui propter primæ prævaricationis culpam ad inferos descenderunt, descensum animæ meæ ad inferos lacrymabiliter petunt et quærunt, et ita quærunt, *ut auferant eam*, hoc est **669** ut de medio cordis et corporis mei mortis acerbitate segregatam ad se trahant, et ad eos perveniat, cum qua et per quam liberum et lætum de inferni claustris egressum habeant.

D *Et ait Dominus ad eum : Vade et revertere in viam tuam per desertum in Damascum*. Quid est *vade*, nisi sicut obediendo mihi factus es homo, sic etiam *vade* obediendo mihi *in Damascum*, quod interpretatur *bibens sanguinem*, hoc est bibe calicem passionis? Et dum biberis calicem passionis, *vade per desertum*, descende dico ad infernum, ipsumque facies *desertum*, quia spoliato eo nullum meorum ibi manere patieris. Et cum a mortuis resurrexeris, *reverteris in viam tuam*. *Via* nempe *tua* erat, quod descendisti de cœlis ad liberandum hominem in terris, sed peracta dispensatione, propter quam venisti ad liberandum, eadem via qua venisti, ad me *reverteris*, quia sicut descendisti ad liberandum, ita reverteris ad glorificandum, victorque ad dexteram meam se-

debis, ubi eamdem quam assumpsisti humanam naturam, mirifice glorificatam, extollas super omnem creaturam.

Cumque perveneris illuc, unges Hazael regem super Syriam, et Jehu filium Namsi unges regem super Israel, Eliseum filium Saphat, qui est de Abel Meula, unges prophetam pro te. Cumque perveneris illuc, hoc est cum cœlum ascendens opera tua, propter quæ venisti, gloriose perfeceris, unctione Spiritus sancti *ungere* et perfundere debes filios Ecclesiæ meæ. Qui vero sunt, qui hac unctione ungi debeant, præscripta trium virorum nomina *Hazaelis, Jehu, Elisei* insinuant. Possunt enim in tribus viris istis tres ordines qui sunt in Ecclesia, et per quos consistit Ecclesia, conjugatorum, continentium, prælatorum accipi. Per *Hazael*, quod interpretatur *visus Domino*, boni et sancti conjugati non injuste intelliguntur, quia qui bene et legitime in conjugali vita vixerunt, bona quæ possunt fecerunt, vere a Domino videntur, Deo digni ac noti inveniuntur. Et hi tales *reges* sunt *super Syriam*, quod interpretatur *sublimis*, quia sine dubio seipsos bene regentes, reges coram Domino sunt *sublimes* et excelsi, et nequaquam vita eorum despicienda est vel contemnenda. Nam de talibus innumerabilis illa **670** multitudo sanctorum generatur, per quam regnum cœlorum quotidie crescit et augmentatur.

Per *Jehu* autem, quod interpretatur *iste* vel *est*, continentes possunt accipi, quorum meritis et dignitati congruit interpretatio nominis *iste* vel *est*, quia isti sunt qui ad verum *esse* tendunt, qui vitam æternam totis præcordiorum affectibus quærunt, sicut e contrario quasi nihil sunt, qui propter brevia et temporalia æterna et nunquam finienda bona contemnunt. Qui continentes veri et perfecti fallacis mundi contemptores *filii* sunt *Namsi*, quod interpretatur *tangens* vel *palpans* sive *contrectans*, quia angelicam vitam in terris ducentes semper sunt *palpantes*, si quid inter tenebras hujus mundi de cœlestibus attingere et pervidere queant; semper sunt *contrectantes*, quia de visibilibus ad invisibilia mente transire sunt pro posse suo devoti et parati. Licet enim boni conjugati sublimes sint et beati, isti tamen sublimiores, quibus non solum ab illicitis, sed etiam a licitis actibus pro Dei amore cum ipsius adjutorio se abstinere et custodire placet. Hi tales *reges* sunt *super Israel*, quod interpretatur *vir videns Deum*, quia de hac sublimi mentis visione, qua Deum nunc merentur videre, tendunt ad plenam et perfectam ipsius visionem.

Possunt autem per *Eliseum*, qui dicitur *salus Domini*, boni prælati accipi, qui ideo *salus Domini* nominantur, quia salutem animarum annuntiare et prædicare debent. Ipsi sunt qui animas subditorum suorum magis salvare debent quam perdere. Debent quippe perpendere et considerare quia *filii* sunt *Saphat*, quod interpretatur *judicans*, illius videlicet, qui est judex vivorum et mortuorum. Et quia hunc A super se judicem habent, oportet, ut quæ tractanda et judicanda sunt per eos, ita tractent, ita judicent ut semper meminerint quod ipsi de omnibus judiciis suis ante Dominum habent judicari et Deo respondere. Qui *filii Saphat* sunt *de Abel*, quod interpretatur *luctus*, et de *Meula*, quod resonat *chorus*. De *Abel* dico, quia semper debent esse in *luctu* et pro se et pro subditis suis; sed et de *Meula*, quia subditos suos admonere et docere debent, ut sint de *choro* lugentium, luctum habentes pro peccatis præteritis, pro **671** quotidianis excessibus et pro desiderio æternæ vitæ frequentibus insistere lamentis.

Et nota quod dicit, *unges prophetam pro te*, quia revera pro Christo vicem et locum Christi quivis prælatus sortitur in hoc mundo. Qui idcirco propheB tarum nomine censentur, quoniam ipsorum est tempore opportuno edocere et proferre quod unicuique personæ congruat, qualiter is qui in conjugali vita est vivere debeat, quomodo is qui continentiæ propositum Deo devovit, ut ei, cui seipsum devovit, complaceat, sese custodire oporteat. Sequitur:

Et erit, quicunque fugerit gladium Hazael, occidet eum Jehu, et qui fugerit gladium Jehu, interficiet eum Eliseus. Fugit gladium Hazael, qui mundanam vitam abominari et detestari cœperit. Et qui sic fugerit gladium Hazael, quod ea quæ detestatur in mundo, perfecte deseruerit, et celsioris vitæ propositum arripuerit, *occidet eum Jehu*, quia in spiritali vita per continentiæ bonum diu diuque exercitatus et probatus, ita peccatis et concupiscentiis emoritur, ut C non jam carne peccatis vivat, sed spiritu vivat, spiritu ambulet. Et *qui sic fugerit gladium Jehu, interficiet eum Eliseus*, hoc est, qui sic mundum et peccata devicerit, plerumque in locum regiminis assumitur, ut qui bene didicit subesse, sciat et aliis præesse et prodesse.

672 Per hoc autem quod subjungitur, *et derelinquam mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt curvata ante Baal, et omne os, quod non adoravit eum osculans manum*, generalis consolatio omnibus offertur. Per *Baal*, quod idolum erat turpitudinis, carnis immunditia et luxuria potest designari. Huic idolo *genua curvant et adorant illud osculantes manum* qui malam peccandi voluntatem D habent, et huic inique voluntati non contradicunt, sed delectabiliter consentiunt et perficiunt. Quicunque vero tantæ perfectionis sunt, quod nunquam voluntatem prava et turpia agendi habuerunt, licet tales paucissimi et rarissimi sint, isti quodammodo sunt quasi *septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal*. Et quia de millenario numero virorum, id est perfectorum et fortium sunt, sibi eos Dominus derelinquit, quia tales regni sui cohæredes facit. *Et omne os, quod non adoravit Baal osculans manum*, hoc est non illos solummodo sibi Dominus derelinquit, qui voluntatem perficiendæ turpitudinis nunquam habuerunt, sed et illos, qui voluntate peccaverunt, et tamen non dilexerunt nec consense-

runt (71) sed per pœnitentiam sese emundaverunt, A sibi Dominus dereliuquit, quia et illos æternæ gloriæ corona non privabit.

HOMILIA VII.

IN LIBRI III REGUM CAPUT XX PRIMA.

Vir quidam de filiis prophetarum dixit ad socium suum in sermone Domini : Percute me, etc. (*III Reg.* xx).

In viro isto quemlibet conversum et spiritalem hominem possumus intelligere, qui unus *de filiis prophetarum* esse dicitur, quando bonus subditus, bonus filius prophetarum, id est bonorum doctorum et prælatorum esse incipit. Hic homo quidam *socium suum* alloquitur dicens : *Percute me*. Duo socii sunt interior et exterior homo. Ille interior homo noster, id est spiritus a Deo compunctus et humi- B liatus, exteriorem socium suum, scilicet corpus suum, nonnunquam alloquitur dicens : *Percute me*. Ac si dicat : Superbiam et arrogantiam mentis meæ justis et indefessis laboribus tuis *percute*, et occide me. *Percute me*, quia percussio tua percussio mea est, et ita *percute me*, ut in me non resurgat, sed totum cadat, quidquid in me Deo contrarium hactenus vivebat. Sed quia exterior homo noster spiritui resistendo semper mollitiem suam, semper, quod exterius blanditur, requirit, felicem hanc percussionem pati recusat, ut in subsequentibus animadverti potest.

673 *At ille*, inquit, *noluit percutere eum. Cui ille : Quia noluisti audire vocem Domini, ecce recedes a me, et percutiet te leo.* Quis iste est nolens audire C vocem Domini loquentis intrinsecus in corde hominis, nisi homo exterior nolens ad bona agenda consentire spiritui ? Quid vero per *leonem*, qui hominem percutit, nisi adversarius noster diabolus, qui circuit tanquam leo rugiens quærens quem devoret ? Repugnante carne et cedere spiritui nolenti ac beatæ mortificationis percussionem recusanti bene spiritus pro interitu suo gemens et dolens in hæc verba respondet dicens : *Quia* tu exterior homo meus *noluisti audire vocem Domini*, id est quia noluisti obedire imperio bene jubentis, bene imperantis, *ecce*, *recedes a me*, spiritui nolens consentire, *et percutiet te leo*, hoc est diabolus multis te onerabit peccatis. Sic recedente eo per inobedientiam *invenit eum leo*, malignus videlicet spiritus sibi consentientem, et percutiet eum per malam operationem, juxta D quod sequitur :

Cumque paululum recessisset ab eo, invenit eum leo atque percussit. Fit enim plerumque, ut taliter recedens ita *a leone* isto, scilicet diabolo *percutiatur* et occidatur, ut etiam graviora et capitalia crimina committere non vereatur, aut si fortassis majora non inciderit, fit nonnunquam ut interius ira aut impatientia sive somnolentia vel negligentia male percussus saucietur. Sed cum divinæ miserationis respectu tali modo se vulneratum et percussum viderit, et cognoscere jam se ipsum incipit, erit salubriter quod subjungitur :

Sed et alterum conveniens virum dixit ad eum : Percute me. Qui percussit eum et vulneravit. Alterum *virum* homo tunc *convenire* dicitur, quando non jam talis est, qualis prius fuerat, sed *alter* per misericordiam Dei effectus, Deo, quomodo digne satisfaciat, sollicite invigilat. Qui mox socium suum, hominem videlicet exteriorem iterum alloquitur dicens : *Percute me*, quod idem est ac si dicat : Quia graviter Deum offendisti, quia graviter coram eo deliquisti, vide nunc quomodo teipsum occidendo et mortificando 674 cum vitiis et concupiscentiis Domino Deo tuo, Creatori et Redemptori tuo digne satisfacias. Quod dum homo fieri consenserit, et ad perfectum pœnitentiæ et laboris modum omnia membra sua exhibuerit, fit continuo quod subjungitur : *Qui percussit eum ac vulneravit*. Infligit enim et facit sibimetipsi vulnus bonum, vulnus quoddam, quo salubriter vulneratur, vulnus dico pœnitentiæ, quo vulneratur, sanatur et curatur.

Sic percussus, sic vulneratus *abiit et occurrit regi in via mutans aspersione pulveris os et oculos suos*. Hominem *abire* est terrena omnia relinquere, *occurrere regi in via*, est in spiritali vita Deo regi in bona conversatione placere. Rex etenim iste summum et optimum angelorum et hominum regem Deum significat. Quid autem per *pulverem* nisi mala operatio? Quid per *os* nisi inutilis locutio? quid per *oculos* nisi perversa intentio? Regi itaque isti dum homo occurrerit, id est dum totum Deo regi militaturum contulerit et præparaverit, *mutatur aspersione pulveris*, quia quidquid pulvereæ fœditatis per malam operationem habuit, per divinæ potentiæ auxilium in bonum commutabit. Mutatur et *os aspersione pulveris*, dum quidquid inutili et vana locutione peccavit, utiliter mutare et corrigere deinceps deliberat. Mutantur et *oculi*, quia perversæ intentionis studium ad Deo dignæ et placitæ voluntatis convertit operam. Sed quia in magna mutabilitate sumus, magna mutabilitatis miseria versamur; nonnunquam, dum homo ita vulneratur, dum ita Deo donante aspersione pulveris mutatur, fit, ut rex transeat, sicut subinfertur :

Cumque rex transiret, clamavit ad regem et ait : Servus tuus egressus est ad præliandum cominus. *Rex* noster cœlestis transitum quodammodo facit, quando pro voto et desiderio hominem audire dissimulat. Sed transeuntem regem bonus et beatus homo magis ac magis cum cæco illo ut, aliquantulum dignetur stare, debet invocare, et ut necessarium militi suo auxilium Rex cœlestis conferat, clamare, dicens : *Servus tuus egressus est ad præliandum cominus.* 675 quod est orare et dicere : O Domine, ego *servus tuus* idcirco *egressus* sum de sæculo, ut servirem tibi, et ut adversus vitia et peccata prælium et certamen inirem. Et quia *egressus* sum *ad prælian-*

(71) Id est voluntati peccandi non pertinaciter ac obfirmate adhæserunt, nec tantum sibi indulserunt, ut ad opus externum procederent.

dum, festina in adjutorium meum. His verbis apte A respondent verba sequentia:

Cumque, inquit, *fugisset vir unus, reduxit eum quidam ad me et ait: Custodi virum istum.* Ac si dicat: *Vir unus* eram *fugiens* a te et a me. Et nunc *quidam*, id est singularis spiritus meus *reduxit* me ad meipsum, *et ait: Custodi virum istum; qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima illius, aut talenti argentum appendes.* In *talento*, quod pleno et perfecto numero constat, perfecta pœnitentia potest designari. Vir iste, id est omnis homo fugiens a Domino, et a seipso peccando recedens, et nunc in viam rectæ et sanctæ conversationis a Domini Spiritu reductus, merito audit et obaudit diligenter Domino præcipienti et dicenti: *Custodi virum istum.* Quod est dicere: Illum *virum*, qui modo factus es, B *custodi*, et habeto teipsum in tua custodia, quia si amodo ad peccata pronus et labilis fueris, *erit anima tua*, non sicut hominis spiritalis, sed *pro anima illius*, id est hominis peccatoris et sæcularis, qui prius eras, *aut talenti argentum appendes*, hoc est perfectæ pœnitentiæ modum debes persolvere, non dico talem, qualem tu tibi confinxeris, sed quam tibi sanctæ Scripturæ auctoritas, quæ per *argentum* designatur, instituit. Item per *talenti argentum* duas in Christo naturas, divinam scilicet et humanam possumus intelligere: in *talento*, quod numero perficitur, humanitatem; in *argento*, divinitatem. Et bene in *talento*, quod numeratur et appenditur, humanitas designatur, quia qui secun- C dum divinam naturam nec numerum nec mensuram ullam recipit, secundum humanam naturam nunc puer esse, nunc ætate et numero dierum crescente senior esse voluit. Item quia per *argentum* intelliguntur eloquia verborum Dei, possumus per argentum intelligere Filium Dei, qui est Verbum Dei Patris. Illud *talenti argentum* homo tunc *appendit* quandocunque pretium mundi, pretium illud **676** magnum et inæstimabile, id est corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi ad salutem animæ et remissionem omnium peccatorum suorum percipere præsumit, et ipsius incomparabilis pretii pondere cunctas delictorum suorum sarcinas absolvi confidit, orans ac dicens intra se: Oro, Domine, ut pretium istud corporis et sanguinis tui in me inter- D cedat jugiter ad te. Hanc autem divini sacramenti perceptionem et cordis contriti et humiliati pœnitentiam, qualis fructus, qualis gratia subsequatur, apte subjungitur:

Dum, inquit, *ego turbatus huc illucque me verterem, subito non comparuit.* Turbatio ista dolorem pœnitentiæ designat, in qua pœnitentia homo *huc atque illuc* convertitur, dummodo quid in spiritali vita deliquerit, sollicite discutit et examinat, modo quid in sæculari vita positus peccaverit, *turbatus* et anxiatus corde diligenter considerat. Eo modo Deo donante *huc atque illuc* conversus *subito non comparet*, quia talis, qualis prius peccando erat, jam non est, dum per pœnitentiam et satisfactionem coram Deo emundatus, bonus et laudabilis effectus est.

Et ait rex Israel ad eum: Hoc est judicium tuum, quod ipse decrevisti. Hæc verba sunt verba divinæ consolationis et misericordiæ, quibus peccatorem quemque ad sperandam et obtinendam veniam animare et sublevare dignatur. *Hoc est*, ait, *judicium tuum, quod ipse decrevisti*, ac si dicat, quia tu te ipsum judicasti, et nunquam tibi parcere satisfaciendo voluisti, nequaquam a me ut homo peccator et lapsus judicaberis, sed ut homo justus et innocens coram me habeberis, et de bonis meis in vita æterna remuneraberis. Post consolatoria ista Domini verba bene subnectitur:

At ille statim abstersit pulverem de facie sua, et cognovit rex Israel quod esset de prophetis. Per *pulverem* potest præsentis vitæ operatio designari, per *faciem* cognitio, id est dilectio Dei. Homo ille, quem Deus ad vitam æternam prædestinavit, adhuc in sæculo et peccatis positus a Deo cognoscitur, id est diligitur, cum vero de **677** mundo et mundi concupiscentiis egressus fuerit, amplius cognoscitur, quia plus et plus a Domino Deo suo bene operando diligitur. Abstersa autem in morte præsentis vitæ operatione ad aliam tendit operationem, quæ nequaquam erit laboriosa, sed in sæculum sæculi delectabilis, jucunda, gratiosa et sine fastidio. Quam laudabilem operationem Psalmista commendat, ubi ait: *Beati, qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te* (*Psal.* LXXXIII, 5). In illa jucunda laudis operatione electus, quisque specialius et familiarius cognoscitur et diligitur, quia tunc corpus deposuit, in quo peccati opera vitare non potuit; corpus enim, quod corrumpitur, aggravat animam. Sed jam tunc ablata in morte omni corruptela, cognoscitur *quod esset de prophetis* Sibi enim quidam utilis et bonus propheta erat, quando de futuris vitæ gaudiis, de imminentibus gehennæ tormentis sibimetipsi semper studuit prophetare. Et ob hoc tunc cognoscitur, quia dilectus et agnitus a Domino æternæ beatitudinis, pro quo laboravit, non privatur præmio. Sequitur:

Qui ait ad eum. Hæc dicit Dominus: Quia dimisisti virum dignum morte, erit anima tua pro anima illius, et populus tuus pro populo ejus. Dicere istud Dei dicere est hominis et gratiarum actio, qua Deo creatori et liberatori suo in hora mortis pro omnibus bonis suis gratias agit dicens: *Quia dimisisti virum dignum morte*, quod idem est ac si dicat: Ego peccator, ego iniquus *dignus* eram sempiterna *morte de manu tua*, id est de potestate tua puniri. Sed *quia dimisisti* me, hoc est peccata mea mihi dimisisti, *erit anima tua pro anima mea*, id est sancta anima tua, quam pro me in morte dedisti, erit pro omnibus peccatis meis, non solum pro his, quæ te donante cognovi et confessus sum, sed et pro his quæ minime adhuc scire et cognoscere potui; *et populus tuus*, id est sancti angeli tui, ministri tui *pro populo ejus*, scilicet pro multitudine peccatorum

meorum intercedant et subveniant. Et quia in morte cujusque hominis adsunt spiritus **678** maligni, objicientes ei peccata, quæ commisit, objicientes quoque plura, quæ nunquam fecit, aut si ea opere perpetravit, tamen pœnitentiæ lamentis diluit, recte et congrue subinfertur :

Reversus est igitur rex Israel audire contemnens. Advenientibus denique malignis spiritibus adest quoque miserator et misericors Dominus, audiens criminosas objectiones illorum, quibus electo homini conviciantur et insidiantur, ut eum falsis criminationibus suis secum in barathrum desperationis trahant, et a tramite cœlestis patriæ eum retardent et impediant. Sic electo Domini Martino episcopo migranti de hoc sæculo malignus spiritus obviam cum suis venit, et eum cum iniquis angelis retinere tentavit, et nihil suum in eo inveniens, tandem confusus discessit. Ita ergo in egressione cujusque electæ animæ suum in ea malignus hostis quærens, et non inveniens, multa falsa et criminosa objicit. Sed benignus Dominus has falsas et injustas objectiones *audire contemnit*, ac in domum suam, cœlestem utique Jerusalem, visionem pacis, cum electa anima perpetuo coronanda *revertitur*. Sic remunerator bonus et fidelis factus electorum, qualis futurus sit judex reproborum, sequentia declarant verba :

Et uribundus, inquit Scriptura, *venit in Samariam.* Per *Samariam*, quæ interpretatur *asina*, homines carnaliter viventes possunt designari. Dominus itaque Jesus Christus, Rex cœlestis, *furibundus veniet in Samariam*, quando per districtum judicium suum veniet ad reprobationem damnandorum, qui nunc animaliter et carnaliter more asinorum vivunt, quibus quasi *uribundus* apparet, dum eos in furore suo arguens, in ignem æternæ damnationis ire jubet. A quo maledicto liberet nos sponsus Ecclesiæ Jesus Christus Dominus noster, qui est benedictus in sæcula. Amen.

679 HOMILIA VIII.

IN CAPUT VI LIBRI TOBIÆ PRIMA.

***Exivit Tobias, ut lavaret pedes suos ; et ecce, piscis immanis exivit ad devorandum eum**, etc. (**Tob.**, IV).*

Possumus per *Tobiam* unigenitum Dei Patris Filium accipere ; per *pedes* vero ejus doctores sanctæ Ecclesiæ, qui tunc *exivit*, quando exivit a Patre, et venit in mundum. *Ut lavaret pedes suos*, illos nimirum *pedes*, per quos ille graditur, et ambulat, de quibus Habacuc ait : *Egredietur diabolus ante pedes ejus* (*Habac.* III, 5). Sicut præfati sumus, per *pedes* Domini præcipue sancti apostoli cæterique doctores veritatis possunt accipi, qui per fines orbis terræ prædicabant et annuntiabant verbum Dei. Ad hoc igitur *exivit* ad hoc humanam naturam suscepit, ut *pedes* illos lavaret, ut doctores fidei suæ ab omn originali peccato per baptismum emundaret. Quando talem exitum Filius Dei fecit, factum est, quod continuo littera subjungens ait :

Et ecce piscis immanis exivit ad devorandum eum. *Piscis* plerumque et in bono et in malo accipitur. Nam aliquando Christus, aliquando diabolus per *piscem* intelligitur. Unde et de eodem *pisce*, videlicet diabolo ad beatum Job voce Dominica dicitur : *Qui parati sunt suscitare leviathan* (*Job* III, 8), per leviathan significans diabolum ; nam leviathan quoddam genus est piscium. Unde et hoc in loco per *immanem piscem* non incongrue diabolus accipitur, qui ad devorandum Filium Dei tunc *exivit*, quando eum teneris indutum membris et mortali infirmitate circumdatum vidit ; et cum potentiam divinæ majestatis ejus minime agnovit, *devorare eum* se posse putavit, sicut omnem pene humani generis fluvium ante adventum ejus in ventrem suum traxit, et absorbuit. *Exivit* etiam ad *devorandum* eum per Herodem, membrum suum, qui in primordio nativitatis ejus cœpit illum persequi, volens eum occidere. Nam cum **680** vidisset quod illusus esset a Magis, misit in Bethlehem, et occidit omnes pueros suspectæ ætatis (*Matth.* II), sperans, quod et ipsum auctorem vitæ inter coævos pueros posset occidere.

Quem expavescens Tobias clamavit voce magna dicens : Domine, invadit me. Quomodo hunc immanem piscem, Herodem scilicet, diaboli membrum Filius Dei *expavit ?* Expavescere se quodammodo ostendit, dum a facie ejus in Ægyptum fugit, qui, si voluisset, sub oculis ejus latere et illæsus evadere potuisset. *Expavit* etiam hoc modo, quod, sicut humanam naturam in se habuit, sic etiam humanum pavorem in se habere voluit. Nam pavor Domini signum erat futuri pavoris, quem electi ejus passuri erant tempore persecutionis. Fugit etiam ad exemplum fidelium suorum, quos postea aperto docuit dicens : *Cum persequentur vos in civitate ista. fugite in aliam* (*Matth.* X, 23).

Et exclamavit, inquit, *voce magna dicens : Domine, invadit me.* Magna quædam vox et exclamatio fuit, quod dum Judæos insidiantes, et mortem ei inferre cupientes vidit, insidias se ab eis occultando declinavit, quemadmodum evangelista Joannes ait : *Jesus autem abscondit se, et exivit de templo* (*Joan.* VIII, 59). Et iterum : *Jesus autem transiens per medium eorum ibat* (*Luc.* IV, 30). Quod autem dixit, *Domine, invadit me*, hoc est quod divinitas noluit, ut humanitas invaderetur, ut occideretur, quia dum venerat hora ejus, nondum tempus erat, ut per passionem et mortem suam consummaret opus redemptionis humanæ. propter quod venerat.

Et dixit angelus : Apprehende branchiam [cod. *branciam*] *ejus, et trahe eum ad te.* Verba hæc verba quodammodo sunt **681** divinitatis, ad humanitatem Christi dicentis : *Apprehende branchiam ejus*, piscis immanis illius, scilicet diaboli, qui te vult devorare, qui te vult invadere, per crucem et passionem tuam maxillam ejus perforando, et electos tuos, quos ab initio deglutivit, ab ore illius subtrahendo. Et quia piscis omnem aquam, quam ore hauserit, per bran-

chiam foris emittit, ideo non incongrue per branchiam accipere possumus pœnitentiam. Nam multi, qui in ora Leviathan peccando intraverunt, per pœnitentiam Deo miserante exire meruerunt. Unde scriptum est : *Armilla perforata est leviathan maxilla* (*Job* XL, 21). Per hujus maxillæ foramen Maria Magdalena et alii innumerabiles subtracti sunt, et quotidie subtrahuntur, qui per pœnitentiam post perpetratas culpas ad innocentiam redire merentur. Et cum tam multi, ut dictum est, per pœnitentiam salventur, quare dicitur *branchia ejus*, id est pœnitentia ejus, qui invidet saluti omnium hominum, per pœnitentiam salvari desiderantium? Ideo nimirum dicitur pœnitentia *ejus*, quia cum ipse facit sua persuasione hominem peccatis et vitiis subjacere, facit eum quodammodo pœnitere et pœnitentia indigere. Nam si homo non peccaret, nulla prorsus pœnitentia indigeret. Dum sic verus Tobias, Unigenitus scilicet Dei Patris apprehendit branchiam piscis hujus immanis, dum armilla perforata leviathan maxilla salvandos quosque de faucibus ejus rapuit, consequenter Scriptura subjungens ait :

Et trahe eum ad te. Trahere pœnitentes ad se, est per intimi amoris dulcedinem devotiores et promptiores eos sibi facere quos peccando male absorptos per pœnitentiam ab ore leviathan dignatus est subtrahere. Quanto enim gravius se deliquisse contra Deum quisque agnoscit, tanto magis post actam pœnitentiam et remissionis gratiam amori ejus inardescit ; et quanto diligentius animo perpendit, quid per Dei misericordiam evasit, tanto debitorem se liberatori suo verius intelligit. Hujus amoris igne Maria Magdalena fortiter æstuabat, in qua vox veritatis impletur, qua dicitur : *Dimissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum* (*Luc.* VII, 46). Sic et Paulus postquam, Deo miserante, ex persecutore effectus est vas electionis, tam devotus Deo **682** factus est, et sic inflammatus igne divini amoris, quod, sicut ipse de se ait, in verbo prædicationis plus omnibus apostolis laboravit. Sequitur :

Quod cum fecisset, attraxit eum in siccum, et cœpit palpitare ante pedes ejus. Piscis cum in flumine est, fortiter huc et illuc natando profundum aquæ perambulat ; cum vero in siccum venerit, quasi sine viribus in terra jacet et palpitat. Per *siccum* istud primum sanctorum apostolorum, deinde omnium electorum sicca et munda corda non incongrue designantur, quæ Dominus Jesus igne sui spiritus ab omni fluxu carnalis concupiscentiæ sic exsiccavit, quod piscis ille, serpens antiquus, nullas in eis vires exercere prævaluit ; sed in illis recte adimpletum est, quod continuo subinfertur, *et cœpit palpitare ante pedes ejus. Palpitare* quodammodo incipit diabolus *ante pedes* Domini, id est ante electos qui sunt pedes ejus, cum per subtiles suggestiones carnales motus eis ingerere appetit quibus eos, quandiu in hoc mortali corpore subsistunt, impetere et
A impugnare non desinit. Sed quia sicca et arida a concupiscentiis carnalibus corda eorum invenit, vivere, et fortiter natare in eis, hoc vires malitiæ suæ, quibus ad capitalia peccata eos inclinet, exercere non poterit.

Et dixit angelus : Exentera hunc piscem, et cor ejus et fel et jecur repone tibi. Per *cor* diaboli astutia ejus, per *fel* malitia, per *jecur* immunditia ejus non injuste valet intelligi. Astutia namque ejus, quæ per *cor* intelligitur, tam multiplex, tam subtilis est et innumerabilis, quod nullus homo tam sapiens, tam providus poterit esse, qui se ullo modo sciat vel valeat ab ea custodire. Nam tam occulte et subtiliter cordibus electorum subripit, et tam callide cogitationibus eorum se ingerit, quod vix aut nullatenus
B agnoscitur, nisi divinæ protectionis gratia eis adesse dignetur. De hac multiformi astutia ejus ad beatum Job loquens ait Dominus : *Non fugabit eum vir sagittarius* (*Job* XLI, 19). Et iterum : *Deridebit vibrantem hastam* (*ibid.*, 20). Et paulo post : *Sternet sibi aurum quasi lutum* (*ibid.*, 21). Huic astutiæ diaboli succedit infinita et perpetua malitia ejus, qua omnes homines, bonos et malos **683** ad imaginem et similitudinem Dei creatos persequitur, et ne ad regnum cœlorum, unde ipse expulsus est, perveniant, omnibus modis impedire nititur. Tanta enim invidia et odio in omnes homines sævit, quod nunquam perditione eorum satiari poterit ; nam si aliquem mille flagitiis dejecerit, non sufficit ei quin majora et graviora peccata adhuc ei persuadeat, per quæ eum æternæ damna-
C tioni, si Deus permiserit, subjacere faciat. Per hanc astutiam et malitiam suam diabolus hominem impellere conatur ad immunditiam. Et quamvis multos per diversa peccata et vitia sibimet acquirat, et socios perditionis suæ faciat, maximam tamen partem pereuntium per immunditiam carnis tendere facit ad interitum

Et bene ait : *Repone tibi*, quia hæc omnia, quæ diximus, quilibet fidelis homo *reponere* debet in corde suo, ut videlicet omni sollicitudine ac vigilantia ad hoc semper intendat, qualiter se ab his nequitiis et tentamentis diaboli defendat. Unde apte mox subditur :

Sunt enim hæc necessaria ad medicamentum utili-
D *ter.* Magna profecto est animæ medicina, valde, inquam, utilis et necessaria, si ea, quæ supra commemoravimus, ita in se homo *reponit*, quod se ab his, quantum possibile est, Deo donante, custodit. Tali igitur modo, dum astutiam, malitiam et immunditiam diaboli homo præcavet, fit in eo quod subsequens littera confestim innuit : *Et assavit carnes ejus, et sustulerunt secum in via ; cætera salierunt, quæ sufficerent eis, quousque pervenirent in Rages, civitatem Medorum* (72).

684 HOMILIA IX.

IN CAPUT XXX PROVERBIORUM PRIMA.

Tria sunt insaturabilia, et quartum, quod nunquam dicit : Sufficit. Infernus et os vulvæ, et terra, quæ non

(72) Ita finit homilia in codice.

satiatur aqua; ignis vero nunquam dicit: Sufficit (*Prov.* XXX).

Humanæ mortalitatis miseriam æterna Dei bonitas oculo misericordiæ suæ intuens, tria nobis insaturabilia hoc in loco proposuit, et quartum, quod nunquam dicit: Sufficit; infernum videlicet et os vulvæ, terram, quæ non satiatur aqua; ignem vero qui nunquam dicit: Sufficit. Et quia primum insaturabile, id est infernus, nunquam saturatur malis, secundum vero, tertium et quartum nunquam in præsenti perfecte saturantur bonis, primo illi insaturabili, et mala semper insaturabiliter cupienti, tria hæc insaturabilia opposuit, quæ hic bonis saturari nequeunt, sed in futuro plena satietate de bonis Domini gaudebunt.

Per *infernum* insaturabilem ille satis congrue intelligendus est, qui circuit tanquam leo rugiens, quærens quos devoret, quos secum positos in inferno æternaliter excruciet. Hic in præsenti non saturatur infestatione hominum; in futuro autem non satiatur perditione eorum. Et congrue inferno insaturabili diabolus comparatur, quia sicut in inferno sempiternus horror et sempiternæ sunt tenebræ, ita et diabolus semper et ubique totus tenebrosus, totus horrendus et terribilis. Et sicut infernus multitudine damnatorum nunquam perfecte adimpletur, sic et insaturabilis ingluvies diaboli deceptione et perditione animarum nunquam ad plenum poterit satiari. Qui cum non solum insaturabilis, verum etiam fortis valde et insuperabilis sit, quis cruentas fauces ejus illæsus evadere posset, si secundum illud insaturabile, quod sequitur, divina bonitas illi non opposuisset?

Et os, inquit, *vulvæ*. Per hanc ergo *vulvam*, vulvam sanctæ matris Ecclesiæ non incongrue valemus intelligere, in qua credentes in Christo per fidem concipimur, et per baptismi sacramentum ad vitam æternam regeneramur. Per *os* autem ejusdem *vulvæ* os boni cujusque prædicatoris non inconvenienter videtur exprimi, quod docendo, prædicando et exhortando haud facile valet saturari, quia nonnullos alienatos a vulva jam dictæ matris Ecclesiæ, quos insaturabilis ille diabolus devorare quærit et perdere **685** nos bonus quisque prædicator salutem animarum esuriens et sitiens, in vulvam ejusdem matris verbo assiduæ exhortationis conaturtrajicere, quatenus eadem mater spiritaliter eos concipiat et pariat per pœnitentiam, qui alienati et reprobati ab ea fuerant per culpam, sicque fit ut, dum os illud, os inquam boni doctoris prædicando saturari non potuerit, tertium illud insaturabile subsequatur, de quo continuo ait:

Et terra, quæ non satiatur aquis. Per *terram, quæ non satiatur aquis*, non incongrue intelligendus est homo vere pœnitens, terram et cinerem semetipsum recognoscens humiliter, qui dum admonitus voce prædicatoris recognoverit quia Deum contemnendo, sola terrena et transitoria diligendo, nequiter et infructuose tempus vitæ suæ peregerit, satiari quodammodo aquis non valet, quia ad abolenda peccata quæ commisit, non momentaneas, sed continuas pœnitentiæ lacrymas habere studet. Unde fit ut quartum illud subsequatur insaturabile de quo continuo ait:

Ignis vero nunquam dicit: Sufficit. Per *ignem, qui nunquam dicit: Sufficit*, ignem divini amoris satis congrue intelligendum esse credimus, qui cor vere pœnitentis accendit et illuminat. Sed tamen ignis iste in præsenti *nunquam dicit: Sufficit*, quia homo, licet perfectissimus, nunquam in hac vita ad plenam sufficientiam divinæ charitatis perveniet. Ignis quidem iste insaturabilis hic in cordibus electorum aliquantulum ardere inchoat, et cum ipsum, quem amant, viderint, plena sufficientia sine fine ardebit.

686 HOMILIA X.

IN IDEM CAPUT PROVERBIORUM SECUNDA.

Tria sunt difficilia mihi, et quartum penitus ignoro, viam aquilæ in cœlo, viam colubri super petram, viam navis in medio mari, viam viri in adolescentia (*Prov.* XXX).

Quoniam arcta nimis est et ardua via, quæ ad vera ducit gaudia, Salomon sapientissimus, imo per Salomonem æterna Dei sapientia *tria* nobis hoc in loco describit *difficilia*, per quæ hæc eadem arcta et angusta gradienda est via, *viam* scilicet *aquilæ in cœlo*, id est vitam hominis in conversione, *viam colubri super petram*, id est vitam hominis in carnis mortificatione, *viam navis in medio mari*, id est vitam hominis in virtutum operatione; *quartum vero, quod penitus ignoratur*, vita hominis est in mentis contemplatione vel in æterna remuneratione.

Via aquilæ in cœlo est, quando homo conversus, cœlestia diligens et terrena contemnens, bonis cogitationibus, sanctis desideriis illuc quasi volare incipit, quo justis etiam laboribus et rectis operibus quandoque pervenire contendit. Nec incongrue per *viam aquilæ* ad alta volantis vita præsignatur bene conversi hominis, quia, dum contemptis omnibus volatu cœlestium desideriorum ad alta sustollitur, renovatus spiritu mentis suæ ad instar aquilæ in Christo renovabitur. Nam veterem hominem cum actibus suis deponens, per bonæ conversionis gratiam in novum juvenescit hominem. Qui cum sic imitator aquilæ factus fuerit per conversionem, restat ut et *viam colubri* incedat per carnis mortificationem. Unde sequitur:

Viam colubri super petram. Per *viam colubri super petram* gradientis non inconvenienter accipienda est vita hominis vere pœnitentis, fundamentum sui super petram, quod est Christus, humiliter ponentis, et peccata jam præterita ad hanc eamdem petram fortiter per carnis mortificationem allidentis, sic dico fortiter allidentis, ut pro his digna pœnitentia Deo satisfaciat, quatenus in die ultimæ animadversionis non hunc judicem severissimum, sed defensorem benignissimum sentiat. Ergo dum *viam colubri* hoc modo incesserit per carnis

mortificationem, necesse habet ut et *viam navis* incedat per virtutum operationem.

687 *Viam*, inquit, *navis in medio mari. Via navis* est conversatio spiritalis. Nec incongrue per *navem* spiritalem conversationem intelligendam esse credimus. Nam sicut nautarum mos est magis securc in navi materiali ad littus maris tendere, sic etiam spiritales nautæ navigio sanctæ conversationis laborantes, per studium bonæ et virtuosæ operationis ad gratiam veræ tendunt perfectionis. *In medio*, inquit, *mari : in medio mari*, in mediis videlicet tentationum fluctibus, in adversis quoque et prosperis, vita et conversatio conversi fluctuat hominis. Unde necesse habet ut sic medium se inter prospera et adversa humiliter custodiat, ne de prosperis ultra modum gaudeat, nec adversa B male timidus graviter expavescat. Qui dum sic *viam navis in medio mari* bene securus transierit per virtutum operationem, restat, ut *viam viri in adolescentia* per mentis ingrediatur contemplationem

Et viam, inquit, *viri in adolescentia*. Per *viam viri in adolescentia* non solum intimæ contemplationis, sed et æternæ remunerationis accipienda sunt gaudia. Et bene utraque sive mentis contemplatio sive cœlestis vitæ remuneratio, quædam, ut ita dicam, nunquam senescens est adolescentia. Nam in hora divinæ contemplationis homo interior, prius inveteratus in peccatis, juventutem sanctæ novitatis recipit; in æterna vero remuneratione nulla unquam C homini interiori senectus accedit.

Notandum vero est quia cum *tria difficilia*, id est *viam aquilæ, viam colubri, viam navis* in principio prænotaverit, mox quartum, id est *viam viri in adolescentia*, subintulit, quod tamen penitus se ignorare dixit. Tria quidem hæc difficilia cunctis vere pœnitentibus non satis sunt incognita; *quartum vero, viam* scilicet *viri in adolescentia*, quæ et qualis sit, paucorum novit experientia. Nam etsi sunt qui internæ suavitatis gaudia in secreto cordis sentiunt, non tamen quanta, quam magna sint, verbis evidenter exprimere possunt. Et quid dicam de ineffabili æternæ
688 remunerationis gloria, quam oculus non vidit, et quam nemo scire poterit, nisi solus ille qui accipit? Sequitur :

Talis est et via mulieris adulteræ, quæ comedit, tergensque os suum dicit : Non sum operata malum. Talis est, imo talis esse debet *via*, id est vita *mulieris adulteræ*, vita peccatricis animæ, quæ male vivendo adulteravit a Domino, ut videlicet *tria* hæc *difficilia*, quæ præfati sumus, per bonam conversionem, per carnis mortificationem, per virtutum operationem adimplere studeat, et sic ad quartum illud, id est mentis contemplationem vel æternam remunerationem perveniat. *Quæ comedit*, inquit, *et tergens os suum dicit : Non sum operata malum.* Hæc profecto beata et electa mulier, dum se adulteram, miseram et peccatricem aliquando fuisse meminerit, cibum suavitatis et salutis in amaritudine cordis *comedit*. A Nam pane lacrymarum, pane doloris et pœnitentiæ nonnunquam semetipsam reficit. Sic profecto feliciter comedens, sic semetipsam salubriter reficiens *tergit os suum*, os, inquam, cordis et corporis assiduis tergit pœnitentiæ lacrymis. Nam quidquid voluntate et opere deliquit, coram oculis summi Judicis digna satisfactione delet et abstergit. Unde et in die egressionis illius de corpore, cum maligni illi spiritus accusando, terrendo, comminando vehementi crudelitate institerint, et hanc quasi adulteram, quasi immundam et contaminatam trahere secum ad tormenta potenter voluerint, libera et secura voce audacter respondet et dicit : Non sum operata malum. Malum, inquit, quod vobis suggerentibus, vobis male suadentibus operata sum, jam non est malum, B quia Deus illud convertit in bonum, et quod habere non merui per innocentiam, jam superabundans gratia ipsius mihi conferre dignata est per pœnitentiam, et ideo me ut mulierem adulteram perpetuo vobiscum cruciandam non auferetis, quia Deo miserante, et peccata, quæ commisi, clementer ignoscente, nil quod verum est in me invenietis.

689 HOMILIA XI.

AD IDEM CAPUT PROVERBIORUM TERTIA.

Per tria movetur terra, et quartum, quod non potest sustinere : per servum, cum regnaverit; per stultum, cum satiatus fuerit cibo; per odiosam mulierem, cum in matrimonio fuerit assumpta; per ancillam, cum hæres fuerit dominæ suæ (*Prov.* XXX).

C Æterna. Dei Sapientia, quæ sola scit et valet humanis misereri miseriis, tria nobis hoc in loco proponit suæ pietatis magnalia, quæ etiam per occultam visitationis suæ gratiam in hac vita operatur in salvandis suis; quartum vero, quod in gloria æternæ beatitudinis facturus erit in eis.

Per tria, inquit, *movetur terra. Terra* homo terrenus et terrena diligens non incongrue intelligitur, qui de terrenis ad cœlestia tribus modis Deo miserante movetur; primum per servum, cum regnaverit; secundo per stultum, cum satiatus fuerit cibo; tertio per mulierem odiosam, cum in matrimonio fuerit assumpta; quarto per ancillam, cum hæres fuerit dominæ suæ. Per *servum* istum spiritum nostrum non inconvenienter designari credimus, qui D *servus* malus et ingratus non immerito dicitur, quando multorum servus vitiorum esse non veretur; sed Deo miserante bene et feliciter regnare incipit, quando de regno peccati ad regnum justitiæ transierit. Facto autem hoc felici transitu interius per spiritum, jam homo terrenus, homo exterior hoc modo moveri deliberat, quatenus a malis, in quibus jam diu quasi immobilis jacuit, declinare studeat. Qui dum per servum jam bene regnantem primum ad mala declinanda, ut prædictum est, motus fuerit, restat ut etiam secundo per *stultum* cibo saturandum ad bona facienda moveri debeat. Unde sequitur .

Per stultum, cum satiatus fuerit cibo. Per stultum istum nil rectius intelligitur, quam supradictus

ille, videlicet spiritus noster, qui *stultus* revera dicendus est, quando creaturæ potius quam **690** Creatori servierit, quando Deum factorem contemnens sola transitoria et caduca dilexerit. Agnita vero per misericordiam Dei hac stultitia necesse habet, ut duplici *saturetur cibo*, pœnitentiæ scilicet et doctrinæ, quatenus de malis, quæ commisit, digne Deo per pœnitentiam satisfaciat; per doctrinam vero custodiam de futuris habere discat. Et notandum quod non reficiendus, sed *saturandus* est *cibo* hujusmodi. Nam hi tantummodo reficiuntur, qui verbum cum suavitate et lætitia cordis audiunt, et tamen, quæ audierint, operibus adimplere negligunt; et qui compuncti ad horam pro peccatis fuerint, et tamen perfecte ea plangere et deflere contempserint. At vero si spiritus bene regnans, et stultitiam suam veraciter agnoscens, duplici hoc pœnitentiæ et doctrinæ *cibo saturatus* fuerit, jam iterum homo exterior tertio *per odiosam mulierem* moveri incipit, de qua consequenter ait :

Per odiosam mulierem, cum in matrimonio fuerit assumpta. Per *mulierem* hanc *odiosam* veram humilitatis virtutem intelligere possumus. Et tamen satis mirandum est cur virtus humilitatis *odiosæ mulieri* comparetur, cum hæc eadem virtus quasi mater cunctarum virtutum esse videatur. Quod tamen facile datur intelligi, si perpendamus quod per *servum*, quod per *stultum* spiritum nostrum intelligendum esse supra diximus, qui profecto spiritus, quandiu servus vitiorum esse non renuit, quandiu stultitiam suam non cognoverit, hanc quoque tantæ nobilitatis mulierem, id est humilitatem *odiosam* habebit. At postquam ad regnum justitiæ transierit et stultus esse desierit, ciboque duplici pœnitentiæ ac doctrinæ saturatus fuerit, mulieri **691** huic nobilissimæ, id est humilitati, quam prius odio habuit, spe procreandæ sobolis summopere copulari affectat. Quæ dum fideli conjugio *in matrimonium assumitur*, dum constanti animo tenetur et diligitur, multiplex et generosa cœlestium desideriorum et bonarum cogitationum prosapia ex tam nobili matre nascitur, sicque fit ut etiam homo exterior habitu et incessu, verbis et actibus signum humilitatis præferens ad quartum illud moveri incipiat, de quo continuo ait :

Per ancillam, cum hæres fuerit dominæ suæ. Per *ancillam, quæ hæres fit dominæ suæ*, felix et fidelis quælibet anima hic intelligi valet, quæ nunc debito famulatu laborat, suspirat et desiderat, ut hæreditatem *dominæ suæ*, cœlestis videlicet Jerosolymæ quandoque possideat. Tunc revera juxta vocem Psalmistæ *oculi ancillæ* (*Psal.* CXXII, 2), id est electæ cujusque animæ ita *in manibus* ejusdem *dominæ suæ* (*ibid.*), ut claritatem visionis æternæ et gaudia supernæ pacis sine fine contempletur et videat, nec ultra ad videndas vel experiendas hujus mortalitatis miserias aliquando internæ mentis recurrat intuitus. Unde notandum est quia prænotatis his tribus, per **692** quæ movenda est terra, id est servo stulto et muliere odiosa, mox quartum illud, id est ancillam pronuntians adjecit et ait :

Et quartum, quod non potest sustinere. Quartum illud gaudium est ineffabile et indicibile, in quo ancilla fidelis, beata scilicet et electa jucundatur anima, ubi nil molestiæ, nil adversitatis sustinere potest. Nam quid ibi sustinere potest, ubi nullus dolor, nulla adversitas, nulla unquam tribulatio vel angustia adest? Accepta quippe beatæ immortalitatis gloria hæreditate cœlestis patriæ, perpes erit impotentia mala sustinendi, perpes erit omnipotentia nihil mali faciendi, nulla dura, aspera et adversa patiendi. In præsenti vero, nolit velit, miser homo, opportuna semper illi instat potestas mala sustinendi. Nam quid in hac lacrymarum valle, in loco miseriæ, nisi malum et miseriam sustinere potest, ubi nil mali, nil adversitatis, nil doloris et angustiæ deest? Ut autem illuc pervenire mereamur, ubi nullus dolor, nulla miseria, nulla est angustia, sed perenne gaudium, perennis est gloria et lætitia, ipse omnium auctor bonorum concedat, qui sine fine vivit et regnat. Amen!

HOMILIA XII.

IN CAPUT I ECCLESIASTICI PRIMA.

Omnis sapientia a Domino Deo est, et cum illo fuit semper, et est ante eum (*Eccli.* I).

Perlectis Regum libris modo lectiones Dominicales de his libris legimus, quos libros Sapientiæ nominamus. Qui bene *libri Sapientiæ* nominantur, quia sapientissimus Salomon, ante quem nullus hominum sapientior fuit, Spiritu sancto inspirante, eosdem composuit. Sed et ideo libri Sapientiæ recte vocantur, quia licet omnis sacra Scriptura mores et vitam hominum instruat et doceat; in his tamen libris normam quamdam rectitudinis specialiter proposuit, per quam unumquemque, quid agere vel quid vitare debeat, pleniter edocuit. Quapropter et iste liber, quem nunc legimus, quanquam a sapientissimo Salomone, veluti tres præcedentes, non sit compositus, rectissime tamen liber Sapientiæ nuncupatur, sicut in exordio ejusdem libri aperte demonstratur. Nam primus versus fidem sanctæ Trinitatis; secundus vero tria tempora, quibus mundus præsens volvitur, manifeste declarat; tertius vero tres ordines, qui sunt in Ecclesia, scilicet continentium, conjugatorum, prælatorum patenter insinuat.

Omnis, inquit, *sapientia a Domino Deo est.* Per hoc, quod dicitur : *omnis sapientia*, Dominus noster Jesus **693** Christus non incongrue accipitur. Quod vero non simpliciter, sed distincte quodammodo dicit *omnis sapientia*, per hoc intelligi voluit, quod non solum secundum divinitatem, verum etiam secundum humanam naturam omnis plenitudo sapientiæ in eo habitavit. Hæc eadem *omnis sapientia a Domino Deo est*, a Domino scilicet Patre æterno. *A Deo*, hoc est a Spiritu sancto. Nam secundum divinitatem a Domino Patre est æternaliter genitus; secundum humanitatem vero *a Deo* Spiritu sancto temporaliter conceptus, sicut fide catholica in-

structi quotidie canimus : *Qui conceptus est de Spiritu sancto.*

In eo autem quod ait in consequentibus : *Et cum illo fuit semper*, æternitatem divinitatis ejus accipere possumus, in qua Deo Patri coæternus semper et consubstantialis fuit, in qua nunquam ei aliquid accessit, nunquam aliquid abscessit. Nunquam enim major erat, nunquam minor erat.

In his autem verbis quod ait : *Et est ante ævum*, humanitas Christi non incongrue accipienda est, in qua ævum temporalitatis habere cœpit, et proficiens ætate de pueritia in juventutem, de juventute ad perfectam ætatem transire voluit. Hæc est fides catholica, quam integram et inviolatam servare debemus, ut divinitatem et humanitatem Christi fideliter et firmiter credamus. Nam si quis corpus suum tradiderit, ita ut ardeat, et hanc fidem non habuerit, nihil ei proderit (*I Cor.* XIII). Hoc est enim fundamentum, de quo ait Apostolus : *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus* (*I Cor.* III, 11). Quidquid super hoc fundamentum bonis operibus ædificaverit fidelis quilibet homo, gratum et beneplacitum erit Domino. Quod si etiam superædificaverit ligna, fenum et stipulam, quod sunt venialia peccata, aut hic igne pœnitentiæ diluentur, aut in futuro in igne purgatorio absumentur, et ipse merito fundamenti salvus erit, sic tamen quasi per ignem (*ibid.* XIV, 15). Hæc de gloria summæ Trinitatis, et de catholicæ fidei professione in primo versu breviter transcurrimus. Nunc in sequenti versu de tribus temporibus hujus sæculi videamus :

Arenam maris, et pluviæ guttas et dies sæculi, quis dinumeravit? **694** Per *arenam maris*, quæ multa quidem est, sed infructuosa, populus qui ante legem erat congrue potest intelligi, qui multus quidem fuit, sed nullum Deo dignum fructum justitiæ attulit. Nam quam pauci in illo tempore fuerint, qui per fidem rectam vel bona opera Deo placuerint, ex hoc manifeste cognoscere possumus, quod, cum Dominus omnem carnem super terram per diluvium delere voluit, neminem in toto orbe terrarum nisi octo animas, quæ in arca salvatæ sunt, justas invenit. Sed et hi, qui in arca salvati sunt, non omnes perfecti coram Deo fuerunt. Nam unus ex illis, scilicet Cham, deridendo patrem, hanc ab ipso patre suo maledictionem promeruit, quod eum servum fratrum suorum constituit. Unde et ipse non immerito inter arenam computari potuit.

Quales autem sub lege antiqui patres fuerint, sequentibus verbis evidenter innuit : *Et pluviæ*, inquit, *guttas*. Guttæ namque pluviæ parvæ quidem et exiguæ sunt, sed irrigant terram, et germinare eam faciunt. Ita et illi, qui sub lege Deo serviebant, pauci quidem fuerunt ad eorum comparationem, qui modo Deo serviunt.

Transacto igitur tempore acceptæ legis, et adveniente tempore novæ legis, id est gratiæ et veritatis, tales successerunt in Ecclesia fide et meritis tam præclari, tam præcipui, ut merito de ea dici possit : *Et dies sæculi quis dinumeravit?* Per *dies sæculi* specialiter sancti accipiendi sunt apostoli, quorum fide, miraculis et doctrina universa illuminata est Ecclesia. Licet enim patriarchæ et prophetæ multa fecerint, multa docuerint, plus his omnibus valet magisque necessarium est humanæ saluti solum symbolum fidei, quod sancti docuerunt apostoli.

Jam primo et secundo versu breviter exposito, in tertio versu tres ordines comprehendit, per quos et in quibus sancta Ecclesia consistit.

Altitudinem cœli, et latitudinem terræ, et profundum abyssi quis dimensus est? Per *altitudinem cœli* vita continentium, per *latitudinem terræ* vita conjugatorum, per *profundum* abyssi ordo prælatorum non injuste valet intelligi. Et merito, per *altitudinem* **695** *cœli* vita continentium potest accipere, quia quantum distat altitudine cœlum a terra, tantum vita continentium distat a communi vita sæcularium. Nam illorum conversatio quodammodo in cœlis est, qui in carne positi extra carnem vivunt, et inter illecebras hujus sæculi angelicam vitam ducere satagunt. Quid enim mirum angelos caste vivere, quos non gravat corpus corruptibile, quos nulla carnalis illecebra, nulla carnalis impugnat concupiscentia? Sed hoc magnum est et admirabile, durum valde et difficile, quod homo mortalis et fragilis, caro utique et sanguis, quem deprimit terrena inhabitatio, carnalis impugnat delectatio, sic corpori suo dominari poterit, quod omnes carnales concupiscentias virtute animi domat et restringit. Hoc igitur quanto majori labore et sudore perficitur, tanto gloriosius et splendidius, qui ea fecerit, a Domino coronabitur et remunerabitur. Sed quia ad hanc perfectionem omnes attingere nequeunt, vitam sæcularium verba subsequentia patenter exprimunt.

Et latitudinem, inquit, *terræ*. Per *latitudinem terræ* vita conjugatorum valet exprimi, quia super numerum dilatati sunt et multiplicati. Quamvis enim continentes et huic sæculo renuntiantes multi esse videantur, ad eorum tamen comparationem qui sæcularem vitam ducunt, pauci æstimantur. Hi etiam quamvis ea quæ mundi sunt, diligant, tamen quia legaliter vivunt, et legali connubio utuntur, in extremo per Dei miserationem salvabuntur. Sed quia et continentes et conjugati sine prælatis et doctoribus veritatis quid agere debeant scire nequeunt, dignitatem prælatorum verba quæ sequuntur innuunt :

Et profundum, inquit, *abyssi quis dimensus est?* Per *abyssum* sacram Scripturam intelligere possumus, in qua abysso sancti doctores rimando et perscrutando inveniunt, quomodo utrique ordini, id est continentium et conjugatorum præesse debeant, et qualiter eos vita et doctrina sua ad æternam vitam secum perducant.

696 Hos tres ordines, quos diximus, innuit, cum per prophetam loquitur Dominus : *Si Noe, Da-*

niel et Job fuerint in medio populi mei, ipsi justitia sua animas suas vivificabunt (*Ezech.* XIV, 14). Noe qui in diluvio arcæ regendo præfuit, prælatorum figuram exprimit. Nam necesse est ut prælatus quisque ita subditorum animas regere studeat, ne in diluvio hujus sæculi pereant. Daniel, qui caste vivendo et cœlibem vitam ducendo tantam dignitatem a Domino promeruit, quod conscius secretorum Dei factus, etiam futura prævidere et prædicere potuit, illos non incongrue designat, qui castitatem vitamque virginalem sectando, et voluptates sæculi contemnendo, plurima virtutum dona promerentur a Domino. Job vero, licet per justitiam suam Domino tantum complacuerit, quod ei similem non esse in terra dixerit, tamen quia uxorem et filios habuit, illorum non inconvenienter vitam exprimit qui laudabiliter viventes legali conjugio in sæculo utuntur, et sic tandem Deo miserante salvari merentur. Illorum igitur omnium, id est continentium, conjugatorum et prælatorum beatitudinem et gloriam quis dimensus est? Quis, inquam, mensuram præmiorum quæ illis præparata sunt qui in his ordinibus inventi fuerint, scire poterit, nisi solus ille qui præmium et corona ipsorum erit?

Nos ergo qui in eo habitu et in hac professione sumus, quod huic sæculo et voluptatibus ejus quasi renuntiasse videmur, omnimodis elaborare curemus, ut in loco et ordine nostro quandoque inveniamur, et inter eos, qui altitudo cœli digne vocantur, computari mereamur, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

697 HOMILIA XIII.

IN CAPUT VI ISAIÆ PROPHETÆ PRIMA.

Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum, et plena erat omnis terra majestate ejus, et ea quæ sub ipso erant replebant templum, etc. (*Isai.* VI).

Sanctus et electus propheta Domini Isaias, cui plurima divinorum secretorum mysteria Spiritus sanctus revelare dignatus est, inter alia, quæ de Christo et Ecclesia prosequitur, in quanta gloria Dominum viderit, commemorat dicens: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum.* Visio hæc visio magna et eminens erat. Sed hanc visionem non soli sibi, sed et nobis vidit. Nam visionem hanc hodie et usque in finem sæculi in semetipsis videre debent spiritali mentis intuitu quotquot ad futuram Dei omnipotentis visionem sunt perventuri. Vidi, inquit, Dominum sedentem super *solium excelsum.* In *solio excelso* spiritus hominis potest intelligi, qui bene per *solium excelsum* accipitur propter excellentiam conditionis, quia satis nobiliter creatus est, in multa nimis celsitudine formatus et plasmatus est.

Sed quid magni quod *solium excelsum* sumus per conditionem, si non etiam solium *elevatum* esse studeamus per divinam aspirationem? Omnis quippe A spiritus rationalis excelsum solium est per conditionem; sed non omnis spiritus *elevatum* solium est per mentis contemplationem. Unde necesse est ut unusquisque electorum, qui solium *excelsum* est in conditione, sit etiam solium *elevatum* per mentis contemplationem. Factus autem solium elevatum per internam aspirationem, incipit jam *videre Dominum sedentem*, sibi utique sedentem, id est in corde suo manentem et inhabitantem. Post istud præclarum elevare, post bonum sedere, fit sublimiter quod subjungitur:

698 *Et plena erat omnis terra majestate ejus.* Majestas proprie pertinet ad potentiam divinitatis. Et non incongrue per majestatem possumus accipere timorem Domini. Fit *omnis terra plena majestate*, B quando homo timore Dei intrinsecus tangitur, et quidquid terrenæ actionis in corde et corpore contraxit, timore Creatoris et Judicis sui abstergit et emundat, sicque hoc sancto timore trepidat, ut et de præteritis doleat, ac de futuris, in quantum potest, Deo donante caveat. Dum sic *omnis terra*, hoc est dum terrenum cor et corpus, quod non aliud, quam terrena opera aliquando quærebat, sese a terrenis suspendere timore Creatoris sui cœperit, transit a timore ad amorem, juxta quod sequitur:

Et ea quæ sub ipso erant, replebant templum. Quidnam est hoc quod ait: *Et ea quæ sub ipso erant replebant templum?* quænam sunt ea quæ *sub ipso* quem viderat Domino erant? Ipse Deus Pater, qui super omnes est et in omnibus, quædam in Filio suo C secundum humanitatem habebat quæ *sub ipso erant.* Omnia quippe opera humanitatis erant sub excellentia divinitatis, et omnia illa quæ pro homine fecit et passus est *replent templum*, quia super omnia amabilem reddit nobis Jesum Christum opus redemptionis nostræ. Dum enim quælibet beata anima pensare et meditari incipit quantæ humilitatis et dignationis fuerit, quod in utero beatæ Virginis novem mensibus gestari, quod nasci ex ea, foveri gremio, reclinari in præsepio, aliasque infantiles necessitates pati, 699 omniumque miseriarum nostrarum, præter peccata, particeps esse voluerit, nonne hoc est quod devotionem nostram blandius allicit, arctius stringit, vehementius in dulcedinem D dilectionis excitat? Nonne hæc sunt quæ *replent templum* cordis per intimum affectum amoris? Nonne hæc sunt quæ superbiam nostram retundunt, humilitatem docent, humilitatem commendant? Considerata namque abjectione et humilitate Redemptoris nostri, quid nisi nosipsos despicere oportet, et ex corde humiliare, eamque humilitatem et subjectionem quam corde tenemus omnibus etiam foris ostendere?

Per *templum* idem accipe quod et per *solium*. Cor enim, quod *solium* Dei est per mentis contemplationem, erit et *templum* Dei, si non aliud agatur in homine interiori, nisi quod agi solet in templis manu factis. Ibi enim laudibus Dei et orationibus vacatur. Et certe secundum hanc similitudinem homo *templum*

Dei factus, non nisi laudibus, vacabit, dum totum, quod agit, sic moderatur, sic custodit, ut totum coram Deo laus et oratio dici possit. Sic, sic elevatus per Dei aspirationem, sic tactus per timorem, sic affectus circa ea quæ Deus gessit in homine, per dulcem cordis amorem, sic templum factus per dulcedinem orationis, qualis adhuc accedat Dei gratia, innuunt sequentia:

Seraphim, inquit, *stabant super illud, sex alæ uni, et sex alæ alteri*. Per *seraphim* duo Testamenta, Vetus et Novum possunt accipi. Quæ Testamenta *stant super illud* templum, quia mandata et justificationes Dei, quæ Vetus et Novum Testamentum annuntiant et docent, statum suum faciunt in superiori hominis, et verba Dei et meditationes, quæ prius fugabantur ab eo, stare incipiunt cum eo, ita ut post dulcedinem orationis nihil libentius audiat, nihil studiosius meditetur, nil suavius ruminet aut loqui libeat, quam ea quæ utriusque Testamenti verba commemorant, et de Christo annuntiant.

Sex alæ uni, et sex alæ alteri. Quid per senas alas nisi fides, spes et charitas, cogitationes, opera et verba? Istæ *sex alæ* sunt uni Testamento, *et sex alæ alteri*, quia utrumque Testamentum has **700** senas alas commendat, fidem scilicet, spem et charitatem, quomodo in bonis operibus nos exercere, quomodo in verbis cauti, quomodo in cogitationibus solliciti esse debeamus, ut per hæc non displicere, sed magis placere Deo invigilemus. Sed sex istæ alæ quid faciunt?

Duabus, inquit, *velabant faciem ejus, et duabus velabant pedes ejus, et duabus volabant*. Dicit beatus Hieronymus quod per *faciem* principium creationis, per *pedes* finis ejusdem creaturæ possit intelligi. Principium creationis velabatur, quia quid ante principium esset ignoratur. Finis quoque velatur quia quid post judicium futurum sit nescitur. Media autem quæ nunc sunt videmus, et ignorare non possumus quæ videmus. Sed altiori nos sensu ista omnia ad nos possumus referre. *Duæ alæ*, quæ velant *faciem*, duæ sunt virtutes, fides et spes. Et quia facies principium est in homine, bene per faciem intentio hominis intelligitur, quia intentio semper principium est sive boni sive mali operis. Velat igitur *duabus alis*, id est fide et spe faciem, qui non jam infidelis, sed fidelis esse Domino decernit, qui pro his quæ intentione mala et injusta perpetravit, non tamen ad plenum consensum perduxit, fideliter Domino satisfaciat, et in oratione Domino supplicat, sperans jam de multa misericordia Dei, ut quemadmodum ipse in omni fide ad Deum converti deliberavit, sic et ille fidem et misericordiam ei conservet, ut quoties et ubicunque per malas cogitationes, per illicita desideria infidelis ei inventus fuerit, clementer ignoscat. Duæ istæ alæ bene et optime *faciem velant*, quia sicut innumera et infinita sunt quæ cogitamus, quæ illicitis delectationibus perpetramus, sic nullus ea in confessione digne detegere valet vel aperire. Unde *duabus alis* istis, id

A est fide et spe, sunt velanda, ut amodo fideliter vivat qui prius infideliter in intentione sua vivebat.

Item *duabus velari* debent *pedes*. Per *pedes*, qui finis sunt corporis, consummatum peccati actum possumus accipere. Qui pedes, consummatum videlicet opus peccati, velari debent *duabus alis*, quia post perpetratum opus **701** peccati necessaria est locutio in confessione, post confessionem operatio in satisfactione. *Duabus* quoque *volare* debemus. Duæ pennæ, quibus volare debemus, charitas est, et plena voluntas. Penna charitatis volamus, quando plena et perfecta charitate Dei et proximi flagramus, penna plenæ et bonæ voluntatis volamus, quando voluntate Deo conjungimur, et quæ Dei sunt amamus, et sicut aberravimus mala voluntate B avolando et a Deo recedendo, sic bona voluntate revertimur voluntati ejus consentiendo et obediendo.

HOMILIA XIV.

IN CAPUT II DANIELIS DE STATUA NABUCHODONOSOR PRIMA.

Anno secundo regni Nabuchodonosor vidit somnium Nabuchodonosor, etc. (*Dan.* II).

Quia omnis Scripturæ auctoritas animæ Deum quærenti æternæ vitæ præparat delicias, cuncti filii promissione, ne in hoc inediæ et famis tempore deficiant in via, colligant avide intra se poma nova et vetera. Signent ergo in corde suo arctius quid operibus exsequendum Salvator proposuerit suis cohæredibus; exquirant diligenter tenebrosas aquas in nubibus aeris, obscuras videlicet sententias in verC bis propheticis, qui satis deliciarum ad interioris hominis subministrant apparatum. Unde nunc, quantum nunc suppetit intellectus, studeamus discutere ea quæ mystica narratione referuntur in Daniele.

Anno, inquit Scriptura, *secundo regni Nabuchodonosor vidit somnium Nabuchodonosor*. Notandum quod *Nabuchodonosor videt* visionem, sed clausos oculos in visione habet; plena mysteriorum *somniat*, sed ad hæc quæ dormiens cernit, per veritatem agnoscenda nequaquam evigilat. Sic iniqui omnes et reprobi, quibus Babyloniæ rex, diabolus videlicet confusionis intimæ auctor, præest, audiunt quidem et ipsi quam sit multiformis sapientia Christi; sed quia Christum Dei virtutem et Dei sapientiam per D virtutum sequi nolunt imitationem, id ipsum quod de eo tenuiter scire et quasi per *somnium* cernere videntur, nunquam intellectu intimo comprehendere merentur. At Daniel, **702** qui ob immane cœlestis patriæ et salutis perpetuæ desiderium jure dicitur *vir desideriorum*, quique magis propositum habuit modicis sustentari leguminibus, quam immoderate cibis distendi regalibus, sublimiter narrat per somnium visa, sublimius pensat, quæ sint in somno per mysterii narrationem videnda. Sic nimirum omnes qui regnum Dei cibum et potum non arbitrantes, continentiæ ejus devoti fuerint imitatores, claro intelligentiæ visu contuentur, si quid mysterii cœlestis a canibus, id est a conscientia pollutis videndum prohibeatur. Ergo Nabuchodonosor non intelligen-

tis somnium cum sapiente Daniele studeamus exquirere mystice intelligendum

Tu rex, inquit, *videbas, et ecce quasi statua grandis.* Per *statuam* quæ *grandis* et terribilis cernitur, status nequitiæ et perditionis exprimitur, quæ in primo nascendi primordio in cunctis pene consurgit posteris Adæ, in his crescens et augmentum capiens, qui boni operis merito cœlesti non laborant apponi ædificio.

Sed operum, quibus eadem perditionis consurgit machina, tam distinctæ probantur qualitates, quam variæ numerantur hujus statuæ diversitates. Nam *caput ex auro, pectus et brachia ex argento, venter et femur ex ære, tibiæ* referuntur *ferreæ*. Per *caput* statuæ, quod *aureum* fuisse describitur, voluntas 703 hominis non incongrue exprimitur. Constat nimirum quia hi qui possident aurum, rarius id in usu habent, sed cæteris sagacius metallis celare student. Huic itaque rei, quæ studio custoditur tali, voluntas hominis apte comparatur, quæ in corde quasi aurum in arca occultatur ; quæ etiam a nullo cognosci poterit, nisi cui ipse homo revelare voluerit. Pectus autem et brachia ex *argento* fuerunt compacta. Ipsius argenti qualitas nos indagare doceat quid per brachia pectusque argenteum intelligi oporteat. Argenti etenim specie deceptum pene totum genus hominum tendit ad interitum. Nam nihil est sub sole quod majori quæratur ambitione, quia filii hujus sæculi, quandiu in corpore peccati consistunt, pro hoc adipiscendo nunquam laborare desistunt, quia totam opulentiæ, totam beatitudinis summam, solam æstimant pecuniam. Quapropter etiam nihil esse perhibetur, quo tanti crimen flagitii perpetretur (73). Ea de causa per id metallum consensus et effectus malorum convenienter exprimitur operum. *Venter autem et femur ex ære.* Per æs, quod durum valde est et inconfringibile, peccati accipienda est delectatio, quæ maxime regnat in ventre et femore. Etenim in tam multiplici genere vitiorum nullum probatur esse vitiorum, quod humanæ conditionis naturæ tam et tali insolubilitate videatur cohærere.

Nam ubi delectabiliter suscipitur, locusque regnandi tribuitur, sine gravi labore, sine magna cordis corporisque nequaquam superabitur contritione. Eadem etiam statua *ferreis* dicitur *tibiis* sustentata. Ferrum, quod omnia domat et comminuit, consuetudinem et defensionem peccati, quæ omne robur mentis enervat, non incongrue exprimit. Sicut enim totum hominis corpus duobus sustentatur cruribus, sic totam spiritalium nequitiarum machina in his duobus maxime consistit subnixa, in consuetudine videlicet peccandi et defensione peccati. Ex longa nimirum consuetudine peccati sic obnubilatur mens cujusque reprobi, quod quanto diutius in inmis peccatorum conversatur, tanto difficilius a via sua mala revocatur, nihil esse credens dulcius quam semper involvi sceleribus. Nam ex ipsa dulcedine quam carnis delectatio 704 ingerit, correptionis impatiens semetipsum in operibus suis justificare cupiens, defensionis semper clypeo præmuniri satagit. Hujusmodi hominem quæ adhuc mala sequantur, sequentia manifeste verba testantur :

Pars autem pedum, quibus statua sustentabatur, quædam ferrea, quædam fictilis videbatur. Diligentius igitur interioris oculus hominis intuetur, quando vel qualiter luto testa commiscetur. Hoc nimirum tunc fieri credimus, cum cor peccatoris fervens in sceleribus ita induratur, quod si quando resipiscere debeat, si quando pro commissis pœnitentiam agere valeat, omnino ignarum efficitur. Ex tali duritia de die in diem pestifera criminum magis ac magis crescit et augetur nequitia, quia tunc demum, quod significatur per quamdam ferream, quamdam fictilem partem pedum, nihil esse tam terrenum, nihil excogitari poterit tam obscenum, quod hujusmodi perditionis filium pudeat quin audenter et absque rubore perficere studeat.

Hujusmodi nequitiarum machina postquam taliter succreverit, nulla unquam ratione comminui poterit, nisi *lapis* ille *abscissus de monte sine manibus* percusserit statuam in pedibus, ille lapis angularis, Unigenitus scilicet Dei Patris, sine viri amplexibus ex illibata Virgine progenitus, qui potens est ex lapidibus filios Abrahæ procreare, hic solus hujusmodi hominem poterit salvare.

Ex alto cœlorum habitaculo solitæ miserationis suæ respiciens oculo, unum pedem statuæ pœnitentia, alterum percutiet timore, ut quem velut præmortuum reddiderat longa peccandi consuetudo, hunc reviviscere faciat dira pœnitentiæ amaritudo ; et qui prius contra peccata, quæ fecit, scutum superbiæ et defensionis opponere consuevit, reatum suum subtiliter discutiendo, discussum vehementer pertimescendo, dignis pœnitentiæ fructibus deflere studeat. Perversitatis siquidem status hujusmodi percussionibus prostratus, ubi taliter corruet et conteretur, lapis ille crescere et augeri incipiet, quemadmodum in consequentibus habetur.

705 *Lapis autem factus est mons magnus et implevit totam terram.* Lapis ille vivus, scilicet Dominus noster Jesus Christus mons miræ magnitudinis efficitur, cum sic in corde hominis ejus succreverit cognitio magnitudinis, ut quem prius homo despectui habere consueverat, eum Deum majestatis fortissimum, totius naturæ Dominum conspexerit, ex abundanti dicere valeat : *Magnus Dominus et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis* (*Psal.* XLVII, 1). Qua profecto magnitudine implebitur tota terra hominis illius, cum corpore simul et anima cunctisque suis sensibus ita omnipotenti Deo subjicitur, quod nihil præter Deum sapiens, nihil præter ea, quæ Dei sunt, cupiens, unus cum eo spiritus efficitur.

(73) Locus obscurus.

HOMILIA XV.

IN CAPUT VII DANIELIS DE SOMNIO BALTHASARIS REGIS PRIMA.

Anno primo Balthasar regis Babylonis, Daniel somnium vidit, etc. (*Dan.* VII).

Electus et dilectus iste propheta Domini Daniel, licet sanctus et justus, licet Spiritu sancto illuminatus fuerit, tamen quia homo carnalis erat, quia mortalis, mole corporis gravatus, in hujus nocte exsilii adhuc laborabat, et ingemiscebat, visionem magnam et mirabilem, quam vidisse se nocte testatur, ita, ut credere possumus, vidit, quod ea quæ visio eadem mystice insinuat, in semetipso ex parte senserat. Nemo enim tam justus, nemo tam sanctus in hac vita, qui non peccat, quia nec ipsi quidem apostoli, omnium hominum perfectissimi, quandiu in carne erant, vitare peccata valebant. At si in semetipso, quod incredibile est, hanc ventorum pugnam, hunc bestiarum ascensum non intellexit, futuros tamen post se prævidit in Spiritu sancto, qui et ventos in mari pugnantes, et bestias de mari ascendentes et sustinendo viderent, et videndo Deo opitulante superarent. Hos enim nomine suo apte idem *Daniel* significat; Daniel enim *judicium* sonat.

Sed primo videamus quis sit *Balthasar*, rex ille Babylonis, vel quis *primus annus* ejus, in quo mirabilem hanc visionem Daniel videre meruit. *Balthasar* etenim, qui interpretatur *capillus capitis*, atque *Daniel*, qui, ut diximus, *judicium* dicitur, unum eumdemque hominem æternæ saluti prædestinatum mystice exprimunt, qui juxta diversa **706** opera diversa etiam sortitur nomina. Quandiu enim in sæculo est, et peccatis sæculi delectabiliter et voluntarie servit, bene *Balthasar rex Babylonis*, rex confusionis nominari poterit. Cum autem visitante et adjuvante gratia Dei tempus vetustatis, tempus, inquam, vetustæ et criminosæ vitæ transierit, et novæ vitæ studio novus homo esse cœperit, tunc quodammodo quasi *annus primus Balthasar regis Babylonis* initiatur, in quo, dum eadem potestate, qua in vitiis prius vixerat, vitia etiam comprimere, judicare in semetipso atque damnare laborat, *Daniel* non incongrue nominatur. De cujus persona apte dicitur : *Videbam in visione mea nocte;* quia licet in *nocte*, id est in tenebris hujus ignorantiæ, corpore detineatur, spiritu tamen supernæ lucis claritatem attingere desiderans, semper in visione quodammodo est, quia nunquam aut raro videre negligit quid in se agatur, quibus ventis mare suum, id est cor suum circumferatur.

Visio tamen hæc quasi in *nocte* fit. Ignorantia enim miseriæ hujus mortalitatis clare videre eum, quod desiderat, non permittit; modicum tamen illud quod videt, *visio* sua est, visio, inquam, utilis [*cod.* inutilis] sibi et bona. Unde recte dicit : *videbam in visione mea nocte*, statimque quid viderat manifestat, cum subjungit :

707 *Et ecce quatuor venti cœli pugnabant in mari magno, et quatuor bestiæ grandes ascendebant diversæ* A *inter se.* Per *mare magnum* cor hominis amaricatum, per *quatuor bestias* quatuor cardinalia vitia, cardinalibus quatuor virtutibus opposita non incongrue accipere possumus; *quatuor* vero *venti*, sive quatuor sanctos angelos, qui cardinalibus quatuor virtutibus, prudentiæ scilicet et temperantiæ, fortitudini et justitiæ præsunt, sive quatuor malos angelos significant, qui cardinalia quatuor vitia, imprudentiam videlicet et intemperantiam, incontinentiam et injustitiam in corde hominis suscitant et nutriunt; unaquæque enim virtus suum habet spiritum, et unumquodque vitium suum habet spiritum. Habent virtutes angelos suos, qui vitia impugnant et expellunt de corde boni hominis; habent et vitia angelos suos virtutibus semper adversantes, magnamque B pugnam in mari magno suscitare cupientes. *Mare magnum* est, ut diximus, cor hominis amaricatum. Quomodo dico *amaricatum?* Tribus modis beatus homo amaricatur in hoc mundo. Amaricatur enim ex recordatione et pœnitentia peccatorum, quæ commisit; amaricatur, quod effugere et declinare peccata non possit; amaricatur, quod in hac tandiu positus peregrinatione Deum, quem præ omnibus diligit, super omnia desiderat, videre et habere non valeat. *In* hoc *magno mari*, in hoc inquam corde, tam salubriter amaricato, sentit plerumque et intelligit prædictorum *pugnam ventorum*, detestabilem ascensum harum quas prædiximus bestiarum, quæ, quoniam diversæ inter se fuerant, diversitates illarum continuo distinguens subjungit :

C *Prima quasi leæna, et alas habebat aquilæ.* Prima bestia, quod est imprudentia, opposita primæ virtuti, quod est prudentia, non incongrue comparatur *leænæ*, quæ, sicut natura ipsius intelligi valet, quamdam imprudentiam habet. Catulos quidem cum exposuerit, raptorque aliquis egressum ejus observans eosdem catulos furto abstulerit, naturam ejus non ignorans, effigiem catuli sphæra vitrea callide post se in via collocat, ut per hoc insequentem se leænam suspendat. Illa enim cum reversa ad cubile **708** suum abesse catulos senserit, e vestigio raptorem insequitur. Sed cum ad locum sphæræ cum similitudine catuli oppositæ pervenerit, catulum curiosius inspiciens ab impetu suspenditur, tandemque ad D ultimum deprehendens delusam, tristis ad locum suum regreditur. Ob hanc igitur fatuitatem prima hæc bestia, quam imprudentiam diximus, leænæ non injuste comparatur. Sequitur :

Et alas habebat aquilæ. Duas alas habet imprudentia, quarum una ignorantia, altera oblivio nominari potest. Sed videndum quid sit ignorantia? Ignorantia est, quando homo discere quæ scienda, et intelligere quæ intelligenda essent negligit, aut si didicit, ex vitio dominantis sibi imprudentiæ obliviscitur quasi non didicerit. Nec prætereundum quod bestia hæc, de qua agitur, *alas aquilæ*, habuisse describitur. In *aquila*, quæ altius cæteris avibus in volando sustollitur, superbia non incongrue exprimitur. *Alas*, inquit, *habebat aquilæ*, mystice

per hoc insinuans, quia obliviosi et ignorantes plus interdum superbiunt quam docti ac sapientes. Sed homo salvandus hanc in se bestiam regnare diu non patitur, boni exemplo Danielis tandiu eam aspiciens, quoadusque Deo auxiliante elidatur ac superetur. Unde recte subjungitur :

Aspiciebam, donec evulsæ sunt alæ ejus, et sublata est de terra. Bestiam aspicere est totum cordis aspectum sollicite ad hoc convertere, ut et quid faciendum et vitandum sit, diligenter addiscere studeat, et dum didicerit, altæ commendando memoriæ, factis sagaciter implere laboret. Sicque duabus illis alis, ignorantia videlicet et oblivione, per scientiam et memoriam boni tandem evulsis, ipsa etiam bestia, ipsa, inquam, imprudentia, per prudentiam sublata et superata, fit tandem quod sequitur :

Et super pedes quasi homo stetit. Possumus hoc in loco per *pedes* intelligere cogitationes hominis. Quandiu duabus alis illis, quas ignorantiam et oblivionem diximus, sensus cordis velatur et obtenebratur, non stat homo *super pedes suos quasi homo*, quia impotens cogitationum suarum nec scit nec discernit quid cogitet. Superato autem vitio ignorantiæ et oblivionis, prudentiæque bono ex parte adepto, *stat* tandem **709** *super pedes suos quasi homo*, quando prudenter sapere incipit *sicut homo*, hoc est quando recognoscit se hominem, hominem, inquam, factum ad imaginem et similitudinem Dei. Post hæc apte subjungitur :

Et cor ejus datum est ei. In *corde* rationem hominis possumus intelligere. Bene *homini cor ejus datum* dicitur, quando totam animæ suæ rationem ad internoscendum et discernendum bonum et malum prudenter convertere incipit.

Prima hæc bestia hoc modo *de terra*, id est de terreno corde sublata, quia contra bestiam secundam non minore studio vel labore vigilandum sit, mirabilis ejus diversitas mystice nobis exprimit, quam prædictus Daniel mirabiliter describit, cum protinus subjungit dicens :

Et ecce bestia alia, similis urso, in parte stetit, et tres ordines erant in ore ejus et in dentibus ejus, et sic dicebant ei : Surge, comede carnes plurimas. In bestia alia, quæ similis *urso* fuisse notatur, vitium secundum, quod est intemperantia, secundæ virtuti, quæ temperantia dicitur, opposita non injuste figuratur. Nec sine causa bestia hæc non in partibus, sed *in parte* stetisse legitur. In duabus enim partibus et animam et corpus hominis intelligimus. Stat bestia hæc *in* ea præcipue *parte*, quæ corpus dicitur, quia sicut imprudentia animæ, ita intemperantia corpori ascribitur. Quod autem subjungit : *Et tres ordines erant in ore ejus et in dentibus ejus*, per hoc tres modos exprimit, quibus intemperantia maxime se ostendit et exercet in homine. Tres autem istos modos, edacitatem, ebrietatem atque luxuriam nominare possumus. Per os namque et per dentes fit edacitas et ebrietas, et qui a duobus his temperare

A se nescit aut negligit, in tertium, quod est luxuria, citius corruit. Hoc enim manifestius nobis innuitur, cum, præmissis tribus de quibus jam dictum est ordinibus, continuo subinfertur :

Et sic dicebant ei : Surge, comede carnes plurimas. Qui sunt isti talia dicentes, talia suggerentes ? Sunt utique aut mala desideria, quæ ex edacitate, **710** ebrietate atque luxuria suscitantur ac nutriuntur in homine, vel etiam quatuor venti illi, mali videlicet angeli, de quibus supra memoravimus, qui hominem semper instigant et illiciunt ad facinus. Hortantur eum sane, ut *surgat et comedat*, hoc est ut exercendo se in malis carnalis vitæ desideriis carnalibus factis respondeat. Sed si hanc eorum suggestionem homo spreverit, tandemque auxiliante Deo temperans

B esse cœperit, contra tertiam bestiam vigilandum nihilominus est, de qua protinus subinfertur :

Post hæc, inquit Daniel, *aspiciebam, et ecce alia bestia quasi pardus, et alas habebat quatuor super se quasi avis, et quatuor capita erant in bestia, et potestas data est ei.* In tertia hac bestia, quæ quasi *pardus* erat, tertium vitium, id est inconstantiam, tertiæ virtuti, quam fortitudinem nominamus, oppositam non incongrue intelligimus, quæ quasi *quatuor super se alas habet*, quæ nos lasciviam visus, curiositatem auditus, levitatem in verbis, nec non et falsitatem nominare possumus. Inconstans merito dici potest, qui lubricus in visu, curiosus in auditu, a levibus verbis continere se et custodire negligit. Per hanc

C enim levitatis incuriam nescius interdum vel invitus ad falsitatis rapitur culpam.

Sunt namque nonnulli, qui vitiis istis corpore tantum, et non corde implicantur, quia non ex amore, non ex desiderio, sed ex quadam mentis levitate vel incuria incurrunt ; et sunt nonnulli, qui interioribus sensibus aut per lasciviam, aut curiositatem, per levitatem verborum aut falsitatem admittunt. Hæ sunt enim *quatuor* illæ *alæ*, *et quatuor capita*, quæ erant in bestia, dum sensus exteriores, qui per *alas*, et sensus interiores, qui per *capita* intelliguntur, utrinque sibi consentiunt ad vitia. Recte autem subditur :

Et potestas data est ei. Tantæ potentiæ, tantæque fortitudinis est bestia eadem, id est incontinentia,

D quod etiam super bonos ac perfectos homines diu **711** durat, quia etsi in exteriori homine aliquando se custodiunt, in interiori vix homine se interdum continere, vix, inquam, nec absque magno labore oculos ab illicito visu, aures a curioso auditu, linguam a levibus et noxiis verbis valent cohibere. Eapropter nisi tertia bestia viriliter comprimatur ac conteratur, quarta tandem bestia terribiliter exsurgit, quam in sequentibus mystice Daniel designat, cum dicit :

Post hoc aspiciebam in visione noctis, et ecce bestia quarta terribilis, atque mirabilis et fortis nimis Per *bestiam quartam* injustitiam, quæ quartum est vitium, quartæ virtuti, quam justitiam nominamus, oppositum accipimus. Hoc autem injustitia est et dicitur,

quando homo pronus et præceps ad malum, iniquitati et peccato corde et corpore subjicitur. Hæc bestia merito *terribilis atque mirabilis, fortisque nimis* fuisse describitur. *Terribilis* enim est in suggestione, *mirabilis* in delectatione, *fortis* in operatione. Recte autem terribilem eam dicimus in suggestione. Ex his enim quæ suggerit, magno bonum et salvandum hominem terrore atque tremore concutit. Sed si suscipitur, *mirabilis* fit in delectatione, quia incognita pridem et inexperta, illiciente ea ac ingerente, homo sentire incipit in carne sua. Fit etiam *fortis* in operatione, quia quem per suggestionem et delectationem ditioni suæ subegerit, hunc ad quæcunque flagitia potenter inflectere poterit. Unde sequitur:

Dentes ferreos habebat magnos, comedens atque comminuens, et reliqua pedibus suis conculcans. Per *dentes ferreos et magnos* cogitationes illas quas suggerit injustitia congruenter intelligere possumus; quæ profecto *duræ nimis* ac *fortes* sunt. Quidquid enim boni vel virtutis erit in homine, quasi comedendo consumunt, et quod consumere prorsus nequeunt, hoc quasi quibusdam dentibus comminutum imminuunt. Quod autem sequitur: *Et reliqua pedibus suis conculcans*, nihil aliud nobis innuit, nisi quod iniquis affectibus, quos eadem injustitia ingerit, quasi quibusdam pedibus proterendo ad **712** nihilum redigit, si quid boni adhuc aut virtutis in homine residuum invenit. Unde sequitur:

Dissimilis autem erat cæteris bestiis quas ante videram. Reliquis tribus bestiis, de quibus jam dictum est, quarta hæc bestia, quod est injustitia, merito *dissimilis* esse perhibetur. Fortior enim his omnibus est quia universa in se vitia continet, sicut in consequentibus verbis manifestius declaratur:

Et habebat, inquit Scriptura, *cornua decem. Cornua* ista sunt septem principalia vitia, superbia videlicet et acedia, ira et invidia, avaritia, gula atque luxuria. Junctis ad hæc prædictis tribus vitiis, imprudentia videlicet et intemperantia atque inconstantia, quasi cornua decem habet injustitia. A cornibus autem istis quicunque liberari desiderat, justum Danielem sapienter imitari studeat.

Considerabam, inquit, *cornua*. Consideravit, ut liberaretur ab eis, aperte nobis insinuans quod is qui spiritaliter eadem cornua adhuc considerare negligit, liberari ab eis non poterit. *Cornua* autem considerare est considerata atque solerti cordis corporisque custodia semper contra vitia vigilare. Post hanc autem beati hominis considerationem atque custodiam, quia appetitus humanæ laudis nonnunquam subrepit, bene Daniel, postquam dixit: *Considerabam cornua*, adjecit dicens:

Et ecce, cornu aliud parvulum ortum est de medio eorum. Per *cornu aliud parvulum* vanam gloriam non injuste accipere possumus, quæ congrue quidem quasi *cornu parvulum* dicitur, quia in ipso, ut ita dicam, ortus sui primordio, cum primum sibi cor hominis vindicare cœperit, cornu quidem est, quia per inanis appetitum favoris jam ex parte mentem

A impetit, sed tamen *cornu parvulum*, quia necdum perfecte in homine convaluit. Quæ tamen, si crescere permittitur, major atque fortior omnibus prædictis cornibus efficitur. *Considerabam*, inquit, *cornua, et ecce, cornu aliud parvulum ortum est de medio eorum.* Quid est *de medio eorum?* Qui *in medio* stat, nec hanc nec illam partem tangere videtur.

713 Sic nimirum cornu istud, inanis scilicet gloriæ vitium, *de medio eorum*, de quibus jam dictum est, vitiorum non incongrue *ortum* dicitur, quia non videtur tangere vitia, et tamen de vitiis est. Vitium pro certo est, sed pro vitio interdum non habetur, quia, cum non vitiis, sed ex virtutibus eadem vana gloria oriatur, gloriari et laudari velle pro virtutibus virtus esse plerumque putatur. Unde mox

B subditur:

Et tria de cornibus primis evulsa sunt a facie ejus. Evulsis tribus de cornibus primis, hoc est subactis ac superatis imprudentiæ, intemperantiæ, inconstantiæ vitiis, aliud hoc de quo jam diximus cornu suboritur, quando pro adeptis virtutibus minus caute homo in se gloriando intrinsecus extollitur, exteriusque quærente etiam ab hominibus gloriam incipit, sicut sequens mox littera mystice insinuat, quæ dicit:

Et ecce, oculi quasi oculi hominis erant in cornu isto, et os loquens ingentia. Oculi in vana gloria *quasi oculi hominis* sunt, quia dum is qui non in Deo, sed in se gloriando, elato corde videre et pensare merita sua incipit interius, rationabile ei et justum

C videtur, ut etiam gloriam de bona vita sua habeat apud homines exterius. Habet etiam *os* suum, *os* videlicet *loquens ingentia*, quia eousque hominem plerumque perducit, quod ipse per se loqui, magnificare atque jactare virtutes suas ac merita incipit.

Aliter per prædictas *quatuor bestias* quatuor ætates hominis intelligere possumus, quarum prima est infantia vel pueritia, quam ob fatuitatem sive imprudentiam, quam inesse *leænæ* diximus, apte *leænæ* comparamus. Puer enim, quandiu puer est, pueriliter agit, parum aut nihil de prima illa virtute, quam prudentiam diximus, sapit. Ideoque imprudentia, per leænam significata, cum *duabus aliis* suis, quas ignorantiam et oblivionem diximus, non

D injuste huic ætati convenit.

Puerili decursa ætate succedit adolescentia, quæ per *secundam bestiam*, **714** quæ similis *urso* erat, et tres ordines in ore et in dentibus habebat, congrue designatur. Ursus enim fortis est. Fortis est et adolescens, et cum tres illos ordines, quos edacitatem, ebrietatem atque luxuriam diximus, temperare atque refrenare in semetipso nec possit, interdum nec noverit, non injuste secundum vitium, quod est intemperantia, huic ætati assignari poterit.

Post adolescentiam sequitur juventus, quam *tertiæ* illi *bestiæ*, quæ quasi *pardus* erat, et *alas habebat quatuor super se quasi avis*, convenienter assimilare possumus. *Pardus* enim fera instabilis est et

incontinens. Sic et juventus stabilitatis atque constantiæ frena vix aut nullatenus interdum patitur. Quæ etiam cum *quatuor aliis* illis, quas lasciviam visus, curiositatem auditus, levitatem verborum atque falsitatem interpretati sumus, nequaquam careat, tertium vitium, quod est inconstantia, ætati huic non immerito est ascribendum. In quocunque hominum tres istæ bestiæ convaluerint, et ad quartam usque ætatem, quæ senectus nominatur, in eo perduraverint, huic quarta illa *terribilis fortisque nimis bestia*, quod est injustitia, terribiliter, mirabiliter et nimis fortiter dominabitur, quia *decem cornibus* suis, id est decem illis, quæ paulo ante notavimus [*cod.* novimus], principalibus vitiis, ita eum sibi subigit atque substernit, quod ad nulla justitiæ opera utiliter consurgere poterit. Justus autem et spiritalis homo qua sollicitudine contra bestias istas vigilet, quo studio, quave constantia comprimere atque compescere eas studeat, quia ex parte jam audivimus, de sequentibus tandem videamus. Sequitur:

Aspiciebam, donec throni positi sunt, et Antiquus dierum sedit. Thronus sedes regis est. Ideoque non incongrue per *thronos* intelligimus animam et corpus hominis, quæ thronus et sedes esse deberent summi et æterni regis, Dei omnipotentis; per *Antiquum dierum* gravem ac maturum hominis sensum. *Aspicere* istud boni et justi hominis nihil aliud est nisi assiduum et constans pie solliciti cordis studium, **715** quo se contra jam dictas bestias, et contra decem illa cornua, maximeque contra inanis gloriæ vitium per *aliud cornu parvulum de medio eorum subortum* mystice figuratum, viriliter accingit, nec ab hoc tali aspectu mentis oculum retrahit, *donec throni positi fuerint*, hoc est donec superior vitiis eisdem, ipseque sui ipsius rex et rector factus, sedere sibi incipiat, id est donec imperando et dominando corpori et animæ suæ regere se secundum voluntatem Dei sciat, velit ac valeat; sicque corpore et spiritu perfecte depositus atque humiliatus dignus fiat in quo summus ille Rex regum thronum atque sedem suam habere velit et valeat. Post hæc consequenter subinfertur:

Et Antiquus dierum sedit. In antiquo dierum gravem ac maturum hominis sensum diximus intelligendum, qui digne non simpliciter *Antiquus*, sed *Antiquus dierum* nominari poterit, quando post abscissa vitia inter lucidissimos supernæ visitationis dies feliciter senescere ac maturescere incipit. Nec injuste dicitur, *et Antiquus dierum sedit*. Sedet enim quasi desiderabili et jucunda quadam sessione, quando et cognitione et devotione requiescere et delectari in Domino incipit. Sequitur:

Vestimentum ejus candidum quasi nix, et capilli capitis ejus quasi lana munda. In *vestimento* hujus antiqui corpus non incongrue valet intelligi, quod tunc *candidum quasi nix*, quando de vitiis ad munditiam transit. Et bene dicitur, *candidum quasi nix*. Nix enim, quæ refrigerat et lavat, pœnitentiam non

A incongrue significat, quæ a carnalis æstu voluptatis corpus hominis frigidum facit, et quidquid ei peccati et maculæ inerat, digne abluit atque diluit, sicque juxta mysticum sequentium verborum intellectum a munditia corporis ad munditiam cordis Deo auxiliante homo proficit. Unde additur, *et capilli capitis ejus quasi lana munda*. Per *capillos capitis* intelligimus sanctas et mundas cogitationes cordis. Nec ab re ad candorem vestimenti *nix*, ad candorem vero capillorum *lana* ponitur. *Nix* enim frigida est, ut diximus, **716** *lana* vero calida. Sic profecto exterior munditia, quæ ex frigore, id est rigore pœnitentiæ nascitur, bona quidem est, sed tamen frigida quodammodo est in comparatione munditiæ interioris, quæ per *lanam mundam* exprimitur,
B quia mundæ mundi cordis cogitationes calefaciunt hominem, atque succendunt ad affectum divini amoris. Unde sequitur:

Thronus ejus flammæ ignis, rotæ ejus ignis succensus, fluvius igneus rapidusque egrediebatur a facie ejus. In præcedentibus animam et corpus hominis per thronos intelleximus; hic vero ubi singulariter *thronus* ponitur, spiritus hominis, in quo Antiquus ille dierum, gravis videlicet ac maturus sensus sedem suam collocavit, non indecenter accipitur. Et notandum quod dicitur: *Thronus ejus flammæ ignis*. *Flamma* lucet, *ignis* ardet. Et bene; quia *thronus*, id est Spiritus ille, cui Deus præsidet, lucet peccati cognitione, ardet pœnitentiæ et satisfactionis ardo-
C re. Per *rotas* autem throni istius cogitationis lucentis et ardentis spiritus apte possunt intelligi, quæ tunc profecto quasi [*ignis*] *succensus* fiunt, quando bonus homo ad instar *rotæ* nunc legendo, nunc audiendo ea, quæ de Deo sunt, rotatur ac circumvolvitur, quærens diligenter et investigans, si quid forte oculis vel auribus exterius occurrat, unde magis ac magis ad pœnitentiam et satisfactionem succendi interius valeat. Post hæc recto ordine subjungitur:

Fluvius igneus rapidusque egrediebatur a facie ejus. In *fluvio igneo et rapido* fervens ferventis cordis decenter intelligi potest oratio, quæ, dum pœnitentiæ dolore et lacrymarum fit inundatione, *fluvius*, non solum *igneus*, sed et *rapidus* dici poterit, quia vere
D velox est ad impetrandum quidquid a Deo petierit. Aderit enim ei pius et misericors Dominus, sicut verbis sequentibus mystice declaratur, cum protinus subinfertur:

Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei. Sed ut subtilius mysterium numeri **717** hujus comprehendere valeamus, singula verba singulariter distinguere ac discernere studeamus. Primo dicit *millia*, deinde *millium*, tertio subjungit *decies millies*, ad ultimum *centena millia*. Possumus intelligere per prima *millia* perfectas Dei aspirationes, in sequentibus *millibus* perfectas hominis voluntates vel consensus, per ultima *millia* perfectas hominis operationes; in duobus vero his verbis, scilicet *decies millies*, quæ intacta in medio

reliquimus, legalem et evangelicam perfectionem A notare possumus. Nec injuste perfectæ Dei aspirationes *millia millium* dicuntur, quia prima hæc *millia* causa quodammodo sunt sequentium millium. Nam ubi pia omnipotentis Dei præcedit aspiratio continuo subsequitur et perfecta voluntas et perfecta perfectæ vitæ operatio. Hoc enim apertius nobis innuitur, cum dicitur : *Millia millium ministrabant ei.* Perfectæ enim Dei inspirationes ministrant homini perfecta desideria, perfectas voluntates. Perfecta autem voluntas est et dicitur quando prævenienti Dei inspirationi bono boni cordis consensu concordare ac cooperari pro posse suo homo nititur. Post prævenientem Dei aspirationem ac subsequentem bonam hominis voluntatem perfecta perfectæ vitæ opera sequuntur, B quæ non incongrue, ut diximus, per *decies millies centena millia* designantur, quando et legali et evangelica perfectione fulciuntur et ornantur, hoc est quando eousque homo profecerit, quod secundum legem quæ per *decies*, et secundum Evangelium quod notatur per *millies*, vitam, mores et actus suos ordinare et instituere cœperit. Et recte quidem in præcedentibus dicitur : *millia millium ministrabant ei;* hic autem, *et decies millies centena millia assistebant ei.* Talia enim opera vere homini ita assistunt, quod neque hic, neque in futuro ab eo recedunt. Sed quia quanto justus homo in Deo profecerit, tanto majori humilitatis et reverentiæ timore se Deo subjicit, recte subjungitur :

C *Judicium sedit, et libri aperti sunt.* Sed quid est *judicium? Judicium* est et dicitur, quo aut nocens ad pœnam damnatur, aut innocens a pœna liberatur. Fit homo sibi ipsi non **718** modo judex, sed et *judicium*, quo et damnatur et liberatur, quia dum se in se pro peccatis suis districte accusando, humiliter damnando dignum pœnæ judicat, se quodammodo a pœna liberat. Nam dum suo judicio ut nocens ad pœnam damnatur, judicio Dei ut innocens a pœna liberatur. *Judicium* autem istud quia non subitum, vel quasi ad tempus, sed assidue homo perfectus secum in secreto cordis sui habere debet, apte innuitur, cum dicitur, *judicium sedit.* Hoc enim verbum quamdam moram, quamdam perseverantem constantiam exprimit, quam beatum homi- D nem perseverantem in hoc de quo jam dictum est judicio habere convenit. Sequitur :

Et libri aperti sunt. Aperiuntur libri, quando secreta conscientiarum, secreta, inquam, cordis sui, quæ per *libros* intelligi possunt, et Deo in oratione, et prælato humiliter manifestat et aperit in confessione, *Et alius liber apertus est, qui est vitæ.* Per *alium* hunc *librum*, qui *liber vitæ* nominatur, spes vitæ perennis congrue designatur. Hunc librum divinæ pietatis manus aperienti libros suos homini misericorditer quodammodo aperit, quando confortatus in Domino transitoria cuncta postponens ad obtinenda promissæ beatitudinis gaudia in spe robustior exsurgit. Sed quia impossibile est ut post tantam donorum Dei gratiam vitium inanis gloriæ se non intermisceat, recte subditur : *Aspiciebam propter vocem sermonum grandinum, quos cornu illud loquebatur.* Cornu istud, cum grande sit, contra grandes ac perfectos homines præcipue se extollit, sicut post pauca memoratus Daniel manifestius ostendit, cum dicit : *Aspiciebam, et ecce cornu istud faciebat bellum adversus sanctos, et prævalebat eis.* Et vere cornu istud, vitium videlicet inanis gloriæ, perfectiores quosque maxime impugnat, quia qui peccatis servit, qui vitiis subjacet, profecto non habet unde glorietur. Qui autem perfecti sunt et ad profectum tendunt, *vocem grandinum* horum *sermonum* plerumque in semetipsis deprehendunt. Unde recte nunc dicitur, *aspiciebam propter vocem sermonum grandinum, quos* **719** *cornu illud loquebatur,* statimque subjungit : *Et vidi quod interfecta esset bestia, et periisset corpus ejus, traditumque esset ad comburendum igni. Cornu* istud *aspicere* est, ut diximus, totum cordis affectum ad conterendum in se ac comprimendum inanis appetitum gloriæ sollicite convertere. Nam tunc voces suas cornu idem emittit, quando ad jactanda et magnificanda virtutum suarum merita ipsum hominem intrinsecus provocat et impellit.

Sed unde hæc ejus vox ad aures humani cordis pervenire permittitur, nisi quod videt *interfectam bestiam*, hoc est quod intelligit ex divinæ miserationis gratia periisse in se injustitiam? Interficitur quoque bestia corpusque ejus ad comburendum igni traditur, quando omnis voluntas injustitiæ a corde interius et opus injustitiæ a corpore exterius per ignem pœnitentiæ et confessionis expellitur. *Et vidi*, inquit, *quoniam interfecta esset bestia, et periisset corpus ejus, traditumque esset ad comburendum igni, aliarum quoque bestiarum ablata esset potestas, et tempora vitæ constituta essent eis usque ad tempus et tempus. Aliarum* nomine *bestiarum* reliqua vitia accipimus, quæ sub præcedentium trium bestiarum significatione superius descripsimus, quæ quia prorsus interfici non possunt (nemo enim in hac vita ad perfectum prudens, ad plenum temperans, ad plenum constans fieri valet); sublata tamen potestate comprimuntur, quia post interitum quartæ bestiæ, quod est injustitia, dominari justo homini, et subjicere eum sibi, quantum volunt, non permittuntur. Vivunt quidem in homine, sic tamen quasi sub constitutis temporibus. *Tempora enim vitæ*, ut ait Daniel, *constituta erant eis usque ad tempus et tempus*, quia tandiu perfrui vita sua gaudent, quandiu bono et justo homini quasi accepta ad horam potestate dominari et prævalere audent. Sed cum *tempus et tempus* advenerit, hoc est cum tempus pœnitendi, et tempus satisfaciendi constituta vitæ illorum tempora præoccupaverit, quasi moriendo cadent, quia in anima perfecte pœnitente ac digne **720** Deo satisfaciente locum vitæ habere non valent. Acceptabile Deo et desiderabile hoc *tempus et tempus*, tempus videlicet pœni-

tentiæ, et tempus satisfactionis dignum facit hominem supernæ visitationis, sicut consequenter innuitur, cum protinus subinfertur :

Aspiciebam ego in visione noctis, et ecce cum nubibus cœli Filius hominis veniebat, et usque ad Antiquum dierum pervenit, et in conspectu ejus obtulerunt eum, et dedit ei potestatem, et honorem, et regnum, et omnes tribus et linguæ ipsi servient. Solet plerumque in Scripturis sanctis per *nubem* Spiritus sanctus designari ; ubi vero pluraliter *nubes* inveniuntur, dona ejusdem Spiritus sancti nonnunquam intelliguntur. Sic nimirum et hoc in loco, ubi *cum nubibus cœli Filius hominis venisse* describitur, tota simul sancta Trinitas, Pater scilicet, et Filius, et Spiritus sanctus digne notatur. *Cum nubibus cœli Filius hominis veniens usque ad Antiquum dierum pervenit,* quando Deus omnipotens, qui Deus et homo est, cum donis Spiritus sui maturum hominis sensum collustrando invisibili et indicibili divinitatis suæ contemplatione suaviter tangere intrinsecus cœperit. Post tantam supernæ dignationis gratiam fit continuo quod sequitur :

Et in conspectu ejus obtulerunt eum. Isti, qui tunc hominem in conspectu Altissimi offerunt, sive sancti angeli, sive sancta hominis desideria sunt, qui eum ad desiderandum et contuendum ineffabilem incircumscripti luminis splendorem magis ac magis sublevant et accendunt. Quem tamen splendorem, quasi *in visione noctis aspicit.* Caligo enim corruptionis præpedit eum et obnubilat, ne modicum id quod videt clare et perfecte videre valeat. Summa enim illa Majestas, quid pietatis et gratiæ beato homini conferat, subjecta littera mystice insinuat :

Et dedit, inquit, *ei potestatem, et honorem, et regnum. Potestatem* quidem dat, quando ei facultatem resistendi vitiis misericorditer administrat. **721** Post potestatem tribuit ei *regnum*, quia post subacta vitia regnandi in virtutibus confert dominium. Inter potestatem autem et regnum recte ponitur *et honorem*, quia summus et perfectus honor est, quando ad tantam perfectionis gratiam dono suo misericors Deus hominem provexerit, quod et pro superatis vitiis, et pro adeptis virtutibus non sibi ipsi, sed soli Deo honorem et gloriam humiliter attribuit, totum se illi soli subjiciens, sicut sequens docet littera dicens :

Et omnes populi, tribus et linguæ ipsi servient. Raro in Scripturis sanctis *populus* ponitur, nisi ubi multitudo hominum notatur et exprimitur. Sed quia homo rationalis creatura est [nulla enim creatura præter angelum et hominem ratione utitur], non immerito per *populos* multitudinem rationabilium actionum, rationabiliumque affectionum; per *tribus* vero nobilem illam, quæ a Deo processit, progeniem, spiritum utique hominis et animam et corpus accipere hoc in loco possumus. Quasi *omnes populi et tribus* Domino *serviunt*, quando divinæ pietatis dona ita multiplicantur in homine, quod soli Deo spiritu, anima et corpore laudabiliter et rationabiliter servire incipit; in anima utique per multiplices bonas operationes, quæ ex præsidente et regente spiritu fiunt rationales. Quia vero nemo est qui in hac spiritus, animæ et corporis servitute semper constans, seu per perfectus inveniri possit, recte Daniel, postquam dixit *omnes populi et tribus*, adjecit *et linguæ ipsi servient.* Per servitutem *linguarum* veram ac perfectam peccatorum confessionem intelligere possumus, per quam purgari **722** ac justificari convenit quidquid maculæ vel imperfectionis in triplici hac Spiritus, animæ et corporis servitute repertum fuerit. Et notandum quod non dixit, *lingua* sed *linguæ* ipsi servient. Duas profecto linguas homo habere debet in confessione, linguam cordis, quæ loquatur dolorem; et linguam corporis, quæ loquatur actionem. Qua autem præmii dignitate, quam perpetua æternæ beatitudinis stabilitate hæc populorum, tribuum ac linguarum servitus in futuro remuneretur, eleganter sæpe memoratus Daniel verbis sequentibus comprehendere ac concludere videtur:

Potestas, inquit, *ejus potestas æterna, quæ non auferetur, et regnum ejus, quod non corrumpetur. Potestas* illa, potestas videlicet resistendi vitiis, quam in hac, sicut prædictum est, vita misericors Dominus homini dat, *potestas æterna* non est [non enim semper in loco peccati peccato resistere homo potest; acceptum etiam a Deo regnum virtutum plerumque hic corrumpitur; subrepentibus enim vitiis persæpe interrumpitur], *potestas* vero ejus, quam post hujus vitæ terminum in regno suo omnibus electis suis dabit, *potestas æterna* est.

Omnibus enim ibi congregatis et congregandis voluntas et facultas declinandi a malo æternaliter subest. *Regnum* etiam *ejus*, regnum videlicet virtutum, ibi *non corrumpetur*, quia virtus benefaciendi nunquam ibi amittetur. Ad hanc potestatem, et ad hoc regnum perducat nos, qui sine fine vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

723 HOMILIA XVI.

IN LIBRI I MACHABÆORUM CAPUT I PRIMA.

Et factum est, postquam percussit Alexander Philippi Macedo, qui primus regnavit in Græcia, egressus de terra Cethim, interfecit Darium regem Persarum, etc. (*Mach.* I).

Liber iste, qui finitis æstivalibus Dominicis in fine anni legitur, *liber Machabæorum* vocatur. Qui liber bene *liber Machabæorum* dicitur. *Machabæi* enim *bellatores* interpretantur, quo nomine veri et fortes illi *bellatores* designantur qui durissimum diu noctuque exercentes bellum contra invisibiles illos inimicos, nunquam quiescunt, usquequo illuc perveniant ubi omnium laborum et certaminum suorum præmium percipiant. In quo libro tria videntur prænotata : primo ea quæ in principio creationis humanæ sunt facta; secundo quæ in præsenti fiunt Ecclesia; tertio, quæ in fine mundi sub Antichristi tempore sunt futura. Ergo videamus, quæ in principio hujus libri inveniamus.

Et factum est, inquit, *postquam percussit Alexan*

der Philippi Macedo, qui primus regnavit in Græcia, egressus de terra Cethim interfecit Darium regem Persarum atque Medorum, constituit prælia multa, et obtinuit munitiones multas. Per hoc nomen *Alexandri*, quod *levans angustiam* interpretatur, non incongrue draco ille, serpens antiquus, qui vocatur diabolus et Satanas, accipitur, qui, ex quo primum hominem in paradiso per inobedientiam seduxit, tam [*cod.* tantas] inextricabiles *angustias* et labores initiavit ac *levavit*, ut omni posteritati Adæ nunquam quotidianæ *angustiæ* et labores deessent aut desint, quandiu homo vivit super terram. Qui et *Philippi Macedo* nominatur. *Philippus* enim *os lampadis*, Macedo *orientalis* interpretatur. Et quare *os lampadis*, et quare *orientalis?* Idcirco Philippus, **724** id est *os lampadis*, interpretatur. Nam veri lampadis, id est Christi Jesu, terrestria et cœlestia illustrantis, *os* esse debuisset, si in statu angelicæ dignitatis permansisset; ore et corde, quæ placita forent Creatori suo, promere debuisset. Vir quoque *orientalis* fuit, quia in gloria et decore magno illum creatum Dominus Deus universæ angelorum multitudini prætulit.

Hic *primus regnavit in Græcia. Græcia* interpretatur *sapientia* vel *eloquentia*, in qua idem lucifer regnavit, quia ob hoc conditus erat, ut in æterna sapientia regnaret, et mirifica divinitatis dulcedine delectaretur, nihilque aliud loqueretur aut ageret, nisi quod ad laudem Creatoris sui pertineret. Qui *egressus* est *de terra Cethim*. Cethim *formido* dicitur. *Egressus* est, proh dolor! *de Cethim*, quando, formidine Dei contempta, in tantam elatus est mentis superbiam, ut magis sub proprio quam sub Domini dominio esse eligeret, dicens in corde suo: *Ponam sedem meam ad aquilonem, similis ero Altissimo* (*Isa.* XXIV, 13-14). Inde egressus *interfecit Darium regem Persarum atque Medorum*. Darius interpretatur *generatio consilii*, quo nomine primus, parens noster Adam exprimitur, quem æterna Dei sapientia hoc consilio condidit, ut, si angelorum exercitus per angelos superbientes minueretur, illorum numerus per homines electos compleretur. Qui Darius *Persarum rex*, quod *tentantes* interpretatur, esse describitur, quia illi primo homini Dominus Deus tantæ sapientiæ munus contulerat, ut mirifico et potenti regimine supervenientes tentationes suas sciret comprimere et domare, in tantum **725** ut nulla ei, si ipse voluisset, nocere potuisset. Sed et *rex Medorum* erat, quod *mensurantes* dicitur. Nam tanta ei a Deo collata est potestatis gratia, ut omnia opera sua secundum voluntatem Dei nosset dirigere, ac omnibus rebus congruentem mensuram attribuere.

Hunc Darium regem Alexander egressus de terra Cethim, id est malus angelus de cœlo lapsus *interfecit*, quando per invidiam vetitum pomum edere persuasit, et per hoc in mortem miserabiliter dejecit. Hujus interfectionis lamentabilis omnes nos filii Adæ, eheu! participes effecti sumus, hujus quoque reatus vindictam portantes, in laboribus et ærumnis

A et tentationibus præsentis vitæ positi, æternæ sapientiæ munere privati, congruentem mensuræ modum minime habere possumus, etiam in his necessariis, quibus fragile et mortale hoc corpus sustentamus. De hoc antiquo hoste adhuc subjungitur:

Et constituit prælia multa. Hæc *prælia*, quæ pessimus Alexander die noctuque *constituit*, melius unusquisque nostrum qualia [*Cod.* quales] sint agnoscit quam facultate sermonis explicari possit. Ubique enim saluti animæ nostræ insidiatur, ubique ad interitum secum trahere molitur.

Et obtinuit munitiones multas. Munitiones multas obtinuit, quia nullus ante adventum Domini ita munitus erat Christi nomine, qui contradicere aut resistere auderet vel posset potestatis illius magnifi-
B centiæ. *Et interfecit reges terræ.* Reges terræ interfecit, quia omnes electos ante legem et sub lege positos (qui ideo *reges terræ*, qui terram suam, id est corpus suum, boni regiminis magisterio regebant) ita interfecit, ut post terminum vitæ ad inferni claustra descenderent. *Pertransiit quoque usque ad fines terræ*, quia nunquam impugnare eos desiit, donec finis universorum advenit. Sequitur:

Post hæc decidit in lectum, et cognovit, quia moritur. Per *lectum* hunc crux Christi, vel mysterium humanitatis ejus accipi potest, in qua sacrosancta humanitate omnis plenitudo **726** divinitatis corporaliter requievit. *Super* hunc *lectum* Alexander iste, hostis videlicet noster, *decidit*, quia Christo Domino in lectulo crucis obdormiente ita dejectus est et con-
C tritus, ut omnis pristinæ potestatis dominio sit privatus. Ibi *cognovit quia moritur*, quia per mortem Christi potestatem illam qua in electos Christi sævierat sese prorsus amissurum præscivit. *Et vocavit pueros suos, qui secum nutriti erant, et divisit illis regnum suum, dum adhuc viveret. Pueri* illius angeli mali, qui secum nutriti erant, angelorum apostatarum est exercitus. Illis, *dum adhuc viveret, regnum divisit*, quia nocendi et sæviendi in homines suam eis impertiens malitiam, æquam super omnes filios Adæ illis potestatem contulit. Unde apte mox subjungitur: *Et obtinuerunt pueri ejus regnum, unusquisque in loco suo, et imposuerunt sibi omnes diademata post mortem ejus.* Obtinent seductorii spiritus regnum, et imponunt sibimet diademata, dum per mundum
D universum se illos et illos vicisse gloriantur, dum per diversa prælia tentationum corda concutiunt justorum.

Et exiit ex eis radix peccati Antiochus illustris filius Antiochi regis. Antiochus interpretatur *paupertatis silentium.* Et quis hoc nomine convenientius, quam ille subdolus humani generis inimicus venit? Ille enim, qui per totam mundi aliquando latitudinem vociferabatur et clamabat, cujus imperio omnes ad inferos descendebant, sic Deo conticuit, ut nihil valeat in aperto efficere, nisi quantum inepta et occulta efficit suggestione. Nulli enim animæ prævalet dominari, nisi quæ sponte ejus se subdiderit potestati. Sed et hoc nomine *Antiochi*, homo ille peccati,

filius perditionis Antichristus potest intelligi, qui A vere *radix peccati* dicitur, quia elevatur et extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, in quem diabolus plenter introibit, quem cum universis vitiis et peccatis non solum invisibiliter, sed et visibiliter possidebit. De quo adhuc subditur :

727 *Et intravit cum superbia in sanctificationem, et tulit altare aureum, candelabrum quoque luminis, mensam propositionis, mortariola aurea, velum etiam, quod ante faciem templi pendebat.* Domini *sanctificatio est* unaquæque fidelis anima, sive spiritalium hominum congregatio. Hanc diabolus *cum superbia intrat, et altare aureum dissipat*, quia dum, anima inaniter elevatur et extollitur, puritas et munditia bonorum sensuum, quod est *altare aureum*, amittitur. *Candelabrum quoque luminis* tollitur, cum per malarum rerum suggestionem supernæ claritatis amittit contemplationem. *Mensa propositionis* dissipatur, cum sacræ Scripturæ dulcem refectionem amittit per illicitam delectationem. *Mortariola* auferuntur et omnia ornamenta, dum per consensum peccati omnia ad nihilum rediguntur virtutum instrumenta. *Velum templi* dissipatur cum, etiam postposito pudoris bono, ea quæ aliquando erubuit cogitare, per malam consuetudinem non pudet frequentare.

Cum hæc lamentabilis destructio facta in nobis fuerit, necesse est ut veniat *Mathathias*, quod interpretatur *donum Dei*, veniat *Judas*, quod *confitens* sonat, veniant et *fratres* ejus ad 728 emundandum et dedicandum templum, quia si destructa in nobis bona perfecte reædificare et reparare volumus, necessarium valde est ut Mathathias veniat, scilicet ut gratia Dei veniat, quæ nos admissa deflere mala faciat. Post hæc Judas, quod *confitens* sonat, necesse est, ut veniat, scilicet ut per puram confessionem depulsa peccatorum labe ad perfectam mentis recurramus emundationem. Veniunt etiam *fratres Judæ*, cum humilitas, castitas, patientia, continentia, obedientia, sobrietas cæteræque virtutes adventantes templum cordis incipiunt emundare, et bonum pro- B fectum nobis præstare.

Emundato templo, dedicato altari, illatis novis vasis fit *lætitia magna in populo*, quia, dum homo per Dei gratiam fuerit visitatus, per confessionem emundatus et dedicatus, vasorum novorum, id est virtutum, illatione ornatus, fit *lætitia magna in populo*, quia interiores et exteriores hominis sensus perfecto gaudio gratulari incipiunt in Domino, qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

VEN. GODEFRIDI

OPUSCULUM

DE BENEDICTIONIBUS JACOB PATRIARCHÆ

Ad cap. XLIX Geneseos.

729 CAPUT PRIMUM.

De benedictione Ruben primogeniti filiorum Jacob.

Statum præsentis Ecclesiæ Jacob patriarcha in Spiritu sancto prævidens, in benedicendis filiis suis hunc eumdem statum his verbis exprimit dicens : *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea et principium doloris mei, prior in donis, major in imperio, effusus es sicut aqua* (*Gen.* XLIX). A Ruben primogenito prophetando incipit, et sic enumeratis singulis usque ad Benjamin, qui novissimus est, descendendo pervenit. Et quia totius ordo Ecclesiæ in prælatis constat et subditis, per Ruben primogenitum, prælati possunt intelligi; per Benjamin novissimum, boni et perfecti quique subditi. Et digne quidem bonus quisque prælatus *Ruben*, quod interpretatur *videns filium*, nominari poterit, quando et sibi et filio suo, bono scilicet subdito, provido circumspectionis oculo, pro posse et nosse suo, in C omnibus providere studuerit : qui etiam *primogenitus* Dei non immerito dicitur, quia sicut antiquitus regnum, et sacerdotium jure hæreditario debebatur, primogenitis, ita nunc spiritali dignitate boni quique prælati reges sunt et sacerdotes. Reges revera potentissimi sunt, qui seipsos bene vivendo et subjectos sibi salubriter admonendo regere norunt; sacerdotes nihilominus sunt, quia dona et sacrificia pro se 730 et pro subdito sibi populo quotidie offerunt.

Tales profecto reges et sacerdotes, verus noster Jacob Deus omnipotens, quasi blandiendo alloquitur dicens : *Tu fortitudo mea.* Bene fortitudo Domini merentur appellari, quando confortati in Domino et in potentia virtutis ejus, fortiter et viri- D liter carnalibus desideriis resistunt, et infirmos quosque sibi subditos, non solum verbo prædicationis, sed et sanctæ orationis studio sustentare atque confortare non desistunt.

Qualiter autem tam laudabilis fortitudo acquiratur, sequentibus verbis mystice insinuatur, cum protinus subinfertur : *Et principium doloris mei.* Est dolor malus, per quem homo a Deo separatur; et est dolor bonus, quem misericors Dominus suum dolorem esse fatetur. Dolorem bonum bonus prælatus habet, quando pro suis et subditorum peccatis et excessibus Deo assidue supplicando gemit et dolet. Dolorem bonum habet, quando affligitur et contristatur quod mortalitatis hujus vinculis irretitus tandiu a Domino peregrinatur. Sic, sic plangendo seipsum coram Domino fit *principium doloris* Dei, ad dolorem pœnitentiæ et satisfactionis, atque ad desiderium vitæ perennis verbo et exemplo subditos suos humiliter excitando. Talis prælatorum atque subditorum dolor, dolor **731** Dei Patris jure dicitur, quia talem dolorem ipse approbat, quia dolorem suorum suum dolorem deputat. Ait ergo, *tu primogenitus meus*, *tu fortitudo mea et principium doloris mei.* Ac si dicat : Tu merito teipsum et subditos secundum voluntatem meam regere, tu imbecilles meos sustentare, tu dolorem meum, dolorem, inquam, mihi placitum, in cordibus meorum excitare debes, quia *prior in donis*, *major* es *in imperio*. *Prior in donis* es, quia majori prudentiæ et sapientiæ, majori intellectus ac cæterarum charismate virtutum præ cæteris te donavi. *Major in imperio*, quia aliis te hominibus Dominum, magistrum atque doctorem præfeci.

Sed et tu donis meis ex parte respondisti. *Effusus* enim *es, sicut aqua*. Per aquam designatur prædicationis et spiritualis doctrinæ gratia, sicut aliunde in Evangelio Dominus testatur, cum dicit : *Qui biberit aquam, quam ego do, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam* (*Joan.* IV, 14). Sicut enim aqua exstinguit, lavat, reficit; ita prædicatio bonorum lavat corda subditorum, eliciens ex abysso cordis aquam compunctionis, per quam fit emundatio peccatorum, exstinguit sitis ardorem, reficit, imo suscitat esuriem et sitim cœlestium gaudiorum.

Ad hanc gratiam dum bonus prælatus pervenerit, in quanta se humilitate custodire debeat sequenti verbo apte insinuatur, cum dicitur : *Ne crescas*. Est quoddam crescere bonum, et est quoddam crescere malum. Bene quidem crescit, qui in virtutibus augetur ; male crescit, qui ex virtutum augmento in tumorem mentis elevatur : **732** Ergo *ne crescas*, inquit, hoc est non in altitudinem cordis, non superbiam, vel grossitudinem mentis elevatus, attribuendo tibi quod meum est, mihi appareas ingratus. A me enim accepisti quidquid habes; ego sum, qui dedi, ego, cum voluero, quæ mea sunt auferre potero : *Misereor* enim *cui voluero, et clemens ero in quem mihi placuerit* (*Exod.* XXXIII, 19). Quanto ergo ex munere meo sublimior es, tanto humilior coram oculis tuis, totum quod habes soli mihi ascribere debes.

Ascendisti enim cubile patris tui. Per *cubile patris* innocentes atque castas, mundas et immaculatas subditorum animas possumus intelligere, quæ convenienter *cubile Patris* Dei nominari possunt, quia ei, quem nec ipsi cœli capiunt, jucundum et desiderabilem requiem in semetipsis faciunt. *Cubile*, inquit, *Patris tui ascendisti*, quia potestatem et dominium super corpora et animas humilium meorum in loco et vice mea accepisti. Ergo si ex tanto meo dono intrinsecus creveris, hoc est, si in vera humilitate te non custodieris, *maculasti stratum meum*. *Stratum* Dei cor significat boni cujusque prælati. Quod cum semper Deo in humilitate substerni debeat, male quodammodo *maculatur*, quando noxio superbiæ et elationis pulvere respergitur et fœdatur.

Sed quia per Ruben primogenitum Jacob, ordinem, vitam et conversationem prælatorum congrue intelligenda diximus, nunc etiam videndum est quomodo in novissimo ejusdem filio, qui est Benjamin, perfectorum ordinem subditorum notare valeamus.

CAPUT II.

De Benedictione Benjamin.

Benjamin, inquit, *lupus rapax, mane comedet prædam, et vespere dividet spolia* (*Gen.* XLIX). Benjamin *filius dexteræ* interpretatur. Quotquot ergo *filii dexteræ* Dei fieri et esse desiderant, necesse est ut lupi naturam imitari studeant. Proprium est lupo semper aliena rapere, ad devorandum aliena semper anhelare. Sic profecto homo salvandus, inter filios dexteræ Dei connumerandus semper aliena desiderare, hoc est illis quæ sua non sunt, esurientem animam suam jugiter studeat satiare. Per ea quæ non nostra, sed aliena quodammodo a nobis sunt, spiritalia et cœlestia quæque convenienter **733** intelligi possunt. Homo enim cum terrenus et carnalis sit, quidquid de terra et de carne est suum quodammodo dicere poterit ; suum autem non est quidquid de spiritalibus, seu cœlestibus cogitari, vel desiderari potest. *Benjamin* ergo *quasi lupus rapax* fit, quando bonus subditus toto cordis desiderio illa, non sua, cœlestia scilicet et spiritalia, desiderare incipit. Dicitur enim *rapax* quasi ad rapiendum audax; audax autem est qui audet audenda et non audenda. Ex desiderio cœlestium et spiritalium bonorum salubris et laudabilis quædam audacia homini intrinsecus nascitur, quia ex ipsa quam in Dominum habet confidentia, ea quæ sunt super se, cœlestis videlicet dulcedinis gratiam, quæ solis electis et dilectis filiis Dei reservatur, violenta quadam quotidiani laboris constantia rapere, id est apud Deum obtinere nititur. Hæc bona audacia, hæc non vituperanda rapina quod Deo nequaquam displiceat, sequentium ordo verborum mystice insinuat :

Mane, inquit, *comedet prædam*, *et vespere dividet spolia*. Per *mane* superna illustratio sive cognitio Dei, per *vespere* cognitio sui convenienter accipitur, quia, dum supernæ visitationis gratia intrinsecus homo illuminatus fuerit, hoc est dulce et desidera-

bile quoddam *mane*, cujus fulgore ad optatam Dei cognitionem proficit. In hoc lucifluo mane *prædam comedit*, quando diu cupita cœlestis gratiæ dulcedinis recreari intrinsecus meruerit. Post illud *mane* optabile sequitur *vespere*, quando recte et perfecte, humiliter et subtiliter seipsum incipit recognoscere. In hoc *vespere*, in illa, inquam, perfecta sui cognitione, *spolia dividit*, quando universa corporis sui membra, quæ subtracta Deo diaboli subdiderat dominio, vertere in obsequium Christi laborat, quando nec videre oculis, nec audire auribus, nec operari manibus quidquam quærit, nisi quod ad laudem et honorem nominis Dei pertinere credit.

734 CAPUT III.

De benedictione Simeon et Levi, fratrum.

Sed quia ordo prælatorum et subditorum, per *Ruben* et *Benjamin* expressus, ex pœnitentibus et innocentibus, ex activis et contemplativis subsistit, in reliquis decem filiis Jacob, quos medios inter Ruben et Benjamin intactos reliquimus, duas vitas spiritales non incongrue accipimus. In *Simeone*, *Levi et Juda*, *Zabulon* atque *Issachar* activos; per *Dan*, *Gad*, *Aser*, *Nephthali* atque *Joseph* contemplativos. Et bene vita activa per Simeonem, Levi, Judam, Zabulon et Issachar designatur; Simeon enim *exauditio*, Levi *additus*, Judas *confitens*, Zabulon *habitaculum fortitudinis*, Issachar est *merces* interpretatus. Vita autem activa, quia difficilis est et laboriosa, recte in *Simeone* pœnitentes, in *Levi* convertentes, in *Juda* confitentes, in *Zabulon* contra diabolum et vitia pugnantes, in *Issachar* intelligendi sunt Deo digne satisfacientes. Et digne quidem homo perfecte pœnitens et *Simeon*, et *Levi* appellari poterit, quando digna pro peccatis ductus pœnitentia, a Domino exauditur, additusque congregationi justorum capiti suo Christo sanctis operibus, justis desideriis unitur. De hoc tali homine recte dicitur :

Simeon et Levi fratres, vasa iniquitatis bellantia (*Gen.* XLIX). Prævidit in filiis suis patriarcha beatus, Spiritu sancto illuminatus, quod veri Jacob filii, omnes scilicet ad æternam vitam prædestinati, etsi per quotidiana peccatorum incrementa *vasa iniquitatis* fuerant, per pœnitentiam et conversionem revertentes ad Dominum, *vasa* contra eumdem iniquitatem fortiter *bellantia* esse debeant. Et juste quidem *Simeon et Levi*, pœnitentes scilicet et convertentes *fratres* appellantur, quia nec pœnitentia sine conversione, nec conversio sine pœnitentia sufficere ad salutem potest. Quæ tamen pœnitentia, et conversio placere omnipotenti Deo non poterit, si discretionis 735 bono ornata non fuerit. Unde apte mox subjungitur :

In consilio eorum non veniat anima mea, et in cœtu illorum non sit gloria mea, quia in furore suo occiderunt virum et voluntate sua suffoderunt murum. Moris est quorumdam pœnitentium, ad spiritalem militiam transeuntium, indiscreto labore semetipsos in ipso conversionis suæ primordio prosternere. Sed quia talem illorum fervorem Omnipotens non approbat, recte dicitur, *in consilio eorum anima mea non veniat*. Ac si dicat : Consilio eorum anima mea non condelectatur, quia ex indiscreta et minus provida carnis afflictione, qua mihi et sibi inutiles efficiuntur, cor meum nullo modo lætatur. Et quia quidquid sine consilio Dei et prælatorum locum Dei tenentium homo indiscrete incipit, etiam non Deo, sed propriis plerumque viribus attribuit, consequenter Dominus subjungit :

Et in cœtu eorum non sit gloria mea, quasi dicat : *In cœtu*, hoc est, in multitudine laborum eorum *gloria mea* non erit, quia in his quæ sine discretionis moderamine agunt, non meam, sed propriam laudem et gloriam quærunt. In talibus non gloriabor, *quia in furore suo occiderunt virum, et in voluntate sua suffoderunt murum.* In *viro* fortitudo et robur corporis ; in *muro* intelligi valet duritia cordis. *Virum in furore suo occidunt*, qui ex indiscreto fervore per immoderatam carnis macerationem seipsos affligunt. *Murum in voluntate sua suffodiunt*, quando emollita per voluntarios labores cordis duritia, tandem ad aliquam mentis illuminationem et tranquillitatem perveniunt.

Sed maledictus furor eorum, *quia pertinax*, *et indignatio eorum, quia dura.* Fervor ille pœnitentium et convertentium, quo in primordio conversionis vires corporis injustis laboribus interficientes in semetipsis effeminati, et ad nullum bonæ operationis studium postmodum idonei efficiuntur, recte *furor maledictus* dici valet, quia, cum *pertinax* sit, hoc est quia sine obedientia Dei 736 et magistrorum fit, benedictione Dei caret. Quorum etiam *indignatio dura*, id est inflexibilis jure dicitur, quando ab inconsulto rigore nullo magistrorum revocari possunt præcepto vel admonitione.

Sed nunquid hi qui salvandi sunt, tam pertinaci furore, tam dura sui indignatione peribunt? Nequaquam. *Dividam eos*, ait Dominus, *in Jacob, et dispergam eos in Israel.* Per *Jacob, qui supplantator* interpretatur, vitiorum supplantatio et laudabilis vitæ activæ operatio satis congrue designatur. Per *Israel* autem, qui *vir videns Deum* dicitur, cordis contemplatio, et bona vitæ contemplativæ operatio non inconvenienter exprimitur. *In Jacob* Deus omnipotens hominem *dividit*, quando sua eum pietate intrinsecus docet quomodo, vitiis virtutum successibus supplantatis, a bonis actibus, quos in activa vita operatus est, noxia et inutilia separare et abjicere debeat. Hæc salubris divisio tunc in homine fit, quando id quod operatur, provida discretione, discreta cautione in Deo, et propter Deum operari conatur. Post laudabilem hanc divisionem *dispergitur in Israel*, id est in mentis contemplationem.

Et notandum quod dicitur, *dispergam*. Quod *dispergitur* in minutas divisum particulas paulatim deficit et ad nihilum redigitur. Sic homo, cum ad dulcem mentis contemplationem Deo miserante pervenerit, quidquid corpori ex minus discretis actibus, quidquid cordi ex iniquis cogitationibus, sive affe-

ctibus usque tunc insedisse noverit, radiis superni splendoris illustratus, per adjuvantem et cooperantem Dei gratiam minutatim a se *dispergit* et abjicit. Qui etiam nobile nomen *Judæ* convenienter sortitur, quando in activa et contemplativa vita aliquantulum exercitatus, ad humilem, veram et perfectam confessionem convertitur et post veram peccatorum confessionem, dulcissimam, quæ subjungitur, a Deo Patre consequitur benedictionem.

737 CAPUT IV.

De benedictione Judæ.

Juda, te laudabunt fratres tui (*Gen.* XLIX). Quem, rogo, *fratres*, isti convenientius quam angelicos cœlestis militiæ exercitus exprimunt, qui Judæ homini scilicet vere et humiliter confitenti, etiam in ipsa confessionis suæ hora præsto sunt, suscipientesque veram humilitatem pœnitentis, humilem pœnitentiam confitentis, eum, ut *fratrem* dilecti Patris filium electum, non modicis laudibus coram oculis summæ Majestatis attollunt? Spiritalis enim profectus hominis, adhuc in terra peregrinantis, gaudium et lætitiam in cœlis parit virtutibus angelicis. *Juda*, inquit Dominus, *te laudabunt fratres tui.* Ac si dicat : Quia te vere coram me humiliasti, laudari a fratribus tuis, spiritibus angelicis digne promeruisti. Cum enim parvulus esses in oculis tuis, caput te constitui in tribus Israel. Et quid mirum, si sanctos angelos *fratres* hominum electorum dicimus, quorum se fratrem ipse angelorum Creator et Dominus nominare dignatus est, dicens per Prophetam : *Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te* (*Psal.* XXI, 23). Et rursum post resurrectionem suam : *Ite*, inquit, *nuntiate fratribus meis* (*Matth.* XXVIII, 10). Et ipsi confessores confessionem confitentis in loco et vice Dei suscipientes *fratres ejus* nominantur, qui mirificam omnipotentis Dei misericordiam in ipso et pro ipso laudantes, profectui ejus per omnia congratulantur. Quicunque autem tantis angelorum hominumque vitæ ejus perfectionem cernentium laudibus attolli coram Deo meruerit, huic pius et misericors Dominus verbis sequentibus innuit quam provido circumspectionis oculo seipsum custodire debeat, ne laude aut vana gloria donum Dei in eo depereat.

Manus, inquit, *tua in cervicibus inimicorum tuorum, et adorabunt te filii patris tui.* Potest per *manum* intelligi bona operatio, in *cervicibus inimicorum*, occulta malignorum spirituum, elationem mentis latenter suggerentium, tentatio. Per cervices enim superbia exprimitur, sicut in psalmo per Prophetam dicitur : *Dominus justus concidit cervices peccatorum* (*Psal.* CXXVIII, 4). Spiritus apostatici, saluti hominum semper invidi, quanto spiritalem 738 quemcunque in Deo proficere conspiciunt, tanto importunius contra eum insurgunt ; et dum exterioribus non valent actibus, elatis cogitationibus in occulto cordis supplantare eum satagunt. Ergo *manus tua*, dicit Dominus, *in cervicibus inimicorum tuorum* ; ac si dicat : Cum bene et laudabiliter operatus fueris, ne in secreto cordis extollaris, semper te in humilitate custodire memineris. Hoc si feceris, *adorabunt te filii patris tui.* Potest hoc in loco per *patrem* aut diabolus, aut præsens iste mundus intelligi ; per *filios* vero opera mundi, quæ sunt opera peccati. De hoc patre dictum est Abrahæ : *Exi de terra, et de cognatione tua, et de domo patris tui* (*Gen.* XII, 1). Et iterum per Prophetam quamlibet beatam animam Dominus admonet, dicens : *Obliviscere populum tuum et domum patris tui* (*Psal.* XLIV, 11). Et bene dicit, *patris tui.* Eramus enim aliquando filii diaboli, eramus et filii sæculi. Filii diaboli fuimus per primi hominis culpam, regenerati vero per baptismum facti sumus filii Dei per gratiam. Post hæc etiam ex propriæ voluntatis deliberatione filii sæculi fuimus, quando plus sæcularibus, quam cœlestibus desideriis succubuimus. Omnis autem a sæculi vanitate conversus, et per veram pœnitentiam et confessionem perfecte ad Deum reversus, si in vera humilitate se custodierit, *a filiis patris sui adorabitur*, quia, accepta per Dei misericordiam peccatorum indulgentia, ab operibus mortuis, ex diabolica suggestione et amore sæculi contractis misericorditer emundabitur. Et bene dicitur, *adorabunt te filii patris tui*, quia sicut ille qui vult aliquem adorare solo prosternitur, sic omnis iniquitas ab anima vere confitentis, et post confessionem in humilitate persistentis, Deo eum emundante intrinsecus, cadit et dilabitur. Sed verus noster Jacob post nobile pietatis consilium atque consolationem, discendæ humilitatis exemplum proponit, cum continuo subjungit et dicit :

Catulus leonis Juda. Leo in natura sua fortissimus est bestiarum. Dormit etiam, ut legimus, apertis oculis, et cum rugitum emiserit, ad vocem ejus reliqua bestiarum multitudo contremiscit. Et congrue quidem per leonem, bonum quemlibet et 739 justum accipere possumus magistrum atque doctorem, qui fortissimus esse debet in sancta operatione, fortissimus in vitiorum atque carnalium desideriorum compressione. Dormit etiam apertis oculis, quando a tumultibus sæculi ita sibi studet vacare, quod tamen spiritalibus atque corporalibus subditorum necessitatibus non negligit invigilare. Hic talis cum rugitum prædicationis emiserit, omnes bestias, hoc est omnes homines, qui bestialiter aliquando se vixisse recognoscunt, audientes perennis vitæ gaudia, perpetuæ damnationis pericula, ad vocem ejus tremore salubri contremiscere incipiunt. Vult ergo Deus omnipotens ut omnis qui filius ejus esse desiderat, semper in humilitate subesse studeat. Ait ergo *catulus leonis Juda ;* quasi dicat : Esto *catulus leonis*, esto, inquam, humilis subditus ejus quem tibi præfeci magistri atque doctoris. Esto fortitudinis ejus imitator, esto providus doctrinæ illius sectator. Memor esto quare veneris, et quo tandem pertingere disposueris.

Ad prædam, fili mi, ascendisti. De convalle hujus mundi ad celsitudinem sanctæ hujus conversionis

ascendisti, ut illud quod tuum non est, prædetis, hoc est et spiritali dulcedine cœlestiumque virtutum charismate infundi merearis. *Ascendisti* nihilominus *ad* faciendam *prædam* diabolo, ut cujus voluntarium te servum aliquando fuisse recognoscis, ab ejus te potestate et dominio rapias, sancteque, juste ac sobrie vivendo, mihi Creatori atque liberatori tuo corpore simul et anima temetipsum restituas.

Sed ex præcedentis et subsequentis gratiæ meæ auxilio nequaquam fraudatus es a desiderio tuo. *Requiescens* enim *accubuisti ut leo et quasi leæna*. *Requiescens* a malis, *accubuisti* in bonis, ad exemplum *leonis*, id est, boni prælati, boni, quem tibi dedi, doctoris; et *leænæ*, sanctæ videlicet hujus quæ te suscepit congregationis. Et beatus homo, qui requiescendo a peccatis, accumbendo in bonis, laudari a Domino meretur! Nam quanta ei adhuc gratia succedat, sequens nobis littera mystice insinuat. Sequitur enim:

Quis suscitabit eum? Ac si dicat: Solus ille cui soli convenit nomen istud *quis*, cujus nomen nemo scit, a morte peccatorum, a morte animæ in præsenti eum *resuscitat*, ut post mortem carnis corpore simul et anima resuscitatum æternæ saluti restituat. Hic profecto placere Deo in **740** vita sua poterit, sicut sequens litteræ textus continuo subjungit:

Non auferetur, inquit, *sceptrum de Juda, et dux de femoribus ejus, donec veniat qui mittendus est.* In *sceptro*, quod soli reges solent prætendere, virgam illam regiam, qua homo ille qui vere a morte animæ ad vitam resuscitatus est, seipsum regit in bonis, percutit a malis, convenienter possumus intelligere. In *duce* vero *femorum* ejus, sensum et intellectum cordis, non injuste intelligendum credimus. Notandum autem quod dicitur, *de femoribus*. Est profecto quasi unum femur cordis, alterum vero femur corporis. Habet homo in femore carnis bona opera, quibus se ad Deum sublevat; habet in femore cordis intellectum, per quem ex angustiis hujus mortalitatis ad Deum, et spatiosam cœlestis patriæ libertatem jugiter transvolat. Binis femoribus istis tandiu homo beatus sustentari debet, *quoadusque veniat, qui mittendus est*, donec dulcis ille amor Dei, quod est Spiritus sanctus, qui desursum mittitur in corda hominum, mirificæ visitationis suæ fulgore tenebras mentis excutiat, seque per ingenitam sibi æternæ suavitatis gratiam cordi desideranti desiderabiliter infundat. *Et ipse erit exspectatio gentium.* In ipso enim et per ipsum fit remissio omnium peccatorum. Ipse cum venerit, invisibili igne amoris sui cor hominis ad majorem spiritalis constantiam fervoris accendit. Unde apte mox subinfertur:

Ligans ad vineam pullum suum et ad vitem, o fili mi, asinam suam. Potest designari per *pullum* parvus et humilis spiritus hominis; per *vineam*, spiritalis habitatio conversationis. *Ligat* Spiritus sanctus *ad vineam pullum suum*, quando spiritum hominis parvum per humilitatem factum, amoris sui dulcedine ita in spiritali conversatione stabiliendo confirmat, ut si quid ei ex austeritate vitæ spiritalis arduum vel difficile usque tunc videatur, si quid ambiguitatis vel inconstantiæ adhuc in animo patiebatur, totum dispereat, et amara ut dulcia, quantum in homine est, amplecti et diligere propter Deum incipiat. *Ligat* etiam *ad vitem asinam suam*, quando corpus, quod per *asinam* accipitur, omnesque sensus corporis ad servitutem, laudem et honorem Domini nostri Jesu Christi flectere nititur. Ipse est enim vitis illa, de qua æternæ suavitatis vinum pullulat, sicut ipse de seipso testatur in Evangelio: **741** *Ego sum vitis vera, et Pater meus agricola est* (*Joan.* XV, 1). Omnis igitur qui viti huic ita inseritur, quod totis sensibus, totis exteriorum membrorum compagibus in servitio, laude et honore Dei frequenter occupari gaudet, ex dulcissima voce Domini, invisibiliter sibi loquentis, audire meretur intrinsecus: *O fili mi!* Est enim filius Dei, quia paterna dulcedine jugiter ab eo meretur inebriari. Unde sequitur:

Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvæ pallium suum. In *vino* copiosa gratia Spiritus sancti; in *stola* anima humilitate cæterisque virtutibus ornata non indigne valet intelligi. *In vino stola lavatur*, quando anima humilis in compunctione, quæ de invisibili æternæ dulcedinis fonte procedit, mundata et purificata, funditus mori peccatis atque vitiis conatur, ut Christo Sponso suo cœlesti investiri mereatur. *Lavat* etiam *in sanguine uvæ pallium suum*, quando in conformitate passionis Christi corpus suum, quod *pallium* significat, ex vetustate peccatorum quotidie abluit et innovat. Sed, quia quanto homo in virtutibus et virtuosis actibus exterius convalescit, tanto ei sensus et intellectus spiritalis intrinsecus accrescit, recte subinfertur:

Pulchriores sunt oculi ejus vino, et dentes ejus lacte candidiores. Significatur hic per *vinum* sive legis austeritas, sive præsentis sæculi jucunditas; per *oculos*, intellectus; per *dentes*, spiritales sensus. Cum enim austeritatem legis spiritaliter intelligere incipit, et a lacte litteræ ad eliciendam latentem spiritalis gratiæ dulcedinem sensus suos spiritaliter converterit, bene *oculi ejus vino pulchriores* probantur, quia spiritalis ille intellectus, qui tunc ex sacra Scriptura occurrit, omni sæculari jucunditate pulchrior, purior et jucundior merito dici poterit. Habet etiam *dentes lacte candidiores*, quando confortatus sensu spiritali, lacte simplicis litteræ remoto, non solum leviora, sed et fortiora sacræ Scripturæ secreta fortibus assiduæ meditationis dentibus comminuere atque confringere incipit.

742 CAPUT V.

De benedictione Zabulon.

Post Judam *Zabulon*, qui interpretatur *habitaculum fortitudinis*, congruo ordine subjungitur, quia

confiteri peccata non sufficit, si post confessionem forti quadam pugna resistere peccatis et hostibus desierit. Ait ergo:

Zabulon in littore maris habitabit, et in statione navium pertingens usque ad Sidonem (*Gen.* LIX). In *littore maris* non incongrue accipimus stabilitatem cordis amaricati per pœnitentiam. Et bene pugnantes contra diabolum *in littore maris habitare* dicuntur, quia per stabilem pœnitentis amaritudinem cordis dæmones expugnantur, vitia exterminantur. Ea propter, qui in fortissimo pugnæ hujus congressu superior hosti suo inveniri desiderat, ad *stationem navium* confugere non differat. *Statio* portus est in quo post emensos periculosos aquarum fluctus naves statuuntur. Et bene per hanc stationem pacatissimus æternæ quietis portus figuratur, in quo, post finitos præsentis vitæ labores et miserias, multitudo electorum collocatur. Ad hanc autem stationem nullus pertingere poterit, qui extra naves manu Altissimi ad salutem hominum fabricatas repertus fuerit. Navium nomine, quarum vehiculo procellosa aquarum pericula declinantur, diversi ordines in sancta Ecclesia possunt intelligi, qui ad salutem sufficiunt, qui hominem de profundissima vitiorum gurgite sublevatum æternæ salvationis portui restituunt. Est et alia, in hac vita statio navium, stabilis videlicet amor Dei et amor proximorum, quo cum homo in sancta conversatione stabilitus fuerit, recte Zabulon habitare, id est requiescere in *statione navium* dici poterit. Nam si cor vero Dei et proximi amore intrinsecus ignescit, et si sunt exterius quæ impetunt, in vera tamen requie est, quia, licet nondum in re, in spe tamen, quasi in portu perpetuæ salutis constitutus, feliciter cum Domino requiescit. *Littus* enim retrahit eum, ne malum admittat; *statio* custodit eum, ut bonum facere gaudeat. Unde mox subinfertur:

Pertingens usque ad Sidonem. Sidon *inutilis venatio* dicitur. *Usque ad Sidonem* pertingit, qui totum quod inutile et minus laudabile in corpore aut in anima sua invenerit, quasi subtili quadam venatione, ut ad nihilum redigat, sollicite insequitur.

743 CAPUT VI.

De benedictione Issachar.

Post hujusmodi venationem Zabulon, *Issachar* efficitur, quando quidquid laboris aut difficultatis est, libenter propter Deum amplectitur. Sequitur ergo:

Issachar, asinus fortis accubans inter terminos, vidit requiem, quod esset bona, et terram, quod, optima, et supposuit humerum suum ad portandum, factusque est tributis serviens (*Gen.* XLIX). In *Issachar*, qui interpretatur *est merces*, sicut longe superius diximus, Deo digne pro peccatis satisfacientes accipere possumus. Verum, qui sic satisfacere pro præteritis excessibus quærit, ut omnipotenti Deo satisfactio ejus placeat, necesse est, ut *asinus fortis* esse studeat. *Asinus* quidem oneriferum animal est, totumque quod sibi impositum fuerit patienter tolerat

A et subvehit. Sic, sic *Issachar*, homo videlicet, qui pii laboris mercede recompensare Deo satagit, quæ inique videndo subripuit, animal oneriferum esse debet, et ad sustinenda quæcunque aut ex propriæ carnis fragilitate, aut ex antiqui hostis malitia, aut etiam a simul commanentibus occurrunt, humilem, fortem se præsentet atque mansuetum. Sit *fortis* in corpore ad tolerantiam, sit *fortis* in corde ad patientiam. Unde autem ad tantam fortitudinem proficere valeat, sequentium ordo verborum mystice insinuat:

Accubans, inquit, *inter terminos*. Et notandum quod quasi duos hic *terminos* ponit. In termino uno intelligi potest æterna vita, quam exspectamus; in termino altero æterna mors, quam effugere desideB ramus. *Accubare* autem est in humilitate cordis quiescere. Cum enim ex una parte perennis vitæ jucunditatem considerat, et ex altera parte æternæ mortis pericula et miserias subtiliter pensando enumerat, fit quodammodo 744 asinus fortis *accubans inter terminos;* quia, dum ex respectu æternæ felicitatis, et ex metu æternæ damnationis ad tolerantiam in corpore, ad patientiam in corde animatus fuerit, per veram humilitatem ad veram cordis tranquillitatem feliciter proficit:

Sed unde hoc? *Vidit* enim, sicut sequitur, *quod esset bona, et terram, quod optima, et supposuit humerum suum ad portandum. Videt* namque quam salutiferum, quam suave sit et jucundum in præC senti vita in vera humilitate quiescere. Vera enim humilitas vera cordis atque corporis est tranquillitas. Quæ esse *bona* merito perhibetur, quia per eam ad *terram*, quæ *optima* est, terram scilicet viventium tandem pertingere promeretur; quæ *bona* quidem in spe, *optima* autem erit in æterna remuneratione, testante Psalmista, qui ait: *Credo videre bona Domini in terra viventium* (*Psal.* XXVI, 15). Amore igitur et desiderio optimæ hujus terræ *supponit humerum suum ad portandum*, quando se infra se fortiter constringit, humerumque cordis, sicut præmisimus, ad patientiam, humerum corporis ad tolerantiam devote accingit.

Factusque est tributis serviens. Tributis quidem servit, quando de carne carnis laborem, de corde D cordis dolorem devote solvere non refugit. Ita namque tributa perfecte solvebat David propheta, cum dicebat: *Quia tu solus laborem et dolorem consideras* (*Psal.* X, 14). Hæc sane tributa jugiter Deo solvere debemus, ut et corpore, quantum possumus, ei omni tempore serviamus, et corde ad desiderium cœlestium bonorum semper recurrere studeamus. Et hæc est vita activa per Simeonem, Levi, Judam, Zabulon et Issachar non inconvenienter expressa, quæ sic activo labore exercetur, quod contemplativa tamen dulcedine non privatur.

CAPUT VII.

De benedictione Dan.

Post emensos activæ vitæ labores vita contemplativa sequitur. Quæ per reliquos quinque fratres,

Dan scilicet, *Gad* et *Aser*, *Nephthalim et Joseph* non injuste exprimitur; quæ sic speculativæ dulcedinis refulget splendore, quod tamen activo non caret labore. Neutra enim vita perfecte aut utiliter exerceri potest sine altera, unde apte subjungitur :

Dan judicabit populum suum, sicut et alia tribus in Israel (*Gen.* XLIX). *Dan*, qui interpretatur *judicium*, hominem spiritalem **745** significat, qui consideratione et delectatione cœlestis patriæ ab intimis et terrenis actibus, quantum homini possibile est, semetipsum suspendens, non solum facta et dicta, sed et minutissimas quasque cogitationes suas, quæ quasi *populus* ejus sunt, sollicite pensat atque judicat, juxta quod Scriptura dicit : *Spiritalis dijudicat omnia, ipse autem a nemine judicatur* (*I Cor.* II, 15). Sed quia necessarium est, ut in activa et contemplativa vita prudenter sibimetipsi provideat, sequens patriarchæ Jacob benedictio sive prophetia mystice insinuat. *Fiat*, inquit, *Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens ungulas equi, ut cadat ascensor ejus retro. Coluber*, qui et serpens, hoc ex natura habet, quod tanta lenitate graditur, ut plerumque prius videndum se præbeat quam in ambulando sentiri valeat. *Cerastes* autem *cornutus serpens* dicitur, qui in regionibus istis minime invenitur. Designatur per serpentem prudentia, sicut aliunde in Evangelio ipsa æterni Patris testatur Sapientia : *Estote*, inquit, *prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ* (*Matth.* X, 16). In cerastis vero cornibus potentiam accipere possumus. Necessarium quidem est homini spiritali, ut serpentem in via imitetur, hoc est ut omnia, quæ in activa vita, quæ per *viam* accipitur, agenda sunt, non subita, vel importuna quadam incursione, sed placita, prudenti atque provida mentis deliberatione agere conetur. Sit etiam *cerastes in semita*, potens videlicet et prudens in contemplativa vita. Sit prudens in oratione, potens in mentis contemplatione. Prudens quidem est qui supervenientes tempore orationis inutiles cogitationum phantasias a conspectu cordis prudenti cœlestis manu desiderii abigere potest, et quid vel qualiter orandum sit prudenter discernere didicit. Per prudentem hanc orationem ad potentem mentis sublevatur contemplationem, ubi ad contemplanda multa prius incognita tam potens efficitur, quod, despectis transeuntibus, ad requirenda et desideranda sola quæ **746** permanent suaviter succenditur. Sicque factis efficaciter implere poterit quod sequitur :

Mordens ungulas equi, ut cadat ascensor ejus retro. Potest caro nostra, cui sedet spiritus noster, per *equum* designari; per *ungulam* autem *equi*, quæ quasi mortua quædam caro est, quidquid mortui operis in carne inveniri potest. *Ungulam equi mordere* dicitur qui quidquid morti obnoxium carni suæ insidere deprehenderit, duris pœnitentiæ morsibus conterere et abjicere nititur, ut hostis antiquus, qui per *ascensorem equi* intelligitur, *retro cadat*, nullumque in eo sessionis locum invenire valeat.

Notandum autem quare dicat, *ut cadat retro*. Quod retro hominem est, minime ab eo videri potest. Et ascensorem quidem retro cadere facit qui incentorem omnium malorum diabolum, cum ad ascendendum carnem suam per peccati suggestionem illecebrosam præparatum intelligit, immissionibus non acquiescendo, sed prædicto modo *ungulam equi mordendo*, forti præcipitio illisum conterit : *retro*, hoc est antequam peccata ejus in faciem veniant, id est antequam cognosci a Deo vel hominibus incipiant, antequam Deo, qui secreta cordis rimatur, consensus innotescat, vel infamis actio auribus hominum increbrescat. Tandem hoste in hunc modum colliso fiducialiter proclamet et dicat Domino :

Salutare tuum exspectabo, Domine. Quasi dicat : Quia respectu æternæ tuæ visionis cunctis hujus mundi gaudiis extraneus appareo, quia ad te solum, qui solus mihi ad omnia sufficis, corde et animo suspensus anhelo, *salutare tuum* desiderando *exspecto*, exspectando desidero; non solum autem, Domine, illud *tuum salutare* quod ad æternam vitam electis tuis in præmium reservatur, sed et hoc quod in hac vita per visitantem tuæ inspirationis gratiam in benedictionibus dulcedinis tuæ diligentibus te quotidie præparatur.

747 CAPUT VIII.

De benedictione Gad.

Sed quia quanto altius ad contemplanda superna supra se homo per desiderium elevatur, tanto subtilioribus tentationum aculeis intrinsecus ab hoste impugnatur, convenienti quodam ordine patriarcha, sanctus Spiritu sancto repletus, subintulit dicens :

Gad accinctus prœliabitur ante eum, et ipse accingetur retrorsum (*Gen.* XLIX). Nomine *Gad*, qui *tentatio* sive *latrunculus* interpretatur, latens et occulta tentatio, per quam hostis malignus etiam perfectissimos quosque prosternere tentat, non incongrue figuratur. Latens tentatio est, quæ intrinsecus ita fit, quod etiam ipse qui patitur, discernere eam, vel dignoscere non valet. Quæ dum se cordi hominis leniter atque latenter infundit, ipsam etiam mentem, quæ in sublimi stare videbatur, subita quadam perturbatione concutit atque confundit, ita duntaxat, ut, quasi in quodam anxietatis nubilo posita, quid patiatur nesciat, bonum malum, malum bonum reputans, ad omnia quæ dulcia prius et desiderabilia videbantur tristis et amara esse incipiat. Contra hujuscemodi pestem tentationis, quæ maxime spiritales impugnat, virili mentis fortitudine semetipsum homo accingat, semperque ad sinum internæ **748** retractationis recurrens, assiduæque orationis clypeo sollicite se præmuniens nihil incidere animo suo patiatur, per quod oculus mentis ab internæ lucis charitate reverberetur. Hoc modo dum ad præliandum prælium Domini accinctus fuerit, consequenter de eo dici poterit :

Gad accinctus prœliabitur ante eum, quia pugnam et conflictum ejus altissimus scrutator cordium in-

spicit et approbat, et eum non solum secum vincere dat, sed et vincentem hic et in futuro misericorditer remunerat, sicut sequentibus verbis mystice demonstratur, quibus dicitur :

Et ipse accingetur retrorsum. Quid est *retrorsum accingi?* Quid in verbis istis datur intelligi, nisi quod hominem illum, qui sollicita cordis custodia se, quantum valet, a noxiis cogitationibus intrinsecus stringit, a noxia etiam actione *retrorsum*, id est in corpore misericorditer Deus omnipotens custodiendo *accingit?* Taliter autem accinctus sive expeditus, quanto a terrenis per cœlestis desiderii amorem suspenditur, tanto uberiori supernæ dulcedinis sapore recreari intrinsecus meretur, juxta quod subjecta benedictio sive prophetia mystice significare videtur.

749 CAPUT IX.

De benedictione Aser et Nephthali.

Aser, inquit, *pinguis panis ejus, et præbebit delicias regibus* (*Gen.* XLIX). Aser, *beatus* interpretatur, per quem unus idemque homo, qui et *Dan* districte seipsum judicando, et *Gad* tentationibus suis fortiter resistendo nominari meruit, recte designatur. Quæ autem vel qualis beatitudo ejus fit, manifestius demonstratur, cum dicitur, *pinguis panis ejus*. Potest per *panem* intelligi cœlestis refectio, quod est assidua cordis compunctio; in pinguedine panis, abundantia compunctionis, de cœlesti dulcedine procedentis. Hujus pinguedine panis saturari cupiebat propheta David, cum dicebat : *Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea, et labia exsultationis laudabit os meum* (*Psal.* LXII, 6). Merito igitur *pinguis panis ejus* dicitur, qui cœlestis hujus refectionis dulcedine frequenter in seipso reficitur; qui etiam si necessitas poposcerit, suaviter et utiliter reficere alios poterit. Unde convenienter continuo subinfertur :

Et præbebit delicias regibus. *Reges* in Scripturis sanctis nominantur qui, sceptrum justitiæ manibus cordis præferentes, nihil in semetipsis incorrectum relinquunt, sed mores, locutiones, actus suos atque cogitationes secundum voluntatem Dei regere et ordinare norunt. Talibus profecto regibus cœlestis doctrinæ administratio quasi dulcis et copiosa quædam deliciarum est præparatio. Illi autem, qui non sunt *reges*, qui hujus potestatis regimine carent, verbum Dei non pro *deliciis*, non pro dulcedine, sed pro amaritudine habent. Recte autem dicitur, *Aser pinguis panis ejus, et præbebit delicias regibus*, quia adipe et pinguedine internæ dulcedinis in se ipso repletus ad laudandum labio [*cod.* labia] exsultationis, ad pronuntiandum, inquam, regibus, id est seipsos regentibus, eloquia **750** cœlestis eruditionis aptus redditur atque idoneus. Post tantam supernæ dignationis gratiam fit etiam *Nephthalim* quod interpretatur *latitudo*, qui angustus ad omnia, quæ præsens habet mundus, ad eum solum, quem mente conspicatur, totis cordis animæque medullis magis magisque dilatatur. Unde sequitur :

Nephthalim cervus emissus, et dans eloquia pulchritudinis. Cervus profecto fit, quando amabiles et A desiderabiles orationis et contemplationis saltus dare incipit. Nam nisi præcedat saltus orationis, debilis valde fit saltus contemplationis. Ergo dum a saltu puræ orationis ad saltum fortissimum, saltum scilicet contemplationis transierit, non solum *cervus*, sed cum dulci additamento, *cervus emissus* digne nominatur, quia nec a carne, nec a mundo, nec ab ipso etiam diabolo teneri valet, quin supra cuncta infra jacentia elevatus ad eum quem præ omnibus et super omnia colit et diligit, quem solum esurit atque sitit, jugiter emittatur. Hunc profecto, si quando ad ædificationem proximorum revocari contigerit, *dare eloquia pulchritudinis*, proferre, inquam, talem poterit doctrinam, quæ pulchrum faciat cor hominis. Sicque demum fit ut B et *Joseph*, qui interpretatur *augmentator*, merito dici possit. Sic, sic unus perfecte spiritalis homo quina quinque fratrum nomina in se mystice suscipit, quando *Dan* populum suum, sicut diximus, sollicite judicando, *Gad* contra latentes tentationes fortiter se accingendo, *Aser*, id est beatus in vita sua, *Nephthalim* dilatatus in Dei dilectione, *Joseph* augmentatus in proximorum dilectione vel ædificatione eo usque proficit, quod verus veri Jacob filius dici et secundum congruam subjectæ litteræ significationem paterna benedictione ab eo meretur benedici. Sequitur :

751 CAPUT X.

De benedictione Joseph ejusque allegorico significatu.

Filius accrescens Joseph, filius accrescens et decorus aspectu (*Gen.* XLIX). Possunt primum hæc C verba specialiter ad specialem et unigenitum æterni Patris Filium dignissime referri, qui *Joseph* jure nominatur, quia ipse est Creator noster et Recreator. Ipse totius salutis nostræ auctor est et augmentator, qui, cum Deus et homo sit, non semel, sed bis *filius accrescens, filius accrescens* prophetali præsagio a beato patriarcha appellari debuit. Ipse est enim *Filius accrescens* Dei Patris in cœlo secundum divinitatem; ipse etiam *filius accrescens* Virginis matris in terra secundum humanitatem. Quomodo autem Deo Patri, semper et sine initio ingenito, Deus Filius semper et sine initio ab eodem Patre genitus *accrescat*, non est qui discutere debeat aut D valeat. Ipsi enim, a quo genitus, per omnia coæqualis, coomnipotens exstat et coæternus. Sed qui secundum naturam divinitatis nec major nec minor potuit fieri, per assumptam humanitatis formam accrescere dignatus est homini. Illud tamen crescere tam mundum, tam purum, tamque sanctum fuerat, quod nullo unquam aspergine maculari poterat. Unde convenienter subjungitur, *et decorus aspectu*. In ipsa enim, quam assumpsit, humanitatis infirmitate totus castus, totus mundus, totus integer permansit, ideoque ad videndum Deo Patri et angelico cœtui semper amabilis, delectabilis atque desiderabilis fuit. Ipse est speciosus forma, cujus aspectum et decorem egregius propheta David in Spiritu sancto prævidens debitis laudibus extulit dicens : *Spe-*

ciosus forma præ filiis hominum (*Psal.* XLIV, 3). Speciosus quippe erat, quia solus sine peccato conceptus atque natus, solus inter peccatores sine peccato conversatus, in suæ pulchritudinis decore permanebat. Non enim venit, ut in peccatis nostris contaminaretur, sed ut contaminatos mundaret, æternæque mortis umbræ involutos ad lucem et gloriam vitæ perpetis revocaret. Ergo apte mox subinfertur:

752 *Filiæ discurrerunt super murum. Sed exasperaverunt et jurgati sunt, invideruntque illi habentes jacula.* Per *murum* intelligitur divinitas Christi, qui vere murus est Ecclesiæ suæ, quam miserationis suæ munimine custodiendo protegit, protegendo custodit, propheta testante, qui dicit: *Urbs fortitudinis nostræ Sion Salvator, ponetur in ea murus et* B *antemurale* (*Isa.* XXVI, 1). Per *filias* vero, quod est nomen infirmitatis, non immerito intelligimus humanas infirmitates, quas nulla necessitate, sed pro sola charitate in se suscepit. Discursus filiarum humanas significat affectiones, quæ eum, qui in divinitate sua stabilis, incommutabilis atque impassibilis erat, in suscepta propter nos humanitate mutabilem, passibilem, de contumelia ad contumeliam, de loco ad locum discurrentem fecerunt. In hujuscemodi discursu *exasperaverunt et jurgati sunt, inviderunt que illi habentes jacula.* In his, qui *habentes jacula* Dominum exasperaverunt, perversa malignorum spirituum agmina accipi possunt, qui diversis diversarum tentationum jaculis abundant, quibus bonos et C malos, justos et injustos omni tempore impugnant. Sed et eadem jacula sua ab ipso suo omniumque Creatore et Dominatore non continuerunt, sed juxta præsentem hanc prophetiam primo eum *exasperaverunt*, dehinc contra eum *jurgati sunt*, ad ultimum *inviderunt. Exasperaverunt* eum, quando in ipso, ut ita dicam, nativitatis suæ primordio, impii Herodis furorem contra eum suscitaverunt, ob cujus sævitiam ita parvulus, ita vagiens, ita tenellus in Ægyptum angelo admonente fugatus, ibique usque ad obitum ejusdem Herodis est occultatus. Sed quem exasperationibus istis et aliis hujusmodi exstinguere in infantia non potuerunt, jurgiis postmodum appetere non timuerunt dicentes: *Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant* (*Matth.* IV, 3); et rursum: D *Si Filius Dei es,* **753** *mitte te deorsum* (*ibid.*, 6); iterumque: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me* (*ibid.*, 9). Sed cum nec sic prævaluissent, sed venenata malitiæ suæ jacula tandem contra spem suam in se relisa conspexissent, majoribus nequitiæ suæ facibus inflammati tandiu illi inviderunt, quoadusque per membra sua crucis suspendio occiderunt.

Sed et alio modo per *habentes jacula* ipsos Judæos accipimus, qui legem quidem et prophetas habebant, quibus velut fortibus quibusdam jaculis hostem antiquum repercutere et expugnare debuerant. Qui venientem in carne Dominum propter salutem ipsorum non suscipientes, incredulitate et mala vita sua *exasperaverunt*; deinde ad majorem iniquitatis A suæ cumulum *jurgati sunt contra eum*, nomen ejus blasphemantes, dictisque ejus atque factis calumniose in omnibus contradicentes; ad ultimum *inviderunt illi*. Gravis enim erat eis ad videndum, nec prius ab eadem invidia sua vel odio conquieverunt, donec inter duos latrones appensum ignominiosæ mortis supplicio condemnaverunt. Sed in eo in quo vinci videbatur, vincebat, quia glorioso mortis suæ triumpho mortis imperium evacuabat. Unde sequitur:

Sedit in forti arcus ejus, et dissoluta sunt vincula brachiorum ac manuum ejus per manus potentis Jacob. Arcus, qui ex ligno et chorda, vel cornu et chorda constat, eumdem Dominum ac Redemptorem nostrum nobiliter demonstrat. Potest enim designari per chordam sanctissima ejus caro, diversis tribulationum angustiis mirabiliter attracta atque distenta; per lignum vero sive cornu omnipotens ejus divinitas, quæ rigida quodammodo et inflexibilis ad compatiendum humanis miseriis permanebat, quousque nobilis hæc chorda, sacrosancta videlicet caro Christi, torqueri opprobriis et illusionibus trahi atque distendi crucis affixionibus nostræ causa salutis incipiebat. Attracta chorda per humanitatis passionem, mox divinitas inclinata est ad compassionem, quia quanto durius unigenitus Dei Filius in carne patiebatur, tanto benignus Deus Pater ad reconciliationem generis humani flectebatur. Hic est enim *arcus* ille, quem **754** olim idem Pater repromisit dicens: *Ponam arcum meum in nubibus cœli* (*Gen.* IX, 13). *Sedit in forti arcus* iste, hoc est in fortitudine magna et gravi attractus est, quando, peractis omnibus propter quæ venerat, tandem in crucis stipite elevatus, felle acetoque potatus, dixit: *Consummatum est* (*Joan.* XIX, 30). Moxque mirum in modum sagittam nobilem et electam, fortem nimis et acutam, sacrosanctam videlicet animam suam tanta potentia et fortitudine emisit, quod etiam ipsa inferni novissima potenter penetravit disturbatoque mortis imperio fortem mortis principem fortiter colligavit. Nec mora, *dissoluta sunt*, sicut sequitur, *vincula brachiorum et manuum ejus per manus potentis Jacob.* In brachiis ac manibus ejus patriarchæ, prophetæ cæterique electi ejus non incongrue significantur, qui originali peccato constricti, in tenebris et in umbra mortis per multa annorum millia captivi tenebantur. Quorum *vincula* tandem *per manus potentis Jacob dissoluta sunt*, quando divinitatis illius splendore subito collustrati, abolito peccatorum chirographo ad pristinam libertatem meruerunt revocari. Tunc implebatur, quod sequentibus verbis patriarchæ longe ante nobiliter præfigurabatur:

Inde, inquit, *pastor egressus est lapis Israel.* Per *Israel*, qui interpretatur *vir videns Deum*, sanctos et electos angelicos spiritus non indigne accipimus, qui a die conditionis suæ desiderabilem Creatoris sui faciem sine intermissione vident, quia nulla unquam mutabilitatis inconstantia vel ad momentum quidem a contuenda divinitatis illius claritate sepa-

rari vel averti potuerunt. Illorum *lapis* idem Deus omnipotens fuit et est, quia eos, ne caderent, sustentavit, et ne cadere ulterius possent, sua fortitudine atque potentia stabilivit et corroboravit. Igitur qui in cœlo *lapis* angelorum, ex inferno egressus est *Pastor* hominum et Redemptor, quos in cavernosis tartareæ civitatis anfractibus oberrantes, et diuturna exspectatione adventus illius inter fauces lupi, hostis videlicet antiqui, nimium laborantes, tandem victor evexit, et ad amœna vitæ cœlestis pascua misericorditer revexit. **755** Sicque demum adimpleta est subjecta patriarchæ prophetia, qua dixit:

Deus patris tui erit adjutor tuus et omnipotens benedicet tibi benedictionibus cœli desuper, benedictionibus abyssi jacentis deorsum, benedictionibus uberum et vulvæ. Deus patris Domini ac Salvatoris nostri Jesu Christi divinitas est Dei omnipotentis, quæ semper et in omnibus eum adjuvabat, quæ omnia opera ejus in ipso et cum ipso operata est, quia sicut post assumptam humanitatem verus semper homo fuit, sic etiam verus Deus nunquam esse desiit. Sed et *omnipotens*, id est Spiritus sanctus benedixit ei, quando inaudito et ineffabili munere corda discipulorum replevit, eosque ad glorificandum, benedicendum et magnificandum nomen ejus fortes, intrepidos atque constantes effecit. Igitur Deus Pater, Deus Spiritus sanctus Deo Filio *benedictionibus cœli desuper, benedictionibus abyssi jacentis deorsum* benedixit, quia in ipso, ut ait Apostolus, *complacuit omnem plenitudinem inhabitare, et per eum reconciliari omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in cœlis, sive quæ in terris sunt* (*Coloss.* I, 19,20). Quæ *in cœlis* sunt sive quæ *in terris* pacificavit, quia numerum sanctorum angelorum, qui imminutus erat, glorioso sanguinis sui pretio, redemptorum videlicet suorum numero, restaurare et reintegrare incœpit. Sicque pariete inimicitiarum, qui non modo inter Deum et hominem, sed et inter angelum et hominem erat, in carne sua soluto, gaudet homo felici recuperatus commercio, gaudenti angelorum quandoque admittendus consortio.

Sed et alio modo benedixit ei Omnipotens *benedictionibus cœli desuper*, quando cœli, cœlestes scilicet chori angelorum, induto carne novæ laudis applaudebant carmine dicentes: *Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II, 14). Benedixit ei *benedictionibus abyssi jacentis deorsum*, quando post gloriosum mortis triumphum descendenti ad inferos sanctorum populus, qui tenebatur in morte captivus, lætis acclamabat vocibus: **756** *Advenisti desiderabilis, quem exspectabamus in tenebris, ut educeres hac nocte vinculatos de claustris. Te nostra vocabant suspiria; te larga requirebant lamenta. Tu factus es spes desperatis, magna consolatio in tormentis.* Benedixit ei *benedictionibus uberum*, quando ubera primitivæ illius Ecclesiæ, quæ in apostolis cœpit, quæ jam lacti cœlestis fidei et doctrinæ divinitus præparata erant, mirifico Spiritus sancti adventu nova quadam et inaudita superni muneris

A ubertate repleri incipiebant. Benedixit ei *benedictionibus vulvæ*, quando gentes, quæ fidem ejus nondum susceperunt, in vulvam matris sanctæ Ecclesiæ collectæ, pabuloque spiritalis gratiæ paulatim refectæ, in vulva proprii cordis eumdem Dominum ac Redemptorem nostrum concipere per fidem et parere meruerunt. Sed benedictiones istæ Filii accrescentis, Filii Dei omnipotentis, ipso moriente, resurgente atque ascendente finem non acceperunt, sed nunc et usque in finem sæculi semper manent et manebunt, quod verbis sequentibus apte figuratur, cum dicitur:

Benedictiones patris tui confortatæ sunt benedictionibus patrum ejus, donec veniret desiderium collium æternorum. Pater Domini nostri Jesu Christi, sicut

B præmisimus, Deus omnipotens est. *Patres* hujus *Patris* non solum patriarchæ et prophetæ, ex quorum semine secundum carnem genitus est, fuerunt, sed et sanctissimi ejus apostoli, cæterique justi et electi, qui per prædicationis suæ doctrinam eum in cordibus credentium genuerunt. *Benedictiones patris tui confortatæ sunt benedictionibus patrum ejus.* Quasi dicat: Benedictiones, quas a Deo Patre suscepisti, quas per baptismi gratiam et peccatorum indulgentiam ad evacuandum primi hominis maledictum nascendo, moriendo, resurgendo adduxisti, *benedictionibus Patrum ejus*, non modo apostolorum aliorumque sanctorum doctorum, qui jam decesserunt, sed et eorum, qui, cum quotidie in sancta Ecclesia docendo, baptizando generant, quotidie confortantur;

C quia quotidie innovantur, *donec veniat desiderium collium æternorum*, **757** angelorum videlicet in æternitatis celsitudine consistentium. Illorum *desiderium* est, ut præsentis sæculi cursus evolvatur, quatenus chorus illorum electorum hominum numero compleatur. Ad eadem optanda et desideranda in fine benedictionum suarum fidelis nos admonet et hortatur patriarcha.

Fiant, inquit, *in capite Joseph, et in vertice Nazaræi inter fratres suos.* Ac si dicatur: Vigeant benedictiones istæ in mente prælatorum, vigeant et in intentione subditorum, ut in omnibus actibus suis et affectibus tam puræ mentis, tam sanctæ intentionis inveniantur, ut *inter fratres suos*, sanctos vi-

D delicet angelos, quandoque annumerari mereantur.

His secundum allegoriam pro modulo nostro transmissis, ad mysticum moralitatis sensum oculum cordis reducamus, et qualiter hæc eadem verba perfecto cuilibet prælato spiritaliter conveniant, subtilius videamus:

CAPUT XI.

De eadem benedictione Joseph, ejusque morali significatu.

Joseph, sicut dicere cœpimus, formam gerit electi cujusque et perfecti prælati, qui per quotidiana bonorum operum augmenta ad insignia spiritalium virtutum quotidie proficit incrementa. Qui cum hoc modo coram Patre suo, vero scilicet Jacob *augetur*, dulcissimo *filii* vocabulo semel atque iterum vocar

meretur : *Filius accrescens Joseph, filius*, inquit, *accrescens* (*Gen.* XLIX). Per binam hanc repetitionem, binam Dei et proximi accipere possumus dilectionem, quam, cum is, qui aliis præesse debet, perfecte consecutus erit, *filius accrescens*, *filius accrescens* jure dici valebit. *Filius* enim est ejus quem imitatur, quem honorat, cui conformis fieri laborat; *filius accrescens* in dilectione Dei, *filius accrescens* in ædificatione proximi. Quanto enim Patri suo cœlesti per dilectionem veram et perfectam intus accrescit, tanto ad ædificationem proximorum ipsius adjutorio intus convalescit.

Dicitur etiam *decorus aspectu*, quando et intus a consensu peccati, et foris ab opere peccati, quantum possibile est homini, decorum se et amabilem divinis conspectibus præsentare contendit, et in omnibus, quæ agit, vel divino honori, vel proximorum ædificationi **758** intendit. Huic procul dubio desiderabilis hæc, quæ subjungitur accedit benedictio :

Filiæ, inquit, *discurrerunt super murum*. Filia, sicut prædiximus, nomen est infirmitatis. Et bene *filiarum* nomine infirmas conversorum animas intelligere possumus, quæ *super murum* quodam modo *discurrere* incipiunt, quando vivum illum lapidem, lapidem angularem Christum, quem Jacob capiti suo supposuit, principale cordi suo fundamentum supponere diligunt, omnem voluntatem suam secundum illius dirigentes, ipsique soli, qui super omnia est, moribus et vita placere cupientes.

Et notandum quod dicitur *discurrerunt*. Omnis, qui currit, non stat, non moratur, sed properanter quo tendit pertingere conatur. Igitur in *discursu filiarum super murum discurrentium* non incongrue, juxta hunc sensum, intelligitur constans et fortis fervor novitiorum, qui quasi *discurrere super murum* dicuntur, quando non pigri, non tepidi, sed strenuo quodam fervore, ferventi strenuitate ad Deum et in Deum transmigrare nituntur. Talem hunc discursum futurum in filiis Dei David propheta in **759** Spiritu sancto prævidebat, cum dixit : *Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion* (*Psal.* LXXXIII, 8). Sed quia quandiu in hac vita sumus, laboribus atteri, vitiis tentari habemus, consequenter subinfertur :

Sed exasperaverunt et jurgati sunt, inviderunique illi habentes jacula. Per *habentes jacula*, sicut superius diximus, malignorum spiritum agmina intelligimus, qui *jacula* tentationum habent, quibus armati contra Joseph et filios ejus incedunt, quibus incautas animas a statu rectitudinis suæ modo vulnerando dejiciunt, modo vulneratas omnino interficiunt. Sed quid est, *exasperaverunt, jurgati sunt, inviderunt?* Per tria hæc verba tria tentationum vicissim sibi succedentium notantur tempora. Primum tempus conversionis, secundum processionis, tertium perfectionis, sive vitæ consummationis. *Exasperant* incipientes, *jurgantur* contra proficientes, *invidiæ* jaculis impetunt perficientes. *Exasperant* in inchoatione hominem, quando plerumque anxiam quamdam cordis

A ei ingerunt amaritudinem, ut, dum minus sapit, quidquid auditur exterius, vel videtur, a cœlestis patriæ desiderio facilius animus impediatur vel revocetur.

Sed qui diabolicæ amaritudinis hujus compedes in seipso disruperit, et per angustam spiritalis conversionis viam spe vitæ melioris constanter ambulare proposuerit, contra hunc quasi in processione virtutum stantem *jurgantur*, quia nunc mundo, nunc propria carne, modo prosperis, modo adversis retardare conantur. Devictis tandem exasperationibus et jurgiis succedit *invidia*, qua etsi positos in perfectionis culmine lædere non possunt, lædere tamen semper cupiunt. *Exasperant*, ut diximus, in inchoatione, *jurgantur* in processione, *invident* in vitæ consummatione, quia nec ipsa hora, **760** quando extrema

B sors occurrerit, secura ab illorum invidia esse poterit, quia cui ex vero tunc nocere non possunt, huic fallaciæ suæ jacula procaciter obtendunt.

Qui autem exasperantibus, jurgantibus invidentibusque illis in præsenti non cedit, iste invidiosis falsitatis illorum objectionibus terreri in extremis non poterit, quia, sicut dicitur in consequentibus : *Sedit in forti arcus ejus*. *Arcus* iste, qui ex ligno et chorda constat, hominem ex anima et corpore consistentem congrue significat.

Arcus quidem, id est homo, qui chordam suam, quod est caro, a vitiorum humoribus exsiccando, vigiliis, jejuniis cæterisque piis laboribus frequenter contorquendo et macerando fortiter hic distenditur,

C post hujus vitæ metam *in forti sedebit*, quia in Christo et cum Christo, qui per *fortem* intelligitur, æternaliter requiescere habebit. In illa perpetuæ quietis sessione perfecte implebitur, quod subjuncto sequentis litteræ ordine figuraliter exprimitur.

Et dissoluta sunt, inquit, *vincula brachiorum et manuum ejus per manus potentis Jacob*. Unum eumdemque Dominum ac Redemptorem nostrum, quem per *fortem* in præcedentibus, etiam per Jacob hic intelligimus. Omnis ergo, qui in hoc *forti* sedem æternæ quietis sortietur, *per manum*, id est omnipotentem ejus operationem, per miram et magnificam ejus miserationem ab omnibus *brachiorum ac manuum suarum vinculis*, ab omnibus, inquam, peccatis ex interioribus sive exterioribus contractis misericorditer

D expediri meretur.

Sed et alio modo ad præsentis vitæ statum per *arcum*, Deum omnipotentem, in *forti* autem, in quo nobilis idem *arcus sedere* dignatur, homo vere **761** humilis accipiatur. Nemo enim vere fortis non vere humilis, quia qui vere humilis est, ad omnia et per omnia fortiter subsistere potest. *Sedet in forti arcus*, quia per invisibilem visitationis suæ gratiam in vere humili corde habitare et requiescere gaudet Dominus.

Beatus et vere beatus iste *fortis*, iste humilis, cui *arcus* ille, quod est Christus, *sederit*. Quia per ejus sessionem et commanentiam etiam in hac vita peccatorum suorum meretur indulgentiam. Unde consequenter subjungitur : *Et dissoluta sunt vincula bra-*

chiorum et manuum ejus per manus potentis Jacob. Per *brachia*, quæ viciniori quadam connexione corpori junguntur, interiores sensus hominis non immerito exprimuntur; in *manibus* vero exteriorum sensuum accipiatur operatio. Sed et *vincula brachiorum ac manuum* sunt illecebræ diaboli et carnalium desideriorum. Ligatus brachiis et manibus dicitur, qui ex diaboli suggestione illecebrosis desideriis intrinsecus, illecebrosis actibus extrinsecus irretitur. Sed si vere *fortis* fuerit, hoc est si in humilitate persistens gratum se Deo sessorem præbuerit, *vincula brachiorum ac manuum ejus solvuntur*, quia interna carnalium retinacula desideriorum ita adjutorio ipsius disrumpuntur, ut, licet per suggestionem diaboli impetant, flectere tamen ad peccati consensum vel operationem non valeant. Sed unde hoc nisi *per manus potentis Jacob?* Per *manus potentis Jacob*, et divinæ miserationis, ut prædictum est, operatio, et virtuosa ipsius hominis in bonis actibus accipi valet exercitatio, quia non incongrue homo *potens Jacob*, *potens* inquam, *supplantator* nominatur, quando cum potentia quadam et fortitudine virtuosa opera, quibus vitia supplantantur et pereunt, constanter operatur. Quæ autem et quanta supernæ benedictionis gratia hujusmodi hominem continuo sequatur, subsequens ordo verborum mystice testatur.

762 *Inde*, inquit, *egressus est pastor, lapis Israel.* Quid *est inde? Inde*, inquit, hoc est ab illo homine qui prius filia discurrens super murum fuit; qui, exasperantibus, jurgantibus invidentibusque malignis spiritibus cedere nescius, per supplantationem vitiorum tandem *Jacob* appellari meruit. Ex illo, inquam, homine *pastor* plerumque talis *egreditur*, qui nomen et officium pastoris quotidie in seipso adimplere nititur.

Pastor enim merito dici poterit, quando et lectionis assiduitate, et orationis suavitate pascere seipsum semper diligit. Hoc sane pastu nutritus in virtutibus et virtuosis operibus nobiliter convalescit, quia quidquid boni seminis in corde hominis subortum fuerit, si orationis et lectionis humore non rigatur, citius arescit. Unde Dominus in Evangelio: *Aliud cecidit super petram, et natum aruit, quia non habebat humorem* (*Luc.* VIII, 6). Ergo qui pascuis istis libenter et frequenter immoratur, si voluntas Dei fuerit, ut pastor aliorum constitutus *egredi* debeat, amœnum cœlestis doctrinæ pastum ovibus suis suaviter et utiliter præbere poterit, quia, etsi ad aliorum providentiam egredi habet, in semetipso tamen *lapis Israel* esse non desinit. *Israel* interpretatur *vir videns Deum*. Est quodammodo quasi *lapis Israel*, quando sic pastoralis curæ officia exterius subministrat, quod tamen ad familiarem contemplativæ dulcedinis gratiam semper ad se recurrere festinat. Cumque hoc modo corde et animo frequenter ad Deum et in Deum revolvitur, misericordia et benedictione, quam sequentia verba spiritaliter prætendunt, stabiliri meretur a Domino. Sequitur:

Deus patris tui erit adjutor tuus, et omnipotens benedicet tibi benedictionibus cœli desuper, benedictionibus abyssi jacentis deorsum, benedictionibus uberum et vulvæ. Ac **763** si dicatur: Deus omnipotens, cujus te filium fecisti, cujus te fidelem servum in omnibus exhibuisti, *adjutor tuus erit*, quia in omnibus ad quæcunque perrexeris, quæcunque inceperis, paterno tibi auxilio semper tibi assistere gaudebit. Cumque commissas tibi oves amœnis et virentibus spiritalis doctrinæ pascuis inducere tentaveris, te comitabitur, te adjuvabit, quia ad percipienda ex ore tuo æternæ salutis semina per prævenientem visitationis suæ gratiam subditorum tibi corda præparabit.

Et vere magnifica benedictio ista, quia cujus vocem Deus omnipotens ad corda audientium prævenerit, huic procul dubio ostiarius aperit, huic Spiritus sanctus ad suscipiendum cum suavitate æterni Patris verbum corda discipulorum invisibili benedictione sua apta atque idonea efficit. Ait ergo:

Benedicet te benedictionibus cœli desuper, benedictionibus abyssi jacentis deorsum, benedictionibus uberum et vulvæ. In *benedictionibus cœli desuper* non incongrue intelligitur cœlestis dulcedinis multitudo, in *benedictionibus abyssi jacentis deorsum* æternæ damnationis amaritudo. Reseratis per prævenientem misericordiam Dei cordibus auditorum etiam ipsi doctori Omnipotens *benedicit*, quando eum, suæ benedictionis et inspirationis gratia infusum, benedicentem, verba vitæ utiliter proferentem efficit, ut, sive ad mulcendas justorum animas de æternæ beatitudinis, beatæ immortalitatis jucunditate et gloria, sive ad terrendos peccatores et ad majorem pœnitentiæ constantiam excitandos de infernalis abyssi dolore et miseria benedictio ejus incipiat, dulcem et jucundum æternæ salutis fructum in subditorum cordibus pariat.

Benedicitur etiam *benedictionibus uberum*, quando illi qui lac doctrinæ cœlestis, in *uberibus* cordis conceptum, factis utcunque exsequi contendunt, **764** ex ipsius prædicatione et doctrina magis ac magis in desiderio cœlestis patriæ seipsos delectabiliter distendunt. Benedicitur autem *benedictionibus vulvæ*, quando et hi qui ad suscipienda lactis spiritalis fluenta nondum se per amorem præparaverunt, ad nobile semen verbi Dei vulvam cordis delectabiliter aperiunt.

Omni igitur prælato benedictionibus hujusmodi divinitus honorato semper optandum est et supplicandum, ne in se aut in subdito sibi populo eædem benedictiones decrescant, sed de die in diem magis ac magis crescant et convalescant. Hoc sequenti mox benedictione sæpe dictus patriarcha ostendit, cum dicit:

Benedictiones patris tui confortatæ sunt benedictionibus patrum ejus, donec veniret desiderium collium

æternorum. *Pater* boni cujusque prælati Deus est, *patres patris* hujus, sicut superius diximus, patriarchas; prophetas, apostolosque sanctos intelligimus.

In collibus autem *æternis* sanctæ electorum animæ non incongrue figurantur, quæ excussis terrenæ occupationis oneribus, sanctis precibus, justis meditationibus sublevati in ipso sui *desiderio* de convalle hujus mortalitatis nonnunquam ad collem rapiuntur sempiternæ æternitatis.

In *desiderio* eorumdem *collium* ipse, in quem angeli prospicere desiderant, jure significatur, quia ille solus super omnia et in omnibus ab eis quæritur et desideratur. Bene autem hæc eadem benedictio, licet latenter, insinuat quid fidelis quæque congregatio dilecto doctori suo suppliciter optare debeat a Domino. Dicat ergo ipsa orando et desiderando quod beatus patriarcha dixit affirmando :

765 *Benedictiones patris tui confortatæ sint benedictionibus patrum ejus, donec veniat desiderium collium æternorum*. Ac si dicat : Benedictiones, quibus a Patre tuo cœlesti ut filius dilectus benedici meruisti, *patrum ejus* patriarcharum, prophetarum, apostolorum omniumque electorum, jam cum Christo regnantium, factis et dictis, orationibus et meritis ita *confortentur*, ut tua benedictio, tua, inquam, doctrina et prædicatio nunquam finem accipiat, quoadusque benedictus æterni Patris Filius per visitantem et consolantem benedictionis suæ dulcedinem *æternis* illis *collibus*, animabus videlicet solam æternitatis gloriam quærentibus, optatus et desideratus *veniat*.

Fiant in capite Joseph, et in vertice Nazaræi inter fratres suos. *In capite Joseph* voluntas doctoris, in *vertice* intentio accipitur voluntatis.

Optandum ergo est et supplicandum ut et bonam ædificandi proximum voluntatem semper habeat, et intentionem voluntatis ab appetitu humani favoris sollicite custodiat, quia si solius Dei oculis placere in benedictionibus suis quæsierit, *Nazaræus*, id est mundus *inter fratres suos* merito dici poterit.

Sed quia ex sola solius Dei misericordia et miseratione venit, ut et humiliter et utiliter verbum Dei pronuntiare possit, ad eum, qui dat omnibus affluenter et non improperat, 766 fidelis congregatio hujusmodi supplicationis verba humiliter præmittere ad Deum studeat :

Deus patris tui sit adjutor tuus, et Omnipotens benedicat tibi benedictionibus cœli desuper, benedictionibus abyssi jacentis deorsum, ut perfectiores majori supernæ dulcedinis desiderio, te docente, inardescant et inflammentur, et tardiores infernalis abyssi terroribus expergefacti ad spiritalem constantiam provocentur.

Benedicat tibi benedictionibus uberum et vulvæ, quatenus illi, qui lac doctrinæ cœlestis intra ubera cordis sui suscipere desiderant, in verbis tuis, unde reficiantur et repleantur, inveniant, atque isti, qui verbum Dei nondum per amorem suscipere meruerunt, tandem in vulva cordis suaviter concipere incipiant.

Benedictiones patris tui confortatæ sint benedictionibus patrum ejus, patriarcharum, prophetarum, apostolorum omniumque justorum, *donec veniat desiderium collium æternorum*, donec sanctæ illæ animæ ad æternitatis celsitudinem tendentes, illum in benedictionibus, et cum benedictionibus tuis suscipiant, quem præ omnibus et super omnia sitienter desiderant.

Fiant in capite Joseph et in vertice Nazaræi inter fratres suos: Fiat, miserator Domine, et multiplici dono misericordiæ tuæ, ut quoties *inter fratres suos* verbum tuum pronuntiaturus consederit, voluntas 767 et intentio voluntatis ejus talis sit, ut in doctrina sua nihil cogitet, quærat aut desideret, nisi ut in ipso et in subdito sibi populo tu solus 768 honoreris et glorificeris, cujus honor et gloria permanet per infinita sæcula sæculorum. Amen.

VEN. GODEFRIDI

ABBATIS ADMONTENSIS

LIBER DE DECEM ONERIBUS ISAIÆ

Ex codice ms. Admontensi.

(Opusculum hoc R. P. Bernardus Pezius sub nomine ven. Iremberti abbatis Admontensis primum evulgavit Thesauri Anecdot. tomo II, parte I, pag. 428 ; postea vero cum ipsius Godefridi nostri certissime esse comperisset, illi restituendum esse monuit in Dissertatione prævia ad opera Godefridi, num. XVII. (Vide supra, col. 19.)

PROLOGUS

Omnis homo, quia decem sensibus, quinque videlicet in anima, quinque in corpore abundat, quibus et per quos decem Domini præceptis nonnunquam, eheu! contrarius existens miseram animam suam miserabiliter gravat et onerat, decem nobis in libro suo electus Domini propheta Isaias onera præscribit, quibus humerum cordis et corporis viriliter

supponere debeant, qui ab oneribus peccatorum per decem interioris exteriorisque hominis sensus contractis divinæ pietatis manu lævigari ac exonerari desiderant. Sed et ad distinguenda hæc eadem onera quasi ad decem regionum loca et populos transcribit, atque unicuique loco et populo onus sibi conveniens figurative attribuens ita adoritur, dicens :

CAPUT PRIMUM.

Onus Babylonis, seu vere pœnitentium.

Isa. XIII, vers. 1. Per *onus Babylonem*, quæ interpretatur *confusio*, sive præsens sæculum, sive universi homines accipi possunt, qui confusione peccatorum dejecti injustos se atque peccatores recognoscunt. Talibus siquidem jam dictus propheta onus quoddam, onus scilicet conver sionis, quod est initium salutis, imponit. Sub quo etiam qualiter vivere debeant, continuo manifestat :

Vers. 2. *Super montem caliginosum levate signum, et exaltate vocem, levate manum, et ingrediantur portas duces. Caliginosi montis* nomine hostem antiquum, principem utique tenebrarum non injuste possumus intelligere. Qui propter altitudinem superbiæ non modo mons, sed et *mons caliginosus* jure nominatur, quia universos, qui ei consentiunt, in præsenti vita tenebris involvit peccatorum, et post hanc vitam ad caliginem mortis, tenebrasque æternorum secum detrahet suppliciorum. *Super* hunc *montem caliginosum levandum* nobis est *signum* conversionis, *exaltanda vox* confessionis, *levanda manus* bonæ operationis, quia ad expugnandum eum et superandum non sola sufficit conversio, nisi vera peccatorum sequatur confessio. Post levatum signum conversionis, et exaltatam vocem confessionis restat, ut etiam *manus levatur*, hoc est, ut in omnibus Deo placitis actibus strenue seipsum homo exercere conetur.

Sed quia nec hoc homini ad perfectionem tendenti sufficit, nisi omni etiam cœlesti doctrinæ cor et corpus humiliter adegerit, recte subjungitur : *Et ingrediantur portas duces. Duces* dicuntur, qui exercitum ducunt. Et per *duces* boni quique prælati apte intelligi possunt, qui exercitum Domini doctrina et exemplo præeunt, et contra hostis antiqui jacula sollicite instruunt, armant et muniunt. Isti sane duces tunc quodammodo quasi *portas ingrediuntur*, quando interiores et exteriores sensus subditorum, quos per *portas* intelligimus, monitis illorum et doctrinis suaviter per gratiam Dei aperiuntur.

Sed quia hæc, quæ de levando signo conversionis, de exaltanda voce confessionis, de levanda manu bonæ et perfectæ operationis dicta sunt, difficilia valde et laboriosa esse homini propheta in Spiritu sancto prævidit, recte, antequam in verba jam dictæ exhortationis et cœlestis doctrinæ proromperet, præmisit : *Onus Babylonis*. Ac si diceret : Onus istud laboriosæ, sed fructuosæ, difficilis, sed salubris, spiritalis perfectionis, quod dicturus, quod docturus sum, illos suscipere, illos portare conve-

A nit, qui *in Babylone*, hoc est, qui in confusione peccatorum sorduisse se recognoscunt, qui sub *monte caliginoso*, diabolo videlicet superbo ac tenebroso dure oppressi contrarios divinæ voluntati se exstitisse dolent et ingemiscunt. Onus quidem est, sed ut libenter suscipiatur, strenueque portetur, verbis sequentibus misericors Dominus illud levigare atque commendare nobis dignatur.

Vers. 3. *Ego*, inquit, *mandavi sanctificatis meis, vocavi fortes meos in ira mea exsultantes in gloria mea*. Ac si dicat : Non alienus quis vel extraneus, sed *ego* Dominus creator vester et liberator, *ego* salutis vestræ amator *mandavi sanctificatis meis*, illis utique, quos mira dispensationis meæ gratia ad hoc prædestinavi, ut *sanctificati mei* quandoque
B fieri debeant, super montem caliginosum per signum conversionis semetipsos elevare, vocem confessionis exaltare, transactæ vitæ crimina manu bonæ operationis delere et abstergere. *Mandavi*, inquam, *sanctificatis meis, vocavi fortes meos in ira mea*, quia quotquot sanctificati mei sunt in prædestinatione, illi etiam fortes mei erunt in electionis vocatione. *Fortes* quidem *mei* erunt : quia non ex se, sed ex me fortitudinem resistendi diabolo et vitiis accipient, et habebunt. *Vocavi* utique eos *fortes meos in ira mea*, in ira amabili, in ira desiderabili, quam misericorditer in eis exercebo, cum per prævenientem pietatis meæ gratiam salubriter eos contra seipsos commovebo, ut pro malefactis suis for-
C titer sibimetipsis irasci incipiant, et in omnibus bonis actibus fortes se et strenuos exhibeant. Hæc est *ira mea*, ira, inquam, mihi placita, de qua dicit Psalmista : *Irascimini, et nolite peccare* (*Psal.* IV, 5).

Bene autem postquam dixit, *vocavi fortes meos in ira mea*, adjunxit, *exsultantes in gloria mea*, quia sicut ira ejus est, et dici potest, quando pro mala et peccatrice vita sua electos suos sibi ipsis irascentes facit, et sicut fortitudo ejus est, cum vitiis fortiter resistere, virtuosisque actibus fortiter et viriliter insistere eos tribuit, sic *gloria ejus* nihilominus est, et dici potest, quando post subacta vitia, post laudabilis vitæ studia pro bono conscientiæ testimonio humiliter exsultare et gloriari cœperint in Domino,
D quia, dum nihil suis viribus suisque meritis, sed soli Deo totum quod sunt humiliter attribuunt, non in sua, sed in Domini gloria exsultantes dici possunt. De hac electorum gloria dicit Apostolus : *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ* (*II Cor.* I, 12).

Tales profecto quia futuros in Ecclesia sua æterna Dei sapientia præscivit, quasi de laudabili illorum conversatione longe, antequam fieret, per Prophetam istum prophetavit, et prædixit ita dicens : *Ego mandavi sanctificatis meis, vocavi fortes meos in ira mea, exsultantes in gloria mea*. Ac si dixisset : Quos *sanctificatos meos* præscivi in prædestinatione, hos etiam *fortes meos* vocabo in conversione sive bona conversatione, et quos mira et ineffabili vocatione

mea confortavero in bona conversatione, hos etiam faciam *exsultantes in gloria mea*, hoc est in spiritalis vitæ perfectione. Hanc Domini prophetiam ubi prædictus Domini propheta indicibiliter audire intrinsecus meruit, futura quasi jam præterita considerans consequenter prosequitur dicens :

VERS. 4. *Vox multitudinis in montibus quasi populorum frequentium ; vox sonitus regum, gentium congregatarum*. In verbis istis duas vocationes, unam Judæorum, alteram gentium mystice præsignavit, quia ex utroque populo futuros esse prævidit, quorum voce nomen Domini exaltaretur, quorum fidei confessione usque ad consummationem sæculi Deus magnificandus esset et glorificandus. Cum enim dixit, *vox multitudinis in montibus quasi populorum frequentium*, illos prævidit, qui ex Judaico populo ad perfectam fidei colligendi erant plenitudinem. Cum autem adjunxit, *vox sonitus regum, gentium congregatarum*, universorum, qui ex gentili populo in eamdem unitatem fidei assumendi erant, præsignavit multitudinem. Nec incongrue vocationem Judæorum, quæ prior, sed minor futura, sub nomine *multitudinis populorum frequentium* exprimere prophetam oportebat ; ad insinuandam vero vocationem gentium merito ponere debuit, *vox sonitus regum, gentium congregatarum*, quia illos, quos ex populo Judaico assumendos spiritu prophetico præscivit, licet magnos et merito sanctitatis montibus jure comparandos cerneret, eis tamen, qui ex gentibus ad Christum erant colligendi, minores et pauciores eos futuros esse prævidit. Ideoque illos non incongrue quasi *populos frequentes*, istos vero non indigne nominavit *reges* potentes. Ex gentibus enim reges nobiles et fortes prodierunt, qui et se et alios regaliter et potenter juxta præceptum et voluntatem Domini regere cœperunt. *Vox sonitus regum* istorum in omnem terram exivit, quia prædicatio et doctrina eorum per omnem mundi ambitum ad lucrandas Deo animas fortiter insonuit.

Sed et aliter hæc eadem prophetæ verba possumus intelligere. Nam, cum dixit, *vox multitudinis in montibus quasi populorum frequentium, vox sonitus regum, gentium congregatarum*, prævidit futuras in sancta Ecclesia multas arduas et sanctas conversationes, quas per *montes* intelligimus, in quibus audienda esset *vox* et laudatio *multitudinis quasi populorum frequentium*, populorum utique corde et corpore Deo frequenter servientium, inter quos nobiles illi *reges* invenirentur, qui non solum seipsos regere, sed et alios doctrina et exemplo quasi grandi *vocis sonitu* ad rectitudinis normam possent et scirent instituere. Sed per quem aut ex quo hæc populorum frequentia congreganda, per quem, aut ex quo *vox ista sonitus regum* suscitanda erat nisi ex præcepto Patris ingeniti, ex cooperatione Filii unigeniti, ex infusione et illuminatione Spiritus sancti? Hoc enim sanctæ et individuæ Trinitatis mysterium occulte notare possumus in sequentibus verbis, quibus dicitur : *Dominus exercituum præcepit militiæ belli*.

VERS. 5. *Venientibus de terra procul, a summitate cœli Dominus, et vasa furoris ejus, ut disperdat omnem terram*. Potest *Dominus exercituum* Deus Pater intelligi, qui Unigenitum suum misit in mundum. *A summitate cœli Dominus* potest intelligi Deus Dei Filius, qui *a summitate cœli* ad infima mundi pro salute nostra descendit. Per *vasa furoris ejus* potest intelligi Deus Spiritus sanctus, qui eos, quos unigenitus Dei Filius passione mortis suæ a peccatis emundavit, post resurrectionem et ascensionem ejusdem Domini nostri mirifica adventus sui luce mirifice collustravit. Nec absurde in furore Domini Spiritum sanctum, per *vasa furoris ejus* dona ejusdem Spiritus sancti intelligimus. Digne enim hoc *vas* nominatur, quod per dona sua misericorditer in homine operatur. Ipse namque dum venit, et *vasa*, id est dona sua effundere et infundere cordibus hominum cœpit, *furorem* novum nec antea cognitum in eis suscitavit. Tunc primum enim insurgere adversus semetipsos didicerunt, tunc primum furere adversus diabolum, furere adversus vitia cœperunt. Eumdem etiam furorem adhuc quotidie in cordibus electorum infusionis suæ dulcedine suscitat et accendit, dum eos in præsenti bene furentes feliciter contra vitia sævientes facit, atque per hunc furorem male furentem diabolum in eis superat ac prosternit.

Sed quia sanctæ et individuæ Trinitatis opera mystice in verbis istis notata pro modulo nostro tetigimus, nunc etiam quæ sit *militia belli*, qui sint *venientes procul de terra*, ad quos præceptum Dei Patris, Dei Filii, Dei Spiritus sancti per prophetam dirigitur, audiamus. *Dominus*, inquit, *exercituum præcepit militiæ belli, venientibus de terra procul, a summitate cœli Dominus, et vasa furoris ejus, ut disperdat omnem terram*. Per *militiam belli* universos homines prænotavit, quos, relicto sæculo, contra vitia militaturos, atque spiritalium instrumento virtutum contra diabolum fortiter bellaturos prævidit. Huic tali *militiæ belli præcepit Dominus exercituum* Deus Pater, præcepit *a summitate cœli Dominus*, id est Deus Filius, *et vasa furoris ejus*, id est Deus Spiritus sanctus, ut *procul a terra veniat*, hoc est ut terrena omnia procul a se amoveat, *disperdatque omnem terram*, id est omne quod terrenum, quod infirmum in se deprehendit, *disperdere* et viriliter a se abjicere studeat. Sed quia hoc nonnisi per veram pœnitentiam fieri possit, protinus manifestat, cum subjungit :

VERS. 6. *Ululate, quia prope est dies Domini, quasi vastitas a Domino veniet*. *Ululatus*, qui in corpore et per corpus fit, manifestam pœnitentiam non injuste exprimit. *Ululate*, inquit, *quia*, si *ululaveritis*, hoc est si perfectam pœnitentiam egeritis, *prope est dies Domini*, id est supernæ visitationis illuminatio, quæ *quasi vastitas a Domino veniet*, quia quidquid infirmum et peccato obnoxium in vobis invenerit, potenter vastabit et auferet. Sequitur :

VERS. 7. *Propter hoc omnes manus dissolventur, et*

omne cor hominis tabescet, et conteretur. Possumus hoc loco *manuum* nomine mala opera accipere. Manus utique *dissolvuntur*, quando, superveniente supernæ visitationis die, mala et perversa opera deseruntur et abjiciuntur. *Omne* etiam *cor hominis tabescit et conteritur*, quando a mala illa fortitudine, qua ad perpetranda vitia uti solebat, per gratiam Dei paulatim deficit et reflectitur. Nam quandiu suaviter et delectabiliter homo peccat, quasi inconvulsum et male forte cor habere comprobatur. Ubi autem præveniente et emolliente divina gratia, voluntas et desiderium peccandi aliquantulum imminuitur, et pristinus ille ardor, quo fervebat ad scelera, rore et gratia Spiritus sancti temperatus aliquantulum refrigescit, tunc quasi contritum *cor* hominis salubriter *contabescit*. Sequitur :

Vers. 8. *Torsiones et dolores tenebunt, quasi parturiens dolebunt. Torsiones et dolores tenere* est afflictionibus corporis, suspiriis atque doloribus cordis retroacta crimina punire atque delere. Sed quid est quod additur : *Quasi parturiens dolebunt? Parturiens* dicitur quasi parere gestiens. *Quasi parturiens* dolet, qui nova quotidie desideria, novum pœnitentiæ fervorem, novum cœlestis patriæ amorem semper in se et ex se parere gestit. Qualiter autem aut quomodo ad proferendum ex se partum talem homo proficere possit, docet sæpe dictus propheta, cum protinus subjungit dicens :

Unusquisque ad proximum suum stupebit, facies combustæ vultus eorum. Stupor dicitur mentis alienatio, qua homo subito et inopinato horrore concussus nesciens interim quid acciderit, a se quodammodo alienatur. *Proximus* autem iste, ad quem *unusquisque stupere* jubetur, ipsum corpus hominis non incongrue accipitur, a quo alienari, et quod nescire quodammodo salvandus debet in his, in quibus illud antea sciebat et cognoscebat. Nescire illud utique debet in peccatis, quæ scienter prius et libenter cum illo commiserat. Quicunque autem Deo propitio sic se a se alienaverint, necesse est ut secundum subjectam doctrinæ formam deinceps vivere studeant, si perfecte Deo placere desiderant. Sequitur :

Facies combustæ vultus eorum. In *facie*, per quam homo cognoscitur, cognitio Dei, et cognitio ipsius hominis non injuste accipitur. *Vultus eorum quasi facies combustæ* sunt, qui in vera humilitate semper se peccatores recognoscunt, atque in voluntatibus et desideriis suis, quæ per *vultus* intelligere possumus, igne pœnitentiæ jugiter comburuntur, quatenus in sui cognitione humiliter ardentes cognoscere etiam Deum, et cognosci a Deo mereantur.

CAPUT II.

Onus Moab, id est eorum qui in prælatione ac dignitate carnaliter vivunt.

Isa. xv, vers. 1, 2. *Onus Moab. Quia nocte vastata est Ar Moab, conticuit, quia nocte vastatus est murus Moab, conticuit. Ascendit domus, et Dibon* [cod. *Edibon*] *ad excelsa in planctum super Nabo et* A *super Medaba, Moab ululavit.* In priori onere, quod inscribitur Babyloni, notatur exhortatio conversionis et pœnitentiæ, qua Deus omnipotens hominem peccatorem in confusione jacentem vitiorum ad se revocat. Secundum autem onus istud, *onus* utique *Moab* ad illos maxime respicit, qui prælati sunt, sed in prælatione sua carnaliter vivunt. Isti denique nomine Moab non inconvenienter possunt intelligi. Moab enim interpretatur *de patre*. De patre utique sunt, qui a Deo Patre, potestatem acceperunt. *Omnis enim*, ut ait Scriptura, *potestas a Deo est* (*Rom.* xiii, 1.) Sunt quidem *de Patre* id quod sunt, sed secundum Patrem non vivunt id quod vivunt, quia ea, quæ Dei sunt, non sapiunt. Tales in onere isto vox divina arguit, atque ad recognitionem B et pœnitentiam revocat, cum dicit :

Quia nocte vastata est Ar Moab, conticuit, quia nocte vastatus est murus Moab, conticuit. Nomine Ar, quod interpretatur *suscitavit*, vel *vigiliæ*, et animas prælatorum, et animas subditorum non inconvenienter possumus accipere ; per *murum* vero corpus, per noctem ignorantiam. *Quia nocte vastata est Ar*, inquit, *Moab, conticuit.* Ac si dicat : Quia vos, qui de Deo Patre potestatem regiminis accepistis, ipsi male vivendo, et mala in subditis non reprehendendo conticuistis, idcirco *nocte vastata est Ar*, idcirco animæ vestræ, quas semper cœlestibus desideriis suscitare, et animæ subditorum, super quorum salute summa diligentia vigilare debuistis, *vastata sunt nocte* ignorantiæ, atque ex interiori illa C vastitate, ignorantia videlicet veritatis, *vastatus est* etiam *murus*, id est corpus, quod circumdat animam, vastatum est nocte peccati et iniquitatis. *Nocte* peccati corpus, vastatur, quando impudicitiæ traditur, et subjicitur. Hanc interioris exteriorisque hominis vastitatem manifestius exprimit in sequentibus, ubi iterum atque iterum ad pœnitentiam et planctum eos exhortatur, et quid sit quod plangere debeant insinuat, cum subjungit :

Vers. 2. *Ascendit domus et Dibon ad excelsa in planctum, super Nabo et super Medaba Moab ululavit.* Per Dibon, quod interpretatur *fluxus eorum*, non incongrue lascivi et lubrici homines possunt intelligi, quorum *domus ad excelsa* quodammodo *ascendit*, D quando domum carnis, id est corpus super spiritum extollunt, hoc est quando spiritum, qui præsidere et dominari carni deberet, per lubricos et lascivos cordis, corporisque motus carni subjiciunt. Nabo vero, quod interpretatur *sessio eorum*, vel *prophetia*, dignitatem magisterii, atque officium prædicationis non incongrue significat. Medaba, quod dicitur *de saltu*, bestialem, id est peccatricem prælatorum, nec non et subditorum vitam notat. *Super Nabo*, inquit, *et super Medaba Moab ululavit.* Ac si dicat : Quicunque tales magistri estis, quod nescitis, aut non audetis propter malam vitam vestram reprehendere iniquitatem in subditis, *ululate super Nabo et super Medaba. Ululate* utique, quod sedem et locum regiminis accepistis. Flendum enim vobis est et gemen-

dum, quia et ipsi bestialiter vixistis, et bestialiter viventes non reprehendistis. Hæc quidem verba sunt Dei omnipotentis prælatos et subditos ad pœnitentiam misericorditer exhortantis. Nunc etiam qualis modus pœnitentiæ esse debeat, continuo verbis sequentibus manifestat :

In cunctis, inquit, *capitibus ejus calvitium, omnis barba radetur. Calvitium* est, ubi evelluntur, aut sponte crines decidunt. *In cunctis capitibus* cunctas mentis intentiones accipere possumus, in quibus decalvari quodammodo debent atque nudari qui per veram pœnitentiam Deo cupiunt reconciliari. Perfectus enim perfectæ pœnitentiæ modus est cunctas malas voluntates, voluntatumque intentiones non bonas de *capite*, id est de corde pœnitendo extrahere atque evellere. Postquam sic homo interior a noxiis illis crinibus, perversis videlicet voluntatibus et intentionibus decalvatus fuerit, restat ut *omnis* etiam *barba radatur*. In *barba* et per barbam virtuosa et virilia opera intelligimus. *Omnis barba radenda* est, quia illud etiam, quod bene et viriliter gessit, et si quid virtutis inesse sibi credit, in consideratione et comparatione malorum, quæ commisit, parvipendere perfecte pœnitens debet, et quasi nihil et inutile reputare. Ad solam tantummodo pœnitentiam et satisfactionem constanter semetipsum constringat, sicut mysticus sequentium ordo verborum docet, quo dicitur :

Vers. 3. *In triviis ejus accincti sunt sacco, super tecta ejus, et in plateis ejus omnis ululat* [al. *omnis ululatus descendit in fletum*].

Possumus intelligere in *triviis* spiritum, animam et corpus nostrum, vel etiam cogitationes, sermones nostros et operationes. Hæc enim quasi tres viæ sunt, quibus aut accedimus ad Deum, aut recedimus a Deo. In *triviis suis sacco se accingit* qui ad triplicis pœnitentiæ fletum se constringit. *Super tecta* vero *ejus, et in plateis ejus omnis ululat*, quando super carnem et in carne sua, quæ per *tecta* accipi potest, triplices spiritus et animæ et corporis excessus, et cunctos, ut ita dicam, latæ atque criminosæ vitæ excursus, quos per *plateas* intelligimus, dignæ animadversionis sententia punit, et vindicat. Sed quia non multum prodest afflictio carnis, nisi adsit etiam humilitas mentis, recte subjungitur : *Descendit in fletum.*

Vers. 4. *Clamavit Hesebon, et Eleale, usque Jasa audita est vox ejus* [al. *vox eorum*]. *Hesebon* interpretatur *cogitationes*, Eleale *ascensio*, Jasa *factum* sive *mandatum*. *In fletum* homo *descendit*, quando et carnem per pœnitentiam macerat, et corde per veræ humilitatis descensum Deo approximat. *Clamat Hesebon et Eleale*, quando *ascendentes*, id est superbas cogitationes suas digno cordis corporisque gemitu et in oratione et in confessione accusat et damnat. *Usque Jasa audita vox ejus* dicitur, quando factis et dictis mandatum Domini exsequi et observare nititur. Sed quia virtus hæc non omnium, sed solum-

A modo spiritalium est, apte monstratur, cum dicitur :

Super hoc expediti Moab ululabunt, anima ejus ululabit sibi. Ac si diceretur : Non illi, qui in sæculo sunt, et peccatis sæculi deprimuntur, sed hi, qui per gratiam Dei mundum reliquerunt, qui ab operibus peccati se per pœnitentiam et conversationem alienaverunt, et expedierunt, sive sint prælati, qui per *Moab* intelliguntur, sive sint subditi, qui quasi *expediti Moab* dicuntur, *super hoc ululabunt*. Super hoc utique, quod novissime posuimus, hoc est super sublimes cogitationes suas digne possunt pœnitere, digne, ut ita dicam, in interioribus mentis excessibus sciunt semetipsos deflere. Recte autem additur : *Anima ejus ululabit sibi*. Quia quicunque hoc modo
B non solum pro malis operibus, sed pro superbis cogitationibus suis Deo satisfacit, hic profecto *sibi ululat*, quia utiliter ululat. Per talem enim fructum pœnitentiæ æternæ sibi salutis gaudia comparat. Hanc autem pœnitentiam solus Deus sola miserationis suæ gratia in homine operatur, sicut ex persona ejus mox subinfertur, cum dicitur :

Vers. 5. *Cor meum ad Moab clamabit, vectes ejus usque ad Segor vitulam consternantem. Cor Domini* voluntas est Domini. Et est quasi dicat : Si quis pœnitentiam hanc, de qua jam dictum est, acceperit, atque in ea constans et perfectus inventus fuerit, et perseveraverit, non suis viribus, sed meis humiliter attribuat miserationibus, quia nisi *cor meum* ad eum clamaverit, hoc est nisi misericors voluntas
C mea, voluntaria misericordia mea illum prævenerit, et subsecuta fuerit, nec in anima digne pœnitere, nec in corpore aut ex corpore dignos pœnitentiæ fructus proferre poterit. Sequitur :

Vectes ejus usque ad Segor vitulam consternantem. Segor interpretatur *parva*. Et non incongrue per Segor, *vitulamque consternantem*, quam beatus Hieronymus *vaccam triennem* nominat, parva, id est humilis, et perfecta pœnitentia intelligi poterit. Homo quidem sicut in anno tricesimo viribus corporis et virtutibus mentis maxime valet, sic in anno tertio hoc genus animalium maximam fortitudinem habet. Et idcirco humilis pœnitentia *vitulæ consternanti* apte comparatur. Maximam enim fortitudinem ad obti-
D nendam apud Deum remissionis gratiam pœnitentia illa habet, quam vera humilitas comitatur, et quæ per firmam et fortem vitæ custodiam, quam per *vectes* intelligimus, adornatur.

Est et aliud, ob quod vera et humilis pœnitentia *vitulæ consternanti*, quæ in tertio, ut diximus, anno robustissima est, jure assimilatur, quia nisi triplex pœnitentiæ nostræ gemitus sit, nec perfecta est, nec perfecta dici potest. Est autem triplex pœnitentia, pœnitere anima, pœnitere spiritu, pœnitere corpore. Hæc triformis pœnitentia manifestius demonstratur in sequentibus, cum dicitur:

Per ascensum enim Luith flens ascendet, et in via Oronaim clamorem contritionis levabunt. Luith *genæ*, Oronaim *foramen mæroris* interpretatur. Sed

quid per *ascensum Luith*, per ascensum, inquam, *genarum* nisi ascendens ab imo cordis fluvius lacrymarum significatur? Aut quid per ascensum lacrymarum, quæ per genas defluunt, et in genis videntur, nisi pœnitentia exterioris hominis, quod est corpus, figuratur? Quasi *per Luith flens ascendit*, qui lacrymarum, cæterorumque bonorum operum indiciis pœnitentiam in corpore ostendit.

Postquam per ascensum Luith hoc modo flens ascendit, *in via Oronaim clamorem contritionis* tandem *levare* incipit. Per *Oronaim*, quod interpretatum *foramen mœroris* diximus, cor cujusque electi intelligi potest, quod *foramen mœroris* non injuste dicitur, quando ex advenientis et aspirantis Spiritus sancti gratia a pristina sui duritia per timorem et amorem Dei perforatum et emollitum salubri in se mœrore conteritur. Ipse enim Spiritus sanctus quasi via quædam est, quo ducente, imo aspirante cor hominis et foramen mœroris fit, et clamorem contritionis levare incipit. *In via* enim *Oronaim clamorem contritionis levare* est, anima pœnitente, corde dolente ac mœrente antiqua peccatorum contagia jugiter deplorare. Post hæc recte subjungitur:

VERS. 6. *Aquæ enim Nemrim desertæ erunt, quia aruit herba, defecit germen, viror omnis interiit.* Nemrim *pardi* sive *prævaricatores* interpretatur. Nec incongrue per *aquas Nemrim*, per aquas pardorum sive prævaricatorum intelligimus mala, et iniqua desideria, quæ hominem instabilem, per pardum, qui incontinens et instabilis fera est, designatum, et prævaricationem divinæ voluntatis inclinari faciunt. *Aquæ* istæ *Nemrim desertæ erunt*, quia post levatum perforati per mœrorem pœnitentiæ cordis clamorem ac contritionem, malæ carnis concupiscentiæ, Spiritu sancto adveniente et agente, ita comprimuntur et retinentur in homine, quod more solito diffluere ac decurrere nequeunt, hoc est quod cor hominis, factum jam *foramen mœroris*, consueto instabilitatis et prævaricationis fluvio abripere ac a Deo separare non possunt..

Post desertas aquas Nemrim, post edomita et compressa mala desideria apte sequitur. *quia aruit herba, defecit germen, viror omnis interiit.* Potest designari per *herbam* voluntas peccati, per *germen* opus peccati, per *virorem* perseverantia peccati. Bene quidem *aruisse herba* dicitur, quando perversa voluntas, quasi subtracto prædictarum humore aquarum, exsiccata, imo superata fuerit. *Deficit germen*, quando sublata per misericordiam Dei mala voluntate de corde opus etiam peccati reciditur a corpore. Reciso mali operis germine *viror omnis interiit*, quia in homine illo, in quo voluntas et opus peccati, quantum in hac vita possibile est, desiit, perseverantia peccati feliciter deperit. Hic est perfectus perfectæ pœnitentiæ modus, quem misericors Dominus omnibus salvari cupientibus præmonstravit, atque præscripsit, quem ut attentius commendaret, protinus subjunxit, et ait:

VERS. 7. *Secundum magnitudinem operis, et visitatio eorum.* Possumus verba ista sic intelligere, ut *secundum magnitudinem* peccati mensura pœnitentiæ et satisfactionis debeat extendi, sicque secundum magnitudinem bonæ operationis, perfectæque satisfactionis aderit homini gratia et dulcedo supernæ *visitationis*. *Hæc* autem *omnia*, ut in Job dicitur, *operatur Deus tribus vicibus per singulos* (*Job.* XXXIII, 29). In tribus his vicibus, quibus salutem hominis omnipotens Deus operatur, exhortatio, modus, atque perfectio pœnitentiæ mystice notatur. Exhortationem præmisit, modum ostendit. Nunc etiam quid sit perfectio pœnitentiæ declarat, cum dicit: *Ad torrentem salicum deducent eos.*

VERS. 8. *Quoniam circuit* [*al.* circuivit] *clamor terminum Moab, usque ad Gallim ululatus ejus, et usque ad puteum Elim clamor ejus, quia aquæ Dibon repletæ sunt sanguine.*

Salices arbores infructuosæ sunt, quia nullum aptum humanis usibus fructum proferunt. Quod dicit: *Ad torrentem salicum deducent eos*, id est ac si dicat: Qui præscriptam exhortationem susceperint, qui juxta præmonstratum pœnitentiæ modum digne pro peccatis suis Deo satisfecerint, exitiales illos peccatorum fructus, quos aliquando proferre solebant, ad felicem quamdam sterilitatem *deducent*, quia viriliter eos a corde et corpore suo eradicant, ne solito more consurgere, vel prævalere eis valeant.

Et unde hoc? Ex eo utique, quia *circuit clamor terminum Moab, usque ad Gallim ululatus ejus. Terminus Moab* finem hominis pœnitentis non incongrue significat. Per *Gallim* vero, quod interpretatur *vituli*, vel *arenarum tumuli*, ipsa mors hominis potest accipi. *Circuit clamor terminum Moab, usque ad Gallim ululatus ejus* pervenit, quando et in pœnitentia cordis, quæ per *clamorem*, et in pœnitentia corporis, quæ per *ululatum* potest accipi, usque ad finem vitæ suæ homo justus perseverat, et persistit. De hoc tali homine recte adhuc subditur:

Et usque ad puteum Elim clamor ejus, quia aquæ Dibon repletæ sunt sanguine. Verbum istud *Elim*, quod interpretatum *arietes* sive *fortes* sonat, Deum omnipotentem non incongrue significat, qui est fons et origo omnium bonorum, qui fortitudo fortis, et confortans est omnium arietum, omnium utique doctorum suorum. Per *Dibon* vero, quod *sufficiens mœror* interpretatur, sufficiens pœnitentiæ lamentum apte figuratur, quæ tunc vero Deo sufficit, quando *repleta sanguine*, hoc est quando per mortem, quæ per *sanguinem* hoc loco intelligi potest, consummata fuerit. *Clamor* hoc modo pœnitentis, pœnitentiam suam simul cum morte finientis, *ad puteum Elim* audietur, quia ab eo qui, sicut jam diximus, fons et origo, fortitudo suorum est et consummatio, æternæ fortitudinis stabilitate, stabili et incommutabili perpetuæ beatitudinis jucunditate remuneratus stabilietur. Unde et adhuc subditur:

Ponam enim super Dibon additamenta : qui fugerint de Moab leonem, et reliquiis terræ. Ac si dicatur voce Dominica : Super hominem illum, qui sufficientem habet mœrorem, et in eo perseveraverit usque ad vitæ consummationem, hæc *additamenta ponam*, hanc pietatis et misericordiæ meæ gratiam adjiciam, quod eum non solum in anima, qua *fugere* peccati delectationem consueverat, post præsentis vitæ terminum salvabo, sed et *reliquias terræ*, corpus videlicet, quo peccati operationem fugit, quantum potuit, in die novissimo resuscitatum simul cum anima glorificabo, dans ei in præmium *leonem* illum *nobilem*, leonem magnum, qui surrexit de tribu Juda, unigenitum utique Filium meum, qui omnium sanctorum suorum erit corona, laus et infinita gloria per sæcula sæculorum. Amen.

Ecce *onus Moab*, onus utique nomen et locum regiminis tenentium, sed juxta dignitatem nominis non viventium. Ecce alta et sublimis Altissimi doctrina, in qua sic prælatos arguit, quod in eorum correptione vitam etiam subditorum a pravitatis tuæ tortitudine revocat, atque corrigit, in qua post zelum justæ invectionis ad mansuetudinem paternæ recurrit exhortationis, post mansuetudinem exhortationis, modum ostendit pœnitentiæ et satisfactionis. Docet etiam quid sit pœnitentiæ perfectio; ad ultimum, quæ et quanta eamdem pœnitentiam æterna beatitudinis sequatur remuneratio. Quicunque onus istud, quod secundum est in numero, super se susceperit, quicunque juxta præscriptam et præmonstratam in illo æterni Patris doctrinam, vitam, actus, moresque suos componere curaverit, ad onus tertium, quod inscribitur Damasco Deo propitio pertingere poterit.

CAPUT III.

Onus Damasci, seu eorum, quos perfecte pœnitet male perpetratorum.

Isa. xvii, vers. 1, 2. *Onus Damasci. Ecce Damascum desinit esse civitas, et erit sicut acervus lapidum in ruina. Derelictæ civitates Aroer gregibus erunt et requiescent ibi, et non erit qui exterreat.*

Damascus, qui *bibens sanguinem* vel *osculum sanguinis*, sive *sanguinis cilicii* interpretatur, hominem perfecte pœnitentem, atque secundum ea quæ in præmisso jam onere æterna Dei docuit sapientia, viventem significat, qui quasi *sanguis cilicii* fit, quando per asperitatem veræ atquæ perfectæ pœnitentiæ maceratus et cruentatus reconciliari Deo cœperit. Fit etiam *bibens sanguinem*, quando corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi suaviter pascitur, atque potatur, et per omnimodam mentis abjectionem, bonamque et justam corporis actionem ejusdem Domini nostri passionem strenue, quantum potest imitatur.

Potest etiam *osculum sanguinis* non inconvenienter nominari, quando sincero cordis affectu sanguinem, id est passionem Christi suaviter atque humiliter diligere incipit et venerari. *Osculum* enim *sanguinis* est amor et imitatio Christi passionis. De tali homine recte dicitur : *Ecce Damascus desinit esse civitas*, quia per cilicium pœnitentiæ purgatus, per gloriosam corporis et sanguinis Christi participationem vegetatus, per dilectionem et imitationem passionis Christi Christo ex parte conformatus, *desinit esse* quod erat incipit esse quod non erat, *desinit esse civitas* diaboli, incipit esse civitas Dei ; desinit esse civitas peccatorum, incipit esse civitas virtutum. Hoc enim verbis sequentibus mystice ostenditur, cum protinus subinfertur :

Et erit sicut acervus lapidum in ruina. In *acervo lapidum*, qui ex multa saxorum collectione fit, multitudo diversarum virtutum intelligi poterit. *Erit* sane *sicut acervus lapidum in ruina*, quando ruere mala, et surgere bona in eo incipiunt. Ruente coacervata ex diversis peccatis machina vitiorum, surgit et crescit in altum diversitas bonarum virtutum, laudabiliumque multitudo operationum. Unde sequitur.

Derelictæ civitates Aroer gregibus erunt, et requiescent ibi, et non erit qui exterreat. Aroer *myricæ*, id est infructuosæ arbores sunt, quarum succus cibo hominis admistus, sive in potu sumptus exstinguere charitatis fœdera, suscitare inimicitias et odia dicitur. Per *civitates Aroer*, civitates, ut ita dicam, sterilitatis, interiores exterioresque hominis sensus intelligere possumus, qui quasi infructuosæ arbores sunt, quandiu iniquitati ad iniquitatem serviunt. Sed *derelictæ civitates Aroer gregibus erunt*, quando sensus illi, qui civitates vitiorum erant, receptacula et habitacula *gregum*, id est bonarum virtutum esse incipiunt. Bene autem additur, *et requiescent ibi, et non erit qui exterreat*, quia fugatis vitiis et superatis, in virtutibus homo et virtutes in homine ita *requiescent*, et regnabunt, ut *non sit qui exterreat*, hoc est, ut nec ipse quidem diabolus exturbare eas atque fugare, vel auferre homini valeat.

Vers. 3. *Et cessabit adjutorium ab Ephraim, et regnum a Damasco, et reliquiæ Syriæ sicut gloriam filiorum Israel erunt, dicit Dominus exercituum.* Ephraim *frugifer*, Syria sublimis, Israel *vir videns Deum* interpretatur. *Cessabit adjutorium ab Ephraim*, quando inspirante Deo homo exterior, quem per Ephraim intelligendum credimus, fructum talem quærere a se et proferre desinit, qualem antea peccando peccatisque consentiendo quærere atque proferre consuevit. Sublato ab Ephraim tali hoc adjutorio etiam *regnum a Damasco cessabit*, quia succedens et succrescens regnum virtutum, regnum vitiorum ab homine illo, qui jam, ut diximus, Damascus factus est, evellet, et dissipabit. Dissipato regno vitiorum *reliquiæ Syriæ*, *sicut gloria filiorum Israel erunt*, quia anima illa, quæ jam *Syria*, id est *sublimis* facta est, utpote liberata et emundata a peccatis, *gloriæ filiorum Israel*, gloriæ, inquam, filiorum Deum amantium, Deum videre desiderantium, conformatur exemplo, eorum justis operibus mundisque cogitationibus quas per *reliquias Syriæ* intelligimus, sollicite elaborans, ut filiis Israel an-

numeretur, ut ad visionem Dei ipso adjuvante pertingere mereatur. Sequitur :

VERS. 4. *Et erit in die illa : attenuabitur gloria Jacob, et pingues carnes ejus marcescent* [al. *et pinguedo carnis ejus marcescet*]. Per Jacob qui *supplantator* interpretatur, idem homo, qui et per Damascum non incongrue figuratur. *Dies illa*, in qua *gloria Jacob attenuabitur*, supernæ visitationis gratiam apte figurat. Per hanc enim, ut primum homo illuminatus cognoscere seipsum, et renuntiare sibi ipsi cœperit, *gloria Jacob quodammodo attenuatur*, quia si quid gloriæ vel favoris aut ex vitiorum supplantatione, aut ex laudabili conversatione subortum intrinsecus fuerat, per humilitatem evacuat nihil suis viribus aut meritis, sed totum quod est, quod habet, soli Deo humiliter attribuit. Bene autem additur, *et pingues carnes ejus marcescent*, quia dum propriam infirmitatem, Deo illuminante, perfecte cognoscere cœperit, omnis illa carnalium sensuum, velut pinguis et prævalida fortitudo, quasi exsiccata per humilitatem contabescit.

VERS. 5. *Et erit sicut congregans in messe, quod restiterit, et brachium ejus spicas leget.* Fit nonnunquam ut sæculum homo relinquat, nec in ipso tamen conversionis suæ aditu pro his quæ in sæculo deliquit, recte et perfecte accusare se Deo in confessione sua sciat aut valeat; quod tamen in processu temporum plenius addiscet, cum *erit sicut congregans in messe*, *quod restiterit*, quia omnem vitam, actusque suos quasi ad faciendam sibi quamdam æternæ salutis *messem* sollicite colligit, discutit et examinat, et si quid restitisse sibi nondum defletum sive confessum invenerit, peracuta veræ atque perfectæ confessionis falce abscidere festinat : *Brachiumque ejus spicas leget*, quando post confessionem fortiter atque viriliter Deo satisfacere cœperit. Per *brachium* enim fortitudo ; per *spicas* vero bonorum operum designare potest multitudo.

Et erit sicut quærens spicas in valle Raphaim. Raphaim interpretatum dicitur *gigantes*. *In valle Raphaim* spiritalem quamlibet conversationem accipere possumus, in qua homines tales congregati sunt, et congregantur, qui ob perfectæ vitæ fortitudinem merito gigantibus comparantur.

Aliter nomine *Raphaim* malignos spiritus, per *vallem* humiles justos quosque homines intelligere possumus ; qui ideirco *vallis Raphaim* vallis utique eorumdem malignorum spirituum dici possunt, quia despectui eis sunt. Quanto enim apud se humiliores, tanto apud malignos spiritus sunt despectiores. Erit homo bonus *sicut quærens spicas in valle Raphaim*, quia inter homines illos, qui in humilitate Deo serviunt, quos propter humilitatem et mansuetudinem maligni spiritus despiciunt, humiliter quærit, si quid in eis videre vel audire ab eis valeat quod imitetur, per quod ad amorem patriæ cœlestis magis ac magis accendatur. *Spicas enim in valle Raphaim quærere* est in spiritali conversatione ab uno exemplum sumere humilitatis, ab altero exemplum obedientiæ, patientiæ, charitatis, ab illo exemplum bonæ actionis, ab isto exemplum gravitatis, spiritalisque constantiæ atque fervoris. Ex hac optima spicarum collectione, ex hac humili humiliter viventium imitatione duo illi motus timor utique Dei et amor surgunt in anima, de quibus protinus subinfertur :

VERS. 6. *Et relinquetur in eo sicut racemus, et sicut excussio oleæ duarum aut trium olivarum in summitate rami.* Potest per *racemum* amor Dei, per *oleam* ipsa hominis anima intelligi, quæ non inconvenienter oleæ comparari, vel etiam olea nominari poterit, quando oleo misericordiæ Dei perfusa, atque a pristina sua duritia divinitus emollita, perfectoque timore Dei et amore attacta fuerit. Et bene dicitur, *relinquetur in eo sicut racemus, et sicut excussio oleæ duarum aut trium olivarum*, quia, dum ex una parte amore Dei possidetur, ex altera parte timore Dei tangitur, ex duobus his motibus fit salubris quædam *excussio*, *excussio* utique *duarum aut trium olivarum*. *Duarum olivarum* nomine duplicem pœnitentiam possumus accipere. Duplex autem pœnitentia est et neglecta bona, et commissa mala districte pœnitere atque deflere. *Trium* vero *olivarum excussio* est provida ac sollicita sermonum, operationum, cogitationumque excussio, quam *olea* illa, anima videlicet oleo misericordiæ Dei peruncta quodammodo excutit, dum hoc non solum discutit, et examinat ubi factis aut dictis illicitum quid admiserit, sed etiam hoc indiscussum præterire non patitur, ubi vel minutissimis cogitationibus a rectitudinis semita deviaverit.

Nec prætereundum quod additur, *in summitate rami*. *Ramus* utique boni odoris fragrantiam non incongrue designat qui ab hac, quam jam diximus, duarum aut trium olivarum excussione sive discussione procedens in conspectu Dei ascendit. Summus etenim et suave redolens odor est coram Domino pœnitentia illa quæ, post excussa et discussa dicta, cogitationes et opera modo neglecta bona punit, modo commissa mala dignæ animadversionis zelo absumit. Emundatus et illuminatus per duplicem hanc pœnitentiam ad sacræ Scripturæ paulatim homo proficit intelligentiam, sicut typica significatione ostenditur, cum protinus adnectitur :

Sive quatuor aut quinque, in cacuminibus ejus fructus ejus, dicit Dominus exercituum. Quid in *cacuminibus* nisi arduos animæ sensus, vel quid per *quatuor* aut *quinque fructus ejus* nisi evangelicum et legalem fructum intelligimus? Quatuor enim aut quinque fructus in cacuminibus suis homo quodammodo habet, quando Novi Testamenti scripturam, quæ per *quatuor*, et Veteris Testamenti scripturam, quæ per *quinque* intelligitur, utiliter ac fructuose audire, arduisque animæ suæ sensibus comprehendere et intelligere, factisque sagaciter exsequi et custodire cœperit. Sequitur :

VERS. 7, 8. *In die illa inclinabitur homo ad factorem suum, et oculi ejus ad sanctum Israel respi-*

ciet. Et non inclinabitur ad altaria, quæ fecerunt manus ejus, et quæ operati sunt digiti ejus. In die illa supernæ visitationis *ad factorem suum homo inclinatur*. Inclinari enim est humiliari, quia quanto per dilectionem et cognitionem Deo approximat, tanto verius atque perfectius coram eo se humiliat. *Et oculi ejus ad sanctum Israel respicient. Sanctus Israel* sanctam hominis mentem significat, quæ vere *sancta* dici poterit, quando ista stabilita et sancita in Domino fuerit, ut nihil sit, quod exterius libeat, sed totis desideriis et affectibus semper ad Deum *respicere* gaudeat.

Et non inclinabitur ad altaria, quæ fecerunt manus ejus, et quæ operati sunt digiti ejus. Per *altaria*, quæ fecerunt manus ejus, bona opera, per *digitos* autem discretionem bonorum operum intelligere possumus. *Ad altaria, quæ fecerunt manus ejus, et quæ operati sunt digiti ejus, homo non inclinatur*, quando in ipsis etiam actibus suis, quæ discrete, et simpliciter pro Domino operatus est, quasi impium et indignum seipsum judicat, totumque ei, a quo accepit, in vera humilitate attribuit.

Non respiciet lucos et delubra. Per *lucos*, in quibus sacrificia dæmonis parari et offerri olim consueverat, accipere possumus masculos amantes [*cod.* amare] ac juxta turpitudinem sæculi viventes, seque diabolo quotidie per mala opera sacrificantes. Per *delubra* vero, in quibus idola servabantur, et colebantur, feminæ, quæ post vanitates sæculi et concupiscentias carnis incedentes templa dæmoniorum sunt, non incongrue figurantur. Hos profecto *lucos et* hæc *delubra homo* ille, qui eo, ut prædiximus, ordine processerit, nullo modo *respicit*, quia voluptates eorum totumque, quod in hoc mundo desiderari vel possideri potest, spe cœlestis patriæ prorsus abjicit et contemnit.

VERS. 9. *In die illa erunt civitates fortitudinis ejus derelictæ sicut segetes et aratra, quæ derelicta sunt a facie filiorum Israel, et erit* [al. *eris*] *deserta*. Per *civitates fortitudinis ejus* possunt intelligi universi sensus ejus, in quibus male fortis erat, quando fortiter ac suaviter vitiis ministrabat. Istos sane sensus suos, qui quasi quædam *civitates fortitudinis ejus* sunt, homo spiritalis ex parte *relinquit*, et ex parte non relinquit. Relinquit eos, non ut perdat, sed ut melius habere incipiat. *Relinquit* eos *sicut segetes et aratra, quæ derelicta sunt a facie filiorum Israel*, quando a mala fortitudine illa, qua ad peccata et vitia confortabatur, potenter eos retrahit; non relinquit eos, quando ad proferendas bonorum operum segetes quasi quædam *aratra* ad quotidiana spiritalis vitæ exercitia exemplo *filiorum Israel*, filiorum, inquam, Deum videntium, Deum diligentium fortiter circumfert et inflectit. Igitur quæcunque beata anima ita seipsam non relinquens relinquit, *deserta erit*. *Erit deserta* a diabolo, *erit deserta* a mundo, *erit deserta* a peccato, quia neque mundus, neque peccatum, neque ipse peccati auctor diabolus in illa die, in illa supernæ visitationis luce appropinquare ei audebit. Sed quia dies hæc stabilis in hac vita esse non potest, sed ex succedente tentationum nocte nunc in corpore extrinsecus profectum suum retardari plerumque et impediri homo conspicit, cumque aliorum profectum videt, parum aut nihil proficere se dolens, gemebunda cordis voce loquitur ad se dicens intra se.

VERS. 10. *Quia oblita es Dei Salvatoris tui, et fortis adjutoris tui non es recordata, propterea plantabis plantationem infidelem, et germen alienum seminabis*. Per *plantationem infidelem* notamus malas cogitationes; per *germen alienum*, minus perfectas actiones. *Quia oblita es*, inquit, Dei *Salvatoris tui*. Ac si dicat: Hoc quidem divina justitia exigit, quia injustitia tui ita commeruit, ut quæ *oblita es Dei Salvatoris tui, et fortis adjutoris tui recordata non es*, cum recordari debueras, inutilium atque malarum importunitati cogitationum nolens et invita modo subjaceas, et quia neglexisti facere bonum quod debueras, nunc etiam, cum non vis, imperfectæ actionis offendiculum evadere nequeas.

VERS. 11. *In die plantationis tuæ labrusca*. Quia reducta ante oculos tuos dies pristinæ *plantationis*, dies, inquam, transactæ conversationis nil tibi repræsentat nisi *labruscam*, intolerabilem utique cordis duritiam; attamen, si de bonitate et misericordia Dei confidens laboribus, quibus potes, constanter ac perseveranter insudaveris, *mane semen tuum florebit*, quia clarescente super te *mane* supernæ visitationis ac miserationis, omnipotens Deus tandem aliquando in bonum fructum *semen tuum*, id est laborem operum tuorum consurgere faciet.

Sic, sic defectum suum humiliter deflendo rursum de misericordia Dei spem consolationis resumit, atque ad majorem laboris constantiam semetipsum hortatur, et dicit: *Ablata est messis in die hæreditatis, et dolebis graviter*. In *hæreditate* sancta conversatio, in *messe* bona potest designari actio. Et est, quasi fidelis anima doleat et indicat in semetipsa: Quia in sancta hac conversatione, in qua, et per quam *hæreditatem* patriæ cœlestis obtinere, et deservire deberes, sola tu sine fructu bonæ actionis incedis, expedit tibi, ut *graviter doleas*; expedit, inquam, ut aliis gaudentibus et exsultantibus, tu ex assidua peccatorum tuorum recordatione contristeris; ut aliis comedentibus, dormientibus, aliisque licitis rebus licite utentibus, te jejuniorum frequentia, vigiliæ instantia, te ipsum castigando, etiam licita tibi non licere existimans semper coram Deo humilieris.

CAPUT IV.

Onus Ægypti, seu perfecta pœnitentia, quam Deus potentia divinitatis suæ misericorditer et mirabiliter in homine operatur.

ISA. XIX, VERS 1-3. *Onus Ægypti. Ecce Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur Ægyptum, et movebuntur simulacra Ægypti a facie ejus, et cor Ægypti tabescet in medio ejus. Et concurrere faciam Ægyptios adversus Ægyptios, et pugnabit vir contra*

fratrem suum, et vir contra amicum suum, civitas adversus civitatem, regnum adversus regnum. Et disrumpetur spiritus Ægypti in visceribus ejus, et consilium ejus præcipitabo. Totum onus istud videtur agere de perfecta pœnitentia, quam Deus omnipotens potentia divinitatis suæ misericorditer et mirabiliter operatur in homine. Onus autem istud illi soli convenit, solus ille utiliter portare poterit, qui sub præcedenti onere, quod inscribitur Damasco, humiliatus, quemadmodum diximus, et exercitatus atque eruditus fuerit. *Ecce Dominus*, ait propheta *ascendet super nubem levem, et ingredietur Ægyptum.* In *nube levi* levigata et alleviata a peccatis et vitiis vita hominis potest intelligi. In *Ægypto* autem, quæ *persequens*, vel *tenebræ*, vel *angustans tribulatio* interpretatur, cor hominis non incongrue figuratur. *Super nivem levem Dominus* quodammodo *ascendit*, quando hominem, quem a malo gravi peccatorum onere levigavit, ascendentem et proficientem in virtutibus facit. *Ingreditur* etiam *Ægyptum*, quando cor illud, quod tenebrosum antea fuerat, radio visitationis suæ penetrat et illuminat.

Et movebuntur simulacra Ægypti a facie ejus. Per *simulacra*, quæ ideo *simulacra* dicuntur, quod *simulant* sanctitatem et deitatem, et tamen non habent, ea opera hominis quæ bona similia sunt, sed ad malum finem tendunt, congrue satis intelligi possunt. *Simulacra moventur*, quando mala opera mutantur. Sed unde hæc simulacrorum motio? unde, inquam, hæc malorum operum mutatio? *A facie ejus*, a cognitione videlicet Dei omnipotentis; nam cum homo præsentia visitantis se majestatis supernæ irradiari intrinsecus cœperit, ipsa etiam opera sua quæ bona et justa credidit, mala et injusta invenit. Sed quia plerumque fit ut homo peccata relinquat corpore, et tamen adhuc ea sentiat in voluntate, apte subjungitur:

Et cor Ægypti tabescet in medio ejus. In *corde Ægypti* intelligere possumus voluntatem hominis. *Cor Ægypti tabescit in medio ejus*, quando supernæ pietatis gratia attactum ab omni noxia voluntate infirmari cœperit, atque in laudabili quadam medietate ita se in le continet, quod nec prospera nimium diligit, nec adversa nimium metuit. De hoc tali homine in tam laudabili medietate consistente quid adhuc subjungat Dominus, audiamus:

Et concurrere, inquit, *faciam Ægyptios adversus Ægyptios.* Per *concurrentes Ægyptios adversus Ægyptios* unum eumdemque hominem congrue satis intelligere possumus. *Concurrere facit Dominus Ægyptios adversus Ægyptios*, quando homines persecutores adversus homines peccatores, homines, inquam, pœnitentes adversus homines peccantes felici discordia suscitat. Bonus sane et feliciter discordans concursus Ægyptiorum adversus Ægyptios fit, quando is qui Ægyptius erat peccando, Ægytius esse incipit districtæ animadversionis sententia in seipso peccata persequendo et puniendo. Unde protinus subinfertur:

Et pugnabit vir contra fratrem suum, et vir contra amicum suum, civitas adversus civitatem, regnum adversus regnum. Per *fratrem et amicum* spiritum hominis et corpus congrue intelligere possumus. *Pugnat vir contra fratrem suum*, quando ipsis voluntatibus suis quæ in spiritu fiunt viriliter homo resistere incipit. *Pugnat vir contra amicum suum*, quando corpus suum, quod contra Deum prius amaverat, quasi inimicum propter Deum reputat, quando illud quasi inimicum conterit, diversisque adversitatibus atque laboribus domat et confringit. *Pugnat* etiam *civitas adversus civitatem*, quando civitas bonorum operum adversus civitatem malorum operum consurgit. *Pugnat regnum adversus regnum*, quando forti et virili constantia bonæ actionis regnum vitiorum dissipatur, regnumque virtutum per gratiam Dei in homine stabilitur et confirmatur. Hanc laudabilem pugnam quid gratiæ et virtutis sequatur, verbis sequentibus mystice demonstratur, cum dicitur:

Et disrumpetur spiritus Ægypti in visceribus eorum, et concilium ejus præcipitabo. Potest hoc in loco per *Ægyptum* mundus, per *spiritum Ægypti* concupiscentia mundi, per *viscera* vitales hominis sensus designar. Quandiu homo in mundo est et delectabiliter, mundum possidet, spiritum mundi habet. *Omne enim*, ut ait apostolus Joannes, *quod in mundo est, concupiscentia carnis, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ est* (*I Joan.* II, 16). Sed dum ab hoc sæculo perfecte ad Deum conversus fuerit, atque in conversione sua juxta præscriptum ordinem vivere cœperit, *spiritus Ægypti in visceribus ejus* quodammodo *disrumpitur*, quando ejecto spiritu superbiæ, qui utique spiritus Ægypti, spiritus, inquam, mundi est, humilitatis spiritus *in visceribus*, hoc est in vitalibus sensibus ejus divinitus diffunditur.

Bene autem adjecit Dominus, et ait: *Et consilium ejus præcipitabo.* Consilium enim spiritus sui *præcipitat*, et inutile facit in homine *consilium* spiritus Ægypti. Concilium spiritus Ægypti est ut secundum concupiscentias mundi homo vivat. Consilium spiritus Dei, Spiritus sancti est, ut despectis et abjectis concupiscentiis mundi per veram humilitatem semper se Deo submittat. Omnes autem, qui præcipitato hoc modo consilio spiritus Ægypti huic sancti Spiritus consilio consenserint, qualiter postmodum vivere debeant, ex sequentibus verbis exemplum sumant. Sequitur:

Et interrogabunt simulacra sua, et divinos suos, et pythones suos et hariolos. Divini dicebantur qui quasi prophetico spiritu futura prænuntiabant. *Pythones* dicebantur, qui maligno spiritu obsessi quasi ex quadam insania prophetabant. *Harioli* dicebantur qui aut in astris aut in extis pecudum futura prævidere consueverant. Possumus intelligere per *simulacra*, sicut prædiximus, opera hominis, per *divinos* interiores sensus hominis, per *pythones et hariolos* duo genera peccatorum, quorum unum est,

quando instigante maligno spiritu ex industria, hoc est voluntarie ac scienter homo peccat. Aliud vero est, quando absque mentis delectatione et deliberatione ex casu et subita quadam præcipitatione peccat. *Simulacra sua* quodammodo *interrogat* qui districte ac sollicite discutit et examinat quid vel quantum in exteriori homine malis actibus commiserit. *Divinos suos interrogat*, quando subtiliter et humiliter ad memoriam revocat quid vel quantum in interiori homine iniquis contra Deum voluntatibus deliquerit. Sed nec hoc quidem homini sufficit, nisi etiam *pythones et hariolos interroget*, quia qui perfecte pœnitere vult, non solum hoc, quando vel quantum peccaverit, sed et recte discernere et discrete perpendere debet, ubi aut quomodo peccaverit, an ex industria, aut eventu, hoc est utrum studio et amore, longaque animi deliberatione, aut ex sola improvidæ ac infirmæ mentis præcipitatione peccati crimen incurrerit. Post interrogationem istam, post tam districtam hanc sui, ut ita dicam, discussionem, fit tandem quod sequitur :

VERS. 4. *Et tradam Ægyptum in manus dominorum crudelium, et rex fortis dominabitur eorum, ait Dominus exercituum. Domini* isti Domini boni sunt, qui *crudeliter*, sed salubriter ab homine exigunt, quod peccavit, qui ad hoc excitant eum et instigant, ut tanta crudelitate et amaritudine pœnitendo contra semetipsum sæviat, quanto amore quantaque cordis ac corporis dulcedine peccavit : sicque fit ut *rex fortis dominetur eorum*, quando præsidens spiritus, quem per regem fortem intelligimus, fortiter sensibus carnis dominando, sublimiter regendo imperat, et ne pristinis libidinis suæ motibus caro servire possit, cuncta ejus fluxa potenter comprimit atque restringit.

VERS. 5, 6. *Et arescet aqua de mari, et fluvius desolabitur, et siccabitur. Et deficient flumina, et attenuabuntur, et siccabuntur rivi aggerum. Calamus et juncus marcescent. Aqua de mari arescit*, quando concupiscentia carnis, quæ per aquam notatur, ex amaricato per pœnitentiam corde quasi exhausta superatur. *Desolatur* etiam *fluvius atque siccatur*, quando carnalis actio, per quam lethaliter diffluere et effluere homo consueverat, quasi sublato solatio fortiter restringitur. *Solatium fluvio subtrahitur*, quando turbidus carnalis operationes fluvius, qui ex immoderantia cibi, potus, atque somni cæterarumque delectabilium affluentia rerum processit, siti, fame, vigiliis, atque flagellis, cæterisque piis laboribus fortiter eliditur.

Post hæc *deficient* etiam *flumina, et attenuabuntur, et siccabuntur rivi aggerum*. Possumus intelligere per *flumina* grandes tentationes, quæ proficientem hominem fortiter ex malitia diaboli plerumque illidunt; per *rivos aggerum* minores tentationes, quæ ex comportatione carnis quodammodo surgunt et procedunt. Sicut enim aggeres ex congestione terræ fiunt, ita, dum homo terram suam, id est carnem suam suaviter et voluptuose tractat, quasi aggeres quosdam comportat, ex quibus novi tentationum rivi oriuntur. Sed dum caro ut hostis deputatur, et hostiliter, ut ita dicam, propter Deum tractatur, tentationes illæ, quas aliquando ex se pariebat, quasi *exsiccati rivi* intereunt. Sed et *flumina*, id est, magnæ et grandes tentationes, quibus ex importunitate diaboli quasi forti fluminum impetu impingebatur, per potentiam et misericordiam Dei compressæ, aut penitus deficiunt, aut etiam ita attenuantur et moderantur, quod prævalere et ultra non poterunt. Unde autem hæc fluminum attenuatio, unde hæc rivorum exsiccatio veniat, sequens verborum ordo mystice insinuat. Nam sequitur :

Calamus, et juncus marcescent. Quid per *calamum*, qui vacuus est, nisi cor hominis evacuatum jam ab amore sæculi, et quid per *juncum*, qui fragilis est, nisi fragili et infirmum corpus hominis intelligi potest? Quomodo autem cor et corpus hominis marcescere debeat, aliis protinus verbis evidentius propheta exponit, cum dicit :

VERS. 7. *Nudabitur alveus rivi a fonte suo, et omnis sementis irrigua siccabitur, et arescet, et non erit.* Sicut per juncum, ita et per *alveum* corpus hominis intelligimus. *Nudatur alveus rivi a fonte suo*, quando homo vere et humiliter in confessione sua aperit quid et quantum, et quam turpiter in corpore suo peccaverit. Ibi vere, cum ita semetipsum homo denudat, *omnis sementis irrigua siccabitur, et arescet et non erit* quia anima sive caro illa, quæ *irrigua* fuit in peccatis, *exsiccata* per pœnitentiam, emundata per confessionem, de perfecta peccatorum remissione gaudebit.

VERS. 8. *Et mærebunt piscatores, et lugebunt omnes mittentes in flumen hamum, et expandentes rete super faciem aquæ* [*aquarum emarcescent.*] Sunt *piscatores* quidam, qui boni sunt sancti videlicet angeli, qui hominem de mari hujus sæculi trahunt, Creatorique suo restituunt. Sunt etiam *piscatores* quidam, qui mali sunt, contrarii videlicet spiritus, qui suggestionibus et immissionibus suis procellosis peccatorum fluctibus semper hominem immergere satagunt. Nam cum viderint quod ita in Domino progreditur homo ille, quem prius piscati fuerant, cujus cordi *hamum* deceptionum suarum fortiter infixerant, super quem *rete*, id est violentam coactionem suam *expanderant, mærebunt et lugebunt*, quia humana salvatio intolerabilis eorum mœror est et tribulatio. Unde adhuc subditur :

VERS. 9, 10. *Marcescent et confundentur, qui operabantur linum plectentes* [al. *pectentes*] *et texentes subtilia. Et erunt irrigua ejus flaccentia : omnes qui faciebant lacunas ad capiendos pisces.* Per *linum*, quod de terra nascitur, homo, qui terrenus antea et carnalis fuerat, non injuste accipitur. Maligni autem spiritus *operatores lini* jure nominari possunt quia hæc sunt opera eorum, quod hominem terrenum terrena sapere, carnaliter vivere faciunt. Quomodo *plectentes et texentes subtilia? Plectentes* in operatione,

texentes in cogitatione. *Plectentes* in operatione dicuntur quia peccatis peccata semper connectunt. *Texentes* in cogitatione dicuntur, quia malignis suggestionibus et immissionibus suis noxias et illicitas in corde hominis cogitationes cogitationibus contexunt, ut ex his *lacunas* sibi, id est corda et corpora hominum carnalia faciant, in quibus *pisces* suos, quod sunt peccata et vitia, quibus inescantur, congregare et conservare valeant. Sed *marcescent et confundentur; marcescent* in conversione hominis, *confundentur* in perfecta conversatione hominis. *Et erunt irrigua ejus flaccentia*, quando et irriguitas malarum concupiscentiarum, quæ intrinsecus in anima exuberabat, et irriguitas carnis, quæ per mala opera forinsecus emanabat, ita per gratiam Dei exhausta fuerit, quod nullis malignis spiritibus ad faciendas lacunas, ad capiendos pisces vel in anima vel in corpore ejus locus remanebit.

CAPUT V.

Onus deserti maris, seu de triplicis compunctionis gratia.

ISA. XXI, VERS. 1, 2 *Onus deserti maris. Sicut turbines ab Africo veniunt, de deserto venit, de terra horribili. Visio dura nuntiata est mihi: qui incredulus est infideliter agit, et qui depopulator est vastat. Ascende Ælam, obside Mede; omnem gemitum ejus cessare feci.* In onere isto quinto præscribitur et ostenditur nobis triplex compunctionis gratia, per quam homo, qui *desertum mare* jam factus est, hoc est qui deserto et relicto sæculo in amaritudine corporis et animæ Deo jam satisfacere cœpit, misericorditer plerumque tangitur et visitatur. Compungitur enim aliquando ex sola prævenientis sancti Spiritus gratia, aliquando ex recordatione malorum desideriorum malarumque voluntatum, quibus in corde Deum offendit, compungitur aliquando ex recordatione malorum operum, quæ corpore contra Deum commisit. Hoc enim in exordio oneris hujus nobiliter exprimitur, cum in persona perfecte pœnitentis hominis et in vera humilitate seipsum agnoscentis per prophetam dicitur *sicut turbines ab Africo veniunt, de deserto venit, de terra horibili; visio dura nuntiata est mihi.* Possumus hoc in loco congrua comparatione per *Africum* intelligere Spiritum sanctum, quia sicut flante Africo grandes et diversæ tempestates oriri solent, sic spirante et aspirante Spiritu sancto dura pridem peccatorum corda quasi magnis quibusdam ac bonis turbinibus commota et excitata ad pœnitentiæ fletum mirabiliter et misericorditer resolvuntur.

Per *desertum* vero intelligimus cor hominis jam perfecte deserens mundum et *desertum* a mundo; per *terram horribilem* ipsum corpus hominis, quo horribiliter peccavit Domino. Sicut enim *turbines* boni, suaves utique et justæ tribulationes ab Africo, hoc est ex visitante et aspirante Spiritu sancto veniunt, quæ suaviter intrinsecus hominem afficiunt sic de deserto illo, quod cor hominis diximus,

A alius quidam turbo etsi non æque suavis, tamen æque salutaris venit, quando multarum voluntatum atque desideriorum, quibus in corde, quod per desertum intelligendum diximus, nullo sciente, sed solo Deo inspiciente multoties offendit, humiliter reminiscens medullitus compungitur. Venit etiam *turbo alius de terra horribili*, quando multa horribilia peccatorum contagia, quæ corpore commisit, humiliter ad memoriam revocans horret et expavescit, et prævalido pœnitentiæ dolore quasi forti quodam concussus turbine compunctus ingemiscit.

Ex diversis his turbinibus nunc ab Africo, nunc de deserto, nunc de terra horribili venientibus *visio dura nuntiatur* homini. *Dura* hæc *visio* vera et perfecta peccatorum est recognitio. Nam antequam
B turbines isti veniant, non potest homo videre, non potest cognoscere seipsum, non potest scire vel intelligere quantum mali promeruerit apud Deum. Venientibus autem his turbinibus, ubi perfecte seipsum recognoverit, gemebunda cordis voce in spiritu et in animo contrito plerumque dicit in seipso, *Qui incredulus est, infideliter agit et qui depopulator est, vastat. Incredulus* quodammodo homo est, quando mala voluntate intrinsecus corrumpitur; *infideliter* agit, quando malam voluntatem malis operibus prosequitur. Hæc duo homo justus prædictis turbinibus feliciter exsuscitatus in seipso plerumque reprehendit, accusat et punit, atque dicit: *Qui incredulus est, infideliter agit, et qui depo-*
C *pulator est, vastat.* Ac si dicat: Miser tu ac gemende, recognosce te incredulum; per omnimodam enim pessimæ voluntatis nequitiam coram Deo interius sorduisti, tu enormitate sceleratæ actionis sicut infidelis infideliter contra Deum hucusque vixisti. Sed et nunc (quod magis dolendum est), postquam conversus ad Dominum pristinas transgressiones sequentis pœnitentiæ et satisfactionis humilitate emendare atque delere debueras, factus es sicut *populator devastans*; Deo enim honorem suum abstulisti, et bona ac virtutes, quas ex dono ejus acceperas, quibus gratiam Dei et pristinæ incredulitatis atque infidelitatis tuæ indulgentiam et remissionem promereri poteras, tibi, quasi essent ex te, stulte attribuendo vastasti. Sic, sic dum et
D bona Dei ad memoriam revocat, et mala, quæ bonis ejus reddidit, anxie examinat, quanto verius perpendit quod meruit, tanto districtioris pœnitentiæ lamentis seipsum conterit, et affligit rursum ad se dicens intra se:

Ascende Ælam, obside Mede, omnem gemitum ejus cessare feci. Per *Ælam*, quod interpretatur *ascensus ejus*, superbiam cordis non incongrue accipimus; per *Medos* autem, qui *tentantes* dicuntur, diversæ tentationes carnis non injuste exprimuntur. Increpat homo perfectus primo *ascensum*, id est cordis sui superbiam, per quam dum incaute se extollendo ascendere contra Deum non metuit, ad peccatorum voraginem miserabiliter descendere meruit. Increpat etiam male *tentantes* passiones carnis suæ, qui

bus superatus ac prostratus Deum Creatorem ac Redemptorem suum toties et toties offendit. *Ascende*, inquit *Ælam*. Hoc est dicere : Tu male ascendens superbia cordis mei, quæ a veræ lucis intuitu interiores oculos meos toties excæcasti, quæ Deum a me, et me a Deo Salvatore meo elongasti et expulisti, *ascende, ascende*, inquam, intra cordis mei conscientiam, *ascende* ante oculos cordis mei, ubi semper te inspiciam, semper confitendo pœniteam, pœnitendo amare defleam. Sic cum se pro elatione mentis defleverit, tentationes etiam carnis, quibus et per quas ad iniquitatis opera prolapsus est, pari humilitate deplorans subjungit, et dicit :

Obside Mede. Quasi dicat : Tu mea misera tentatio, quæ me ut infirmum, ut enervem prostravisti, quæ tot et tantis, tamque facinorosis peccatorum contagiis inquinatum reum Deo constituisti, *obside me*; more, inquam, obsidentis semper esto coram me, quatenus indeclinabili obsidione tua, tristi et amara tui recordatione semper me opprimas, omni tempore me humilies, semper te inspiciam, semper ex te quod ad pœnitentiæ lamenta succendar habeam. *Omnem gemitum ejus cessare feci*. Ea, quæ mihi gemenda erant, nec gemui, sicut debui, sed *cessante gemitu* exsultavi et lætatus sum in his pro quibus flere et contristari debui.

VERS. 4, 5. *Propterea repleti sunt lumbi mei dolore ; angustia possedit me sicut angustia parturientis; corrui, cum audirem ; turbatus sum, cum viderem. Emarcuit cor meum, tenebræ stupefecerunt me.*

Verba hæc, quæ vera humilitas in corde perfecte pœnitentis format, ita distincta atque discreta sunt, quod quædam ad hominem interiorem, quædam ad hominem exteriorem satis congrue referri possunt. Cum enim dicit, *repleti sunt lumbi mei dolore ; corrui, cum audirem : turbatus sum, cum viderem ; emarcuit cor meum*, interioris hominis contritionem signat. Ubi autem subjungit, *angustia possedit me sicut angustia parturientis, tenebræ stupefecerunt me*, exterioris hominis afflictionem insinuat. *Lumbi* enim *dolore replentur*, quando omnia interiora hominis ad pœnitentiam commoventur. Dolor iste interior, dolor utique intimæ pœnitentiæ facit hominem audientem, facit eum videntem, facit eum marcescentem ; nam dum perfecto pœnitentiæ dolore intus tangitur, intus repletur, audire incipit Deum creatorem suum, audire incipit intrinsecus quid præcipiat, quid interdicat, videre per amorem Deum incipit quem videre et diligere antea neglexit. Ad internam hanc auditionem *corruit*, ad internam hanc visionem *turbatur* et *marcescit*. *Corruit* a pristina mentis elatione, *turbatur* ex nimio pœnitentiæ dolore, *marcescit* ab omni sæculi delectatione atque amore.

Sed dum hoc modo intrinsecus dolore tactus fuerit, cum sic turbatus ab omnibus quæ mundi sunt feliciter emarcuerit, auxiliante supernæ pietatis gratia, interioribus profectibus exterioribus respondet actibus, sicut convenienter ex verbis illis colligere possumus, quæ et in medio et in fine præsentis hujus versiculi intacta reliquimus. Nam postquam dixit, *propterea repleti sunt lumbi mei dolore*, adjecit, *angustia possedit me sicut angustia parturientis*. Rursumque cum diceret, *corrui, cum audirem ; turbatus sum, cum viderem. Emarcuit cor meum*, addidit, *tenebræ stupefecerunt me*. Sed quæ est *angustia* hæc, qua post tantam interioris hominis perfectionem exterius possidetur? Vel quæ *tenebræ* illæ, quibus *stupefactum* se dicit in exteriori homine? Vivit homo quasi in quadam latitudine, quando laxe corpus suum tractat, quando pro libitu suo et desiderio carnis cibis et potibus, somno, jocis cæterisque, quæ caro concupiscit, plus æquo indulget. Sed spatiosa hæc latitudo in quamdam laudabilem et felicem *angustiam* transit, quando in his, in quibus prius sibi relaxaverat, ita se propter Deum angit et angustat, quod non solum illicita, sed et licita et universa, ut ita dicam, quæ suavia et delectabilia carni sunt, constanter propter Deum respuit, abjicit atque contemnit. Talis iste homo recte dicere potest coram Domino, *angustia possedit me sicut angustia parturientis*. Quasi dicat : Angustiam hanc, cui me abjecta et despecta male lata carnalis voluptatis dulcedine jam propter Deum subegi, feci possessorem meum, ut angustatus sub ea et coarctatus ad inania carnis ultra non effluam ; factaque est mihi sicut *angustia parturientis*, sicut angustia hominis parere desiderantis, quia non solum pro evadendo inferni supplicio, sed et amore et desiderio pariendi ex corde, pariendi ex corpore meo aliquid Deo placitum, Deo dignum, omne quod latum in hoc mundo est et jucundum, triste mihi factum est et angustum. Post talem angustiam recte ponitur :

Tenebræ stupefecerunt me. Per *tenebras* enim adversitates carnis intelligimus, quia quando auget sibi vigilias, jejunia, silentium atque flagella, hæc omnia quasi *tenebræ* quædam sunt, quæ eum, mundanæ jucunditatis luci subductum, stupidum mundo faciunt. *Stupor* hoc dicitur, cum subito et inopinato pavore homo concussus extra se ducitur. Recte autem homo perfectus quasi *stupefactus tenebris* dicitur, quando per angustias atque adversitates carnis conquassatus a seipso, ab eo, inquam, qui prius fuerat alienatus et immutatus, etiamsi mundus sit, jam non sentit, quia mortuus sæculo soli Deo vivere diligit. Unde apte adhuc subjungit, et dicit :

Babylon dilecta mea posita est mihi miraculum. Miratur etenim, et mirando deflet, ac conqueritur tam stulte tamque insensate dies suos se expedisse, pro brevi et instabili mundi hujus delectatione et amore tanta bona perdidisse, tanta mala commeruisse. *Babylon*, inquit, *dilecta mea posita est mihi in miraculum*. Babylon interpretatur *confusio*. Et est, quasi dicat : *Confusa* et *confundens* terreni amoris delectatio, quæ me ut *dilecta* dilectum possederat, sibique subjugaverat, jamjamque *posita est in miraculum*; antea dilecta jam abominabilis facta est mihi atque despecta. Mirabile enim et prorsus miserabile judico a quoquam homine cum tanto amore et

desiderio concupisci hoc ac possideri, quod possidentem confundit, quod amittentem tantæ amaritudini atque dolori addidit. Sic fatuitatem suam humiliter consideranti ac miranti, ut ad consideranda etiam et pensanda divinæ miserationis opera sensum et intellectum convertere studeat, sequentibus verbis mystice docetur, cum dicitur :

VERS. 5. *Pone mensam, contemplare in specula.* Per *mensam* potest intelligi sacra Scriptura, in qua vere repositus ac reconditus est cibus fidelis animæ, Propheta testante, qui ait : *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me.* (*Psal.* XXII, 5). Per *speculam* autem, in qua et ex qua homo longe et prope posita contemplatur, purum cor et pura anima apte figurantur. *Apposita mensa contemplari* jubetur *in specula*, quia administrata divinitus sacræ Scripturæ fercula puris mundi cordis oculis apponere docetur, ut ex his sapiat, et intelligat quid Creatori et Redemptori suo debeat. Unde et adhuc subditur :

Comedentes et bibentes surgite, principes, arripite clypeum. In *clypeo*, quo homo adversus ictus et tela adversariorum præmunitur, gloriosum sanctæ crucis lignum, per quod invisibilium inimicorum sagittæ invisibiliter eliduntur, et declinantur, congrue intelligitur. Lignum vero Dominicæ crucis exprimit et docet mortificationem carnis. *Comedentes*, inquit, *et bibentes surgite, principes.* Ac si dicat : Vos, qui jam *principes* facti estis, qui relicto sæculo principari ac dominari vitiis cœpistis, duriora sacræ Scripturæ *comedentes*, assiduæ, inquam, meditationis dente frangentes et comminuentes, leviora *bibentes*, id est in cibum et refectionem animæ transferentes, *surgite*, semper vos de infimis ad summa, de terrenis ad cœlestia per desiderium et amorem sublevate. *Arripite clypeum*, carnis diligite mortificationem, meam humiliter imitantes passionem. Sed si durum tibi videatur, o homo, clypeum justum arripere, si refugis passionis et mortis meæ imitator existere ;

VERS. 6. *Vade et pone speculatorem, et quodcunque viderit, annuntiabit tibi. Speculator* iste, qui nobis præcipitur ut *ponamus* eum, intellectus noster est, per quem quasi in sublimi specula positos considerare, humiliter pensare nos convenit quæ et quanta omnipotens Deus creator cœli et terræ, pro indignis nobis et peccatoribus sustinuerit. Nam si in Auctorem nostrum frequenter respicimus, si multiformes passionis ejus ignominias assidue recolimus, quidquid se nobis obtulerit, totum pro ejus amore leve nobis et tolerabile erit. Igitur *vade*, inquit, *et pone speculatorem.* Quasi dicat : *Vade* per intellectum, *pone* per affectum. *Vade*, misericordiæ et miserationis meæ dona in intellectu cordis tui digne considerando et pensando, *pone* in affectum tuum quantum pro te laboraverim, quanta dilectionis et salutis tuæ causa sustinuerim.

Ad hanc internæ exhortationis, et eruditionis Domini vocem ubi intrinsecus homo expergefactus et

A illuminatus totum intellectum suum ad Deum converterit, fit tandem, quod dicitur : *Et quodcunque viderit, annuntiabit tibi. Videt* quodammodo quando universa pietatis ejus opera prudenter intelligere incipit. *Quodcunque viderit, annuntiat*, quando ea quæ de Deo scit et intelligit, affectuosa cordis devotione veneratur, et diligit. Sed quid videat, et videndo diligat, audiamus. Sequitur.

VERS. 7, 8, 9. *Et vidit currum duorum equitum, ascensorem asini, et ascensorem cameli, et contemplatus est diligenter multo intuitu. Et clamavit leo : Super speculam Domini ego sum stans jugiter per diem, et super custodiam meam ego sum stans totis noctibus. Ecce iste venit ascensor alis* [Vulg. omit. *alis*] *vir bigæ equitum, et respondit, et dixit : Cecidit Babylon,*
B *et omnia sculptilia deorum ejus contrita sunt in terra.* In verbis istis, si subtiliter discutiuntur, omnia Christi sacramenta comprehensa et signata inveniuntur. Ibi sane incarnatio, ibi singularis ejus et specialis in hac vita conversatio, ibi passio ejus et mors, ibi resurrectio, ibi ascensio, ibi promissa, et peracta Spiritus sancti descensio, ibi secundus ejus adventus, ibi remuneratio electorum, ibi damnatio invenitur reproborum. In *curru* denique sanctam ejus incarnationem satis congrue possumus intelligere, quia, qui in divinitatis suæ substantia nec videri, nec moveri poterat, humanitatem nostram suscipiendo *currus* quodammodo factus est nobis, cui miseri nos et imbecilles imponeremur, per quem, et a quo ad cœlestis patriæ gaudia, unde ejecti eramus, miseri-
C corditer reportaremur. Et bene quidem currus iste *currus duorum equitum* nominatur. Per *duos* enim hos *equites* et Deus Pater, et Deus Spiritus sanctus digne figuratur. Nobilissimi isti equites nobilissimo huic curru socia deitate, individua unitate semper præsidebant, semper, ut ita dicam, insidebant quia idem Creator et redemptor noster Christus Jesus, qui homo visibilis in carne visibili apparuit, cum invisibili Patre et Spiritu sancto coæternus, consubstantialis Deus semper permansit. Recto autem ordine postquam dictum est : *Et vidit currum duorum equitum*, subjungitur :

Ascensorem asini, et ascensorem cameli. Intelligimus enim in *asino* Judaicum populum, in *camelo*
D gentilem. Incarnatus pro nobis Deus primo quidem factus est *ascensor asini*, quando ex Judaico populo electos discipulos, sanctos apostolos, cæterosque fidei et doctrinæ illorum sectatores et imitatores in agnitionem et dilectionem suam misericorditer attraxit. Post hæc factus est etiam *ascensor cameli*, quando tortuosum illum et deformem gentilitatis populum, ab idolorum sordibus abstractum, ad fidei suæ sacramenta attractum, dignum fecit, cui sederet, quorum corda per fidem et dilectionem inhabitaret.

Nobilis hic ascensor asini et ascensor cameli qualiter in hoc mundo vixerit, quam dissimilis cæteris hominibus vita et conversatio ejus fuerit, in sequentibus propheta manifestat, cum dicit : *Et contemplatus est diligenter multo intuitu.* Hæc est vita Jesu. *Con-*

platus est diligenter multo intuitu a malis omnibus semper abstinendo, multa bona semper operando. Vel *contemplatus est diligenter multo intuitu* vitam bonorum ad æternam remunerationem, vitam malorum ad æternam damnationem.

Et clamavit leo. Duobus his verbis sacramentum passionis et resurrectionis Christi breviter comprehenditur. Qui *clamavit* in passione, *leo* factus est in resurrectione. *Clamavit* humiliter in cruce moriens, *leo* factus est potenter a morte resurgens. Sed clamor talis taliter in cruce morientis quid gratiæ et beatitudinis Ecclesiæ contulerit, fortitudo leonis hujus cum tanta potentia resurgentis, dicat ipse qui clamavit, dicat ipse qui resurrexit.

Super speculam Domini, inquit, *ego sum stans jugiter per diem, et super custodiam meam ego sum stans totis noctibus.* Brevi hoc versiculo comprehenditur gloriosa ejusdem Domini nostri Jesu Christi ascensio, et promissa atque peracta sancti Spiritus ad terras descensio. Per *speculam* enim speciosa et præclara beatorum angelorum sanctarumque animarum cum Christo jam in cœlo regnantium, multitudo satis congrue accipi potest. Per *custodiam* vero illam quam *suam* custodiam nominat, super quam *totis* se *noctibus stantem* affirmat, præsentem Ecclesiam in nocte mortalitatis hujus adhuc laborantem mystice signat. *Stare* quidem *super speculam* Domini tunc incœpit, quando post devictam mortem, post gloriam resurrectionis exaltatus et elevatus super omnes choros angelorum verus Deus et verus homo ad dexteram Patris potenter consedit. Sed et super custodiam suam stans erat *totis noctibus*, quando post ascensionem suam primitivam illam Ecclesiam, quam in nocte ignorantiæ, in nocte adversitatis humanæ reliquit, divinitatis suæ potentia inter adversa mundi custodivit, donec novo et inaudito sancti Spiritus jubare collustratos, et inundantis divinitatis munere perfusos et repletos contra omnia adversa fortes et insuperabiles dedit.

Hæc est perpaucis comprehensa ascensionis ejus gloria, in qua in superna illa et sublimi sanctorum angelorum beatarumque animarum specula stans jugiter per diem honoratur, adoratur, veneratur, ubi nox nulla, sed dies continuus; nulla, inquam, ignorantia, sed omnis scientia; nulla tristitia, sed perpes lætitia; nulla adversitas, sed continua est prosperitas. Hæc est breviter comprehensa paternæ consolationis ejus gratia, qua primitivam illam Ecclesiam dato desuper Spiritu sancto tunc consolatus est, præsignans et præmonstrans, imo etiam confirmans misericordiam illam et miserationem qua super custodiam suam, universam videlicet sanctam Ecclesiam, quam redemit, quam ad custodiendum suscepit, paterna sollicitudine adhuc quotidie invigilat.

Super custodiam meam ego sum stans jugiter per diem, et super custodiam meam ego sum stans totis noctibus. Ac si diceret : Licet in assumpta humanitatis meæ forma supra cœlos, cœlestemque dignitatem elevatus, et ad dexteram coæterni Patris coæternus Filius collocatus, nequaquam tamen obliviscor, nec oblivisci valeo *custodiæ meæ*, Ecclesiæ meæ, quam custodire debeo, *stans super eam totis noctibus*, hoc est in omnibus adversitatibus, angustiis ejus, ac tribulationibus semper et ubique indeficientibus misericordiarum mearum sustentando eam consolationibus.

Præmissis et præsignatis incarnationis, passionis, resurrectionis et ascensionis Christi sacramentis, qualis, quam districtus judex quandoque redeat, sequentibus mox verbis propheta pronuntiat :

Ecce, inquit, *iste venit ascensor alis vir bigæ equitum, et respondit et dixit : Cecidit, cecidit Babylon, et omnia sculptilia deorum ejus contrita sunt in terra. Ecce*, inquit, *iste*, qui clamavit in morte, qui leo factus est in resurrectione, qui *ascensor alis*, id est potentia divinitatis suæ, sive *alis*, id est ministerio sanctorum angelorum supra astra elevatus cum Patre et Spiritu sancto regnat in cœlis, *ecce iste venit vir bigæ equitum*, hoc est verus Deus et verus homo. *Venit* quidem *vir*, hoc est in eadem humanitate, qua vir erat, qua homo judicatus est ab hominibus, omne genus hominum judicaturus. Et bene quidem verbis propheticis verba angelorum congruunt, qui ascendente eodem Domino nostro astantibus discipulis dixerunt : *Hic Jesus, qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum* (*Act.* I, 11).

Nec prætereundum quod dicitur, *vir bigæ equitum.* Duo quidem genera equitum sunt. Habet enim Deus omnipotens equites suos in hoc mundo, omnes videlicet electos suos, quibus ipse sedet, quibus dominatur. Habet et diabolus equites suos universos iniquos, quibus ipse sedet, in quibus regnat, quibus principatur. Veniet quandoque Dominus *vir bigæ equitum* judex bonorum atque malorum, *respondebitque et dicet : Cecidit, cecidit Babylon.* Respondebit bonis bona, respondebit malis mala. *Respondebit* bonos pro bonis æternaliter remunerando, *respondebit* malos pro malis æternaliter damnando. *Et dicit : Cecidit Babylon.* Casus iste Babylonis est confusio æternæ damnationis. *Cadet Babylon*, quando, electis ad æternæ beatitudinis gaudia collectis, collectio malorum, quæ per Babylon intelligi potest, generali transacto judicio, æternæ damnationis deputabitur supplicio.

In hoc sane casu *omnia sculptilia deorum ejus in terra conterentur*, quia omnia desideria reproborum, quæ hoc loco per *sculptilia deorum* intelligi possunt, ad nihilum ibi redigentur. Talis enim et tantus erit casus ille Babylonis, ut, etiamsi recta dici et esse possent desideria eorum qui erunt damnandi, exaudiri tamen a justo judice Deo non poterunt, quia exaudiri non debebunt. Clamabunt, et non exaudientur; dolebunt, et non consolabuntur. Tam horrenda, tamque metuenda extremi examinis districtione mysticis his, ut diximus, verbis per prophetam præsignata et prænuntiata, ipse qui venturus est

Filius Dei, sermonem prophetiæ suæ confirmans A
atque concludens, malis et bonis, reprobis et electis loquitur dicens :

VERS. 10. *Tritura mea, et filia areæ meæ, quæ audivi a Domino exercituum, Deo Israel, annuntiavi vobis.* Per *trituram* mali et reprobi non incongrue notantur. *Filia* autem *areæ* Domini omnes electi Dei digne nominantur. Sunt enim mali et perversi homines quasi *tritura* quædam bonorum. Multimodis enim tribulationibus et adversitatibus, quas ab impiis electi in *area* præsentis vitæ patiuntur, more tritici mundantur et purgantur, ut digni, qui in cœlestibus apothecis reponi debeant, quandoque inveniantur. Cain erat tritura Abel, quia purgavit eum. Uxor beati Job erat tritura ejus, quia, dum
per dolorem superari et moveri ad impatientiam B
non potuit, verbis male suadentis uxoris trituratus, quodammodo et purgatus, magis ac magis laudari ac coronari a Domino promeruit.

Nec prætereundum quod dicitur : *Quæ audivi a Domino exercituum, Deo Israel, annuntiavi vobis. Dominus* nomen est timoris, *Deus* nomen amoris. Omnipotens Creator dicitur *Dominus exercituum, Deus* dicitur *Israel.* Plurimorum enim *Dominus* est per timorem, paucorum vero *Deus* per amorem. A pluribus enim servili timore ut Dominus timetur, a paucioribus vero, id est a solis Israelitis, a solis, inquam, Deum videntibus et videre cupientibus pura mente ut Deus amatur. Illos sane quorum Dominus
est per timorem, *trituram suam* nominat; illos vero C
quorum Deus est per amorem, *filiam areæ suæ* appellat. *Tritura mea*, inquit, *et filia areæ meæ, quæ audivi a Domino exercituum Deo Israel, annuntiavi vobis.* Quasi diceret : Tu pars malorum, quæ ad hoc posita es, ut per te filii mei purgentur, et tu pars electorum, quæ *in area mea*, in area, inquam, præsentis sæculi propter me trituranda es et purganda adversitatibus impiorum, *quæ audivi a Domino exercituum Deo Israel annuntiavi vobis.* Ego, inquam, ego, qui Deus cum Deo omnia cum ipso, in ipso scio et audio, hæc *vobis annuntio*, hæc vobis dico, ut vos, qui mali estis, et voluntati Dei resistitis, Dominum metuentes, a malis resipiscatis; et vos qui boni estis, de bono in melius proficientes Deum sicut
Deum diligatis, ut cum de area præsentis vitæ sub- D
lati fueritis, ipso auxiliante digni tandem inveniamini, qui cœlestibus horreis inferamini per ipsum in ipso fine coronandi.

Hæc profecto vox Dei omnipotentis ad salutis gratiam non modo bonos, sed et malos invisibiliter intrinsecus vocantis et admonentis, tam valida tamque sonora est, quod non solum justos ad perfectiorem justitiæ normam sublevat et accendit, sed ipsum etiam peccatorem soporatum in iniquitatibus ac desperatum, misericorditer suscitat ac vivificat, ita ut clamanti ad se Domino aurem cordis humiliter apponere incipiat, sicut subsequentis oneris typo quasi in persona ipsius peccatoris propheta manifestat, cum dicit :

CAPUT VI.

Onus Duma, seu eorum, quos Deus e somno peccatorum ad emendationem vitæ ac morum excitat.

ISA. XXI, VERS. 11, 12. *Onus Duma ad me clamat, ex Seir : Custos qui de nocte, custos qui de nocte* [al. *quid de nocte?*] *Dixit custos : Venit mane et nox. Si quæritis, quærite; convertimini, et venite.* Verbis istis evigilanti [*cod.* evigilantis peccatoris] de somno peccati peccatori congrue præscribitur *onus Duma*, quod interpretatur *silentium :* quia nisi sedante ac reprimente manu Altissimi peccatum sileat et quiescat in homine, vocem clamoris Domini interna aure cordis non potest comprehendere. Sedato tandem strepitu vitiorum vocem Domini ac Creatoris sui audit et intelligit et quid vel quare sibi acclamet, vigilanter animadvertens atque discernens humiliter in seipso proclamat dicens :

Ad me clamat ex Seir : Custos qui de nocte, custos qui de nocte. Nomine *Seir*, quod interpretatur *hispidus* vel *pilosus*, hispidam atque pilosam peccatricis vitæ conversationem accipere possumus. Quam cum homo peccator expergefactus a clamore De aliquantulum recognoscere incipit, motus tandem pœnitentia flebiliter in hæc prorumpit verba : *Ad me clamat ex Seir.* Quasi dicat ad se intra se : Per miserationis et inspirationis suæ gratiam acclamantem mihi Dominum intrinsecus audio *ex Seir*, id est ex hispida et mala vita mea misericorditer revocari ab eo me sentio. Sed quid ultra tibi restat, misera anima? Si de impossibilitate conquereris, si ad resistendum vitiis invalidum te ac impotentem asseris, considera fortitudinem et potentiam vocantis. Et quis ille? *Custos qui de nocte, custos qui de nocte. Custos* est, *qui* protectionis suæ custodia semper suis invigilat, ne *nox* malæ delectationis eis prævaleat. *Custos* est *qui* potentia virtutis suæ *de nocte* pravæ et iniquæ operationis eos protegit atque conservat. Expergefacto hoc modo peccatore et illuminato, vox aspirantis gratiæ Dei validius ei intonat, quæ magis ac magis ad pœnitentiam eum suscitat. Unde sequitur :

Dixit custos : Venit mane et nox. Venit, inquit Dominus, *mane*, id est tempus gratiæ meæ, per quam suscitatus et illuminatus tandem recognoscere cœpisti quam noxie, quam perdite *in Seir*, , hoc est in horrenda et gemenda carnalis vitæ cæcitate hactenus sorduisti. Sed si in hoc et secundum hoc visitationis et illuminationis meæ *mane* ambulare resipiscendo a malis neglexeris, *veniet nox*, nox utique pristinæ ignorantiæ et cæcitatis, cui rursum involveris. *Veniet* etiam *nox* futuræ damnationis, cui sublata omni spe supernæ diei æternaliter subjacebis. Quotquot autem noctem istam effugere, et ad æternæ gaudia lucis pertingere desiderant, secundum subjectam ejusdem Domini et Redemptoris nostri doctrinam, vitam, mores et actus suos componere et instituere studeant.

Si quæritis, inquit, *quærite; convertimini et venite.* Quasi dicat : Si a nocte et ignorantia vitæ

præsentis ad me, qui splendor sum lucis incommutabilis et indeficientis, transire *quæritis*, *quærite* attentius, *quærite* studiosius. *Convertimini* vanam hujus sæculi conversationem deserendo, *venite* per bonam operationem mihi appropinquando. Quærite hoc in tempore per bonæ conversationis merita, unde in tempore illo, quod est sine tempore, æterna vobis conquiratis præmia.

CAPUT VII.

Onus Arabiæ, quo modus ad Deum redeundi significatur.

Isa. XXI, VERS. 13, 14. *Onus in Arabia. In saltu ad vesperam dormietis in semitis Dodanim* [al. *Dedanim*]. *Occurrentes sitienti ferte aquam, qui habitatis terram austri, cum panibus occurrite fugienti.* Post onus Duma congruo ordine ponitur *onus in Arabia*. Ille enim, qui in illo onera jubetur *quærere*, *converti* et *venire*, in onere isto mystice docetur quomodo quærat, quomodo convertatur, quomodo venire debeat. *In saltu*, inquit propheta, imo per prophetam Dominus, *ad vesperam dormietis in semitis Dodanim. In saltu*, ut novimus, bestiæ sunt. Ideoque non injuste præsens sæculum, et bestialem sæcularis vitæ conversationem per saltum æstimo intelligendum. *Dodanim* vero, quod *judicium* sive *patruelis* interpretatum sonat, Dominum nostrum Jesum Christum digne figurat. Ipse enim *patruelis* noster, qui et Dominus noster. *Patruelis* noster non injuste dicitur, quia pater ejus, Judaicus utique populus, ex cujus semine secundum carnem nasci dignatus est, et populus gentilis, ex cujus propagine nos processimus, fratres quodammodo erant, quia secundum dignitatem conditionis unum Patrem Deum omnipotentem habebant. *In semitis Dodanim*. In semitis hujus patruelis nostri omnis ille graditur, qui vias ejus, quantum potest, imitatur.

Nec prætereundum quod dicitur : *In saltu ad vesperam dormietis in semitis Dodanim.* Verba ista duobus modis notare et intelligere possumus, sive ut homo *vesperam*, id est finem bestialis vitæ in semetipso faciat, sive ut ad *vesperam* illam, de qua scriptum est : *Vespere, et mane et meridie narrabo et annuntiabo* (*Psal.* LIV, 18), vesperam utique, in qua prædictus patruelis noster Jesus Christus Filius Dei occubuit, oculum cordis semper retorqueat, considerans quid pro se indigno sustinuerit, laborans etiam, ut aliquo modo passioni illius respondere possit. Quicunque hac voluntate et desiderio mundum deserit, huic pius et misericors Dominus tales doctores obviam mittit, per quos bonæ voluntatis ejus desiderium adjuvetur, roboretur, stabiliatur. Unde sequitur :

Occurrentes sitienti ferte aquam qui habitatis terram austri, cum panibus occurrite fugienti. Sitienti aquam ferre est levioribus sive planioribus sacræ Scripturæ rivulis sitientem et anhelantem ad vitam recreare [*cod.* recitare], et informare. Quod autem subjungit : *Qui habitatis terram austri, cum panibus occurrite fugienti*, ita est ac si dicat : Vos, quos *auster ille* suavissimus, quod est Spiritus sanctus, flatu ac rore gratiæ suæ suaviter perflavit, salubriter irrigavit, *cum panibus*, id est fortioribus cœlestis doctrinæ epulis *occurrite*, et succurrite huic *fugienti*.

VERS. XV. *A facie enim gladiorum fugerunt, a facie gladii imminentis, a facie arcus extenti, a facie gravis prælii.* Quatuor hæc quatuor nobis insinuant, quæ mundum et ea quæ mundi sunt hominem fugere faciunt ; timor utique et amor Dei, qui *gladiorum* nomine non injuste accipitur ; timor mortis, quæ, cum omnes homines certa maneat, per *gladium imminentem* congrue intelligitur ; timor futuri judicii, quod merito per *arcum extentum* figuratur, quia supra omne genus hominum, quasi fortiter feriens arcus, terribiliter extendetur, succedens judicio perpetuæ damnationis, recordatio et formido, quæ quasi *grave* et intolerabile *prælium* contra impios suscitabitur, quando omnis, qui reprobus ibi inventus fuerit, æternis suppliciis deputabitur. In hoc sane prælio ne succumbamus hostibus, ne mortis æternæ supplicium incurramus,[1] hoc in tempore summo studio, summa sollicitudine procuremus. Nunc enim tempus gratiæ est, sicut mystice ostenditur, cum protinus subinfertur :

VERS. 16, 17. *Adhuc in uno anno mercenarii, et auferetur onus* [al. *omnis*] *gloria Cedar. Et reliquiæ numeri sagittariorum fortium de filiis Cedar imminuentur. Unus* iste *annus* tempus præsentis vitæ convenienter exprimit. Quod *quasi annus mercenarii* est et dicitur, quia temporalibus vitæ laboribus quasi felici quodam commercio homo salvandus sibi comparat, unde æternaliter vivere cum Deo valeat. In hoc igitur anno si fideliter sagacis more mercenarii laboravimus, a male gravi onere peccatorum per gratiam Dei exonerabimur, sicut mysticis nobis verbis promittitur in sequentibus, cum dicitur :

Et auferetur onus gloria Cedar. Nomine *Cedar*, quod interpretatur *tenebræ*, tenebrosum humani generis inimicum possumus accipere. *Onus* ejus et *gloria* peccata sunt et vitia, per quæ et in quibus contra Deum gloriatur. Lætitia enim et gloriatio ejus est cum onere vitiorum ita hominem depresserit, quod ad Deum factorem suum nec per bona opera in corpore consurgere poterit. Sed dum miserante tandem Deo et adjuvante reversus per pœnitentiam fuerit, et in bonis actibus sicut mercenarius æterni præmii avidus sollicite se exercere cœperit, *onus gloria Cedar auferetur*, quia qui pondere peccatorum depressus gloria diaboli erat, pœnitendo et satisfaciendo ejusdem diaboli fit confusio, Dei vero gloria et exsultatio.

Ibi etiam *reliquiæ numeri sagittariorum fortium de filiis Cedar imminuentur*, quia malæ suggestiones, noxiæ delectationes, quibus *fortes* illi *sagittarii*, spiritus utique maligni improvidum cor hominis fortiter sagittant, ut male saucium vulnus iniquæ actionis infligant, quasi *reliquiæ numeri sagittariorum fortium* fiunt, quando sollicite ac diligenter

homo considerat, et considerando enumerat quid, quantum, quomodo peccaverit; quandiu, quoties nunc iniquis delectationibus, nunc perversis actionibus Deo contrarius exstiterit. Sic, sic reliquiæ *enumeratæ* tandem *de filiis Cedar*, de his utique, qui ex filiis diaboli, ex filiis tenebrarum filii lucis et justitiæ facti sunt, *imminuentur*, quia etsi auferri ex toto et caveri in hac vita nequeunt, *imminuentur* tamen, et ita per gratiam Dei temperantur quod prævalere eis ultra non poterunt.

Dominus enim Deus Israel locutus est. Ac si dicatur : Omnipotens Creator, *Deus Israel*, adjutor utique et protector se videntium, se diligentium, ipse est qui hæc loquitur. *Loqui* ejus est operari ejus. Ipse enim est qui ineffabili pietatis suæ gratia hæc in salvandis suis operatur. Ipsius est opus, ipsius sit et gloria per infinita sæculorum sæcula. Amen.

CAPUT VIII.

Onus vallis Visionis, quod ii in se suscipiunt qui se in vitæ religiosæ laboribus exercent.

Isa., xxii, vers. 1, 2. *Onus vallis visionis : Quidnam tibi quoque est, qui* [al. *quia*] *ascendisti et tu omnis in tecta ? Clamoris plena, urbs frequens, civitas exsultans : interfecti tui non interfecti gladio, nec mortui in bello.* Post onus in Arabia congruo ordine positum est *onus vallis visionis*. Homo enim ille, qui aliquando in Arabia erat, dum *campestris* et extraneus a Deo in saltu mundanæ conversationis bestialiter vivebat (Arabia enim *campestris* dicitur) *onus vallis visionis* quodammodo suscipit, quando relicto sæculo universos spiritalis vitæ labores, quam per *vallem visionis* intelligimus, humiliter ac mansuete portare cœperit. Sed et in hac valle visionis tanta, heu! vicissitudo est mutabilitatis, quod is qui modo proficit in virtutibus, modo deficit in virtutum profectibus, et qui nunc quasi de interna Dei visione lætatur, nunc ex malitia diaboli, modo ex propria infirmitate, modo aliorum hominum infestatione conturbatus ab internæ lucis intuitu retardatur.

Attamen qui vere *vallis est visionis*, hoc est qui per veram humilitatem mentis ad visionem tendit omnipotentis, is, inquam, cum non videt, videtur, hoc est cum derelictum se a Deo et abjectum æstimat, inopinata miserentis Dei gratia rursum illuminante, ipse sibi ipsi ostenditur, cum verbis indicibilibus audire ab eo meretur intrinsecus : *Quidnam tibi quoque est qui ascendisti, et tu omnis in tecta?* Per *tecta*, quæ eminent domibus, conversationem spiritalem accipere possumus. Et est quasi dicat : Tu omnis, tu, inquam, *qui* corde et corpore, desiderio et voluntate de convalle hujus sæculi ad eminentem spiritalis vitæ conversationem *ascendisti*, *quidnam quoque tibi est?* Hæc Domini interrogatio est misericors ejus illuminatio, qua misericorditer hominem illuminat, ut perfecte cognoscere seipsum incipiat. Interrogat quid sit, quod patitur, respondensque ipse sibi pro homine causam passionum ejus ei innotescit, cum protinus subjungit et dicit :

Clamoris plena, urbs frequens, civitas exsultans. Quasi dicat : Hoc pateris, hæc causa est, qua inutiliter circumfereris (74). *Clamoris plena es*, quia modo ira, modo impatientia, modo molesta importunitate, qua proximum conturbans conturbaris, quasi male sonantis strepitu clamoris inquietaris. Sed et ad majorem iniquitatis cumulum *urbs frequens* es, et merito diceris, quia in corde et in anima tua, quæ urbs et habitatio Dei esse debuerat, *clamor* iste frequenter resonat. *Civitas* etiam *exsultans*, civitas, inquam, extra saltans jure nominaris, quia ea, quibus male intrinsecus circumfereris, malo corporis actu et habitu quasi extra saltando exsequeris. Vel etiam *civitas exsultans* vocaris, quia pro his, quæ flere et ingemiscere deberes, pro his extolleris, pro his gaudes et lætaris.

Interfecti tui non interfecti gladio, nec mortui in bello. Sensus tui, sancta desideria, et justæ voluntates, in quibus, et per quæ soli mihi vivere deberes, *interfecti* quidem sunt, sed *non interfecti gladio*, *gladio*, utique illo, *quod est Verbum Dei* (*Ephes.* vi, 17), quo ab omnibus, quæ mund sunt interfici deberent. Nec *mortui* sunt in *bello*, rebellare enim contra vitia negligis, otio et desidia torpescis.

Vers. 3. *Cuncti principes tui fugerunt simul, dureque ligati sunt.* Cunctæ innocentes, castæ et sanctæ cogitationes, sensusque tui, interiores, quibus subrepentibus vitiosis cogitationum tumultibus principando et dominando obviare et contradicere deberes, *fugerunt simul* et perierunt, *dureque ligati sunt*, quia illaqueati et irretiti peccatorum funibus, imbeciles et impotentes facti sunt in virtutibus.

Omnes qui inventi sunt, vincti sunt pariter, quia etsi quando quasi inventis sensibus consurgere ad Deum desideras, retinentibus et retardantibus vinculis illis, quibus sponte te illaqueasti, pro velle tuo expediri, non vales.

Procul fugerunt, quia dissipati et dispersi ad exteriora, minus sufficiunt ad capienda bona interiora. Sed quando, aut quomodo invisibilis Deus visibili homini verba hæc loquitur, nisi quando aspirantis et visitantis pietatis suæ clementia ipsum hominem sibi ipsi recte ostendit, tactuque supervenientis gratiæ suæ vere pœnitentem humiliter seipsum agnoscentem facit? Hoc enim verba sequentia figuraliter insinuant, quæ quasi ex ipsius hominis persona omnem carnalis vitæ respuentis consolationem dicuntur. Nam sequitur :

Vers. 4. *Propterea dixi : Recedite a me, amare flebo.* Fit nonnunquam, ut infirmitatis suæ miserias homo, sollicite discutiens et considerans pro multimodis excessibus suis, nunc humiliter in conscientia seipsum damnet et accuset, nunc quasi de minus gravibus consolando se apud se excuset. Atta-

(74) Ita cod.

men vere perfectus homo succedentes sibi blandientium consolationes cogitationum constanter repellit, atque ad solum pœnitentiæ fletum cor et corpus suum fortiter impellit, ac compellit dicens ad se intra se : Quia graviter me Deo peccasse, quia incredibiliter Deum ac Redemptorem meum offendisse cognosco, *propterea dixi : Recedite a me, amare flebo. Recedite a me*, cogitationes consolatoriæ, *amare flebo*, nullum inane consolationis blandimentum recipio.

Nolite incumbere, ut consolemini me super vastitate filiæ populi mei. Anima mea, quæ erat aliquando *filia populi*, filia utique sanctarum cogitationum, filia sanctorum desideriorum, in quibus exercere se consueverat, jam *devastata*, jam jamque virtutibus spoliata totius transitoriæ consolationis dulcedinem mihi negat.

VERS. 5. *Dies enim interfectionis et conculcationis et fletuum Domino Deo exercituum in valle visionis. Dies* iste *interfectionis*, dies est supernæ visitationis, quæ non injuste *dies interfectionis* nominari potest. Interficit enim malas voluntates, et noxia desideria in corde humiliter pœnitentis. Est etiam *dies conculcationis*, quia corroborat hominem pariter, et illuminat, ut despicere possit et conculcare quidquid contra Deum prius amaverat. Fit etiam *dies fletuum Domino exercituum in valle visionis*, quando pro his, in quibus offendisse se Deum meminit, per fletum pœnitentiæ humiliter in sancta conversatione satisfacere Domino incipit. Et est, quasi beata et vere pœnitens anima dicat in semetipsa, *dies* iste, id est visitatio et illuminatio supernæ pietatis et gratiæ, quæ me mihi ostendit, quæ infirmitatis meæ miserias videre me et cognoscere fecit, erit mihi *dies interfectionis*, interficiens a corpore meo, quod male hucusque vivebat, erit mihi dies *conculcationis* conculcans et exterminans a corde meo, quod male antea delectabat; erit etiam dies *fletuum Domino Deo exercituum in valle visionis*. Semper enim flendo, semper pœnitendo ac Deo satisfaciendo abjectus mihi et despectus ero in humilitate sanctæ hujus conversationis. Statimque quid sit quod flere debeat manifestat, cum subjungit dicens :

VERS. 6. *Et Ælam sumpsit pharetram, currum hominis equitis, et parietem nudavit clypeus*. Per *Ælam*, quod interpretatur *ascensus ejus*, male ascendens superbia satis congrue accipitur. In *pharetra* autem anima hominis, in *curru* corpus hominis apte figuratur. *Ælam*, inquit, *sumpsit pharetram*. Ac si dicat : Animam meam, quæ pharetra Dei esse deberet, in qua colligenda, reponenda et custodienda erant tela Dei, tela Scripturarum, tela sanctarum cogitationum, tela bonorum desideriorum, quibus retidenda et conterenda essent arma et sagittæ diaboli, *Ælam sumpsit*, quia ascendens contra Deum superbia mea eam vitiavit, omneque robur virtutis ejus consumpsit. Sed et *currum hominis equitis*, id est corpus meum, cui eques ille nobilis, Deus utique et homo solus sedere et dominari deberet, sedem sibi superbia vindicavit. Ideoque *parietem nudavit clypeus*, quia duritiam cordis mei nudavit, imo deseruit fortis protectio Dei, factaque est sicut paries interpositus, quia ita me a Deo separavit, quod de interna ejus dulcedine et gratia nihil jam mihi sapit. Sic, sic humiliter recognoscendo se et lugendo quanto ex intimis cogitationibus turbatur, tanto suavius divinæ respectu misericordiæ consolari meretur. Unde ex ipsius Domini persona protinus subinfertur, cum dicitur :

VERS. 7-9. *Et erunt electæ valles tuæ plenæ quadrigarum, et equites ponent sedes suas in porta. Et revelabunt* [al. *revelabitur*] *operimentum Judæ, et videbis in die illa armamentarium domus saltus. Et scissuras civitatis David videbitis : quia multiplicatæ sunt*. Et est quasi dicat : Quia jam perfecte te humiliatum coram me video, sensus corporis et animæ tuæ, quibus nihil ante nisi alta sapiebas, jam sicut *valles electæ* visitationi meæ atque inhabitationi dignæ effectæ *plenæ quadrigarum erunt*. Intelligentia enim et scientia evangelicæ doctrinæ docente me et infundente replebuntur. *Et equites ponent sedes suas in porta*. Nomine *equitum* sanctos prædicatores mystice figurat, qui dum dicta quatuor Evangeliorum corde portantes, opere imitantes, unum documento prædicationis, alterum exemplo bonæ actionis adeunt, equites Domini juste nominari possunt. *Equites*, inquit, *ponent sedes suas in porta*. Quasi dicat : Administrante me tibi intellectum et amorem verbi Dei, *equites* id est prædicatores mei *ponent sedes suas in porta* cordis tui, quia quidquid ab eis audieris, tibi sedebit. Totum enim ad profectum et utilitatem animæ tuæ tibi remanebit.

Et revelabunt operimentum Judæ. Juda interpretatur *confessio. Operimentum Judæ*, operimentum, ut ita dicam, confessionis sancti prædicatores *revelant*, quando prædicatione sua et doctrina innotescere sibi ipsi hominem faciunt, ut infra *operimentum* illud, quo sibi ipsi opertus quodammodo et absconditus erat, ingrediatur, et peccata illa, quæ quidem scivit per experientiam, sed nescivit per intelligentiam ex verbis eorum quasi revelato operimento ignorantiæ sciat et intelligat, et perfecte detegere per confessionem incipiat. Revelato hoc modo operimento Judæ fit tandem quod sequitur :

Et videbis in illa die armamentarium domus saltus. Et scissuras civitatis David videbitis, quia multiplicatæ sunt. Congrue tempus et hora *illa dies* nominatur, quando ad cognoscendum seipsum intra verba doctorum homo divinitus illuminatur. *In illa* enim *die videt armamentarium domus saltus*. Armamentarium dicitur, ubi arma reponuntur. Nec inconvenienter hoc in loco per arma diversa peccatorum genera intelligimus. *Videt* utique, et videndo dolet quod totum tempus vitæ suæ nihil, nisi quoddam *armamentarium domus saltus, fuerit*, hoc est, quod bestialiter vivendo armaturam diaboli, peccata utique et vitia laboriose portaverit, et per hoc *civitatem David*, id est animam suam diversis peccatis quasi

multiplicatis scissuris interruptam et corruptam vero illi David, vere manu forti, vere aspectu desiderabili abominabilem et inhabitabilem reddidit.

Fit autem plerumque ut homo spiritalis peccatorem se humiliter recognoscat, et subtracta tamen compunctionis gratia deflere se ut peccatorem atque per lacrymas pro voto suo abluere nequeat. Pius autem et misericors Dominus, ut altius militem suum informet, et instruat, subtilius adhuc eum sibi ipsi ostendit, cum invisibiliter et indicibiliter eum commonere incipit, ut non modo male facta sua rememoretur et doleat, sed etiam, ubi bona minus caute egerit, hoc est ubi inanis gloriæ subrepente vitio in bonis suis plus justo se extulerit, et in malis suis minus æquo se coram Deo humiliaverit. Hoc enim subsequentis mysterio capituli apte innuitur, cum ex ipsius persona Domini, quasi præsentialiter hominem alloquentis imo et increpantis, dicitur :

VERS. 9-11. *Et congregastis aquas piscinæ inferioris. Et domus Jerusalem numerastis, et destruxistis domos ad muniendum murum. Et lacum fecistis inter duos muros, et aquam piscinæ veteris, et non suspexistis ad eum, qui fecerat eam, et operatorem ejus de longe vidistis. Aquæ piscinæ inferioris* exprimunt concupiscentias carnis ; *domus Jerusalem* bona opera hominis. *Et congregastis*, ait, *aquas piscinæ inferioris*, hoc est concupiscentias concupiscentiis accumulastis, *domos Jerusalem numerastis*, quia qui sine numero peccastis, bona opera vestra numerastis, numerando ac magnificando incaute jactastis. *Destruxistis domos ad muniendum murum*, quia dissipatis sensibus circa illicita vagando, et diffluendo hanc quam sustinetis duritiam, quasi murum adversus vosmetipsos obfirmastis. *Et lacum fecistis inter duos muros, et aquam piscinæ veteris. Aqua* veteris concupiscentiæ, veteris delectationis exhaurienda atque siccanda erat aqua novæ et quotidianæ compunctionis. Sed aqua hæc compunctionis facta est quasi *lacus inter duos muros*, quia sicut lacus aquam cœnosam, aquam turbidam habet, sic et vos *duobus muris*, duritia utique cordis et duritia corporis circumdati aquam non ex fonte limpidam, sed quasi ex lacu turbidam interdum habetis, quia ad puram et suavem illam, quam desideratis, compunctionis gratiam necdum pro voto vestro pertingere meruistis.

Sed unde hoc vobis? Ob hoc videlicet, quia *non suspexistis ad eum, qui fecerat eam, et operatorem ejus de longe non vidistis.* Ad Deum Creatorem et factorem vestrum *non suspexistis*, ut propter timorem ejus malum declinaretis. Redemptorem et operatorem salutis vestræ *de longe non vidistis*, quia amori et dulcedini ejus amorem et dulcedinem peccatorum prætulistis. Omnipotens igitur Dominus postquam sic hominem, quem salvare decrevit, clementer increpatum, suaviter illuminatum intus tetigerit, qualiter postmodum vivere debeat, quasi per se propheta docet, cum subjungit dicens :

VERS. 12, 13. *Et vocabit Dominus exercituum in* A *die illa ad fletum et ad planctum, et ad calvitium, et ad cingulum sacci. Et ecce gaudium et lætitia occidere vitulos, et jugulare arietes, comedere carnes et bibere vinum. Vocatio Dei* est inspiratio Dei. Vocat primo per inspirationis suæ gratiam hominem *ad fletum* cordis, postea *ad planctum* corporis, ut et corde pœnitendo defleat, et corpore dignis pœnitentiæ operibus fletui cordis respondeat. Vocat etiam *ad calvitium et ad cingulum sacci*, quia vult, ut vitia mentis et corporis paulatim evellat et abjiciat, atque forti vitæ custodia, quam *cingulum* significat, fortiter accinctus, futuros subrepentium vitiorum laqueos sollicite caveat. Sic, sic decalvato homine et accincto, fit tandem quod sequitur :

Et ecce gaudium et lætitia occidere vitulos, et ju- B *gulare arietes.* Per *vitulos* intelligimus lasciviam carnis, per *arietes* superbiam mentis. Sive per *vitulos* exterioris hominis sensus, qui lascivientis more vituli semper in præceps feruntur ; per *arietes* interiores sensus intelligi possunt, qui exteriores sensus more arietis gregem præeuntis sive ad bonum, sive ad malum præcedere solent.

Et notandum quod dicitur : *Ecce gaudium et lætitia. Gaudium* pertinet ad hominem exteriorem, *lætitia* ad hominem interiorem. Homo etenim perfectus, qui eo modo, ut prædictum est, decalvatus et accinctus fuerit, omne *gaudium* corporis æstimat, summam cordis *lætitiam* deputat lascivientes exteriorum sensuum motus per carnis continentiam comprimendo interficere, quod est *occidere vitulos;* C et superbientes interioris hominis sensus per veram mentis humilitatem voluntati et servituti Dei omnino subjicere, quod est *jugulare arietes.* Hujus etiam gaudium et lætitia est *comedere carnes et bibere vinum.* Gaudet enim obscuriora et difficiliora sacræ Scripturæ secreta, quæ intelligere per *carnes* possumus, assidua tractatione et retractatione quasi quibusdam dentibus confringere et comminuere, et ad desideratum intelligentiæ saporem convertere. Lætatur etiam *bibere vinum*, hoc est vino sensus spiritalis, quod lætificat cor hominis, jugiter inebriari, sicque inebriatus ab omnibus, quæ mundi sunt, prorsus alienari.

Ad hoc enim universos sensus suos monet et D hortatur dicens ad se intra se : *Comedamus et bibamus : cras enim moriemur.* Quasi dicat : Si cibum nostrum sacram Scripturam per intelligentiam cordis et imitationem operis fecerimus, si vino sensus spiritalis et intellectus jugiter nunc, quandiu in hac vita sumus, potari et refici diligimus, serenum illud supernæ visitationis *mane* super nos orietur, cujus splendore collustrati sæculo et vitii sæculi *moriemur*, et virtutibus vivere incipiemus. Vel etiam cum hodie præsentis vitæ transierit, in futuro quando *mane* illud ultimum, mane utique futuræ resurrectionis advenerit, beata morte ei, quam nunc sustinemus, corruptioni ita *moriemur*, quod nullam amplius corruptionis maculam experiemur.

Beatus et vere beatus, qui *onus vallis Visionis*

ita portaverit, qui per prædictum fletum cordis, planctumque corporis decalvatus a vitiis, accinctus custodia mentis et corporis sic in spiritalis vitæ perfectione profecerit. Huic sane sequens onus apte satis congruit, quia non solum se et sua peccata, sed et aliorum hominum in salo hujus sæculi adhuc fluctuantium pericula deflet ac plangit, sicut mystice propheta insinuat, cum, quasi sub persona eorum qui ejusmodi sunt, subjungit et dicit :

CAPUT IX.

Onus Tyri, quod eorum est, qui et sua et aliena peccata deflent, omnesque ad pœnitentiam cohortantur.

ISA. XXIII, VERS. 1, 2. *Onus Tyri. Ululate, naves maris, quia vastata est domus, unde venire consueverant, de terra Cethim revelatum est eis. Tacete, qui habitatis in insula, negotiatio* [al. *negotiatores*] *Sidonis, transfretantes mare repleverunt te in aquis multis* (75). Tyrus interpretatur *angustia*. Et congrue satis per Tyrum homo ille figuratur, qui, despecta propter Deum spatiosa totius mundi latitudine, sese in angustias dedit præsentis vitæ, ut ad amplitudinem cœlestis patriæ Deo propitio mereatur pervenire Per *naves* autem *maris* spiritalis quælibet conversatio non incongrue intelligitur, quia sicut procellosa maris tempestas transitur, mortisque periculum declinatur, sic spiritales quælibet conversationes quasi naves quædam sunt, quæ periculosa peccatorum flumina hominem transvehunt, perpetuæque beatitudinis stationi, ubi nullum mortis periculum erit, secure invehunt. Possunt etiam per naves intelligi ipsi homines in spiritali vita spiritaliter viventes, ad unum eumdemque perpetuæ salutis portum, uno eodemque amore et desiderio indefesse tendentes.

Domus autem, unde naves istæ venire solent, mundum non injuste significat. In hac enim domo naves istæ fabricantur, quia omnes, qui ad spiritalem militiam transeunt, ex hoc mundo, et in hoc mundo procreantur, et generantur. *Ululate*, inquit, *naves maris, quia vastata est domus, unde venire consueverant*. Ac si dicat : O vos omnes, qui mare hujus sæculi jam transistis, qui velis sanctæ conversationis erectis ad locum cœlestis patriæ tenditis, respectu miserationis, pio affectu compassionis illos, quos post vos in sæculo reliquistis, respicite, super interitu eorum *ululate*. *Vastata est* enim *domus, unde venire consuevistis*, quia conversatio, et vita illorum, qui in hac domo, hoc est in præsenti sæculo inique vivunt, et in hac iniquitate perseveraverunt, et si nondum in re, jam jamque coram Deo damnata est in prædestinatione. Hanc sane sententiam electorum super interitu reproborum confirmat quodammodo propheta, cum subjungit dicens :

De terra Cethim revelatum est eis. Cethim *mare congelascens* vel *confractum* interpretatur. Et sicut duas habet interpretationes, sic etiam duas mysticas in se continet significationes. Ea namque parte, qua confractum resonat, confractum per pœnitentiam et humiliatum cor et corpus electorum apte figurat. Ea autem parte, qua *mare congelascens* dicitur, congelascentem in peccatis mundum non incongrue notat. Et est sensus : Ne dubitetis, o miseri, de vastatione et damnatione vestra, super qua ululant, quam deflent sancti et electi Dei. *De terra* enim *Cethim revelatum est eis*. Nam et ipsi aliquando in terra congelascentis utique mundi, in quo nullus timoris aut amoris Dei fervor est, fuerunt, atque ex suis, quibus subjacebant miseriis, ignorare non possunt miserias vestras et pericula, quibus subjacetis, in quibus, si permanseritis, procul dubio vastabimini, quia pœnis perpetuæ mortis, ubi vastitas totius boni, abundantia totius mali est, æternaliter condemnabimini. Post hæc rursum inducitur persona electorum ad pœnitentiam et conversionem pio cordis affectu eos exhortantium.

Tacete, inquiunt, *qui habitatis in insula, negotiatio Sidonis*. Vos, qui marinis fluctibus, diabolicis videlicet tentationibus, ex omni parte circumdati diversis passionibus carnis tundimini, a male fervente carnalium desideriorum strepitu quiescite, quid vobis immineat, considerate. Omnis enim vestra vita et conversatio *negotiatio Sidonis* est, negotiatio iniqui venatoris diaboli, qui venatur vos, ut *in insula* præsentis sæculi negotia ejus exerceatis, hoc est ut vitiis et concupiscentiis, quæ negotia ejus sunt, in præsenti servientes negotiationis vestræ præmium, perpetuæ mortis supplicium, ab ipso in futuro recipiatis. Igitur quicumque es qui salvari desideras, inutilis venationis hujus sive venatoris negotia fuge. Salvari enim non poteris, nisi *tacente* et quiescente strepitu vitiorum ab insula sæculi sæcularisque conversationis recesseris.

Transfretantes mare repleverunt te in aquis multis. Maligni spiritus, qui rete malitiæ suæ et nequitiæ suæ supra mare sæculi hujus expanderunt, *aquis multis*, id est diversis concupiscentiis et vitiis *te repleverunt*. Ex hac inundantia aquarum omne quod in mundo est tendit ad interitum. Nec mirum. Non est enim qui negotia Dei exerceat, non est, qui manu sanctæ prædicationis, exemplo rectæ conversationis earumdem impetum aquarum amoveat. Nam etsi est, qui nomen doctoris habet, diligens plus terrena quam cœlestia merito doctoris caret. Ideoque recte ei congruit quod sequitur :

VERS. 3. *Semen Nili, messis fluminis fruges ejus, et facta est negotiatio Gentium*. Per *Nilum* fluvium, qui aquam de cœlo, ut Beatus Hieronymus scribit, sed de terra habet, talis doctor congrue intelligi valet, qui terrena plusquam cœlestia diligit, caduca plusquam mansura bona requirit. *Semen* ejus est prædicatio ejus, *fruges ejus*, qui ex semine prædicationis et doctrinæ illius in cordibus subditorum oriuntur, *messi fluminis* recte comparantur. More enim messis cito arescunt, celeriter deficiunt. Sic-

(75) Verba hæc : *in aquis multis*, in vulgatis editionibus referuntur ad versum seq.

que fit quod sequitur : *Et facta est negotiatio gentium*. Fit prædicatio ejus in cordibus auditorum *negotiatio Gentium*, negotiatio utique peccatorum, dum corpora et animas, quas fidelis more negotiatoris Deo doctrina sua lucrari deberet, malæ vitæ suæ exemplo Deo subtrahit, a via veritatis abducit. Sed sicut de talibus gaudet, et lætatur diabolus, sic de perfectis mundi contemptoribus contristatur et confunditur, sicut consequenter propheta innuit, cum vel in sua, vel eorumdem electorum persona subjungit et dicit :

VERS. 4. *Erubesce, Sidon, ait enim mare : fortitudo maris, dicens : Non parturivi et non peperi, et non enutrivi juvenes, nec ad incrementum perduxi virgines.*

Per *Sidonem* hic sicut et in præcedentibus malignum venatorem et deceptorem animarum diabolum intelligimus. Per *mare et fortitudinem maris* fortes spiritalis vitæ æmulatores accipimus, qui ideo et *mare et fortitudo maris* nominantur, quia mare quodammodo erant dum sæculari vitæ dediti ad scelera fervebant : *fortitudo* maris facti sunt, dum transitis et calcatis marinis fluctibus, peccatis utique et vitiis, fortiter ac viriliter Deo vivere cœperunt. Tales utique aiunt Sidoni, ut erubescat, dum opera talia faciunt, de quibus erubescit et confunditur diabolus. Nam dum humiliter peccatores recognoscunt eum qui peccata suggessit, magnifice confundunt.

Non parturivi, inquiunt, *et non peperi, et non enutrivi juvenes, nec ad incrementum perduxi virgines*. Per *juvenes* intelligere possumus fortia virtutum opera, per *virgines* integritatem mentis. Et est quasi dicant : *Non parturivi* bona desiderando, et si quando parturivi desiderando quod bonum fuit, *non peperi* exsequendo bonis operibus quod bonum desiderium suggessit. Sed et si peperi, bono operi ad horam insistendo, teneram inchoatæ operationis sobolem succedentium bonorum operum assiduitate *non enutrivi*, sed victus tædio citius bene cœpta reliqui. *Nec ad incrementum perduxi virgines*, quia etsi quando integritatem, et incorruptionem mentis meæ incorrupto integritatis auctori Christo devovi, non servavi, sed ab ea utpote nullo virtutum incremento confota et ad perfectum usque perducta citius animum revocavi. Hæc veræ pœnitentiæ verba dum homo ille, qui *fortitudo maris* jam factus est, sive corde interius, sive corpore exterius dicere Deo et coram Deo cœperit, et confusionem et dolorem magnum malignis spiritibus ingerit, sicut mystice ostenditur, cum protinus subinfertur :

VERS. 5. *Cum auditum fuerit in Ægypto, dolebunt, cum audierint de Tyro. Ægyptus*, ut sæpe diximus, *tenebræ* interpretatur, et tenet figuram in hoc loco malignorum spirituum, inter quos, *cum auditum fuerit* de perfecta conversione et laudabili conversatione electorum, *dolent, cum audierint de Tyro*, hoc est cum intellexerint, quod is quem ut proprii juris servum prius possederant, per angustias præsentis vitæ, quibus in spiritali vita se propter Deum supposuit, ditione et dominio eorum se subtraxit. Hoc est eorum contritio, hoc est dolor eorum et afflictio. Sed quia electi quanto Deum diligunt et cognoscunt, tanto ardentius omnes homines salvari cupiunt, recte adhuc quasi ex persona illorum subditur :

VERS. 6. *Transite maria, ululate, qui habitatis in insula*. Ac si dicant : O vos miseri, qui tentationibus sæculi diversisque passionibus carnis tundimini, *transite maria* mundum relinquendo. *Ululate, qui habitatis in insula* ignorantiam, cæcitatem et periculum vestrum humiliter cognoscendo et pœnitendo.

VERS. 7. *Nunquid non hæc vestra est, quæ gloriabatur a diebus pristinis in antiquitate sua?* Mundus iste, quem vos diligitis, qui vos ut vestro inhæretis, insula utique est marinis fluctibus, id est peccatorum inundationibus undique circumdata, et circumfusa, qui *a diebus pristinis*, quo primum conditus est, *in antiquitate sua gloriabatur* quia in vetustate peccatorum, quam flere et lugere debet, male usque modo lætabatur. Igitur quæcunque anima glorianti huic in antiquitate sua insulæ conglorialur, plus vetustatem vitiorum quam novitatem virtutum diligendo et sectando, vix aut nullo modo salvari poterit, nisi transito peccatorum flumine prorsus mundo se subtraxerit. Unde protinus subinfertur :

Ducent eam pedes sui longe ad peregrinandum. Necesse enim est ut qui ejusmodi est, totis utriusque hominis affectibus alienum se faciat sæculi hujus concupiscentiis et voluptatibus, sit advena et peregrinus Christi in terris, si cohæres ejus fieri quandoque vult in cœlis. Sed quia sunt nonnulli, qui hoc salutis consilium vix aut nullo modo recipiunt, semper impossibilitatem suam prætendunt ; isti, ut ad misericordiam Dei, per quam multos salvavit, respiciant, et confugiant, sequentibus quodammodo verbis admonentur, cum dicitur :

VERS. 8. *Quis cogitavit hoc super Tyrum quondam coronatam, cujus negotiatores principes, institutores ejus inclyti terræ!* Quasi dicatur : Si durum vobis videtur et impossibile propter Deum præsentis sæculi gaudia relinquere, respicite Tyrum, respicite multa millia hominum, qui latas sæculi vias propter Deum spreverunt, seseque propter latitudinem regni cœlestis in angustias præsentis vitæ sponte dederunt. *Quis cogitavit hoc super Tyrum?* Quis, rogo, cogitare aut sperare poterat, ut sic et sic deponi atque humiliari posset ille vel iste homo, cujus corona vel gloria incredibilis, et inaudita erat superbia. *Cujus negotiatores principes, institutores ejus inclyti terræ*, hoc est cujus sensus exteriores vanitatem tantummodo, et inanem præsentis vitæ gloriam quærebant, cujus sensus interiores *inclyti terræ* fuerunt quia non inclytam et incomprehensibilem cœli dignitatem, sed terrenæ, et transeuntis felicitatis gaudia dilexerunt.

VERS. 9. *Dominus exercituum cogitavit hoc, ut detraheret superbiam omnis gloriæ, et ad ignominiam duceret universos inclytos terræ. Dominus exercituum,*

Dominus, inquam, angelorum, et hominum, cujus cogitatio ipsa ejus est operatio, ipse *hoc cogitavit*. Ipsius misericordiæ et miserationis opus hoc fuit, *ut* male gloriantem hominis *superbiam* ad ima humilitatis *detraheret, et universos* sensus illius, qui erant, ut diximus, *incyti terræ*, terrena tantummodo sapientes ac diligentes, *ad ignominiam* bonæ et laudabilis, quam pœnitentia operatur, confusionis perduceret. Ipse operatur quod homo beatus, per *Tyrum quondam coronatam* designatus, confusus in semetipso, et humiliatus pro peccatis suis summam ignominiam deputat, quod quasi summam prius gloriam esse crediderat. Sequitur :

Vers. 10. *Transi terram tuam quasi flumen filia maris.* Ac si dicatur : Quisque es, qui ob infirmitatem et levitatem marinæ, id est peccatricis et lubricæ vitæ tuæ, *filia maris* es et diceris, fluxa atque caduca sæculi gaudia transeundo despice, statum æternæ soliditatis require. Totum enim, quod in hoc mundo diligitur, quasi *flumen* quoddam est, quia cito transit, et finitur.

Non est ultra tibi cingulum. Si mutare vitam, et tamen sæculum inhabitare volueris, *cingulum tibi non erit*, quia nulla custodia, nulla securitas, nulla in medio peccatorum evitandi et declinandi peccata erit facultas.

Vers. 11. *Manum suam extendit supra mare, conturbavit regna.* Quis est hic, qui *manum suam supra mare extendit* nisi malignus hostis, qui omne fere genus hominum ad interitum trahit? Qui etiam *conturbavit regna* quia regnantes in peccatis et vitiis, ne ad verum lumen respicere velint, aut valeant, fraudis suæ nequitia intus turbare, intus excæcare consuevit. Sed non est invalida manus Domini extensam hanc manum diaboli confringere, et conturbata per eum regna ad quærenda et desideranda perpetuæ serenitatis gaudia convertere. Unde et adhuc subditur :

Dominus mandavit adversus Chanaan, ut contereret fortes ejus. Chanaan quod interpretatur *commotio*, significat bonam et laudabilem quamdam commotionem, quæ fit in homine, quando incipit movere se a malo ad bonum, a vitiis ad virtutes. Et est quasi dicat : Si tu, qui mobilis ad vitia, immobilis ad virtutes et virtutum opera, loco non vitæ, sed mortis malæ hucusque stetisti, jam te adversum te movere volueris, hoc est si relicto sæculo et conversatione sæculari ad spiritalis vitæ militiam transire volueris, dives in misericordia *Dominus mandavit*, hoc est repromisit, *ut fortes tuos conterat*, ut malignos spiritus, qui sub durissimo peccatorum vinculo detinent te, potenti divinitatis suæ manu ad nihilum redigat.

Vers. 12. *Et dixit : Non adjicie ultra, ut glorieris caluminam sustinens, virgo filia Sidonis.* Tu, qui non ob meritum castitatis, sed ob sterilitatem bonorum operum, bonarum virtutum *virgo*, id est sterilis, et infecunda *filia Sidonis*, filia iniqui venatoris diaboli diceris, *non adjicies ultra, ut glorieris* in peccatis quia nisi per veram pœnitentiam et conversionem humiliatus fueris, perpetuæ damnationis calumniam sustinebis.

In Cethim consurgens transfreta, ibi quoque non erit requies tibi. Cethim, sicut supra diximus, *mare congelascens* dicitur, significans mundum congelascentem, ignem timoris et amoris Dei non habentem. *In Cethim consurgens transfreta.* Quasi dicat : Sit sane ut in mundo positus consurgere ad bona opera, *transfretare* et declinare vitia, et cavere peccata incipias. *Ibi quoque non erit requies tibi. Requies tibi non erit ibi* a peccatis. Quoniam enim inter peccata conversaris, impossibile et omnino inevitabile est ut peccatorum laqueis nunc volens, nunc nolens non irretiaris. Sed quid ultra restat?

Vers. 13. *Ecce terra Chaldæorum talis populus non fuit. Assur fundavit eam.* Per *terram Chaldæorum*, qui *feroces* interpretantur, congregatio quorumlibet spiritalium apte intelligitur, qui *feroces* aliquando et indomiti erant peccando, sed et *feroces* nihilominus postmodum in spiritali vita sunt, ferociter peccata in semetipsis puniendo. *Ecce*, inquit, *terra Chaldæorum*, Ecce ante te sancta et spiritalis conversatio et congregatio Deum timentium, ferociter contra se sævientium, et ad terram hanc confuge, eorum exemplo vive. Si enormitatem scelerum tuorum expavescis, in his et per hos consolare, constantiam et humilitatem illorum imitare. *Talis populus non fuit* in superbia, mentisque elatione præcipuus, ad peccata præceps et lubricus. *Assur fundavit eam* quia malignus hostis, quem quasi fundamentum, et pro fundamento cordibus suis supposuerunt, quocunque voluit, potenter eos movit.

At nunc confortati in Domino *in captivitatem transduxerunt robustos ejus, suffoderunt domos ejus, posuerunt eam in ruinam. Suffoderunt domos ejus* quia secreta cordium suorum, quæ per suggestiones et immissiones malarum voluntatum, per delectationes carnalium voluptatum quasi familiare sui juris domicilium, id est *Assur* prius inhabitabat, suffossis et effossis per veram pœnitentiam vitiis vitiosisque voluntatibus et desideriis ita aptaverunt, et subegerunt virtutibus, quod nullus antiquo hosti pristinæ habitationis in eis patet locus.

In captivitatem transduxerunt etiam *robustos ejus* quia peccata et peccatricia opera carnis, quæ *robusti* sunt diaboli (in his enim et cum his prævalet hominibus), prostraverunt jam, et exstinxerunt, et quæ subsistente fragili carnis materia ad plenum exstinguere nequeunt, his quasi *in captivitatem transductis* ita dominantur, ut, etsi surgant contra eos, et impetum faciant, prævalere tamen eis non valeant. Unde apte adhuc subditur :

Posuerunt eam in ruinam. Nam dum perfectus homo quasi captiva tenet, et comprimit in se vitia illa, quæ non potest prorsus exstinguere, ex hac captivitate fit *ruina* peccatorum, surgit et crescit in altum machina virtutum. Sed quia sub primo hoc oneris hujus capitulo sanctus Domini propheta va-

stationem, imo et damnationem eorum, qui sæculo adhuc, ut dictum est, periclitantur, sub persona et voce electorum ululando atque gemendo deflevit prævidens etiam vastationem, quæ ipsis plerumque electis et perfectis hominibus in spiritali vita accidit quasi coram positos, in secundo hoc capitulo ad pœnitentiam hortatur, cum dicit :

VERS. 14, 15. *Ululate naves maris : quia vastata est fortitudo vestra. Et erit in die illa : In oblivione eris, o Tyre septuaginta annis, sicut dies regis unius ; post septuaginta autem annos eris Tyro quasi canticum meretricis.* Hæc verba prophetæ, imo loquentis per prophetam Dei omnipotentis ad electam et dilectam quamlibet animam tunc fiunt, quando ipso inspirante considerata vastitate sua pristinum profectum, et imminentem jam jamque defectum suum sollicite homo cognoscere incipit. *Ululate*, inquit, *naves maris, quia vastata est fortitudo vestra.* Ac si dicat : Vos, qui emenso magni maris flumine in spiritalis vitæ conversatione quasi in navibus constituti summa fortitudine et constantia ad portum cœlestis patriæ tendere consuevistis, *ululate* nunc, quia subrepente atque crescente negligentiæ torpore et mentis desidia, solitæ vim fortitudinis minime exercetis, sed quasi *vastati* pristinis virtutibus et evacuati deprimentis pondere carnis, ut imbecilles et infirmi subjacetis. Postquam hoc modo Deus hominem intrinsecus excitaverit, et illuminaverit, qualiter ad amissam fortitudinem redire debeat, sequentibus mox verbis insinuat, cum dicit :

Et erit in die illa : In oblivione eris, o Tyre, septuaginta annis sicut dies regis unius. Septuagenarius numerus perfectam et consummatam pœnitentiam significat. Et bene quidem dicit : *In oblivione eris, o Tyre, septuaginta annis.* Novimus sane quia ii qui in publica pœnitentia sunt, ab introitu templi, a communione sanctæ matris Ecclesiæ excluduntur, et non solum ut *obliti*, sed et quasi mortui infra statutum pœnitentiæ tempus reputantur. Sic et homo spiritalis per Tyrum, ut dictum est, figuratus, cum spiritalium vastitatem divitiarum, quod virtutes sunt, spiritalium exercitio laborum recuperare quærit, est quodammodo quasi *in oblivione septuaginta annis*, dum in pœnitentia sua tanta se Deo humilitate submittit, quod se quasi oblitum a Deo et coram Deo reputat, atque ab omnibus, quæ dulcia et delectabilia carni essent, subtrahens se indignum se judicat, cui reminisci in miserationibus suis Deus omnipotens debeat. In hac tamen oblivione est *sicut dies regis unius*, quia lucens et illuminans custodia et protectio summi et optimi regis, Dei utique omnipotentis, quæ per *diem* hoc in loco potest intelligi, manet super eum, invisibiliter eum intus illuminans, misericorditer exterius a peccato protegens atque conservans. Sequitur :

Post septuaginta autem annos erit Tyro quasi canticum meretricis. Quid, rogo, quid sunt hæc verba prophetæ, imo loquentis in propheta Domini nisi doctrina quædam, qua *Tyrus*, id est homo ille, cui totus mundus ob amorem cœlestis regni angustus est, ad humilitatem eruditur ? *Post septuaginta*, ait, *annos erit Tyro quasi canticum meretricis.* Quasi diceret : Non tibi sufficit ut perfecte pœnitendo septuaginta annorum numerum compleas, nisi post peractam etiam pœnitentiam in eadem mentis humilitate et constantia persistens *quasi canticum meretricis* canere et frequentare studeas. *Canticum meretricis canere* est assidua cordis contritione retractare, et quasi præcinere sibi ipsi, quam turpiter, quam multipliciter a vero sponso suo Christo multoties fornicatus sit. Sed nec hoc ad profectum homini sufficit, nisi per assiduam etiam carnis mortificationem flebili cantico cordis respondeat. Unde apte mox subinfertur :

VERS. 16. *Sume citharam, circui civitatem meretrix oblivioni tradita.* Quasi dicat : Quia transgrediendo præcepta mea debitam mihi fidem non servasti, semper te ut *meretricem oblivioni traditam* reputa. *Sume citharam*, carnem tuam cum vitiis et concupiscentiis crucifigendo mortifica. *Circui civitatem* a sanctis et justis, qui tecum sunt, hominibus, qui civitas Dei dici et esse meruerunt, auxilium quærendo intercessionis, exemplum sumendo sanctæ conversationis.

Bene cane, frequenta canticum, ut memoria tui sit. Male cantasti, dum despecto me atque relicto in peccatis exsultasti. Nunc autem *bene cane*, frequenta canticum, male sonantem in auribus meis vocem pristinæ cantationis quasi versa cithara in vocem commuta assiduæ contritionis et compunctionis, *ut memoria tui sit* apud me, hoc est ut in miserationibus meis multis et magnis te jam oblivioni traditam rursum te colligam ad me. Sequitur :

VERS. 17. *Et erit post septuaginta annos, visitabit Dominus Tyrum, et reducet eam ad mercedes suas.* *Visitatio* hæc, qua *post septuaginta annos Tyrum Dominus visitat*, est inæstimabilis inexhaustæ suavitatis ejus abundantia, qua animam per amaritudinem pœnitentiæ sauciatam ineffabiliter recreat et lætificat, *reducitque eam ad mercedes suas*, quando ei inter ipsam dulcedinis suæ gratiam laboris sui præmium desideratam tribuit indulgentiam peccatorum. Sed quantumcunque homo ex gratia et dono Dei proficiat, tamen quia vivere non potest sine peccato, quandiu in corpore peccati subsistit, apte subjungitur:

Et rursum fornicabitur cum universis regnis terræ super faciem terræ. Intelligimus per *terram* ipsum corpus hominis, per *regna terræ* interiores sensus hominis, qui ob dignitatem spiritus, qui velut rex et dominator terræ, id est exteriori homini præsidere et imperare deberet, *regna terræ* merito nominantur. Anima utique, quæ post longam oblivionem et abjectionem ad desideratos diu et optatos cœlestis sponsi amplexus tandem se receptam gaudebat, rursum *cum universis regnis terræ fornicatur*, quando in interioribus sensibus suis aut per malas cogitationes, aut per malas voluntates, vel etiam illicita desideria peccato condelectatur. *Fornicatur super*

faciem terræ, quoties sensibus corporis visu videlicet et auditu, gustu, odoratu et tactu contrarium quid vel indignum cœlestis sponsi amori admittit.

Et notandum quod prius eam, quæ in spiritu, et postea hanc quæ in corpore fit fornicationem designans *et rursum*, inquit, *fornicabitur cum universis regnis terræ*. Et mox addit *super faciem terræ*. Nam etsi esset quis qui corpore corporisque sensibus peccato non inclinaretur, rarus valde vel etiam nullus est, qui interioris hominis sui castitatem et integritatem ita conservare valeat, quin aliqua ei corruptionis macula ex diversis animi motibus accedat et inhæreat. Attamen quia intolerabile hoc divortium quod ex hac, de qua jam dictum est, cordis corporisque fornicatione inter Deum et animam fit, non libenter, sed violenter spiritalis homo multoties patitur, citius redire in gratiam sponsi et dilecti sui per pœnitentiam et lacrymas mitigare festinat offensam, sicque impletur quod sequitur:

VERS. 18. *Et erunt negotiationes ejus et mercedes ejus sanctificatæ Domino.* Per *negotiationes ejus* intelligere possumus transgressiones et peccata, quibus Deus offenditur; per *mercedes ejus* remissionem peccatorum, qua Deus omnipotens pœnitentiam et satisfactionem ejus pie remunerat. *Erunt negotiationes ejus et mercedes ejus sanctificatæ Domino*; quia mox, ut ex humili corde pœnituerit et ingemuerit, tam mala quæ illicite commisit, quam bona, quæ in emendationem et satisfactionem illicitorum exhibuit, Domino sanctificatur, quia ad laudem et honorem Deo reputantur.

Non condentur, neque reponentur, quia his qui habitaverint coram Domino, erit negotiatio ejus, ut manducent in saturitatem, et vestiantur usque ad vetustatem. Quid per ea quæ, teste Domino, *non condentur, neque reponentur*, nisi excessus et peccata electorum in spiritali vita Deo militantium designatur? Hæc quidem in hac vita *nullatenus reconduntur*. Ipsi enim se accusant, ipsi se judicant, ipsi se damnant, ipsi quotidianis pœnitentiæ lamentis semetipsos affligentes, ipsi districtæ spiritalis vitæ et consuetudinis disciplinæ subjacentes, culpas suas Deo produnt in oratione. Ipsi etiam humiliter eas confessoribus suis aperiunt in confessione. Cumque sic abscondita sua quotidie produnt, nihil sibi relinquunt, quod in futuro *reponatur*, hoc est quod in extremi examinis districta severitate publicandum puniendumque reservetur. Unde apte adhuc de talibus subjungitur:

Quia his, qui habitaverint coram Domino, erit negotiatio ejus, ut manducent in saturitatem, et vestiantur usque ad vetustatem. Habitare coram Domino dicuntur, quia per laboriosa spiritalis vitæ exercitia, per sancta et quotidiana cœlestis patriæ desideria divinæ majestatis conspectibus quasi præsentes quotidie assistunt, sicque habitantibus coram se cohabitat ipse pius et misericors Dominus, quia piæ miserationis respectu super eos invigilat, ipse labores eorum considerat, ipse numerat. *Eritque negotiatio eorum, ut manducent in saturitatem, et vestiantur usque ad vetustatem*, quia ubicunque injustæ negotiationis aliquid congregasse se, ac comportasse meminerint, illud quodammodo *comedunt*, quia ne appareat coram Domino, amare recogitando, fortiter pœnitendo ac puniendo cibum suum faciunt, quia quotidie se in fletibus pascunt. *Manducant in saturitatem* plene et perfecte et sufficienter intrinsecus pœnitendo. *Vestiuntur usque ad vetustatem* ad tegenda et abscondenda ea quæ pœnitent, decoris justitiæ operibus usque ad finem vitæ viriliter insistendo.

Post onus Tyri, quod pro modulo nostro exponendo jam transcurrimus, congruo ordine *onus jumentorum austri*, quod decimum est in numero, ponitur, quia spiritales homines, perfecti mundi hujus contemptores, qui vere habitant coram Domino, quorum negotiatio est, ut manducent, sicut diximus, in saturitatem, et vestiantur usque ad vetustatem, isti sunt vere *jumenta austri*, jumenta Spiritus sancti qui per austrum designatur. Ipse enim eos valido inspirationis suæ impulsu de lato et spatioso sæculi campo in Tyrum, id est in angustam spiritalis vitæ semitam compulit, non ut requiescant ibi, sed ut sub diversis oneribus, sub innumeris laboribus ac tentationibus a pristina ferocitate sua mansuescere addiscant. Has nimirum tentationes mysticis verbis propheta enumerando prosequitur dicens:

CAPUT X.

Onus jumentorum Austri, hoc est, eorum, qui angustam ad cœlum viam amplectuntur.

ISA. XXX, vers. 6, 7. *Onus jumentorum austri. In terra tribulationis et angustiæ leæna, et leo ex eis, vipera et regulus volans, portantes super humeros jumentorum divitias suas, et super gibbum camelorum thesauros suos ad populum, qui eis prodesse non poterit. Ægyptus enim frustra et vane auxiliabitur, ideo clamavi super hoc: Superbia tantum est, quiesce.* Per *terram tribulationis et angustiæ* terra et locus spiritalis cujusque ac perfectæ conversationis non inconvenienter accipitur, quam *jumenta illa austri*, jumenta utique Spiritus sancti vinculo obedientiæ subjugata incolunt, quæ per præsentis vitæ tribulationes et angustias ad latissima æternæ jucunditatis pascua tendunt. Per *leænam* vero et *leonem, viperam, regulumque volantem* quatuor peccatorum incrementa notare possumus, quorum primum est delectatio peccati, quæ per *leænam* significatur; secundum consensus peccati, qui ob fortitudinem, qua robustos etiam quosque interdum prosternit, apte *leoni* assimilatur; tertium operatio peccati, quæ comparata *viperæ* repentino morsu animam interficit; quartum scandalum peccati, quod, apte *regulo volanti* æquiparatum, quanto velocius discurrit tanto perniciosius multorum animas scandalizat et pervertit.

Quatuor hæ bestiæ *in terra tribulationis et angustiæ sunt* quasi *portantes super humeros jumentorum divitias suas, et super gibbum camelorum thesauros suos*. Possumus *in gibbo camelorum* intelligere cor

A peccatorum tortuoso exuberans tumore vitiorum, qui, dum suscepto super se jugo obedientiæ ad suscipienda et portanda spiritalis disciplinæ onera in terra tribulationis et angustiæ sponte humiliari incipiunt, *jumenta austri*, *jumenta*, sicut diximus, Spiritus sancti jure nominari possunt, clamantes Domino cum propheta atque dicentes : *Ut jumentum factus sum apud te, et ego semper tecum* (*Psal.* LXXII, 22). Super horum jumentorum humeros leæna et leo, vipera, regulusque volans, *divitias suas*, quod diversa peccata sunt et vitia, portant quodammodo, dum ipsi perfecti homines quotidie oculis suis sollicite proponunt et opponunt, quidquid aut ex delectatione aut consensu vel opere peccati commiserunt, vel ubicunque scandalo proximis fuerunt, et per hoc duro et difficili quotidiani laboris pondere semetipsos B deprimunt, et afficiunt. Sed et *super gibbum camelorum portare thesauros suos* dicuntur, quando collectos et congestos ex eisdem quatuor peccati incrementis malarum cogitationum, iniquarum voluntatum, nec non et desideriorum thesauros in corda sua idem electi subtiliter rememoranda coacervant, non ut delectentur in eis, sed ut dignis pœnitentiæ fletibus puniantur pro eis.

Nec prætereundum quod, postquam dixit, *portantes super humeros jumentorum divitias suas, et super gibbum camelorum thesauros suos*, addidit, *ad populum, qui eis prodesse non poterit*. His sane verbis aperte datur intelligi quia vitia hæc, quæ sub nomine leænæ atque leonis, viperæ et reguli volantis notavimus, comprimi quidem possunt, ne ho- C mini solito more prævaleant; exstingui ita non possunt, quin iterum atque iterum contra hominem insurgant. Semper enim ad hoc tendunt, ut jumentum Spiritus sancti a via veritatis et justitiæ reflectant, atque *ad populum, qui eis prodesse non poterit*, ad populum utique malignorum spirituum subito et inopinato impetu suo divertant. Sed *populus iste prodesse eis non poterit*, dum regente ac custodiente Spiritu sancto cœpta via homo graditur despiciens et abjiciens quidquid ei diabolica machinatione opponitur. Unde adhuc sequitur :

Ægyptus enim frustra, et vane auxiliabitur. Aspirante enim et adjuvante gratia Spiritus sancti callida ac tenebrosa suggestio malignorum spirituum, D qui per *Ægyptum*, quod interpretatur *tenebræ* designantur, ut vana et inutilis ab eo refutatur. Unde et apte mox in sequentibus ex ejusdem hominis persona dicitur, *ideo clamavi super hoc : Superbia tantum est, quiesce*. Quasi dicat : Quidquid populus iste obtendit, totum ad malitiam tendit. *Ideo clamavi super hoc : Superbia tantum est, quiesce. Quiesce* tumultuosis eorum immissionibus per delectationem et consensum intrinsecus consentiendo. *quiesce* a malis operibus, quæ et tibi mortis periculum et proximis scandalum generent abstinendo. Quies vero hæc quia non nisi per assiduam carnis mortificationem possidetur, apte in sequentibus ostenditur, cum protinus subinfertur :

VERS. 8. *Nnuc ingressus scribe ei super buxum, et in libro diligenter exara illud*. Possumus intelligere per *buxum* carnem maceratam per pœnitentiam, per *librum* memoriam hominis vel conscientiam. Et est quasi pius et misericors Dominus dicat homini intrinsecus : *Ingressus* ad te intra te peccatorem te semper recognosce. *Scribe ei super buxum*, stabili et perfecta pœnitentia macerare carnem tuam non desine, et quidquid illud est, per quod oculos majestatis meæ offendisti, *illud diligenter in libro exara*, illud in corde et conscientia humili semper pœnitendum subtiliter rememora.

Et erit in die illa novissima in testimonium usque in sempiternum. *In die novissima*, cum de tenebris ad lucem, de morte ad vitam transieris, contra minacem impetum inimicorum *erit tibi* temporalis hæc pœnitentia *in testimonium usque in sempiternum*.

VERS. 9-11. *Populus enim ad iracundiam provocans est, et filii mendaces, filii nolentes audire legem Dei. Qui dicunt videntibus : Nolite videre, et aspicientibus : Nolite aspicere nobis ea quæ recta sunt, loquimini nobis placentia, videte nobis errores. Auferte a me viam, declinate a me semitam, cesset a facie nostra Sanctus Israel*. Paucis his verbis æterna Dei sapientia breviter comprehendit, atque distinxit universa incitamenta malignorum spirituum, quibus adversus electos Dei se erigunt, quæ expositione quidem non indigent. Melius enim ea intra nos cognoscimus, quam dictis aut scriptis exprimere possimus.

Populus provocans sunt quia homines semper ad hoc *provocant*, ut injuste contra Deum agendo *iracundiam* et indignationem ejus super se suscitent, et commoveant. *Filii mendaces* sunt quia mendacium diligunt. *Filii nolentes audire legem Dei*, quia et ipsi eam exsecrantur, et audire eam ac custodire volentes subvertere conantur. *Qui dicunt videntibus : Nolite videre*; *et aspicientibus : Nolite aspicere nobis ea quæ recta sunt*. Quia multiplici fraudis suæ nequitia excæcare homines solent, ne recta videant, ne recte visa et intellecta rectis operibus exsequi valeant, et quoscunque obtusa mentis acie veritatis viæ subducere possunt, his quasi imperiosa voce pertinaciter insistunt dicentes : *Loquimini nobis placentia, videte nobis errores. Auferte a me viam, declinate a me semitam, cesset a facie nostra sanctus Israel*. Hæc sane malignorum spirituum verba nihil aliud sonant, nihil aliud insinuant, nisi qualiter per multimoda instigationis suæ argumenta errori suo eos addicere, et subjicere valeant.

Sed quia pius et misericors Conditor et eruditor humani generis hæc subtilissima atque inevitabilia dæmonum machinamenta ostendit, sicut jam dictum est, et aperuit, ut contra fraudem et malitiam eorum electos suos vigilantiores circumspectioresque redderet, nunc etiam, ut ineffabilem pietatis suæ dulcedinem insinuet, qua conflictum suorum quotidie considerat, et pensat, quasi potenti contra

eosdem dæmones invectione insurgens subjungit dicens :

VERS. 12, 13. *Propterea hæc dicit Sanctus Israel : Pro eo quod reprobastis verbum hoc, et sperastis in calumniam et tumultum, et innisi estis super eo. Propterea erit vobis iniquitas hæc sicut interruptio cadens, requisita in muro excelso.*

Ac si dicat : O vos maligni spiritus, fraudulenti deceptores animarum, qui *reprobastis verbum* veritatis ab initio, *et sperastis in calumniam, et tumultum, et innisi estis super eo, iniquitas hæc*, per quam animas salvandorum meorum cepistis, *erit vobis sicut interruptio cadens, et requisita in muro excelso.* Ego enim fortis et potens, ego misericors, ego clemens potenter interrumpam, ego, sicut interrumpitur murus, omnem munitionem, imo securitatem B vestram, qua habitare in eis et possidere eos sperastis, manu potentiæ meæ confringam atque disperdam : *quoniam subito, dum non speratur, veniet contritio ejus.*

VERS. 14. *Et comminuetur, sicut conteritur lagena figuli contritione pervalida* [al. *prævalida*]. Nomine *figuli* seipsum, qui hæc loquitur, Creator et Redemptor nostèr vult intelligi. Hujus *figuli lagena* est quodammodo omnis creatura. Ipse enim noster figulus, nos figmentum ejus. Ipse factor noster, nos factura ejus. *Lagena figuli* hujus quasi *contritione pervalida conteritur*, quando lutea illa massa, quod est homo, quæ noxio vitiorum ardore induruit, rore Spiritus sancti perfusa et emollita ad compunctionis et pœnitentiæ lamenta medullitus resolvitur. Hæc C est prævalida illa contritio, qua optimus ille noster figulus lagenam, desperatum utique peccatorem misericorditer conterit, per quam congestam peccatorum machinam hinc et inde interruptam forti miserationis suæ manu disjicit, atque dispergit, sicque fit quod sequitur :

A *Et non invenietur de fragmentis ejus testa, in qua portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquæ de fovea*, quia exhausto de *fovea* cordis cœnoso humore concupiscentiæ carnalis, quæ per *aquam* potest intelligi, noxiæ etiam delectationis *incendium* in carne, quæ per *testam* accipitur, mediante ac refrigerante Spiritu sancto sopitur atque restinguitur, ita duntaxat ut ignis pœnitentiæ fortiter ardens intrinsecus in corde pravæ delectationis, *igniculum testæ* carnis non patiatur accedere. Quod autem intulit dicens :

VERS. 15. *Quia hæc dicit Dominus exercituum.* Per hoc præcedentia verba sua quodammodo confirmat ut nullus propter enormitatem scelerum de misericordia Dei diffidat, si relicto tandem peccato ad eum B qui vere misericors est, redire curaverit. Unde apte adhuc subjungit :

Si revertamini, et requiescatis, salvi eritis. Ac si patenter dicat : Si relictis vitiis ad me Deum et Salvatorem vestrum *reversi fueritis*, et postpositis tumultuantibus carnalium desideriorum ac voluptatum curis in me et super me, qui vera requies sum, *requiescere* volueritis, æternæ vos saluti restituam, de præteritis criminibus salvando vos et emundando, atque contra persequentium vos malignorum spirituum violentam impugnationem potentia virtutis meæ misericorditer confortando.

In silentio, et in spe erit fortitudo vestra. [Si] subrepentibus perstrepentibusque vitiis nec consentaneis cogitationibus interius, nec perversis actioni- C bus exterius responderitis; insuper etiam spe firma, fide integerrima mihi soli, qui sperantibus in me, et de misericordia mea præsumentibus adjutor indeficiens assisto, perfecte adhæseritis, infirmabuntur et peribunt a facie vestra fortissima nequissimi hostis machinamenta.

VEN. GODEFRIDI

ABBATIS ADMONTENSIS

EPISTOLA AD O. QUONDAM MONACHUM SUUM

Ut sibi Josephi aliorumque auctorum libros exscribendos mittat.

[(Anno 1153.)

(R. P. Bernardus PEZ, *Thes. Anecd.*, tom. V, parte III, col. 364, in codice diplom.-historic.-epistol., ex ms. Tegerns.)

G., Dei gratia id quod est, dilecto in Christo filio D O., columbam imitari Noe, quæ emissa retulit ad arcam ramum virentis olivæ.

Qui naturas ferarum didicerunt et noverunt, hoc aliqui eorum scribunt, et dicunt quod naturali quadam dulcedine ad illa loca frequenter habent recursum, unde primum vivendi sumpserunt exordium. Ita frater, et tu, ut emissiones tuæ sint paradisus malorum punicorum, ad sinum matris tuæ Admontensis Ecclesiæ, si non corpore, saltem animo, sæ-

pius debes recurrere, de cujus fonte quidquid est in te per Dei gratiam disciplinæ, et scientiæ, cognosceris habuisse. Vellem itaque, dilectissime, ut de famoso illo vestræ Ecclesiæ armario aliquid, quod apud nos non est, vel scribendum, vel a te scriptum, nobis transmitteres, quatenus ex vestra abundantia nostra suppleretur inopia, et per id tuæ apud nos dilectionis recalesceret memoria. Josephi Opus, Excidium Jerosolymorum, et celebratum Romæ Vespasiani et Titi Triumphum, si apud vos A est, rogo, ut diligenter, et veraciter inquiras, et nobis per aliquem scribendum transmittere in vera charitate non differas, quia diu est, ex quo apud vos esse idem opus veraciter audivi, sed videre nunquam potui. Labora igitur, ut quod ab aliis non est factum a te fiat, ut tibi et a fratribus tuis gratiarum actio, et a Deo reddatur remuneratio. Vale. Dominum abbatem, germanum tuum ex parte nostra plurimum saluta, eique sicut bonus filius devote obedire et servire cura.

ANNO DOMINI MCXLII

HARIULFUS

ABBAS ALDENBURGENSIS

NOTITIA HISTORICO-LITTERARIA

(FABRIC. *Biblioth. med. et inf. lat.*, tom. III, p. 191)

Hariulfus ex monacho Centulensi S. Richarii abbas S. Petri Aldenburgensis non procul Burgis in Flandria ord Bened., ab anno 1104 ad 1142, scriptor *Chronici Centulensis* cœnobii libris IV ab medio sæculo sexto ad annum 1088, editi a Dacherio Spicil. tom. IV, pag. 419 (editionis novæ tom. II, pag. 291-356, ubi longe integrius et emendatius exhibetur beneficio Ursini Durant, ex ms. Centulensi). Versus quibus opus clauditur ediderat Mabillonius tom. I Analect., pag. 431 (editionis novæ p. 378). Libro tertio p. 310 notabilis est catalogus voluminum 256 ms. inter divitias claustrales hujus cœnobii asservatorum. Ut *Vitam S. Richarii* abbatis libro primo, ita libro secundo *S. Angilberti* abbatis septimi, præter alias persequitur, quam ex hoc Chronico affert etiam Mabillonius Sæc. IV. Bened. p. 91, et de *Richarii Miraculis* Sæc. V, p. 585; de quibus vide lib. III, c. 18, et lib. IV, c. 9. De *Madelgisilo* confessore disserit Hariulfus lib. III, cap. 29, sed hujus Vitam peculiari libro scripsit, quem Gervino, sedis Ambianicæ episcopo dicavit. Hanc ex Mabillonii editione Sæc. IV Benedictin., parte II, pag. 537, repetit Papebrochius additis notis tom. VII Maji, die 30, pag. 265-269. Gervini abbatis Vitam persequitur Hariulfus lib. IV, cap. 13, seq., ubi itidem c. 32 notandus catalogus mss. voluminum XXXVI, quæ cœnobio contulit. Huic Gervino an. 1071 defuncto successit Gervinus abbas, secundus hujus nominis, de quo lib. IV, cap. 34 seq.; ubi et epitaphium ejus cap. 36, defuncti an. 1074. Sed scripsit etiam *Vitam S. Arnulfi* Suessionensium episcopi, an. 1087 exstincti, ad Lambertum episcopum Tornacensem, ms. in monasterio Ursicampi ord. Cisterc. in Gallia, diœcesis Noviomensis. Appendicem de miraculis S. Arnulfi addidit Lisiardus, episcopus et ipse ab anno 1108 Suessionensis. Inde vitam quoque sub falso Lisiardi nomine, et malo more interpolatam, vulgavit Surius 14 Augusti omissa triplici præfatione, quam post Vossium vidisse se in ms. Ursicampensi et altero S. Germani de Pratis vidisse se testatur Oudinus tom. II, pag. 926. Integram et sinceram edidit Mabillonius Sæc. VI Benedictin., parte II, pag. 522. Apud Sanderum in Catalogo mss. Belgii, p. 255, memorari videas *Hariulfum abbatem Altenburgensem de miraculis S. Petri apostoli in Aldenbrock.* Hunc a nostro minime diversum esse, unumque Hariulfum a Cangio in tres distrahi non dubito.

CHRONICON CENTULENSE

AUCTORE HARIULFO.

(*Spicilegium Dachery*, edit. De La Barre tom. II, p. 291.)

MONITUM.

Chronicon Centulense cum in priori editione variis mendis deformatum, et aliquot non commatibus solum, sed etiam capitibus mutilum publici juris factum fuisset, nunc integrum edimus, ex humanitate R. P. D.

Ursini Durant, qui Centulensis abbatiæ codicem cum editis accuratissime contulit, et capita quæ deerant omnia restituit.

Omnia, inquam; nam quod in libro I deesse caput 14 suspicatus est Acherius, ideoque quintum decimum dixit illud, cui nos cap. 14 præfiximus, in eo errasse mihi videtur; in indice enim capitum huic libro præfixo viginti sex numerantur, verum quid in decimo quarto contineretur librarius subticuit. Adeo ut appareat idem hoc loco accidisse quod libro secundo, ubi decem ac septem capita numerantur in indice, cum septem duntaxat in libro ipso reperiantur, quod ex secundo capite quinque capita quidam fecerint, scil., « de Domni Angilberti notabilitate » cap. 3, 4; « Bertha filia regis ei conjugio copulata » cap. 5; « Quod sæculum reliquerit, ac monachus effectus sit » c. 6; et caput sextum in plura etiam capita partiti sunt, quibus ne titulum quidem præfigere potuerunt.

Porro in codice Centulensi præter hosce quatuor libros, præterque illa quæ in appendice tomi V Annalium Benedictinorum edita sunt, reperit idem D. Ursinus Durant Vitam S. Magdelgisili ab Hariulfo conscriptam; Vitam S. Angilberti abbatis, libellum miraculorum ejusdem sancti, eodem auctore, Radulfo Remorum archiepiscopo dicatum anno 1110.

In vol. II veterum scriptorum Hist. Franc. ab Andrea Duchesnio editorum apparet in ære incisa effigies ecclesiarum ab Angilberto apud Centulam anno 809 constructarum.

PRÆFATIO HARIULFI

IN DESCRIPTIONE GESTORUM CENTULENSIS ECCLESIÆ.

A Postquam genus humanum, primi hominis delicto a paradisi felicitate dejectum, divinæ miserationis obtentu corrigi, et ut patriam unde ceciderat recte vivendo appeteret, divinitus cœpit admoneri nihil utilius, salva duntaxat Dei et proximi dilectione, atque divinorum præceptorum exsecutione, in hominum studiis inveniri posse credimus, quam quod ea quæ justi ac fideles recta fecerunt vel dixerunt, ad notitiam posterorum scribendo transmiserunt. Sic enim bene gestorum quædam imago, et velut præsentia rationabilium hominum mentibus, qua se informent, prætenditur ut cum modo narratur qualiter justus vixerit, quave mercede donatus sit, modo impius, et bonum fastidiens, quantis malis sit gravatus edicitur, humanus animus justi mercede B salubriter illiciatur ut bene agat, impii interitu terreatur, ne malum faciat. Hac utique ratione non solum legalem et propheticam, verum etiam evangelicam remur esse factam Scripturam, ut homo Deo clarus, de cujus creatione tanquam concilium iniens dixerat conditor Deus : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, homo, inquam, tantæ excellentiæ, tanti pretii, patule videat quid studiose repudiet, quid potissimum apprehendat; et cum tantis. . . . Deum pro se sollicitum attenderit, ipse homo tandem pro se discat sollicitari. Omnia ergo quibus instruimur divinæ bonitatis signa vel monita, Scripturarum antiquarum paginis reperiuntur inserta. Quo negotio confortatus ego C Hariulfus Sancti Richarii monachus, hortatu quoque honorabilium fratrum accensus, decrevi ea quæ de antiquitate et nobilitate Ecclesiæ Centulensis sparsim collegeram in unum conformare, et ne dispersa funditus deperirent, unius corporis retenta præsidio ad posterorum notitiam propensius reservare. Summæ nunc majestati linguam offerimus, ut quæ deformi asinæ formata concessit verba edere, dignetur et mihi infundere spiritum gratiæ suæ, quo valeam propositum ad effectum perducere.

Finit præfatio.

O quicunque vales meditari spirituales,
En tibi propono quos Christi (1) gratia dono
Vitæ donavit, vitutibus accumulavit,
Centula quos Patres, quos cœli concio fratres,
Quos sibi consortes sanctas augendo cohortes,
Illi congaudent æternum qui bene plaudent.
Inclytus istorum primus princepsque virorum
Hic satis expresse Richari nosceris esse :
Namque Deo clarus, per quem tibi mundus amarus
Exstitit, ætheræis arrides rite choreis.
Hinc quoque sanctorum descripta cohors seniorum
Irradiat mentes, per devia non gradientes.

Nomina eorumdem abbatum.

1. Sanctus Richarius abbas et fundator primus.
2. Ocioldus abbas.
3. Coschinus abbas.
4. S. Guitmarus abbas.
5. Aldricus abbas.
6. Symphorianus abbas.
7. S. Anghilbertus abbas et reædificator.
8. Nithardus abbas et comes.
9. Hericus abbas.
10. Helizachar abbas.
11. Ribbodo abbas.
12. Hludogvicus abbas.
13. Hruodulfus abbas et comes.
14. Helgaudus abbas et comes.
15. Guelfo abbas.
16. Karlomannus abbas.
17. Hertbertus abbas.
18. Hedenoldus abbas.
19. Girbertus clericus abbas.
20. Fulchericus abbas.
21. Ingelardus abbas.

(1) *Christi.* Ita emendavimus, codicem Centulensem secuti; nam antea editum erat, *tibi*.

22. Angelrannus abbas.
23. Geruinus abbas.
24. Geruinus abbas.

Qui sequuntur alia manu erant exarati in cod. ms.

25. Anscherus abbas.
26. Joannes abbas.
27. Gelduinus abbas.

A 28. Petrus abbas.
29. Guifredus abbas.
30. Richerus abbas.
31. Laurentius abbas.
32. Ursus abbas.
33. Richerus abbas.

O quot sanctorum tegit urnas discipulorum,
Aula patens patrio principe Richario.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS

INCIPIT TEXTUS GESTORUM ECCLESIÆ CENTULENSIS.

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

De gestis Francorum.

Actore Deo, gesta Centulensis Ecclesiæ descripturus, dignissimum censeo, quoniam hæc eadem Ecclesia largitionibus regum Francorum multoties aucta est, ut de eorum factis alia hic exprimam, quia revera justum est ut illius provectum regni commemorem quo matri Ecclesiæ nihil demptum, sed multum collatum est. Cum igitur, ut ex priscorum docemur historiis, Trojæ cives, expugnantibus Græcis, locum patrium deserentes, partim Italiam perrexissent, partim etiam finitima Pannoniæ loca inhabitare cœpissent, ibique ejusdem gentis pars, duodecim scilicet millia, in immanem populum excrevisset, ut naturali semper feritate viguerunt, non se passi sunt promiscuo cum aliis nationibus nomine adnotari, sed ex semet caput sibi statuentes urbem condiderunt, quam Sicambriam vocaverunt, a qua scilicet et ipsi Sicambri nuncupati sunt. Tantæ quippe idem populus semper fuit, imo est efficaciæ, ut quaquaversum veniens plus dominantis speciem, quam captivati prætendat miseriam. Verum cum Deus omnipotens, cujus velle posse est, præscius hanc gentem suæ deitatis agnitionem devotissime quandoque suscepturam, regni eam nomine et honore sublimari permisisset, primum regem traduntur habuisse Meroveum, ob cujus potentia facta, et mirificos triumphos intermisso Sicambrorum vocabulo, Merovingi dicti sunt, sicuti et ab Romanis, quorum jugum de suis excusserant cervicibus, lingua Attica Franci, id est feroces, vocati sunt.

Meroveus igitur de medio factus, successorem reliquit filium, Childericum nomine, qui de Basina Thuringorum regina genuit Hludogvicum. Hic Hludogvicus rex post patrem, cum belligerator acerrimus et alicui parcere nescius regni fastigio potiretur, præeunte Dei larga bonitate a B. Remigio Remorum archipræsule divinæ legis jura suscepit, B et ab eodem baptizatus pontifice, adorare quod incenderat et incendere quod adoraverat salubriter est institutus. At cum ipse rex devote audiens hæc devotius observasset, tantus eum divinæ potestatis deinceps favor consecutus est, ut qui ante aliquoties victor exstiterat, tunc victoriosissimus redderetur, et suscepti regni terminos magnifice dilataret, cum divinæ pietati non sufficeret ejus gladio infideles tradere, sed etiam suæ majestatis miracula adversus illius inimicos placeret exerere. Denique cum ipse rex, superato penes Pictavum civitatem Alarico rege Gothorum, deliberasset in revertendo illas urbes capere, quæ sibi contrariæ persistebant, Equolisimæ muri civitatis, quam oppugnare volebat, in conspectu ejus divinitus corruerunt. Sed cum om- C nibus hostibus præstantior Dei dono haberetur, xxx annis regno perfunctus, obiit apud Parisium urbem regiam, ibidemque sepultus est. Quo, ut creditur, superis sociato, filiorum ejus major natu Clotharius quinquaginta ferme et uno annis cæteris obeuntibus, regnum fortissime rexit.

CAPUT II.

De tempore quo sanctus Richarius ortus est et de regibus.

Hujus itaque tempore regis beatus, et a Deo electus pastor noster, Richarius nobilissimis ex inclyta provincia Pontiva parentibus progenitus, mundo salutis scientia indigenti felicia sui exortus gaudia infudit. Clothario autem Francorum rege mortuo, regnum ejus æqua lance quatuor illius filii D diviserunt. Primus Aripertus sedem sibi Parisius statuit, secundus Guntrannus Aurelianis, tertius Hilpericus Suessionis, quartus Sigibertus Mediomatricum, quæ et Metis. Horum itaque fratrum junior Sigibertus Brunichildem, ab Hispaniis deductam, in matrimonium sibi copulavit, quæ ei Hildebertum filium peperit. Quibus regnantibus, aliquantos verbi divini ministros, Hibernia insula natos, Franciæ

solum contigit invisere, quorum duo, ut postmodum narrabimus, B. Richario jam adolescenti dominicæ servitutis (2) initiatores fuerunt. Hildebertus vero adhuc puerulus regnum cum matre gubernandum suscepit, interfecto patre eventu prælii, si quidem ipse Sigibertus apud Victuriacum villam, quæ in suburbano Atrebatensis urbis sita est, Hilperici fratris sui, qui apud Tornacum oppidum tunc erat, quemque ipse Sigibertus usque ad internecionem persequebatur, fraude interfectus est. Sed et Hildeberto mortuo, qui, ut fertur, intra adolescentiæ annos cum uxore propria vi veneni peremptus est, regnaverunt duo filii ejus Theodericus et Theodebertus, adjuvante eos avia Brunichilde. Regnavit autem Hildebertus annis XXII; Gontrannus autem, patruus Hildeberti, rex Aurelianorum terminum vitæ suscipiens, regnum quod tenebat Brunichildi reliquit, quod postea in sortem Theodeberti devenit. Regnum igitur Burgundiorum Theodericus, Austrasiorum vero Theodebertus suscepit; Hilpericus quoque, qui Sigibertum occiderat, genuit filium, nomine Clotharium virum solertissimum atque sapientem, qui partem regni quam pater tenuerat retinebat. Hic cum Neustriæ moraretur, lis inter Theodericum et Theodebertum exorta est, et, disceptantibus illis de regni termino, uterque ad Clotharium legatos dirigit, uterque adversus parem auxilium postulat; quod ille abnuit, prohibente id fieri sanctissimo viro Columbano, qui malitia Brunichildis atque Theoderici de cœnobio Luxovii fuerat deturbatus, quique ipsi Clathario divinitus præsignabat intra triennii tempus omne regnum in ejus ditione convertendum. Theodericus igitur, germanum suum Theodebertum ad bellum provocans et juxta urbem Leucorum crudeliter cum eo dimicans, fugavit illum de prælio.

CAPUT III.

Qualiter deletis impiis Regibus Clotharius omnem obtinuit Franciam.

His ita alterutrum confligentibus, beatus confessor Domini Richarius jam majoris ætatis retinens metam, divinis operibus insistebat, et ea maxime illi inerat cura, ut vasa diaboli, animas scilicet peccatorum præripiens, suo cœlesti Domino assignaret: quod quam pie et quam instanter peregerit, non nostris sed domini Albini dictis paulo post docebitur. Ad regum historiam redeamus. Theodebertus dolens se a fratre de bello fugatum, collecto exercitus robore ipsi Teoderico fraternum sanguinem sitienti occurrit, ad Tulbiacum castrum pugnaturus; sed proditione suorum captus a Theoderico aviæ Brunichildi dirigitur. Quem cum illa recepisset, quia Theoderico magis favebat, furens Theodebertum fieri clericum jussit, ac post impie perimi fecit. Hac itaque infelici victoria Theodericus nimium elatus Metensium urbem rediit, ibique divinitus percussus inter flagrantis ignis incendia interiit. Brunichildis autem Sigibertum filium Theoderici sufficit in regnum. At Clotharius, memor prophetiæ B. Columbani, fines regni qui suæ debebantur ditioni cum valida manu captat recipere. Adversus quem cum hostilibus cuneis procedens Sigibertus captus est et interemptus, fratresque ejus quinque cum proavia Brunichilde capti sunt. Pueri separatim necati sunt; illa vero, ut altera Jesabel, primum camelo imposita omni exercitui gyrando monstratur; post, indomitorum caudis equorum alligata, miserabiliter, ut dignum erat, vita privatur. His ita gestis, Clotharius, nemine obstante, solus trium regnorum obtinuit monarchiam. Qui elaborata a majoribus dignitate potitus, cum plurima strenue gesserit, quam præcipue illud memorabile suæ potentiæ posteris reliquit exemplum, quod, rebellantibus adversum se Saxonibus, ita eos armis edomuit, ut omnes virilis sexus ejusdem terræ incolas, qui gladii, quem tunc forte gerebat, longitudinem excessissent, peremerit, quippe ut junioribus tumoris ausum recordatio [illius] vitalis seu mortiferi gladii amputaret. Huic fuit ex Bertetrude regina filius, nomine Dagobertus, qui patri succederet industria dignus et moribus. Hic denique in annis puerilibus positus, traditus est a genitore venerabili Arnulfo, postea Metensium episcopo, ut eum secundum suam sapientiam enutriret, eique tramitem Christianæ religionis ostenderet, ac ejus custos et bajulus esset. Clotharius igitur justa successione a Hludogvico quartus, vivens et incolumis filio suo Dagoberto regnum Austrasiorum (3) tradidit. Mortuo autem Clothario Dagobertus totum patris sui regnum sagaciter accepit, et pacifice gubernavit, alterum quodammodo repræsentans Salomonem.

CAPUT IV.

Verba Domini Albini de vita S. Richarii.

Temporibus igitur gloriosissimi regis Francorum Dagoberti, qui et sæculari potestate præclarus, et Christiana religione nobilis effulsit (nam et optimates suos dignitatibus exaltavit, et servos Dei honoribus excoluit), plurima monasteria a sanctis Patribus cœperunt construi; nec non et multi ex laico habitu viri religiosi inventi sunt; ex quibus Richarius quidam natus in villa Centula provinciæ Pontivæ, velut lucifer inter umbras oriens emicuit. Non tam nobilibus juxta sæculum parentibus ortus, quam moribus honestus, et omni probitate devotissimus, ita ut in laica vita quædam præsagia futuræ sanctitatis gereret.

CAPUT V.

Explanatio de eisdem.

Quod in præfatione monuimus, et nunc itidem commonemus, ut nemo ferat indigne si hæc domni Albini verba de vita sanctissimi confessoris rhetorice et perplexe dicta causa intelligentiæ manifestioris enucleare tentamus. Ecce enim videtur di-

(2) *Servitutis.* Sic codex Centul. prior editio, *salutis.*

(3) *Austrasiorum.* Ita codex Centul. ex fide historiæ: antea legebatur, *regnum suum*, male.

xisse quod *Dagoberti temporibus* sanctus ille ortus A sit, cum profecto fieri non potuerit ut sub tempore unius regis pauculo spatio regnantis homo nasceretur, adolesceret, educaretur, et ad perfectæ sanctitatis (4) fastigium, vel decrepitæ ætatis perveniret senium. Quid ergo, inquis, contradicis auctori Vitæ ejus? Non contradico, nec aliud astruo, sed id ipsum quod disertissimus vir paucis et connexis elocutus est verbis, elucidare cupio. Denique audi: Dicit *Dagoberti temporibus plurima monasteria* cœpisse *construi*, et multos *ex laico habitu* viros religiosos inventos fuisse. Ac deinde subjungit: *Ex quibus Richarius quidam.* Animadverte quia non dicit Dagoberti tempore esse natos, sed religiosos inventos, quos utique olim ortos, et grandævæ tunc ætatis necesse est intelligas. Et ac si diceres: Ecce, B honeste vir, dixisti multos viros religiosos inventos fuisse, et ago Deo gratias quia merui ex illis patronum. Sed cum sanctitatis ejus bonum inchoas prædicare, vellem ut et quo loco natus sit manifestares. Protinus egregius vir, consilio tuo aequiescens et ad superiora recurrens, rhetorice intulit et nimis parce: « *Natus in villa Centula provinciæ Pontivæ.* » Ac demum velut adhuc inquirenti an ipsa ejus nativitas humiliori parentum prosapia exstiterit, absurde interroganti cum exaggeratione indignationis intonat dicens: « *Velut lucifer inter umbras oriens emicuit.* » Tum vero tanquam adhuc insistenti, ne forte illa splendidissima nativitas, et generis claritudo sancti viri virtutibus obfuerit, ut quasi minus se humiliaverit qui tantum de sæculo C præsumere potuisset, doctor modestus ab hac te removens cogitatione, salubriter infert: *Non tam nobilibus juxta sæculum parentibus ortus, quam moribus honestus, et omni probitate devotissimus*, tanquam dicens: Adeo in illo viguit excellens nobilitas, ut qualis inter umbras lucifer, talis et ipse splendore generis inter patriotas haberetur. At ne putes quod tanta sanguinis natus altitudine, cœlestis militiæ difficilius arma corripuerit, scito illum contempto generis supercilio, tam humiliter ac summisse divinis paruisse mandatis, ut nobilitatis magnitudinem vicerit religionis magnitudo, et servata in omnibus dulcedine, totum vindicaret honestas, nihil possideret arrogantia. D

His ita existentibus, aliquid de ipsis vitæ ejus temporibus recenseamus; videtur enim absonum ut Dagoberti temporibus æstimetur esse ortus, cum ille gestorum ejus textus postquam dicit quomodo prædicatione servorum Dei conversus sit, et post conversionem qualiter conversatus sit, ac post abstinentissimam conversationem quo fervore verbum Dei annuntiaverit; utque sanctam commatrem suam Richtrudim visitans, filium ejus, sanctum scilicet Maurontum benedixerit, atque ad postremum tentantem se hostem prostraverit, evidenter doceat ipsum regem Dagobertum sancti fama excitatum, eumdem Dei virum visitasse, et benedictionis seu orationis gratiam flagitasse. Denique ipse, cujus modo mentio incidit, B. Maurontus in aula ejusdem regis militavit, et ut nobilis regiæ bullæ, vel sigilli bajulus [fuit], quem videlicet Christi sacerdos Richarius dudum infantulum baptismate regeneraverat. Omnino igitur hæc gestorum tenenda est discretio, ut juvenem hunc sancta prædicatione converterit Chaydocus, sed Dei sacerdotem jam pene decrepitum invisit rex Dagobertus. Quæ omnia sic esse ipsorum gestorum evidens ratio manifestat, si tamen industria legentium sagaci discutiat intellectu. Hæc anticipando præmisimus, ut commendata temporum ratione cætera jam fidentius exsequamur; quæ tamen nos post venerabilis Albini facunda eloquia dicere præsumpsisse fraterna charitas benigne indulgeat.

Regio igitur hæc, quæ beati patroni protulit genituram, aquarum concursu hinc inde circumflita, nemoribus consita, pascuis pecorum habilissima, triticei graminis et cæterorum seminum fertilitate uberrima, mercium et vectigalium commeatibus quæstuosa, aeris temperie sanissima, omni commoditati corporeæ jocunditatis satis apta, viris præterea militia inclytis bellicosa valde et importuna, civitatibus licet careat, munitionem castris exceptis, oppida instar urbium retinet opulenta. Hujus ergo patriæ B. Richarius indigena, cum nobilitate splendidi generis moribus pollebat honestis; jam tunc futuræ sanctitatis gerens præsagia, demonstrabat in proposito laicali quod postea sanctorum operum exsecutio declaravit.

CAPUT VI.

De adventu et prædicatione sanctorum Hibernensium.

Eo tempore quo B. Richarii juventus insignissima, necdum sæculari schemate exuta, divinis jam Christo volente erat mandatis informanda, quo videlicet tempore Sigibertus rex cum regina Brunichilde, statuto apud Metensium urbem regni sui solio, orientalem Franciam gubernabat, contigit duos sacerdotes, sanctitate florentes et virtutum meritis fulgentes, de Hiberniæ partibus Pontivas pervenisse regiones. Prioris nomen Chaydocus; alterius nomen eo quod rictu linguæ barbaræ ineptum visum est, a prioribus mutatum vocatur, et scribitur Adrianus. Ipso autem tempore quo isti propria deserentes Christum secuti sunt, multorum sanctorum examina produxisse scitur Hibernia. Ex quibus beatus quoque Columbanus, homo Scotici generis, floruit, cujus laudabilis conversatio virtusque eximia totius Galliæ loca respersit. Fertur vero quod cum ipso illi quoque maria huc properando transmearunt. Quos ad nostra loca ferimus divertisse; unde et illa temporum ratio quam paulo superius notavimus, maxime confirmatur, quia cum notissimum sit omnibus B. Columbanum Sigiberti regis

(4) *Sanctitatis.* Hic etiam codicem Centul. sequimur; nam quod Acherius ediderat *senectutis*, non placet.

et Brunechildis conjugis ejus tempore Franciam advenisse, necessario creditur beatissimus Richarius superioris Clotharii regis temporibus natus fuisse, quem illi sancti viri diebus Sigiberti jam juvenem invenerunt; quem tamen sic juvenem dixerim, ut animi libertas et industriæ summa in illo vigens nihil admitteret juvenile. [Sed ad historiam veniatur.]

Sancti igitur Domini sacerdotes, in Centulo vico verbum Dei prædicare aggressi, ut milites optimi præliabantur bella Christi Domini nostri; sed agrestes populi, talia audire non assueti, nec ferentes quod in mente infecta nequitia diaboli rogabantur nova meditari, zelo accensi cum impetu iræ furorisque affectos contumelia ab his eos sedibus eliminare deliberant; nec quod a parte Oceani veri solis spicula Dominus eis mitteret perpendebant, quia forte adhuc salvi fieri digni non erant. Quod ubi bonæ spei Richarius adhuc laicus comperit, semetipsum pro servis Dei rebellanti plebi objicit, et ab ipsis ictibus violenter, ut fas erat, abstrahens nobilem, obsequiis intra domum inducit. Unde a sagaci lectore liquido potest comprehendi, neminem post regis dominium tunc in his partibus fuisse potentiorem, qui ad eruendos Dei servos tantam habuit auctoritatem. Illos itaque humane tractans obsecrat discumbere, mensam ponit, reficit eos, et reficitur ipse; nam inter carnalium epularum fercula devoti heroes spirituales non cessant rependere dapes. Nec mora: Richarius, propter quem revera lucrandum cœlestis Dominus suos huc direxerat ministros, compunctus in lacrymas resolvitur, et juxta quod Scriptura justum in principio sui dicit accusatorem, se errasse juvenili facilitate fatetur. Non, inquam, in petrosa, ubi aresceret, neque juxta viam, ubi conculcaretur, vel a volucribus comederetur, semen verbi Dei ceciderat, sed in tellurem optimam ab ipso vero agricola intus invisibiliter excultam, quæ postmodum, ut in sequentibus patebit, centuplicatis frugibus fecundata, innumeros copiosa fertilitate ditavit. Ab illo denique tempore habitum religionis sumens, in dies de virtute in virtutem scandere gestiebat. Jam dicti præterea viri Dei post emensum vitæ præsentis studium, immortalitatis adepti bravium, cœlicas sedes suo ingressu exhilarant, Centulensem Ecclesiam se coram modum (5) fundatam corporibus nobilitant, jam vero pene dirutam orationibus sustentant. Verumtamen, licet nos jam eorum transitum explicuerimus, noverit lector eos, usque dum senescerent, in divinis operibus Centulo deguisse.

CAPUT VII.

De austeritate vitæ sanctissimi Richarii.

Postpositis digressionibus, quia dictaminis tenorem narratio exigit, jam loquatur pagina qualiter S. Richarius deinceps vixerit. At qui divino Spiritu tactus repente mutatur ex omnibus, abnegat semetipsum qualis ante fuerat, subito efficitur quod non erat. Mira dicturus sum, et quæ carnalis homo tolerare vix posset, nisi in eo vere Deus habitaret. tanta quippe austeritate vim sibimetipsi irrogavit, et tam dura se castigatione constrinxit, ut quæcunque ad humani corporis esum solent esse delectabilia, omnimodis spreverit. Ab ipso enim conversionis suæ principio ad vitæ usque occasum non panem tritici, non levamen olei, non esum leguminis, non dico carnium vel piscis, sed nec vini, sive alterius confectæ potionis gustum unquam admisit; sed quia carnis materies absque esca subsistere nequit, post longa et diuturna jejunia pane hordeaceo cinere commisto et aqua lacrymis temperata fessum jejuniis corpusculum refocillabat. Nam ut graviorem sibi imponeret jejuniorum attritionem, non est contentus hordeo simplici (quod nimium asperrimi constat esse saporis), sed quia cinerem se protoplasti peccato cognoverat, hordeo cineres admiscebat. Nec pura aqua ad sorbendum ei fuit habilis, nisi ante eam lacrymis augmentasset uberrimis; juges vigilias ora pallida demonstrabant. Fidenter loquar eum persecutionis tempore Neroniana vel Trajana pro fide Christi non refugisse tormenta, qui tantæ attritioni se subdidit voluntarie: illorum siquidem, qui tunc temporis Christi nomen negare compellebantur, vix septimanæ spatium passio occupabat, imo vix triduo protelabatur; hic autem per prolixum vitæ spatium longum tulit martyrium. [Et si quisque fidelis rei meritum digne dijudicet, non minus erit, Dei amore carnem assidua mactatione contrivisse, quam pro fide gladiis infidelium objecisse.

CAPUT VIII.

De ordinatione ejus.

His itaque virtutum incrementis succrescens, et venerabile corpus suum hostiam viventem, sanctam, Deo placentem exhibens, dignus digno ministerio mancipatur, et apostolicæ prædicationis exsecutor, ac secretorum divinorum conscius et sacerdos efficitur, ut qui se totum sanctis actibus Christo immaculatum exhibuerat, ipse quoque immaculatum Christi corpus intemeratis manibus tractaret, et ut cui prædicationis devotio inerat honoris dignitas non deesset. Quem honorem famulus Dei magna humilitate ornavit, et vera charitate excoluit, et verbi Dei prædicatione ampliavit, atque velut bonus agricola spinas peccatorum de agro Domini evangelico vomere eradicavit, et arida corda superno perpetuæ salutis rore irrigavit. Sed et divina clementia per ejus prædicationem in populo Pontivorum plurima fidei dedit incrementa. Unde et omnibus prædictus vir Dei Richarius honorabilis factus est et charus, quia quod ore prædicavit exemplo ostendit, et viam vitæ quam aliis sermone monstravit ipse prior actu præcucurrit. Quidquid vero ei populus in stipendia prædicationis obtulit, omnia pauperibus dividere

(5) *Se coram modum.* Inepta lectio, quam repræsentat codex Centul.; nam hoc loco lacuna est in priori editione: Lege *sua cura modo*.

festinavit. Indignum fuit ei de crastino præsentis vitæ cogitare qui divitias æternæ vitæ accipere anhelavit: ideo oblata ab hominibus distribuit, ut promissa a Deo acciperet. Felix commercium, ut qui parva ac transitoria hilariter distribuerat, magna et æterna feliciter esset accepturus. Nam studiosissimus fuit pauperum consolator, peregrinorum susceptor, viduarum defensor, pupillorum et orphanorum pater, ita ut verissime de eo sanctissimi Job testimonium dici possit: *Oculus fui cæco, et pes claudo, pater orphano; et causam quam nesciebam diligentissime perscrutabar* (*Job* XXIX). Quapropter undique infirmi ad eum confluebant. Quos læto suscipiens animo, medelam eis curationis per sanctas orationes præbebat; nam et cæcis facto crucis signo dicto citius lumen oculorum donabat, et paralyticos virtute precum et manus impositione erigebat. Dæmonia de obsessis corporibus nunc prece ad Deum fusa, nunc solo imperio ejiciebat; persæpe vero sola sua præsentia fugavit.

CAPUT IX.

De miraculo leprosorum.

Nec leprosos vel elephanticos exhorruit, sed quasi fratres amplexabatur, balneisque eorum membra saucia fovebat, eademque post ipsos ingrediebatur. Unde et pro tam inaudita humilitate, pietateque ineffabili contingebat magnum et inauditum miraculum, quia cum tantum se humiliaret, ut aquis veneni tabo infectis proprium corpus dilueret, non solum ipse malum in se non trahebat, sed et ipsi leprosi qui dudum loti fuerant, divina manu medente et sancti merito exigente, omni malo statim emundabantur. Prophetici sermonis nec surdus auditor fuit: *Egenos vagosque introduc in domum tuam, et nudum vestimentis tuis cooperi, et carnem tuam ne despexeris* (*Isai.* LVIII). Nec solum carnali refectione ad se venientes fovebat, sed etiam spiritali solatio sanctæ prædicationis reficere non cessavit. Et sicut miserorum idoneus ubique fuit consolator, ita superborum durus castigator esse non timuit. Hos pietatis clementia elevabat; illos severæ invectionis censura deprimebat. Nec terrenæ potestatis iram foris metuebat quem timor interius divinæ potentiæ totum corroborabat; parvipendens divitum minas, ut præco veritatis existeret. Nec fuit arundo vento agitata, ut eum aura humanæ laudis vel detractionis commoveret, sed in arce solidæ veritatis consistens, ab humano ore, secundum Apostolum, judicari contempsit (*I Cor.* IV). Viam regiam incedens, nec a dextris propter terrores potentium, nec a sinistris propter blanditias adulantium declinavit. Quapropter magnam plebem Domino Deo suo in hac Pontiva provincia acquisivit, et sibi honorem perpetuum promeruit.

CAPUT X.

De miseratione ejus erga captivos: et quod Britanniam petierit.

Unde populus, cernens ejus religiosam in Christo devotionem, cœpit eum attentius honorare, et multa ei pro eleemosynarum largitione afferre, quæ ille, ut erat Dei et proximorum dilectione plenus, omnia in pauperum largitus est solatia, maximeque in captivorum expendit redemptionem; nam alios occultis diabolica fraude peccatorum vinculis obligatos per sedulæ prædicationis hortamenta solvebat, alios sæculari captivitate oppressos per pecuniæ largitionem redemit, ut illi spiritualiter absoluti jucundarentur a Domino, et isti carnali servitute liberati converterentur ad Deum. Et non solum in his regionibus Galliarum per pietatis opera, vel per prædicationis lumina, prædictus vir Dei Richarius clarus effulsit, sed, ut lucifer, æquoreos oceani campos transiliens, præco diurni luminis nocturnas suo exortu discutit umbras. Sic ille in ultramarinas Britanniæ regiones ad expellendas ignorantiæ tenebras lumen veritatis suo sparsit adventu, scilicet ut sicut in istis regionibus, sic et in illis alios a servitute diabolica, alios a captivitate carnali liberaret. Illis verbum Dei infudit, istis charitatis pretium impendit, ut pro temporali redemptione æternam acciperent libertatem.

CAPUT XI.

De adventu ejus in Sigetrudem, et miraculo nivis.

Exstat igitur villa in pago Pontivo, Sigetrudis vocata, in qua sæpe dictus, imo semper dicendus venerabilis Pater Richarius consueverat mansionis habere hospitium, cum æquoreos Oceani transfretare campos studeret, partim salutiferæ incumbens prædicationi regionis Britannicæ, partim etiam captivorum studens redemptioni. Erat autem ipsius villæ domina, nomine Sigetrudis, a qua videlicet ipsum prædium nomen accepit. Verum quid factum sit cum ad hanc beatus Domini confessor quadam vice venisset, calamus perstringat. Contigit hiemali tempore de Britannia redeuntem sanctum illo Ricarium advenitasse, eumque ibi positum cum his quos redemptos deducebat, nox illa oppressit. A senatrice igitur jam dicta se suosque beatus hospitio recipi poposcit. Cui illa hanc munificentiam omnino denegavit, necdum quippe plene sciens cujus virtutis vel meriti esset, et ut fertur, quodam sinistro rumore acta, ejus precata facile contempsit. Igitur vir Dei cum domicilium sibi quemquam nolle impertiri pervidisset, eumque aliorsum progredi hora ipsa vetaret, cum redemptis suis, quorum tum ingentem turmam secum habebat, ejusdem vici situm peragravit, invenitque fossatum magnum, in quo homines non pauci poterant clanculo congregari. In hoc itaque cum suis secessit, totiusque noctis spatium inibi peregit. Sed quid Deo sapientius? ad hoc certe mulier non est permissa ei præbere unius noctis hospitium, ut divina operatio acciperet locum, cognitoque quanti apud Deum esset meriti, non solum domum, sed et omne ei contraderet prædium. Nocte igitur eadem cum sanctus suique in fossato cubitarent, tantam e nubibus contigit defluere nivium magnitudinem, ut omnis patria vix ferre quiverit illius densitatem. Operta omnia et in subitum cando-

rem universa mutata sunt. Solum illud fossati spatium, quo sanctus cum suis tenebatur, nix non invasit, et quæ vel gestu ventorum, vel sua subtilitate etiam interna tectorum penetrabat, ab ejus injuria sese continuit qui, hominum carens domicilio, superna protectione tegebatur. Mane facto, habitatores loci exsurgunt, et vel sibi vel pecoribus suis per medias nives viam secare coguntur. Sole lucente, dum omnia pervidentur, invenitur sanctus Pater Richarius aquis nivium remansisse intactus. Quo facto omnes obstupescunt, admirantur, et vere hunc, qui taliter sit defensus, Dei cultorem et amicum prædicant. Hanc sancti viri erga Deum possibilitatem, ut illa nobilis femina aure cordis percepit, hospitium se negasse nimium pertremuit, et in tanto charitatis glutino deinceps eum dilexit, ut ipsam ei villam perpetuo traderet habendam. Vere mirabilis Deus in sanctis suis, vere fidelis in promissis, ipse fidelem famulum humano semel auxilio destitutum non deseruit, sed ubi ad horam non permisit habere mansionem, fecit percipere ex toto hæreditatem!

CAPUT XII

De fonte per orationem ejus inibi producto.

Dum itaque B. Richarius pro cœlestis patriæ palma militarem adhuc duceret vitam in terris, in prædicto prædio hospitium sæpe habebat apud memoratam Dei ancillam, cum scilicet Britanniam pergeret, vel inde ad propria repedaret. Quæ cum in magna familiaritate apud eum haberetur, utpote cujus vitam in Dei opere conspiciebat assiduam, petiit eum, ut suis sacris precibus apud Omnipotentis clementiam obtineret, quatenus ditari mereretur in aquæ largitione (erat enim ibi valde necessaria). Qua prece ejus coactus oravit. Post orationem autem suum in terram baculum fixit; atque mox fons erupit, qui usque in præsens ibi perdurat; illud exhibens ad quod orationibus servi Dei primitus enituit, qui cum nulla siccitate unquam fluere desinat, nunquam tamen ejusdem vici rura transgreditur, sed hic nascens, post parcum cursum illic deficiens annullatur. Multa de fonte et de villa dici poterant; sed ea omittimus, ut ad alia citius expediamur.

CAPUT XIII.

De prophetia ejus.

Sed inter tot et tanta miracula, quæ per suum hominem Christus Dominus efficiebat, etiam Spiritus sancti, qui vere est omnium artifex, omnia proscipiens, tanta eum supplevit gratia, ut non sola signa sanitatum, sed et denuntiationes rerum futurarum efficaciter consequeretur, quod in sequenti liquebit exemplo. Cum causa prædicationis in Britannia diutius moraretur, subito, sancti Spiritus afflatu, venit illi in mentem aliquos sui juris sub servitute reliquisse in Gallia. Quo dolore perculsus dixit ad suos: *Heu! nostros sub servitute dimisimus in patria, dum huc alios liberare venimus, maxime quia scio cito eos esse morituros; sed ite festinanter, navem conscendite, et eos facite ingenuos, prius-*
A *quam moriantur.* Illi haud segniter præceptum secuti paternum, patriam venerunt, prædictos servos viri Dei sanos et incolumes invenerunt, eosque veluti jussi sunt, manu mittentes fecerunt ingenuos. Qui non post multum temporis, sicut vir sanctus prædixerat, defuncti sunt. O quanta clementia est Dei Christi, qui famulo suo pietatis affectum inseruit, et futuram servorum ejus mortem ostendit, quatenus illi misericordiæ merces de suis non perisset, et illos morientes servitutis jugum non gravasset! Ex eo tempore neminem sui juris sub servitutis jugo retinere voluit, sed omnes ubique ad se pertinentes libertate propria perdonavit, ne in proprios durior forte videretur, qui in alienos mitissimus apparere gestiebat, ut mercedem quam ex
B aliis congregavit de suis accumularet.

CAPUT XIV.

De constructione Centulensis monasterii.

Postquam, fugatis ignorantiæ ac errorum tenebris, multas Dei famulus Richarius Christi nomine repleverat regiones, et paganos conversos innumeros sancta fide, plerosque autem monastica religione instruxerat, post locatas ecclesias, et clericos delegatos, cum sentiret se non posse amplius prævalere ad circuitionem prædicationis, permaneret tamen in eo infatigata voluntas sanctæ exercitationis, solo nativo, et paternæ hæreditati, quam nostrates alodium vel patrimonium vocant, sese contulit, quod reliquum erat vitæ ibidem in Dei servitio
C transacturus. Hanc denique possessionem Christo secum dudum obtulerat, monasteriumque in paterno solo construxerat, ut ubi ipse fuerat mundo procreatus, ibi multos per Dei gratiam generaret, et in loco suæ nativitatis procrearentur filii supernæ hæreditatis. Qui locus, Deo conservante, clarus adhuc in villa Centula permanet, et Christo Domino famulantium hactenus turbam retentat. Igitur cum hoc perfecisset, prout sanctissimæ ejus voluntati complacuit, quæ non amplitudinem ædificiorum, aut venustatem tectorum, sed salutem animarum, et sanctitatem quærebat morum honestorum, ex provincialibus aliquos, et ex his quos redemptos fecerat liberos, qui scilicet sanctitatem ejus certius æmulabantur, inibi fratres collocavit. Quorum vi-
D tas discutiens moresque corripiens, de imis ad alta, de terrenis ad cœlestia, plus exemplo quam verbo tendere perdocebat, præsidendo eis jure abbatis. Multi quoque nobilium Franciscorum, ejus adhærentes bonitati, semitas vitæ jugiter carpebant; ipse vero, discipulorum mentes cœlestibus intentas et mundo superiores esse perpendens, gaudebat, et seipsum ad altiora extendens inhianter dicebat: *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum: quando veniam et apparebo ante faciem Dei?* (*Psal.* XLI.) Et iterum: *Ego autem cum justitia apparebo conspectui tuo, satiabor dum apparuerit gloria tua* (*Psal.* XVI). Sancto enim se semper Spiritu illustrante et gratia Christi cooperante, tanto se ardentius servituti Dei subegit, quanto viciniorem sibi diem remuneratio-

nis esse præsensit; nam seipsum quotidianis jejuniis maceravit, mortificatione carnis constrinxit, vigiliis afflixit, orationibus munivit, charitate confirmavit, spe roboravit, fide armavit, nulli malum pro malo reddens, nullius adulator, neminem contempsit, ut viam veritatis prior ipse incederet quam cæteris prædicando monstraverat. Sic vir Dei, galea salutis indutus et gladio verbi Dei accinctus, et lorica justitiæ undique circumdatus, et scuto fidei armatus calceatusque in præparatione Evangelii pacis, processit in prœlium contra hostem antiquum, omnia tela ejus ignita fortissimo fidei umbone repellens, quotidianisque triumphis spolia multa victo hoste reportavit in Ecclesiam Christi, tam metuendus humani generis inimico, quam humano generi pernecessarius, utpote qui non suam tantum, sed multorum quæsivit salutem. Ideo justum est ut multorum ore in Christo laudetur, multorum per Christum redemptor. Tantus quippe illum ad colligendas Deo animas fervor accenderat, ut sic monasterio præesset quatenus per Ecclesias, per castra, per vicos, per singulorum quoque fidelium domos circumquaque discurreret, et corda audientium ad amorem patriæ cœlestis accenderet. [Cujus non tanti est miracula narrare quæ ab eo gesta sunt, quanti miraculosam cognoscere virtutem, quia cœlesti Regi in diebus suis multum acquisivit populum. Nam officium prædicationis omni signorum ostensione majus esse non dubium est, licet non defuerit pro temporum opportunitate vel rerum convenientia signorum perpetratio, quæ per eum divina peregit clementia.]

CAPUT XV.

De sancta Hrictrude commatre ejus.

Quædam illustris matrona, nomine Hrictrudis, nunc cœlesti sede beata, aliquando sancto abbati suum destinaverat filium, nomine Mauronlum, quem ipse sanctus baptismatis unda diluens Christi cauterio notavit. At cum puer idem jam renatus matri esset redditus, maligni spiritus tentatio accidit viro Dei tali occasione. Visitavit enim equitando jam dictam Deo devotam feminam Hrictrudem, et jam, post dulces vitæ cœlestis epulas et post colloquia salubria, ipse vir Dei, cum, ascenso equo, ad propria remeare disposuisset, matrona prædicta, juxta morem, equitantis vestigia pariter secuta est, habens in ulnis filiolum suum, ut parvulus quoque benedictione hominis Dei roboraretur, quem ipse, ut paulo ante insinuatum est, sacro baptismate Deo regeneravit. Acceptoque infante, eques venerandus, seu ad benedicendum, seu ad deosculandum, antiquus hostis omnibus bonis inimicus, qui et sanctæ viri gloriæ ac virtuti, et sanctæ illius pueri religiositati futuræ invidebat, immisit equo ferocitatem, qui huc illucque dentibus frendens, pedibus calcitrans et toto corpore insaniens, inconsueto impetu per campum discurrere cœpit. Quod pavida cernens

A mater oculos avertit, ne morientem filium videret, quem servus Dei, sæviente equo, manu tenebat. Familia vero pro morte pueri, vel casu viri Dei, strepere, plangere, ejulare non destitit; sed dextera Christi, quæ Petrum trepidantem levavit, ne mergeretur in undis, puerum cadentem sublevavit, ne allideretur in terris; nam oratione a famulo Dei facta, puer incolumis quasi avicula pervenit ad terram, et equus redditus est mansuetudini suæ, et mater quidem filium suum e terra sanum et ridentem suscepit in ulnas. Ipse tamen sacerdos Dei non equo iter agere, sed asello mansuetissimo ex eo tempore voluit, nempe memor Dominum Christum, dum ad redemptionem properaret humani generis, asello iter egisse, non equo. Sic ipse deinceps cum

B propter salutiferam prædicationem per multa quotidie festinaret loca, asellum sibi portitorem sufficere judicavit. Sic, Deo miserante, tentatio maligni hostis illi versa est in laudis honorem, et superbia equi ei facta est humilitatis magistra.

CAPUT XVI.

De cæco illuminato.

Alteiæ littori aquam transire volens quodam tempore, Kymbæ adventum opperiens insidebat, cum ecce Pontivensis indigena, homo cæcus, qui tanto cum reliquis contribulibus patrono gloriabatur, inibi illum morari comperiens, alienis obtutibus deductus occurrit, et charissimum Patrem patriæque Dominum infinitis clamoribus exaggerans, lumen poprium sibi donari poscebat. Cujus neces-

C sitati vir sanctus misericordissimo, ut semper fuit, corde compatiens, eum ad se propius accivit. Quo applicato digitos labris sacratissimis apposuit, indeque tollens salivam orbati oculos lenivit, statimque Dominicum exemplum virtus eadem prosecuta, diu obscuratum luminatum reddidit; quo loco villa et Ecclesia permanet, quæ ob ejus amorem domnus Richarius dicitur. Nulla autem unquam antiquitas abolere potuit ab ore posterorum quin quotidie referant patriotæ nostrates, inter alia magna miracula, quod cum isdem beatissimus pastor in locis Britanniæ captivorum studeret redemptioni, si quando accidisset tardius haberi vehiculum, quo in redeundo transmeandus esset Alteiæ vel Quantiæ fluvius, absque aliquo humanæ opis adminiculo

D eumdem pedibus non humectis transisset. [*Contigit* aliquando ut rediens de *Brittannia* D. *Richarius* ingentem redemptorum deduceret *multitudinem*, cum subito respectans post tergum *vidit turbas* hominum perversorum his quos *deduxerat* mala inferre volentium, plusque illis *metuens* quam sibi, invocat Divinitatem ut *e* manibus persequentium eruatur. *Cujus* preci superna virtus vicina *citissime adfuit, et* transposuit cum cum suis ultra fluvium *Alteiam ad* sylvam quæ proxima erat. Sicque persecutoribus frustratis locus ille ubi *resedit* Moxultrum (6) nomen accepit; *quia* scilicet virtute

(6) *Moxultrum*. Totum hoc quod uncis inclusum est, per se quidem lector intelligit adjectum esse e codice Centul. verum id eum moneri necessarium est quod Italicis litteris editum est, a nobis ex con-

quæ illum... fusam mox ultra transtulerat.] Verum nos non omnes fidelium relatus eloquiis sancti Dei virtutes referre suscepimus. Proinde ad certiora veniamus, quæ sagax priscorum industria altiori consilio imitanda vitæ ejus libello inseruit; quocunque enim iter agebat, aut psalmi ex ore ejus resonabant, aut salutis prædicatio audiebatur. Nec mirum si Christum semper prædicaret in lingua, quem semper gerebat in corde, per quem pius consolator miseris fuit, et durus invector potentibus, illorum inopiam clementi miseratione relevans, istorum superbiam severa castigatione reprimens.

CAPUT XVII.

De adventu regis Dagoberti ad eum.

Tantorum igitur bonorum fama non latuit, sed, Deo volente, qui glorificantes se glorificat, cunctas partes finitimas sanctitatis ejus odor bonus respersit in tantum ut ipsos optimates regni et proceres non lateret, regem quoque ipsum Dagobertum ad visendum eum mira opinio provocaret. Nam quodam tempore ipse rex potentissimus Dagobertus, rogante viro illustri Gislemaro, Pontivas devenit in partes virum Dei visitare, et ut seipsum sacrosanctis ejus orationibus commendaret; quem ipse famulus Dei utrumque et sanctitatis suæ benedictione roboravit, et sacerdotali auctoritate libera voce castigavit, denuntians ei ne in sæculari superbiret potentia, ne in fugitivis speraret divitiis, ne variis adulantium extolleretur rumoribus, ne caducis gauderet honoribus, sed magis Dei timeret potentiam, et immensam illius laudaret gloriam; humanam potentiam vel gloriam nullam putaret, quæ subito velut volatilis umbra recedit, et velut spuma super aquam, vento tentationis flante, evanescit, et hoc magis timendo cogitaret : quia *potentes potenter tormenta patientur* (*Sap.* VI), et : *Cui plus datur, plus exigitur ab eo* (*Luc.* XII). Et qui vix sufficit pro se solo rationem reddere Deo in die judicii, quomodo supportare poterit rationem reddere pro tantis millibus populi sibi commissi? Idcirco quisque magis timere potest præesse quam subesse; quia qui subest, pro se solo rationem reddet Deo; qui autem præest, pro omnibus erit redditurus qui sub ejus sunt potestate constituti. Qua castigatione rex, ut fuit sapiens, benigne suscepta, congaudensque ejus libera veritatis fiducia, sacerdotem Christi secum ad convivia venire rogavit. Qui Christi confortatus exemplo sæcularium non respuens convivia ut prædicationis nancisceretur occasionem, venit cum rege ad mensam, totaque die illa et nocte inter epulas lætitiæ verbi Dei dapes salutiferas convivis suis ministravit. Cujus constantia morum, et instantia prædicationis præfatus rex delectatus, cœpit eum animo amare, et honore prosequi in tantum, ut ea ipsa die aliquid de censu suo ad luminaria

A domus Dei et condonaret. [Ratum æstimans (7) ut sicut ipse prædicationis lumine ab eo illuminatus fuerat, sic visibili luce per eum domus Domini illustraretur; et quod intus eiulgebat in fide, fulgesceret in Ecclesia. Memor præcepti quo dicitur : *Sic luceat lux vestra coram hominibus* (*Matth.* V). Item in Psalmo : In lumine *tuo videbimus lumen*, id est in lumine fidei, quod fulget... foras quod splendescit.] Delegavit autem ei, prius facinorum suorum confessione præmissa et absolutione percepta, territorium quoddam in pago Pontivo, quod dicitur Campania, ubi habentur villæ tres, ex ea die sancto viro, et post ejus transitum Centulo cœnobio hodieque servientes : quarum prima vocatur Altvillaris, secunda Rebellismons; tertia Valerias.

B

CAPUT XVIII.

De ordinatione Ocioaldi abbatis et ut sanctus eremum petierit.

Exinde famulus Dei, quia ab hominibus venerabatur, homines fugere meditabatur, ut honores temporales declinando, honores acciperet perpetuos. Exemplum nempe regium quarumcunque dignitatum principes imitantes, sancti viri benedictionibus certatim perfrui constudebant. Quod ipse cœlestibus jamjam inseri cupiens, sat moleste ferens ne tantis honoratorum virorum obsequiis ulterius ambiretur, eremum cupivit, quatenus soli Deo liberius vacaret, et contemplativos carperet fructus, qui in actualibus
C haud segniter desudabat. Verum quia ecclesia in Centulo exstructa absque abbate nec debebat esse nec poterat, hoc officio sese exonerans, unum e discipulis perfectæ ac probatæ sanctitatis, nomine Ocioaldum, jam dicto cœnobio præfecit abbatem. Quo rite pacto [scilicet *recolens a* Domino dictum de Maria sedente ad (8) pedes ejus, *ac* verbum vitæ intentius audiente : *Optimam partem elegit sibi Maria, quæ non auferetur ab ea* (*Luc.* X), hujus memor sententiæ] divinis sese ex integro contulit theoriis, eremiticam petiit vitam, qua secretius sola cœlestia mente rimaretur et totum se in Deo sanctificaret, a quo post modicum erat suscipiendus. Cui Giselmarus, vir illustris et Christianæ religionis devotus amator, simul et Mauronius sanctæ Hrictrudis fi-
D lius qui, ob insignem nobilitatem, apud regem Dagobertum plurimum poterat, et tunc terrarum vel silvarum ad regem pertinentium dispositor et custos habebatur, præbuerunt locum manendi in silva Chrisciacensi, in loco qui nunc Forestis-Cella dicitur, distans a Centula X passuum millibus, ubi videlicet per ante acta sæcula nemo habitaverat; in eodem vero loco sub honore nostræ dominæ sanctæ Mariæ Christo monasterium construere inchoavit. Scire autem volumus lectorem quod [is] ipse, de quo loquimur, Maurontus postea pompa

jectura esse descriptum, cum aliquot voces librarii cultro essent erasæ. Moxultrum, nunc *Maisoutre* ad ripam meridionalem Alteiæ.

(7) *Ratum æstimans.* In eodem cod. Centul. ex quo hæc exscripta sunt, legitur in ora libri : *Dagobertus iste regnavit annis* XVI.

(8) *Sedente ad.* In codice legebatur *sedis pedes*, perspicue male.

sæculari et habitu calcato monachus monachorumque Pater factus est, et nunc sanctæ vitæ merito cœlesti fungitur societate; nec enim cassari poterat illa sacrosancta magni Patris Richarii benedictio, qua fuerat dudum puer intercessione matris potitus.

CAPUT XIX.

Qua maceratione corpus proprium in eremo contriverit.

Magnus itaque confessor Dei et eximius Pater Richarius, cum solo commilitone, nomine Sygobardo apice nobilitatis fulgido, præfatam habitationem ingressus est, parvo tantum tuguriunculo vilissimo opere facto contentus, ut habitatio vitæ congrueret, superfluum æstimans sæculi contemptorem aliquid sæculi divitiarum videri habere. At inibi tanta se mortificatione carnis constrinxit, tanta jejuniorum B et vigiliarum assiduitate maceravit, ut vix ossa arescentia dissipatis juncturis adhærerent: et trementia baculo regente vestigia difficile movebat, ac mente sæculo major sola cœlestia semper cogitabat, quantumque mundo alienus, tantum Deo proximus, illum quotidie vincens in eremo, a quo Adam olim victus est in paradiso, super aspidem et basiliscum ambulans, caput quotidie antiqui conterebat serpentis, temporalia cuncta contemnens, æterna sola suspirans, atque per angustam viam quæ ducit ad vitam iter suum assiduis munivit orationibus. Nec clausa tamen eremi angustiis lucis columna latere potuit, quin magnis sui fulgoris radiis longe lateque innotuit. Quapropter undique ad hominem Dei cæci, C surdi, muti, claudi, leprosi, paralytici, seu cunctis infirmitatibus fatigati ibant, vel portabantur, quos sanctarum medicinis orationum sanabat, omnesque ad se quocunque morbo afflictos venientes, vel tristitiæ cujuslibet rancore angustiatos, sanos et hilares ad propria remeare faciebat. Nec mirum si Deo charus homo ab hominibus frequentabatur, cum ipsa quoque animalia omni ratione carentia ad obsequendum Dei servo promptissima forent. Denique si quando, quod infrequens erat, contigisset eum necessitati corporeæ quidpiam comedendo conquirere, (9) illæ aves, quarum multiplicitate nemora replebantur, ita intrepide ante illius ora descendebant, et genuculis ejus vel scapulis insidebant, ut non insensata animalia, sed tanquam filios affectuose pa- D tri inhærentes ipsa rei qualitate putares. Porrigebantur eis sancti viri manibus aliquæ micæ, et quæ pro sui duritia, vel austeritate hominum usui essent inhabiles, ipsis avibus nunc voce, nunc pennis adulantibus gratissimæ fieri videbantur. [Nec mihi singulas virtutum ejus species nominatim enarrare propositum est, sed vitæ sanctitatem paucis perstringere verbis, ne ineloquentiæ meæ tarditate multiplex signorum per eum gestorum fama magis obscuretur quam laudetur, doctioribus illa relinquens, quo fine præsens sæculum sancta illa anima deseruerit solum mihi dicere sufficiet.]

CAPUT XX.

De transitu ejus ad Christum.

Hactenus dum de sancti vita ageretur, se hilarem animus gestiebat, et quasi de vivente patrono gaudebat, cum quæ vivens fecisset narrabat, hactenus tanquam prosperis navigabamus ventis, et dilecti Patris gesta lectione placida percurrendo, quasi dulce nobis celeuma canere videbamur; at nunc anima quid eligis? conticesces, an justi mortem narrabis? sed ne dicas mortem quæ sancto fecit natalem. Nam quando mundo mortuus, tunc Christo est in cœlis vere natus. Miserum est loca mortis ultro amare, et post experta saltem pericula portum nolle videre. Simul et Patri congaudere debes, qui naufragio mundi salvatus, firma sede cum Christo vivens gaudet laureatus. Firma, inquam, quia cœlesti; firma, quia æterna; firma, quia nullis hostium incursibus auferenda. Cordis igitur dolore lacrymarum ubertate digesto Patris non mortem, sed transitum dicamus, qui idcirco vere beatus est, quia mundum contemnens hunc transitum semper ambivit. Sed jam frontem solvamus quo Patris gloria libere nuntietur.

Præsciens ergo diem advocationis suæ, qua felicitatem diu desideratam accepturus erat, et semper adjungi Deo quem semper amabat, vocavit ad se præfatum Sygobardum commilitonem suum, dicens: *Scio, fili mi, scio quod finis meus non tardat, et Regem meum quem diu cupivi, citius videbo. Et utinam tam propitium, mihi servo suo, quam desiderabilem sanctis suis. Sed tu, fili, præpara vasculum corpusculo meo quo condatur, non superfluo studio, sed necessario usu, ut illic servetur in illum diem, quo corruptela hæc vertatur in incorruptionem, et mortale hoc induatur immortalitatem. Et para te omni diligentia, fili, ut dum dies illa quæ mihi modo appropinquat, tibi quoque advenerit, paratum te inveniat. Ego vero vado viam totius mundi, tantum mihi misericors sit Salvator mundi, et me modo defendat ab hoste, qui me olim redemit ab hoste; et quem præsentis vitæ habui consolatorem, æternæ vitæ mihi inveniam largitorem.* Hæc discipulus a Patre audiens lacrymis perfusus, tandem [præcepta secutus, lignum inveniens fidit, cavavit et corpori Patris coaptavit, et fletu opus rigavit quod fecit; et pene prius lacrymis implens amaris, quam paternis membris: aptatumque, ut potuit, sarcophagum in loco a Patre præfinito composuit. Interim dum tristia Patri filius pararet obsequia, validior Patrem coquebat infirmitas, et in frigido corpusculo vix halitus remanserat extremus, nec tamen ab orationis cessavit officio, vel divinæ laudis obsequio. Et dum salutifero corporis Christi et sanguinis viatico suum iter muniisset, inter gratiarum actiones et verba orationis, VI Kalendas Maii spiritum emisit, positusque est in sepulcrum a discipulo, [in loco] ubi ipse præceperat.

(9) *Conquirere.* Sic edendum curavi ex conjectura; nam editum erat *concurrere*

CAPUT XXI.

De gloria ejus cœlitus Sygobardo ostensa.

Sed mirum dictu! inter exsequias paternas subito discipulus sopore oppressus vidit in visu quasi raptus esset in aulam splendidissimam, omnique decore pulcherrimam, imo solis luce clariorem, in qua B. Richarium præclaro et hilari vultu vidit habitantem, sibique dicentem: *Ecce, frater Sygobarde, qualem mansionem præparavit mihi Deus, pro vili quam habui in terra pulcherrimam in cœlo, pro contemptibili gloriosam, pro obscura lucidissimam, et pro fumosa omni suavitate renitentem.* (Enimvero, quod prætereundum non est, inter alia quæ in semet conficiebat tormenta, et hunc quoque sanctus Dei sibi ingerebat cruciatum: si aliquando algeret, abjiciebatur focus; si calentes auræ haberentur, ad hoc adhibebatur ut non calefaceret, sed viridi ligno instructus ut obtutus fumo repleret.) Expergiscens itaque discipulus lætior opus exsequiarum perfecit, Deo providente, ut filius consolaretur, et patris gloria monstraretur, conditusque est, ut prædixi, miles Christi ubi suo Regi maxime militarat.

CAPUT XXII.

De translatione corporis ejus in Centulam.

Beatus itaque Richarius, quia tum pro spectabilissimo genere, tum pro eximia sanctitate apud nostrates populos clarissimus habebatur, non diu est permissus eo loci quiescere, quo, propter iter infrequens et vitam remotiorem, seipsum retruserat. Jacuit tamen sancti corporis venerabilis gemma in ligneo illo sarcophago spatio quinque mensium et dierum duodecim, id est, a VI Kalendas Maii usque ad VII Idus Octobris: quo scilicet tempore fratres a Centulo monasterio, quod, ut supra dictum est, ipse sanctus ædificaverat, cum suo abbate Ocioaldo viro religioso sanctique successore venerunt, et dilecti Patris corpus venerandum levaverunt, ita ab omni tabo corruptionis liberum, sicut ab omni mundi amore cor possederat mundum. Cum reverentia ergo tanto confessori debita glebam, omni auro chariorem, devotissime humeris imponentes, præcedente et subsequente religiosorum et plebialium caterva, detulerunt Centulam, ut quæ sancti viri gaudebat genitura, ejus consequenter ornaretur sepultura. Sepultus est ergo Christi amicus et gloriosus confessor Richarius in ecclesia sua, quam sub honore nostræ dominæ sanctæ Dei matris Mariæ dudum ædificaverat, VII Idus Octobris: in quo loco a parte capitis ejus beati Petri apostolorum primatis nunc altare habetur. Ibique longo quievit tempore in alio tumulo, donec post 150, et eo amplius annos a sanctis viris qui huic nostro cœnobio præfuerunt, et maxime a sanctæ recordationis Angilberto abbate omni venerabilitatis honorificentia excultum est. Quod quomodo sit completum, Deo auxiliante, alias expedietur. Ibi autem, Deo præstante qui suos fideles novit clarificare, nova sæpe noscuntur miracula facta, quæ omnipotentem Dominum duabus ex causis constat facere voluisse, ut scilicet fides precantium patefieret, et merita sui servi ostenderentur, quo in servo suo Christi semper laus celebretur, ut dictum est: *Laudate Dominum in sanctis ejus* (*Psal.* CL) [de quibus ea placet recordari quæ antiquorum industria, ut posteri scirent, Scripturæ mandavit].

CAPUT XXIII.

De miraculis ad sepulcrum ejus peractis.

[Quidam igitur contractus, corpore debilis, sed fide robustus frequentabat orando sancti Dei sepulcrum, qui optata subito sanitate recepta, dat gloriam Deo, quod infirmus venit et sanus recessit. In cujus miraculi memoria, multo tempore sustentacula infirmitatis illius in ecclesia S. Richarii pependerunt. Multoties autem arreptitii et dæmonis pleni cum propinquorum obsequio illuc deducti fuissent, divina concedente clementia, a vexatione maligni spiritus statim liberabantur. Quodam vero tempore vinculati et catenati quidam per publicam ducebantur stratam, quæ prope ecclesiam Beati Richarii jacet, qui dum eminus viri Dei viderunt templum, voce magna clamaverunt: *S. Richari, solve nos.* Et statim ruptis vinculis, absoluti sunt omnes. Item clades magna, quæ vocatur pamicula seu venenosa lacerta, percussit quemdam e fratribus monasterii S. Richarii, qui licet mortem timeret propter cladem, vitam tamen non desperavit propter patronum. Ad sepulcrum ergo servi Dei quasi ad certa suffragia, cucurrit cum fratribus reliquis, ibique oratione facta, et ipse continuo salvatus est, et omnes de cætero defensi sunt a plaga.]

MYCON DIACONUS ET MONACHUS.

Annua festivitas hodie celebratur honore
Almi Richarii, qui colit astra poli.
Hic inopem Christi duxit pro nomine vitam,
Ut cœlo socius fieret angelicus,
Captivorum etenim studuit fore satque redemptor,
Tutor egenorum atque pater inopum.
Non opus est, fateor, neque possum stringere cuncta
Vivens quæ gessit, quanta etiam docuit.
Qualis enim quantusque fuit, miracula pandunt
Illius in sacro sæpe peracta loco.
Finibus in propriis ortus quibus ipse quiescit,
Cujus pro meritis stat locus incolumis.
Ipsius obtentu, necnon Christoque favente,
Sistimus illæsi denique nos famuli.
Quapropter hodie Christo jubilemus ovantes
Laudes, pro sancti Richarii meritis.
Ut cunctis nostræ placeant præsentibus odæ
Nec minus et Domino, hoc igitur moneo.
Atque pium puro poscamus corde patronum,
Ut noster cuspis sit, simul et clypeus,
Quatenus armati precibus superare queamus
Infestos nimium catholicæ Ecclesiæ.
Hoc mundi facias Rector, quia hoc tibi posse est,
Sit tantum velle, poscimus, o Domine.
Et tibi festa dies, præceptor, læta per annos,
En numero pauci versiculi hoc rogitant.

CAPUT XXIV.

De successionibus regum Francorum.

Quoniam quidem in initio hujus operis de gestis Francorum aliquid memoratum est, necesse remur, ac perpulchrum est ut quidpiam iterum de eisdem referamus. Dagobertus igitur postquam post patris obitum regnum ex integro adeptus est, paucis annis vixisse deprehenditur: qui cum haberet duos filios, Sigibertum et Clodoveum, Sigibertum cum Pipino duce Austrasiis regnaturum direxit; Clodoveum vero secum retinuit, qui post eum regnum Francorum suscepit. Hic Clodoveus sumpsit in conjugium sapientem et valde decoram puellam Baldetildem, ex qua Clotarium et Hildericum atque Theodericum filios suscepit. Quo etiam regnante, Pipinus, dux Austrasiorum mortuus est, atque Grimoaldus, ipsius ducis filius, major et dux, a Sigiberto rege constituitur. Sigibertus, quoque mortuus, reliquit filium hæredem, nomine Dagobertum, quem Grimoaldus totondit, et per Didonem, Pictavorum profanatorem, non dico episcopum, in exsilium misit, filiumque suum regem substituit. Quod cum Franci resciissent, indigne tulerunt, et per insidias Grimoaldum capientes, regi Francorum Clodoveo miserunt, quem ille pro merito tractans, in carcere [apud] Parisius trusit, ac demum digna morte multavit. Tunc Hildericus, ipsius Clodovei filius, Austrasiorum regnum accepit, et honestissime rexit. Postquam autem e vita decessit Clodoveus, filius magni Dagoberti, Clotharius fastigium adeptus est regni, rexitque populum occidentalium Francorum annis 14, Ebroino ducatum et palatii negotia exsequente. Clothario vero defuncto, Hildericus germanus ejus, in toto regno sublimatus est, procurante id ipsum Leodigario, Augustodunensium episcopo, qui tunc temporis inter regni magnates egregius animi industria, vitæque merito habebatur. Ebroinus autem, qui major domus fuerat, Theodericum fratrem Hilderici cupiebat fieri regem. Sed quia pro sua feritate oderant illum Franci, consilium ejus omnino renuerunt, et ille videns se destitutum consiliumque suum irritum factum, postulavit a rege ut relictis omnibus monachus fieri permitteretur. Cui cum Hildericus annuisset, illico Luxovium perrexit, et mentita devotione ad hoc aliquandiu ibi ceu monachus deguit, ut liberius tractaret quid contra illos quandoque facere posset qui in constituendo rege suam refutaverant electionem. Rex igitur Hildericus confirmatus in regno, quotquot tyrannorum statuta adversum priscorum regum leges invenit, destruxit, et in pristinum rectitudinis statum quæ inepte fuerant decreta reduxit. Theodoricum quoque germanum suum cuidam Dei servo erudiendum ac nutriendum commendavit. Cumque probissime monarchiam disponeret, temere ab insidiatoribus interimitur, cum nonnisi tribus annis regno potitus fuisset; sed et venerabilis genitrix ejus, in omni sanctitate et studio virtutum perfecta, post temporalis regni honorem, quem ipsa relinquens monasticæ religionis habitum susceperat, A æterni gloriam suscepit VIII Kalend. Februarii, feliciter migrans e sæculo. Theodoricus igitur, matris Baldetildi superstes, regni suscepit gubernacula. Quod cum audisset ille verus simulator et falsus monachus, nequissimus scilicet Ebroinus, monasterium deseruit, habitum abjecit, et ab eodem rege major domus regiæ restitutus, multa mala his qui dudum suo consilio in eligendo rege restiterant, inflixit. Inter omnia autem suæ sævissimæ crudelitatis nefanda opera, illud detestabilissimum comprobatur, quod reverendissimum pontificem Leodegarium tantis injuriis tamque multiformibus affecit suppliciis, ut in ipsa pœnarum argumentatione paganorum quondam principum sævitiam æquiparasse aut etiam superavisse jure dicatur. Hi ergo fuerunt reges, qui ex B quo cœpit regnum Francorum, usque ad hoc tempus habiti sunt: Meroveus, Childericus, Hludogvicus, Clotarius, Aripertus, Guntrannus, Chilpericus, Sigibertus, Clotarius, Hildebertus, Theodoricus, Theodebertus, Sigibertus, Dagobertus, Sigibertus, Clodoveus, Dagobertus, Clotarius, Hildericus atque Theodoricus.

CAPUT XXV.

De abbate Ocioaldo, et aliis quatuor abbatibus.

At nunc illud poni decet quod, decedente sanctissimo abbate Richario, Ocioaldus, vir honestus, Centulensi cœnobio præfuerit, quem, ut supra comprehensum est, sanctus ipse tali officio decorarat. Hic consummato sanctæ vitæ cursu fideli, bravium C a Christo accepit gloriæ immortalis. Postquam vero debito nostræ mortalitatis absolutus est, lucidum nobis non est, quem statim ministerii habuerit successorem. Exstiterunt sane et alii non ignobiles viri hujus nostri cœnobii abbates, quorum gesta licet sint occultata hominibus, eorum tamen vitæ merita apud Deum magna fore creduntur: inter quos floruit vir venerabilis vitæ et summæ simplicitatis abbas Coschinus, quem ferunt ex discipulis sancti Filiberti fuisse, et ob morum probitatem scientiæque ubertatem Gemmeticensi monasterio præfuisse. Si quidem cum sacratissimus Pater noster Richarius, superato in hujus vitæ procinctu sæculo, jam emeritus miles et morti proximus haberetur, B. Filibertus juveniles annos in Dei servitio exercebat, con- D tinentissimæ servitutis tirocinium gerens in Resbacensi cœnobio sub sancto abbate Agilo. Unde et contigisse fertur, ut ab eo jam sene Gemmeticense cœnobium fundante, iste Coschinus divinis institutis fuerit eruditus, et merito vitæ post alios quosdam ipsi monasterio præfuerit. Sicque factum est, ut dum illuc monachos verbis et rectorum operum exemplis opimat, nostrates eum monachi sibi abbatem præfecerint, non quia inter eos defecisset, qui hoc opus digne exsequi posset, sed quia charitas summa et humilitatis altitudo ad hoc eos compulerit. Eo enim tempore jam omnes e sæculo migraverant qui sanctissimum Patrem Richarium videre potuerant; et ob hoc hujus loci Fratres magno penes eum ducti sunt amore, quia videlicet suis oculis vi-

derat B. Filibertum, beatissimi Richarii ferventissimum, ut dicebant, dilectorem. Iste itaque cum jam, ut diximus, Gemmeticum cœnobium regeret, nostro quoque cœnobio fraterna electione prælatus est. Hic ad incitamentum virtutis, et ad exemplum ædificationis animarum sibi commissarum, B. Filiberti vitam describi jussit, vero quidem sed non valde culto sermone, quippe qui sic loqui gestiebat, ut et simpliciores ex lectione admodum plana fructum intelligentiæ capere possent. A tempore ergo hujus abbatis Centulense cœnobium et Gemegiense ita ad invicem ex multa charitate se complectuntur, ut præter quod locis dividebantur, summa dilectione viderentur uniri.

Tunc vere sancti et boni fideles non valde curabant scriptis quæ gerebantur committere, qui ad hoc solum contendebant, ut in libro vitæ mererentur adscribi. Unde et illius temporis abbates, ex toto prorsus ignorassemus, nisi venerabilis abbas Angelrannus ex aliquanto id procurasset. Qui dum priscorum abbatum catalogum perstringeret, ex iis unum fuisse insinuavit Guitmarum, quem et sanctissimum virum titulavit. Et quia tanti viri tale meruit testimonium, dignum est ut a nobis pusillis memoretur, qui viri vere sancti ore sanctissimus est notatus. Hic in Neustriæ solo humatus quiescit, et in suo nomine dicata ecclesia exstitit. Qui quantæ sanctitatis et justitiæ fuerit, nos quidem non occurrimus dicere, sed his qui ejus corpori sancto deserviunt canonicis prædicandum committimus. Hunc itaque in ordine nostræ descriptionis quartum abbatem ponimus.

Post istos reverendos abbates quinto loco dicitur Centulæ congregationem rexisse Aldricus, de cujus gestis apud nos nulla indicia visuntur, cum et ipsum ejus nomen ignorassemus, nisi hoc venerandi abbatis industria Angelranni revelasset.

Aldrico quoque de medio facto, Centulo monasterio præfuit Symphorianus, vir bonus, castus, Deum timens, segregans se a peccatoribus, et excelsior cœlo mentis puritate effectus.

Horum itaque tempore abbatum tam magna et tam frequentia apud tumulum sacratissimi corporis B. Richarii divinitus patrabantur magnalia, ut etiam rerum immensitas atque magnitudo illius temporis scriptoribus omnino abstulerit scriptitandi voluntatem, dum ea quæ quotidie cernebant superfluum æstimarent, vel tarditate ingenii, seu rerum inopia vetarentur describere, quæ nec memoria aboleri unquam posse putabant. Non solum autem in hoc, ubi corpore sanctus quiescebat, sed etiam in Foresti loco, ubi aliquandiu moratus fuerat, ingentia miracula sæpissime ostendebantur. Sciat vero legens hanc Forestensem cellulam a die sanctissimi obitus B. Richarii fuisse decenter a fratribus excultam, et qualem hic habuit locus, talem et ipsam cellam obtinuisse abbatem, utpote qui ab initio habuerant unum eumdemque sacratissimum fundatorem.

Postquam ergo B. Patris Richarii, qui nostræ fidei et religionis fundamentum exstitit, ex aliqua parte vitam digessimus, quam et huic quoque operi stabilimentum et decorem posuimus, habeant sibi nostra gymnasia hanc portionem pro libello, ut a locutione diu habita noster interim spiritus conticescens ex modica quiete validior ad dicendum reddatur. Nunc autem Deo Patri et Filio pro præstitis gratias exhibentes, et in dicendis sancti Spiritus gratiam expetentes, textulum finiamus, orantes ut in verbo et actu sanctæ Trinitatis virtute dirigamur, cujus nos confessio gloriosos faciat in sæcula sæculorum. Amen.

LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

De genealogia Francorum principum.

Superiori libello innotuit quanto et quali fundatore hoc monasterium Centulense originem vel initium sanctitatis acceperit, et qualiter ipse primus pastor noster vixerit in mundo, vel qualiter insertus sit cœlo, sicque seriatim ad sextum usque nostri loci abbatem noster sermo perductus est. Tandem igitur septimum designemus, cui jure septenarius numerus compensatur ob gratiam Spiritus sancti, cui is quem dicere habemus, habitatio exstitit gratiosa. Angilbertus hic est Deo et hominibus charus, genere splendidus, virtute præcipuus, regum et procerum alumnus, et nunc multo latius pro angelorum societate beatus. Sed quia nobilitatem nostri loci ex aliquanto perstringere proposuimus, quem nobilitatum jam ex primi fundatoris sanctitate signavimus, dignum est ejus viri nobilitatem a nobis pro posse explicari, cujus opere et industria idem locus noster magnifice meruit ampliari.

Anno igitur Incarnationis Dominicæ 754, cum Pipinus, cum filiis Karolo et Karlomanno, Francorum orbi imperaret, omnium bonorum laude semper attollendus, Angilbertus, indole suæ nobilitatis, jam dictos reges sic in sui amorem converterat, ut miro modo visceraliter illum diligerent, et verso modo reges quibus ab aliis placeri studetur, huic præ affectu dilectionis placere studerent. Inde autem hunc arbitramur honestari libellum, si et horum quoque regum genealogiam breviter annotemus. Quartus rex Francorum Clotarius, illius quem sanctus Remigius baptizavit Hludogvici filius, genuit filiam, nomine Blithildem, quam Ansbertus, vir senatoriæ dignitatis, meruit uxorem, ex qua genuit Arnoldum,

Feriolum ac Modericum, fratres. Arnoldus generavit Arnulfum, primo quidem sub Clothario Dagoberti patre palatii præfectum, postea autem Mettensis urbis episcopum. Arnulfus genuit Flodulfum, Ansegisum et Gualchisum B. Guandregisili genitorem. Ansegisus, post patrem major et præfectus, genuit Pipinum seniorem et ducem, qui et ipse genuit Karolum itidem seniorem et ducem. Ansegiso igitur filioque ejus Pipino humanam obeuntibus vitam, Karolus totius gentis Francorum magistratum, quanquam post multa bella et certamina, de manu Rainfridi tyranni abstulit, suæque ditioni subegit. Denique rebus bellicis operosissime insistens, tyrannos per totam Franciam, sibi dominatum vindicantes, oppressit, ob eamque rem, plurima juri ecclesiastico detrahens, prædia fisco sociavit, ac deinde militibus propriis dispertivit. Præterea Saracenos Galliam occupare tentantes duobus permagnis prœliis, uno in Aquitania apud Pictavum, altero vero apud Narbonam juxta Birram flumen, ita devicit ut in Hispanias redire compulerit. Itaque cum adversantibus nullatenus cedere sciret nullique parcere, durum a posteris Tudites agnomen adeptus est. Tudites enim mallei dicuntur fabrorum, quorum ictibus cuncta atteritur durities. Pepigit hic fœdus cum Leutbrando, rege Langobardorum, eique filium suum Pipinum misit, ut, more fidelium Christianorum, ejus capillum primus attonderet, ac pater illi spiritualis existeret. Quod ille gratantissime complens, multis ditatum muneribus genitori natum remisit. Rebus itaque humanis eo post diutinam administrationem exempto, duo filii ejus Pipinus et Karlomannus regni summam concordi societate divisam aliquot annis sub Childrico, nomine tenus rege, gubernaverunt. Nam in illo tempore, decidente regali gloria, per præfectos palatii domus regia ordinabatur: neque aliud regi relinquebatur, quam ut, regio solum nomine contentus, solio resideret, ac speciem dominantis effingeret, legatos undecunque venientes audiret, eisque abeuntibus responsa quæ erat edoctus, vel potius jussus, ex sua velut potestate redderet; at regni administrationem, et omnia quæ vel domi vel foris erant agenda ac disponenda, præfectus aulæ procurabat.

CAPUT II.

Ut Karlomannus, concessa fratri portione ducatus, monachus factus sit.

Karlomannus itaque post aliquantum temporis spatium excursum, regni partem, quam ad regendum susceperat, fratri Pipino relinquens, amore succensus speculativæ vitæ, Romam sese contulit, atque in monasterio S. Silvestri, quod erat in monte Soractim, aliquandiu conversatus est sat religiose. Sed cum Francorum populi, qui obtentu B. Petri apostoli Romam petebant, illo diverterent, eumque frequentius inviserent, videns hoc suo proposito officere, recessit inde, atque postea Cassinense cœnobium, quod tunc a quodam religiosissimo viro, nomine Petronace, restaurabatur, inhabitavit. Igitur Pipinus regni Francorum summam consecutus, jussu Stephani Romani pontificis, qui tunc temporis Parisius morabatur, ob nequitiam Langobardorum pulsus Italia, Hildricum, inertissimum regem, depositum ac detonsum, private vivere compulit. Genuerat autem et ipse ex uxore Bertrada duos filios, Karlomannum et Karolum. Prædictus autem papa cum diutius Parisius moraretur, contigit eum gravissime infirmari, sed apparentibus sibi sanctis apostolis Petro et Paulo, sanctoque Dionysio, quod et sanandus, ad propriam sedem esset cum pace reversurus, audivit: quique, sospitate recepta, cum in ipsa Dominicæ Nativitatis solemnitate apud Beatum martyrem Dionysium divina celebraret officia, inter ipsa missarum sacrosancta mysteria unxit Pipinum cum uxore Bertrada et duobus filiis in reges Francorum.

Pipinus denique annis duodecim superstes, duobus filiis regni successionem reliquit: e quibus Karolus, moriente germano, monarchiam solus obtinuit. Cui clarissimus vir Angilbertus nobilitatis et sapientiæ merito exstitit charissimus, adeo ut præ omnibus ei familiarissimus haberetur. Quæ amicitia in tantum convaluit, ut regis filiam, nomine Bertam, in conjugium acciperet, de qua duos filios Harnidum et Nithardum genuit. Cui etiam, ad augmentum Palatini honoris, totius maritimæ terræ ducatus commissus est.

Erat eo tempore hoc Centulense cœnobium, a sancto dudum Richario fundatum, a monachis satis honeste Deo famulantibus hactenus inhabitatum, qui morum quidem divitiis plenam, sed rebus sæculi non valde locupletem vitam ducebant, non quod eis prædiorum ac redituum seu villarum a sancto Richario collata deesset copia, sed quod omnes redhibitionum impensas in pauperum magis quam in suas utilitates conferebant. Angilbertus itaque cum, accepto ducatu, Pontivum inviseret, a provincialibus audivit signa et prodigia virtutum, quæ omnipotens Christus ad sepulcrum sui sanctissimi confessoris Richarii jugiter operabatur. Quæ opera in corde ejus magnum huic loco amorem conciliaverunt. Unde et exhibitio operis quæ est probatio dilectionis, extemplo prosecuta est; nam impetrata ab imperatore Karolo complendi voti licentia, simulque intimato cordis sui desiderio, quo S. Richarii ecclesiam reficere ambiebat, accepit ab eodem rege cum omni favorabilitate benignam responsionem, solamen et adjutorium suum illi nunquam defuturum spondente. Aperiuntur illi, jubente rege, thesauri ingentes, et quidquid vel quantum vellet inde tollere rogatur, quo dilectissimi viri intentio diligentissime compleretur. Ita, post libata dulcis amicitiæ oscula, venerabilis Angilbertus Pontivum ac Centulam regreditur, et in monasterio sanctissimi Patris Richarii monachi indumentum et vere humilitatem suscepit. Itaque, post non multum temporis, abbas loci defungitur, et tam fratrum precatu quam regis jussu, Angilbertus continentia et humilitate revera monachus, ad hoc officium provehitur. Quod postquam

factum est, artifices doctissimos ligni et lapidis, vitri et marmoris Angilberto dirigit regia potestas. Exinde quia, tam pro amore sancti Richarii quam pro dilecto suo Angilberto, Centulense monasterium omni honorificentia attollere cupiebat, direxit vehicula fortia et multa in urbem Romam, ut marmor et columnæ ad ornatum jam dictæ ecclesiæ deferrentur; nec hoc contentus, dirigit legatos per regna et civitates, jubens subditis, rogans a non subditis, ut sibi mittant reliquias de sanctis quos diversa loca habebant. Quod si quis nosse vult quæ et quales sanctorum reliquiæ huc allatæ sunt, non noster sermo, sed ipsius domini Angilberti scriptura demonstrabit, quæ paulo post inseretur.

CAPUT III.

De reædificatione Centuli monasterii.

Angilbertus igitur, Dei fretus auxilio et domni Karoli assensu et largitate omnimoda, primo dejiciens illud antiquum a sancto Richario locatum templum, magna et insigni prudentia novi fundamenta conjecit. Ob hoc autem vetustum deposuit, quia S. Richarii venerabile corpus ibidem tumulo tenebatur, et voti ejus erat super sancta ejus membra componere elegantem basilicam. Piissimus autem rex Karolus ex suis, ut dictum est, thesauris tantam et tam immensam eidem delegavit pecuniam, ut ad omne opus necessarium mercede abundante ante deficeret quis operaretur et quod operaretur, quam unde operarius remuneraretur. Cum ergo marmoreæ columnæ in butico (10) erigerentur, una inter erigentium manus lapsa in duo frusta confracta est; extemplo tantus omnes qui aderant dolor excepit, ut ea die nihil operis percomplerent. Mane facto, dum redirent artifices, excogitaturi quonam modo ipsi fracturæ mederentur, viderunt columnam stantem super basim suam nihil læsuræ habentem. Angelus quippe Domini, veniens et suo digito scissuram perpalpans, integerrimam dicto citius restituit. Monstratur vero ipsum angelicæ manus vestigium, ita ut intuentibus videatur manere divisa, cum ipsum locum teneat fortiorem. Multo igitur apparatu summaque diligentia ac eximio decore inchoatum est construi monasterium, atque in honore Salvatoris sanctique Richarii fulgentissima ecclesia, omnibusque illius temporis Ecclesiis præstantissima, perfecta est. Hæc ab oriente habet ingentem turrem post cancellum, et interposito vestibulo, alia turris versus occidentem habetur priori æqualis; illa autem quæ ad orientem vergit, prope locum sita est quo sanctus Richarius sepulturam habuit. Sepultura vero ipsa ita posita est, ut a parte pedum ipsius sancti altare sit in loco editiori, et a parte capitis sancti Petri apostoli ara persistat. Turris ergo orientalis cum cancello et butico sancto Richario dicata est, et turris occidentalis in honore sancti Salvatoris specialiter est dicato, ubi etiam in gyro deintus hos versiculos scribere fecit memorabilis Angilbertus:

Omnipotens Dominus qui celsa vel ima gubernas,
Majestate potens semper ubique Deus,
Respice de solio sanctorum gloria summo,
Auxiliumque tuis, Rex bone, da famulis.
Principibus pacem, subjectis adde salutem;
Hostis pelle minas, et fera bella preme.
Hæc quoque quæ statui fulgentia culmina templi
Angilbertus ego, sint tibi grata Deo.
Augusto et Karolo, cujus virtute peregi,
Concede imperii gaudia magna tui.
Quisquis et hæc summas precibus pulsaverit aures,
Effectum tribuas semper habere, Deus.

Videtur usque hodie in pavimento chori tam pulchra et tam distincta marmoris operatio, ut quicunque illud inspicit, incomparabile opus asseveret. Sane coram altare S. Richarii fecit pingere in ipso pavimento quosdam versiculos, quos nos hic quoque necessario mittere curamus.

Hoc pavimentum, humilis abbas, componere feci
Angilbertus ego, ductus amore Dei,
Ut mihi, post obitum, sanctam donare quietem
Dignetur Christus, vita salusque mea.

Enimvero quia antiqua illa sancti Richarii ecclesia in honore sanctæ Mariæ fuerat consecrata, ne videretur venerabilis vir Dei matrem exhonorasse, alteram ei construxit, quæ citra fluviolum Scarduonem hactenus consistit. Sancto quoque Benedicto abbati unam exstruxit, quam super ripam jam dicti fluvioli collocavit. Si igitur situs loci discernatur, animadvertitur major ecclesia, quæ sancti Richarii est, aquilonem tenere; secunda inferior, quæ in honore nostræ dominæ S. Mariæ citra fluvium Scarduonem sita est, austrum; tertia, quæ minima est, orientem. Claustrum vero monachorum triangulum factum est, videlicet a S. Richario usque ad S. Mariam, tectus unus; a sancta Maria usque ad S. Benedictum, tectus unus; itemque a S. Benedicto usque ad S. Richarium, tectus unus. Sicque fit ut, dum hinc inde parietes sibi invicem concurrunt, medium spatium sub divo triangulum habeatur. Monasterium igitur secundum decretum Regulæ sanctissimi Benedicti ita dispositum fuit, ut omnis ars omneque opus necessarium intra loci ambitum exerceretur. Aqua autem torrentis Scarduonis ipsum claustrum præterfluit, quæ et ibi farinarium fratrum in vertiginem mittit. Sed quia nos de situ loci hæc breviter diximus, monasterii dedicationem jam modo disseramus: quæ tamen non nostris verbis, sed domni Angilberti scripto hodieque permanenti demonstranda est, cujus tale est exemplar.

CAPUT IV.

Scriptura domni Angilberti de perfectione et dedicatione Centulensis ecclesiæ.

« Ego igitur præscriptus Angilbertus considerans, ac diligentissima investigatione, et mentis affectu

(10) *Buticum.* Conjicio buticum idem esse ac ciborium, quod columnis quatuor octove constans super altaria sanctorumque tumulos erigi mos erat. MABILL.

pertractans qualiter una cum consensu fratrum A meorum, et omnium fidelium sanctæ Ecclesiæ cæterorumque bonorum hominum, hunc sanctum locum mihi, licet indigno, ab omnipotente Deo et excellentissimo domno meo Karolo serenissimo Augusto, ad gubernandum commissum, auxiliante Domino, in melius reædificare voluissem, ut monachi et cæteri famuli ibidem consistentes, vel etiam successores nostri, qui per diversa temporum spatia successuri erunt, Deo militare, pro me et pro prædicto domino meo ejusdem Dei clementiam attentius valeant implorare, quatenus illis facta nostra ad perpetuam consolationem, nobisque, qui pro Dei amore laboravimus, illis orantibus, ad mercedem proficiant sempiternam, secundum quod ratio permisit, et possibilitas nostra administravit, non B tamen quantum voluimus, sed quantum occurrimus, sicut in sequentibus declaratur laborare curavimus.

« Quia igitur omnis plebs fidelium sanctissimam atque inseparabilem Trinitatem confiteri, venerari et mente colere firmiterque credere debet, secundum hujus fidei rationem in omnipotentis Dei nomine tres ecclesias principales cum membris ad se pertinentibus in hoc sancto loco, Domino cooperante et prædicto domino Augusto juvante, fundare studuimus. Quarum major et prima est in honore sancti Salvatoris et S. Richarii; alia in honore sanctæ Dei genitricis semperque virginis Mariæ et sanctorum apostolorum; tertia vero, in claustro fra- C trum, in honore S. Benedicti abbatis et reliquorum sanctorum regularium abbatum. Quæ etiam mirifico ordine dedicatæ sunt a venerabilibus duodecim SS. episcopis, quorum nomina, ob venerationem et memoriam illorum, huic opusculo annectenda esse judicavimus. Hi sunt : Megiunhardus, Rodomensis Ecclesiæ sedis venerabilis archiepiscopus, Georgius, Absalon, Gerfridus, Pleon, Hildiguardus, Theudoinus, Ydelmarus, Benedictus et Kellanus, præclarissimi episcopi, Joannes vero et Passivus, sanctæ Dei Romanæ Ecclesiæ legati, præsules nobilissimi. Nam altare S. Salvatoris, in quo positæ sunt reliquiæ ejus et SS. Innocentium, qui pro eo passi sunt, et altare S. Richarii, in quo sunt reliquiæ sanctæ genitricis Mariæ et ejusdem S. Richarii; D altare S. Petri, in quo reliquiæ ejus et S. Pauli, sanctique Clementis; altare S. Joannis Baptistæ, in quo reliquiæ ejus et Zachariæ patris ipsius; altare S. Stephani, in quo reliquiæ ejus et Simeonis qui Dominum in ulnas suscepit; altare S. Quintini, in quo reliquiæ ejus et SS. Crispini et Crispiniani; altare S. Crucis, in quo reliquiæ ligni ipsius; altare Sancti Dionysii, in quo reliquiæ ejus, Rustici et Eleutherii; altare S. Mauricii, in quo reliquiæ ejus, Exsuperii et Candidi; altare Sancti Laurentii, in quo reliquiæ ejus, Sebastiani et Valeriani; et altare Sancti Martini, in quo reliquiæ ejus et Remedii, Vedasti, Medardi, Gualarici, Lupi, Servatii, Germani atque Eligii. In ecclesia vero S. Benedicti, altare ipsius, in quo sunt reliquiæ ejus, et Antonii et Columbani; altare S. Hieronymi, in quo reliquiæ ejus, Ephrem et Equitii; et altare S. Gregorii, in quo reliquiæ ejus, Eusebii et Isidori, ab eisdem jam dictis electissimis viris, condigne ac diligentissime, cum ingenti gaudio, sub die Kal. Januarii, fuerunt Domino consecrata. In ecclesia etenim beatæ Mariæ virginis, altare ipsius, in quo reconditæ sunt reliquiæ ejus et sanctarum Felicitatis, Perpetuæ, Agathæ, Agnetis, Luciæ, Cæciliæ, Anastasiæ, Gertrudis et Petronillæ; altare S. Pauli, in quo reliquiæ ejus, Barnabæ et Timothei; altare S. Thomæ, in quo reliquiæ ejus, Ambrosii et Sulpicii; altare S. Philippi, in quo reliquiæ ejus, Silvestri et Leonis; altare S. Andreæ, in quo reliquiæ ejus, Georgii et Alexandri; altare Sancti Jacobi, in quo reliquiæ ejus, Xysti et Apollinaris; altare Beati Joannis evangelistæ, in quo reliquiæ ejus, Lini et Cleti; altare Sancti Bartholomæi, in quo reliquiæ ejus, Ignatii et Polycarpi; altare S. Simonis, in quo reliquiæ ejus, Cosmæ et Damiani; altare Sancti Matthæi, in quo reliquiæ ejus, Marci et Lucæ; altare S. Thaddæi, in quo reliquiæ ejus, Nazarii et Vitalis; altare Sancti Jacobi, fratris Domini, in quo reliquiæ ejus, Gervasii et Protasii; altare Sancti Mathiæ, in quo reliquiæ ejus, Hilarii et Augustini; VI Idus Septembris in ejus sacratissima nativitate a venerabilibus episcopis, Georgio videlicet Absalone, Pleone et Gerfrido, honore dignissimo sunt dedicata. Sed et altare beati archangeli Gabrielis, quod est situm in porta meridiana, VIII Kal. Aprilis in Annuntiatione S. Mariæ; Michaelis vero, quod est in porta occidentali, III Kal. Oct., ab Hildegualdo venerabili episcopo; Raphaelis autem, quod est in porta septentrionali, II Non. Septembris, in honore ipsorum archangelorum, omnium virtutum cœlorum, a Jesse religioso episcopo optime sunt consecrata.

« Reliqua vero mœnia ipsius monasterii, eodem Domino cooperante, quæ hactenus conspiciuntur constructa, sicuti cernuntur, omnia a fundamentis studuimus reædificare, et ut habitatores illius in eo missarum solemnia frequentare, et omnipotenti Domino delectentur deservire, ipso adjuvante, muro curavimus firmiter ambire. »

CAPUT V.

De reliquiis quas de diversis provinciis in hunc sanctum locum congregavit, et de capsis quibus habentur reconditæ.

Dum enim præscriptas ecclesias prudenti consilio in honore Domini nostri Jesu Christi, suæque gloriosæ Genitricis, et omnium sanctorum ejus, sicut supra scriptum est, fundatas perspiceremus, magno desiderio nimioque ardoris amore sumus accensi, ut, secundum possibilitatem nostram, eodem Domino miserante, partem reliquiarum illorum sanctorum ad ornandas easdem sanctas Dei ecclesias adipisci mereremur; quapropter totis viribus totaque mentis intentione laborare contendimus, qualiter per auxilium omnipotentis Dei et adjutorium glo-

riosi domini mei magni imperatoris, de diversis A partibus totius Christianitatis, quantas et quales, vel unde allatas, recondere in hoc sancto loco valuissemus, prout in consequentibus patet, id est in primis de sancta Romana Ecclesia, largiente bonæ memoriæ Adriano, summo pontifice, et post eum venerabili Leone, papa Romano, de Constantinopoli vel Hierosolymis, per legatos illuc a Domino meo directos, ad nos usque delatas. Deinde de Italia, Germania [Aquitania], Burgundia, atque Gallia a sanctissimis Patribus, patriarchis videlicet, archiepiscopis, necnon et episcopis atque abbatibus, nobis directas, seu etiam de sacro palatio quæ per tempora ab anterioribus regibus, et postea a jam dicto domino nostro maximæ sunt congregatæ, per ejus eleemosynam, de omnibus partem habere, atque B in hoc sancto loco condigne recondere meruimus. Sed de his, de quibus certi fuimus, et a prædictis sanctissimis viris breves recepimus, omnium illarum nomina in hoc opusculo inserere non negleximus, quatenus a nobis et a cunctis successoribus nostris, qui per tempora in hunc sanctum locum successuri sunt, et hoc nosse voluerint, magis nomen Domini nostri Jesu Christi, per quem nobis, licet indignis, hæc et cætera bona largita sunt, per omnia et in omnibus semper glorificaretur, qui est benedictus in sæcula. De cæteris vero reliquiis, de quibus incerta sunt nobis nomina, ab eisdem sanctis Patribus receptis, minime scripsimus; cæterarum autem, sicut decrevimus nomina, isto ordine notare curavimus. C Primum reliquias Domini et Salvatoris nostri, et ejus gloriosæ genitricis, et sanctorum apostolorum, et cæterorum martyrum, postea confessorum, necnon autem sanctarum virginum atque continentium subsecuti sumus.

RELIQUIÆ DOMINI SALVATORIS.

De ligno Domini.
De veste ejus.
De sandaliis ejus.
De præsepe ejus.
De spongia ejus.
De Jordane ubi baptizatus est.
De petra ubi sedit quando v millia hominum pavit.
De pane unde distribuit discipulis suis.
De templo Domini.
D De candela quæ in nativitate ejus accensa est.
De monte Oliveti ubi oravit.
De mensa ejus.
De monte ubi transfiguratus est.
De columna ubi flagellatus est.
De ligaminibus unde ligatus est.
De petra unde crucem ascendit.
De clavis unde crucifixus est.
De loco Calvariæ.
De buccella ubi fel et acetum mistum fuit.
De petra super quam sanguis de latere ejus stillavit.
De sepulcro Domini.
De lapide revoluto ab ostio monumenti, necnon et de sepulcro innocentium, qui pro eo passi sunt.
De monte Horeb, vel etiam de lignis trium tabernaculorum.
De lacte sanctæ Mariæ.
De capillis ejus.
De veste ejus.
De pallio ejus.
De barba sancti Petri.
De sandaliis ejus.
De casula ejus, et de mensa ejus.
De mensa sancti Pauli.
De orario ejus.
De cippo in quo missus fuit.
De cruce sancti Andreæ.
De manna sancti Joannis evangelistæ.
De reliquiis apostolorum Jacobi, Philippi, Thomæ, Bartholomæi, Matthæi, Simonis, Thaddæi, Mathiæ, Barnabæ et Timothei.
De ossibus Zachariæ, patris sancti Joannis Baptistæ.
Reliquiæ beati Simeonis qui Dominum in ulnas suscepit
De capillis beati Joannis Baptistæ.
De sanguine ejus.
De veste ejus.
De costis sancti Stephani.
De lapide unde lapidatus est.
De craticula sancti Laurentii.
Digitus sancti Apollinaris.
De spongia sancti Symphoriani, et de veste matris ejus.

RELIQUIÆ MARTYRUM.

S. Pancratii,
Vigilii.
Sisinnii.
Martyrii.
Pamphili.
SS. Geminorum.
Fabiani.
Valerii.
Pergentini.
Cosmæ.
Damiani.
Anastasii.
Georgii.
Alexandri.
Cassiani.
Magni.
Vitalis.
Nazarii.
Naboris.
Celsi.
Gervasii.
Protasii.
Innocentis.
Laurentii.
Tributii.
Valeriani.
Hippolyti.
Christophori.
Felicis.
Mauricii.
Candidi.
Exuperii.
Victoris,
Innocentii.
Benigni.
Dionysii.
Rustici.
Eleutherii.
Cornelii.
Leodegarii.
Sixti.
Firmini.
Saturnini.
Quintini.
Valentini.
Marcelli,
Luciani.
Crispini.
Crispiniani.
Et de ossibus XL martyrum, et de sanguine aliorum multorum.

RELIQUIÆ CONFESSORUM.

S. Hilarii.	Isaac.
Martini.	Vincentii.
Germani.	Antonii.
Medardi.	Paulini.
Audoeni.	Fortunati.
Eligii.	Simpliciani.
Amandi.	Gualarici.
Lupi.	Vedasti.
Aventini.	Reliquiæ ex corporibus sanctorum quæ condidit Paulinus papa.
Supplicii	
Remedii.	
Maurilionis.	Reliquiæ sancti Megimboldi.
Albidi.	
Servatii.	Prasci.
Hieronymi.	Eugenii.
Equitii.	Fronti.
Effrem.	Fidelis.
Gregorii.	Asterii.
Augustini.	Simpliciani.
Leonis.	Faxidi.
Silvestri.	Astogii.
Felicis.	Gislarii.
Isidori.	Sperati.
Donati.	Roberti.
Benedicti.	Galemeri.
Columbani.	Osqualdi.

RELIQUIÆ VIRGINUM.

Felicitatis.	Euphemiæ.
Perpetuæ.	Faustæ.
Agathæ.	Eufrasiæ.
Eugeniæ.	Aldegundis.
Theclæ.	Columbæ.
Cæciliæ.	Feliculæ atque
Petronillæ.	Scholasticæ.

Huc usque de certis sanctorum reliquiis, de quibus a SS. Patribus, qui eas nobis largiti sunt, nomina certa recepimus, separatim, martyres vel confessores descripsimus. Deinceps autem distincte aliorum sanctorum nomina sive martyrum, vel confessorum, quia non invenimus, minime scripsimus.

His ita, sicut paulo superius scriptum est, honorifice decenterque reconditis, in nomine sanctæ Trinitatis cum multa diligentia paravimus capsam majorem auro et gemmis ornatam, in qua posuimus partem supra scriptarum reliquiarum, quam cum ipsis, ob venerationem illorum sanctorum quorum reliquiæ in ea recondi videntur, subtus cryptam Sancti Salvatoris ponere studuimus; nam cæterorum sanctorum reliquias, quæ supra leguntur adscriptæ, per alias XIII capsas minores auro argentoque, vel gemmis pretiosis honestissime paratas, quas a sæpe dictis venerabilibus Patribus cum eisdem reliquiis, donante Domino, adipisci meruimus, dividere, atque super trabem, quam in arcu coram altare Beati Richarii statuimus, ponere curavimus, qualiter in omnibus, sicut dignum est, laus Dei et

A veneratio omnium sanctorum ejus, in hoc sancto loco semper adoretur, colatur atque veneretur.

CAPUT VI

De altariis, et altariorum sanctique [Richarii] ornatu.

Cumque præscriptorum sanctorum venerationi altaria ordinata, atque de eorum reliquiis venerabiliter, ut supra legitur, a nostra parvitate essent ornata, diligenti cura tractare cœpimus qualiter ea ad laudem et gloriam Domini nostri Jesu Christi, ob venerationem sanctorum omnium, in quorum honore sunt consecrata, de donis Dei et largitate magni domini mei ejusque nobilissimæ prolis, vel reliquorum bonorum hominum liberorum mihi ab illis collatis, opere fabrili in auro, argento, et gem-
B mis ornare etiam, et ubi loca convenientia existerent de super ciboria ponere potuissemus, sicut, prout, eodem domino cooperante, valuimus, facere studuimus. Id sunt in ecclesia Sancti Salvatoris Sanctique Richarii altaria fabricata XI, ciboria duo, lectoria auro, argento et marmoribus parata duo; in ecclesia Sanctæ Dei genitricis Mariæ, et sanctorum apostolorum altaria fabricata XIII, ciborium unum, et lectorium optime paratum unum; in ecclesia Sancti Benedicti altaria parata tria; in ecclesiis vero sanctorum angelorum Gabrielis, Michaelis, Raphaelis altaria tria, quæ simul fiunt altaria XXX, et ciboria III, et lectoria III. Nam de aliis vasis et supellectilibus, habentur [cruces] in
C eisdem ecclesiis auro argentoque paratæ XVII, coronæ aureæ II, lampades argenteæ VI, cuprinæ auro argentoque decoratæ XII, poma aurea III, calices aurei cum patenis II, calix unus aureus magnus cum imaginibus simul et patena, alii calices argentei cum suis patenis XII, offertoria argentea X, ad caput S. Richarii tabula auro et argento parata una; ostia majora auro et argento parata II, alia minora II, alia ostiola similiter parata duo, balteum aureum I, atramentarium optimum argenteum auro paratum I, cultellus auro et margaritis paratus I, codex eburneus auro, argento et margaritis optime paratus I, punga auro parata I, incensoria argentea auro parata IV, hanappi argentei superaurati XIII, concha argentea major cum imaginibus argenteis
D una, bocularis argenteus I, urcei argentei cum aquæmanilibus suis II, canna argentea I, eburnea una. Situlæ argenteæ II [sivones argentei II], clavis aurea I, scilla argentea I, coronæ cum luminibus XIII, columnæ ante altare S. Richarii auro et argento paratæ VI, trabes minores cum arcubus suis argento paratæ III, cloccaria auro parata III, cloccæ optimæ XV, cum earum circulis XV. Skillæ III, imagines æneæ VI, eburnea I, candelabra auro parata II, ostia auro parata VII. Insuper donavimus ibi pallia optima LXXVIII, cappas CC, dalmaticas XXIV, sericas albas Romanas cum amictis suis auro paratas VI, albas lineas CCLX, casulas de pallio XXX, de purpura X, de storace VI, de pisce I, de platta XV, de cendato V; stolas auro paratas V, fanones de pal-

lio auro paratos x, cussinos de pallio v, saga de pallio v.

De libris, Evangelium auro scriptum cum tabulis argenteis auro et lapidibus pretiosis mirifice paratum i, aliud Evangelium plenarium i, de aliis libris volumina cc. Insuper etiam plurima ornamenta in fabricaturis, et diversis utilitatibus, in plumbo, vitro, marmore, seu cætera instrumenta quæ longum fuit enumerare, prolixiusque scribere: quæ tamen tunc temporis appretiata sunt a fidelibus Dei et S. Richarii, qui nobiscum in Dei servitio laborantes exstiterant, hæc omnia valere potuisse libras xv millia, vel eo amplius.

Huc usque sanctissimi viri Angilberti scriptura de constructione et dedicatione, sive ornatu ecclesiæ Centulensis digesta est, quæ ab ipso venerabili viro usque ad hæc nostra tempora per ccc annos, et amplius valde, inveterata, non sine labore ad futurorum eruditionem a nobis huic operi inserta est. Sunt certe et alia multa, quæ ad decorem divini officii cum superioribus inveniuntur ab eo honeste statuta; sed quia, post tanta tempora, apud nos, tam pro loci immutatione quam pro abbatum voluntate, non servantur, ob hoc istic referre omnia vitamus, e quibus tamen aliqua adhuc assumemus, ob magnitudinem loci nostri exprimendam. Postquam ergo ornatum Ecclesiæ et impensas thesauri dixit valere potuisse xv millia libras et eo amplius, ita subjecit, dicens:

CAPUT VII.

De institutione ejus erga divina officia.

His et aliis, prout, donante Domino, valuimus, eleganter dispositis, atque ex diversis præscriptis reliquiis supra dictorum sanctorum ornatis ecclesiis, diligenti mentis affectu tractare cœpimus qualiter, Domino donante, ad hoc pervenire valuissemus, ut, sicut in ædificiis marmoreis, et in cæteris ornamentis oculis honeste clarescunt humanis, ita etiam in Dei laudibus, in doctrinis diversis et canticis spiritualibus, Christo omnipotenti placere valeamus. Quapropter ccc monachos in hoc sancto loco regulariter victuros, auxiliante Deo, constituimus, optantes et ordinantes ut, si non plus, istius numeri congregatio in perpetuum habeatur. Centum etiam pueros scholis erudiendos sub eodem habitu et victu statuimus, qui fratribus per tres choros divisis in auxilium psallendi et canendi intersint, ita ut chorus Sancti Salvatoris centenos monachos cum xxxiv pueris habeat. Chorus S. Richarii centenos monachos et xxxiii pueros jugiter habeat. Chorus psallens ante sanctam passionem centenos monachos, xxxiii adjunctis pueris, similiter habeat. Ea autem ratione ipsi chori tres in divinis laudibus personabunt, ut omnes Horas Canonicas in commune simul omnes decantent, quibus decenter expletis, uniuscujusque chori pars tertia ecclesiam exeat, et corporeis necessitatibus, vel aliis utilitatibus, ad tempus inser-

A viat, certo temporis spatio interveniente ad divinæ laudis munia celebranda denuo redeuntes. In unoquoque etiam choro id jugiter observetur, ut sacerdotum ac levitarum reliquorumque sacrorum ordinum æqualis numerus teneatur. Cantorum nihilominus et lectorum æquali mensura divisio ordinetur, qualiter chorus a choro invicem non gravetur. Quinimo omnes unanimes sacrificium laudis Domino omnipotenti pro salute gloriosi Domini mei Augusti Karoli, proque regni ejus stabilitate continua devotione jugiter exhibeant. Matutinali etenim, seu Vespertinali officio consummato, mox omnes chori ordinabiliter se ante sanctam passionem congregent, decem tantum psalmistis unicuique choro remanentibus, et sic per portam Sancti Gabrielis, B ac per salam domini abbatis ambulando per occidentalem claustri regionem cantando veniant ad S. Mariam, ubi Oratione pro temporis ratione deposita, remeando veniant ad S. Benedictum in orientali parte claustri situm; inde per gradus arcuum intrent ad Sanctum Mauricium, sicque intrantes Sancti Richarii basilicam, restituantur suis choris.

Illud etiam observari præcipua devotione mandamus, ut nulla dies prætereat absque sacrarum missarum decantatione, videlicet ut, si non plus, vel xxx a fratribus diversorum chororum per diversa altaria missæ quotidie agantur, exceptis illis duabus de conventu, quæ mane et meridie solemnissime celebrantur, in quibus quotidie memoria sanctis- C simi papæ Adriani et gloriosi domini mei Augusti Karoli, conjugis et prolis ejus teneatur; qualiter, juxta verbum Apostoli, pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt constituti, Salvatori Deo nostro obsecrationum vel orationum gratias jugiter persolvamus (*I Tim.* ii).

Karolus, Dei gratia rex Francorum et Langobardorum ac patricius Romanorum, dilectissimo magistro, nobisque cum amore nominando Albino abbati, in Domino Jesu Christo æternam salutem. Pervenit ad nos (11), etc.

(12) De hoc autem quod chartula nostra prosecuta retulit quod plurima hinc dici possent, sed noluisse te extendere modum chartulæ, et maxime quia cum sapiente paucis utendum est verbis, ita D et nos versa vice pauca rescribimus. Quod autem usurpasti verba reginæ Sabæ ad Salomonem de beatitudine servorum qui nobis assistunt, et audiunt verba sapientiæ nostræ, si hoc verum fore scitis, venite, assistite, et audite, ut pariter in Domino in pratis vernantibus, varietate florum Scripturarum jocundantes delectemur.

Explicit epistola Karoli Magni ad Albinum magistrum.

Hic idem Albinus, a venerabili Angilberto accersitus Centulam, vitam S. Richarii antiqua simplicitate negligentius digestam venusto sermone composuit, præmissa Operis præfatione ad eumdem

(11) Edita in Operibus Alcuin. pag. 1147. Quam prætermisimus quod ad hanc historiam non spectet.
(12) Hactenus edita.

gloriosum Augustum Karolum, in qua patenter monstratur B. Petris Richarii magna et pluriora fuisse miracula, quam ille exiguus vitæ ejus textus enarrabat. Antiphonas quoque et Responsoria, vel hymnos de eodem sancto composuit, ut magni Patris festivitas nihil minus congrui officii habere videretur. Ubi notandum est quod quodam in hymno ipsum S. Richarium laudando, alloquens dicit: *Tu struxisti cœnobium in loco prope Argubium, et aliud in Centulo; ambo perenni merito.*

EPITAPHIUM. S. RICHARII.

In fronte sepulcri.

Aurea cœlestem thesaurum contigit urna,
Cultorem Domini, nomine Richarium;
Stemmate præcelso, quem Centula protulit ista,
Quique loci pastor floruit egregius.

In latere dextro.

Posthabito mundi, quo grandi fulsit, honore,
Amplas divitias sprevit amore Dei.
Hic corpus proprium frangens certamine diro,
Vir pius et magnus semper in orbe cluit.

In culmine arcæ desuper.

Hic vitam functis reparavit, lumina cæcis,
Leprosisque salus, hoc refovente, redit.
Plenus apostolicis virtutibus atque loquelis,
Cœlestes tenuit semper in ore dapes.

In latere sinistro.

Huic Karolus princeps, condignum mente benigna
Perficiens templum, condidit et tumulum
Post sexagenos et centum circiter annos,
Cum Domini servis integer exstat adhuc.

Ad pedes.

Ipsius ut meritis capiat cœlestia regna,
Reanaque Francorum pace quietus agat.
Amen.

Alibi.

Semper, sancte, tuos, Richari, protege servos.
Abstractos terra capiat cœlestis ut aula.

XIV Kal. Junii obiit Albinus, qui Alcoinus, abbas, levita et monachus, dictator Vitæ sancti Richarii.

His quoque temporibus florebat Corbeiensis abbas S. Adalardus, qui nobilitatis et sanctæ religionis laude per totam Galliam colebatur. Hujus amator et auditor præclarus emicuit Ratbertus, qui tanto charitatis fervore erga nostrates monachos agebatur, ut ea ipsa quæ nostris misit vel scripsit, non amoris verba, sed totus amor, et pura dilectio deprehendantur. Quique cum ipsius sancti Adelardi digereret Vitam: *Gaude*, inquit, *Corbeia, quia, cum cætera loca sancta proprios emiserint patronos, Atrebas Vedastum, et Centula sanctissimum Richarium, tu quoque emittes Adelardum tuum.* In quo studiose considerandum quanta reverentia extulerit magnificum pastorem et patronum nostrum, quem cum adjectione superlativa nominavit, cum illum insignem episcopum Vedastum nuno nonnne designare contentus sit. Fecit hoc ob assidua miraculorum quæ apud nos gerebantur magnalia, fecit et ob illam revera sanctissimam ejus vitam, quæ non tam sancta quam sanctitatis speculum utique comprobatur. Hic ad nostri monasterii monachum Gollandum scripsit expositionem super Evangelium Matthæi, tanti pendens Centulenses, ut sua eis mitteret scripta, quatenus eorum judicio deberent cum auctoritate quaquaversum proferri.

EPITAPHIUM S. CHAIDOCI CONFESSORIS.

Hole sub hac tegitur Chaidocus jure sacerdos:
Scotia quem genuit, gallica terra tegit.
Hic Domini Christi gaudens præcepta sequutus
Contempsit patrias, mente beatus, opes.
Hinc sibi concrevit centeni copia fructus,
Et metit ætherei præmia larga soli.
Hunc Angilbertus, fretus pietate magistra,
Et tumulo carmen condidit et tumulum.

ITEM.

Corpore terreno qui cernitur esse sepultus,
Gaudia pro meritis cœlica lætus habet.
Iste fuit Fricorus, Chaidoco consociatus,
Quem sibi concessum Centula gaudet ovans.
Hic, virtute valens, despexit prospera mundi,
Et modo viventi gloria magna patet.
Quando Deo placuit, cœlorum regna petivit.
Nunc Angilberti carmine fulget. Amen.

CAPUT VIII.

De obitu S. Angilberti et sepultura, seu de Nithardo filio ejus ac successore.

Anno Dominicæ Incarnationis 814, indictione VI, excellentissimæ memoriæ (Augustus) Karolus Magnus, post hostes victoriosissime cum Dei favore triumphatos, cum Romanorum imperium, et Francorum et Langobardorum regna quietissime obtineret, V Kalend. Februarii transivit e mundo, pro obsequiis, et honorificentia Deo et sanctis ejus studiose exhibita ac benigne percepturus, ut speramus, felicia et immortalia regna. Venerabilis autem Angilbertus, tametsi senio et austeritate jejuniorum et vigiliarum corpore lassescente, quoquam progredi non posset vel vellet, ejus tamen dispositioni, qua thesauros in beneficium eleemosynæ Ecclesiarum præsulibus attribuit, utpote dilecti semper Domini, interfuit, magnisque honoribus et beneficiis ecclesiam Centulensem ab eodem antequam decederet, sublimari obtinuit. Fuerunt autem XXI metropolitanæ civitates, quibus divisit dari grandem partem suarum facultatum. Quarum hæc sunt nomina: Roma, Ravenna, Mediolanum, Forum-Julii, Gradus, Colonia, Maguntiacus, Juvavum, id est Salzburc, Treveris, Remis, Senones, Vesontio, Lugdunum, Rothomagus, Arelatum, Vienna, Darantasia, Ebredunum, Burdegala, Turones, Bituricum. Huic vero distributioni nonnisi quatuor abbates interfuisse leguntur, scilicet Fridigius, Adalongus, Angilbertus, Irmino. Ipse denique rex in tantum locum ipsum honoraverat, et extulerat, ut et regalem curiam inibi tenuisse die Natali Domini, seu die Paschæ, aliquoties inveniatur in gestis illius temporis. Quod etiam a successoribus

suis, iis scilicet qui nostratem Galliam in sui sorte regni habuerunt, multo tempore amabiliter servatum est.

Cum ergo mortuo Karolo Magno Hludogvicus successisset, regnorum a patre acquisitorum apicem suscipiens, anno regni ejus primo incipiente, sanctissimus abbas Angilbertus corporis attactus molestia cœlestibus gaudiis propinquabat, et cœlesti Patre disponente filius proxime recipiendus flagellabatur, ut dignus fieret cui felix nec peritura hæreditas concederetur. Supercrescente incommodo, cum videretur jam humanis eximi, multa usus humilitate, utpote cujus perseverans fuerat conservator, præcepit ut ante fores templi tumularetur. Sane suspiria et lacrymæ, quæ illo morti proximante fusa sunt, non a nobis narrandæ suscipiuntur, ne post tanta temporum interstitia nos quoque ad plangendum revocet dolor renovatus. Post mortem utique Magni Augusti Karoli anno eodem, diebus xx superstes effectus, anno Dominicæ Incarnationis 814, indictione vi, mense Februario, die xii Kal. Martii, celebratis circa se ecclesiasticis mysteriis, vere Christi amatoris Angilberti gloriosa anima bonorum operum exercitiis et pietatibus cumulata, corporis terreni vase relicto, supernis civibus associatur, et quod votis ambierat, operibus meruerat, Christi aspectibus præsentaliter mulcetur, videns eum sicuti est. Veridica hoc et irreprobabili Christi sententia astruitur, qui se diligentes a Patre suo, et a se diligendos asseverat, et tantæ dilectionis profectum sui visionem propalat: *Et manifestabo*, inquiens, *meipsum ei* (*Joan.* xiv), id est diligenti et probationem dilectionis, quod est exhibitio operis, exsequenti. Tunc amantissimi Patris venerabile corpus dulci filiorum obsequio componitur, et cum omni veneratione sancto abbati debita ante portam majoris ecclesiæ honorifice sepelitur. Locus autem ipsius sepulturæ ita aditui ecclesiæ proximus est, ut a nemine basilica ingredi possit, qui non sanctam corporis ejus tumbam calcaret. Ubi, sicut

A paulo superius dictum est, humilitatis obtentu poni se præceperat. In gyro autem sepulturæ isti versiculi in lapideis tabulatis, primus ad caput, secundus ad levam, tertius ad pedes, quartus ad dexteram expositi sunt:

Rex, requiem Angilberto da, Pater, atque pius Rex.
Lex, legum vitam æternam illi da, quia tu lex.
Lux, lucem semper concede illi, bona qui es lux.
Pax, pacem illi perpetuam dona, es quoniam pax.

Multa magna atque insignia sunt, quæ de hoc venerabili viro diceredebebamus, sed quia omnia comprehendere nequivimus quæ in historiis Francorum de illo ejusque probitate habentur, rogamus ut ad laudem Dei omnipotentis, et ad honorem beati viri paucula hæc nostratibus interim sufficiant. Cæte-B rum, ut omnia quæ de illo sunt diceremus, defuit virtus, adfuit sed cautela, ne plurima disserendo fastidium inferremus auditori. Quievit vero in loco supra scripto per annos xxviii, regnante Augusto Hludogvico annis xxvi, Christi autem Domini nostri regno nullam metam capiente per omnia sæcula. Amen.

Igitur septimo Centulensis cœnobii abbate intimato, ejusque studiis et bonitate monstrata, jam modo paulisper linguæ nostræ requies præbeatur, ut et mœstitia ex ejus ablatione concepta, quo paululum quia mortales aliter non possumus, admittitur, eo citius suspiriis satisfacta deseratur. Simul et æquum videtur ut is qui singulari erga nos usus est amore, singulari quoque in descriptione gestoC rum collaudetur libello.

Hoc tamen in calce libri necessario recondimus, quod post ejus sanctum transitum filius ejus, Nithardus, quem de regis filia Berta susceperat, Centulensibus jure abbaticio prælatus, paucisque diebus in regimine expletis, interemptus prælio præsentis luminis caruit visu; sepultusque juxta proprium genitorem quievit in pace, regnante Domino nostro Jesu Christo cum Patre et Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

LIBER TERTIUS.

CAPUT PRIMUM.
De abbate Herico.

Anno sacræ Incarnationis Domini nostri Jesu Christi 814, indictione vii, dum felix Francia sub gloriosissimi Cæsaris Hludogvici moderamine omni venustate floreret, obtinuit beneficio ipsius principis Hericus abbas regimen monasterii B. Richarii. Notetur autem descriptio, quia eodem quidem quo sanctissimus Angilbertus abbas obiit anno, sed non eadem indictione, hic Hericus abbatiæ Centulensi prælatus est; si quidem mense Septembri die xxiv, indictiones mutantur. De hujus vero factis nihil apud nos memorabile habetur, præter quod in

D libro miraculorum B. Patris Richarii invenitur, quia videlicet uni e suis vassallis, Heutoni nomine, villam Sidrudem, quæ erat antiquitus deputata ad fratrum calceamenta, contulerit; hæc enim villula ipsi sancto in hoc sæculo viventi fuerat donata, ut in vitæ ejus scripto clare patescit. At nunc placet memorari quid in illa virtutis contigerit, postquam Heutonis dominio subacta est. Fuerat illic prope nemus, ubi sanctum Richarium accolæ loci et in iter carpendo cum Britanniam peteret, et in redeundo lassitudinem corporis temperare, et sacras fundere orationes juxta quamdam fagum ex avita et paterna relatione tradiderunt. Enimvero dum præfatus Heuto ipsam

villam consecutus fuisset, cœpit libera ea uti pote- A state; quadam autem die, dum rura illius circuiret, super jam dictam fagum venit, quam enormem intuitus, jussit incidi, ut exinde focus sibi fieret. Cui servi parere noluerunt, dicentes sacratum fustem, et ibi B. Richarium consuevisse orare: quod ille superba mente contempsit, et ut incideretur coegit. Ita dejecta arbore, et partibus inde partitis, superiores quidem findi potuerunt partes, duæ inferiores, quæ et grossiores erant, difficile nimis finduntur. Attamen magnis conatibus rustici insistentes, penultimum dirimunt frustum, in quo inventæ sunt reliquiæ quasi capillorum, et barbæ abrasiones; quæ cum rustici honori haberent, utpote quæ a sancto ibidem repositæ, miser ille, et male curtensis Heuto, ea pro nihilo habens, spargere fecit, ac deinde B ultimum fagi truncum qui supererat findi præcepit; sed ad omnem ictum insectibilis permansit; quod ille videns, jussit portari in suæ domus atrium, quod vulgus curtem dicit; et ut fieri assolet ante januam jactari. Ipsa autem die, quidam villæ colonus acceptam securem quasi tentando ligno leviter affixit, et ad ipsum ictum illico divisum est, et inventa est quædam crux inserta uni ex illis partibus, cujus etiam signi forma alteri parti insculpta videbatur: hoc illi qui aderant, ut viderunt, nimio terrore perculsi sunt, initoque consilio, ipsas partes cum cruce intulerunt in apothecam cujusdam custodiendas; tunc sequenti nocte, obfirmatis apothecæ ostiis, dormitum est: mane facto, dum somno excutiuntur, C crux illa vel partes nusquam inveniuntur. Præfatus autem Heuto, qui sancta temeraverat, quinto die, Deo vindice, vitalem spiritum amisit. Sed et Hericus, aliquantis in regimine annis expletis, diem clausit extremum.

CAPUT II.

Privilegium Hludogvici imperatoris.

Tempore isto, cum contigisset Hludogvicum gloriosum Augustum Pontivam intrare provinciam, venerabile templum S. Richarii orationis gratia petivit. Fratres igitur monasterii, timentes ne aliquis de parentela sæpedicti Heutonis villam Sidrudem sibi usurparet, majestatem regiam exorant et suadent, ut super hac et super omnibus, quas aliquo eventu perdere metuebant, villis, et quas Karolus Magnus, D ejusdem genitor, dono regio contulerat, suæ auctoritatis præceptum firmaret; quo jam dicta villa, vel aliæ possessiones, absque alicujus contradicto, monasterio libere deservirent, et ut nemo abbatum futurorum ex eis aliquam a loci dominio ulterius auferens alicui donaret. Ipse ergo talibus precatis placide obedivit, et suæ præceptionis auctoritatem super his tali modo confecit:

« In nomine Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi, Hludogvicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus, notum esse volumus cunctis fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris præsentibus, scilicet et futuris, quia dum nos orationis causa in beatissimi confessoris Christi Richarii basilicam adveniremus, adierunt celsitudinem nostram monachi ex eodem monasterio, deprecantes, ut super rebus, quas moderno tempore in quibuslibet pagis et territoriis infra ditionem imperii nostri ad victum et vestitum eorum habent, nostram auctoritatem firmitatis gratia fieri juberemus; per quam decerneremus, ut neque abbates per tempora ibidem degentes, neque ministri, aut alia quælibet superioris, vel inferioris prædicta (13) persona, de eisdem rebus aliquid abstrahere aut minuere, vel in alios usus retorquere præsumat. Quorum petitionem justam ac rationabilem judicantes, hos imperiales apices nostros firmitatis gratia circa servos Dei ibidem per tempora labentia degentes fieri jussimus, per quos decernimus, atque omnimodis sancimus, ut nullus doctor prædicti monasterii, aut ministri ejus, de rebus quas moderno tempore in quibuslibet pagis et territoriis infra ditionem imperii nostri ad usus et victum atque vestimentum eorum habent, quorum hæc sunt nomina: Cininicurtem cum Bronoilo, Aldulfi-curtem, Valles, Drusciacum, Novamvillam, Mons-Angelorum, Wiberentium, Bagardas, Curticellam, Crux, Langoratum, Altegiam, Sidrutem, Niviellam, Verculf, Concilium, Rocconis-montem, Maris, vel quidquid ad supradicta loca præsenti tempore juste et legaliter aspicere videtur, aliquid abstrahere, aut minuere, aut in alios usus convertere, aut paratas, aut lidimonium, aut hostilicium, aut alias quaslibet redhibitiones exigere aut exactare præsumat; sed eo modo atque tenore quo nunc statuimus teneant, atque possideant, ita nostris et futuris temporibus secure atque quiete habeant et fruantur, quatenus ipsos servos Dei in prædicto monasterio famulantes pro nobis, conjuge proleque nostra, atque stabilitate totius imperii nostri perpetim Dei misericordiam exorare delectet. Et ut hæc auctoritas per futura tempora inviolabilem atque inconvulsam obtineat firmitatem, manu propria subterfirmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus. »

Signum Hludogvici serenissimi imperatoris.

« Data III Non. Aprilis, anno, Christo propitio, XVII imperii domini Hludogvici piissimi Augusti, indict. VIII.

« Actum monasterio S. Gualarici feliciter. Amen.

« Durandus diaconus ad vicem Fridusi recognovi et subscripsi. »

Ex his [villis] quæ in hoc præcepto commemorantur sacratissimus Pater noster Richarius quasdam quiete habuerat, sed quia pravorum et nequam hominum insolentiis super his fratres turbabantur, ob hoc illas regia præceptione firmari obtinuerunt. Nam et illæ villæ, quæ a sancti Richarii tempore habebantur, et de quibus nihil mali metuebatur, ut sunt hæc, Centula, Abbatis-Villa, Altvillaris, Rebellis-Mons, et Valerias, et aliæ multæ istic scribere non curaverunt.

(13) *Prædicta.* Lege *dignitatis.*

CAPUT III

Descriptio de thesauro, et rebus, seu vassallis Sancti Richarii

Hludogvicus imperator promulgata præceptione super possessionibus monasterii, vocavit ad se monachos, rogans ut omnia quæcunque haberi poterant, tam in thesauro Ecclesiæ quam in bonis forensibus, scriberentur, sibique monstrarentur. Anno igitur Incarnationis Domini 831, indictione IX, facta est descriptio de abbatia Sancti Richarii, rogante serenissimo Augusto, anno imperii sui XVIII. In primis de ecclesiasticis rebus, et sic de prædiis et possessionibus, sive et de vassallis, qui ex eadem abbatia beneficia retinebant.

Habentur ibi principales Ecclesiæ III : una major in honore sancti Salvatoris et S. Richarii, altera in honore sanctæ Mariæ, tertia in honore S. Benedicti. In quibus principalia habentur altaria III, hoc est S. Salvatoris, S. Richarii, et S. Mariæ ex marmore, auro, et argento, et gemmis, ac lapidibus diversis fabrefacta. Super illa tria altaria habentur tria ciboria ex argento et auro parata, in quibus tres dependent coronæ, singulæ per singula ex auro gemmisque paratæ, cum aureis cruciculis aliisque diversis ornamentis. In eisdem ecclesiis sunt lectoria tria ex marmore, argento, et auro fabricata. Capsæ reliquiarum aureæ et argenteæ vel eburneæ paratæ sunt XXX, cruces majores V, et minores VIII, poma altarium XXI : e quibus tria sunt aurea, reliqua argentea. Item poma guntfanonum VII, ex argento auroque parata, candelabra ferrea ex argento et auro parata, majora XV, minora VII, coronæ argenteæ VII, et cupreæ deauratæ VII, lampades argenteæ VI, cupreæ deauratæ VI, hanappi pendentes argentei XIII, conchæ argenteæ pendentes II, areæ majores III, et minores III, thuribula argentea deaurata VIII, ex cupro I, flabellum argenteum I, paries ad caput S. Richarii, et duo ostiola parva ex argento et auro gemmisque fabricata ; ad pedes ipsius ostiola VI, ex argento auroque parata. Sunt et alia IV, similiter parata. Ante altare ejusdem sancti stant columnæ VI, magnæ ex cupro, argento, et auro paratæ, sustentantes trabem, unam similiter cupream] argento auroque paratam. Sunt et aliæ trabes minores tres ex cupro, argento, auroque paratæ in circuitu altaris vel chori, sustentantes arcus XVII, ex cupro, argento, auroque fabricatos; inter quos stant imagines bestiarum, avium, hominumque VII, ex ære circuli ad signa pendentes argentei V, reliqui ex aurichalco.

Evangelium auro scriptum unum cum capsa argentea gemmis et lapidibus fabricata. Aliæ capsæ Evangeliorum duæ ex auro et argento paratæ, faldene addito ex argento fabricatum ad opus ipsarum I, calices ex auro IV, ex argento majores II, minores XIII, patenæ aureæ II, argenteæ majores IV, minores XIII, ex aurichalco I, offertoria aurea IV, argentea LX, eburneum I, magnum argento et auro paratum. Scyphus argenteus major I, minores argentei IV, ex aurichalco I, tutelli argentei IV, urceoi argentei cum aquamanilibus II, hanappus ad bibendum argenteus I, situla argentea I, ex cupro et ære II, et argento parata I, canna argentea I, ex stanno I, tabulæ eburneæ ex auro argentoque paratæ I, majores II, minores II, ex cypresso una argento parata, claves argenteæ II, ex aurichalco deaurata I, baculus auro, argento, et crystallo paratus I, præparatio baculi unius ex crystallo I, casulæ castaneæ XL, sericæ nigræ X, persæ sericæ III, ex plata I, ex pallio XX ; galnæ sericæ V, melnæ sericæ III, ex pisce I, ex cendalo IV, cappa castanea auro parata I, serica I, dalmaticæ XXXI, brocci serici XV, lanei XI, sericus albus I, persi serici II, roccus pectoralis I, fanones ad offerendum auro parati XIV, ex brandeo III, ex pallio XV, saga ad patenas ferendas IV, pallia LXXVIII, vestimenta XLIX, viginti alia, cum pallio paratum I, in sacrario ad tabulam cooperiendam vestimentum lineum pallio paratum I, tapeta VI, cortinæ III, bancales serici IV, et alii sex cussini serici II, ex pallio IV, vestimentum lineum Dominicale I, nastolæ ex auro paratæ II, Wanti castanei auro parati II, linei II, fanones manuales auro parati II, capellum auro paratum I, ex pallio I, facitercula II, cappæ CCCLXXVII.

De libris, libri canonici, Bibliotheca integra, ubi continentur libri LXXII, in uno volumine. Item Bibliotheca dispersa in voluminibus quatuordecim.

De libris S. Hieronymi, super Isaiam. Item in Isaiam, super Psalmos, Expositio Levitici, Opuscula ejus super Jeremiam, in XII prophetas, in Ecclesiastem, in Cantica canticorum, in Ezechiel. Liber Episcopalis. Commentarius in Matthæum, Expositio in Marcum, illustrium virorum, super totum Psalterium, in Epistolis duabus sancti Pauli, hoc est ad Galatas et ad Ephesios, in Epistolis ad Titum et Philemonem. Liber Plenarius Epistolarum ejus, Psalterium Hebraicæ veritatis; contra Jovinianum hæreticum, et Apologeticus ad Pammachium ; Quæstiones Genesis, et liber locorum, liber qui dicitur Antikomenon. De septem vindictis Cain. De egressione filiorum Israel ex Ægypto. De Isaac. De Hosanna. De seraphim et calculo. De morte Oziæ regis. De filio prodigo. De natura rerum. De rhetorica : omnia hæc in uno volumine, Evangelium in Græco et Latino scriptum : qui sunt libri numero XXII.

De libris sancti Augustini : Exameron ejus contra Manichæos et alios hæreticos ; Decadæ psalmorum, Epistolæ ejusdem, Expositio plenaria super Evangelium Joannis, alia Expositio Augustini junioris. De sermone Domini in monte, De X plagis, De X præceptis in uno volumine. In Epistola Joannis apostoli, Concordia Evangeliorum, De civitate Domini, Enchiridion, De natura et origine animæ, De doctrina Christiana, Speculum Augustini, Confessiones, Hypomneosticon, De X chordis et bono conjugali, De arte musica, De virginitate servanda, et sermones ejus, De XII abusibus, et Interrogationes Horosii, et Responsiones Augustini : in uno

volumine. Contra hæreticos, De agone Christiano, De blasphemia Spiritus, Explanatio Rufini, De xii benedictionibus patriarcharum: in uno volumine. De Trinitate, De Videndo Deo, De plasmatione primi hominis, De Definitionibus dogmatum ecclesiasticorum, et Epistolæ S. Fulgentii: in uno volumine. De magistro. De sancta virginitate, et Academicorum: in i volumine. Opuscula et epistolæ Augustini ad Pelagium et Valentinum, et responsiones Prosperi, in i volumine. Explanatio Augustini, et Juliani, et Pauli, De partibus orationis: in i volumine: qui sunt libri numero xxix.

De libris S. Gregorii: Expositio in Ezechiel, vol. iii, Moralia vol. v, Homiliæ xl, vol. ii, Pastorale, Dialogus, Registrum, Ordo ecclesiasticus, Liber Parterii, De dictis ejusdem: qui sunt libri numero xv.

De libris Isidori: Etymologias, Rotarum, Procemiorum, et Rotarum et Officiorum. Item Prooemiorum, item Rotarum, tractatus in Pentateuchon, in Regum, in Ruth, in Esdra; in i volumine. Sententiæ ii vol. Synonyma: qui sunt libri numero ix.

De libris Origenis: In Genesi Homilias xvi, ii vol. in Cantica canticorum: qui sunt libri iv.

Hilarii autem: De fide sanctæ Trinitatis, quæstiones Hilarii, Cypriani, Alcimi Aviti, Hieronymi, Augustini, super Pentateuchum in i vol. qui sunt libri duo.

Joannis Chrysostomi, in Epistola ad Hebræos Homiliæ xxxiii, De compunctione cordis contra Novatianos, De jejunio, et Sermones ejus lxii, et Vita sancti Ambrosii uno volum.: qui sunt libri vii.

Cassiodori; super totum Psalterium.

Fulgentii, libri xiv, qui per singulos libros unam litteram detrahit.

Bedæ, De templo Salomonis, Triginta Quæstiones ejus in Regum, cum Expositione Justi in Cantica canticorum: in i volum. In Proverbiis Salomonis, et in libro Tobiæ, in Marco, in Luca, et in Actibus apostolorum, super Epistolas Canonicas, super v libros Moysi, in Apocalypsi, in Habacuc, cum glossis Pentateuc. De natura rerum; de temporibus: qui sunt libri numero xvi.

Diversorum autem: Julii, De auctoritate divinæ legis; Eugipii, excerptum De libris sancti Augustini; Paschasii, de Spiritu sancto; Primasii, in Apocalypsi; Timothei libri iv, et tractatus Peregrini contra hæreticos, et Epistolæ Theophili ad Episcopos totius Ægypti in i vol. Expositio Arnobii super totum Psalterium; Gregorii Nazianzeni libri viii, et Homiliæ Augustini de lætitia et gratia in i vol; Athanasii in Levitico: qui sunt libri numero viii.

De canonibus: Canones Apostolorum, et Nicæni concilii; et xii Concilia et Decretalia apostolorum i vol. Canones collecti, de diversis conciliis volum. ii, Cæcilii Cypriani, De Canonibus et institutionibus ecclesiasticorum lxxxvii i vol. Gelasii papæ, De libris recipiendis et non recipiendis; epistolæ diversorum numero lv, i. vol. Homiliarius sanctorum Patrum anni circuli, Hieronymi, Augustini, Gregorii, Origenis, Leonis, Joannis, Fulgentii, Bedæ in i vol. Item Homiliæ SS. Patrum super anni circulum, in iii volum., Homiliæ S. Agnetis; Boetii, De consolatione philosophiæ; Gregorii episcopi Turonensis, De generatione Adæ, et De gestis Francorum; Expositio Philippi super Job: Glossæ SS. Patrum super Psalmos iii. vol.; Cassiani, De incarnatione Domini, Expositio Justi in Cantica canticorum, et Liber Eucherii episcopi De defectu solis et lunæ; Vitæ vel Passiones SS. apostolorum, martyrum, confessorum, virginum; et collationes diversorum Patrum in vol. xviii. Expositio Juliani Pomerii, et Prognosticon in ii vol., Expositio Pelagii super xiii Epistolas Pauli, Expositio cujusdam in Epistolam ad Romanos, Glossæ ex dictis Patrum in iii vol. Item Glossæ Patrum vol. iii, Liber Martini papæ, Regula S. Benedicti sexies; Regula S. Augustini, Fructuosi, et Isidori, i vol. Homiliæ Cæsarii episcopi Arelatensis, Expositio fidei Catholicæ S. Hieronymi; Dicta Isidori De hæresibus Judæorum et Christianorum et De philosophis, poetis; et Epistolæ Cyrilli, Leonis, Dionysii, et aliorum De ratione Paschali; et cycli, in i vol. Altercatio legis inter Simonem Judæum et Theophilum Christianum; Ephrem, De die judicii; Albini ad Karolum, De fide Trinitatis et De incarnatione Domini. Epistolæ Caroli ad imperatorem Græcorum, Psalteria vii. Quæstiones septem artium, Collectarium cujusdam in Matthæo, Collectarium Scotaicum, ubi primus est de charitate, ultimus ita incipit, *Curre ne parcas*; Liber Scintillarum, qui sunt libri numero lxx.

Omnes codices librorum claustralium de divinitate sunt cxcv.

De libris grammaticorum: Donatus, Pompeius, Probus, de pedibus et syllabis; Priscianus, Comminianus, Servius, Victorinus Mar... Diomedes, Verus Longinus, Taduivus, Tullius Cicero: Rhetoricorum libri ii, omnia in iv vol., Prosper, Aratus, Sedulius, Juvencus, Epigrammata Prosperi, Versus Probæ, et Medietas Fortunati i vol., Quintus Serenus De medicamentis, Fabulæ Avieni, Virgilius, Eclogæ ejusdem glossatæ. Althelmus, metrum cujusdam de Veteri et Novo Testamento, cum Vita Cosmæ et Damiani metrica in i vol.: qui sunt libri xxvi.

De libris antiquorum qui de gestis regum, vel situ terrarum scripserunt. Josephus plenarius; Plinius secundus, De moribus et Vita imperatorum, Epitoma Pompeii, Æthicus de mundi descriptione; Historia Homeri, ubi Dictys (14), et Dares Phrygius; Historia Socratis, Sozomeni, et Theodoriti. Libri Philonis Judæi i vol., Ecclesiastica Historia Eusebii. Chronica Hieronymi, ii vol., Historia Jordanis. De summa temporum, et de origine actibusque Romanorum i vol., Lex Romana, Pactum Salicæ legis: qui sunt libri numero xv. Item volumen, ubi sermones habentur de Natali Domini, Stephani, Innocen-

(14) *Ubi Dictys.* Sic restituit Baluzius: editum erat, *ubi dicit.*

tum; Bodaneum, Partes Donati glossatæ; Liber Logon [Λογῶν], id est Sermonum Græcorum, vel Latinorum, Genealogia Bibliothecæ, Passio Domini in Theodisco, et in Latino: qui sunt libri VI.

De libris Sacrarii: qui ministerio altaris deserviunt, Missales Gregoriani tres, Missalis Gregorianus, et Gelasianus modernis temporibus ab Albino ordinatus I, Lectionarii Epistolarum et Evangeliorum mistim et ordinate compositi V, Missales Gelasiani XIX, Textus Evangelii IV, aureis litteris scriptus totus I, Lectionarius plenarius a supradicto Albino ordinatus I, Antiphonarii sex: qui sunt libri num. XXXV.

Omnes igitur codices in commune faciunt numerum CCLVI, ita videlicet ut non numerentur libri sigillatim, sed codices quia in uno codice diversi libri multoties, ut supra notatum est, habentur; quos si numeraremus, quingentorum copiam superarent. Hæ ergo divitiæ claustrales, hæ sunt opulentiæ cœlestis vitæ, dulcedine animam saginantes, per quas in Centulensibus impleta est illa salubris sententia: *Ama scientiam Scripturarum, et vitia non amabis.*

Sed nunc etiam de exterioribus bonis hic ponamus indiculum et villas quæ monasterio Christi militis præcipui Richarii tunc temporis serviebant, breviter annotemus. Reditus vero villarum qui scire cupit, codicem ex hoc conscriptum revolvat; nam pro sui magnitudine hic totus poni non potest. Hæ ergo sunt villæ S. Richarii: Buniacus, Valles, Drusiacus, Novavilla, Gaspannæ, Guibrentium, Bagardas, Curticella, Crux, Civinocurtis, Haidulficurtis, Maris, Nialla, Langradus, Alteia, Rochonis-Mons, Sidrunis, Concilio, Buxudis, Ingoaldicurtis. Inter has erant quædam, licet paucæ, ubi aliqui militares S. Richarii beneficii quidpiam habebant. Hæ autem sunt villæ in Dominicatura sancti ejusdem, absque ulla admistione beneficii, vel alterius potestatis, Pontias, Altisgnico, Tulino, Durcaptum, Abbatis villa, Forestemonasterium, Majocch, Sanctus Medardus, Alliacus, Longavilla, Altvillaris, Rebellismons, Valerias. Istæ non tam villæ quam oppida, vel, ut ita dicam, civitates habebantur, quippe quibus nulla vis injustitiæ inferebatur.

In foresti cella habentur tres Ecclesiæ, prima S. Mariæ, secunda S. Petri; tertia S. Richarii: ubi sunt altaria auro argentoque ornata V, corona argentea I, capsella auro parata I, cruces auro paratæ III, capsa auro et gemmis parata I, crucicula argentea auro parata I, aliæ deauratæ VI, poma deaurata V, ciborium auro argentoque paratum I. Candelabra auro argentoque parata VI, ventaculum deauratum I, fuscellum deauratum I, scyphus de argento I, tabulæ deauratæ eburneæ II, calices auro parati majores III, argentei minores IV, offertoria argentea VIII, deaurata III, urceum argenteum I, capsa Evangelii argentea I, casulæ satis pretiosæ XV, Dalmaticæ V, casulæ parvæ sericæ II, hrocci de pallio III, lanei IV albæ XXVII, stolæ IX, Fanones XIV, loculares II, conchæ II, sandalia cum caltionibus VI libri quinquaginta unus ad lumen Ecclesiæ aspicit villa Dulclanæ vallis. Sunt ibi Canonici XXX qui habent ad stipendia villas IV, hoc est Eghod, sanctum Vigilium, et duos [illegible], et Ecclesiam S. Martini: et in aliis villis S. Richarii accipiunt aliqua.

Et cellula quæ vocatur Botritium in pago Terragonensium, in qua habetur altare I, fabricatum; cruces III, inauratæ II, inargentata I, capsæ XVIII fabricatæ, thuribulum I, candelabra parata II, vasa ærea II, calices argentei IV, patenæ argenteæ II, auratæ; scyphus argenteus I, offertorium I, opertorium pallium I, casula I, dalmatica I, missalis I, lectionarius I, antiphonarius I, homeliarius I, passionalis I, Psalterium I, sunt ibi canonici X, habentes villam Teones, villam Neudum, ecclesias duas, villam Albitrium, villam Guadanniam, et alios multos redditus ex beneficio Sancti Richarii cui serviunt.

Est et alia cellula in pago Ambianensium, quæ vocatur Incra, ubi habentur capsæ paratæ X, cruces paratæ III, casulæ II, dalmaticæ II, candelabra parata II, liber Genesis, Exodus, Numeri, Regum, Prophetarum, Parabolæ Salomonis, Missale I, Lectionarius I, Antiphonarius I, sunt ibi canonici XII, qui habent ad victum decimam, et nonam, et molendinum I. Ipsa villa Centulo monasterio servit, habens mansos vestitos CLXXX, Flamiriaca villa, Catiacus-villa, Montes, Vadimiacus, Loacas: hæ omnes sancto Richario subjacebant. Sed jam illorum nomina recitemus, qui ex S. Richario beneficia retentabant; quique cum sibi subditis militibus nostro abbati et ministris Ecclesiæ nobiliter satis serviebant terra marique, vel ubicunque eorum comitatu quilibet e sancti loci fratribus indiguisset.

Heligaudus, Mainfridus, Itherus, Hubertus, Bertuinus, Alguala, Berlandus, Ratuinus, Gisloldus, Lantgerus, Hardradus, Algodus, Geroldus, Israhel, Harbertus, Amalbertus, Droptulfus, Milo, Hrodinus, Gutheus, Grinarius, Helmericus, Beringarius, Adalelmus, Aldricus, Heriulfus, Godeardus, Teutsinus, Sigefridus, Hildegarinus, Helmericus, Otlaricus, Hildelandus, Landricus, Regueguardus, Gualcerdeos, Rohingus, Gualterus, Ingelbertus, Fredenertus, Ombertus, Gualbertus, Madelguarius, Egfridus, Tredico, Eremboldus, Odelricus, Guandelmarus, Leodricus, Ermenardus, Framericus, Boso, Guntselmus, Zacharias, Gosbertus, Hatto, Harfridus, Flodeneus, Guandelmarus, Regemfridus, Gualcarius, Odilo, Godefridus, Herembordus, Restrudus, Adico, Amalfridus, Adelfridus, Ingrannus, Deodatus, Fronulfus, Regembertus, Aschelo, Berharius, Framericus, Odfulcus, Ermengarius, Eginboldus, Guaringandus, Bonothus, Gondacher, Odo, Amalricus, Altmarus, Lambertus, Raimbertus, Fulchramnus, Hysail, Onulfus, Emlinus, Bero, Regemlandus, Alguinus, Rogherus, Leutbrandus, Berlaicus, Salomon, Meginarius, Guilgeradus, Donatianus.

Hæc sunt nomina Militum monasterio Beatissimi

Richarii famulantium, quos ubique abbas, vel præpositi secum ducebant, quique consuetudinaliter in die Festi S. Richarii, et in Nativitate Domini, vel in Resurrectione, seu in Pentecoste, semper monasterio aderant, accurate prout quisque poterat, ornati, et ex sua frequentia regalem pene curiam nostram ecclesiam facientes.

Villas igitur et prædia, diversasque possessiones et reditus, quæ ex beneficio S. Richarii obtinebant, longum et nimis grave nobis est hic recensere, maxime cum volumen hæc disserens pleniter apud nos habeatur, a quo scientiam horum suscipiat qui nosse exoptat.

CAPUT IV.

abbate Helisachare.

Abbate Herico rebus humanis exempto, Helisachar elegantis gloriæ vir successit in gradu abbatitio, quem ferunt Gemmetici quoque monasterii fuisse rectorem, ob illam quæ longe superius a nobis commendata est, mutuæ dilectionis fraternitatem. Hic magnæ sanctitatis studiis pollebat, et in tantam profecit summæ religionis severitatem, ut ab ingressu monasterii omnimodum arceret feminarum accessum. Magnæ igitur sanctitatis merito Domino complacuit, et ut ex ipso rerum eventu perpenditur, ipsi sancto confessori charus permansit, quia illius tempore ad sui sacratissimi corporis tumulum, Deo præstante, magna obtinuit fieri miracula, quorum aliqua ad Domini Dei nostri laudem hic ponenda sunt. Et ut sciatur omnipotens Deus in præstandis miraculorum beneficiis, non sola semper sanctorum suorum merita, vel petentium intueri credulitatem, verum etiam aliquando considerare cernentium dignitatem, dignitatem dico non honoris altitudinem terreni, sed mentium sinceritatem; ne enim miracula ante oculos nostros fiant, non sola impedit petentium fidei pusillanimitas, sed et nostra flagitia obsistunt, quibusdum fœdi Dei obtutibus existimus, magna videre indigni habemur. Magnus itaque hic venerabilis abbas vitæ merito fuit, cui omnipotens et pius Dominus per gloriosa sui fidelissimi famuli Richarii merita magna videre concessit. Hæc ita se habent.

Quidam paterfamilias in Burgundia divitiis valde inclytus, sed liberis privatus, unicam filiam, quam solam habebat paralysi possessam, quamque per multa sanctorum loca gratia recipiendæ sanitatis gestaverat, visione admonitus ad venerabile Sancti Richarii, templum detulit cum multo comitatu; ibique in festivitate sancti, quæ VII Idus Octobris colitur, substitit, promissam cœlitus filiæ opperiens salvationem. Et quia mos in illo tempore, instituente prædicto abbate Helisachare, erat, ne limina monasterii feminæ attingerent, ipsa introferri non potuit, sed obpansis extrinsecus tentoriis mansit. Ipsa igitur die post peracta missarum solemnia, fratres charitatis gratia, et honoris obtentu, ex vinatico Sancti Richarii homini mittunt benedictionem. At illa quam dira paralysis possidebat, et quæ nunquam locuta fuerat, vel ori cibum intulerat, ex ipso vinatico ut bibit, tantam statim sanitatem recepit, ut illico exsiliens cæteris præ gaudio ipsa ministraret, et amorem sancti laudemque omnibus inculcans, non ut infirma, sed ut vere sana equitando remearet.

In Villare viculo fuit quædam animarum muscipula meretrix scilicet Olgia, quæ Deo sibi digna rependente omnium membrorum contractionem et tortionem pertulit, adeo ut ipsa facies more insolito retrorsum aspiceret: quam sui miserantes propinqui ad peritum archiatrum Richarium deduxerunt; ibique omnino salvata est: Verumtamen corpore sanato animus voluntate languebat, dum in pristina se facinora volutaret. Hoc autem ejus factum, divinum non latuit oculum; sed repetita nequitia repetitum est et judicium. Ad instar ergo prioris mali contrahitur, et (quod majus est) loquendi facultate privatur. Tunc parentes ejusdem non desperantes de potentia medici, reportaverunt eam ad suffragia patroni. Sanatur itaque et emendatur: ne si amplius peccasset, jam desperatius puniretur. Sunt vero et alia multa et magna, quæ referre poteramus, sed quia libellus hæc digne explicans nostris armariis tenetur, hoc loco ista sufficiant: alias alia dicentur.

CAPUT V.

De abbate Ribbodone, et translatio sancti Angilberti.

Helisachare venerabili non multis in regimine annis perfuncto, atque de hoc sæculo nequam erepto, Ribbodo abba splendidus Centulæ congregationem sua pastoralitate ornavit: Quo Cœnobii curam administrante, Hlodogvicus divæ memoriæ imperator cum regnasset annis XXVI, moritur anno Dominicæ Incarnationis 840, indictione III. Qui inter magna regaliaque quæ gessit opera Constantinopolim dicitur adiisse, et inde magnas atque mirificas reliquias detulisse, quas per sancta loca dispertiens, posteris honorandas tradidit. Et quia Sancti Richarii ecclesia nulli tunc temporis Gallicanæ Ecclesiæ honore et gloria, seu religione habebatur inferior, ex eisdem reliquiis magnam huic loco indulsit partem, hoc est, caligulam Domini Christi, summitatem acuminis lanceæ, qua ejusdem Domini latus fuit apertum; decem lapides beati protomartyris Stephani perlitos sanguine, quibus idem martyr fuit trucidatus; ampullam quoque ejus sancti sanguine plenam.

Genuerat autem idem Augustus ex Ermengarda regina tres filios, id est Hlotharium, Pippinum et Hludovicum; ex Judith vero imperatrice genuerat Carolum gloriosum regem. Itaque post obitum genitoris lites inter fratres exoriuntur, dum unusquisque sibi imperium exoptat. Dum hæc agerentur, et res in contrarium iret, decernitur ut, inito inter se prælio, rex vel imperator haberetur cui sors ministrasset victoriam. Hlotharius ergo adjuncto sibi Pippino, contra fratres suos Carolum et Hludovicum exercitum duxit in pago Antissiodorensi, in loco qui dicitur Fontanetum, ibique Franci cum nationibus sibi subditis mutua se cæde prosternentes, ad ultimum

Hludovicus et Carolus fugato Hlothario triumphum acepti sunt.

Ribbodo, ut dictum est, tunc Centulo monasterio abbas præerat. Qui videns sanctissimi Angilberti abbatis corpus sanctum eo loci quiescere, ubi ecclesiam ingredientes necessario incedebant, et nimium moleste ferens talem tantumque virum quotidiano populi accessu calcari, reputansque esse justum ut homo Dei intra Dei domum pausaret, levavit ejus membra sancta, et transtulit ea intra basilicam Sancti Richarii die Nonarum Novembrium. Requieverat in loco priori annis XXVIII, et tamen Deo faciente, qui servi sui meritum ostendebat, ita integrum et absque corruptela sanctum ejus corpus inventum est, ac si ea hora anima illud deposuisset. Odor etiam miræ suavitatis ibidem exuberasse asseveratur. Huic certæ rei testimonium ferunt Francorum Historiæ, eæ scilicet quæ illius temporis facta commendant. Nam cum aliquando quidam libellus in manus nostrorum devenisset, post quædam alia de S. Angilberto hæc inibi scripta notaverunt. Mortuo Hludogvico imperatore Caroli Magni filio; tres ejus filii [Hlotarius, Ludogvicus et Carolus de regno inter se dissidebant; dum unusquisque hoc sibi conatur . . . . Novissime vero statuitur dies qua de his judicium haberetur, et hoc fieri posse in Nonas Novembris visum est. Qua quidem die terræmotus magnus per omnem pene hanc Galliam factus est; eaque die Angilbertus vir memorabilis Centulo translatus, et anno post decessum suum vigesimo octavo corpore absque aromatibus] indissoluto repertus est. Idem etiam liber superius aliquid repetens, de ejusdem nobilitate pauca subinfert, dicens: «*Fuit hic eo tempore ortus haud ignotæ familiæ.* Madhelgaudus autem, Richardus, et hic de una progenie fuerunt, et apud Magnum Karolum merito magni habebantur; qui Angilbertus ex ejusdem regis filia nomine Beretha, Harnidum fratrem meum, et me Nithardum genuit. Centulo opus mirificum in honore omnipotentis Dei sanctique Richarii construxit, familiam sibi commissam mirifice rexit: hinc post vitam omni felicitate defunctam Centulo in pace quievit. Is ipse Nithardus domni Angilberti filius cœnobio huic præfuisse asseveratur post decessum patris: quique cum paucissimis diebus ministrasset, bello interfectus, juxta patrem sepulturam meruit. At cum ibi aliquantis annis pausasset, jamdudum translato corpore S. Angilberti in ecclesiam, quidam devoti posuerunt corpus ejusdem Nithardi in patris sarcophagum. In loco igitur ubi a domno Ribbodone sanctus positus est Angilbertus epitaphium positum est:

[Hoc recubat busto semper memorabilis abba
Angilbertus, ovans spiritus astra colit.
Mensis Martii obiit bissenis ipse Kalendis.
Construxit templum quo retinet tumulum.
Et cluit Augusti Caroli sub tempore Magni,
Dogmatibus clarus, principibus socius.
Ante fores templi jussit qui se tumulari,
Ribbodo huc abba transtulit ac posuit.
Post annos obitus bis denos ejus et octo,
Corpore cum nactus integer insolito est.]

CAPUT VI.

Privilegium Hlotharii.

Post illud, quod supra diximus, cruentissimum prælium, pace inter fratres facta, diviserunt sibi ipsi Francorum imperium. Et Lotharius quidem accepit regnum Romanorum, et totam Italiam, et partem Franciæ orientalem, quæ ab eodem mutuato nomine Hlotharingia vocatur, totamque Provinciam. Porro hic Hlotharius ante patris sui obitum decem et octo annis unctus fuerat ad imperatorem. Hludovicus vero præter Noricam quam habebat, tenuit Alemanniam, Toringiam, Austrasiam, Saxoniam, Hunorumque regnum. Carolus vero medietatem Franciæ ab occidente, et totam Neustriam; Britanniam, et maximam partem Burgundiæ, Gothiam, Guasconiam, et Aquitaniam; et quia Sancti Richarii monasterium intra ejus ditionem habebatur, maximis illud honoravit privilegiis et amplificavit donis, sicut in sequentibus, Deo auxiliante, docebitur. Eo itaque tempore quidam dux, nomine Hugo, donavit Beato Richario villas aliquas suæ proprietatis, ob animæ suæ salvationem: celebrata autem donatione, accessit ad regem Hlotharium, postulans ut suæ præceptionis auctoritatem super illas villas, id est Rollenicurtem et Botritium firmaret, quatenus per futura tempora absque calumnia sancti servitio subjacerent. Sane in illa descriptione, quæ paulo superius ex parte relata est, invenitur quia eædem villæ sancti servissent monasterio; et constat eas ab aliquo fuisse subtractas, quandoquidem ab isto duce modo reddebantur. Hlotharius (15) igitur ei benignissime favit; nam ejus filiam, nomine Ermengardam, uxorem habebat, et suæ concessionis auctoritatem super quæ poscebatur firmavit his ipsis verbis:

«In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Hlotharius divina providente clementia Francorum rex. Si servorum Dei justis et rationabilibus petitionibus benignitatis nostræ assensum præbemus, regiæ celsitudinis opera frequentamus; ac per hoc facilius nos æternæ beatitudinis gloriam adepturos liquido credimus. Quocirca noverit omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium atque nostrorum, tam præsentium quam futurorum, solertia quia dux Hugo nobis per omnia fidelis una cum monachis ex Centulo monasterio præclarissimi scilicet confessoris Christi Richarii, culminis nostri adeuntes serenitatem expetierunt quatenus villas quasdam ex eadem Sancti Richarii abbatia, quas ipse dux Hugo stipendiis et usibus monachorum pro remedio suæ animæ addiderat, ut nul-

(15) *Hlotharius* fallitur et fallit; nam privilegium quod hoc loco editur, nec Lotharii imperatoris est, nec ejus cognominis filii, sed Lotharii regis Francorum, quo natus est Ludovicus ultimus e Caroli stirpe Francorum rex; et Hugo dux cujus in illo privilegio fit mentio, idem est qui post Ludovicum regnavit parens inclytæ stirpis, quæ hucusque feliciter regnat.

lius aliquando abbatis vel cujuscunque personæ minoratione illis subtrahantur, imperiali præceptione pleniter firmaremus. Quorum denique preces ob amorem Dei et jam dicti militis ejus sancti Richarii, nec non et ob dilectionem charissimi consanguinei nostri Hugonis ducis clementer audivimus, et ita illis in omnibus concessisse notum esse volumus. Quin etiam reverentiæ nostræ scriptum hoc speciali conditione fieri jussimus, per quod memoratas villas in pago Targonensi sitas, hoc est Botritium cum omni integritate sua, Rolleni etiam curtem in jam dicto pago cum omnibus appendiciis suis vel quidquid ad supra dicta loca juste et legaliter aspicere videtur, sicut a jam dicto duce et ejusdem loci abbate statutum est, usibus et stipendiis monachorum in præfato loco Christo famulantium, concedimus atque firmamus, videlicet ut nulli liceat unquam ab eorum dominio ex eisdem villis aliquid abstrahere aut minuere aut in alios usus convertere, nec paratas aut lidimonium aut hostilicium aut alias quaslibet redhibitiones aliquis ullomodo præsumat exigere, sed, sicut dictum est, eo modo atque tenore quo a nobis atque a prædicto duce statutum est, ita nostris et futuris temporibus secure illas teneant et quiete possideant, quatenus eosdem servos Dei in præfato monasterio Domino militantes pro salute genitoris nostri ac felicitate nostra, conjugis proleque seu stabilitate regni nostri incessanter piissimi judicis misericordiam implorare delectet. Et ut hæc auctoritas per futura tempora inviolabilem atque inconvulsam obtineat firmitatem, manu propria subter firmavimus, et annuli nostri impressione assignari jussimus.

« Actum Compendio palatio regis anno Dominicæ Incarnationis 843, indictione VI, regnante gloriosissimo rege Hlothario anno XXI.

« *Signum domini Hlotharii gloriosissimi regis.*

Ego Adalbero regius notarius ad vicem domni Adalberonis, Remorum archiepiscopi et summi cancellarii, recognovi. »

CAPUT VII.

De abbate Ludovico.

Anno Dominicæ Incarnationis 844, regnante Carolo anno IV, indict. VI, præsule Romanæ Ecclesiæ Sergio papa, Ribbodone Centulensi defuncto abbate, ejusdem cœnobii curam suscepit gloriosus vir Ludovicus, tam divina quam sæculari prudentia ornatus. Iste ex regali prosapia oriundus fuit, et nobilitatem præclari generis in nobilitatem transtulit religionis, ut, sicut sui parentes, cognati, vel fratres purpura et diadematibus refulgebant, sic ipse in oculis Dei animi virtute splenderet. Verum antequam abbas factus fuisset, fratres nostri cœnobii regiam pietatem adierant, eique divi Augusti Hludogvici præceptum, quod super villis sancti hujus [loci] auctorizaverat, ostenderunt, supplicantes ut idipsum et ipse faceret, et super eisdem villis suæ potestatis præceptionem proferret. Carolus itaque occidentalis Franciæ rex, a quo hæc postulabantur, verenter assensit, et servis Dei favens, suæ præceptionis auctoritatem eisdem tribuit, his verbis descriptam:

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Carolus gratia Dei rex. Si servorum Dei justis et rationabilibus petitionibus benignitatis nostræ assensum præbemus, regiæ celsitudinis opera frequentamus, ac per hoc facilius nos æternæ beatitudinis gloriam adepturos liquido confidimus. Quocirca noverit omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium atque nostrorum, tam præsentium quam et futurorum solertia, quia viri religiosi monachi ex monasterio Centulo, præclarissimi scilicet confessoris Christi Richarii, culminis nostri adeuntes serenitatem, obtulerunt præcellentiæ nostra gloriosæ memoriæ domini et genitoris nostri Cæsaris Augusti Hludogvici auctoritatem, qua continetur qualiter idem dominus et genitor noster quasdam villas ex eadem S. Richarii abbatia usibus et stipendiis eorumdem monachorum constitutas eis concesserit, atque ut nullius quandoque abbatis vel cujuscunque personæ minoratione illis subtrahantur, imperiali præceptione pleniter confirmaverit. Ac proinde oraverunt iidem monachi Magnitudinem nostram, ut eamdem Domini genitoris nostri imperialem auctoritatem nos denuo reconfirmare vel renovare dignaremur per præcellentiæ nostræ rescriptionem. Quorum denique preces clementer audivimus, et ita illis in omnibus concessisse cunctis notum esse volumus; quin etiam reverentiæ nostræ scriptum hoc speciali conditione fieri jussimus, per quod memoratas villas, hoc est Civinocurtem cum Bronoilo, Aldulficurtem, Valles, Drussiacum, Novamvillam, Montem-Angelorum, Guibrentium, Bagardas, Curticellam, Crux, Langoratum, Altegiam, Sidrudem, Niviellam, Verculf, Concilium, Roconis-montem, Maris, vel quidquid ad supradicta loca præsenti tempore juste et legaliter aspicere videtur, sicut a domno et genitore nostro statutum est, usibus et stipendiis monachorum in præfato loco Christo famulantium concedimus, atque firmamus, videlicet ut nulli unquam liceat ab eorum dominio ex eisdem villis aliquid abstrahere, aut minuere, aut in alios usus convertere, nec paratas, aut lidimonium aut hostilicium, aut alias quaslibet redhibitiones præsumat ullo modo exigere; sed, sicut dictum est, eo modo atque tenore quo a piissimo imperatore genitore nostro statutum est, ita nostris et futuris temporibus secure illas teneant, et quiete possideant, quatenus eosdem Dei servos in præmisso monasterio Domino militantes pro salute ejusdem genitoris nostri, et felicitate nostra, et conjugis proleque, sive stabilitate regni nostri, incessanter piissimi judicis misericordiam implorare delectet. Et ut hæc auctoritas per futura tempora inviolabilem et inconvulsam obtineat firmitatem, manu propria subterfirmavimus, et annuli nostri impressione assignari jussimus. »

« *Signum Caroli gloriosissimi regis.*

« Meginarius notarius ad vicem Hludovici recognovi et subscripsi. »

Data VII Kal. Junii, anno IV, regnante Domino Karolo serenissimo rege, indictione VI.

« Actum Compendio palatio regio in Dei nomine A feliciter, Amen. »

Ludovicus abbas, incipiente v, anno regni Karoli monachos suos, quibus nuperrime prælatus fuerat ad regem mittit, quatenus quibusdam villis a se acquisitis et ex regio dono perceptis, suæ iterato auctoritatis præceptionem firmaret. Illi, obedienter præceptum abbatis exsequentes, regem Karolum denuo exorant, ut juxta quod suus genitor, et ipse paulo ante fecerat, regiæ potestatis auctoritatem reconfirmaret. Karolus, libenter ac placide obaudiens quæ orabatur adimplevit, et in hoc quoque privilegio illas notavit villas quas dudum in superiori firmaverat, adjungens illas quæ ex industria clarissimi abbatis poscebantur firmari, id est forestem cellam, et quidquid ad illam pertinebat, et B alia quædam, quæ ipsa charta liquido pandit, ita se habens :

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Karolus gratia Dei rex. Si servorum Dei, etc., *ut in præcedenti.* Qui a benignitate et licentia dilecti propinqui nostri Ludovici abbatis ejusdem sacri cœnobii viri religiosi monachi ex monasterio Centulo, præclarissimi scilicet confessoris Christi Richarii, culminis nostri adeuntes serenitatem, etc., *ut in superiori.* Quorum denique preces divino intuitu, et deprecatione præfati venerabilis et dilecti propinqui nostri Ludovici abbatis clementer audivimus, et ita illis in omnibus concessisse, cunctis notum esse volumus; quin etiam reverentiæ nostræ scri- C ptum hoc speciali conditione fieri jussimus, per quod memoratas villas, hoc est Civinicurtem, cum Bronoilo et Argovillare, Adulficurtem, Valles, Druscisecum, Novamvillam, Montem Angelorum, Guibrentium, Bagardas, Curticellam, Crucem, Langaratum, Alteiam quæ Abbatisham vocatur, Concilium, Verculfum cum seticis in Ragineri exclusa terrisque ad eam pertinentibus, Roconis montem cum seticis et terris in Asflariis, Sacrocampo, et Petronutio consistentibus, addito manso precariæ Hegfridi post decessum ejus, Nigellam, Sidrudem, capellam in villa maris cum Mansis ad se pertinentibus; insuper et cellam, quæ Forestis vocatur, cum villis ad eam pertinentibus, quas venerabilis abbas Ludovicus auxit monachorum stipendiis, D quarum hæc sunt nomina : Argubius cum colonia quæ Romamgilis dicitur, et beneficiolum Nortberti et Guicbaldi in eadem colonia sita; et Bonella cum beneficiis Angaltii, et Godolardi : nec non et villa quæ vocatur Sanctus Vigilius, cum Berniaco, et Accinicurte, et Eubolt. Et in pago Belvacense, in loco qui dicitur Gellis sitici sex, et de vinea aripennes octo et in Rivirtsicurte seticis duobus, et de vinea aripennes sex, et in Quentvico seticis duobus; in Mosultro mansum unum; in Asco seticis tribus; in Avisnis mansum unum, ea vero conditione, ut qui beneficia ex jam dictis rebus modo habent, tandiu ea retineant usquequo aut alicubi pro eisdem beneficiis alia obtineant, aut post decessum illorum, nisi forte abbas pro eorum culpa ante ab eis receperit, fratres absque ulla interrogatione recipiant; et XII canonicos in eadem cella monachi sub sua cura et ordinatione in debitis et necessariis stipendiis religiose custodiant. Ex silva etiam, quæ ad eamdem cellam, quæ Forestis dicitur, pertinere videtur, quæ necessaria in utilitatibus majoris Monasterii fuerint, discretione et ordinatione abbatis prævideant. Hæc autem omnia, quidquid ad supradicta loca præsenti tempore juste et legaliter, etc.

« *Signum Karoli gloriosissimi regis.*

« Jonas diaconus ad vicem Illudovici recognovi et subscripsi.

« Data v Kalendas Octobris anno v, Ind, VII, regnante Karolo gloriosissimo rege.

« Actum Compendio palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen. »

CAPUT VIII.

Ablatio S. Richarii, et relatio.

Cœnobio Centulensi Ludovico præsidente, ob malignorum timorem Danorum, quos Sequana illis alebat temporibus, multa monasteria mari finitima ac villæ fecundæ pristinum amisere decorem. Quo rumore et hoc monasterium concussum est, in tantum ut non solum facultates ecclesiæ, verum etiam ipsum intemerabilem thesaurum, sancti scilicet corpus Richarii, contigerit fugam inire. Fratres denique, illud tollentes paucosque loci custodes relinquentes, discesserunt, et tribus circiter hebdomadibus dispersi monasterio caruerunt. Dei autem voluntate Danis discedentibus aliaque regna petentibus, fratres retulerunt sanctum Domini in proprium locum. Revertenti patrono occurrunt Patrienses, de ejus reddita præsentia indicibiliter exsultantes. Omnipotens sane, ut ampliorem sui sancti cordibus Pontivorum amorem accenderet, duo magna in ipso reddilu perfecit miracula. Quidam enim nobilis Gotselmus paralysi detentus, omnium membrorum officio manebat privatus. Hic revertenti sancto confessori suorum auxilio gestatus occurrit, et mox ut ejus lecticam conspexit, statim omni malo liberatus optatam sanitatem perfectissime recepit. Alter quidam ignobilis vocabulo Magimbertus habebatur hydropicus, inutilis ad omne opus, et nisi ab alio moveretur, uno semper residebat loco ceu truncus : hunc quidam alii submonebant, ut sancto regredienti obviam iret, et salutem suam ab illo reposceret. Negante illo et impossibilitatem ostentante, illi eum accipientes obviam sancto tulerunt. Cumque processio fratrum referentium sanctum illis e contra venisset, infirmus exclamavit a quodam se calcari, et postmodum visum est illi quod aqua calida perfunderetur, sicque ex integro sanatus est.

CAPUT IX.

De Hruodalpho abbate comite.

Post aliquot (16) annorum spatia mortuo abbate

(16) *Post aliquot* Acherius in suo codice ad marginem hæc reperit : *Post domnum Ludovicum præ-*

Ludovico, abbatia Centulensis rectorem habuit egregium virum Hruodulphum, virum imperialem, et tam divina philosophia quam sæculari prudentia ornatissimum. Qui cum esset avunculus gloriosissimi regis Caroli, et tamen spreta sæculi gloria Domino ut nobilissimus nobiliter deserviret, a fratribus Centulensibus, quorum sodalis in proposito erat, abbas eligitur. Quique cum hoc officio regis precatu functus fuisset, ejusdem regis Caroli, sui scilicet nepotis, dono et prece comitatum maritimæ provinciæ suscepit quia erat, ut diximus, non solum studiorum spiritualium, sed et humanæ prudentiæ peritissimus. Ornabatur itaque nostrum monasterium Hruodulpho abbate, refulgebat res alternatim publica Hruodulpho comite. Hujus largitione Ecclesia nostra villas tunc optimas promeruit sex, quæ in sequentibus notantur. Qui etiam monachos, sicuti anteriores abbates fecerant, ad regem transmisit, ut super his villis et super aliis de quibus in posterum calumnia timebatur, suæ iterum potestatis auctoritatem firmaret, quod et factum est; nam fratres regiam majestatem adierunt, postulatum avunculi deferentes : quibus ille, ut solebat, benigne paruit, et eisdem tale præceptum confirmavit :

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis Carolus gratia Dei rex. Si servorum Dei, etc., *ut supra.* Quia voluntate et licentia dilecti avunculi nostri Hruodulfi rectoris Centulensis sacri cœnobii, monachi ex eodem monasterio præclarissimi scilicet, etc. Quorum denique preces divino nutu tactus, et deprecatione præfati avunculi nostri Hruodulfi abbatis clementer audivimus, et ita illis in omnibus concessisse cunctis notum esse volumus. Quin etiam Reverentiæ nostræ scriptum hoc speciali conditione fieri jussimus, per quod memoratas villas, hoc est Civinicurtem cum Broniolo, et Arcovillare, Hardulficurtem, Valles, Drusciacum cum Ecclesia Cardordense, et appendiciis suis, Novam villam, Montem Angelorum, Guibrentium, Bagardas, Curticellam, Crucem, Langoratum, Alteiam, quæ Abbatisam vocatur, Verculfum, Concilium cum manso in Vertunno, quem Teutdradus pro quodam Concambio S. Richario dedit, Niallam cum mansionile Filcariis, Roconismontem cum seticis et terris in Masfiariis, Sacrocampo, et Petronutio consistentibus, necnon etiam et Sidrudem cum omnium rerum plenitudine. Insuper et hoc quod quidam homo nomine Ragembertus jure beneficiario quodam tenuit pro commutatione Forestensis cellulæ, quam hactenus per auctoritatem præcepti nostri habentes tenuerunt, secundum opportunitatem, eorumque petitionem, atque consensum jam dicti avunculi nostri Hruodulfi, id est Argubium cum appendenciis suis, Longum superiorem, Spaniam, Hadardi-villarem, Habacurtem, et in Hambiaca-villa Ecclesiam unam cum mansis duobus, mansionilem unum qui dicitur Ponticulis, et in Buxide mansum unum cum sua inte-A gritate, et quidquid ad ista aucta vel commutat supradictaque loca præsenti tempore juste et legaliter aspicere videtur, sicut a domno et genitore nostro, etc.

« *Signum* Karoli *gloriosissimi regis.*

« Æneas notarius ad vicem Hludovici recognovi et subscripsi.

« Data II Kal. Martii, indict. III, anno XVI, regni Karoli gloriosissimi regis.

« Actum in Germiniaco palatio regio, in Dei nomine feliciter. Amen. »

Hruodulfus igitur venerabilis abbas et comes, postquam per aliquos annos cœnobium cum provinciis maritimis gubernavit, sed Deo vocante ex hujus mundi ludibrio emigravit, percepturus pro fi-B deli administratione dulcia paradisi. Fratres vero de ejus morte nimium tristes, librum rotularem conficientes, direxerunt per ecclesias et loca sanctorum, dilecti Patris exitum nuntiantes, et pro ipso orari cupientes. Quod ideo placuit memorari, quia ipsius voluminis epistola nostra ætate adhuc durans inter antiqua monumenta sancti loci gratam ex se fratribus facit lectionem. Ipsius itaque Epistola rotuli talis est :

» Fratres cœnobii Sancti Richarii gloriosæ memoriæ, omnibus Christi militibus Petimus obnixe paternitatem vestram pro nostris fraterne geri defunctis, et vestrorum æque dirigi vocabula mortuorum, diemque adventus præsentis cursoris ad vos C venientis per monimenta Kalendarum significari, ne fallaciæ suæ præstigiis nobis possit mentiri. Officio vero abbaticio, seu præpositurræ, una cum decaniæ qui fungi videntur pariter intimare sciat. Obiit itaque apud nos domnus Hruodulfus comes, abbasque simul noster VIII Idus Januarii. Ideoque quatenus pro eo decertetis apud Dominum, ut et vos mercedem habeatis, et ille in congregatione justorum aggregetur, vestris suffultus sanctissimis opitulationibus. Statuimusque justum esse ut quem Patrem habuimus piissimum, dulci filiorum amore pro eo pium Dominum incessanter rogemus. »

CAPUT X.

De Heligaudo abbate comite.

Universæ carnis viam ingresso Hruodulfo suscepit D Heligaudus comes Centulensium gubernationem. Hic ex sæculari comitatu transiit ad animarum ducatum. Nam antequam abbas aut monachus foret, sæculo militavit, et etiam uxoratus filium suæ carnis reliquit, terræ quidem potestatis, sed non monasticæ servitutis hæredem, nomine Herluinum, similiter comitem. Verum si aliquis quærat cur nostras rector abbas, et comes insimul exstiterit, reddimus quam antiquiores tradunt hac de re rationem. Eo enim tempore, permittente Deo, et peccato Christiani populi exigente, feræ nationes Danorum, aliarumque barbaries gentium persæpe Franciscos limites pervadebat, et ipsos reges ac proceres regno

fuisse dicitur domnus Nithardus; et quia tum persecutio gravis insistebat paganorum, etiam maritima ora comitatum suscepit. Eadem leguntur in codice Centulensi.

deturbare et penitus interimere conabatur. Pontivus, vel Wimacus, Provinciolæ tunc castella aut munitiones aut raro, aut nusquam habebant, et proinde per has liber ingressus ad Franciam hostibus existebat : quod etiam in hoc opusculo gemino potest animadverti exemplo, quando scilicet domnum Nithardum sancti Angilberti filium, bello interemptum retulimus, vel quando tempore abbatis Ludovici sanctum Patrem Richarium illorum timore hinc fuisse sublatum docuimus. Revera autem nostri astipulavere seniores, quod et ipse Nithardus utriusque officii minister exstiterit, et quia expeditioni, non relicto regulari ordine, inserviens, ab hostibus sit occisus. Cum ergo horum canina rabies frequenti suo adventu mala gravia orbi Gallico infligeret, visum est regibus Francorum et optimatibus ut abbas Centulensis, qui magnæ gloriæ magnique nominis habebatur, hujus sedandæ tempestatis onus exciperet, quia et in ipso loco sancto magnæ generositatis viri habitabant, et qui, tam pro bonorum immensitate quam pro parentum militum numerositate, magna et fortia aggredi possent. Nec enim unquam aliquis de nobilibus loquens aliud nobilius quæsivit, si sancti Richarii monachorum nobilitas ei nuntiata fuit. In hoc enim cœnobio duces, comites, filii ducum, filii comitum, filii etiam regum educabantur : omnis sublimior dignitas, quaquaversum per regnum Francorum posita, in Sancti Richarii monasterio se parentem habere gaudebat. Tali igitur qua diximus ratione quidam nostratum abbatum comites insimul erant et abbates, qui et generosæ parentilitatis lumine emicabant, et sacræ regulæ servatores, in ipsis etiam exercituum turmis ante Dei oculos habebantur.

Abbas ergo Heligaudus simulque comes, cum hujus cœnobii moderator existeret, cuidam militari viro Rollenicurtem, et alia quædam, proh dolor! quæ nuper a duce Hugone noster receperat locus, in beneficium sub certi temporis denuntiatione tradidit : cujus facti precaria cartula a nobis habetur (17). Sed nihil eorum hic ponimus, quæ non honoris augmentum, quin potius materiem doloris præstarent; qui etiam post aliquot annorum exhibitam abbatiæ comitatus administrationem humanis rebus excessit (18); nec comitatus curam jam abbatibus agendam reliquit, quia hanc filius ejus Herluinus suscepit. Verumtamen hujus Heligaudi comitis leges, quas in sæcularibus proposuit, adhuc a provincialibus tenentur, sciuntur, servantur.

CAPUT XI.

De domno Guelfone abbate, et translatio capitis sancti Richarii.

Illo itaque mortis eventu substracto, abbatem habuimus et vere Patrem virum regali genere procreatum, nomine Guelfonem. Quantæ vero strenuitatis et probitatis fuerit domnus iste, non paucis potest explicari relatis. Verumtamen bonitatem illius animo insitam hinc quisque lucide capere potest, cum sicut sequentia docebunt, erga S. Richarium fidelis ac devotus, erga subjectos benignus, erga principes semper exstiterit amatus. Hic ob expertam in se prudentiam, et religiositatis devotionem sanctæ martyris et virginis columbæ apud Senones sitæ, sicut et noster, abbas permansit. Ea autem quæ sub ipso ejus regimine gesta fuisse inveniuntur, referri debent, ut et in his quoque nobilitas viri liquido perpendatur.

Anno igitur Dominicæ Incarnationis 864, indictione XII, mense Octobri, die VI Kalend. Novembrium, translatum est ab ipso abbate, vel a fratribus gloriosum caput S. Richarii de capsa lignea in capsam argenteam, auro gemmisque redimitam. Siquidem cum, ut supra dictum est, barbarorum impulsu patria vastaretur fratresque fugere cogerentur, fecerant capsam ligneam, in qua caput beatum S. Richarii condiderant, ut facile et leviter secum possent quaquaversum portare. Data vero quiete, et hostibus fugatis, Odulfus venerabilis monachus sancti ejusdem habebatur æditnus; qui dum ardenti animo sacratissimum Patrem omni honore prosequeretur, ex thesauris Ecclesiæ auro et argento pretiosisque lapidibus abundantissime eam capsam paraverat, ubi chari patroni caput de lignea transmissum narramus. Quod dum fieret, contigit adesse unum e monasterii famulis, nomine Geraldum, qui lumine oculorum ante annum et dimidium fuerat Dei permissu orbatus. Transfertur sanctus, ille orans solo tenus jacet, dum sancti caput veneranter reconditur, istius oculis se lux peregrina refudit. At memoratus custos in ipsam quam diximus capsam multas sanctorum reliquias cum sancti capite reposuit, de quibus paulo post pauca referemus. Sed quia pietas regum multa nobis contulisse deprehenditur, ad illorum facta paulisper stylus revertatur.

CAPUT XII.

De regibus et de reliquiis quas Odulfus custos undecunque meruit.

In superioribus recognoscat nos lector dixisse Hludovicum filium Augusti Hludocvici, post habitum cum fratribus certamen, Noricorum et Alemannorum, Austrasiorum quoque et Saxonum ac Hunorum regna percepisse, quæ postquam XLIII annis strenue gubernasset, jamque sibi de sepultura cogitandum attenderet, tribus filiis regnum suum partitus est, et Carlomanno quidem dedit Noricam, id est Bajoariam, et Marchas contra Sclavos et Langobardos. Hludovico vero Toringiam, Austrasiam, Francos, et Saxoniam dimisit. Carolo quoque Alemanniam, et Curgualam, id est Comitatum Cornugalliæ reliquit. Anno autem Incarnationis Christi 865, ind. XII, post Paschalem festivitatem hæc regnorum partitio facta est. Ipse tamen Hludovicus super filios suos feliciter principatum tenuit postea per XI annos; sicque mortuus est.

Eo igitur anno quo filiis regna contulit, Odulfus

(17) Anno Karoli XX.

(18) Obiit III Non. Novembris.

custos ecclesiæ S. Richarii petiit venerabilem Hilmeradum Ambianorum præsulem, ut sibi ad honorem Dei et ob amorem fratrum suorum aliquam portionem Reliquiarum donaret. Quod ei divina gratia illustratus, animo cessit libenti, atque diem qua pro eis mitteret statuit. Prædictus vero custos discipulum suum Samuhelem presbyterum Ambianis misit, qui perceptas ab episcopo reliquias Idus Junii Centulo deportavit, videlicet ex casula sancti Firmini, quam habuit indutam cum interficeretur pro Christo, et de ossibus poplitum beatorum martyrum Fusciani, Victorici, atque Gentiani; necnon et partem anterioris digiti famosissimi honorati confessoris Christi. Tunc religiosissimi fratres obviam e monasterio procedentes, et terra tenus adorantes, exceperunt illas cum ingenti gaudio ac summo honore, et in capsam qua sancti Richarii caput beatum servabatur reposuerunt.

Eodem anno petiit ipse æditnus sancti fratres Judoci ut sibi pro charitate ex ipsius sancti corpore aliquid largirentur: at illi exsultantes quod apud se haberetur unde a Centulensibus potuissent rogari, memorato custodi citissime paruerunt, et medietatem digiti de eodem sancto ei contulerunt, quem, ut moris erat, nostrates monachi honoranter exceperunt, et in capsam sæpefatam cum sancti Richarii capite Idus Decembris posuerunt.

Sequenti etiam anno idem monachus rogavit a fratribus cœnobii Fontanellæ, quod nuperrime fuerat populatum, ut ex corporibus beatorum Guandregisili et Ansberti sibi et loco nostro tribuerent quantulamcunque partem. Acceptas ergo sacras reliquias legatus æditui, ossa scilicet et cineres, Centulo II Idus Februarii intulit, quæ a fratribus cum honore susceptæ et in capsam sæpe dictam reconditæ sunt.

Præfatus custos Odulfus oravit quamdam abbatissam euntem Valentianas ad placitum Karoli regis, quo sibi suo precatu obtineret aliquid donari ex reliquiis almi martyris Salvii a custodibus ejusdem sancti. Quæ ubi ad locum venit, non immemor acceptæ precis, impetravit ab ejusdem loci alumnis, quorum rector erat ejusdem abbatissæ filius, nomine Hugo, ex reliquiis jamdicti martyris portionem, ex sanguine scilicet una cum capillis ejus; sed et partem manicæ quam habebat vestitam tempore Dominici sacrificii. Quæ IV Non. Maii Centulo allatæ atque a fratribus vercnter exceptæ ac in præscriptam capsam honeste conditæ sunt.

Anno quoque Incarnationis Domini nostri Jesu Christi 866, ind. XIII, obtinuit custos sæpedictus apud Hudonem Belgivagorum præsulem intercessu Hilmeradi præpositi Sancti Luciani martyris, quo sibi aliquid e suis reliquiis dependere dignaretur. Legatus itaque illo veniens, a jamdicto episcopo reliquias ex capillis S. Luciani, et de veste ejus, nec non de corpusculo sancti Justi os quoddam accepit, attulitque ad cœnobium Centulum II Idus Junii, quas fratres cum hymnis et laudibus adorantes exceperunt, et cum capite sancti Richarii Pontivorum Patris condiderunt.

CAPUT XIII.

Privilegium Hludovici de Civinocurte

Post hæc vero anno sequenti (867), ind. XV, cum honestissimus abbas Guelfo Cœnobium Centulense modeste ac religiose gubernaret, Villam sanctissimi Patris Richarii, Civinicurtem vocabulo, contigit peditum equitumve frequenti transitu nimis gravari. Quod pius rector pervidens, et reputans quod, si res insolesceret, nimietate divertentium deleretur villa, accessit ad regem Hludovicum, qui ante ferme triennium fuerat a patre rex statutus; et deprecatus est, ut propriæ auctoritatis præceptione inhiberet ne aliquis commeantium peditum equitumve villam jamdictam causa hospitandi intraret. Cui venerabili abbati, uti dilecto parenti, rex jamdictus annuit, et ad ejus petitionem tale præceptum firmavit:

« In nomine Domini Dei æterni, et Salvatoris nostri Jesu Christi, Hludovicus misericordia Dei rex. Notum sit omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus, et nostris, præsentibus scilicet atque futuris, quoniam Guelfo venerabilis abbas et consanguineus noster charissimus, ad nostram accedens serenitatem, precatus est ut propter hospitum oppressionem facere juberemus præceptum nostræ auctoritatis ex villa fratrum Sancti Richarii nomine Civinocurte, quatenus nemo ibi mansionaticum faciat, nec in hostem vadens, nec iterans, sed libera sit jam dicta villa ab omni oppressione hospitum, et libere possit suis senioribus deservire. Nos itaque ejus petitionibus assensum præbentes propter amorem Dei, et reverentiam prædicti loci, et remedio animæ nostræ, et ob jam dicti abbatis Guelfonis charissimi consanguinei nostri dilectionem, ita et fecimus. Præcipientes igitur jubemus per hoc præceptum nostræ auctoritatis ut nullus in prædictam villam ex omni regno nostro introeat causa ullius mansionatici sine voluntate prædictorum fratrum, sed libere ab omnium hospitum oppressione maneat sine ulla resultatione. Si quis vero hoc nostrum præceptum infringens quidpiam sine licentia fratrum ex prædictis fecerit, argenti libras XXX coactus exsolvat. Et ut hæc nostræ concessionis auctoritas per omnia tempora inviolabiliter ab omnibus conservetur, annuli nostri impressione subter eam sigillari jussimus.

« Audacher notarius ad vicem Gauzlini recognovit et subscripsit.

« Datum III Kalend. Januarii, indictione XV, anno II, regnante Ludovico gloriosissimo rege.

« Actum Compendio palatio in Dei nomine feliciter. Amen. »

CAPUT XIV.

Item de Odulfo, et reliquiis.

Hoc eodem anno eademque indict., Odulfus jannuus sanctæ ædis almi Richarii, quæsivit a fratribus Se-

nonensibus ex monasterio sanctæ Columbæ virginis, coram Guelfone gratia Dei utriusque loci abbate, ut per ipsius assensum et jussionem aliquid sibi impertirent e corpore prædictæ virginis; nam eorumdem fratrum aliqui tunc temporis Centulo morabantur. Qui precatis libentissime faventes id se impleturos dixerunt, si Christo protegente proprium incolumes possent revisere locum; quo postquam venerunt, et cæteris fratribus suis Centulensium preces intimaverunt, responderunt illi cum magna devotione, si aliquid ex loco illorum procedere ad honorem famosissimi loci quivisset, cum omni liberalitate se tribuere velle. Sumpserunt itaque ex sacro corpore virginis martyrisque os ex humero, quod adhæret scapulæ, et ad cœnobium B. Richarii miserunt. Monachi autem ejusdem loci, gratificum donum excipientes et Deo glorificum melos reddentes, reposuerunt illud in gremium capsæ auro gemmisque ornatæ, ubi et conditæ sunt aliæ reliquiæ cum glorioso capite beatissimi Richarii.

Eodem anno venerabilis Hruodum abbatissa, Centulensium casta dilectrix, attulit ad monasterium Sancti Richarii reliquias sanctorum Patrum, scilicet Aratoris, sancti Pauli, sancti Mauri, sanctique Salvii confessoris episcopi, quas fratres ejusdem loci reposuerunt II Kal. Aprilis in capsam qua conditæ sunt cæteræ sanctorum reliquiæ.

In eodem vero Christi Incarnationis anno contigit quemdam e fratribus nostris, Samuhelem nomine, limina Sancti Dionysii attigisse, quo impetravit apud quemdam presbyterum civitatis Parisiacæ quoddam ossillum ex corpore sancti Viti martyris; quod etiam Centulum misit, quodque a fratribus XV Kalend. Maii susceptum, et in superiori capsa decenter positum est.

Nicolao papa Romanæ Ecclesiæ præsidente, quidam almi Richarii monachus, homo prudens, nomine Ansegisus, imperio Karoli gloriosissimi regis missaticum tulit ipsi summo pontifici, pro communi utilitate sanctæ universalis Ecclesiæ catholicæ. Qui Ansegisus munificentia tanti viri honorifice susceptus, et eis propter quæ missus fuerat allegatis, a quodam impetravit Romano, tum prece tum præmio, reliquias sanctorum, corpus scilicet S. Joannis Martyris pene totum, nec non et brachium S. papæ Urbani, sanctique brachium Alexandri quinti, apostolicæ sedis successoris; simulque caput B. Felicitatis, una cum quatuor filiorum ejus reliquiis, atque reliquias sanctorum plurimorum, quorum ob multitudinem nomina non recensemus. Has igitur secum referens divitias, monasterii proprii intulit gazophylaciis. Examen denique monachorum obviam exiens, et pronis in terram corporibus in modum crucis adorans, Kal. Decembris easdem excepit, et cum capite sanctissimi Richarii honorifice collocavit.

Odulfus venerabilis iterum obtinuit a quodam Sancti Mauricii ministro, qui his forte diebus Pontivo habebatur ut ex sacro jamdicti sancti corpore quidpiam percipere mereretur. Cujus probitati ille digna rependens, largitus est ei quamdam portiunculam de sacratissimo capite gloriosi martyris Mauricii, et particulam de camisia sancti Exuperii sanguine infectam, qua vestitus erat quando pro Christo martyrizatus est: quibus reverenter acceptis, facta est pars capitis sancti Mauricii cum jam dicta portione interulæ sancti Exuperii, concapsalis capiti beati Richarii.

CAPUT XV.

Privilegium Karoli, de Hasloas.

Regnante glorioso rege Karolo Hludogvici prioris filio anno XXVIII, indict. I, qui erat Dominicæ Incarnationis annus 868, venerabilis Guelfo Centulensium Pater exoravit ejusdem regis majestatem, ut villam Hasloas, super Somena fluvio sitam, sua præceptione auctorizaret perpetuo ea ratione habendam, ut nullus abbas, vel quilibet alter, ab illa quidpiam ex appendiciis subtraheret, aut aliorsum quam in usus fratrum delegaret. Annuit ei rex gloriosus; et pro hac ratione tale condidit præceptum:

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Karolus gratia Dei rex. Si fidelium nostrorum justis ac rationabilibus postulationibus, quas pro sacris locis sibi commissis nostræ sagacitati intimaverint, assensum præbemus, easque ad effectum perducimus, profuturum nobis ad præsentis vitæ curricula felicius transigenda, et ad futuræ beatitudinis præmia facilius obtinenda non dubitamus. Comperiat igitur omnium fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque præsentium ac futurorum industria quia dilectus nobis Guelfo venerabilis abbas monasterii Centuli, ubi S. Richarius egregius confessor corpore quiescit; ubi etiam turma monachorum Deo jugiter militare dignoscitur, nostram supplicavit celsitudinem, ut quasdam res ejusdem abbatiæ, id est in pago Ambianensi super fluvio Sominæ villam quæ dicitur Hasloas, cum farinariis et piscatoriis, et omnibus sibi pertinentibus, usibus ac stipendiis eorumdem monachorum, ad sui etiam refugium deputaremus, et nostræ auctoritatis præcepto perpetim habendam confirmaremus; res etiam alias, usibus ac stipendiis eorumdem monachorum deputatas, et præceptis piæ recordationis genitoris nostri Hludogvici serenissimi Augusti et nostris confirmatas, iterum nostræ celsitudinis auctoritate corroboraremus. Cujus justis ac rationabilibus petitionibus faventes, hoc altitudinis nostræ præceptum fieri eisdemque monachis dari jussimus per quod præcipimus atque firmamus ut omnes res illis deputatas, et auctoritatibus genitoris nostri et nostris corroboratas, sicut in eisdem præceptis continetur, absque alicujus abbatis contradictione aut minoratione firmiter teneant, ordinent atque possideant, et præfatam villam quæ dicitur Hasloas, cum domibus, ædificiis, terris, silvis, pratis, aquis aquarumve decursibus, farinariis, piscatoriis, mancipiis utriusque sexus desuper commanentibus, vel ad eamdem villam juste pertinentibus, plenaque integritate ad sui refugium deputamus, et

hoc auctoritatis nostræ præcepto confirmamus, ita ut nulli rectorum ejusdem cœnobii liceat ex omnibus rebus quidquam subtrahere, aut minuere, aut in alios præter, quos constituimus usus retorquere quatenus ipsi monachi liberius Deo famulentur, et pro nobis, conjuge, et prole, totiusque regni nostri statu continuis precibus Dei misericordiam implorent. Ut autem hæc nostræ auctoritatis præceptio inviolabilem obtineat firmitatem, manu propria subter eam firmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

« *Signum Karoli gloriosissimi regis.*

« Frogtarius notarius ad vicem Gozlini recognovi et subscripsi.

« Data VII Idus Decembris, ind. I, anno XXVIII, regnante Carolo gloriosissimo rege.

« Actum Carisiaco palatio regio, in Dei nomine feliciter. Amen. »

CAPUT XVI.

Donatio Caroli de Vallis-Villa.

Deo autem instigante, et fratrum religiositate id promerente, non suffecit isti potentissimo regi ea indulgere, quæ super prædiorum et villarum confirmatione poscebantur, sed sua sponte illa etiam loci victus amore concessit quæ nunquam a quoquam rogarentur, tum quia opus non erat reditu abundante, tum quia alia multa præstantem id non rogare fas erat. Donavit igitur cœnobio Centulo pro suæ remedio animæ villam in pago Belvacensi sitam, Vallis nuncupatam, super cujus deditione talem firmavit præceptionem :

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis Carolus gratia Dei rex. Quidquid locis divino cultui mancipatis largiendo conferimus, profuturum nobis ad præsentis vitæ curricula felicius transigenda et ad æternæ beatitudinis præmia facilius obtinenda non dubitamus. Comperiat ergo omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium, nostrorumque, præsentium ac futurorum, solertia quia, ob Dei et S. Richarii egregii confessoris amorem et honorem, complacuit celsitudini nostræ pro nostrorum absolutione peccaminum, usibus et stipendiis monachorum in monasterio ejusdem S. Richarii, ubi ipse sanctus confessor corpore quiescit, ubi etiam Guelfo abbas esse dignoscitur, Deo militantium, quasdam nostræ proprietatis res et mancipia largiri, et largiendo delegare, id est in pago Bellovacensi, in villa quæ dicitur Vallis, seticum indominicatum habentem quadrellos CXXX, et de vineis bunuaria XXX, et de arabili terra bunuaria XXI, et de prato bunuaria II, et quadrellos XLVIII, et de silva bunuaria XX, et de conciso bunuaria V, et quadrellos II, et de marisco quadrellos CX, et de alnido bunuarium I, et farinarium I, et mansellos IV, habet unusquisque bunuaria III, et alios mansellos II, habet unusquisque bunuaria III, et dimidium. Unde hoc altitudinis nostræ præceptum fieri, et eisdem monachis dari jussimus, per quod præfatas res et mancipia, cum domibus, ædificiis, vineis, terris, silvis, pratis pascuis, aquis, aquarumve decursibus, mancipiis utriusque sexus desuper commanentibus, vel ad easdem res juste pertinentibus, farinariis, omnique integritate ejus largimur, et largiendo conferimus, ita ut nulli rectorum ejusdem monasterii liceat ex eisdem rebus quidquam subtrahere, etc., *ut supra.* Sigillari jussimus. »

« *Signum Karoli, glorisissimi regis*

« Frotgarius notarius ad vicem Gozlini recognovi et subscripsi.

« Data VI Kalend. Aprilis, ind. I, anno XXVIII, regnante Carolo gloriosissimo rege.

« Actum Silvanectis civitate in Dei nomine feliciter. Amen.

CAPUT XVII.

Donatio ejusdem de Bersaccas cum privilegio.

Guelfo venerabilis, Deo dignus et omnibus amabilis, ubi comperit regiam erga sanctum locum munificentiam, simulque quia, ut jam patuit, ejus consanguineus erat, ex amore sumens audaciam atque fiduciam, hortatus est sæpefatum regem Carolum, ut ad laudem et amorem Dei, ac sancti venerationem Richarii, quem Dei amicum miracula crebra testabantur, aliquid adhuc Centulensibus fratribus impartiretur, quo et Deum sibi placabilem per sancti merita faceret, et ejusdem loci honorem in aliquo augmentaret. Salubriter certe insinuata, salubrius sunt perfecta ; nam hortatui dilecti cedens parentis, donavit iterum S. Richario villam juxta monasterium positam, quæ Bersaccas dicitur, pro cujus largitione tale auctoritatis suæ testimonium confecit :

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Carolus gratia Dei rex. Si locis divino cultui mancipatis aliquid competentium subsidiorum conferimus, id nobis prodesse ad sanctorum eorumdem suffragia consequenda eorumque precibus ad misericordissimam pietatis Dei clementiam adipiscendam procul dubio confidimus. Qua propter omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium, et nostrorum, tam præsentium quam futurorum, solertia noverit quia nos ob emolumentum nostræ salutis, deprecante Guelfone monasterii Sancti Richarii præcipui confessoris abbate, præcepto nostræ auctoritatis delegamus quemdam locum, Bersaccas nomine, in pago Pontivo, haud secus monasterio ipsius confessoris, ad luminaria scilicet prænotatæ ecclesiæ perpetuo ritu subministranda, et quasdam res quæ juris ipsius ecclesiæ esse noscuntur, eo videlicet tenoris pacto, quatenus deinceps sub manu ministrorum luminaria coram præcipuo illo confessore, reliquiisque sanctorum illic degentium sint administrata. Unde hoc præcellentiæ nostræ præceptum fieri jussimus, ministroque huic præposito dari, per quod prædictas res omnes, cum ecclesia scilicet inibi fundata, et silvis, pratis, pascuis, molendinis, aquis, aquarumve decursibus, et omnia quæ ad ipsum locum Bersaccas scilicet juste et legaliter pertinere videntur, præfato sancto loco largimur. Statuentes quatenus ex hac opitulatione tria continue luminaria coram capite sæpe dicti præcipui confessoris reliquiisque sanctorum ardeant,

et annotina translatione sanctarum reliquiarum illi conditarum, quæ evenit IV Non. Decembris, commemoratione sanctorum et commercio suorum præmiorum fratribus ibi Deo militantibus refectio cibi et potus congruæ opulentiæ eorum exhibitione subministretur, qui res easdem in prædicto monasterio regendas et ordinandas perceperint. Et ne quis ab hodierna die et deinceps hanc prædictam villam Bersaccas ab obsequio divini cultus subtrahere quocunque molimine attentet, aut inde dona, vel quasdam exhibitiones extorquere præsumat, sed sicut statutum est inviolabiliter manere contendat, ante divinum conspectum prædicto patrono et collegis suis circumstantibus precamur ; sed perpetua hujus stabilitatis tranquillitate potiti ipsius loci ministri et prætaxata luminaria indesinenter, et refectionem fratrum annuatim administrent. Et pro nobis, conjuge, prole, regnique stabilitate Domini misericordiam jugiter obsecrando deposcant. Ut autem hæc nostræ roborationis et largitionis auctoritas pleniorem in Dei nostri nomine obtineat stabilitatis vigorem, manu propria subterfirmavimus, annulique nostri impressione assignari jussimus.

« *Signum Karoli gloriosissimi regis.* »

« Hildeboldus cancellarius ad vicem Gozleni recognovi et subscripsi.

« Data IV Kalendas Junii, indict. I, anno XXVIII, regnante Carolo gloriosissimo rege.

« Actum Carisiaco palatio in Dei nomine feliciter. Amen. »

CAPUT XVIII.

De miraculis S. Richarii.

Sed nunc ad S. Patris nostri opera recurrendum est, ut nostris opusculis per se nimis insulsis quasi condimentum divinitatis ex eis conferatur. Eo enim tempore femina paupercula detulit filium suum ante annos quatuor natum ad suffragia patroni nostri, jam per duos annos omni corpusculo contractum ; et ubi pio medico ejus causam commisit, illico virtute meritorum sancti amissam recepit sanitatem. In Wilcassino pago homo grandævus et pauper habebatur in villa Floriaco, cui a die nativitatis in reliquum fuerat negata omnimodi sermonis facultas. Huic diva miseratio in visu persuasit sanctum requirere Richarium, usum loquendi illum posse dare confirmans. Credulus ille dictis intimatum requirit archiatrum : quo invento cœleste mox sensit antidotum ; nam in sancti Patris solemnitate damnata taciturnitate nativa, linguæ loquacis accepit officia. Puer nomine Dodigerus mutato jure nascendi in hanc lucem contractus, et distortus confuso membrorum ordine processit ; fuit vero Rothomagensis indigena territorii. Verum ejus genitor multiformi nuntio cognoscens potentiam et pietatem Pontivorum patroni Richarii, et se ejus beneficiis uti posse non desperans, sustulit illum ad cœnobium nostrum in sancti magna festivitate. Et quia fidem habuit, spes eum præsumpta non fefellit; nam cum in ecclesia astans filium in brachiis teneret, superno respectu sanatus est. Contigit eo tempore Danorum catervam de palatio domni Karoli regredientem, et Anglicos sinus repetentem, per hoc monasterium habuisse commeatum : Nemo autem putet istos modo fuisse, quorum violentiis et prius et postea patria depopulata est nostra ; nam isti gratia legationis forsitan pacificæ regiam petierant duce Ansleico aulam. Itaque in regressu hoc sanctum cœnobium pervium habentes, gratia orandi intraverant basilicam hi quos fides Christiana illustrabat, cum quibus unus intravit paganismi adhuc errore obsessus. Qui Deo omnipotenti vel sanctis ejus nullam exhibuit reverentiam, sed curiose agens cœpit perlustrare sacrarum ædium diversoria, volens aliquid videre unde nostræ fidei cultoribus posset insultare : quam ejus præsumptionem malitiosam divina extemplo prosecuta est censura, per quam coactus est bono suo fieri Christianus, ne amplius malo suo illi dominaretur zabulus. Nempe cum perscrutata basilica exiisset, et illo usque venisset, ut mari se navigio transvehendus committeret, cœpit omni sua virtute destitui, molestia etiam corporis et angore ingenti affatim gravari. Cumque jam oculos in mortem clauderet, propinqui ejus sortilega indagine quæsiverunt pro qua re tam fortiter torqueretur. Deprehendunt fuisse causam quod S. Richarii paganus intravisset basilicam ; quod ita sibi videri jam et ipse fuerat confessus. Spondet itaque, si reddatur sanitas, se Christianorum necem in æternum non appetere, et ipsum ritum suscepturum se fore. Quatuor quoque fila argentea unumque aureum, suæ longitudini coæqua tendere fecit, et pro devotione B. Richario mitti rogavit, addito tot candelarum numero quot ibidem altaria perviderat. Quæ ut fieri statuit, statim propitio Deo totius mali levamen accepit, et deinceps molestiam ex hoc non pertulit.

APUT XIX.

De abbate Karlomanno; et donatio Durcapti.

Igitur sanctisimo Guelfone abbate felici excessu mortalia cuncta superante, felicissimi nostrates monachi regium Abbatem nomine Karlomannum sortiuntur, qui bonus boni successor exstitit. Hic gloriossimi regis Karoli filius fuit, et imperialem nobilitatem sanctitatis et pietatis exsecutione felici animo vicit, qui ab eo tempore quo sanctum suscepit ordinem, omni humilitate semper itatenus fulsit, ut ipsa summa et excellens generositas nullam in eo conciperet mentis ignobilitatem ; sed sicut genere, ita et virtute magnificus Pastor eligeretur ; quippe qui suo splendore ad se traxerat dignitatem. Nemo autem indignum putet quod dicimus regis filium nostrum fuisse abbatem, quoniam tunc temporis S. Richarii abbatia omnium rerum affluentia, et ipsius dominationis elegantia, et certe militarium virorum servitiis cujuspiam episcopi præcellebat dignitatem. Postquam vero is abbas statutus est, placuit ei genitorem Carolum adire, et ut pro sui amore S. Richarii bona augeret, rogare. Vadit ita-

que dulcissimus filius ad chari curiam genitoris, et quid animi habeat confitetur. Pater amplectitur filium, percipit vota, et contra sæcularis potentiæ consuetudinem exsultat se videre filium monachum et abbatem, qui certe facile potuisset ducatus vel regni infulis decorari. Exsultat Karolus de filio quod caduca contempserit; lætatur et filius quod patrem suo proposito non adversantem, quin omnino faventem attendit. In illa vero militum descriptione quæ superius inserta est, invenitur Hungarius miles Durcaptum villam ex beneficio Centulensis abbatis Herici tenuisse; qui quoniam mortuus erat, nullumque hæredem, qui contra tenere eam posset, reliquerat; si quidem tanta nostrorum auctoritas, tantusque timor ac reverentia habebatur, postulavit abbas Karlomannus, ut jam dictam villam Durcaptum præceptione sua stabiliret genitor pius, quatenus nec beneficiarie, nec alio modo a dominio fratrum cuilibet donata subtraheretur, sed sancto monasterio proprie deinceps serviret. Ut hæc autem peteret, ratio fuit talis: Domno adhuc vivente Guelfone donaverat idem rex Sancto Richario villam Bersaccas, statueratque etiam scripto, ut ex reditu ejusdem tria in perpetuum ante gloriosum sancti Richarii caput luminaria arderent: hoc autem addendum censebat Karlomannus hic venerabilis abbas, ut etiam ad pedes patroni eximii tria itidem ex dono patris luminaria semper arderent, et omni nocte ante unumquodque altare una lampas statueretur. Quod et factum est; nam gloriosus genitor dilecti nati postulatis assentiscens, quidquid rogarat velociter mandat impleri; tale super his edictum confirmans:

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Karolus gratia Dei rex. Cum precibus fidelium nostrorum debite faveamus, consequentius procul dubio videtur ut piis monitis liberorum nostrorum assensum præbere saluberrime non abnuamus. Igitur noverit omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium, nostrorumque, tam præsentium quam et futurorum, industria quia dilectissimus filius noster Karlomannus monasterii Sancti Richarii abbas, ad nostram accedens magnificentiam suppliciter expetiit, quatenus per auctoritatis nostræ præceptum ad luminare ipsius sacrosancti confessoris Christi Richarii, quamdam villam ipsius ecclesiæ, Durcaptum nomine, quam Hungarius jure beneficiario quondam habuisse dignoscitur, cum omni sua integritate concedere, et consentire ad serviendum Deo jugiter dignaremur. Cujus precibus ratis et rationabilibus assensum præbentes, hoc celsitudinis nostræ præceptum fieri, et altari jam fatæ ecclesiæ dari jussimus, per quod memoratas res cum plenissima sui integritate, cum terris scilicet cultis et incultis, silvis, pratis, pascuis, molendinis, aquis, aquarumve decursibus, et universis legitimis terminationibus seu appendiciis, hac conditione perpetuo ritu famulandas concedimus, quatenus ad pedes sanctissimi confessoris, pro nobis, proque anima quondam charissimæ conjugis nostræ Yrmindrudis, seu et pro prædicto charissimo filio nostro Karlomanno, et fratribus ejus, tria luminaria olei assidue ardeant. Insuper huic piæ institutioni, ut unumquodque ipsius Ecclesiæ altare proprium singulis noctis habeat luminare, addimus in villa Encra mansum et molendinum unum, usui horum luminariorum perpetue serviendum; necnon et usibus fratrum in villa Hasloas molendina duo, quæ notarius in beneficio habuisse dignoscitur: quam villam jam nostro præcepto his ipsis fratribus integerrima contuleramus, seu etiam ad portam ipsius monasterii villam Anisceias; et in Hamingi-monte, hoc quod Atto et Otgerus habuerunt, precibus supplicantis filii ejusdem nostri Karlomanni perpetue serviendum conferimus, conferentesque concedimus. Præcipientes ergo jubemus, jubentesque omnimodis rogamus, ut nullus per successionem abbatum, rectorumque abbatiæ hujus res prædictas in nullos alios retorquere audeant, sive attentent usus, sed propria stabilitate his, quibus statuimus deservire concedant, atque consentiant nemine refragante, locis quatenus hac dispositione, sanctique confessoris Christi Richarii prece, Domini misericordiam habeamus propitiam, et anima conjugis nostræ Yrmindrudis perpetuam obtineat quietem, et filii nostri jugem stabilemque salutem. Ut autem hæc nostræ assensionis seu roborationis auctoritas firmiorem per futura tempora obtineat stabilitatis vigorem, manu propria subter eam firmavimus, et annuli nostri impressione assignari jussimus.

« *Signum Karoli gloriosissimi regis.*

« Hildeboldus notarius ad vicem Gozleni recognovi et subcripsi.

« Data XVIII Kalend. Februarii. ind. III, anno XXX, regnante Carolo rege; et in successione regni Lotharii anno I.

« Actum Aquisgranii palatio in Dei nomine feliciter. Amen. »

CAPUT XX.

De regibus Francorum, et de Guaramundo Pagano (19), *sub quo Ecclesia nostra combusta est.*

Multis et grandibus Caroli regis beneficiis huic loco, ut jam clarum est, impensis, justum videtur de temporali ejus felicitate paucula recitare; ut quia quam liberalis fuerit erga loca sanctorum, nostri loci exemplo monstravimus, quantum a Deo sit exaltatus recenseamus. Anno regni sui XXXVI. Italiam pergens, ad limina beatorum apostolorum Petri et Pauli causa orandi pervenit, ibique ab omni Romano populo imperator eligitur, et a Joanne papa in imperatorem consecratur VIII Kal. Jan., anno Incarnationis Domini 875. Indeque Galliam prospere reversus est. Hic præter ea quæ dudum constructa ampliavit, aliqua sancta loca instauravit; quibus

(19) *Pagano.* Id est Normanno.

hodieque Christi laus et gloria pollet decenter. Anno quoque regni sui XXXVIII, et imperii inchoante III, Italiam iterum perrexit. Inde dum repedat, transcenso Ciniso monte, præsentis luminis caruit visu III Non. Octobris, indict. X, anno Domini nostri Jesu Christi 877, successitque in regno filius ejus Hludovicus. Præterea Karlomannus (20) ejusdem Karoli filius Centulensium abbas decurso præsentis vitæ cursu feliciter migravit e sæculo.

Aurea sceptra tibi sors, Karlomanne, parabat,
Ut morum, generisque simul probitate cluenti.
Omnia sed spernens nihilum quandoque futura,
Gaudes æterni gestans insignia regni.
Hæc sunt, Christe, tuis quæ donas præmia sanctis,
Ut te percipiant, qui te super omnia quærunt.

Porro frater ejus rex Hludogvicus, anno regni sui II, necdum expleto, mortuus est Compendio palatio, V Idus Aprilis.

His sane temporibus, qui post venerabilem Carlomannum huic sancto loco præfuerint, nulla certa intimat narratio. Fuerunt tamen penes hæc tempora nostri loci abbates Herebertus atque Hedenolbus egregii æque viri; sed et Hugo atque Girardus magnæ sanctitatis viri, qui quantum temporis in regimine protraxerint quibusve terminis hujus vitæ auram excesserint, nullis antiquorum docemur monimentis.

At post mortem Hludogvici, filii ejus Hludogvicus et Karlomannus regnum inter se dispertiunt. His ergo regnantibus, contigit Dei judicio innumerabilem barbarorum multitudinem limites Franciæ pervadere agente id rege eorum Guaramundo, qui multis, ut fertur, regnis suo dirissimo imperio subactis, etiam Franciæ voluit dominari, persuadente id fieri quodam Esimbardo Francigena nobili, qui regis Hludogvici animos offenderat, quique genitalis soli proditor, gentium barbariem nostros fines visere hortabatur. Sed quia quomodo sit factum non solum historiis, sed etiam patriensium memoria quotidie recolitur et cantatur, nos pauca memorantes, cætera omittamus, ut qui cuncta nosse anhelat, non nostro scripto, sed priscorum auctoritate doceatur. Enimvero jam dictæ gentes cum nostris oris proximantes omnibus perniciosam indicerent vastationem, Hieremias monachus, et thesauriarius sancti Richarii, homo nobilis, nec solum claustrali, sed etiam sæculari prædictus prudentia, fugæ præsidio vitam servare disposuit, ne si ab eis quos venire audiebat inveniretur, atrociter perimeretur, vel alios morientes videre cogeretur. Fecit itaque capsam aliquantæ magnitudinis, quam ne facile cuiquam pateret, cingulis ferreis firmiter ambivit. Deinde nullo existente qui contrairet (nam abbas loci id ipsum volebat, cæterique fratres similiter fugam parabant) accepit de thesauro ecclesiæ, vel ornamentis, quæque potuit pretiosiora, et in arcam jam dictam recondidit. A tempore etenim domni et sancti Angilberti abbatis in majus semper et melius locus iste excreverat, et tam forensibus bonis quam Ecclesiæ thesauris nimis valde fuerat augmentatus; unde et multa fuerunt quæ pro [eo] timore hinc ablata sunt, quæ hic noster sermo ideo non explicat, quod omnia recensere ut longum, ita et grave fuerit. Hæc sunt tamen quæ omni auro chariora et regnis præponenda ab hoc loco per jam dictum Hieremiam sunt ablata: Caligula Domini Salvatoris, qua tempore suæ sanctæ pueritiæ usus est; nam unius cubiti habet longitudinem; summitas lanceæ, de qua ejusdem Domini latus pro nostra salute jam mortui manu militis fuit apertum, unde etiam Ecclesiæ sacramenta fluxerunt; ampullæ duæ in quibus B. protomartyris Stephani sanguis habebatur, una cum lapidibus decem cruentis, quibus lapidatus est a Judæis. Reliquias etiam Innocentum, apostolorumque et martyrum tantas tulit, ut præter illud amabile beatissimi Richarii corpus in comparatione horum quæ multa sunt, pauca, aut minima putarentur quæ relicta sunt. Hæc omnia cum eximiis ecclesiæ ornamentis jam dictus, custos asportavit, et in monasterium Sanctæ Columbæ virginis apud Senones recondidit; propter illam quæ tempore domni Guelfonis contigit amborum locorum unitionem; quique cum pro amicitia priscæ dilectionis, tum pro tanti allatione thesauri officiose susceptus uti qui probus vir fuisset, ibique de reliquo habitare statuisset, decedente loci abbate a fratribus electus, et ejusdem cœnobii rector est institutus; quique cum huic officio eleganter satis ministraret, Senonensi episcopo morte subtracto, a clero et plebe universa electus, et ejusdem civitatis archipræsul est ordinatus. Porro cum tanto gradu polleret, suggerentibus clericis æquum sibi visum est, jam dictas gloriosas reliquias in suam ecclesiam transferre, ut qua ipse exaltatus fuerat, tantorum pignorum receptione æternaliter honoraretur; sed hæc tristia nobis seponentes ad reliqua transeamus.

Cum populi supervenientes nostris finibus primum appulissent, exeuntes de navibus, Vimmacum et Pontivum provincias lustrarunt, ecclesias straverunt, Christianos jugulaverunt, et omnia mortibus et sanguine repleverunt. Denique ecclesiam splendididissimam B. Richarii quæ pro sui magnitudine vel firmitate dejici non poterat, admoto igne succenderunt, sublatis prius omnibus, quæ discedentibus fratribus ex supellectili remanserant ecclesiæ.

Prædictus ergo Hludogvicus rex in pago Vimmaco cum eisdem gentibus bellum gerens, triumphum adeptus est interfecto eorum rege Guaramundo. Et cæsis militibus populi infidelis, cæteri

(20) *Karlomannus.* Hæc in ora codicis sui monet a se reperisse Acherius: Lectori. *Hæc quæ de hoc venerabili Karlomanno feruntur, vera esse pro certo comperimus, quia tantam patris gratiam in tantum offendit, ut postmodum ab eodem patre suo sit cæcatus, quia vero qua occasione sit factum nescimus, monemus ut quæratur et scribatur inventa occasio.*

fugati sunt. Dicitur autem quod in ipso congressu præ nimio feriendi conamine sua interiora ruperit, ac deinde mortuus est. Regnavit autem annos II, menses III, dies XXIV. Cui successit in regno frater suus Carlomannus; et hic quoque annis tribus et dimidio potitus est regno, ac deinde in Euvelina saltu in Monte Ærico a fera singulari perculsus, mortuus est. Obiit anno Domini 884, ind. II, VIII Idus Decembris. Deinde Carolus rex, secundi Hludogvici filius, quem longe superius retulimus Alemannorum et Cornugalliæ regem fuisse, monarchiam totius imperii Francorum et Romanorum assumit, anno Domini nostri 885, indictione III. Hunc comperimus erga Dei obsequia promptum, et ad ecclesias quæ incursu paganorum dirutæ erant, restruendas aliquantulum e suis reditibus donavisse.

Sed omnipotens Dominus qui nullius unquam sibi impensæ servitutis mercedem retinuit, hunc Carolum regem corripuit, ut purgatus facinorum contagio, misericordiæ aptum vas posset haberi. Denique volente Deo qui cuivis vult miseretur, et quem vult indurat, ostensa sunt ei tormenta pœnarum quibus peccatorum animæ Dei judicio plectuntur; quæ postquam vidit, arbitramur eum satis admodum fuisse correptum; quippe qui eadem pati timuerit. Res autem ipsa a prioribus descripta relatu digna existit, quoniam revera cum legitur, audienti incutit pavorem, et ob hoc forsan proficit ad purgationem. Nemo autem ineptiæ deputet quod ipsam visionem hic ponimus, quia ad hoc faciendum duæ nos res attrahunt: una quidem ut ostendamus qualiter misericordi Dei judicio homo regius territus sit ne periret; et ut hæc legentes taliaque incurrere formidantes, ad lamenta pœnitentiæ se informent. Hujus ergo rei dictio talis est:

CAPUT XXI.

Visio Caroli.

Visio quam vidit Karolus imperator de suo nomine: « In nomine Dei summi Regis regum. Ego Carolus gratuito Dei dono rex Germanorum et patricius Romanorum, atque imperator Francorum, sacra nocte Dominici diei post celebratum nocturnarum Horarum divinum officium, dum irem repausationis cubitum, et vellem dormitionis carpere somnum, venit vox ad me terribiliter dicens: Carole, exiet modo a te spiritus tuus, et videbis justa Dei judicia, et tibi aliqua præsagia, et tamen revertetur ad te iterum spiritus tuus in hora non modica. Statimque fui raptus in spiritu, et qui me sustulit fuit candidissimus, tenuitque in manu sua glomus lineum clarissimi jubar luminis emittens, sicut solent facere cometæ, quando apparent, cœpitque illum dissolvere et dixit ad me: Accipe filum glomeris micantis, et liga ac noda firmiter in pollice tuæ manus dexteræ, quia per illum duceris in labyrintheas infernorum pœnas. Et hoc dicto, præcessit me velociter distorquens lucifluum glomus, duxitque me in profundissimas valles et igneas, quæ erant plenæ puteis ardentibus pice et sulphure,

A plumboque et cera et adipe: ubi inveni pontifices patris mei et avunculorum meorum. Quos cum pavens interrogarem ob quid tam gravia paterentur tormenta, responderunt mihi: Fuimus episcopi patris tui et avunculorum tuorum, et tum debuimus illos et popum illorum de pace et concordia admonere et prædicare, seminavimus discordias, et incentores malorum fuimus. Unde nunc incendimur in istis tartareis suppliciis, et nos et alii homicidiorum et rapinarum amatores. Huc etiam et tui episcopi et populi satellitum venient, qui similiter amant nunc facere. Et dum tremebundus hæc auscultarem, ecce nigerrimi dæmones advolantes cum uncinis ferreis volebant apprehendere filum glomeris quem in manu tenebam, et ad se attrahere, sed

B reverberantibus radiis non valebant filum contingere. Deinde post tergum meum currentes voluerunt me aduncinare, et in ipsos puteos sulphureos præcipitare; sed ductor meus qui portabat glomus, jactavit super scapulas meas filum glomeris et duplicavit illum, traxitque me post se fortiter, sicque ascendimus super montes altissimos igneos, de quibus oriebantur paludes, et flumina ferventia et omnia metallorum genera bullientia Ubi reperi innumeras animas hominum et principum patris mei et fratrum meorum præcipitatas, alias usque ad capillos, alias usque ad mentum, alias usque ad umbilicum, clamaveruntque ad me ejulando: Dum viximus, amavimus tecum et cum patre tuo et cum

C fratribus tuis et cum avunculis tuis facere prælia et homicidia et rapinas pro cupiditate terrena, ideo in ista bullientia flumina et metallorum diversa genera sustinemus tormenta, et cum ad hæc timidus intenderem, audivi retro me animas clamare: *Potentes potenter tormenta patiuntur* (*Sap.* VI). Et respexi, et vidi super ripas fluminis bullientis fornaces piceas et sulphureas, plenas magnis draconibus et scorpionibus et serpentibus diversi generis; ubi etiam vidi aliquos patris mei principes, et avunculorum meorum, et fratrum meorum, et meorum dicentes ad me: Heu nobis, Carole, vides quam gravia habemus tormenta propter nostram malitiam et superbiam, et mala consilia quæ regibus nostris et tibi dedimus propter rem cupidicitiæ. Cumque hæc dolendo

D ingemiscerent, cucurrerunt contra me dracones apertis et plenis faucibus igne et sulphure et pice, volentes me inglutire; at ductor meus triplicavit super me enixius filum glomeris, a cujus claritatis radiis superata sunt ora eorum ignea, et protraxit me validius. Et descendimus in unam vallem quæ erat ex una parte tenebrosa, ardens velut clibanus ignis; ex alia vero parte tam amœnissima et splendidissima ut nulla ratione dicere valeam. Vertique me contra tenebrosam et flammivomam partem, vidique ibi aliquos reges generis mei esse in magnis suppliciis; et tunc nimis constrictus angustia, putavi me statim in ipsa demergi supplicia a gigantibus nigerrimis qui ipsam vallem inflammabant cunctis generibus ignium. Et valde tremens, filo

glomeris illuminante oculos meos, vidi e latere vallis paulisper albescere lucem, ibique duos fontes fluere, unus nimium calidus, alter vero clarus et tepidus; et erant ibi duo dolia. Cumque illuc irem file glomeris regente gressus meos, intuitus super unum dolium in quo erat fervens aqua, vidi ibi stare genitorem meum Hludogvicum usque ad femora, et nimis dolore perculsus, et angore aggravatus dixit ad me : Dominus meus Karole, noli timere; scio quia rursus revertetur spiritus tuus ad corpus tuum, et permisit te Deus huc venire ut videres propter quæ peccata ego talia, et omnes quos vidisti, toleramus tormenta; uno enim die sum in isto ferventis balnei dolio, et alio die transmittor in istum alterum suavissimæ aquæ dolium; hocque fit precibus sancti Petri sanctique Remigii, cujus patrociniis hactenus genus nostrum regale regnavit. Sed si mihi subveneris cito tu, et mei fideles episcopi et abbates, et omnis ordo ecclesiasticus missis oblationibus, psalmodiis, vigiliis, eleemosynis, velociter liberatus ero de illo bullientis aquæ dolio; nam frater meus Hlotharius, et filius ejus Lodogvicus, sancti Petri sanctique precibus Remigii exempti sunt de istis pœnis, et jam ducti sunt in gaudium paradisi Dei. Dixitque ad me : Respice sinistrorsum. Cumque respexissem, vidi ibi duo altissima dolia bullientia. Ista, inquit, tibi sunt præparata, nisi te emendaveris et pœnitentiam egeris de tuis nefandis delictis. Cœpique tunc graviter horrere. Cumque cerneret comes meus in tanto pavore esse spiritum meum, dixit ad me : Sequere me ad dexteram partem luculentissimæ vallis paradisi. Et gradientes contemplatus sum ingenti claritate cum gloriosis regibus sedere Hlotharium meum avunculum super lapidem topasion miræ magnitudinis, coronatum diademate pretioso, et juxta eum filium ejus Hludogvicum similiter corona ornatum, vidensque me cominus accersivit me, blanda voce magna dicens : Karole, successor meus nunc tutius in imperio Romanorum, veni ad me; sapio quoniam venisti per pœnalem locum, ubi est pater tuus fraterque meus positus in thermis sibi destinatis, sed per misericordiam Dei citissime liberabitur de illis pœnis, sicut et nos liberati sumus meritis sancti Petri sanctique precibus Remigii, cui Deus magnum apostolatum super reges et super omnem gentem Francorum dedit. Qui nisi reliquias nostræ propaginis suffragatus fuerit et adjuverit, jam deficiet nostra genealogia regnando et imperando. Unde scito quoniam tolletur ocius potestas imperii de manu tua, et postea parvissimo vives tempore. Tunc conversus Hludogvicus contra me, dixit mihi : Imperium Romanorum quod hactenus tenuisti, jure hæreditario, debet recipere Hludogvicus filius filiæ meæ. Et hoc dicto, visum est mihi adfore inpræsentiarum Hludogvicum infantulum. Tunc contuens Hlotharius avus illius, dixit mihi : Talis videatur iste esse infans qualis ille puer fuit quem statuit Dominus in medio discipulorum, et dixit: *Talium est regnum* A *cœlorum; dico vobis quia angeli eorum semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est* (*Matth.* XIX). Tu vero redde illi potestatem imperii per illum filum glomeris quem manu tenes. Disnodans filum de pollice meæ dexteræ, donabam illi totam monarchiam imperii per ipsum filum. Statimque ipsum glomus fulgidum sicut jubar solis coadunatum est totum in manum illius, sicque post hoc factum mirabile visu, reversus est spiritus meus in corpus meum valde fessus et conterritus. Denique sciant omnes, velint aut nolint, quoniam secundum destinationem Dei in manum illius revertetur totum imperium Romanorum, et quod super illum non prævaleo agere, præripiente me articulo meæ vocationis a Domino. Deus qui vivorum dominatur et mortuo- B rum, illud perficiet et confirmabit, cujus æternum regnum et sempiternum imperium permanet sine fine in sæcula sæculorum. » Finit visio. Hic itaque Karolus juxta præsagium visionis tempore pauculo supervixit, et sic diem ultimum clausit.

Sed his ista se habentibus, ad sancti loci nostri historiam articulum reflectamus.

Populus Christianus, qui cædibus gentilium superesse potuit, ac fideles quique dolentes nimis istius loci nobilitatem abolitam, studuerunt qualitercunque agere, ut sacer locus non omnimodis deleretur, sed pro posse, et pro temporis opportunitate, vivifica Christi laus, et sanctorum memoria iterum in eo celebrari inchoaretur, et licet officinæ, vel clau- C strum, seu omnes dirutæ essent monachorum priscæ habitationes, altaria tamen et ecclesiæ parietes inconvulsi persistebant; unde et reparandi locum spes promptior habebatur. Accedebat et hoc quia quicunque ibidem Domino militasset, magnis reddituum villarumque copiis potiretur. Hac igitur ratione, et pia fidelium curiositate atque industria cœpit locus iterum aliquatenus aptari, et tectis non plumbo ut prius, sed ligneis tabulatis qualiter poterant obductis, clericorum exercitus cum aliquibus monachis, Deo et sanctis quotidie ibidem vota laudum ferebant, uno ex clericis, nomine Gerberto, jure abbatis eis præsidente. Quique cum aliquanto tempore huic loco præfuisset, multis villis et prædiis ac redditibus venditis vel donatis, vel occupari per D missis, mortuus est apud Buxudem villam nostræ ecclesiæ, quæ in ratione proprii victus delegata ei fuerat. Per totum autem tempus quo præfuit, monachi qui aderant semper in omnibus prævalebant, et tum religiositatis eorum intuitu, tum obtentu fidelitatis erga locum probatæ, forensis populus eis potissimum deferebat honorem, unde et clericorum facultas et libitus minor omnino existebat. Denique cum eis disponendi loci copia maxime, vellent nollent clerici, traderetur, ad hoc compellere Gerbertum nitebantur, ut relicta sæculi levitate parem victum et habitum susciperet : illo autem ambiente prælationis honorem potius relinquere, quam sæculi illecebris non servire, monachi multa erga eum usi bonitate tribuerunt illi jam dictam Buxudem villam

in qua privatam vitam exegit, dum et monachorum solertia, clericorum contubernia pro posse a se repelleret, et ille ut monachus fieret nulla consentiret ratione.

Hoc itaque mortuo, clericorum et monachorum Centulensium primatum excepit monachus Fulchericus, quia jam in tantum per Domini gratiam monachi profecerant, ut contempto supercilio clericorum, e suis sibi et valerent et vellent præponere.

CAPUT XXII.

Ablatio S. Richarii ab Arnulfo Flandrensi.

Postquam igitur peccatis exigentibus divinæ justitiæ placuit ut per manum paganorum, quorum princeps fuerat Guaramundus, Francia vexaretur, et, dirutis multis sanctorum locis, Centulensis quoque ecclesiæ honestas et gloria maxima ex parte deleta est, multa per Galliam admodum confuse gesta sunt, dum, deficiente principatu regio, cæteri proceres vel populi tanquam filii Belial viarum suarum pravitates exercent. Nempe si qui ducum vel comitum potentiores erant, circumquaque manus injicere, et vicinas sibi provincias vastare sibique subjicere non cessabant; regnum quoque sibi usurpare moliebantur. Ex his Arnulphus comes Flandrensis multa inepta agere cœpit, captoque monasteriolo castro regio, Pontivam provinciam propriæ ditioni subegit. Hanc itaque fraude ut perplura solebat, adeptus, transtulit hinc S. Patrem Richarium, cupiens tam nobile lucrum cum quibusdam sanctis propriæ regionis habere. Eo etiam tempore sanctum corpus beati Gualarici abstulit, et in monasteriolo castro una cum sancto beatissimi Richarii corpore servari præcepit. Post aliquot annorum curricula, Fulcherius monachus, qui post Gerbertum clericum clericorumque abbatem Centuli monasterii rector erat, adiit memoratum castrum, locutusque cum æedituo, qui sanctorum corpora asservabat, clanculo impetravit cum maximis exeniis, et infinitis precibus, ut sibi charus patronus redderetur. Designata itaque nocte Fulchericus equum conscendit, et toto quiescente populo foribus ecclesiæ astabat exspectans : custos autem ille valde formidans dominorum animositatem, populique furorem (nam incredibiliter hic noster sanctus ab omnibus venerabatur et amabatur), egressus ecclesiam his Fulchericum affatus est verbis : *Ego quidem tuis precibus, et Domini victus timore sanctum tibi Richarium reddam; sed si rescitum fuerit me illum distraxisse, procul dubio periculum vitæ meæ incurram; unde necesse est ut, tecum sancto recedente, ego quasi ad furtum debeam exclamare, ut tali arte ignorantiam possim simulare; tu vero cum sancto Dei fugam celeriter inibis. Sicque sanctum suo loco restituens, temetipsum quoque servabis.* His ita compositis ecclesiam intravit, gloriosum sancti corporis lectum accepit. Cumque Fulcherici manibus illud voluisset tradere, equus cui sedebat illico poplitibus in terram dimissis, capiteque inclinato usque ad solum, Domini confessorem qua potuit veneratione adoravit. Fulchericus tali miraculo exhilaratus, beatissimum Patrem cum ineffabili gaudio recepit, protinusque retrocedens quam citius poterat veniebat. At ubi custos ille intellexit illum jam leucæ spatio elongatum, quasi pro aliqua necessitate exsurgens, et accensis luminaribus exclamat, perstrepit, et multis vociferationibus S. Richarium sibi furtim ablatum conqueritur. Protinus ergo ecclesia turbatur, populus accenditur, principes tali nuntio percelluntur. Continuo milites populique fugientem sequuntur, et quia equus cui Fulchericus insidebat erat candidissimus, ob hoc per tetram noctem facilius fugiens agnoscitur. Verum cum huic jam pene lassescenti adhuc grandis via restaret, illique proximarent, placuit Creatori Domino mirum quiddam operari, quo agnosceretur hujus sancti favere relationi. Nam dum Fulchericus pervenisset ad villam quæ antiquitus Mons Angelorum, sed ex hac occasione Nubilimons vocatur, tanta aeris densitudo, tantaque nebulæ caligo insequentes circumsepsit, ut non modo fugientem, sed nec se alterutrum videre possent. Erat etiam eis mira itineris difficultas, ut patule cognoverint veraciter Dei nutu se esse præpeditos. Videntes vero nihil se proficere (nam et Centulæ populus, jam in obviam currebat) cum ineffabili mœstitia recesserunt. Hæc vero sancti relatio parum valuit, cum eum Centulenses diu habere non licuit. Nam Arnulfus idem qui primo, iterum sanctum sibi vindicavit, et tanquam cautior factus, non jam in Pontiva patria, quam quandoque perdere metuebat, sed in fidentiori loco sibique vicino, hoc est in monasterio Sancti Bertini reposuit, simulque sanctum Gualarium, ubi longiore tempore quam monasteriolo fuit. Longo itaque tempore monasterium Centulense tanti Patris præsentia caruit, agente jam dicti comitis Arnulfi potentia.

CAPUT XXIII.

De abbate Ingelardo.

Tandem placata divinitas, et suorum precibus inclinata, decrevit glorioso reditu patrum, filiorum pectora relevare, quæ diuturnis gemitibus gravabantur pro eorum sublatione : verum Flandrensi Arnulfo dudum morte prærepto, et ejus potestatis hærede nati filio substituto, dicto similiter Arnulfo, hierarchiam Francorum absque titulo regii nominis disponebat filius Hugonis Magni dux inclytus Hugo. Qui cum graviter ferret patriam hostili acerbitate demolitam, nec minus indignaretur, quod et sanctorum corpora, et cætera quæ ecclesias venustant fraude factiosorum sublata forent propriis locis, et ad hæc in melius commutanda animum sedulo præpararet, quadam nocte quiescenti ei adfuit visio ex præcepto cœlesti, quæ illum repulsis dubietatis obstaculis animavit perficere, quod pio quanquam, sed tamen timido, corde facere disponebat. Beatus igitur Gualaricus per visum ei assistens, ex Dei mandato talia verba profudit : *Quid hic*, inquit, *facis?* Ille hoc percepto sermone, quisnam esset cœpit interrogare. Et Sanctus : *Ego sum*, ait, *Gua-*

laricus Legonaci quondam monasterii abbas, et Dei præcepto hæc tuis sensibus veni inferre! Venerabilis confessor et coram Deo clarus sacerdos Richarius una mecum ante hos annos exstat captivus, et dolo Arnulfi longe a nostris diu manemus sedibus pulsi. Jam Deo placet ut te ministro obtineatur, teque jubente noster regressus; ut de nostrorum corporum visu præsentiaque nostrorum mœsta refocillentur corda servorum, et ut ii nostra lætificentur relatione, qui nos post Deum gaudent habere pios patronos. Id celerrime age, locaque nostra clericis aufer, atque in ea ut prius erant monachos stude sub regulari norma unire. Quod si hæc imples, promitto tibi ex Dei jussu per sancti pia merita Richarii, et mea prece, te fore regem, prolemque tuam Francigenarum, stirpemque tuam regnum tenere usque ad septem successiones. Inclytus igitur dux volens ocius perficere Dei præceptum per sancti vocem sic intimatum, accitis consiliariis inquirit quonam modo posset invenire idoneum hominem, cui Centulense cœnobium posset committi ad relevandum. Huic inquisitioni intereant quidam qui noverant satis hujus provinciæ habitatores, quique Hugoni tale feruntur dedisse solamen. En, inquiunt, Corbeia retinet virum nobilitate valde insignem, cui putamus quod digne satis possit committi opus quod dicis; nam parentibus nobilibus, et militia inclytis valde fulcitur; qui cum in ejusdem loci vicino et in ipsa provincia maneant, propinquo suo in Dei opere laboranti auxilium ferre non denegabunt. Audiens hæc inclytus dux, tamque salubri consilio congratulans, misit e vestigio viros honestos, qui ab abbate Corbeiensi super jam dictum monachum factam deprecarentur non retardari electionem. Illo annuente vocatur elegans juvenis Ingelardus, quem adhuc eo tempore ferunt scholis inesse, quique ea ipsa die vel hora subdiaconatus perficiebat ministerium. Deductus ergo in præsentiam ducis, accepit curam atque laborem, quo se instante repararetur quantum valeret hæc abbatia. Inde ex more abbas sacratur, atque accepta fratrum ac militum caterva Centulam venit. Sane Dominus ille sancti Richarii relator Fulchericus abbas sub die VIII Iduum Novembrium transierat e sæculo, cujus suggestu et hortatu aliqui clericorum monachilem ordinem susceperant. Abbas igitur Ingelardus, Centulam veniens, cuncta pro posse melioravit, claustra reparavit, non tamen ut antiquitus fuerant, sed modo quo adhuc stare videntur. Deinde diebus ac noctibus religioni insistens, et congregationem monachorum augmentans, agebat sobrie sibi commissi loci provectum; velle enim habenti difficultas nulla inesse poterat; quia magnis villis oppidisque et redditibus locus abundans, facilem cœptis dabat perfectionem.

CAPUT XXIV.

Relatio S. Richarii.

Monasterio igitur ex parte restaurato habitaculis religioni congruis, cœpit præfatus dux perquirere quomodo quod adhuc restabat perfici posset, ut sanctus Dei confessor Richarius proprio loco restitueretur. Sapienti vero consilio usus, dirigit legatos in Flandriam, mandans Arnulfo comiti ut sancta sanctorum corpora propriis sedibus reddat. Quod ille audiens, et tantis carere nimis ægre ferens, primo abnuit, dicens non a se reddi debere sanctos, quos ipse non abstulisset. Reversi nuntii obedire nolle comitem duci insinuant. Tunc ille coacta in unum militum manu fortissima, illo ire decrevit quo sancti erant, volens per semet inde sublatos ad loca propria reportare. Arnulfus autem advertens non prospere sibi cessurum, si contra Francos justos injustus agat conflictum, lacrymis humectus, misit legatos duci Hugoni, orans ut patriæ nullam ferat vastationem, dirigat tantum optimos viros qui sanctos Dei recipientes vadant in pace. Fecerat Arnulfus comes beatissimis confessoribus lecticas argenteas, ubi cum honore corpora eorum sancta condiderat, in lectica vero gloriosissimi patroni nostri Richarii tales ab eo versiculi exarari jussi sunt!

Arnulfi comitis quaquaversum facta sciatis:
Quæ solitus Domino fecerat ipse pio.
Istud Richario lectum qui condidit almo,
Collocavit ei membra pudica sui.

Mittuntur igitur viri insignes, recipiuntur sancti a nostris gaudentibus, et piis lacrymis atque laudibus Deum magnificantibus, subsequuntur ab illis dolentibus, et præ nimia tristitia voce in altum elata ejulantibus. Cumque jam ab Hugone duce, et ab omnibus qui longiuscule exspectabant videri potuerunt, quis voces emissas præ gaudio, quis dulcium profusionem lacrymarum affatim queat explicare? Magnitudo quippe gaudii clamoribus modum abstulerat, dum lætitia pro sanctorum reditu concepta, in singulorum cordibus fervens seipsam vix caperet. Acceptis ergo beatorum corporum amantissimis capsis, nostri parumper subsistunt. Post hoc primores populi, et qui bonæ mentis habebantur, jurare a duce rogantur, quod de sanctis corporibus nihil subtractum, nihilque esset mutatum. Quod cum illi mente libera et animo hilari perfecissent, sumptis sanctorum corporibus ad propria festinare cum modestia cœperunt. Fama autem tam felicis regressus ut provincialium corda concussit, extemplo prosilierunt omnes, uterque sexus, communis conditio, juvenes cum grandævis, monachi cum clericis, omnisque professio obviam ruunt, seque putabat criminis reum qui non occurrisset. Mense Junio, die secunda, B. Gualaricus suo loco reconsignatur, nostratis autem Patris regressus in sequentem lucem procrastinatur. Mense jam dicto sæculis ternum diem fundente, inclytus Hugo accepit sanctum, per unam leucam scapulis suis nostrum asportans Patrem beatum, pedibusque nudis, madidusque fletu venit ad templum, Christi amicum sui altaris sedi imponit; interim choris, populoque cuncto gratias Deo, laudesque Christo vociferante.

Anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi

981, indict. IX, III Non. Junii, hæc beatissimi Patris Richarii relatio facta est. Verumtamen in ipso relationis itinere quid miraculi contigerit, operæ pretium remur narrare. Hujus enim tempore mensis campi flavescentes, genitæque spicæ largam annonam spondent colonis. Beato quoque Gualarico restituto propriæ sedi, cum sancti Richarii, ut dictum est, reditio in crastinum ordinata fuisset, ipsa nocte moratus est dux Hugo cum exercitu et populo mediis in agris qui scilicet segete læta jamque fecunda erant onusti. Itaque dum hic coquina agitur, illic convivia celebrantur, dum et humanis corporibus quies ibidem, et jumentis stabula coaptantur, dum diutina stantium vel jacentium impressione dejicitur, dum pecude pasta, et pedibus calcata atteritur, spes omnis fructuum messori denegatur: Tanta vero conculcatione attrita et perdita messe cultor non tristatur, quia patroni obtentu pro nihilo computatur. Postmodum igitur veniente metendi tempore seges diruta et desperata tam læta et fecunda desecatur, ut in illius comparatione defensæ messes et sepibus munitæ ubertate grani parvipenderentur.

CAPUT XXV.

Epistolæ Joannis papæ.

Ingelardus abbas auditu et visu comperiens ab antecessoribus suis, Girberto scilicet et Fulcherico, qui clericis præfuerant, multas sancti Richarii terras donatas et distractas fuisse, aliquas etiam, dum illi tacent nec contradicunt, a fortioribus occupatas, omni studio cœpit satagere qualiter sanctus sua rehaberet. Quod ex parte per Dei auxilium factum est. Aliqui tamen inflatiores, dum in his bonis quæ tulerant sancto, complacent sibi, aut satis inviti, aut certe nunquam quæque reddiderunt. Unde sagax abbas non solum regiam dudum ducis Hugonis imploravit pietatem, sed etiam papæ Romani per semetipsum efflagitavit auctoritatem. Nam post constructam congruam ordini habitationem, cum videret dura patriensium corda nolle sancto sua reddere quæ abstulerant, vadit Romam, nuntiatque pontifici summo qualiter paganorum incursu famosum Sancti Richarii monasterium depopulatum sit, et qualiter consultu procerum Franciscorum sibi sit delegatus ad reparandum locus; orare se, ut quod solum præstare poterat suæ auctoritatis excommunicatio hos sequeretur, qui sancti bona injuste tulta reddere nollent. Apostolicus pontifex, ex intimo affectu ei compatiens, et tanti nominis ecclesiam deletam fuisse gemiscens, annuit ei satis benigne, talia apostolicæ auctoritatis mandata ei attribuens, quæ invasoribus forent monstranda.

Ad comites.

« Joannes episcopus, servus servorum Dei, Arnulfo comiti, Balduino comiti cum matre sua, Gozberto vicecomiti, atque Ildiardæ, dilectissimis filiis nostris spiritualibus, omnimodam salutem et apostolicam benedictionem. Monemus vos a pravis operibus re- A cedere, et bonis operibus adhærere, quatenus Dei omnipotentis misericordiam consequi mereamini, et vitam perpetuam acquirere valeatis. Quapropter, charissimi, mandamus vobis, ut omnem hæreditatem quam abstulistis ex monasterio Sancti Richarii confessoris, pro Dei omnipotentis amore reddere procuretis. Nam si reddideritis, habebitis benedictionem sancti Petri, et nostram; si autem monitionibus nostris non obaudieritis, ex auctoritate Dei omnipotentis et nostra sciatis vos esse excommunicatos et maledictos, et ab Ecclesia Dei, et a communione omnium Christianorum separatos, nisi ad satisfactionem perveneritis. »

Item ad episcopos.

« Joannes episcopus, servus servorum Dei, Gui- B doni venerabili episcopo (21), Fulconi Ambianensis civitatis venerabili episcopo, Balduino Terganensis civitatis episcopo, dilectissimis filiis nostris spiritualibus, charissimam salutem et apostolicam benedictionem. Si sospitatis copiam, alacritatisque abundantiam erga vos fore noverimus, haud aliter, quam de vobis ipsis lætamur. Cæterum mandamus vobis, quatenus pro Dei omnipotentis amore, sanctique Petri veneratione et nostra interveniente, huic abbati nomine Ingilardo succurratis, ut monasterium Sancti Richarii confessoris per nostrum et per vestrum auxilium relevetur. Illis quoque militibus, qui hæreditatem monasterii abstulerunt, vestras excommunicatorias litteras unicuique mittere C non prætermittatis, ut omnia quæ de prædicto monasterio abstulerunt, reddere procurent. In hoc apparebit quod sanctam Romanam Ecclesiam diligitis, cum nostra deprecatio apud vos venerit, si eam adimpleveritis. »

CAPUT XXVI.

De prudentia abbatis Ingelardi.

His abbas Ingelardus apicibus apostolicis fretus, et benedictione munitus, Galliam revertitur, et comitibus quidem specialiter designatis apostolicæ sedis porrigit mandata, episcoporum vero præceptis erga inferiores usus, rem optime gessit; qui videlicet ex auctoritate Romanæ Ecclesiæ nolentes reddere quæ loco sancto abstulerant, excommunicabant. Valuit igitur plurimum hæc ipsius abbatis D solertia, et multa prædia multosque redditus auferens subreptoribus, Ecclesiæ Centulensi viriliter reformavit. Sicut in Terguanensi territorio Rolleni curtem et Botritium, quæ superius leguntur fuisse tradita cuidam ab Heligaudo abbate et comite; Guatenaas etiam in prædicto territorio, et Buxudem in pago Pontivo, quæ ideo auferebatur, quia Girberto abbati private viventi fuerat attributa. Alia etiam multa sibi reddi convaluit, quæ si narrarentur tædium generarent. Ecclesias autem multas, quæ prisco tempore sancto loco nostro servierant, et quæ nuper a clericis invasæ fuerant, de iniquorum dominorum potestate auferens abbatiæ restituit: inter quas ecclesiam Berellæ reddi fecit; verum hoc an-

(21) *Episcopo* Suessionensi.

tea gestum est. Igitur pro his studiis et laboribus omnibus bonis venerabilis existebat, sicut in epistola quæ ei a Remensi episcopo missa est, potest sentiri, quam nos ob emolumentum laudabilium ejus operum hic inserimus :

« Arnulfus (22) gratia Dei Remorum archiepiscopus, dilectissimo abbati domno Ingilardo, affluentiam totius salutis. Pervenit ad aures nostras quomodo fideliter laborastis in vinea Christi ab adolescentia vestra. Videte ergo ne, post portatum a vobis pondus diei et æstus, denegetur vobis merces laboris vestri, gloriosus denarius; manifesta enim nobis est reparatio vestri loci funditus a vobis reparati, infestatione paganorum olim deserti, per fructuosam perseverantiam vestram sapienter exculti. Cavendum est igitur vobis ut semper detineatis ad utilitatem vestri monasterii ecclesiam loci, qui vocatur Berella, ne aliqua persona aliqua occasione vobis eam et fratribus vestris possit subripere, quam Deus reddidit charitati vestræ. Semper itaque a vobis custodito oculo vestræ providentiæ, quod Deus posuit in vestra potestate utilitati vestræ firmiter reservate. Non deerit vobis, Deo volente, nostra auctoritas, si præclara vobis fuerit vestra hæreditas. Valete. »

Tantis et talibus honestorum fotus favoribus, in dies bona fama crescebat, qui magna virtute rem desperatam in bonum statum, Deo auxiliante, composuit.

CAPUT XXVII.

De Abbatis villa, et Incra, et domno Medardo.

Verum quia nihil omni constat parte beatum, his duntaxat temporibus, quando corrupta omnia et in perversum universa mutata sunt, is de quo loquimur abbas, sicut quæ perdita fuerant studuit revocare, ita multa quæ libere possidebantur non recusavit donare, distrahere, invadiare, tum quod aliquando eorum, quibus dabat, consanguinitate vel servitiis cogebatur aliquid impertiri, tum quod multas terras desertas eis partiri erat necesse, qui habitabiles eas possent facere vel frugiferas; sed et reges Francorum circa hæc tempora nobis magna abstulerunt prædia, quæ fossatis ambientes, et muris circumdantes castella effecerunt.

CAPUT XXVIII.

Adventus beatissimi Vigoris episcopi a Neustria in Pontivum.

Multa vero Dei gratia erga hunc sanctum locum cœpit vigere, ita ut sæpe per sancti pia merita Richarii multis daretur salus optata. Sanctorum etiam corpora ad perpetuam loci tutelam, Deo jubente, istis temporibus nobis et posteris nostris veneranda collata sunt, quorum præsentia et intercessio contra mundi adversa umbraculum securitatis et protectio manet. Ex his præclarus pontifex Vigor unus A existit, qui præeunte Dei virtute nostras sedes et tunc et modo clarus attollit. Quia igitur auctore Deo beati Vigoris corpore sanctissimo ditari meruimus, dignum est ut ad laudem omnium bonorum largitoris Dei et Domini nostri Jesu Christi, quali modo ad nos venerit ipsum beatissimi præsulis venerabile corpus, breviter depromamus.

Factum est cum beatissimi Vigoris venerabile corpus intra sui quondam episcopii loca adhuc pausaret, Neustriam patriam contigit barbarorum incursu adeo vastari, ut non modo pompam sæcularem, verum etiam decorem ecclesiasticum contigerit fœdari. Ea tempestate in Bajocensi ecclesia, quidam clericus, nomine Avitianus, matricularius habebatur, qui dum rerum copiis patriam solito B non abundare ecclesiarum quoque obsequia, quæ sanctis Dei devote solent exhiberi, penitus defecisse cerneret, secum orsus est meditari quonam modo vitæ præsentis fugeret egestatem, reputans suo ævo patriam hostili acerbitate vastatam non posse reparari. Tali cogitationum volumine circumseptus, ratum æstimavit, suæque utilitati commodum, si illum qui solus supererat sanctissimi corporis B. Vigoris thesaurum asportaret. Revera sciens quod ubicunque hoc detulisset, ejus gratia bona sibi præstarentur. Magis autem nosse debet fidelium devotio, divinitus hæc ejus sensibus fuisse illapsa, quoniam superna destinatio erat implenda, quæ Pontivorum populum isto etiam patrono munire disposuerat. C Furtive ergo sanctissimi pontificis corpus abstulit, ubicunque digne vendi posset, seu Atrebas, ut quidam dicunt, illud ferre gestiens. Hæc secum agens solum Pontivum ingressus est, habuitque mansionem in villa Centula, quæ antiquitus ex omni ipsa provincia nobilis existit et clara, quamque beatus Pater et eximius confessor S. Richarius suo olim decoravit exortu, insignivit exemplo, nunc vero suo tuetur patrocinio, suique lætificat ac beatificat corporis præsentia. Ad hanc igitur casu itineris perveniens, hospitio receptus est a quodam viro, nomine Bernardo, qui ejusdem clerici consanguineus sciebatur. Verum clericus sui thesauri conscius, hospitem infinita prece exorat, ut zabernam, quæ sanctis ossibus erat onusta, diligentissimæ at- D que fidissimæ traderet custodiæ, post parum temporis quo visum fuisset iter acturus : acceptam vero zabernam Bernardus tali loco ponere eam nititur, quem latrones adire non possent, licet omnino nesciret quæ vel quanta res in ea haberetur. Et erat ei in monasterio Sancti Richarii arca, ob tutelam scilicet quarumque rerum pretiosarum, ut, dum domi quædam non audet habere, domicilio pacis tam secure quam fideliter servarentur. Hujus certe fida custodia thesauro clerici apta creditur. Sed cum reposita fuisset zaberna intra arcæ sinum, pietatis

(22) *Arnulfus.* Hæc in ora sui codicis reperit Acherius, quæ etiam leguntur in codice Centulensi : *Arnulfus iste Remorum archiepiscopus, filius fuit regis Clotarii : et quia prodere voluit regnum Francorum Lothariensibus, ob hoc, facto concilio, depositus est jussa Hugonis tunc regis, dudum ducis. Cui concilio interfuerunt et Godismannus Ambianorum episcopus, et Ingelardus abbas Centulensis.*

divinæ bonitas quæ ante sæcula futurum præviderat jamjam inchoat operari. Nam quadam vice cum suam arcellam quid nescio capere volens Bernardus aperuisset, vidit totum ipsius arcæ sinum mira claritate fulgere, ac si flammiferis esset suppleta incendiis. Quo visu perterritus procul secessit, aliquid divini a suo hospite sibi commendatum reputans. Dein vocans clericum inquirit quale sit illud ab illo sibi commendatum. Ille pavens, utpote qui videbat se propalari, non valens tamen celare quod Deus omnipotens prodiderat, respondit se magni pretii ac meriti inibi reliquias habere. Hæc dicens orat etiam ne cuiquam ista prodantur; sed cum neuter illorum tanti arcani quemquam conscium faceret, egit superna virtus quo celatum omnibus innotesceret. Fertur vero quod multi religiosi, cum in ipsa basilica secretius supplicarent, luminaria illic divinitus accendi viderint. At nos scrupulosa omittentes, illa potius exsequamur quæ fideliter comperta sunt.

Die quadam quædam femina, quid in ipsa arca haberetur nescia, dum divinum officium ageretur illo advenit, ac post diutinam stationem lassabunda membra super illam injecit. Quanquam autem e conscientia culpa non prodiret, quæ nec esse culpa putabatur, placuit tamen divinæ justitiæ mirum quoddam operari, ut, dum quasi vindicat sui sancti injuriam, merita ejus ac dignitatem omnibus patefaciat. Mulieris namque, quæ super arcam innitebatur, vestis a parte natium accensa cœpit ardere, cum subito inspiciente populo mulier ignis ardore compulsa ab arca resilit, et loco cui indigne hæserat faciente incendio cessit coacta. Fit continuo clamor cum tremore; et quod in arca aliquid magni esset absque dubio propalatur.

His diebus cœnobii Centulensis regimina vir nobilis Ingelardus detinebat; cui cum fuissent relata quæ fecerat mirabilis Deus, illico nulla mora interveniente inquiri citius jubet cujus esset arca, erga quam talia gererentur. Respondentibus qui noverant nomen possessoris, illico eum misso nuntio accivit. A quo perquirens causam mirabilis facti, audit continuo suam quidem esse arcam; suum vero non esse quod miraculum fecisset, esse sibi commendatum unde tantæ virtutis processisset operatio: sed quia, inquit, divina dignatio istud cæteris portendit, quid etiam mihi demonstraverit audiatur. Hæc inquiens subsequenter intexuit quod prælibatum est, quodque satis celaverat, quia scilicet, cum aperuisset locellum, superna virtus mirum splendorem oculis ejus ingessit. Tantis ergo magnalibus abbas Ingelardus fervefactus, omnino decrevit talia non omittere quin studiosius perscrutaretur, rogatque hominem ut ad se festinet deducere allatorem tantæ rei. Clericus tum absens erat; sed ubi rediit, abbati citissime præsentatur. Quem abbas blanda satis allocutione demulcens, hortabatur confiteri quod mente gerebat, se quidem scire quia sanctum erat illud quod zaberna tenebatur, tantum insinuaret sibi sancti nomen seu dignitatem. Asserebatque idem abbas omnia quæ peteret se præbiturum, dummodo sibi panderet tantæ virtutis arcanum. Suggerebat etiam in hoc considerari debere divinam voluntatem, *quæ utique*, inquit, *si a nobis nollet possideri illud sacrum*, *nullo modo præmonstrasset tantæ virtutis indicium*. Sic itaque tam promissis animatus, quam certa ratione superatus consensit, et S. Vigoris Baiocanissæ urbis episcopi se corpus attulisse indicavit. Tunc abbas multis donariis animum ejus illiciens, meruit tandem ut dato pretio sanctissima ossa reciperet. Hinc fratribus collectis, et vestibus splendifluis decenter ornatus, cum numerosa plebis caterva, atque cum ingenti lætitia, multoque honore illuc usque chorus dirigitur, B. Vigoris sanctissima membra proferuntur, ac velut cœlestis thesaurus intra eamdem sancti Richarii basilicam convenientiori loco diligenter reconduntur. Sed divina jussio, quæ Pontivorum gentem ac Centulæ cohortem ornaverat tanto confessore, non inaniter patitur tempus transire, qui ostendat quanti apud se sit meriti quem sua gratuita bonitate nostris sedibus voluit inferri. Denique licet in quocunque periculo invocatus citus sit exauditor, in ipsis tamen incendiorum periculis tam efficacem, tamque conspicuam humanis obtutibus inculcat virtutem, ut si quando, ignis convalescens flatibusque agitatus exstingui humana manu non potest, ac sibi quæque propinqua flammo pervadit, dum S. Vigor objicitur, resilire, et quæ jam absumi cœperant, nutu divino sanctique merito illico relinquere cernatur: et hoc non semel, non bis, nec ter quidem, sed multoties inspiciente Centulensi populo, in eorum habitaculis factum est. Hæc cum necessitas exigat aguntur, hæc semper fieri sperantur usque in finem sæculi per Christum Dominum nostrum. Amen.

CAPUT XXIX.

Translatio S. Madelgisili confessoris.

Cum cœnobii Centulensis abbas Ingelardus adhuc teneret regimina, inter cætera bona quæ illi contulit pietas superna, sancti quoque Madelgisili confessoris meruit habere corporalem præsentiam. Est denique vicus in pago Pontivo, qui vocatur Monasteriolus, ubi ipse sanctus a die sui transitus deinceps quieverat; sed cum curiositate fidelium delatum fuisset corpus ejus Centulam in monasterium sanctissimi Richarii, cœperunt quidam ex monachis, quadam stoliditate permoti, dicere quod indignum esset ejus hominis venerari ossilla, cujus ignorarent actus vel vitam. Cumque hac ratione vel potius irrationabilitate aliquoties contenderent, erat antiquitus ecclesiola quædam in confinio Centulæ sub ipsius sancti nomine dicata, ad quam decreverunt ipsum ferri debere, dum et suæ ecclesiæ domicilio frueretur, et illum tali modo non cogerentur honorare. Factumque est ita. Cum ergo illic fuisset positus ille, Deus qui humilia respicit, quique olim videns Liam despectui haberi causa deformitatis, dedit ei fecunditatem, ut prolis saltem numerositate

amari posset, quæ sui vultus fœditate horrebatur, ille, inquam, Deus cum videret hunc suum servum perignoratis vitæ ejus gestis non satis amari, ut quanti penderetur meritum illius populis demonstraret, voluit sua pietate eo loco multa patrare magnalia, quo ejus fuerant membra non sine despectu portata.

[Denique cæcis visum, surdis auditum, claudis gressum, cæterisque incommoditatibus tale contulit remedium, ut si quæ facta sunt seriatim scribi potuissent, omnimodo abstulissent auditionis voluntatem sua multiplicitate onerosam. In tantum vero ibi superna virtus operata est, ut duæ trabes vix ferre sufficerent sanitatum indicia, hoc est sustentacula contractorum, vel offas e cera factas pro oculorum vel aliorum membrorum infirmitatibus, ipsi sancto oblatas, vel etiam compeditorum vincula, vel certe multimodarum ægritudinum quas dicere non possumus, diversa ostenta.]

Cum ergo tam evidenter claruisset, vere hunc apud Deum esse magnum, cœpit abbas Ingelardus cum monachis suis pœnitentia moveri, quod tam claram Dei margaritam quasi quoddam vile abjecissent, et quem prius pro obscuritate despexerat sanctitatis, cum devota cordis humilitate et celebri honore disposuit reportare, ad quem amandum et honorandum magnifica Dei virtute invitabatur. Tunc aggregatis fratribus cum multo honore, magnaque timoris Dei reverentia jam dictam ecclesiolam expetivit; præmissaque erroris pœnitentia, atque adorato Domino, qui in sanctis suis mirabilis est et gloriosus, corpus sanctum accepit, et ecclesiæ sanctissimi Richarii cum laudibus restituit [uti eum qui mentium duritiam meritorum virtute donaverat:] quod etiam huc usque ibidem servatur.

Hæc quidem domni Ingelardi temporibus acciderunt; sed quia nunc de hoc sancto loqui suscepimus, addamus istic illa etiam quæ longo spatio postea gesta sunt, ne penitus excidant memoriæ, et ne posteritas eorum fraudetur cognitione. Fuit postmodum consuetudo ut unoquoque anno die sui festi, quod est III Kalendas Junii, multitudo fidelium ad locum ubi olim sepultus quieverat processionaliter eum deferret, conveniebatque e proximis villis vel municipiis turba populorum, et cum multa lætitia sancti festum colebant. Quadam ergo vice cum fuisset illuc portatum, et expletis solemniis cum jam tempus et hora rediisset referendi, egredientibus de ecclesia fratribus tantam contigit fieri pluvia et ventorum turbulentiam, ut ipsa dies nocte turpior haberetur. Ferebantur pro more ante corpus sanctum duo argentea ceroferaria, quorum lumina, licet ventis pulsarentur et pluviis humectarentur, nequaquam tamen exstingui potuerunt, quousque ipsam parochiam in qua fuerat conversatus, transisset, ita quasi designans quod proprium fuerat miraculo sacravit. Quædam aliquando terra per vim injustitiæ a quodam fortiori ecclesiæ illius tulta est, et cum consuetudinaliter sanctus illuc referretur, celebrata honorificentia, fratres illum Centulam referre voluerunt; sed divino nutu efficientia defuit; nam cum in redeundo ad ipsam usque, quæ ipsius propria fuisse memorabatur, comitante populo, pervenisset, ponderositate gravissima substitit immobile. Interea dicebant quidam motum eum fuisse pro ablatione peculii, et hanc gravitatem suæ indignationis indicem ostentare. Quod postmodum res ipsa verum esse docuit; nam, convento fraudatore, oraverunt fratres ut sancto sua redderet; ille autem timore vindictæ cœlestis correptus, fratrum precatis libens paruit, et sua sancto libera fore cessit. Hoc facto ad sanctum reditur, lectica gestatur, ponderositas nulla sentitur.

Igitur hæc sunt gloriosa sanctorum pignora, quibus præter illas [gloriosas reliquias,] quæ longe superius designata sunt, Centula nobilis decoratur: Sanctum abbatem et charissimum Patrem Richarium ex se progenitum primatem læta excolit; post quem secundo honoris loco apud nos B. pontifex Vigor veneratur; deinde ille ferax divinorum mandatorum Caydochus habetur; post quem ipse, de quo modo narravimus, S. Madelgisilus indicibiliter amatur. Veneratur cum istis S. Caydoci socius, quem quidam Adrianum vocitant. Inter tantorum merita beati et sancti Angilberti abbatis munimur reliquiis, beatarumque martyrum Christi et virginum Elevaræ, Sponsaræ, patrociniis confovemur. Hæ autem beatissimæ virgines, quantum a prioribus comperimus, beatæ Macræ martyris sociæ et convirginales exstiterunt, et una cum ipsa a persecutore Rictiovaro pro Christi nomine martyrizatæ sunt.

His abbas Ingelardus munitus patronis, hisque advocatis protectus, multam bonorum abundantiam Deo ministrante meruit. Fuerunt etiam sub ipso in hoc sancto loco aliquanti optimi viri, qui et regularis normæ servatores, et eidem in laboribus fuerunt adjutores. Horum aliquos pro eorum reverentia memoramus. Angelrannus, qui cognominatus est sapiens, noster postmodum abbas; Guido Forestis Cellæ abbas; Arnulfus Sancti Judoci abbas; Hubertus Forestis Cellæ abbas; Gualterus cognomento Grimutio, Sancti Salvii abbas.

CAPUT XXX.

De prædiis in Hlotharii regno Nothero Leodii episcopo oppignoratis.

In Hlotharii regno habebantur aliqua prædia, quæ quia longe posita non facile visebantur, placuit domno abbati ea committere Leodicensi episcopo, tunc temporis Notkero, acceptis XXXIII denariorum libris, eo tenore, ut ipse episcopus per XX annos eorum redditibus potiretur; et tunc reddita sibi, vel ecclesiæ suæ jam dicta pecunia, Centulensis ecclesia sua rehaberet, de qua pactione tale testimonium confectum est:

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis Notkerus, solius Dei gratia providente, Leodicensis Ecclesiæ aliquantulum providus pontifex. Catholicæ matris Ecclesiæ filiis, tam præsentibus quam futuris,

quibus censeri constat semper professione tenendæ pietatis, notum fieri volumus quam conventionem ego et abbas Ingelardus invicem habuimus. Habebat siquidem prædictus abbas S. Richarii quædam prædia in nostro episcopio sita, v videlicet mensos in villa Hair, et v in villa Farmala, ac I in villa Bursis, et I in Gledela, quæ nobis oppignoravit, datis sibi a nobis ex thesauro S. Lamberti XXXIII denariorum libris, ea scilicet ratione, ut nos vel nostri successores annis XX sine reclamatione teneremus, sumpto tantum usufructuario cum cæteris redditibus, non alio suspecto fœnore. Annis vero prædictis finitis, quacunque die ille aut quilibet successor suus nobis vel nostris similiter successoribus memoratum pondus argenti reportando redderet, sua prædia absque ullius contradictionis impedimento recipiendo rehaberet. Unde ut sic rem gestam nostri cognoscerent posteri, hujus testimonii chartulam jussimus conscribi, signoque nostro, ac signis fidelium nostrorum, tam clericorum quam laicorum, qui nobis tunc temporis aderant, ut prudens petierat abbas, censuimus confirmari.

« Sign. Notheri episcopi. S. Godescalci præpositi. S. Nithonis. S. Siconis. S. Ecberti. S. Frederici. S. Gualteri militis. S. Hiserelmi militis. S. Norberti militis. S. Odelmi militis. S. Butsonis militis. De suis autem, S. Ingelardi abbatis. S. Angelranni monachi. S. Duodelini monachi. S. Senardi militis. S. Heriberti militis. S. Ruethelini militis.

« Acta sunt hæc Lodii publice v Kal. Novembris, anno Dominicæ Incarnationis 989, indictione XII, imperii vero Henrici anno primo. »

Hac stabilita conditione, Ingelardus abbas jam reversus direxit dictitia ipsi episcopo, postulans ut hæc conventio iterum firmaretur, et ne quis futurorum episcoporum illam infringeret, sub anathemate prohiberet, quo inconvulsa non tantum chartæ testimonio, sed et timore prolatæ excommunicationis permaneret. Scripsit autem ita :

« Notgerio episcoporum præcellentissimo, Ingelardus abbas cum cuncta caterva Centulensium fratrum, plurimarum virtutum et boni operis perseverantiam. Quoniam quidem tuæ benevolentiæ immensitas longe lateque diffusa pervenit ad nos, scilicet compatiendo nos expendere sæpius vanum laborem in eundo aut redeundo, dum nitimur invisere quæ sunt in hac terra Sancti Richarii prædia, habemus gratias, proque tua tuorumque salute divinis auribus porrigimus precum vota, parati etiam impendere, si usus fuerit, multimoda corporis servitia. Et quia tantum onus nobiscum supportare dignaris, postulamus ut super hoc negotio sis sollicitus, excolens inculta, reædificans destructa, quatenus a nobis, reddito mutuo a te sumpto, res suas auctas recipiat nostra Ecclesia a tua industria. Suggerimus etiam ut auctoritate tibi tradita interdicas ne aliquis, aliter quam stabilitum est, immutare præsumat, ut si aliquis tuorum successorum (quod Deus prohibeat), rebus a te bene paratis male abusus fuerit, in

A reddendo argento non sentiamus dispendium receptionis. Neque hæc, idcirco quod simus imparati nimis ad suscepta reddere, sed quia tenemus sacræ Scripturæ testimonio quod permittat Deus impium regnare pro scelere, omnia contradictionis ostia cupimus obstruere.

« Cunctipotentis
Dextera Christi,
Qui miseratus
Nostra caduca,
Missus ab alto
Venit ad ima;
Ac pretiosa
Morte redemit
B Noxia vitæ
Crimina nostræ,
Te, pie pastor,
Protegat omni
Tempore sæcli
Sicque pudice
Det tibi totam
Ducere vitam;
Ut merearis,
Exspoliatus
Tegmine carnis,
Esse cohæres
Cœlicolarum. »

Suscipiens vero hæc precata venerabilis episco-
C pus, et volens omnino manere inviolatam conventionem apud suos successores, jam dicto sæpe talia rescripsit abbati :

« Notgerius episcopus Leodicensis charissimo suo Ingelardo abbati. Quoniam hactenus, mi dilectissime, nihil ex sacrilegio habere cupivimus, nec cupimus, ne quid (quod quidem absit!) ex sacrilegio nostræ Ecclesiæ post discessum nostrum relinquatur, nimia tui devictus dilectione petitioni tuæ faventes, quod mandasti providus, fieri dignum duximus, ne quis successor meus conventionem quam invicem habuimus mutare præsumat in pejus. Ideoque notum fieri volumus cunctis Ecclesiæ fidelibus, tam futuris quam præsentibus, quod quacunque die tu, aut quilibet successorum tuorum, nobis, vel
D nostris similiter successoribus, XXXIII denariorum libras reddiderit, absque ullius contradictionis impedimento sua prædia recipiat ecclesia S. Richarii. Quicunque id temerare præsumpserint, ex auctoritate Dei, sanctæque Mariæ genitricis Domini nostri, et sanctorum apostolorum Petri et Pauli, ac beati Lamberti martyris Christi, sint damnati, anathematisque vinculis obligati.

CAPUT XXXI.

De villa quæ dicitur Matermortua.

Est in confinio Lelgiæ quædam villa Sancti Richarii, vocabulo Matermortua, quam sæpe dictus abbas cuidam petenti ita habere concessit, ut quandiu viveret, possideret, et post suum decessum unus

suus hæres similiter in vita sua teneret. Permisit A autem intuitu laboris, qui ex longo itinere accidebat, sumptis a jam dicto milite centum argenti solidis, ita tamen ut uno, quoque anno redderetur census xxv solidorum. Super cujus firmatione talis confecta est chartula.

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Ingelardus divina dispositione Centulensis cœnobii abbas, ad notitiam sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium, tam fututorum quam præsentium, veniat quod quidam miles, nomine Hubertus, nostram præsentiam adierit, magnopere deprecans, quatenus ei quamdam terram in Lotharii regno sitam, quæ dicitur Matermortua, jure venditionis concederemus. Nos vero ipsius petitioni faventes fieri dignum duximus. Concessimus ergo ipsi, atque suæ conjugi, nomine B Alguidi, unique hæredi ipsorum, terram quam postulaverat, sumptis ab eo centum argenti solidis, ea conditione, ut quisquis superstes fuerit, eam absque ulla contradictione possideat; atque omni anno tempore Quadragesimæ xxv solidos denariorum persolvat. Sed quia de nomine hæredis, necdum certus erat, postulavit duorum annorum inducias, quas et a nobis impetravit. Hæc idcirco, ut quia ad ipsius nomen scribendum vacua relinquitur membranula, vocabitur siquidem (23)... ne forte dissimilitudine litterarum subscribatur chartulæ falsitas. Et ut per succedentia tempora sic stabiliter permaneat, manu propria firmatur ab omnibus nobis.

« Signum abbatis Ingelardi. S. Adieri decani et C monachi. S. Ingelranni monachi. S. Otberti archidiaconi Leggiensis. S. Alboldi archidiaconi. Signum Joannis archidiaconi.

« Actum monasterio S. Richarii iv Idus Mart., regnante rege Roberto, anno xi. »

CAPUT XXXII.

De farinario præstito; et obitus ejus.

In riparia Scarduonis fluvioli est inter alia quoddam farinarium, quod dicitur Mirumdolum, quod idem abbas cuidam suo parenti, nomine Raginero, in ratione victus aliquandiu cessit; simulque reditum publici clibani. Sunt et alia multa quæ gessit aliquando in redimendis, aliquando vero in invadiandis sancti loci terris ac villis, quæ, quia non omnia profutura speramus, recitare fastidimus. Illud autem necessario et convenienter intimamus quod stabilitis fratrum officinis, stabilita quoque monachorum congregatione, cui ipse longo valde tempore præfuit, mortuus est Nonas Junii, et sepulturam meruit in Sancti Patris nostri Richarii ecclesia hactenus conspicuam.

Materiale tuum repetens hic abba quiescis.
Ingelarde, tuba revocet dum cælica functos:
Quem mundo genuit heroum clara propago,
Baptismus Christo per verbum fontis et undam.
Qui monachus primo, monachorum rector abinde,
Richarii sacram sancti, quam barbarus hostis
Vepribus impleral, reparasti funditus ædem
Fervidus. At quintum volvebat Junius orbem,
Dum tibi communem mors intulit aspera sortem.

Huic successit e suis unus monachus, nomine Angelrannus, sapiens cognominatus. De quo, quia hic tertius hujus operis liber prolixior est habitus, nunc referre supersedimus, maxime cum ejus illustris vita ante hoc tempus a quodam fratre exarata inveniatur. De hoc itaque aliqua relaturi quartum recreato spiritu libellum incipiemus, ut more evangelico justorum quadrigam deducere videamur, auxiliante gratia Domini nostri Jesu Christi, cui cum æterno Genitore et coæterno Flamine sit laus, et honor, et potestas in sæcula sæculorum. Amen.

(23) In margine codicis quo Acherius usus est legitur *Alguidis.*

LIBER QUARTUS.

CAPUT PRIMUM.

De ortu domini Angelranni, et de doctrina ejus.

Cum igitur omnis mundus Unigeniti Dei descen- D sione per carnis assumptionem se gratuletur redemptum, sitque universalis exsultatio liberatio communis, proprium tamen quorumdam locorum dignoscitur esse gaudium viros habuisse tales qui sanctitatis ac doctrinæ prærogativa Patres non immerito vocentur et pastores. Hoc privilegio potita situ et nomine dulcis Pontiva provincia, præcelsorum sæpius lætata est virorum genitura. Ipsa denique illud fulgentissimum sidus, beatum scilicet Richarium, olim protulit, cujus patrocinio et corporali præsentia se beatam exsultat Centula. Ipsa etiam post illos, quos supra meruisse legitur, gloriosæ recordationis virum protulisse scitur Angelrannum, qui quoniam omnem sui temporis laudem excedit, sui nominis memoriam usquequaque protendit.

Natus est Angelrannus deifer parentibus juxta sæculi pompam non adeo generosis, quamvis omnino ingenuis, sed plane Dei timore elegantissimis. Qui quantæ opinionis, quamque boni odoris foret futurus, ante suam nativitatem divinitus præmonstratum est. Vidit namque ejus genitrix quadam dormiens nocte quasi ex se leniter sertum procedere quod totius Centulæ muros procingens, omnium ora in sui laudem, et admirationem solvebat. Quod postquam religioso marito insinuavit, ille gratia doni cœlestis afflatus, dixit pro certo hoc fore præsagium optimæ prolis quam Domini dono proxime essent accepturi, quæ bonorum odore operum universos afflaret.

Hic ergo bonæ indolis esse incipiens, profundi-

que sensus acumine vigens, infra ævum puerile repertus est in litteris discendis ferventissime ardens. Jam enim Deo se inspirante idem puer quisnam futurus foret præsagio quodam ostentabat : et cum scriptum sit : *Anima justi sedes sapientiæ*, sapientia vero Dei Christus est, summæ Sapientiæ præsignabat se templum fieri, dum litterarum non poterat scientia satiari. Et quia non lasciviam mundi amplecti, sed Dei servitio perpetim maluit mancipari, monachili auctus est toga intra S. Richarii monasterii claustra. Dein divinis donis cum ætate crescentibus, habitum quem humanis præferebat obtutibus, multimodæ sanctitatis exornabat speciebus. Inerat ei mater et nutrix virtutum humilitas, præpollebat in eo obedientiæ indicibilis qualitas, conservabatur ab eo illa quæ odisse quemquam nescit charitas. Enimvero quia, ut supra dictum est, in discendo multum gliscebat, accepta a patre loci, nomine Ingelardo, non minima reverentia digno licentia, longe seposita scrutatus est scholarum magisteria, more scilicet prudentissimæ apis, quæ circuit diversorum florum arbusta, ut mellis dulcore sua repleat receptacula. Denique multorum experientia probatum, et liberalibus studiis ornatissimum civitatis Carnotenæ venerabilem episcopum, ac cum multo honore vocitandum Fulbertum, præceptorem adeptus est atque didascalum : Hic ei monitor, hic tam morum, quam litterarum fuit institutor. Gaudebat venerabilis præsul de tanti discipuli solatio, relevabatur tam idonei auditori industria atque ingenio. Tandem igitur grammatica, musica atque dialectica optime instructum, Centulam remittit tyronem amicissimum, jam tunc sacerdotio ornatum ; quem velut grandem thesaurum recipit pia congregatio Centulensium. Hinc jam quod ingenti studio fuerat quæsitum, profertur magnæ scientiæ præcipuum margaritum, reparantur libri, conscribuntur necdum conscripti, educantur pueri, dispertiuntur quamplurimis sapientiæ thesauri, illustratur patria, et ab omnibus circumquaque felix vocatur Centula, quæ tanto præsagiebatur patre beanda. Verum populi id fieri gestientis voluntati, et desiderio felix accessit effectus.

CAPUT II.

Qualiter regi sit notificatus, vel qualiter abbas sit effectus.

Eo tempore rex Robertus, prudentiæ lumine clarus, regni Francorum post patrem Hugonem illustrabatur fascibus. Cui nutu divino, ut credimus, sæpedictus vir tali modo refertur notificatus. Cum enim adhuc in Franciæ partibus detineretur disciplinis scholaribus, supradictus rex in Romam bonæ voluntatis devotione est coactus ; dumque jussu ejus diversis in locis quærerentur divini servitii plene imbuti officiis, ab omnibus prædicatus est efficax in hac re Angelrannus venerabilis. Itaque profectione parata rex callem arripit, cui Angelrannus honestissima vita [insignitus] comes accedit. Interim dum gradiuntur, divitiæ hactenus occultatæ latius aperiuntur, prædicationum verba proferuntur, et meantium corda infundunt, miratur rex ejus affamina, delectatur continentis vitæ munditia obstupescunt omnes linguæ nitorem, reverentur animi puritatem. Verum quod in ipso itinere relatum est gestum fuisse, dignum videtur inseri historiæ; si quidem multimoda assertione insinuatus est ita per omnem viam Deo regique in divino servitio militasse, ut librorum nunquam indiguerit juvari solamine ; quod an fieri potuerit, non inertes judicent, sed studiosi examinent. Igitur Romam perventum, atque inde feliciter est remeatum.

Hujus ergo eventu itineris vir Dei Angelrannus ad regis notitiam venit : Quapropter ipse rex non eum inter infimos relinquere corde tenus ambivit. Interim vero dum rex perquirit, quo eum honore fulciat, semper venerandus Angelrannus sua inhabitatione Centulam exaltat. Et provenit Deo ordinante ut abbatia Centulensis paterna privaretur sollicitudine. Fratrum ergo sanioris consilii concordi electione id officii suscipere cogitur Angelrannus, qui Domini præscientia ante omnia sæcula ad hoc fuerat præparatus. Tunc rex ovans, quod sicut cupierat locum honorandi reperisset, sæpe dictam Centulam hac de causa concitato gradu devenit. Enimvero famæ velocitas Angelranni aures percellens, dicto citius timore salubri ejus præcordia replet. Quid ageret non inveniebat. Fratrum unanimis electio, exstante admodum parva quorumdam sua nobilitate inflatorum contradictione, pastoralitatem suscipere cogebat; regia etiam auctoritas ad hoc impulsura propinquabat. Sed ille, qui subesse quam præesse malebat, omnino se indignum hujusce rei perceptione præjudicabat. Sumpto igitur ausu silvarum lustra expetit, ibique se ne inveniretur abditis quibusdam recondit. Rex adveniens virum interrogat, furtim eum abscessisse monachorum turba proclamat. Rex miratur intentionem, prædicat humilitatem, jubetque ut citius pergatur, ac electus Domini ad se reducatur. Exeunt ergo militares præclarum Dei militem perquirentes; sciscitantur a quibuscunque obviantibus sicubi visus fuisset vir cluentissimus. Tandem igitur peracta multa scrutatione in silva Olnodioli dignoscitur latere. Itur ocius, perquiritur, inventus adducitur, regisque Roberti præsentiæ sistitur. Rex itaque gaudens, ecclesiæ basilicam intrat, omnique spectante nobilium vel ignobilium caterva, per funes ad signa pendentes ipsi totius loci dominationem delegat. Dein jubetur ab ipso rege, ut quantocius acceleraretur benedictionis consecratio digna. Vere ergo iste superni membrum capitis fuit, qui memor suum Dominum, dum eum vellent populi facere regem, fugisse in montem, ne supercilio prælationis extolleretur, maluit subire cavernam.

CAPUT III.

Renovatio conditionis inter Ingelardum abbatem et Notherum Leodii episcopum.

Jam vero sumpto abbatis officio, quis ejus bona

digne potens sit explicare? Erat enim ei studium A juge propriæ vitæ nævis carere, coram Deo et hominibus bona semper providere, commissorum inepta resecare, tam exemplo quam verbo, bona eorum augere, quidquid bonum semper ambire, quidquid pravum semper cavere. Nec ejus benevolentiæ sat est animarum salutem obtinere, sed curat etiam terrenis ædificiis locum commissum honorare. Denique mœnia struxit, sacras aras auro et argento vestivit, Christique vasa sacrosancta pro posse ampliavit. Delectabatur plane sanctum ingenium bono opere, pascebatur pia mens sancta exercitatione. Interea Notkerus, Leodicensis episcopus, cui a domino Ingelardo abbate quædam Sancti Richarii prædia fuerant oppignorata, obierat, et post alios duos Durandus ipsius sedis susceperat B præsulatum. Hunc itaque abbas Angelrannus adiit, et ut conditionem quam illius et suus fecerat antecessor renovaret, ne infirmaretur, exoravit. Qui episcopus venerandi viri precibus acquiescens, nam et a domno Edalo Remensi antistite idipsum facere fuerat exoratus, tale denuo rescriptum promulgavit :

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Durandus divina propitiante clementia sanctæ Leodicensis Ecclesiæ pontifex, universis Christianæ religionis fidelibus, præsentibus videlicet et futuris, compertum fore volumus, quod Angelrannus abbas S. Richarii confessoris Christi a nobis sibi petierit ut conventionem quam suus antecessor cum No- C tkero hujus sanctæ sedis episcopo habuerat, renovaremus scripto. Sumpserat enim idem suus antecessor ex thesauro S. Lamberti XXXIII denariorum libras, oppignorans nobis quædam S. Richarii prædia, scilicet in villa Hair V mansos, et V in villa Farmala, et I in villa Bursis, et I in Glemdena, ea videlicet ratione, ut quacunque die nobis nostra redderet sua sine contradictione aut ipse, aut aliquis suus successor reciperet. Fecimus ergo quod suggesserat, et scriptura præsentis chartulæ quod antecessores nostri statuerant renovavimus.

« Acta sunt hæc Leodio publice sub die XIV Kalend. Octobris, anno Dominicæ Incarnationis 1022, imperii vero Henrici XIX.

« Signum Hezelonis comitis. Signum Humberti cle- D rici. Signum Guathonis clerici. Signum Hildradi clerici. Signum Adelardi laici. Signum Libuini laici. »

CAPUT IV.

Quomodo ecclesiam Scabelli villæ acquisierit.

Hac igitur pactione utiliter reparata, monasterium reversus est. Aliquando etiam Neustriam ivit, et colloquio marchionis Richardi usus, postulavit eumdem ducem, ut pro salute suæ animæ S. Richario aliquid largiretur. Qui sciens virum esse prudentem, et monastici tramitis amatorem, benigne ei paruit, conferens per ejus manum S. Richario casulam pretiosæ purpuræ, et ecclesiam Scabellivillæ. De cujus donatione talem condidit descriptionem.

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, ego Richardus, divina concedente gratia Northmannorum dux, compertum esse volumus omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium industriæ quod Angelrannus abbas Centulensis cœnobii, ubi venerabilis confessor S. Richarius quiescit, clementiam nostram expetierit, quatenus ipsi sancto largitione nostræ eleemosynæ conferremus aliquid. Consilio ergo et suggestu nostrorum fidelium decrevimus tradere perpetuo prædicto sancto, et servis ejus ecclesiam quæ sita est in Scabellivilla. Præfatus vero abbas et fratres sub testificatione præsentis chirographi spoponderunt, quod amore genitoris nostri, nostro, et matris, conjugis et prolis persona unius monachi ipsius congregationis augeretur numerus, ea conditione ut illo decedente a sæculo, alterius per sæcula subsequatur successio. Illud etiam ut ab hodierna die et deinceps nos, nostrique filii supradictæ congregationis, appellati socii omnium quæ ibi gesta fuerint bonorum habeantur participes. Ut igitur hæc futuris temporibus donatio stabilis permaneat, sub gravi anathemate facto ab archiepiscopo, me præsente, vel a quibusdam episcopis cum suis sacerdotibus, qui forte tunc nostræ aderant curti, jussimus roborari, et hanc insuper chartulam fieri, quam signo manus propriæ voluimus consignari.

« Signum Richardi marchionis. S. Roberti archiepiscopi. S. Gonnoridis matris eorum. S. Judith. S. Richardi pueri. S. Roberti pueri. S. Willelmi pueri. S. Malgeri.

« Actum Rothomago II Idus Martii. »

Robertus quoque ipse Rothomagensis archiepiscopus, virum bonum esse cognoscens dominum Angelrannum, donavit ei unum bonum dorsale, quo hodieque nostra ecclesia ornatur.

CAPUT V.

Assertio de S. Vigore.

At quia nunc Northmanniam intravimus, libet parumper subsistere, ut quoddam necessarium explicemus. Retulimus sub domno Ingelardo B. Vigoris episcopi corpus honorabile a Neustria Centulam translatum; quod quia meruimus, Deo omnipotenti ex corde intimo gratias rependamus. Securi igitur de Dei munere in sancti corporis collata nobis benedictione, jam modo contra illos agamus, qui tantum bonum nostrum obscurare nituntur. Est enim quiddam sensibus nostris illatum, quod Deo auxiliante abundanti ratione purgabitur, si tamen faciente invidia obliquus non adsit auditor. Verum nos singulariter neminem appetimus, omnibus semel respondentes : dum enim quemquam nostratum cum Neustrianis vel Silvanectensibus de sancti corpore colloqui contingit, dicentibus istis quia noster episcopus fuit, nobis quiescit ; illis æque referentibus se hunc habere, noster a Deo nobis datus thesaurus apud incertos quasi fuscari videtur. Unde satis necessarie hanc modo rationem persolvimus, qua scilicet apud nos illum esse veraciter compro-

lemus; quod si quisquam clarescentibus miraculis hunc se habere defendat, et nos multo magnificentius eadem experti sumus. Vere enim Christiana fides fatetur omnes Deo conjunctos, non eo tantum loco quo corpore habentur, sed ubicunque fideliter rogantur, divina posse monstrare. Sed jam pergat sermo in nomine Domini quo destinatum est, huncque sanctum confirmemus nos habere, tametsi alias magna operari videatur. Christus veritas nobis astipulatur, ipsa sancti viri anima cœlesti semper hæreditate beata testimonium reddit, imo de verbis ejus verbi nostri testimonium fiet.

Neustriani tamen, qui et Northmanni, sui episcopi non bene custoditi arguendi videbantur; sed mentem remordet, quia *nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam* (*Psal.* CXXVI). Ob hoc autem illos sinentes, alia expediamus, dum et thesauri quondam habiti, et modo perditi amissione constet eos satis punitos. Silvanectis autem civibus de sancti corpore inaniter superbis jam modo ora claudamus. Quo primo igitur tempore sancti corporis illatione beata est Centula, absque ullis gestorum ejus adminiculis aliquandiu permansit. Delator nempe nomine et gradu atque civitate episcopii ejus relatis, de cæteris conticuerat. Cum autem Ingelardi abbatis de medio facti, hic venerabilis Angelrannus, cognomento sapiens, vicem suscepisset, fuit ei necessitas illa, quæ supra exposita est, Northmanniam ire. His pro quibus ierat peroratis vel definitis, a clericis ipsius provinciæ et a monachis S. Audoeni cœpit inquirere an nossent aliquem sanctum qui diceretur Vigor. Illi autem optime hunc scientes, hoc solum mirati sunt quod ipse abbas tantum confessorem nesciret, referentes ortum, vitam ejusque dignitatem. Tum abbas rogat sibi monstrari Vitæ ejus scripturam, et describendi largiri copiam. At illi cum annuissent, tali ab eo auditu percelluntur. *Cœnobio*, inquit, *Centulæ in monasterio domini mei S. Richarii hujus sancti corpus habetur.* Tum monachi B. Audoeni dixerunt ei: *In hoc, honorande Pater, te scito hunc revera habere, si ossa ipsa inspectans, mentum non inveneris apud te; quod os idcirco illic tu non invenies, quia Deo gratias nos illud habemus.* At ubi patriam nostram cum libello vitæ ejus repedavit, curavit insinuata citius probare. Revolvit sancta membra, et inventa tota ossium congerie, mentum deesse invenit, quia vero ipsius vitæ lectio docebat, qua die sanctus e mundo migrasset, hæsitabat parum quid faceret, quia eam diem Omnium Sanctorum festivitas ex moderna Patrum institutione vindicabat. Statuit autem ut sequenti die festivitas sua sancto reexhiberetur. Factumque est ita; sed non sic ut tantum decuisset confessorem. His proficue, ut speramus, insertis, ad domni Angelranni vitam transeamus, alibi de S. Vigore certiora, et quibus obviari non possit probamenta dicturi.

CAPUT VI.

De constantia domini Angelranni, et donatio Comitis villæ.

Multo sudore et ingenio hic venerandus homo semper studuit ad usum monasterii illa revocare, quæ vel desolationis tempore, vel sub sui tempore antecessoris aliqua fuerant fraude subducta. Constantia quippe internæ fortitudinis, quæ menti ejus inerat, multam potentium superbiam edomabat, quia fiducia sanctitatis se vallante nullius potentiam verebatur. Angelrannus denique comes Pontivorum, Hugonis advocati filius cum ob expertam in illo sanctitatem compater ejus factus fuisset, magno etiam timore erga illum agebatur, quippe apud quem humani ingenii pravitati nihil successum sciebat. Antiquitus servata est consuetudo, ut in festo sancti Richarii tota Pontivorum militia Centulam veniret, et veluti patriæ domino, ac suæ salutis tutori et advocato solemnem curiam faciebant. Cum itaque jam dictus comes inevitabiliter ad S. Patris festum aut alia qualibet die monasterium intrasset, statim ab abbate venerabili, si quid loco abstulerat, tanta invectionis auctoritate arguebatur, ut miro modo non comitem a monacho, sed servum a domino increpari qualitate rerum putares. Si aliquando corripienti non obedisset, abbas loci amator, qui dicere poterat: *Zelus domus Dei comedit me* (*Psal.* LXVIII), continuo sese in verbis exaggerans, illumque infidelem, illum raptorem clamitans, nisi emendare sponderet continuo excommunicabat. Hæc ejus animi fortitudo plurimum contulit, et ut suo tempore nihil loco raperetur, obtinuit. Quod nos ideo sic dicimus, quia cum nostro ævo desint largitores, bene nobis res agi videretur, si non pateremur infestissimos prædatores. Venerabilis tamen Angelrannus non hoc solum obtinuit, ut sibi nihil tolleretur, sed et ut multa per Dei gratiam sibi darentur et redderentur. Angelrannus igitur comes monitis ejus animatus, villam quamdam S. Richario delegavit, de cujus deditione testamentum conficiens, regia auctoritate confirmari voluit, ita se habens:

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Ego Angelrannus compertum fore cupio cunctorum sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium industriæ quod remorante præcellentissimo rege Roberto Compendii palatio, corroborandam in præsentia ejus obtuli quam feceram Sancto Richario quamdam donationis chartulam. Tradideram siquidem ipsi sancto in pago Pontivo villam, quæ Comitis villa vocatur, eo conditionis pacto, ut ego ipse dum vixero, et post me unus hæres, quem vivens designavero, teneam, atque in festivitate sancti Richarii, quæ VII Idus Octobris celebratur, XII denarios in censu persolvam; quod si hæres a me designatus reddere neglexerit, aut legaliter emendet, aut perdat. Quam concessionem in præsentia regis regnique nobilium obtuli, et regia auctoritate confirmandam censui.

Signum Roberti regis. Sign. Constantiæ reginæ. Sign. Henrici ducis. Sig. Roberti. Sign. Odonis. Sign. Angelranni comitis.

Actum Compendii palatio, Nonas Aprilis.

CAPUT VII.

De amore ejus erga subjectos, et redditio de Nogueriis.

Hucbertus quidam miles, qui beneficiarie cum jurejurando nostrati abbati famulari habebat, huic venerabili Angelranno aliquoties causa probationis exstitit. Siquidem aliqui ex suis parentibus sub præstatione certi temporis tenuerant villam Sancti Richarii, vocabulo Noguerias, et tali occasione tanquam hæreditatem sibi vindicabat. Contradicente abbate, et illo insaniente, multa dura contigit venerabilem Angelrannum ejus immissione pati, nempe quam forti amoris vinculo erga suos stringeretur hinc patuit, dum contra hunc Hucbertum, contraque omnes qui fratrum possessiones rapere conabantur, tam divinarum quam humanarum legum auctoritate certare non destitit. Nam Dei et Domini nostri informatus exemplo, et accensus amore, qui pro suis ovibus animam posuit, ipse quoque pro Ecclesiæ Centulensis villis vel prædiis multa pericula, multasque iniquorum insidias perpeti non formidavit. Pro illis certe qui sibi erant commissi animam posuisset, si id necesse fuisset, qui pro eorumdem re temporali, cum necesse fuit, multis injuriis affligi non recusavit; ut enim subjectorum animas salvaret, ipsi temporali suæ saluti nunquam agnitus est pepercisse. Nam non in tantum creverat tyrannorum atrocitas, ut corpora perimendo animas effugarent; sed ad hoc processerat eorum cupiditas, ut eos rebus spoliantes miseros efficerent. Et quia isdem magnificus vir eorum sævitiæ perpes contradictor exstitit, ab eis multa perpessus, etiam gladii percussionem Dei amator toleravit. Sed quia vere fateri possumus justum confidere quasi leonem, iste pro commissis bona conscientia fretus nullam timuit passionem. Charitas enim in eo locum sibi vindicabat priorem, quæ foras utique propellebat timorem. Tandiu itaque contra Hucbertum institit, usquequo procerum judicio in regis præsentia eam quam diximus villam derationaret. Sed quæ non mortalium corda rapacitas urget, si adsit locus! Rex enim Henricus illectus cupiditate, postquam fuerat definitum ut Hucbertus non haberet in proprium jus, villam tulit, et quinquennio illius redditibus usus est. Sed cum ab abbate frequenter argueretur, tandem metu judiciorum Dei coactus, et venerabilis Angelranni assidua interminatione fractus, nobis eam cessit, et super ejus redditione testamentum confecit, quod nos quoque utiliter hic consignamus:

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Henricus Dei gratia Francorum rex omnibus catholicæ Ecclesiæ filiis, quibus est cura animæ et corporis. Notum esse volumus cunctis futuris et præsentibus qualem redditum S. Richario pro animabus nostris et successorum permiserimus. Miles quidam, Hucbertus nomine, Noguenariam cum suis appendiciis quamdam S. Richarii villam tenebat suæ invasionis tortitudine. Quotquot vero antecessores ejus tenuerant, S. Richario per præstationis occasionem tollebant. Iste vero quasi propriam volens invadere, repulsus est aliquantum abbatis et fratrum reclamatione; et illo funditus repulso, censura judicii nostri decidit in nostram jussionem, quinquennio tenui, solidam et quietam habui, post hæc memor animæ meæ, et licet modicum cogitans de ejus redemptione, inclinatus etiam ab abbate et monachorum collegio, tradidi eam S. Richario. Addidit etiam comes Angelrannus ejusdem loci advocatus suam petitionem, cui ego eo tenore annui, ut nunquam inde aliquam acciperet consuetudinem. Quod ne quis etiam successorum meorum audeat infringere, Hizelini Parisiacensis episcopi perculsi anathemate, et omnium qui mecum erant Francigenæ, nec ipsum excepi abbatem, ut alicui per aliquam tradat occasionem, ne aliqua iterum erratio nostræ animæ fiat periculo. Prohibemus ergo iterum atque iterum nostro imperio, et omnium episcoporum nostrorum interminatione, ne aliquis malefactorum aliquo modo audeat usurpare, ut non fiat mihi in illa reprobatio necessitate; ubi merita mea non poterunt me juvare. Prorsus ne aliquis dubitet imperium, videat scripto imperantis edictum.

« Actum est anno Dominicæ Incarnationis 1035 regnante Henrico rege anno regni illius III.

« Abbas Angelrannus subscripsit. Rollandus monachus subscripsit. Gualterus subscripsit. Algisus subscripsit. Ingelrannus comes, et Hugo filius ejus subscripserunt. Godefridus vicecomes subscripsit. Oylardus subscripsit. Robertus subscripsit. Hi etiam sunt testes omnium episcoporum excommunicationis, præcipue Hezelini Parisiacensis. Qui deinceps infregerit ista, cum Dathan et Abiron fiat ei anathema maranatha. Amen. »

Superius comprehensum est quod dominus Ingelardus suo tempore propria permissione, tum causa amicitiæ, tum obtentu consanguinitatis, concesserit farinarium sub Montiniaco, quod dicitur Mirumdolium, Raginerio militi aliquandiu habere. Ipso abbate defuncto, cum domnus Angelrannus in nostræ Ecclesiæ usum voluisset ipsum farinarium revocare, Raginerus conatus est illud retentare, sed ab eodem frustratus est. Ille vero videns quod contendendo non proficeret, precatus est ut sibi permitteretur, et post se filio suo, postque filium suum, filio filii sui, sicque tandem reciperet Ecclesia quod suum erat. Placuit abbati id facere, et super ista constitutione tale conscriptum firmavit:

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Angelrannus Centulensium, abbas, compertum fore volumus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus, præsentibus atque futuris, quod quidam miles nomine Raginerus reclamaverit contra nos quod debebat de nobis tenere quoddam molendinum positum sub Monti-

niaco. Nos ergo ejus reclamatione justa ratione vacuata, ipso aliud postulante consensimus, et sibi et duobus hæredibus, videlicet Gualiero filio ejus, et alteri quem de legitima uxore idem Gualterus habuerit, molendinum de quo agebatur concessimus sub redditione census, ita duntaxat, ut si idem Gualterus obierit non relicto semine, ecclesia quod suum est recipiat. Si vero, ut supradictum est, conjugalis unus hæres successerit, et ipse illud in vita sua teneat, et in festivitate sancti Richarii quæ celebratur VII Idus Octobris, IV solidos denariorum persolvant. Quo tertio hærede defuncto, sic iterum nostrum revertatur ad nos. Et ut hæc conventio inconvulsa permaneat, signis fratrum nostrorum atque fidelium subnotare fecimus.

« Signum Angelranni abbatis. Sign. Angelranni advocati. Sign. Hugonis filii ejus. Sign. Odelgeri. Sign. Ursonis. Sign. Roberti. Sign. Herberti. Sign. Guernonis. Sig. Rodulfi. Sign. Godefridi. Sign. Arnulfi. Sig. Oylardi.

« Actum monasterio Centulensi VII Kal. Februarii, regnante rege Henrico, anno XII. »

CAPUT VIII.

Quam misericors erga pauperes fuerit.

Cum in omnibus erga hunc sanctum locum Angelranni abbatis cura provida semper haberetur, non tamen ejus benevolentia sublevandæ pauperum necessitati deerat. Fuit igitur ei pietas comes inseparabilis, per quam Dei gratia se auxiliante miserorum consolator splenduit singularis. Multoties enim e claustro processit, ut miserendi locum quoquomodo posset nancisci. Et cum pro alicujus utilitatis ordinatione putaretur egredi, ille justitiæ famelicus, misericordiæ actibus cupiebat saginari. Enimvero gestabat nonnunquam pius latro sacculum misericordiæ gazis refertum, et dum hinc ac inde cerneret pauperem quemlibet proximare, antequam contra illum pervenisset sumptos denarios in terram solebat jactare, illumque volentem transire ad se Pater misericors evocabat, et quasi nescius quid illud esse posset quod solo tenus jacebat, sciscitabatur. Ille, qui ignorabat actum, *Domine*, aiebat, *video nummos super terram jacere.* Tum ille benefraudulentus, et pie deceptor, ire jubebat, et sibi tollere, dicens a Domino illi esse præparatos. O virum vere Deo dignum! o animum omni laude jugiter attollendum! ne enim vita expers maneret, piis actibus continue instabat, et ne eum laus transitoria percelleret, ipsos pios actus occultabat. Libet parumper nostram pravitatem, nostræque intueri mentis tortitudinem. Nos et cum bona non facimus, cupimus laudari, et si parum quid contigerit nos boni facere, ab omnibus cupimus prædicari. Nos nec actu, nec virtute qualibet resplendemus, et velut sanctiores pro solo habitu honorem extorquemus. Damnanda prorsus miseria, non esse sanctum, et sanctitatis requirere debitum. Verus itaque Dei cultor Angelrannus bonorum operum exercitiis illustratus, hospitalitatis amator devotus, humilitatis servator assiduus, charitatis etiam obses mansit æternus. Verum ingenii ipsius sagacis non facere mentionem, impiissimum duco errorem. Nam præcipiente sibi venerabili suo quondam magistro, D. scilicet Fulberto Carnotensi episcopo, almiflui confessoris Christi Richarii Vitam ab antiquis compendiose descriptam, versu heroico jucundiorem fecit, nihil pene extrinsecus addens, sed eumdem sensum per omnia repræsentans. Sane miracula quæ Dominus ac Salvator noster per ejusdem sancti merita suo tempore exhibuit, in uno libello compingens, antiquis ejus miraculis compaginavit; in quorum capite post ea quæ supra texuerat, sic exorsus est fari :

Nunc ea complectar proprius quæ vidit ocellus.

Subsequenterque intexit illam S. Richarii relationem, quæ in præcedenti libello a nobis plenius exposita est. [Ex ipsis autem miraculis quæ post sancti restitutionem divinitus celebrata sunt, et quæ testatur se vidisse, aliqua hic ponimus, ut sicut longe superius dictum est, iste vir Dei judicio magnus debeat agnosci, cui divinitus concessum est talia videre.]

CAPUT IX.

De miraculis sanctissimi Richarii quæ ejus tempore acciderunt.

Recurrente igitur populorum multitudine ad sanctissimi patroni nostri Richarii annuam festivitatem, contigit existere prope monasterium puteum, enormiter quidem profundum, sed omnino siccum, in cujus margine eo quod nullus ibi accederet, excreverant virgulta, quæ, dum os illius obducunt, improvisum externis exitium parabant. Homo itaque unus mulierque una dum desuper nescientes incedunt, in ejus magnum deciderunt profundum. Quod ubi auditum est, condolent Centulenses viri, miserorum morte præcipui advocati solemnitatem fuscari, submittunt itaque hominem qui de profundo putei peremptorum corpora levaret, et, o res miranda! qui discerpti et toti dissipati putabantur, sani et absque læsione incolumes educti sunt; magnumque populis suæ vitæ spectaculum præbuerunt. Nam ut non periissent sancti meritum obtinuit, cujus illi mœnia votiva devotione petierant. Dominica palmarum, quam vulgus Pascha Floridum vocitat, ex ecclesiastica traditione colebatur, cum ipsa die quidam clericus cum nostris monachis in refectorio edens piscis glutivit aristam; vespere facto cum ex ea molestari cœpisset, vomi: eam vomendo rejicere nec valuit. Sequenti die excruciatur; tertia etiam die in deterius malum procedit. Quarta autem jam de morte tractans, rogavit se ab abbate visitari, a quo postulavit ut in cœmeterio fratrum sepeliri dignus haberetur. Quinta igitur feria quam Cœnam Domini Christiana vocat consuetudo, cum videret se in mortem jam jam resolvi, petiit ad sanctum beatissimi Richarii altare se ferri, ut per ejus magna merita Domino posset sua anima commendari. Domesticis ergo

hinc inde eum gestantibus illo usque devehitur, et quidam libri gratia muneris ab ejus manu in altare ponuntur. Sed cum illi qui portabant retrogredi voluissent; illico divina medicina adfuit; sensit enim se quasi calida aqua fomentari, qua scilicet continuo omnimodam sanitatem recipere promeruit. Engelguinus quidam artifex lignarius habebatur, qui de suo artificio nostræ ecclesiæ serviens ruentia texta resarciebat; vel nova, si res exegisset compte aptabat. Hic in Paschæ diebus conscendit campanas, ruptum campanæ funem volens renodare, expletoque opere revertebatur, cum ecce culminis foramen reclaudenti deficit omne quo se adniti atque teneri suspicabatur. Ruit ergo, et dum terram ocius petit, a morte nigra exciperetur, nisi virtus divina, quæ sui sancti domum morte hominis cruentari nolebat, eum sustulisset; nam ut nescienti loquamur, ipsa fabrica templi porrectis in antea lapidibus ex se interius semitam facit, quam ut tutus posses tenere podiorum munimine industria prisca firmavit. Super hos igitur lapides homo cecidit, et Domini pietate sancti merito exhibita suæ salutis gaudia tulit.

Annuo cursu sancti Richarii festivitas reddebatur, et continuis pluviæ inundationibus patrienses nostra mœnia visere vetabantur, sedentibus quadam die in unum monachis, unus ex eis cœpit conqueri quod sua sancto solemnitas a provincialibus non exhiberetur, dum omnis homo, pluvia obstante, istic venire non posset. Tunc alter quidam in Deo fisus desperanti fratri respondit : Scriptura sancta propalat quod Dominus noster famulis suis posse concessit, ut quando volunt reserent cœlum, et quando volunt itidem claudant. Qua potestate ego non credo nostrum patronum esse privatum quin vere possit plebi devote huc venienti serenata cœli facie præbere nitidam viam. Cum igitur vigilia festivitatis excipi deberet, tanta, sublatis nubibus, prætensa est cœli serenitas, ut miro modo quod hesterna in aquis totum diffluere putabatur, hodie indicibiliter nitens suo aspectu gigneret orbi nostro lætitiam. Populus concurrit, festum recolitur, et quasi reddito devotionis tributo, populus ad propria repedavit. Vix unusquisque tecto suo redditur, cum ecce nubilorum densitas cataclysmi inundationem omni sæculo figurabat; ut enim illa serenitas non eventu, sed sancti merito præstita fuisse evidentius nosceretur, peracto triduo quo solemnitas durat, rediviva tempestas incubuit. In Civinocurtem villam Sancti Richarii aliquando latrunculi quidpiam subintrantes, duos nostrates, homines vi tulerunt, a quibus ut exigerent quæ non habebant, ferrea vincula imponentes, impiæ custodiæ tradiderunt. Verum cum isti in vinculis haberentur, non desistebant Dominum et ejus sanctos, maxime tamen suum patronum, sanctum scilicet Richarium, in suum auxilium prece supplici implorare. Dum hæc faciunt, festivitatem sancti orbita solaris repræsentavit, in cujus nocte dum catenati in magno labore deficientes eumdem sanctum reinvocarent, omnia statim vincula solvuntur. Sicque postmodum nostri fruuntur omni libertate.

Sed et illud modo referendum est quod erga Hucbertum, cujus supra memoratum est, divinitus contigit actitari. Hic enim cum Sancti Richarii villas superbo et rapaci spiritu invadere tentaret, et a domno Angelranno viriliter repelleretur, multa ei inferre mala molitus est. Aliquando autem unum e Sancti fidelibus Richarii comprehendit, quem tam pro nequitia sui cordis, quam pro odio et injuria abbatis dirissimo carcere trusit, tantisque vinculis et verberibus affecit, ut mortem non jam minari, sed inferre non immerito crederetur; et quia terrena potestas quæ vice abbatis eum eriperet non præsto adfuit, Dei potestatem sibi concurrere per sui domini sancti Richarii merita vinculatus ille precabatur. His eo intento precibus, vincula sponte solvuntur et laxantur, et catenis liber tenere manu cœpit quibus antea fuerat tentus. Restabat autem et illud, quod, in loco interiori positus, et seris ac vectibus virorumque custodiis vallatus, spem evadendi non facile capiebat : Sed qui apostolum Petrum angelico ductu de carcere Herodiano salvavit, ipse et nunc suæ imperio virtutis claustra patefecit, custodesque somno gravissimo, ne fugientem impedirent, compressit. Sic Deo auctore noster homo salvatus ad sancti Patris ecclesiam venit, bojas sancto obtulit, et in Dei laudes omnium fratrum vota resolvit. Hoc igitur miraculum licet venerabilis Angelrannus sanctissimi Richarii meritis ascribat, nos non immerito pro ipso eodem beato viro tantam credimus fuisse peractam virtutem, quippe qui talem se Dei oculis aptabat, pro quo utique magna fieri deberent.

Nunc vero aliqua recenseamus quæ absque aliquo fuco cognoscantur ob ejus bonitatem divinitus esse peracta. Necessitudine quadam exigente alicubi longius duos fratres emiserat, qui dum iter accelerant longe a nostris finibus, incursu latronum arctantur, dejiciuntur caballis, et cum injuria ex equestribus efficiuntur pedites. At dum illi miseri ablata monachis animalia abducere voluissent, illico quasi statuæ fusiles essent nec verbere nec calcarium impulsu promoveri potuerunt, sicque recognoscentes peccatum nostris sua reddiderunt. Alia vice ad regis curiam similiter fratres miserat, quibus ausu latronis boni pretii equus subtractus est, at cum fur furatum animal clanculo agens fratribus quo isset indicatus fuisset, et cum eum nostri subsequerentur, mox equus diriguit, nec amplius uspiam progredi potuit, tunc malus arreptor mortis tactus timore equum invitus dimisit, et fugam iniit; nostris autem venientibus capitur equus, et absque difficultate rursus incedit. Sed et pestifer Hucbertus, cujus opere multa dura beatus hic homo passus est, judicio regis postmodum cum omni sua stirpe interiit, quia revera boni viri persecutor, quieta non debuerat morte perfungi.

CAPUT X.

De domno Odelgero monacho.

Hujus autem Deo tam clari viri vita excellens multorum studia ad supernorum amorem accenderat. Unde nunc æquissimum judicamus in ejus discipulorum actibus quanta Dei gratia viguerit ostendere, ut quem jam monstravimus vere sanctum ac per hoc Deo proximum, inde magis ejus bonitas resplendeat, quo non suis solis, sed et commissorum provectibus magnificus comprobatur. Erat ergo in hoc sancto cœnobio venerabilis vitæ vir nomine Odelgerus, qui abstinentiæ miræ, obedientiæ summæ, suique custos oris, magnum religionis per Dei gratiam præbebat lumen. Qui a puero quidem sacris fuerat sub domno Ingelardo abbate disciplinis informatus, sed sub reverendissimo Angelranno decani vel prioris potiebatur ministerio. Hic ergo assiduæ lectioni et orationi insistens, animi quoque simplicitati et puritati studens, magnæ vitæ studiis pollebat. In exterioribus etiam ministrandis satis probus, ac valde aptus exstitit. Consuetudo autem ei fuerat perpetua, ut quando fratres ex indulgentia remissioris vitæ aliquid sæculare aut etiam religiosum in communi sermocinarentur, secederet in Ecclesiam, ibique psalmodiæ et compunctioni intentus sedule Domino jungebantur. Qui etiam ne aliquo impulsu aut alicujus occursu præpediretur, superiora templi conscendere procurabat, ibique liber et remotus quasi de proximo ac de vicino divinis obtutibus laudum et precum holocausta offerebat. Hic itaque post longam in sancto proposito exactam vitam, ad extrema pervenit; qui cum morti proximus existeret, et a fratribus vel a famulis ecclesiæ circumdaretur, repente exclamavit, et dixit: *Ecce chorus adest angelorum.* Ut enim omnipotens et pius Deus ostenderet quam devote ei servierat, voluit suæ divinitatis ei morituro ministros transmittere, ut in eorum conspectu atque præsentia sine gravi metu et dolore de corpore exiret. Hac autem voce, omnibus qui aderant stupefactis, repente iterum subjunxit, et ait : *Ecce chorus prophetarum.* Silentioque parumper habito, sic intulit : *Ecce chorus apostolorum.* Ac deinde . *Ecce*, ait, *chorus martyrum.* Cumque pauxillulum conticuisset : *Ecce*, inquit, *chorus confessorum.* Novissime vero cum denuntiasset, dicens : *Ecce chorus virginum*, eodem momento spiritum emisit. Et quia veraciter cœlestis patriæ cives ad se suscipiendum venisse vidisset, sequendo testatus est. Reverendissimus vero abbas Angelrannus eum, ut decebat vere sanctum, in ecclesiola Sancti Vincentii martyris, quæ erat claustro contigua, venerabiliter sepelivit, et super ejus bustum tale epitaphium composuit :

Justitiæ cultor fuit, et pietatis amator
Odelgerus in hoc qui recubat tumulo.
Subtraxit vitæ quem vix Februaria nona,
Ut spes est, regno misit ei æthereo.

CAPUT XI.

Qualiter a Domino sit correptus.

Angelrannus venerabilis inter suæ magnæ sapientiæ monimenta in sancti Richarii honore, quamvis antiqui abundarent, quosdam cantus dulciori composuit melodia, necnon sanctorum Gualarici abbatis, et Wlfranni archiepiscopi honori proprios cantus coaptavit : Beati quoque Vincentii martyris passionem metrice composuit, sanctæque virginis Austrebertæ vitam metro subegit. Et quia tantus scientiæ fulgor non facile poterat abscondi, multi nobiles ejus se subdidere magistratui, et quibus fuerunt duo honorifici viri, Guido præsul Ambianensis, et Drogo episcopus Tarvennensis. Hi ejus se discipulos, hi, quoad vixerunt, semper gratulati sunt se ejus prudentia illustratos. Intantum enim disciplinæ ejus bonitas sparserat, ut ubique ab omnibus Angelrannus *sapiens* specialiter non immerito vocaretur. Cum igitur tantis et talibus bonæ famæ opinionibus miro modo polleret, impleretur que in eo ille apostolicus sermo : *Christi bonus odor sumus Deo* in omni loco (*II Cor.* II), Inspector ille cordium [Deus] videns eumdem suum famulum infatigabili desiderio sibi velle sociari, ut puriorem quandoque susciperet, imo ut meritorum copiam ei accumularet, statuit eum adhuc tentationis lima polire, ac super incudem corporeæ infirmitatis, malleo propriæ percussionis interrogare. Denique tanta eum paralysis acerbitate perculit, ut non manum ad os ducere, non in lectulo se deinceps quiverit movere. Religantur manus innocentes supernæ districtionis vinculo, et quæ in bonis se semper exercuerant, ac mala studiosius caverant, hæc vel illa, bona dico vel mala, ne contingant arctantur. Semper igitur gratias retulit Conditori, et cui antea in omni bona operatione se devotum exhibuerat, nunc valetudine pressus, corde et lingua laudis sacrificium victimabat. Et cum hoc morbo sic vinculatus esset, ut omnino sui impotens maneret, tamen ejus ubique auctoritas metuebatur, ejus ubique nomen reverebatur. Sæpe autem accidit, ut quolibet residens uberrime fleret, et cum ab assistentibus interrogaretur quænam esset causa ploratus, se peccatorum pœnas formidando cogitare respondebat, quas intra tartari claustra diabolo ministrante patiebantur, et ob hoc non posse omitti quin fleret. Ita etiam cum alternantibus vicibus se lætissimum præmonstraret, interrogarentque famulantes quidnam rei esset quod alacer videretur, aiebat de cœlestium gaudiis angelorum, deque sanctorum felicitate perpetua hanc sibi emanasse exsultationem.

CAPUT XII.

De subreptione Fulconis, et prophetia domini Angelranni.

Senescente autem illo, cum multis utile videretur, ut eidem rector substitueretur, quidam secundum carnem nobilis, filius nempe Angelranni Pontivorum comitis, nomine Fulco, ejusdem loci alumnus, parentum auxilio sæpedicti loci Centulensis regimen si-

bimet usurpare tentabat. Sed enim, cum rex Francorum Henricus quo nescio casu accidente Pontivum devenisset, idem Fulco, intercedente jam dicto comite patre suo, cupiebat obtinere ab eodem rege totius loci dominationem. Quod et factum est, ignorante penitus domno Angelranno abbate. Jam dictus vero Fulco cum ob donum regium se abbatem fore auspicaretur, sumpta audacia impudenti quibusdam militaribus in fratrum refectorio, more scilicet incompetenti, convivium opulens exhibuit, quo sibi faceret fideliores, et ad acquirendum sibi honorem promptiores. At ubi nuntiatum est istud Patri Angelranno, ministros vocat, protinusque se illuc deportari mandat. Manibus ergo famulorum ad ostium usque refectorii devehitur, ibique figens gradum, ex auctoritate omnipotentis Dei eos qui convenerant anathematizat. Hinc vero omnis illa eorum factio inchoat dissipari. Cerneres enim meliores quosque, in quibus parum quid timoris [Dei] resederat, quas[1] reos ante judicem, sic ante justi faciem pavitare, et incendio excommunicationis ab eo illatæ miro modo terreri. Vir Dei itaque secedens inde, Fulconem evocat, et an abbas effici velit minaci verbo sciscitatur. Cui præ pudore nihil respondenti sententiam intulit, dicens non posse eum fieri abbatem, quandiu scilicet ipse in corpore moraretur. Et quamvis isdem Fulco etiam alterius abbatiæ donum a patre suo habuerit, nunquam tamen, quandiu vir beatus supervixit, effici abbas ullatenus potuit, quia videlicet viri Dei sermo obtinuit. Qua in re animadvertitur sanctus vir prophetico spiritu actus fuisse, qui non absque nutu divino prædixerat eumdem non posse fieri abbatem, quandiu scilicet ipse in corpore moraretur. Siquidem postquam venerabilis Pater Angelrannus cœlicas recessit ad ædes, idem Fulco abbatis officio donatus est primo post ejus sepulturam die, prælatusque monasterio Forestensi, quod ex antiquo, ut in hoc opere lucide patet, fratrum sancti Richarii cella fuerat, sed paulo ante a comitibus Pontivorum subtractum abbatiolæ nomen sibi vindicat. Et quia ad id loci pervenimus, libet memorare, ob rerum notitiam posteris intimandam, qualiter idem locus nobis ablatus est.

Ab ea die qua beatus et sanctus Pater Richarius ibi finem vitæ mortalis accepit, et deinceps usque ad tempora Ingelardi abbatis in nostratum deguit ditione, Hugo vero primo dux, postea rex, eo tempore quo propter barbarorum cavendos incursus abbatis villam nobis auferens castrum effecit, eique Hugonem præposuit militem, Forestis-cellam nostræ ditioni subripuit, et eidem Hugoni perpetuo habendam contradidit, quia videlicet ipsius ducis filiam, nomine Gelam, uxorem duxerat. Antea igitur in eadem cella clerici Domino militaverant, sed Hugone postulante aliqui ex nostris illic monachis statuti sunt, qui et abbatem meruerunt simili modo monachum nostratem, nomine Guidonem, domni Angelranni fratrem : quique cum aliquantis ibidem annis in animarum regimine ministrasset, officii successorem habuit, Hubertum nomine, nostratem monachum. Quandoquidem nobis ille locus tollebatur, tamen ob amorem et honorem almi Richarii statutum est, ut de nostris semper ibidem fierent abbates monachis. Huberto quoque mortuo, ejus loci regimen suscepit hic Fulco, quem nostri monasterii dominium sibi usurpare voluisse notavimus. Libet vero dicere de domno Guidone abbate, quod cum egregiis moribus et Deo placitis fulgeret, oculorum lumine sicut et sanctus Tobias privatus est, omnino tamen perseverante in mente ejus divinæ contemplationis claritate. Mox vero ut hoc flagellum cum gratiarum actione a pio patre Deo excepit, succedi sibi poposcit ; et rediens Centulam, quod superfuit totius vitæ in sancto ibidem explevit servitio, qui etiam VIII Kal. Maii dormitionem accepit, et a venerabili fratre suo Angelranno juxta sancti illius monachi Odelgeri corpus humatus est talique dictitio prænotatus :

Mausoleum hic Patrem recolendum rite Guidonem,
Sculptus litterulis monstrat habere lapis.
Extulit egregiæ quem mundo gratia vitæ :
Sublimem mundus hunc faciat precibus.

Verum et illud placet referre quod is de quo supra diximus Hugo, non comes, sed advocatus dictus fuerit, quod nomen illi erat insigne, ob hoc quod ecclesiæ Sancti Richarii defensor fuerit a rege Hugone institutus. Quo etiam nomine filius ejus Angelrannus, hujus Fulconis pater, fuit contentus, donec permissu Dei Boloniensem comitem bello peremit, ejusque relictam nobilissimam, nomine Adelviam in matrimonium accepit. Et quia comitissam duxit uxorem, idcirco deinceps comitis nomen accepit, quod a successoribus ejus jam ex consuetudine tritum perseveranter tenetur. Sed ad nostrum Angelrannum redeamus, et qualiter bonus bonum habuerit successorem jam dicere inchoemus.

CAPUT XIII.

De domno Gervino abbate.

Cum, ut supradictum est, comperisset Fulconem parentum intercessu, et pretii datione, præripere voluisse regiminis ministrationem, voluit adire regiam majestatem, ne animarum cura venderetur oraturus. Quod quia aliter ob infirmitatem non potuit, curru vectus implevit, et regis auribus satis dura inferens, tormenta inferni illum subire, ob distractionem gratiæ minatus est. Et rex, qui bonæ mentis habebatur, pœnituit, reatusque indulgentia rogata se spopondit emendaturum. Non multi post hæc fluxerant dies, cum ecce ex divina, ut tenemus, voluntate, regali audientiæ interfuit Virdunensis abbas Richardus. Reverendissimum monachum et merito bonitatis unice dilectum Gervinum secum habens capellanum. Et quia iste est Gervinus, de cujus post Angelrannum successione Centula gavisa est, decentissimum intuemur a principio sursum quis fuerit referre, ut homo diligendus quo melius noscitur, melius et ametur. Ex territorio igitur Laudunensi, patre Guilleno, ma-

treque Romilde. Gervinus natus est, et a primævo ævo litterarum studiis imbuendus in ecclesia S. Mariæ nostratis Galliæ hierarcha, ubi eo tempore famulabatur Domino clerus vere clarus, traditus est. Sed, ut fieri solet, cum adolescens grammaticæ operam daret, et patulo sensu ipsorum jam carminum vim perpenderet, animadvertit inter ea quædam, quorum omnis intentio hæc est, ut aut expletas luxurias referant, aut quomodo quis explere voluerit, vel explere potuerit recenseant; et dum talium assidua meditatione polluitur juvenis mens casta, tum juvenili fervore, tum turpium verborum auditione, maxime vero diaboli instinctu ad hoc cœpit impelli, ut ea faceret quæ tantorum poetarum æstimabat narratione celebrari. Ad hoc igitur hortatu sodalium perductus est, ut infaustos expeteret complexus, quandoquidem carnis ardorem non aliter restringendum poetarum oraculis, et juvenum jam corruptorum suggestione compererat. Ventum itaque illo usque est, quo castitatis jura frangerentur. Sed Deus omnipotens, qui sibi eum aptum vas gratiæ ordinarat tanto eum subito pudore respersit, ut non solum male cogitata non perageret, sed etiam talia voluisse visceraliter eum pœniteret. De pellicis itaque se osculantis, et ad crimen incitantis amplexu, et vere de mediis diaboli faucibus exsilivit, et tanta auctoritate vim iniquæ voluptatis in semet compressit, ut ipsa priscorum poemata audire extunc desiverit, ne, ut pene acciderat, dum litteram disceret, animam jugularet. Hoc vero non ideo referimus, quod insolitum sit hominem carnis lascivia fuisse tentatum, sed quia tali occasione mens probanda erat, quæ jam disposuerat fieri pudicitiæ habitaculum. Hæc ergo causa ei fuit, qua sæcularia studia deseruit. Unde nec magnam illarum artium peritiam habuit; tamen, quia hæc ex parte gustaverat, facilius divina ingressus est, in quibus postmodum et verbo et opere peritus habitus est.

CAPUT XIV.

Ut sæculum reliquerit, et monachus effectus est.

Defunctis patre et matre, cum totius, quæ magna erat, familiæ Gervinus provisor et dominus haberetur, essetque Remensis matris Ecclesiæ canonicus, cogitabat repulsis sæculi tumultibus Deo strictius militare. Sed ejus desiderio contraibat duarum forte sororum custodia. Inter multos igitur, quos lege beneficii sub se habebat vassallos, erat quidam vir bonus et efficax, summæque strenuitatis miles, nomine Haymo. Huic vero Gervinus terrenorum pondere sese exonerans delegat patrimonii sui summam, tradens ei germanam in conjugium, nomine Rotsellinam. Altera autem, quæ viri torum recusavit, Christi sponsalibus meruit subarrhari, et in monasterio sanctimonialium vitam religiosam monialis et ipsa devote peregit. Hac tempestate florebat virtute modestiæ venerabilis abbas Richardus, quem multa bonitatis fama omnibus amabilem venerandumque efficiebat. Hunc ergo Gervinus expetivit, et ut sibi monachi vestem normamque conferret,

A exoravit. Ille autem vir Dei repletus fonte doctrinæ, atque servator Regulæ sanctæ (cap. 9), protraxit [et distulit] virum, juxta quod monet Pater Benedictus, proponit dura, aspera prædicit, ardua docet, monstrat angustum callem, qui ducit ad vitæ regnum. Verum cum magna diceret doctor, majora refert auditor; nam dicit semel ad omnia promptum velle habere, licet sint dura, vel inaudita, et quæ natura non assuevit, omnia spondet toleraturum, dummodo sibi non differatur claustri ingressus. Richardus tantis tractus promissis: *En præsens*, inquit, *adest Regula sancta. Vide si potes his obedire quæ tibi liber hic intimabit. Si deprehendis ista te posse perpetim pati, excipieris. Si autem non vis, sive non potes ista servare, liber venisti, liber discede.*

B *Talibus induciis prope totus volvitur annus.*

Itaque viro rite probato traditur sacra Regulæ vestis, jungiturque sacræ congregationi militanti sancto confessori et episcopo Vitono. Factus itaque sanctæ obses religionis, omnibus obediens, omnibus devotus, omnibus benignus, atque ob hoc omnibus erat charus; sed ut humilitatis ejus constantia certius nosceretur, factus est puerorum custos, ut qui Dei judicio pastor animarum erat eligendus, tali officio pastoralitatis præsagium portenderet. Ubi vero et in hoc aptissimus apparuit, cœpit eum Pater Richardus ferventiori dilectione ambire, in tantum ut et sibi capellanum, et cæteris multorum provisorem commodorum ordinaret. Hinc C Gervinus sancto animatus desiderio cupiebat loca sancta invisere, quibus Domini nostri Jesu Christi nativitas et conversatio, mors et resurrectio celebratæ noscuntur; sed dum Patri votum indicare formidat, ne non concessionem acquireret, sed reprehensionem, eadem Dei nutu qui voluntatem timentium se facit, cordi paterno accessit voluntas. Itaque dum Gervinus orat Deum, ut sibi tradat voti effectum complendi, abbas jam dictus charo sodali sibi inesse hoc prodit velle, ut loca sancta Jerusalem eat videre. Rogat ut suus comes esse velit, quo illo agente cito pararentur commoda vitæ. Et ille ovans quod quæ optabat diceret abbas, mox festinavit ea parare quæ in illa via erant portanda. Cum ergo jam sacerdotio polleret, cum abbate Ri- D chardo et aliis optimis viris jam dictæ urbis mœnia petiit. Quo cum pervenit, oscula sanctis locis affixit, lacrymas fudit, preces allegavit, orans pro sancta et universali matre Ecclesia

CAPUT XV.

Quomodo electus, et abbas quomodo sit effectus.

Expletis igitur votorum et precum solemniis, reversi sunt ad propria. At non multo post quadam agente necessitudine, regali aulæ, ut supra notatum est, sese contulerunt. Cum ecce Henricus rex memor comminationis a domino Angelranno sibi intentatæ, ipsum Richardum abbatem his supplex verbis exorat: *Intra nostri regni ditionem, exstat cœnobium a priscis regibus munifice satis constructum, et quanquam ante hæc tem-*

pora a paganis demolitum sit, ejus tamen nomen inter sancta loca non habetur infimum: huic exstat pastor actu et nomine prudens Angelrannus, qui perfecto vitæ suæ fidelissimo cursu jamjam carnis exuvias linquere cupit, et ideo sibi succedi in animarum regimine rogat: precor vestræ sanctitatis bonitatem, quatenus fratri Gervino permittatis ejus loci accipere pastoralitatem. Venerandus autem vir, tametsi tanti sodalis dispendium ægre ferret, concessit, et fratri Gervino donum regium suscipere imperavit. Tunc reverendus princeps jubet concito gressu cum aliquantis aulicis viris..... venitur. Excipiuntur nimis gratanter, dein disponunt maturato Centulam expetere. Tunc Gervinus obstitit, dicens locum se non visurum, donec unanimus fratrum electio suis auribus referretur. Diriguntur ergo e clero viri prudentes, qui hæc Centulensi nuntiarent congregationi. Aditur venerabilis Angelrannus, indicatur ei electum esse a rege virum qui Christi ovilis opilio digne debeat dici; sed nolle eum præcipitanter istuc venire, donec ipsius velle cognoscat omniumque fratrum electionem. Et venerabilis Angelrannus pro his exsultat, et confitetur id se optare, ut talis homo sibi succedat, qui Christi gregem pascere norit. Dein congregata fratrum unione, intimat lætus regium opus, qui eorum curam providendo benigne virum delegisset boni amicum, rectitudinis tenacem, ut eis præsit jure abbatis. *Agite*, inquit, *et quid super isto vester animus velit nobis intimate, ut vestra turma tanto pastore cito ornetur.* Hæc audientes omnes collaudant, approbantque factum; deinde scribitur consensus electionis; redditur a sancto viro cura pastoralis, in qua non se digne ministrasse humiliter valde confitebatur. Recipiunt ista legati pontificis, et præpeti gradu redeunt Ambianis, designantes episcopo et abbati benignam fratrum electionem, et sancti senis concessionem. Ea igitur die, qua intemeratæ Virgini Domini Jesu nativitas futura per angelum Gabrielem nuntiata est, abbas sacratur; sicque sequenti luce nostris sedibus infertur pastor optatus. Sublimatus ergo honore regiminis, arripit arma continuæ humilitatis, non veste subtili, non cibo delicatiori, non supercilio dominii utens, sed victu communi humilitateque pari fratribus et filiis amorem sui immittens. Sane e sui monasterii monachis aliqui eum gratia charitatis attrahente extemplo prosequuntur viri honesti, et tam litterarum peritia, quam et sæculari providentia admodum clari. Horum unum præpositum fecit, dictum Guarinum, alium ordinavit decanum, nomine Regneguardum. Verum, quia gloriosi Gervini ortum et adventum divino respectu nobis concessum paucis perstrinximus, ad narrandum honorabilem domni Angelranni transitum jam modo animemur.

CAPUT XVI.

Venerandus domni Angelranni obitus.

Rerum itaque conditor Deus, qui sui servi desiderium jam jamque disposuerat cœlestis regni amœnitate mulcere, quique eum sibi habilem fecerat longissimi purgatione languoris, interno sapientiæ suæ consilio, quo omnem filium receptibilem flagellat, ejusdem famuli sui valetudinem solito acerbiorem effecit, et cui mox incomparabiliter dulcia erat daturus, doloris diu tolerati fervorem multiplicat. Sed ut ostenderet quod non ex ira, sed ex summa misericordia hæc ejus processisset correptio, evidentissimæ benignitatis super eum signa prætendit. Nam cum isdem vir beatissimus sacræ Scripturæ studiis attentissime semper fuerit implicitus, nec modo quidem cum gravissimo morbo urgeretur, a divinis operibus affectus ejus et voluntas unquam potuit inhiberi, modo psalmodiæ indefessus insistebat, modo sacris divinorum præceptorum meditationibus herebat, modo missarum solemnia in lectulo recubans ac si ad altare staret, ore proprio decantabat. Unde et contingebat quosdam mirari ut vir, qui tantæ sapientiæ sciebatur, quasi dementitium opus faceret, cum ille omnes quos inde mirari audiebat, ineptos et totius boni nescios dijudicaret. Accidit ergo ut quadam vice cum missam in lecto recumbens protensis manibus decantasset, et omnipotens Deus quid erga illum ageretur revelare insciis voluisset, post missam finitam sitim se pati insinuaret. Præcepit itaque ministro, ut sibi vini poculum ministraret. Ille concitus vinum detulit, sed ex hoc se nolle bibere sanctus indicavit. Minister regrediens aliud detulit, sed ad primum gustum et hoc beatus homo repudiavit. Cumque famulus eum vidisset et semel et bis vinum repulisse, aliudque se velle senior indicaret, minister alia vina se non habere causatur. Tunc sanctus vir, ipsa verba dicenda sunt: *De illo*, inquit, *affer mihi, de quo nunc ad missam habui.* Quo audito, circumstantes tremore obrigescunt, et dulcissimo Patri cum lacrymis responderunt: *De illo, Pater, ulterius non habebis nisi tibi dederit, qui et prius dedit.* Siquidem cum missam faciens extra se crederetur, dumque ad ipsum locum veniretur, quando Dominici corporis sacro sancta libatio agi solet, cœlestibus escis superno dono transmissis refovebatur. Igitur animadvertens quod ipsi sui familiares rem secretam agnovissent, volensque omnimodo celare bonitatem Dei in se peractam, quasi permotus jubet eos citius recedere. Habent enim sancti viri hoc proprium, ut cum bona faciunt occultari velint, ne scilicet laudis transitoriæ plausum recipientes, ante Dei oculos operationis suæ mercedem imminuant.

Dum vero ista agerentur, et beatus homo jamjam præ multa infirmitatis acerbitate corpore putaretur absolvi, et ob hoc ab his quos nutriverat sollicite observaretur, accidit necessitudo pro qua ad regalem curiam mittere necessarium fuit. Præcepit itaque domnus Gervinus, qui jam loci dominatum retinebat, uni e fratribus ut id negotii expleret. Ille vero qui desiderabat optimi Patris præsentialiter illustrari transitu, et implicari exsequiis, omnimoda excusatione se non id facturum respondit. Tunc ve-

nerabilis Gervinus tali responso coactus, sanctum Dei virum Angelrannum quo jacebat adiit, eique monachi inobedientiam intimavit. Ipse autem eumdem monachum ad se vocari faciens, inquisivit, cur non præceptum implesset, dein jubet etiam ut impleat. Cumque adhuc ille nollet, sanctus abbas prophetici spiritus gratia luminatus promisit, dicens: *Vade, et fac quod tibi præcipitur, et scias hoc corpus terram non intrare donec revertaris.* Tali sponsione exhilaratus frater viam arripuit, et ea, propter quæ mittebatur, apud regias aures optime allegavit. Superveniente autem vocatione superna, qua cœlestia petens Angelrannus terrena desereret, sancta illa anima angelorum ministerio, Dei obtutibus præsentanda v Idus Decembris carnis exiit claustra. Jam vero ille qui multiformi argumento politus fuerat lapis, cœlesti ædificio locatur. Jam qui in valle humilitatis superno rore humecta creverat lilii flos, cœleste sertum exornat. Jam quæ inter diversas gemma claruerat tonsiones, diadema supplet divinum. Monachus autem his, pro quibus missus fuerat, expletis revertebatur, cum subito in civitate Ambianensi, quo causa hospitandi diverterat, de obitu Patris dira eum nuntia percellunt; tunc relicto hospitio, et ciborum apparatu (nam vespertina hora erat, et cœnulæ studebatur) certatimque conscensis equis Centulam repedavit; invenitque sanctum corpus jam exanime in monasterio positum fratrum excubiis venerabiliter circumdari, proxima hora sepulturæ tradendum. Adfuit ergo, obsecutus est, et impleto ejus desiderio etiam Patris prophetia impleta est, qui promiserat suum corpus terram non intrare, donec idem monachus de regis curia reverteretur.

CAPUT XVII.

Sepelitio domni Angelranni.

Sepultum vero est sancti viri corpus infra militis Christi sanctissimi Richarii venerabile templum, eo loci quo beati Laurentii veneratur martyrium. Cujus tumulationi venerabilis ejus successor abbas Gervinus tantum contulit decoris, ut cujuslibet antiquorum patrum sanctitati honor tantæ sepulturæ sufficere posse crederetur, æquissimum contemplatus, ut honore decenti servaretur ejus corporis gleba, qui perenni lauro redimitus, cum cœlicolis laudes Christo hymnizat in æternum, Amen. Acta sunt hæc anno Incarnati Filii Dei 1045 ind. XIII. At Christus Dominus, cui hic beatus homo fideliter servierat, quanti apud se ejus servitium penderetur, quantaque hunc remuneratio cœlitus exaltaret, claris indiciis mortalium notitiæ pandere dignatus est. Nempe in pago Vimmaco fuit mulier habens filiam paralysi percussam, quæ ad omne opus inhabilis grabato moribunda tenebatur. Hæc comperta beati abbatis Angelranni sanctitate, et fidei fervore succensa, salutisque filiæ cupida ad tumbam ejus cum candela illam deduxit. Cumque ipsa ægrota sepulcro hominis Dei candelam devote obtulisset, sedit juxta sepulcrum, et somno paululum indulsit. Deinde evigilans sanissima redditur, et videntibus fratribus monasterii, Deumque laudantibus, ad villam unde venerat, vocabulo Filcharias, propriis sedibus alacriter cum gaudio rediit, omnibus annuntians quanta sibi Deus per B. Angelrannum abbatem fecisset. Guido igitur tunc Ambianensis Ecclesiæ archidiaconus, postea ejusdem sedis episcopus, qui illius fuerat in studio litterarum discipulus, tali ejus tumbam epitaphio decoravit.

Quem tegit hic tumulus lectissimus Angelirannus,
Hujus cœnobii pastor et abba fuit:
Dux gregis Ecclesiæ monachum spes inclyta vitæ,
Vixit et in mundo mundus, et in Domino.

Qui igitur plenius nosse vult quantæ penes hunc sanctum locum fuerit utilitatis versiculos intueatur, qui de eodem, ut posteri scirent et imitarentur, descripti sunt tali tenore:

Abba Angelrannus loculo quæ paucula nostro
Contulit, hic retinet scriptus qui cernitur albus.
Sancti Vincenti, necnon sancti Benedicti
Ecclesiam struxit; cellam infirmisque paravit.
A fundamentis instauravit paradisum,
Altaris Petri tabulam componere fecit,
Thuribula ex argento etiam conflare gemella.
Librum Evangelii, sancti vitamque Richari
Ipsius studium mero argento decoravit.
Est et Episto-liber-larum atque Evangeliorum
Ipsius argento quem industria nempe paravit.
Ipsius atque calix studio præclarus haberi
Cernitur, adjuncta sibimet cum lance decenti.
Præter et hunc alius quem in missis semper habebat:
Unum dorsale, et tria pallia quam pretiosa.
Terras servavit pervasas, atque redemit:
Sicut Noguerias, Gaspannas, et Drusiacum;
Guibrenti Ecclesiam, Froocort, Montisque-Rochonis;
Ecclesiam Sacri-Campi, discrimine diro
Dum plures trahitant, ut pars contraria vincat,
Detractus multis multa et perpessus iniquis,
Quæ supra retuli, necnon quamplura peregit,
Actum sic ut sit Domini scientia novit;
Excedunt libri numerum quos ipse novavit.
Insuper excedunt numerum quos ipse refecit.
Talibus atque aliis cœlestis præmia regni,
Ut spes est, meruit. Lector quod posse monemus.
Ultimus ipsius fuit hic finis studiorum.
Ecclesiam Sanctæ reficit moriendo Mariæ:
Cujus apud Dominum nobis suffragia prosint.
Ergo horum revocatori sint præmia vitæ.
Damnetur, cujus studio hæc neglecta peribunt.

Is ipse honorabilis vir posteritati consulens, descripsit catalogum rythmicum de Patribus sancti hujus loci, non quidem omnes designans, sed tantummodo illos memorans, quorum nomina vel chartæ, vel quælibet pittaciola insinuare videbantur; vel etiam Vita sancti Richarii specialiter notificabat. [Scripsit autem in hunc modum:]

Quæ occurrunt memoriæ,
Licet non sint in ordine,

Centulensis cœnobii
Abbatum scribo nomina.
Præ omnibus egregius
Pastor noster Richarius,
In hac villa progenitus,
Primus in albo ponitur.
Ocloaldus sequitur :
Angelbertus magnificus,
Qui præsens templum condidit,
Virtute regis Caroli,
Guitmarus vir sanctissimus ;
Helysachar et Aldricus
Quibus Hericus additur
Hludogvicus et regius
Herbertus, Symphorianus,
Ruodulfus et Carlomannus
Cum Guelfone et Hedenoldo,
Gerbertus et Fulchericus.
Post Ingelardum igitur
Angelrannus ascribitur,
Sancti imitator ordinis,
Et studiosus litteris.

Hæc quidem honorabilis Angelrannus. Verumtamen nos admodum miramur quomodo fieri potuit ut tam studiosus homo domni Heligaudi comitis et abbatis gesta nescierit : aut si scivit, cur nomen ejus referre omiserit, cum ipsa ejusdem Heligaudi gesta non nuper alicubi reperta, sed antiquitus, nisi fallimur, in hujus loci scrinio habita fuerint et conservata. Fieri tamen potuisse credendum est ut post domni Angelranni obitum ab aliquo loco hæc quæ de illo comite abbate leguntur, istuc allata fuerint; cum, sicut hujus operis testatur præfatio, tempore desolationis monachis fugientibus, non solum reliquiæ et ornamenta sublata, sed et scripturæ, quæ de sancto loco confectæ erant, per diversa loca deportatæ sint et dispersæ. Nam et venerabilis Gervinus aliquando perrexit monasterium Gorziam, indeque retulit codicem de gestis hujus sancti loci; ibique inventum est quod antea multo tempore latuerat, quia scilicet domno Angilberto abbate ad cœlestia transeunte, filius ejus Nithardus illi post quosdam alios successerit in gubernatione sancti loci; et cætera quæ superius in locis suis notare curavimus. Sed et de abbate Ribbodone ibidem fuerat digestum, quod sancti Angilberti corpus transtulerit, et alia multa in eodem volumine reperta sunt hujus loci monimenta, quæ honorabilem Angelrannum constat ignorasse. Hæc igitur abbatum nomina [quatuor,] quæ in domni Agelranni scripto minus, in nostro vero plenius habentur, id est domnus Nithardus, domnusque Ribbodo, Helgaudus quoque et Coschinus : duo prima in codice a Gorzia delato, tertium autem in membranis nostri gymnasii reperta sunt. Nam de domno Coschino plura apud Gemmeticum cœnobium scripta tenentur; ex quibus comprobatur A isdem vir tam nostri quam illius abbas fuisse loci. Hæc cum ita se habeant, ad domni Gervini vitam digerendam jamjam cum calamo animus se retorqueat.

CAPUT XVIII.

De laudabilibus domni Gervini actis ; et de constructione cryptæ.

Gervinus igitur commissorum curæ insistens, delinquentesque corripiens, in eorum cordibus verbis prædicationum et exemplis operum plantaria virtutum serebat. Quorumque etiam hominum scelestorum confessiones recipiens, eorumque animas saucias sanctarum fomentis Scripturarum resolidans, ad Dei misericordiam revocabat. Ex quibus si B aliquos ditiores sensisset, domos orationum erigere causa promerendæ veniæ hortabatur; cujus pia intentio nostrati patriæ multum contulit decoris, profectusque, dum quæ non erant erigebantur, vel quæ lignis fuerant compactæ, cæmento et lapide reficiebantur. Ipse vero circa locum commissum satis sollicitus veterata novare, dissipata sarcire, nunquam facta exstruere contendebat. Unde et cryptam satis insignem condidit hodieque perseverantem, quam consecrare obtinuit ad honorem nostræ dominæ sanctæ Dei Genitricis Mariæ. In qua crypta per IV quæ ibi sunt altaria, tanta tamque gloriosa Domini Christi et sanctorum ejus reposuit pignora, ut si alia non essent, his revera satis superque decenter insigniretur nostra patriola. Harum ergo sacrarum C reliquiarum indiculum apponimus, ut quanta gloria sacer ille locus vigeat, posteritas queat nosse. Titulantur in præsenti reliquiæ, quarum multitudine decoratur majus altare cryptæ Centulensis, quod est dedicatum in honore Dominicæ annuntiationis, nativitatis ac sanctæ et victoriosissimæ crucis, et beatæ ac gloriosæ semper virginis Mariæ, et S. Joannis apostoli et evangelistæ, et præclarissimi confessoris Christi Richarii, et beatæ Cæciliæ virginis, et omnium sanctarum virginum, quorum, quarumque hæ sunt reliquiæ. De ligno sanctæ crucis, de sepulcro Domini, cera de sancta resurrectione (24), de columna ubi Dominus fuit ligatus, de lapide ubi stetit quando ascendit crucem, de linteo quo fuit præcinctus quando discipulorum pedes lavit, de D præsepe Domini, de virga Moysi, de manna, de vestimentis sanctæ Dei Genitricis Mariæ, de capillis ejus, de filo quem ipsa nevit, de sepulcro ejus, [de pallio S. Michaelis archangeli,] de S. Joanne Baptista, de corpore Isaiæ prophetæ, de S. Joanne evangelista, de SS. Innocentibus, de S. Stephano protomartyre; de SS. martyribus Stephano papa, Felice papa, Eusebio episcopo Vercellensi, Florentio, Blasio, Crispino, Crispiniano, Paterno, dens S. Livinii martyris, de sancto Hermete, Præjecto, Romano, martyribus; reliquiæ confessorum sanctorum Martini, Remigii, Nicolai, Vedasti, Medardi, Cas-

(24) Id est, ni fallor, de cereo paschali, seu de illa lampade quæ Jerosolymis accendebatur singulis annis in vigilia Paschæ. MAB.

siani, Amandi, Eligii, Caydoci, Salvii, Pauli, Machuti, Gaugerici, Autberti, Ranulfi, Acharii, Otberti, Guandregisili, Bertini, Filiberti, Bavonis, Gualarici, Mauronti, Guingualoei, Judoci, Cutberti; reliquiæ vero virginum Petronillæ, Anastasiæ, Justinæ, Priscæ, Praxedis, Gertrudis, Augustæ.

Item ad meridianam partem cryptæ dedicatum est altare in honore adventus Spiritus sancti, et beatissimorum apostolorum Bartholomæi, Matthæi, et Lucæ evangelistæ; sanctorumque Mauricii, Nicasii, Leodegarii martyris; et sanctarum Agathæ, Luciæ virginum. Hæ inibi sunt reliquiæ de capillis S. Bartholomæi, de capite S. Matthæi, de capite S. Nicasii, de sanctis Mauricio, Leodegario, Firmino, Cyriaco, Agapito, Crispino, Crispiniano, Anthimo martyribus. Item de sanctis Cornelio et Cypriano, de sancta Agatha, de S. Sabina, de sepulcro Domini.

Item dedicatum est altare ad septentrionalem partem cryptæ in honore gloriosæ resurrectionis ascensionisque Domini nostri Jesu Christi, et SS. apostolorum Jacobi, Simonis et Judæ, sanctorumque Quintini, Luciani, Fusciani, Victorici, Gentiani, Lamberti, sanctarumque Agnetis, Scholasticæ virginum. Hæ sunt reliquiæ: De vestimentis apostolorum Petri et Pauli, cum pulvere de S. Jacobo, dens S. Simonis apostoli, de sanctis Cristophoro, Georgio, Crispino, Crispiniano, de capillis S. Quintini, et de ejus corpore, et de clavo quo perforatus est; de casula S. Lamberti, de S. Hilario, de sanctis Agnete et Scholastica virginibus.

Item dedicatum est altare subtus altare S. Richarii in honore sanctæ ac individuæ Trinitatis, Patris, et Filii et Spiritus sancti, et SS. Dionysii, Rustici, et Eleutherii, Gervasii, Protasii martyrum; et SS. confessorum Ambrosii, Augustini, Hieronymi, atque Athanasii, et omnium Sanctorum. Hæ sunt reliquiæ, De SS. Dionysio, Rustico et Eleutherio, Gervasio, Protasio martyribus, et de Sanctis Satyro, Ambrosio, Augustino confessoribus.

Hæc tanta tamque pretiosa Domini nostri Jesu-Christi, ac sanctorum pignora sagacissimus pastor Gervinus per diversa Galliæ loca studio ingenti quæsita, partim etiam apud sanctissimum Richarium reperta in altariis quæ in crypta erexit honorifice collocavit XIV Kalend. Novembris, eamdem domum Deo omnipotenti, et S. Mariæ veneranter dedicans. Sunt igitur alia multa, quæ erga loci diligentiam vir bonus exercuit, tam in palliis acquirendis, quam in tapetibus faciendis, vel terris redimendis. Quarum rerum cum præ oculis multa sint experimenta, aliqua tamen hic ponenda sunt indicia.

CAPUT XIX.

Qualiter Scabelli-villæ ecclesiam, quæ calumniabatur, reddi obtinuit.

In hoc nostro opusculo a nobis relatum est, venerabilem Angelrannum Neustriam isse, et donatione ducis Richardi Scabelli-villæ ecclesiam in usus nostratis loci accepisse. Verum Richardo marchione, qui hoc nobis bonum contulerat obeunte, filio A ejus Richardo ducatum, quem pauco tempore tenuit, Roberto fratri relinquente, atque post hunc Robertum Guillelmo exsurgente, jam dicta ecclesia impediebatur nobis a quadam abbatissa, quæ in suum jus illam convertere qua nescio arte moliebatur. Qua occasione memorabilis Gervinus Neustriam vadit, ferens secum chirographum, quod super deditione ejusdem ecclesiæ marchio Richardus confecerat, volens eam veraci assertione et chartæ testimonio nobis derationare; simul et exoraturus præfatum ducem Guillelmum, ne quod sui antecessores donaverant, ipse S. Richario pateretur auferri. At comes memoratus valde eum pro sua sanctitate diligens et honorans, ei per omnia favit, ecclesiam ipsam terris ampliavit, et ei super ejus perpetua sta- B bilitate tale confirmationis testamentum fieri jussit.

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis Guillelmus gratia Dei Northmannorum dux, omnibus Catholicæ Ecclesiæ filiis, quibus est cura animæ et corporis. Cupimus notum fieri omni futuræ posteritati, quomodo ecclesiam Scabelli-villæ pro salute animæ meæ, S. Richario perpetuo habendam firmaverim censura auctoritatis nostræ. Cum calumniaretur ab abbatissa Villaris-Monasterii, et ab abbate fuissem conventus monasterii S. Richarii, Gervino nomine, causam hujus negotii ipso eodem coram primatibus curiæ meæ explicante, sibi jure competere antecessorum meorum donatione, judicio coram decernente, tali tenore reddidi. Data insuper cre- C dulitatis gratia mea fide, ut deinceps sub mea advocatione liberam teneret, sicut acceperat a meo avo et patre. Adverteram enim illorum qui causam noverant, narratione suggerente præbendarium pro hoc beneficio in memoriam nostri debite illis interesse. Unde ne nostra confirmatio alicujus futurorum temeritate cassaretur, et nos meritum amitteremus, hujus testamenti litteras conscribere fecimus.

« Actum hoc anno Dominicæ Incarnationis 1048, apud Argentulum, III Kalend. Novembris.

« Hujus rei testes sunt idonei, Storinstingus, Richardus filius ejus, Yvo de Belismo; Arnulfus nepos ejus, Rodulfus Taxo. »

Guillelmus comes cum a domno Gervino hujus D rei causa expetitus fuisset, magnopere ipsum deprecatus est abbatem, ut de S. Vigoris episcopi corpore, quod Dei gratia præeunte nostris olim fuerat sedibus illatum, aliquid sibi impertiretur, et nisi abbas id se facturum spopondisset, jam dictam Ecclesiam, ut dicitur, vere amisisset, dum comes ipse magis propinquæ suæ et affini maluisset illam cedere, quam cuilibet alio condonare; siquidem eadem abbatissa parentilitate ejusdem ducis illustrabatur.

CAPUT XX.

Item de S. Vigore assertio.

Verum quia nunc de sanctissimi pontificis corpore mentio incidit, operæ pretium remur istic narrare veridicam assertionem, quam ipse beatus

præsul Domino nobis consulente patravit. Enimvero in gestis Domini et sancti Angelranni invenitur qualiter ipse magnificus abbas de ejusdem sancti corpore certus sit effectus; et quod libellum vitæ illius a Neustria deferens, et ex eo gloriosi ejus transitus diem agnoscens, natalem ejus coli statuerit. Hoc itaque statutum ad hæc usque quæ disserimus, gloriosi Gervini tempora permansit, qui Domini timore sanctorumque vigens amore, multa in divino cultu circa nos melioravit. Evenit itaque ut revolutio annua S. Vigoris festum referret, quod fratres juxta morem a domno Angelranno quondam statutum procuraverunt. Forte tum absens erat abbas Gervinus, fratrumque custodiæ invigilabat prior, nomine Regneguardus. Is igitur Regneguardus ipsa nocte qua fratres sancta solemnia exhibebant, infirmitate corporis aliquantula detentus, solemniis deerat, et strato decubans pigrius dormitabat. (Alias autem vir bonus erat, castus et timoratus.) Ecce autem dormienti ei adest venerandæ proceritatis summique decoris persona, pontificale schema prætendens, satisque dulciter ait Regneguardo: Quid hic jaces, et meis solemniis non interes! Ille pavitans ob personæ excellentiam, sciscitatus tamen hoc dedit responsum: *Domine*, ait, *quia infirmus sum*. Subsecutusque: *Quis*, inquit, *domine*, *es tu? Ego*, ait, *sum Vigor Bajocensis Ecclesiæ episcopus. Surge, sanus esto, et meis solemniis interesse festina. Dicito autem abbati tuo et fratribus quia cum Domini nostri bonitas meum corpus hic haberi concesserit, et ego hoc volo, mea festivitas amplior quam sit deberet fieri.* His visu audituque perceptis monachus sanus exsurgit, chorum petit, atque cum cæteris altos ut poterat pro laude sancti cantus emittit. Mirari fratres, et quia illa hora loquendi ausum denegabat, facto mane rei ordinem quærunt. Ille visionem refert, fatur salutem, recitat imperata. Gaudent omnes, atque ad amorem sancti visceraliter accenduntur. Revertenti abbati omnia recapitulantur, et ille qui sine aliqua hujusmodi occasione multas aliorum sanctorum festivitates exaltaverat, sancti Vigoris festum deinceps coli celeberrime mandat.

FULCARDUS.

Festa dies Patris rutilat celebranda Vigoris,
Patrem Bajocas, quem Fratrem gaudet Atrebas.
Hujus grata Deo genitrix, generosa virago
Pignore de tanto capit assertore superno
Natum quem gestat, benedixit diva potestas,
Sacravitque sibi, cuncto sacravit et orbi.
Nascitur ergo puer forma speciosus, et alter
Fit Samuel, Domino condignus ab ungue tenello.
Moxque jugo Domini subclinat lenia colli,
Inferturque gregi monachus puer Atrebatensi:
Proficiens cunctis Patribus, profecit ab illis,
Inclytus ille puer, cunctis subjectus ovanter,
Jam quiddam majus meditatur tyro beatus,
Fiat ut a patria peregrinus cum patriarcha.
Exsulat ergo procul hic seminiverbius exsul,
Tendens ad populum sibi cœlitus insinuatum;
Urbs est Bajocas, quam prisca Neustria monstrat.
Hanc adit ut doceat quos impius error habebat,
Gratia virtutum Christi comitatus alumnum.
Quæque docendo monet, signis probat, actibus implet.
Viribus exsangues reparavit, depulit angues,
Ad superos vita functum traxit prece fusa.
His populus visis, se sacris devovet undis;
Hancque Deo prolem per sacri fontis honorem,
Sancte Vigor, generas; sacras cui solvimus odas
Flammarum domitor, qui mundi comprimis ignes,
Ne nos exurant, flammas compesce gehennæ.

Marchio vero Guillelmus misso ad nos monacho de monasterio Cerasiaco, nomine Guarino, unum sancti episcopi de dextero brachio os promeruit, quod apud idem monasterium Cerasiacum infinita venerabilitate colitur. Est autem idem locus in territorio Bajocasinensium situs, ex quo vir Domini Vigor episcopus, ut in vita ejus legitur, dum adhuc in hujus peregrinationis exsilio moraretur, immanem effugavit anguem, et ob hanc virtutem traditus est sancto viro locus, in quo nunc etiam servorum Christi congregatio habetur. Cum itaque monachi ibidem degentes cum ineffabili gaudio sanctissimi sui patroni reliquias ovanter excepissent, voluerunt experiri utrumnam vere illud os de S. Vigoris corpore fuisset; sciebant autem quod inter alia dona virtutum, quibus fulserat semper, imo fulgebat, hoc quoque excellentius obtineret, quod nullomodo ignis ardore lædi, aut comburi posset. Itaque struem lini, quod scilicet facile nimis incenditur, faciunt, et brachium illud sanctissimi pontificis superponunt; deinde linum desuper congerunt, et ita aridam et tenuem materiem igne supposito inflammant: et licet Deus omnipotens in sui servi merito tentandus non fuisset, eosdem tamen fratres, qui non quolibet vitio, sed certitudinis capiendæ gratia id fecerunt, miraculi ac virtutis eventus non fefellit; nam non solum sancti dexteram ignis ille non læsit, sed etiam linum quod fuerat appositum ab igne permansit intactum. Sic fratres illi de Patris pignore certi facti sunt. Nec dum post hoc factum octo fluxerant dies, cum ecce homo dæmonio plenus, eorumdem fratrum miseratione aquam, ex qua forte illud beatum os fuerat lotum, accepit, qua bibita salutem corporis et libertatem recepit; et deinceps inimici infestationem non pertulit. Hæc quidem duo miracula per S. Vigoris reliquias a nobis illuc relatas, apud Cerasiacum monasterium Christus Dominus peregit. Post aliquot autem annorum spatia convocatis honorificis viris, episcopis scilicet et abbatibus, Gervinus Pater ejus sacratissima membra de ea capsa, in qua a tempore Ingelardi abbatis pausaverant, abstulit; et per manus pontificum convocatorum populo fideli demonstravit; deinde in aliam auro et argento paratam reposuit honorifice, ut decebat tantum Dei confessorem. Hæc vero translatio beati corporis XII Kal. Aprilis facta est; quæ dies omni anno Quadragesimalis jejunii ambitur religione, quod divino nutu

factitatum credimus, ut tunc populi fideles sanctissimi pontificis ossa videre meruissent, quando strictioris ac per hoc purioris vitæ sacrificium Deo obtulissent.

CAPUT XXI.

De comitibus Pontivorum, et de villis Porta et Noguerüs.

Igitur post relationem necessarie de S. Vigore habitam, ad nostri Gervini acta recurramus, et quomodo villam, quæ dicitur Portas, noster locus habuerit, paucis perstringamus. Ac primum, quoniam dono Pontivorum comitum illam meruimus, dignum putatur ut eorum series breviter intimetur. Quo primum igitur tempore Pontiva patriola munitionibus castrorum aucta est, ablatis monasterio Centulo tribus oppidis, Abbatis villa, sancto Medardo, et Incra, et his castellis effectis; in eorumque stipendia multis aliis S. Richarii villis et reditibus ab Hugone rege prærogatis, nostra hæc provincia non comite utebatur, sed regiis militibus hinc inde præpositis conservabatur. Anteriori tamen tempore a plerisque nostris abbatibus comitis nomen gerentibus plerumque fuerat defensata; verum quoniam hi moderno tempore dispositi, non omnes castrorum municipes vel domini existebant: ob hoc reliquis paribus suis Hugo Abbatensis fortior factus est, quia et castelli fretus munitione absque timore quælibet efficiebat, et reliqui si quid conabantur non habentes refugium, facile succumbebant. Attamen huic nunquam comitis nomen accessit, sed erat illi insigne quod S. Richarii vocabatur advocatus. Quæ res etiam plurimum ei contulerat fortitudinis, dum advocationis obtentu S. Richarii villarum reditu et rusticorum servitio utebatur. Hic postquam absque nomine et dignitate comitis mortuus est, successorem habuit filium nomine Angelrannum. Hic quoque nomine advocati contentus fuit, donec Boloniensem comitem prælio interimens, et ejus relictam sibi in matrimonio copulans, a comitissa uxore nomen comitis vindicavit. Angelrannus itaque assumptum sibi comitis nomen in posteros transmittens, post longævam ætatem moriens, reliquit honoris et nominis hæredem nomine Hugonem; qui, post expletum vitæ tempus, dum morti proximum se videret, supradictam villam, quæ dicitur Portas, delegavit sancto Richario, optans ut pro remedio suæ animæ monasterii nostri usibus serviret. Genuerat vero quatuor filios, quorum primus nomine Angelrannus, homo formæ mirabilis qui patri succedebat, in die depositionis ejusdem patris sui jam dictam villam sancto contradidit, talem deditionis confirmans testimonii chartam.

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis ego Angelrannus gratia Dei comes, compertum fieri volo omnibus Ecclesiæ Dei filiis, tam præsentibus quam futuris, quod pater meus comes, scilicet Hugo adhuc vivens, sed diem mortis extremum trahens, pro suæ remedio animæ villam quam possederat solidam, Portam nomine, S. Richario dedit perpetuo habendam ea scilicet ratione, ut nullus suorum successorum amplius ullos respectus, vel parvas vel magnas consuetudines ab ea expeteret, quatenus tota cum suis reditibus sancto, et fratribus inibi manentibus deserviret. Unde hujus donationis chartulam abbate Gervino petente conscribi fecimus, et signo nostro nostrorumque fidelium signavimus.

« S. Angelranni comitis. S. Godefredi. S. Oylardi. S. Roberti. S. Bernardi. S. Gualteri. S. Gerardi. S. Ingelranni.

« Facta est hæc traditio super altare S. Richarii die sepulturæ Hugonis comitis XII Kal. Decembris ab Ingelranno filio ejus cum optimatibus suis præsente domno pontifice Fulcone, qui illico exoratus a fratribus, et ipso comite suggerente, sub excommunicatione interdixit, ne aliquis amplius in illa villa neque per vim, neque per deprecaturam, neque per advocaturam, de omissis consuetudinibus amplius aliquid expeteret. » Huc usque charta.

Præterea quidam miles, nomine Gualterus, quem vulgus vocitabat Tirel, villam S. Richarii dictam Noguerias sibi volens vindicare, post illa omnia, quæ supra scripta sunt tempore domini Angelranni gesta fuisse, de hac eadem villa a rege Henrico, et a perfido Huberto, cujusdam quasi justitiæ rectitudine sibi eam deberi ex aliquo successionis jure astruebat; talique ratione suam colorans avaritiam villam invasit, tenuit, et per aliquod tempus fratribus eum excommunicantibus sibi usurpavit. Verum cum ei suggererent amici illam excommunicationis sufferentiam animæ mortem illi operari, tandem Deo se respiciente aliquatenus cessit et quandiu ipse vel ejus conjux viveret, sibi medietatem retinuit, medietatem sancto restituit, post suum obitum integerrimam in sancti jus eam redire statuens. Pro qua ratione venerabilis pastor scriptum chirographum archivis nostris reposuit, quod ita se habet.

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Ego frater Gervinus abbas monasterii S. Richarii, notum volo omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus, quos in adoptione filiorum per sanguinem suum, perque sanctificationem baptismatis fratres sibi adoptavit Christus, quia miles quidam Walterus, quem vano cognomine Tirellum plerique appellamus, Noguerias villam S. Richarii jamdudum diu a prædecessoribus nostris possessam, et nobis jure hæreditario traditam, malitiose invasit, invadendo subripuit, ac subripiendo sub anathematis obligatione aliquandiu detinuit; at tandem contradicentibus amicis et injuriam hanc in perniciem animæ suæ crebro referentibus, victus erubuit, et insanæ cupiditatis malitiam deserens a S. Richario, atque a fratribus veniam expetivit. Redditaque villa, et condonata nobis olim fundata capella, absolutionem excommunicationis cum præsente uxore sua Ermina, terræ prostratus accepit ita dicens, causam com-

ponens, ut præfata capella sicuti sibi vel suis hactenus sine quolibet synodale respectu deserviens permanserat, ita per futura sæcula sub eadem libertate persistat.

« Acta sunt hæc VII Idus Octobris anno Domini 1103, indictione VI, anathematis confirmationem eodem milite cum aliis subnotatis testibus respondente, ne quis ex illo die pro quacunque occasione, aut ex progenie eorum, vel alicujus horum incitatione, auderet temerarius hanc sibi villam ulterius usurpare.

« Ego Gervinus, nostræ etiam religionis presbyteri, cum diaconibus, simulque hujus institutionis monachis, ex auctoritate Dei Patris omnipotentis et B. Mariæ semper virginis, et B. Petri apostolorum principis, damnamus et in perpetuo anathematizamus omnes qui ex præsenti die voluerint hujus redditionem villæ, et donum atque libertatem capellæ aliquo ausu rescindere, aut demere, seu contradicere. Amen.

« Hujus rei testes fuerunt, Odo, Alulfus, Hugo Boquels, Boso, Oylardus, Hugo sanctæ Mariæ, Boselinus, Alelmus, item Odo, regnante Henrico rege Francorum, anno XXI. »

In sanctissimi Patris et patroni nostri Richarii gestis assignatur quod rex gloriosus Dagobertus ejusdem sancti orationibus se committens donaverit illi terram, vocabulo Campaniam. Hanc domini Gervini antecessores cuidam concesserant Agenardo, ut quandiu vixisset, firma manu possideret. Hic accessit ad dominum Gervinum abbatem, postulans ut eam quam ipse tenebat terram duo filii sui permitterentur tenere post mortem suam; quibus mortuis, Ecclesia quæ sua erant digne rehaberet. Annuit ei venerabilis abbas, et hac de causa talem composuit chartulam jure stabilitatis.

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Gervinus, propitiante divina gratia, Centulensis monasterii abbas, omni religioni Christianæ notum fieri cupimus quod quidam vir fidelis, Agenardus vocabulo, a nobis petierit ut omnen terram possessiunculæ, quæ Rebellis mons dicitur, quam tenebat solummodo in vita sua sub manu firma cum redditione census, et terram de Valeriis totam cum adjacenti non grandi silva, simul etiam addita et quarta parte curtilii de Floherimanso, tam sibi quam suæ conjugi, Hildesendi nomine, cum duobus eorum filiis, Gueneranno scilicet et Anschero, tenendam concederemus. Annuimus ergo illi quod petierat, acceptis ab eo testibus certissimis, ita duntaxat, ut ipsi solummodo in via sua habeant, et in solemnitate sancti Richarii, quæ celebratur VII Idus Octobris censum IV solidorum persolvant. Post decessum vero ipsorum terra ad nos meliorata redeat. Unde illis hanc chartulam conscripsimus, signoque nostro, nostrorumque fidelium obfirmavimus.

« Signum Gervini abbatis. Sign. Algisi. Sign Heriberti. Sign. Ingelranni. Sign. Dominici. Sign Oylardi laici. Sign. Bosonis. Sign. Odonis. Sign. Rodulfi. Sign. Guidonis archidiaconi.

« Actum hoc monasterio S. Richarii VIII Idus Decembris, regnante Henrico rege anno regni illius XVI. »

CAPUT XXII

De villis redemptis, et de altariis a Guidone episcopo donatis.

Interea mortuo rege Francorum Henrico, post annos sui regni XXVIII, Philippus adhuc puer regiæ dignitatis culmine jam suscepto a patre, regendi posse et scire nondum habens, Balduino Flandrensium comiti custodiendus cum regno traditur, quo regnum moderante, Gualterus miles filius Hugonis regii buticularii, terram quamdam in Vimmaco pago sitam nobis subripere voluit. Et quia potens erat, nec ex adverso ei resistere in promptu habebatur, sollicitus pastor Gervinus verens ne Ecclesia prædium amitteret, maluit virum pecunia lenire, quam itatenus tanto damno multari. At ille non tam pecunia illectus, quam sancti viri prece veneranda coactus, postulanti gratiam tribuit, et ne ipse vel quilibet alius eamdem terram sancto loco deinceps demere posset, testamentum inde fieri poposcit in hæc verba.

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Ego Gervinus gratia Dei Centulensis cœnobii abbas, notum fore volo sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus, præsentibus atque futuris, quod quidam miles, nomine Gualterus, filius Hugonis pincernæ regis, clamaverit super nos quamdam terram in pago Vimmacense sitam, quæ Filcarias vocatur. Nos vero ejus clamationi justa ratione respondentes, tortitudineque ejus evacuata, sumptis a nobis centum denariorum solidis, supradictam terram in usibus fratrum perpetuo habendam sancto Richario quietam reddidit. Et ut hæc conventio inconvulsa permaneat, signa fratrum nostrorum atque fidelium adnotare decrevimus

« Signum Gervini abbatis. Sign. Inceleri. Sign. Algisi. Sign. Anscherici. Sign. Framerici. Sign. Anscheri militis. Sign. Odonis. Sign. alterius Odonis. S. Adelelmi. Sign. Ilgerii.

« Actum monasterio Centulo, IV Kalend. Septembris, regnante rege Philippo, anno IV. »

Non multum fuerat tempus elapsum, cum pervigil ac sollicitus provisor Gervinus, qui et verus Ecclesiæ filiorum amator et custos jugiter exstitit, precibus aggreditur comitem Guidonem, orans ut de villa quadam, quæ olim quidem nostro servierat monasterio, sed ante aliquos annos ab ipso comite, seu ab aliis militaribus viris nobis tulta fuerat, aliquem misericordiæ respectum penes locum sanctum habere non abnueret. Quod ergo Dominici amoris instinctu agebat, non poterat esse cassum, propria divinitate; nam comes assensum ex aliquanto præbuit, placatus non tantum beati viri prece, verum etiam Ecclesiæ munere. Igitur ex his quæ illo

tempore S. Richario reddidit, tale confectum est scriptum.

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Ego Guido comes Pontivæ patriæ exoratus a domno Gervino abbate, annuentibus proceribus meæ provinciæ, in præsentia regis Philippi, marchionisque Balduini, necnon etiam principum regalis palatii, reddo S. Richario quartam partem villæ, que Ultrabaiz vocitatur nomine. Omnes nihilominus impensiones advocationis meæ, quas in supradicta accipiebam villa perpetuo habendas, S. Richario, abbati, monachis contrado jure accipiens ab eis aliquantulum pecuniæ, XX videlicet denariorum libras et quinquaginta boves. De Roberto etiam, qui advocationem ejusdem villæ ex mea olim tenuerat parte, et si quis qualibet occasione in prædicta villa quidquam studuerit vindicare, spondeo me pacem sanctæ facturum Ecclesiæ. Igitur conventio præsentis chartæ quatenus stabilis valeat persistere, auctorali roboratur signo dextræ regiæ †; designantur in ordine testes idonei, qui huic assertioni interfuere.

« S. Balduini juvenis Comitis. S. Frederici. S. Baldrici. S. Rodulfi. S. Roriconis. S. Anscheri. S. Oylardi. S. Godefridi. S. Richoguardi. S. abbatis Gervini. S. Ingeleri tunc temporis decani. S. Saxoguali. S. Walterii. S. Odonis militis, S. Dudilonis, S. Bosonis.

« Actum est hoc anno regis Philippi imperii VI, Incarnationis Dominicæ 1067 ind. VI, epacta III, concurr. VII.

« Quicunque hæc quæ supra prætitulavimus dissolvere voluerit, a Deo Patre omnipotente, et sancta Dei Genitrice Maria, et omnibus sanctis maledictus sit, et excommunicatus. Amen. Fiat, fiat. » Hucusque charta.

Regi Anglorum Hetguardo Gervinus semper charus et venerabilis fuit, et ab illo, si ejus fines intrasset mira honorificentia attollebatur. Quique rex, si eum in aliqua vel pro aliqua loci nostri necessitate angustiari comperisset, munificus valde in succurrendo omni remota excusatione existebat. Regina etiam conjux ejusdem nomine Edith satis superque Gervinum pro suæ merito sanctitatis diligebat et venerabatur, et juxta mariti exemplum admodum liberalis, si aliqua petiiset, libens conferebat. Quadam vero vice accidit ut abbati nuperrime terram illam ingresso osculum salutationis et pacis regina porrigeret, quod ille gratia conservandæ sinceritatis abhorrens excipere noluit. At illa ferox, videns se reginam spretam a monacho, nimis moleste tulit, et quædam quæ ut pro se orasset illi donare statuerat, irata retraxit. Verum marito idipsum increpante, quod abbatem tam religiosum pro non infracto rigore odio insequi voluisset, et aliis honestis viris suggerentibus non esse odiendum hominem, qui sic Deo se mancipasset, ut ne reginæ quidem osculo se pateretur contra ordinem mulceri, placata est regina, et hujusmodi factum non solum A in illo non vituperavit, sed magnæ laudis attollens præconio, in sui regni episcopis vel abbatibus talem manere consuetudinem deinceps conquesta est. Multis ergo honoribus et donis eum fulciens, remittebat onustum, hoc solum ab eo reposcens, ut tempore orationis inter benefactores computari mereretur. Uxor etiam ipsius regis donavit ei amictum valde pretiosum, auro et lapide pretioso mirifice decoratum, quem abbas detulit in nostræ Ecclesiæ thesaurum.

Postea autem cum contigisset Ambianorum pontificem Guidonem hunc vidisse amictum, nimia ejus pulchritudine et pretiositate illectus, rogavit abbatem, ut isdem Ecclesiæ matri Ambianensi transmitteretur amictus, pro illius concambio ecclesiæ Sancti B Richarii duo altaria perpetim habenda se velle dare affirmans. Et amantissimus vir ejus precatibus assentire ratum judicans, jam dictum amictum episcopo et ecclesiæ sanctæ Dei Genitricis semperque virginis Mariæ tradidit, et in sui juris potestatem duo altaria recepit, consensu et concessu totius Ecclesiæ Ambianensis, quorum unum est in villa nostra Argubio, alterum in villa que Monshelisi nuncupatur. At ne posteritas succedentium abbatum eadem perderet altaria, prudentissimus Gervinus ab episcopo obtinuit inde fieri testamentoria dictitia, quæ ita se habent.

« Guido Dei gratia Ambianensium episcopus, præsentibus ac futuris fidelibus mundanæ conversationis tranquillam peregrinationem, et cœlestis præmii C jucunditatem. Quoniam posterorum notitiæ facta præsentium litteris narrantibus melius innotescunt, placuit nobis charitati vestræ manifestare qualiter S. Richarii ecclesiam quorumdam altarium dono augmentaverimus. Gervini enim abbatis supplicatione, altaria villarum Argubii et Montis-Elisii, super quibus Ratbodo et Hugo personæ habentur, qui quandiu vixerint ecclesiasticam redituram in statutis temporibus S. reddent Richario, consensu archidiaconorum Joannis et Balduini condonamus, tali quidem pacto, ut post eorum excessum clerici, qui ecclesiastica debita nobis et nostris successoribus solvant, personaliter ibidem ab abbate constituantur, illisque obeuntibus alii vice illorum subro- D gentur. Hoc præsentia clericorum nostrorum corroboramus, et apud successores nostros ratum esse deposcimus. »

Sed his ita definitis, ad comitem paulisper veniamus Guidonem, qui, cum fuerit comitis Hugonis filius, et post Angelrannum fratrem, quem supra de villa Portas vice patris donationem fecisse retulimus, Northmannorum dolo occisum, patriæ comitatum receperit, ac per hoc advocatus quoque noster hæreditarie sit effectus, villas S. Richarii et earum colonos nimie affligebat, extorquens et auferens pecunias et substantiolas eorum. Cujus injustitiæ et impietati pius pater occurrens Gervinus, hortabatur et exorabat, uti non tam durus circa S. Richarii famulos permaneret, et qui advocati sumptus et no-

men tenebat, ne tam pessimus prædo existeret submonebat; verum apud efferam mentem, et culmine potestatis elatam, seu rapacitatis studio sauciam, justa supplicatio parum valebat, nisi forte pecuniæ summa ejus duritiæ contrairet, qua facile est terrenorum corda otius leniri. Interea hæc aliquando precum ejusdem Patris fuit summa, ut quamdam valde gravem redhibitionem colonis villæ Majoch pro S. Richarii amore ex aliquantulo indulgeret. At ille ad præsens consensit, et de indulta vel moderata suæ advocationis consuetudine tale testimonium confecit.

« Ego Guido gratia Dei Pontivorum comes, notum fieri volo, tam præsentibus quam futuris, quod Gervinus S. Richarii abbas nostram præsentiam adierit, magnopere deprecans, ut consuetudinem XX porcorum, quam habebam in villa quæ dicitur Majoch, pro Dei et S. Richarii amore alleviarem, quia valde gravis erat ipsius villæ colonis. Acceptis ergo ab eo centum solidis concessimus, ut nunquam amplius ab ipsis rusticis prædicti exigantur porci, sed pro ipsis in festivitate S. Remigii annualiter persolvantur XL solidi, ita tamen ut nemo ministrorum aut servientium nostrorum pro prædictis solidis colligendis suprascriptam villam introeat, sed monachus, cui obedientia fuerit injuncta, in præfata festivitate præposito nostro in S. Richario sito studeat deliberare. Et ut ipsi monachi pro statu et incolumitate nostra, simulque conjugis et prolis obnixius Domini misericordiam deprecentur, hoc confirmare in præsentia procerum nostrorum decrevimus. »

CAPUT XXIII.

De Helguardo et Guillelmo regibus Anglorum, et qualiter mare Gervinus transmeaverit.

Helguardus (25) Anglorum rex decurso feliciter vitæ mortalis spatio, ut creditur, migravit ad æternam gloriam. Sed dum adhuc vivens terreno regno floreret, quidam nobilis, natione Britto, nomine Radulfus, apud ipsum regem potens et honoratus, gratia elemosynæ donavit sancto confessori Christi Richario per manum memorabilis Gervini aliqua prædia et quosdam reditus, quorum summa post modicum notabitur. Postquam autem mortuus est rex Helguardus, Hertoldus quidam comes regnum sibi accepit contra fas, et contra fidem sacramenti quod prædicto regi juraverat, spondens quod pronepoti ipsius regis, nomine Elfgaro, regnum cederet absque ullo impedimento. At cum regni potestate et fascibus injuste uteretur, expulso Helguardi pronepote Elfgaro, summus et super omnia potens Deus, in cujus jussu constant regna terrarum, et qui donat ei cui vult, signo mirabili [e] cœlo ostenso, destinavit Guillelmum ducem Northmannorum Anglorum regem fieri : et quia veraciter Dei nutu idipsum Guillelmus appetebat, rei prosperitate probatum est. Sed A quia illius gestorum recens habetur memoria, ne ea seponentes, nostra potius exsequamur.

Anno regni ejus II venerabilis Gervinus, illa quæ superius meminimus prædia visurus, ad maris ingressum properavit, quem nominant plebeiales Guizant, ubi fuerunt cum illo tam abbates quam monachi plusquam centum, præterea militarium virorum et negotiatorum plurima multitudo; qui omnes mare conscenso in Angliam transvehi cupiebant. Februarius tum mensis ducebatur, quem notum est aeris collisione, et ventorum nimietate, pluviarum quoque inundatione, ac nivium profusione semper constare querulosum. Quo etiam tempore sævius perstrepit mare, dum tempestatum sævitiam ventorum nimietate continuat. Quindecim igitur dierum B expenso curriculo, dum æquor a suo fervore non quiescit et desperatur ingressus, statuitur reditus ad propria, quandoquidem transitu denegato, et deficiente sumptuum copia, ibi amplius morari non poterant. Sane absque concessu Gervini et licentia, qui sanctitatis odore cunctos afflaverat, abire non fuit consilium, sed tanquam cœlestem consulem, et divini juris conscium, facto conventu interrogant quid sibi esset agendum, qui tandiu præstolatum non quirent mereri transitum. Adstruunt bonum esse ut redeant, referentes loci illius ariditatem ad tantæ frequentiæ non posse sufficere victum. Tunc Gervinus tanta desperatione obsessos benigne refovet, hortans ut Dei misericordia non diffidentes sequenti mane festinato veniant ad ecclesiam, quo di- C vini officii perfecto ministerio coram Deo humiliati postulent misericorditer commeatum; deinde pedibus nudis S. Petri apostoli quæ vicina erat, petant ecclesiam, per ejusdem apostoli merita gratiam a Christo quæsituri. Omnibus placet consilium, venitur ad basilicam archangeli Michaelis, exhibitis hymnis matutinalibus vota proferuntur, et ab unoquoque transire volentium denarius pro gratiarum actione oblatus est. Quam pecuniam Gervinus decreto cæterorum in suam redigens sententiam, super omnes qui aderant quasi principari videbatur, et empta cera duos permagnos cereos conficiens, unum offert archangelo Michaeli, et sancto Nicolao confessori, alterum servat vovens illum Christi vir- D ginis et Margaretæ martyri, quæ citra mare ecclesiam possidebat. Hinc jam disposito agmine, cum e suis monachis unum statuisset præcentorem nomine Saxogualum, nudis gressibus incedendo, et tales qui Dei misericordiam exorarent cantus præcinendo, jam dictam B. Petri apostoli ecclesiam vadunt, ub peracta oratione, et decantatis ab eodem viro honestissimo Gervino missarum solemniis redierunt, implorata nimiumque flagitata Christi Domini pietate. Sequentis igitur noctis quiete potiti, exorto mane coessentes redeunt ad Gervinum, cum ecce Dei potentia sopitum æquor, et omni remota tempestate

(25) Is est beatus Eduardus confessor, qui ab anno 1043 usque ad anni 1066 initia regnum Angliæ tenuit. Quo defuncto Haraldus comitis Godwini filius, regnum invasit; at Guillelmus Nothus, Northmanniæ dux, Haraldo victo et in prælio cæso, Angliæ rex paulo post ab omnibus agnitus est. MAB.

tranquillum conspiciunt, sicque Christo actore concendentes maria ventorum nullo percelluntur fragore. Tanta certe fuit pacati æquoris quietudo, ut, hodie vento deficiente, oppansa vela vix transferret, quod hesterna qualecunque non capiebat remedium. Exeuntes tandem de navibus ecclesiam prænominatæ repetunt virginis, et reddita gratiarum actione, oblatoque cereo partes dirimunt, dum unusquisque quo cupiebat velox divertit. Verumtamen hanc transcundi celeritatem mentis Gervini fuisse donatam omnes crediderunt, et magnis laudibus prædicaverunt.

CAPUT XXIV.

De honore illi a rege collato et de terris a Radulpho donatis.

Gervinus igitur tali modo feliciter transvectus, adiit curiam regalem, annuntiat Christum, ejusque mandata; suggerit mala confiteri, hortatur pœnitentiam, suadet pacem tenere, et omnia imitari quæ Deo cognoscuntur placita. Regi Guillelmo nuntiatur adesse, qui tanti pendebat eum, ut quod episcopis et abbatibus negaverat, huic concesserit, hoc est suum absque dilatione conspectum, et illius ad se sine difficultate ingressum. Rogatur itaque rex ab abbate, ut illis quæ Ethguardi diebus sancto donata fuerant Richario prædiis annuat, et suæ auctoritatis præcepto perpetim habenda confirmet. Aderat et is qui eadem contulerat Radulfus cum filio ejusdem nominis, qui idipsum regiam majestatem facere precabantur. Igitur abbatis et amicorum precibus annuens, tale super eis conscribi jussit edictum.

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Ego Guillelmus concessu Dei Anglorum rex, affectu mei profectus in Domino, et prece compulsus domni abbatis Gervini monasterii Sancti Richarii, quod est situm in pago comitatus Pontivi, nihilominus quoque hortatu amicorum meorum, Radulfi scilicet comitis, necnon et filii ejus Radulfi; annuentibus etiam unanimiter meæ curiæ primatibus, regio more concedo quidquid hi ambo, videlicet pater et filius, fratrum prælibati sancti devote concesserunt usibus. Quarum igitur ecclesiarum vel mansionum, ut cunctis manifestetur cognitio, dignum duximus in præsenti denominatim manifestare scripto. Hæc est Sancti Richarii terra in Anglicis finibus sita, a Radulfo comite eidem sancto tradita. Villa vocabulo Esperlais, ubi habentur hospites XXXVII, qui persolvunt annualiter unusquisque in Nativitate Domini duos equos oneratos de brais; a festivitate S. Joannis Baptistæ usque ad festum S. Michaelis, tribus diebus omne opus Domini sui: cæterum quod residuum est de anno, semel in hebdomada erunt ad omne opus quod eis injunctum fuerit. Habentur inibi sex carrucæ, sylva optima, terra arabilis et inculta, prata omnibus nutrimentis aptissima. Est et alia villa quæ vocatur Acra, ubi habentur hospites II, molendina III, quæ solvunt XXXV oras (26) denariorum. Præterea omnes homines villæ metent segetes tribus in hebdomada diebus, et omnes carrucæ arabunt tribus diebus ad frumenta et ad avenas. Est et tertia villa, quæ vocatur Culesturpo, quæ solvit quinque oras denariorum, et carrucis suis arant terras tribus ad frumenta et ad avenas diebus. Sequitur quarta villa, quæ vocatur Achotes; et alia quæ vocatur Apicheneam; ubi habentur omnes prædictæ consuetudines carrucarum. His jungitur Merefort, ex qua VIII carrucas duobus diebus ad frumenta et ad avenas, et in Augusto XXV homines duobus diebus ad messem metendam consuetudinaliter dominus villæ habebit. Vocatur villa sequens lingua eorum Assuafam, de qua habetur omnis decima tam annonæ quam aliarum rerum. Est et alia quæ vocatur Guenite, ubi est molendinum unum et sylva, piscatio quoque optima. Hoc autem iterum iterumque cum interdicto affirmationis affirmo, ne alicujus tyranni invasione posthac usurpetur quovis modo. Hæc itaque charta, ut posteris nostris immutabilis perduret, regia nostra eam auctoritate firmamus. »

CAPUT XXV.

De locis ubi solivagus Domino invigilabat.

Hæc itaque aliaque perplura modestus Pater, et sollicitus nutritor Gervinus salubriter procuravit. Quibus pro meritis, adjuvante illo, pro cujus hæc amore gerebat, et cujus vicarius existebat, magno sacerdote et magnifico abbate Richario, supernis eum civibus credimus sociatum. Verumtamen cum multarum sollicitudinum anxietate premeretur, semper recurrebat ad orationem et studium compunctionis, velut nauta ad tutissimum portum, ut si quidpiam, dum in sæculi curis tanquam marinis fluctibus laborabat, aliqua subreptione fuisset turbatus, tanquam firma anchora interna contemplatione iterato solidaretur Deo inhærens. Unde etiam loca silvestria et ab omnibus segregata appetiit, ad quæ, dum rerum sollicitudine æstuaret, recurrens, quasi paradisi amœnitate recreabatur. In territorio igitur Ambianorum cellam possedit, eo loci quo martyris Gratiani corpusculum quiescere perhibetur. In eodem etiam territorio aliam acquisivit, vocabulo Luliacum, ubi in honore beati Luciani martyris, et sanctissimi Richarii ecclesia habetur. Sed et in solo Neustriæ, in nemore scilicet Augensi, tertiam habuit cellam, ecclesiam in honore beati Martini continentem, quam cæteris amplius diligens frequentius visebat, psalmorum et laudum spirituales jubilos Domino indefesse continuans.

CAPUT XXVI.

De sanctimonia vitæ ejus.

Quia ergo qualis actore Deo in rebus Ecclesiæ amplificandis fuerit ex parte monstravimus, operæ pretium exstat maxime sanctitatem boni viri retexere. Quod dum facere ambimus, rem necessariam nobis exercere videmur, quia quem erga Ecclesiæ res terrenas bene sollicitum monstravimus (quod nonnunquam et pravi imitantur), potius magis habebitur, si ejus quanta fuerit sanctitas recenseatur,

(26) XXXV *oras*. Ad hunc locum hoc adnotatur in eo codice quo Acherius usus est: *Sicut apud Francos XII denarii habentur pro solido, sic Angli XVI denarios faciunt solidum, et ipsum vocant oram.*

in qua non nisi vere bonis aliquatenus noscitur imitandus. Omni igitur vitæ suæ tempore, quo sine incommodo viguit, ut parum somni percepit grabatulo sese excutiens, domum orationis intravit, omnes quorumque sanctorum aras orando et gemendo, genuaque flectendo circuivit, pro se et pro sibi commissis, pro amicis quoque, et oratione vel confessione conjunctis, proque defunctorum requie precum vota exaggerans, ac pro sanctæ universalis Ecclesiæ statu et augmento, et pace principum, Domino Deo Patri, et Filio ejus Jesu Christo, sanctoque Spiritui, laudum et orationum victimas cordis pingues contritione, et lacrymarum commendabiles ubertate, iterum iterumque consignans. At ubi tali exercitio carnis infirma materies fatigata lassescebat, paulisper se in lectulum dejiciens iterandis laboribus se aptabat: cumque modica quiete quasi recreatum se sentiret, iterum exsiliens excubias repetebat. Præter orationum munia et psalmorum dulcissimam modulationem hæc attentissime observabat, ut de sancta Trinitate, tum de Spiritu sancto, post hoc de Resurrectione Domini, atque de sancta Genitrice Maria, post hæc de angelis, postque de S. Petro, vel omnibus apostolis, sive omnibus Sanctis nocturnalem et diurnalem canonem, excepto claustrali canone, cui nunquam pene deerat, quotidie Domino persolveret. Deinde iterum altaria Sanctorum regyrando conveniens, unicuique proprium et conveniens psalmi votum concinebat. His autem Deo digne expletis, si sensisset horam esse qua fratres assurgerent, illico refugiens ne ab aliquo æditurorum vel janitorum videretur, ad lectum redibat, ut scilicet hæc quæ de eo feruntur bona quo occultiora, eo firmiora possideret. Horam itaque nocturnalis officii ecclesiæ signo indicante exsurgebat, et ita se quasi sopore satiatus, et tanquam noctis totius quietem occupasset agebat, cum immensæ vocis gallicinio illud beatissimi Benedicti (cap. 19) edictum custodiens: *Sic stemus ad psallendum, ut mens nostra concordet voci nostræ.* Quem electissimum virum ne quis nos reprehendat gallum vocitasse, recurrat quis ad illam beati Gregorii Romani papæ super verba sancti Job expositionem, ubi dicitur a Domino: *Quis dedit gallo intelligentiam* (*Job* XXXVIII), quam dum capacitate sensus tenuerit, intelliget profecto galli parabolam non cuilibet infimo, sed sanctæ vitæ virtutibus decorato homini convenire.

Intentus ergo divinæ servituti Gervinus, nunquam fessus itinere, vel detentus infirmitate, nisi forte gravi, omisit, quin juxta Regulæ mandatum (cap. 11) post lectiones XII, Dominicis diebus, vel sanctorum festis, habitas, Evangelii lectionem ipsemet legeret: sicque omnibus officiis præsens, fratribus exemplum sobrietatis et sancti fervoris exhibebat. Cum vero expletis nocturnis laudibus fratres plerique, sæpe autem omnes, in proprios lectulos se reciperent, Gervinus non corporis appetebat requiem, sed quæ ante nocturnam synaxim egerat reinchoans interstitium nascentis auroræ, et discedentium tenebrarum precum continuatione, ac genuflexionum perseverantia occupabat. Et quia veraciter illi dies aderat internus, juxta quod docet Doctor noster apostolus Paulus: *Nos qui diei sumus, vigilemus et sobrii simus* (*I Thess.* V): hoc indesinenti exsecutione profitebatur. His illo studiis intento, ubi dies cum solis spiculo refulsisset, claustro se recipiens, codicemque percurrens, divini verbi favos sibi congerebat, quæ in conventu fratrum revolvens, eos ad studia piæ actionis et correctioris vitæ informabat. Verum ubi suam mentem orationis instantia quasi exhaustam lectionis refecisset sancto edulio, statim ecclesiam rediens missarum solemnia auro intellectus fulgens, purpura fortitudinis eminens, bis tincto cocco, flamma scilicet geminæ charitatis ardens, et bysso, id est carnis mortificatione nitens persolvebat. Diebus vero quadraginta Domini nostri jejunio sanctificatis, major sibi a semet imponebatur austeritas, devota membra cilicio obvoluta domando, tritico confectum panem rarissime sumendo, deputata pro potione modica aquæ quantitate, talique utens cibi solamine interim post triduum reficiebatur. Lectuli pompa congesta vili mattula procul aberat, sicque dure jacentem non facile somnus invadebat, cujus linguam difficile psalmi sinebant. Nunquam certe cura loci, aut necessaria sollicitudo, aut itineris occasio, aut corporis nisi maxima ægritudo, psalmorum ac laudum, seu supradictorum canonum, obtinere apud illum quiverunt diminutionem. Si quolibet iter agebat, more sancti ac beatissimi patris nostri Richarii, aut psalmi ex ore ejus resonabant, aut salutaris prædicario, seu correctionis admonitio audiebatur. Hospitio receptus, non coquorum studia vel inventiones quæsivit, illius utique non particeps, sed contemptor, qui destruit muros Jerusalem. Cum comites itineris emenda et paranda vidissent, ipse scamno quiescens, Domino vigilabat. Cœna apparata, si accubuisset pransurus, lectionis auditione, vel divinæ legis meditatione implicari studebat. Hinc jam si ecclesia vicina existeret, illo ibat consuetudinaria votorum tributa a semet exacturus. Si ecclesiæ domus defuisset, lecto citius quasi pausaturus tradebatur, et operto capite vivifica verba trutinabat. Cumque socii itineris peractis necessariis se cubitum locassent, Gervinus velociter absque ullo strepitu assurgebat, et posito marsupiolo, quod semper penes se habebat sanctorum reliquiis plenum, illa quæ supra meminimus ab eo in monasterio fieri, orationes scilicet et genuflexiones impendebat. Sicque complebatur in illo ille veridicus sermo, quo dicitur: Ubi fidelis anima, ibi et templum Dei. Inter cætera sane virtutum exercitia, hoc illi quandiu sospitate viguit, perstitit immobile, ut vigilia Natalis Domini, vigilia sancti Paschæ, atque Parasceve, vigilia Ascensionis, vigilia Pentecostes, necnon sancti Joannis Baptistæ, ac beatorum apostolorum Petri et Pauli, sancti quoque Laurentii martyris, atque Assumptionis S. Mariæ, Omnium Sanctorum, ac B. Andreæ apostoli, omnino a cibo

abstinens, totum ex integro Psalterium Domino modularet. Et cum tantopere carnem propriam edomaret, tanta alacritate utebatur, ut non esurire, sed opulentis eduliis æstuare inclytum abbatem ipsa vultus hilaritate putares; quam tamen sic retinebat hilaritatem, ut nihil levitatis inesse appareret, servata in omnibus honestatis gravitate.

CAPUT XXVII.

Quam fuerit sollicitus infirmas curare animas, et ut pro hoc apud apostolicum pontificem sit accusatus

Præterea tanta illi erat in convertendis atque salvandis peccatorum animabus curæ instantia, ut peccaminum fasce oppressis mirabiliter compatiens, et concurrens, videretur illius spiritu gubernari, qui dixit: *Filioli mei, quos iterum parturio* (*Galat.* IV), B non solum vero hujus nostratis patriæ si quos cognovisset homines scelestos, corrigebat, sed etiam Neustriam et Flandriam, Galliam quoque et Aquitaniam, necnon Hungariam, pia gyrans sedulitate, criminosorumque confessiones acceptans, et saluberrimis monitis eorum vitam in melius commutans, evangelistæ et apostoli opus absque nomine perexplebat, illud Dominicum in se cunctis portendens edictum: *Posui te in lucem gentium, ut sis in salutem* (*Isa.* XLIX). Vidimus persæpe cum esset in Centulo apud gloriosum confessorem Richarium, totius diei spatium in conclavi absque omni corporali edulio illum peregisse, dum aliis recedentibus, aliisque succedentibus qui animæ cura indigebant, et quorum salutem quærebat, delectabatur, ut cœlestis archiater infirmis eorum animabus mederi. Erat enim super hoc officio ei deputata cellula, quam fratres confessionem vocabant, in qua per Dei gratiam in se habitantem isdem vir beatus multorum hominum scelerum enormitate devias per confessionis humilitatem, et suæ precis interventionem divinæ misericordiæ restituit animas; sicque revera effici meruit, cui divinus sermo competenter diceret: *Si feceris dignum ex indigno, quasi os meum eris* (*Jer.* XV).

Sed quod unquam bonum non secuta est ac æmulata invidia? nam clerici multi, quorum, proh dolor! studium existebat melioribus invidere, non considerantes quia lege non stringitur sancti Spiritus donum, nostrum equitium verbis venenatis carpebant, cur absque apostolici licentia homo, non episcopus prædicare auderet, et peccatorum confessiones, seu conversiones, cur præsumptor non sui officii inquireret, oblatrantes. Hoc nequam rumore aliquorum animos corrumpentes, id tandem peregerunt, ut papæ Romani auribus hæc hominis Dei gesta insonarent. Quique cum bonitatis ejus ignarus voces detrahentium dijudicare nequiret, dedit suæ auctoritatis præcepto mandatum, ut homo, quem temerarium fama ferebat, ad sedem apostolicam vocaretur, suæ præsumptionis, ut dicebant, rationem papæ daturus.

Gervinus itaque edicto papæ accitus, ovans expetit Romam, supernum sibi non defuturum juvamen confisus. Et ubi a papa potuit conspici, illico reverendissimæ vitæ virum ipsa vultus habitudine contuens ipse papa, ipsam quæ in illo habitabat magnifice veneratus est Divinitatis præsentiam. Denique venienti assurgit, satisque humiliter pacis osculum ei præbuit; dein jubet secum residere, et ut ei solitum erat cœlestia coram eo verba tractare. Sane cum illi relationem prælibatæ detractionis intimavisset, et ab eo an illa quæ dicebantur arripuisset, aperiri sibi poposcisset, Gervinus proponit Scripturarum exempla quæ præcipiebant: Eos qui ducuntur ad mortem liberare ne cesses. Itemque Jacobus apostolus dicit: *Scienti bonum, et non facienti, peccatum est illi. Quoniam quidem ergo*, ait, *domine mi papa, meæ humilitati boni scientiam præstitit misericors Deus, jubetisne ut commissam verbi scientiam subtrahens, cum pigritanti servo damnationem incurram pro non dispensata pecunia? Simul et considerari decet quod Jacobus item apostolus ait: « Si quis converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte; et operiet multitudinem peccatorum (Jac. V). » Si igitur peccatores convertens, non tantum illorum animas salvo, sed et pro impensa charitate mea quoque peccata diluo, videatur, inquam, an talis operatio sit cohibenda a summo Pastore, ut scilicet non sit copia cuilibet devoto charitatis exsequendæ.* Ille igitur vere apostolicus pontifex Leo, qui bona non arcere, sed semper augmentare cuperet, tam utilem et tam proficuam intentionis rationem audiens, lætior efficitur. Et quia Ambianorum præsulem, tunc C temporis Fulconem non animarum saluti, sed volucrum captioni et ferarum venatui studere compererat, tali auctoritate roborat venerandum abbatem, his eum verbis confirmans: *Nequaquam, amantissime frater, ob invidorum susurra vel detractationes, tantam pereuntium animarum consolationem deinceps refugies operari, quo et Dominicæ vineæ fructus te cultore accrescat, et te pro impensis laboribus Christi Domini gratia comitetur, absque dubio æterna mercede quandoque munerandum. Ecce auctoritate Domini nostri, et beati Petri apostoli, ac nostra non solum auctoritate, sed etiam deprecatione concedimus et imperamus, te in recipiendis scelestorum confessionibus, et tradenda pœnitentia nostri officii participium tenere; ut quæ ligaveris, Christi Domini auctoritate* D *ligata, et quæ solveris, ejusdem Domini miseratione sint soluta.* Hæc dicens sanctus papa, simul et sandalia offert, jubens ut his Gervinus utatur; ut qui prædicationis exercebat studium, prædicatoris insignibus ornaretur. Venerabilis tamen abbas custos veræ humilitatis, eadem ornamenta recusavit, dicens sibi sufficere solam apostolicæ licentiæ auctoritatem ad exercendam circa infirmas animas divini verbi stipem. Multimodo igitur favore pontificis auctus regreditur, et cœptum Domini opus quo liberius, eo melius latiusque reincipit exercere.

Verum quia se præbuit occasio, æquum valde putamus breviter istic scribere ille de quo fuit mentio qualis quantusque fuerit. Leo papa, natione Teuto-

nicus, parentum excellentissima nobilitate præfulgens, et cœlesti visione denuntiatus antequam natus, in Lotharingia mundo processit. Qui sacris litteris atque liberalibus studiis acutissime eruditus, et per omnem pueritiam juventutemque et adolescentiam, timoratæ mentis honestatem conservans, electione cleri et populi, Ecclesiæ Tullensi ordinatus est episcopus, cum jam ejus propinqui, viri imperiales, de Romano apostolatu ei conferendo tractarent. Sane quoniam cum nobilitate parentum non deerat ei sanctissima claritas morum, non recusavit homo inclytus pauperculæ civitatis curam suscipere, imo obtentu majoris evitandi honoris, ad hunc facile deductus est. Et cum episcopus esset Tullensis oppidi, electione pontificum cum imperatoris assensu in Romanum levatus est pontificem; et qui antea vocatus fuerat Bruno, propter papatum vocari meruit Leo. Qui tanta mentis puritate virtuteque viguit, ut per illius merita Domino omnipotenti placuerit miracula magna patrare. Qui etiam cum beatissimi Remigii Remorum pontificis ecclesiam dedicare venisset, venerabilem Gervinum, ut ejusdem confessoris corpus efferret, cum aliis tribus æque sanctis viris delegit.

CAPUT XXVIII

Miraculum quod propter illum Dominus facere dignatus est.

Gervinus itaque, Deo auxiliante, laudabili vitæ operosæ insistens, et populis Christianis verbi divini semina pandens, quæ sunt cavenda intimabat, et quæ amplectenda edocebat. In tantum vero bona illius conversatio Deo complacuit, ut etiam miraculis dignaretur declarare illius devotionem. Nam quodam tempore ut quemdam iter faciens locum devenit, ubi audita fama sancti abbatis (sic enim vocabatur a populis) quædam ægrota advenit, quæ publice cœpit omnibus referre quid sibi divinitus esset insinuatum, quia si hujus venerandi viri benedictione potiretur, continuo sospitatem mereretur. Sed cum vir Domini non adesset (nam a fidelibus abductus, eadem hora animarum morbis consulebat in remoto) illa, quam dira angebat calamitas, in Dei nomine poposcit ut ejus virga pastoralis, quam vulgus crociam vocat, et quæ pro more summotenus curvabatur, dilueretur aqua, indeque potus sibi conferretur. Tunc monachus ejusdem virgæ custos et bajulus, qui et hodie dum hæc scribimus superest, hæc ipsa testificans, nomine Radulfus, admirans fidem illius, precibus ejus annuit. Abluta ergo crocia, cum illa aquam ablutionis epotasset, Deo volente, qui suos servos mirificat, omni malo salvata est.

CAPUT XXIX.

Item aliud de Odelrico febricitante.

In castro quoque Augensi, quod est situm in ipso Neustriæ ingressu, aliud pro ejus meritis Christus Dominus peregit ingens prodigium. Nam cum illo advenisset aliquando Gervinus, erat ibidem quidam puer nomine Odelricus, qui litteris discendis insudabat. Hic, vi febrium irretitus, quid de se agere posset nesciebat; verum ubi comperit sanctum abbatem advenisse, spe certi remedii suffultus, adiit ejus familiares, precatur et obsecrat ut aqua, qua sancti hominis manus ablutæ forent, sibi sorbenda daretur. At illi pietate obtenti, precatis obediunt. Lavat abbas manus, illi aquam reponunt; qua infirmus percepta et bibita, nulla interveniente mora, omnimoda caruit febre. Sane is Odelricus hodieque vivit, et apud Corbeiam monachi et abbatis habitu vel honore potitur.

CAPUT XXX.

Visio Hugonis monachi.

Sanctus quoque Richarius nostratis loci dominus illis diebus magna voluit ostendere miracula, ut et hoc quoque indicio sibi placitum indicaret abbatem, cujus tempore revelabat suæ virtutis cognitionem. Nam quidam frater ex sæculari conversus militia, nomine Hugo, honeste in monachico habitu se agebat; qui quadam nocte nocturnos præveniens hymnos, post impensam orationem in scamno chori residebat, cum repente audivit a parte occidentali ipsius basilicæ, in turre ubi est Sancti Salvatoris altare, voces mellifluas excelse modulari, in quibus, ut postea ipse retulit, voces virorum ac puerorum distincta soni qualitate poterant facile discerni. Quo auditu perculsus oculos illo convertit putans aliquas adesse illic personas quæ tam suaviter cœlestia cantica resonarent. Veraciter enim sanctorum angelorum, sanctorumque Innocentium præsentiæ sanctissimam, quæ ibi est, Salvatoris memoriam ac eorumdem Innocentium reliquias a domno Angilberto quondam ibi collocatas solemniter, inviserant, sed eorum species jam dictus frater videre non potuit. Verum cum intentissime carmina eorum auscultans ineffabiliter mulceretur, vidit fusam lucem totam turrem replesse, quæ se dilatans totum buticum basilicæ cœpit implere. At monachus videns oculis cœlestem lucem eo tendere quo beatissimi Richarii corpus quiescit, et tali visu valde permotus, ocius surrexit, et tantæ gloriæ volens testem habere, concitus dormitorium ivit, et quem primum offendit accivit fratrem innuens ut cito surgeret seque sequeretur. Cumque ambo aditum ecclesiæ repetissent, viderunt divino lumine totam completam basilicam, vocesque dulcissime decantantes audierunt, et ingenti pavore concussi introgredi non præsumpserunt, sed deforis stantes dulcifluo canore eorum corda, quæ territa erant, recreabantur. Sed et venerabilis Gervinus idipsum expertus est; nam cum solito more altaria orando circumiens, venisset ad eamdem sancti Salvatoris memoriam, ibique sacrificium laudis victimaret, subito lux emissa de cœlo totam ipsam turrem respersit. At ille tremore tam novæ visionis concussus aufugit, et usque ad Memoriam sancti Stephani protomartyris vadens cœpit subsistere, suspectus quidnam Deus facere vellet; cum ecce inspicit eamdem lucem concurrere ad honorabilem Memoriam sancti Richarii. Cumque ipse sacer quo] be-

atissimi Richarii corpus pausat locus cœlesti lumine repletus, et jam per cætera basilicæ loca se dilataret lumen supernum, venerabilis Gervinus nimio pavore constrictus ivit citius, et suscitavit unum de matricularis qui religiose se tunc temporis agebat, volens ut secum tantæ gloriæ claritatem intueretur, et ipse de nimio horrore qui eum invaserat, illius consortio respiraret. Venerunt itaque ambo, et abbas quidem coram beati Richarii altare figens genua et palmas protendens cum lacrymis exorabat; æditus vero in inferiori chori parte stans hauriebat oculis ineffabilem gloriam. Hanc tantam Domini magnificentiam contuentibus eis, post modum talem senserunt odorem, ut in comparatione tantæ suavitatis omnia humano studio composita fetor putarentur pigmenta. Visæ sunt autem et quædam corporum cœlestium species, quæ corpori sancti Richarii amicabiliter valde se jungebant; sed omnia exprimere refutamus, ne inassueta dicentes fastidium incredulis pariamus. Illud veraciter comprobatur, quia postquam cœlestes excubiæi memoriæ Salvatoris et sanctorum Innocentium reliquiis honorum detulissent, ad beatum Richarium properabant de animæ gloria jam exstante, et de futura corporis immortalitate gaudium et honorem delaturi. Sed hæc occulta et velut mystica seponentes, ad apertiora veniatur.

CAPUT XXXI.

Quædam sancti Richarii miracula.

Ab aquilonali plaga monasterii ejusdem confessoris domini Richarii quadam vice orto pergrandi incendio, fratres perterriti tanto imminentis vulcani excidio laborantes intendunt solum in exportandis sacrosanctis pignoribus, et Ecclesiæ thesauro. Jam enim (quod dictu mirum est) ignis plus centum locis super Ecclesiam sparserat, jam plumbum superante igne liquescens defluebat exportatisque omnibus pene ornamentis, excepta sacri corporis beati Vigoris capsa, nil aliud exspectabatur quam desolatio loci, et exustio quæ in præsentiarum videbatur. Jamque humanæ fragilitatis solatio decumbente, pietas Dei signum præbuit ad manum succurrentis clementiæ; unus enim ministrorum ecclesiæ qui ad excutiendum ignem, si posset, ascenderat, male tenaci suspensus manu, lapsus præceps ruit ad terram, eademque hora ubi se non læsum, imo magis mortuum per se stupuit, resiliens Dei gratia et beati Richarii meritis in pedes stetit. Ignis autem veluti sedatus in stipulis, ubi vires non habet, ita Dei gratia eodem confessore Richario mediante absque humano auxilio exstinctus est; quidam etiam Tornacensis pagi oculis captus dum moraretur Corbeiæ, ubi multam sanitatum gratiam per merita sanctorum loco patrocinantium Dominus eo contulit tempore, per visum, ut perhibebat, a quodam formoso sene est admonitus ut cœnobium S. Richarii adiret quantocius, quia ibi adepturus esset recuperationem visus. Ille monitori obtemperans, duce sorore jam nubili cœnobium adiit Sancti Richarii (quodque raro evenit alicui), ad vesperum venienti nullus præbuit humanitatem hospitii. Sicque compulsus est inhospitare tectum paradisi, ubi in duro lecto cubans pernox inclamat pietatem sanctissimi confessoris. Mane intromissus reseratis templi valvis assedit, et cum populo adstante divinis officiis, quadragesimale enim tempus tunc fuit, et ipse quoque devotus astitit. Interea ergo ut sibi videbatur, quem Corbeiæ viderat faustus monitor formosus senex adfuit, utraque ejus supercilia manu vellit, potentique medentis imperii verbo et nocivum sanguinem per ora patientis elicit, et visum diu peroratum suo obedienti inficit et reficit. Ergo medicanti assurgens magna voce inclamat, accurrentes læta rei ratione satiat; fratrum vero grex Deo sanctoque patrono suo Richario laudum præconia intonat. Detentus ergo aliquandiu tandem cum sorore, non tamen duce redit, non æque felici calle; nam a latronibus dispoliatus et cruciatus est, ablata quoque quam ipse ducebat sorore. Quibus discedentibus, ille amens factus quo impetus fugæ ferebat præceps graditur; tandemque ad monasterium sui sanatoris iterum sanandus uti male se habens fertur. Cui in visu pater pius iterum medicam manum intulit, suique compotem factum ad propria conducit. Alter quidam ex quadam ægritudine visu hebetato penitus exæcatur, dumalias tendit quo divinam pietatem operari didicit, in somnis admonetur ut super recuperatione sui beatum Richarium petat. Venit, adfuit perunctusque ora ex aqua de scrinio sancti tacta videns astitit, nimisque festinus necdum sumpta licentia recedit; sed ad portas Ecclesiæ iterum in tenebras ruit. Quid miser faceret? quem pium reperit, pium repetit, importunusque orator lumen levitatis suæ culpa, imo Dei dispostione ablatum exposcit. Nocte igitur quadam in sopore decubans, videt ecclesiæ sanctuarium seu quorumdam candidatorum totum caterva vestitum eorumque splendore totum monasterii spatium quasi festiva illustratione illuminatum. Tum nimirum apparuit quot seu quantis sanctorum patrociniis hic locus Deo dicatus consistit. Hac vero felici visione ille, luce recepta, gaudens iterum parat male sanus ire ad propria; sed occurrentibus tenebris iterum ad medicum cæcus redire cogitur. Cui cum se voto astrinxisset, quod in omni deinceps sua vita, si mereretur sanari, sui capitis respectum annualiter ei referret, sanus et clare videns cum omnium fratrum gaudio et benedictione discessit. Nec tertio obviavit tenebris quem perfectæ sanitati commendaverat beatus Pater cultor sanctæ Trinitatis. Quidam etiam puer scholis addictus ut litteras disceret dum scholam refugiens in agro puerili fatuitate obdormisset, ægritudinem incurrit. Inde auditum quoque perdidit, tribusque continuis annis in lecto clanguit; postque sex annis tremulo capite nec integro auditu permansit. Hic ergo ter admonitus ut cœnobium Sancti Richarii adiret, ibique invocato eo sanitatem reciperet, advenit, oblatoque ex voto fidei cereo, ubi coram altare Salvatoris peroravit, sanguise

naribus auribusque prosiliens illum in clamorem egit, quo exciti fratres plebsque fidelis accurrunt, et a jam sano rem ex ordine audiunt, gaudentesque de tanta visitatione Dei per pium patronum suum, laudes in excelso attollunt. Quodam vero tempore, cujusdam rei opportunitate beati patroni nostri S. Richarii sacrum corpus comitantibus fratribus, ad villam Asliacum ferebatur. Cumque ineundo per Buxudem villam nostram transitus haberetur, contigit ut in una domuncula moribunda jaceret quædam mulier, ante plures annos membris omnibus dissoluta. Dum vero per eamdem casam sanctus Domini transferretur, dumque de contra jacentis venisset grabatulum, illico mulier exsiliens cœpit clamare et dicere: *Laudo et benedico Dominum omnipotentem, qui mihi per Domini mei S. Richarii præsentiam integram reddidit sanitatem.* Hoc itaque miraculum illi beatissimi Benedicti miraculo comparandum videtur, nisi quod amplius stupendum est hominem, Deo jam sociatum, tantopere humanæ infirmitatis compassionem habuisse, ut sola suorum ossuum præsentia ægrotam erexerit, quam illum qui, quamvis sanctissimus, adhuc tamen carnis obses, miseriis hominum concurrere ipsa rerum importunitate trahebatur. Verumtamen hæc dicentes non eminentia beati Benedicti merita contrahimus, sed istius Patris nostri factum admirabile pro posse prædicamus. Jam vero quis enumerare queat quanti vinculati et catenati, dum illum invocarent, exstiterunt liberati? Hæc itaque interim sufficiat nos dixisse, quia quæ sine fine quandiu mundus steterit gerenda sunt, litterarum ingenio a nobis circumcludi non poterunt.]

CAPUT XXXII.

De libris quos contulit: et quam studiose requisierit corpus S. Angilberti abbatis.

Igitur abbas bonus, in boni loci reparatione vel custodia studiosa curiositate pervigilans, diruta restruere, exstructa conservare et aptis tegiminis munire insistens, animarum quoque saluti devotissime consulens, regni cœlorum sibi ingressum aptabat. Inter cætera vero, quæ loco nostro contulit, multorum librorum copiam ad ædificationem ibi Deo servientium præparavit. Et quia hæc ipsa quæ condimus ad hoc scribuntur, ut futuri horum incitentur exemplis, utile credimus apponere de eisdem, quæ venerabilis Gervinus nobis contulit voluminibus notamina.

Epistolas Ignatii; Ecclesiasticam historiam Eusebii Cæsariensis; Ambrosii apologiam De David, De Joseph, De Noe, De Abraham; Ambrosium De Trinitate ad Gratianum imperatorem. Item ad eumdem De Spiritu sancto; Ambrosii Pastoralem; Ambrosium De sacramentis; De obitu Theodosii; Contra Auxentium; De basilicis tradendis; De sanctis martyribus Gervasio et Protasio depositis et inventis; Ambrosium De morte Satyri; De Incarnatione Domini, et alia quædam ejusdem.

Gregorii Nazianzeni Apologeticum; ejusdem De Epiphaniis, De Pentecoste, in semetipso De agro regresso; De Jeremiæ dictis; De grandinis vastatione.

Hieronymum virorum illustrium; Epistolas Hieronymi; Hieronymum super Zachariam; Hieronymum super Isaiam; Augustinum super Joannem vol. I; August. Contra V hostium genera; De sancta virginitate I; De bono conjugali; ad Simplicianum episcopum De diversis quæstionibus; ad quemdam comitem; ad Paulinum Nolensem; De cura pro mortuis; August. super Psalterium volum. III; August. De natura et origine animæ; August. De conjugiis adulterinis; August. De jejunio Sabbati; August. De Symbolo; August. De IV virtutibus charitatis; De cantico novo; De ultima IV feria; De cataclysmo; Contra Felicianum; De tempore barbarico; De Trinitate; De decem chordis; De quantitate animæ; Ad Inquisitiones Januarii; De solemnitate Paschali; De pastoribus; De ovibus; De perfectione justitiæ hominis; Contra mendacium. Item August. De mendacio. Item August. De avaritia et luxuria, De prædestinatione sanctorum, De doctrina Christiana, De agone Christiano, De vita Christiana, De disciplina Christiana, De gratia Novi Testamenti. Confessionum ejusdem libros XIII, Retractationum, De hæresibus ad Quod-vult-Deum episcopum, De charitate super Epistola Joannis apostol.; Enrichidion contra Judæos; sermones ejus.

Joannem Chrysostomum De compunctione cordis; ejusdem, Quod nemo possit ab alio lædi, nisi a se prius fuerit læsus; De reparatione lapsi; De pœnitentia; librum Laurentii De tribus temporibus pœnitentiæ. Item Joannem Chrysostomum, De conversatione vitæ; De Oratione Dominica; De psalmo L.

Registrum beati Gregorii papæ: Quintam partem, et sextam Moralium ejus in Job; homelias ejusdem super extremam partem Ezechielis prophetæ; codicem De canonibus, Paschasium De corpore et sanguine Domini; Tripartitam historiam.

Codicem magnum De passionibus et gestis sanctorum apostolorum, et plurimorum martyrum cum Vita sancti Mauri; Vitas SS. Patrum eremitarum; Vitas SS. Basilii, Remigii, Vedasti, Fursei, Ambrosii, Lupi, S. Mariæ, Germani Antissiodorensis, Romarici, Augustini, Hieronymi, Amandi, Guandregisili, Audoeni, Ansberti, Mariæ Ægyptiacæ, cum translatione beatissimi Benedicti in I volumine. Item Vitas SS. Richarii, Augustini, Hilarii, Columbani, Fulgentii, Medardi, Firmini, Salvii, Bertini, Bavonis, Vitoni, Martialis, Severini, Felicis; simul et passiones SS. Hermagoræ episcopi, Georgii, Blasii, Mennæ, Theodori, Lamberti, Timothei, et Apollinaris, Perpetuæ et Felicitatis, Anastasiæ, Sabinæ, cum Vita S. Genovefæ, in uno volumine.

Hæc omnia venerabilis Gervinus in XXXVI voluminibus compingens, gravi et inabsoluti anathemate condemnavit quicunque ea sancto loco demere, et qualibet occasione subtrahere auderet. Non solum

librorum, sed et palliorum, cæterorumque quæ vel ipse aggregarat, vel a suis antecessoribus aggregata invenerat, ornamentorum perpetualiter excommunicavit fraudatorem.

Enim vero quoniam illo tempore domni et S. Angilberti abbatis tumulus certissime non sciebatur, et ob hoc nullo terreno honore potiebatur, quamvis ejus celeberrima memoria in ore universorum Franciscorum vel Pontivorum, atque aspectu egregii templi quondam ab eo fundati resplenderet; studuit venerabilis Gervinus quibus poterat conatibus ejusdem sancti viri corpus perquirere, quo, si Dominus ejus votis annueret, posset illud condigno exaltare honore. Denique quodam tempore ivit cœnobium Gorziam, quod est situm in confinio Mettensis civitatis, ubi inventum codicem, qui de ejusdem sancti viri, aliorumque nostratum abbatum gestis aliqua retinebat, ab illis fratribus mutuavit, Centulam detulit; in quo scilicet repertum est quomodo sanctus abbas Angilbertus terreni corporis molem relinquens XII Kalend. Martii transivit ad gloriam. Et quia ab eo tempore quo sub Guaramundo pagano combustum fuit monasterium, usque ad hanc cognitionem Centulenses monachos dies transitus ejus latuerat; magno iidem fratres exhilarati sunt gaudio ob quod diem cognovissent quo tantus vir pro vitæ virtutumque merito honorari deberet. Igitur Gervinus, qui merito vir desideriorum dignus est dici, cupiens, ut dictum est, eumdem sanctum dignius honorare, cœpit perquirere ad fores Ecclesiæ, quo compererat illum primo tumulatum fuisse, sanctam corporis ejus glebam; et illius quidem non ibi corpus invenit, sed in eodem quo pausaverat sarcophago invenit lecticam ligneam coriatam domni Nithardi, filii ejus abbatis et comitis corpus continentem sale perfusum; in cujus capite videbatur illa percussura, qua eventu prælii fuit occisus. Recludens itaque eumdem tumulum, aliorsus eum quærere cupiebat, sed quo quæreret, nesciebat, nisi potentia divinæ majestatis per quemdam monachum in hac re eum direxisset; nam persuasit ille Frater, nomine Teudoaldus, sæpe fatum sanctum investigari debere in ingressu chori a parte occidentali, ubi videlicet in superficie pavimenti scriptum habebatur, REX. LEX. LUX. PAX. Hæ autem quatuor partes in illius antiquo epitaphio primæ fuerunt et ultimæ; et harum monosyllabarum partium ratione affirmabat idem Teudoaldus oportere considerari, quoniam ille qui ipsum reposuerat, ob hoc super illum has epitaphii ejus syllabas censuit describi, ut earum similitudine quærenti innueretur, quo sancti corpus Angilberti quiesceret. Venerabilis Gervinus hæc audiens acquievit, et quod anhelanter sitiebat, sanctum Angilberti abbatis corpus invenit. Eadem vero hora qua repertum et discoopertum est, mirificæ suavitatis odor emanavit; et non solum hi qui ibi aderant suavissimo afflati sunt odore, verum et omnes qui in ipsa erant quovis loco Ecclesiæ admirabilem fragrantiam persense-

A runt, in tantum ut hodieque testetur domnus Radulfus, cognomento Benignus, quod eadem inventionis hora super valvas cryptæ sedens et scribens, dulcifluo sit refectus odore. Erant vero ipsa sancta ossa confuso ordine conglomerata, pallioque viridi obvoluta. Unde certum est post Ribbodonem abbatem qui eum integrum transtulerat, ab aliis fidelibus timore paganorum itatenus eum fuisse repositum. Inventi autem sancti thesauri gaudium illa fuscabat ratio, quod nullum scripturæ vel chartæ indicium reperiebatur, quæ illud Angilberti fuisse corpus testaretur; sed piæ abbatis vel fratrum curiositati divina cito providentia consuluit, quæ supra nominati fratris Teudoaldi cordi immisit, ut ejusdem sancti caput accipiens curioso oculo rimaretur. B Quod dum faceret, in repagulo narium brevem membranulam, qua omnis dubietatis anxietas ablata est. Si quidem eadem paginula aperte manifestavit veritatem, dicens: HOC ESSE CORPUS SANCTI ANGILBERTI ABBATIS. Sic quæ cupierat venerandus Pastor adeptus, eumdem sanctum cum honore relocavit; semper deinceps celebrari ejus memoriam instituens. Sancti quoque confessoris Caydoci, sociique illius corpora a terra levavit, et eorum reliquias decentius collocans, fidelibus populis honorandas censuit.

CAPUT XXXIII.

Qualiter a Domino correptus sit.

Postquam venerabilis Gervinus [multis] mundum C in maligno positum suæ sanctæ vitæ illustrarat exemplis, postquam multas peccatorum animas sanctis monitis instruendo de perversitate traxerat ad correctionem, et de fauce diaboli erutas Christi omnipotentis resignaverat gratiæ, postquam almiflui confessoris Christi Richarii ecclesiam fratrum numero et religiositate, ædificiis, libris, palliis, auro et argento, variisque decorarat et augmentarat ornamentis, cum et omnium populorum laude ac præconiis attolleretur, et ejus sacer ac immaculatus cœlibatus omnibus sanctæ Ecclesiæ membris appareret mirabilis, volens pius Pater Deus eum sibi omnimodis aptare, ut, juxta vocem Prophetæ, omnis illius ad purum excoqueretur scoria, morbo lepræ eum perculit, ut si quidpiam minus in Dei peregisset D servitio, in ista vita reciperet, vel si aliqua pro bene gestis laudis humanæ eum cupido vulnerasset, similiter purgaretur. Cujus mali ut primam potuit sentiscere originem, non putans fore inextricabilem illam infirmitatem, medicorum sibi studuit adhibere peritiam, quo, Deo annuente, infirmitatibus animarum adhuc succurrere non præpediretur. At ubi recognovit se a patre benigno irrevocabiliter quantum ad carnem percussum, totis præcordiis in Deum refusis magnas gratias suo rependebat flagellatori indesinenter exorans Dei pietatem, ut hæc corporis molestia ad animæ proficeret sempiternam salvationem. Igitur cum, ut omnibus notum est, ille talis morbus ei abstulisset vocis facultatem, non tamen omittebat quin ea omnia compleret quæ supra signa-

vimus ab illo geri, id est prolixitatem orationum, genuflexionum continuationem, sacrarum ædium circuitionem, sacrorumque canonum de sancta Trinitate, de Spiritu sancto, deque sancta Maria, de Omnibus Sanctis expensionem. Et cum ad cibum sumendum, ad requiem capiendam præ infirmitate deficeret, ad hæc omnia divini officii obsequia deficere nesciebat. Idem semper in orationis assiduitate, in psalmorum recitatione, in exhibenda fratribus admonitione existebat, præter quod infirmitatis qualitas a cœtu fratrum eum aliquando segregari cogebat. Verum cum ipse semet hac ratione volens arceret, illorum tamen quos educarat dulci affectu, ut pater bonus, piaque sedulitate vallabatur

CAPUT XXXIV.

Ubi successorem sibi a rege poposcit; et quam solerter obitum suum fratribus commendaverit.

Latius ergo latiusque aggravescente ipso languore, cum agnosceret se non prævalere ad conservandam curam animarum valetudine præpediente, advenienti fortuitu regi Francorum, tum juveni Philippo, sui allegavit causam languoris, orans ut monasterio quod ipse pro posse bonis ampliarat, talis daretur pastor et custos, qui congregata non disgregare, sed disgregata nosset unire; flagitavitque ut pius princeps cederet suo regimen nepoti, quem et dicebat ad tale opus sat eruditum, qui erat sancti Remigii monachus, nomine Gervinus. Et quia omnes qui eum nosse poterant, non illi obedire uti sancto viro putabant sacrilegum rex præfatus annuit, et ut suus post se regimen obtineret nepos concessit.

Anno igitur Dominicæ Incarnationis 1071, finiente mense Octobri, die x Kalend. Novembris, ind. IX, ordinatus est secundus Gervinus Centulensis monasterii abbas. Reverendissimus autem avunculus videns se magis ac magis corporis viribus destitui, et magni languoris urgeri gravamine, ac per hoc diem mortis non multum differendum sentiens, indefesse Domini precabatur sibi quantocius misericordiam advenire. Anno quoque suæ ægritudinis IV, fervescente nimis sæpe fato malo, ita angustiatus est, ut fissis et partitis naribus et labris, cæteraque cute in hispidam versa faciem, vix posset verbum formare. Sed cum infatigata divini verbi meditatio in eo permaneret, duobus fratribus, aut sæpe uni, jubebat ea omnia coram se adimplere, quæ dudum meminimus illum valentem omnia persolvisse. Evenit autem intrante Dominicæ Nativitatis anno 1074, ind. XI, ut II die mensis Februarii, qua Domini nostri Jesu Christi ab intemerata Virgine matre celebrata in templum oblatio, et justi Simeonis perfecta est exspectatio, ex devotione quæ apud illum nunquam friguerat missam faceret in crypta nostræ dominæ Sanctæ Mariæ; in qua solito acerbius dolore anxiatus, vix valuit inchoata mysteria perficere. Quibus tamen per Dei gratiam, A quæ in illo commanebat, rite peractis, nimio angore fatigatum dextra lævaque sustentando ad cubile fratres reducebant, cum subito inter mœstorum filiorum colloquia hæc ipse admiscuit verba: *Noveritis, o dulces filii, me hodie a Domina nostra, S. Maria accepisse licentiam abeundi.* Illis interrogantibus quorsum ire deberet: *Ubi*, ait, *semper cupivi, et pro quo Dei pietatem semper precatus sum.* Fratribus vero dicentibus adhuc illum vivere posse, et Domino omnipotenti sacrificia ejus manibus fore offerenda, subjunxit, inquiens: *Nunquam amplius frater Gervinus missam cantabit.* Exin quotidie in majus excrescente dolore, affatim decubuit. Superveniente autem Quadragesimali observatione, in ipsa feria IV quam Caput jejunii vocat consuetudo Ecclesiæ, convocavit B fratres natu majores, et sacerdotii gradu ornatos, et quantocunque annisu valuit exsurgens assedit; illisque coram, tum demum sic ora resolvit: *Ut beatus Germanus fratribus coepiscopis dixit, sic et ego, filii, vobis dico: Commendo vobis, charissimi, transitum meum; sentio enim proximare horam, qua diu a Domino exquisita mihi salus proveniet. Et hæc meæ semper fuit orationis intentio, ut in his sanctis diebus, qui modo superveniunt, meum misericors Deus obitum fieri imperaret: verum quia, ut confido, meis fauturus est votis, volo vobis in conspectu Domini confiteri mala quæ feci, et de quibus animæ meæ timeo, credens quod hæc confessio, pietate Domini præeunte, et vestro intercessu adjuvante, me mundabit.* His ab eo dictis, et fratribus ubertim lacrymas fundentibus, recitavit C coram illis gravia quædam, et quæ nunquam eum fecisse noverant omnes. Denique octo principalibus vitiis (27) sese onustum denuntians, in mirum redegit fratres stuporem, qui ejus ab infantia cælibatum vitæque innocentiam optime compererant qui et dicebant: *Ut quid, bone Pater, taliter te incusas, cum manifestum sit te non fecisse quæ astruis; certe homicidium, adulterium non perpetrasti.* Quibus ipse respondit: *Parcite, fratres, parcite, quæso, et meam animam nolite gravare; nam si sub mea cura aliqui perierunt (quod fortasse omitti non potuit) profecto in Dei judicio pro eorum animabus reus tenebor. De adulterio autem audite quid Christus veritas dicat: « Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est in corde suo (Matth. V). » D Fieri autem non potuit, ut non hac aliquando illectus fuerim lasciviæ voluntate; ob hocque ita reus existo quod voluerim, ac si opere perfecissem.* Hæc et alia se incusando exprobrans, commendavit Deo et eorum precibus sui exitus tutelam.

CAPUT XXXV.

Qualiter se sepeliri mandaverit, et obitus ipsius

Intrante igitur sacri jejunii consuetudinaria observatione, grabato tenebatur, ablata omnimoda canendorum psalmorum vel quidpiam loquendi possibilitate. Et tamen cursus spiritales coram eo incessanter recitabantur. Nec enim omisit quin, uti

(27) Septem vitia, ut vocant, capitalia, vulgo tantum enumeramus; plerique tamen veterum, maxime e Græcis, octo enumerabant. Vide ea de re Cassianum in Institutionum libris. MAB.

valens assueverat, omni die Quadragesimæ totum Psalterium per unum e fratribus, quia per se non poterat, decantaret. Fratres ergo videntes eum jamjam in mortem resolvi, juxta S. Jacobi apostoli mandatum, oleo benedicto perungentes eum, valde alacrem tali obsequio effecerunt. Interrogatus autem ubi vellet suum corpus sepeliri, nullum locum voluit designare, hoc in eorum collocans arbitrio. Sed cum amplius a fratribus flagitaretur, ut sepulturæ locum ipse sibi designaret; *Dicerem*, inquit, *vobis meum super hac re velle; sed vos non illud impleretis.* Tunc fratres qui revera essent parati, in quocunque, quamvis sancto, eum sepelire loco, omnino se impleturos quæ jussisset, spoponderunt. Et ille ait: *Scio*, inquit, *quia non facietis; verum si faceretis, magnum mihi proveniret inde scelesto remedium. Nectentes pedi meo restem, trahite me, et projicite in sterquilinium in medio platearum, quia non meliori dignum me credo sepulcro.* Hæc fratres audientes, iteratos planctus continuant. Oravit autem, ut quacunque hora exitus ei advenisset, statim intra Sancti Richarii basilicam eum ferrent, spiritum Deo inibi redditurum. Jamque sacri jejunii evoluta fuerat prima septimana, et secunda ducebatur, cum ecce venerabili Gervino, et utique jam beatificando imminebat salutaris transitus. Nam feria III, secundæ hebdomadæ quæ habebatur V Nonas Martii, post finitos Matutinos, fratres solliciti eum viserunt, inveneruntque eum extremum flatum trahentem. Innuebant ergo alterutrum quod moreretur. Quod ipse adhuc sentiens, manu propria innuit eis ut ferretur in ecclesiam. At fratres eum accipientes sustulerunt, et strato cilicio ante Sancti Joannis Baptistæ, quod vicinum erat, altare posuerunt. Dein opposito obtutibus ejus crucifixi Domini signo, et super pectus ejus posito reliquiarum uti ipse disposuerat saccello, congregatio tota inchoavit litaniæ supplicationes, sanctos Dei ut ei succurrerent invocantes. A quibus cum dicebatur: *Sancta Maria, ora pro eo*, ipse qui jam fuerat in morte compositus, tetendit manus, orans et ipse: *Sancta Maria, ora pro me.* At ubi ventum est ut diceretur: *Sancte Richari, ora pro eo*, absque omnium spe mirabiliter se subrigens, manusque altius protendens, lacrymando clamavit: *S. Richari, ora pro me.* Post hoc quietior factus, cum fratres litania finita, et initiata commendatione fideli, illo usque venissent, ut dicerent: *Suscipiat te Christus*, ille ad hæc verba spiritum efflavit. Quod ubi innotuit, indicibilis et infinitus subito Centulam omnem mœror excepit. Flebant viri obitum tanti pastoris, matronæ vociferantes cum crinium evulsione sancti abbatis hominis Dei mortem dolebant. Nec mora, ruit omnis provincia Pontivorum ad exsequias viri Dei, et consideratione tanti obsequii omnis necessitas mox abdicatur. Conveniunt in basilicam, et vere desolatam domum elatis vocibus plangunt. *O*, inquiunt, *Sancte Richari, cur talem tui honoris tam cito sinisti mori amatorem? Bone confessor, cur non tam bonum tibi reservasti famulisque tuis conservatorem?* A Sic viri, sic feminæ, sic nobiles, ignobilesque optimi viri mortem lugebant.

CAPUT XXXVI.

Sepelitio ejus, et epitaphium.

Nudato itaque ad lavandum corpore ejus, tanta enituit gratia membrorum, ut ipsam cutem non putaretur quilibet morbus unquam fœdasse. In ipsis autem genitalibus tantus virginei honoris decor apparuit, ut non tam virilia quam venerabilia septennem puerum imitarentur. Ex assiduitate autem genuflexionum in poplitibus seu cubitis inventa est obdurata cutis excrevisse; et qui ejus studia, vitamque nescisset, hujus consideratione rei contemplationi divinæ ejus semper hæsisse animum liquido cognovisset. Componentes ergo ipsa sancta ossa (nam B carnes tam abstinentia, quam morbo defecerant), tulerunt in potiorem locum ecclesiæ, devotis excubiis, uti mos est, animam Deo commendantes. Missarum itaque solemniis ab abbatibus, et a cunctis qui adfuerunt sacerdotibus copiose expletis, sepultus est servus Dei Gervinus, abba venerabilis, ante altare beatæ Mariæ in crypta orientali, cum universorum, id est, comitis Guidonis abbatum, procerum, militum, vel generalis vulgi gemitu et dolore. Guido sane comes Pontivorum indulgendo remisit pro illius amore omnes consuetudinarias exactiones, quæ sibi debebantur in Novavilla *Super sanctam*, inquiens, *sancti* Gervini *tumbam hoc donum pono.* Gesta sunt hæc Centulo anno Verbi Incarnati 1074, indict. XI, regnante Philippo Francorum rege anno XIV.

C EPITAPHIUM.

Inclytus iste Pater, dæmon per quem ruit ater,
Hos pius in populos dormit in hoc tumulo.
Ardua rectarum scandens qui rite viarum,
Corporis assiduus martyrizator erat.
Regula virtutum, rectorum lux monachorum,
Exstitit a puero corpore virgineo.
Tunc sic florentem, studiose justa docentem,
Mars, tua tertia lux abstulit, itque redux.

Eodem anno obiit Wido Ambianensis episcopus, nostri loci amator præcipuus. Abbate venerabili Gervino de luce præsenti subtracto, successit ad regimen Centulensis cœnobii alter Gervinus longe impar priori, licet esset ipsius ex sorore nepos, nutritus et D eruditus in S. Remigii honorifico cœnobio. Hujus fuit lingua docta, et actio impedita; utpote qui regiminis curam convertit ad mundi gloriam, et animarum lucrum redegit in sæculi oblectamentum. Abundabat tamen eodem tempore istud sacrum cœnobium religiosarum personarum, graviumque monachorum stabili honestate, quorum vita vel conversatio fama laudabili enitebat in omni Francorum loco. Erant enim quidam illorum de tempore venerandi Angelranni, boni magistri boni discipuli, et pluriores de recenti memoria laudabilis Gervini, quorum vita et mores videbantur secundo Gervino arena ponderosiores, ferro duriores, et chalybe acutiores. Ilorum continentia et probitate admodum refrenabatur intemperantia levitatis ejus, quorum

monita, et coercitiones verborum ex toto recusare A non poterat, non tantum propter Dei timorem, quantum propter sæculi favorem eorum prudentiæ sæpius acquiescens. Seniorum igitur monasterii fixa charitate honorabatur, tolerabatur, exspectabatur, si quando dedisset Deus in cor ejus spiritum corrigendi. Qua de re vicibus assiduis fiebant orationes missarum vel psalmorum ad Deum pro eo, dum exspectaretur ut aliquando conversus imitator efficeretur sancti avunculi. Astutia vero et simulatio ita in eo redundabat, ut si quis eum nesciret, ex affluentia sermonis illius totius honestatis hominem æstimaret. Fulgebat eloquio, verbis ad omnem gratiam compositis; nihil tamen rectum in opere demonstrabat. Pictor verborum demulcendo furabatur sensus auditorum, ut nescirent evadere de verborum ejus artificiosa calliditate.

Ipse denique me inter alios quamplures monachizavit, et in corde tenero quasi in molli cera gestorum suorum imaginem non imitandam, sed abjiciendam compressit. Triennio autem post meam intromissionem elegantissimum puerum Anscherum, suum postea successorem, monachorum victus unanimitate, gemebundus in cœnobium assumpsit; timebat enim jam tunc, ne puer egregius aliquando suæ contrairet vesaniæ, et idcirco non pater, sed pirata eumdem puerum remisse ac negligenter enutrire fecit, quod illectus juvenili facilitate nullam honestatis portionem hauriret, pro qua, vel per quam ad honoris cumulum provehi potuisset. Puer vero jamdictus tam per se quam per amicos parentumque clientes animadvertens dolos ejus, dedit operam moribus dulcissimis, ut amabilis omnibus haberetur. Domnus vero Gervinus quemdam habebat nepotem, nomine Cæsarium, in S. Remigio monachum factum, cui cogitabat conquirere regiminis successionem. Sed væ tibi, vesana calliditas! tu ipse nunquam abba fuisses, nisi benedicti avunculi tui sancta vita meruisset. Si volebas de tuis hæredem supponere, quare non te talem egisti, cujus gratia tuus nepos ad honorem debuisset ascendere? Vidi multoties, et audivi sæpius quod seniorum monachorum non parva multitudo amare gemescebant illius vesaniam, et ut scriptum est: *Ore suo benedicebant, et corde suo maledicebant* (*Psal.* LXI). Sed jam sufficiat hominis infelicitatem tantisper fore cognitam, ut habeat posteritas exemplum quid fugiat, et de bonis incitamentum ad virtutes capiat. Dicamus de bono si quid fecit. Turrem S. Salvatoris, quæ propter antiquam combustionem crepituris patentibus discissa videbatur, dejicere inchoavit, ut hac deleta meliorem et firmiorem restauraret, statimque secuta est basilicæ magna ruina, quæ omni genti Pontivorum gravem incussit mœrorem; nunquam enim credebatur restaurari posse tantæ honestatis basilica, vel in quartam generationem. Quid plura? statutum fuit ut, propter opus quod putabant irrecuperabile, ad quærenda solatia sumptuum amabile corpus Patris nostri Richarii per vicina castella deferretur, ut devoti populi donariis novum opus basilicæ fundari valuisset. Venit dies hæc agendi. Adest comes Pontivorum Wuido cum multis nobilibus, confluxerat maxima multitudo vicinæ coloniæ ad novum spectaculum. Paratis crucibus et vexillis, antelatis cereis, cum honore competenti levatur sanctus a proprio altari.

[*Maximus ille dolor monachorum pessimus horror*
Vocibus excessit, vox lætitiæque recessit,
Conticuit cantus, mox cœpit surgere planctus,
Sternuntur monachi, memorantur tempora Daci
Qui combusserunt, qui non combusta tulerunt
Esse sibi melius quam quoquam tollere sanctum
Sternitur et vulgus, fit clamor denique multus.
Eheu! quid facimus, scelus hoc per quanta subimus?
Hic noster dominus cœlebs Pater almus opimus
B *Qui semper fuerat sic dives nec peregrinus,*
Dimittet sedem, viduabit claustra et ædem
Et mendicabit, alienas res habitabit?
Hæc sua stat tellus, nobis manet ipse novellus
Charior almifluus qui protegit omne patronus,
Et dimittemus non dando quidquid habemus.
Siste Pater gressum, ne quem patiare regressum
Ante mori volumus, quam te, pastor, careamus
Te proceres plangunt, te plebis pectora clangunt,
Sancte Pater remane, non fiet tempus mane
Quidquid opus fuerit satis hoc latomus habebit
Gaudebit patria, lætabitur hæc tua turma,
Hæc sic dicentes capsam sanctique tenentes,
Cum lacrymis multis altaribus hic viduatis.
C *Cantica psallentes, cum psalmis undique flentes,*
Pignora restituunt quibus omnia gaudia credunt.]

Magnis autem precibus, multisque persuasionibus cor populi ad hoc vix pertractum est, ut amabile corpus beati patroni vel usque abbatis villam ferretur, quatenus devotio plebis ibidem manentis de benedictione beati corporis optabiliter reficeretur, et ipse sanctus multis donis honoratus, sequenti die referretur. Totus simul concurrit Pontivorum populus, æternum opprobrium reputantes, si sanctus longius efferretur. Mane etenim sequenti revehitur sanctus, tantis gaudiis, tantisque cantibus comitatus, ut lætitiæ magnitudinem vox mortalis non posset exponere. Quo suis sedibus restituto, populus Centulensium in unum congregatus pari voto, promD ptoque animo dederunt unusquisque munera sancto, ad restaurationem Ecclesiæ, vel turris, olim dicatæ nomini Salvatoris.

Vaccas atque boves et equos, et oves tribuerunt.
Cappas, mantellos, anulos, vittasque, tiaras;
Cingula, cultellos, manicas caligaque dederunt;
Auribus appensum tribuuntque monile puellæ
Sed nostri cigenti pondera pensant.
Librarum solidos quammultos undique donant.
Rusticus hordea dat, multorum cœtus avenam
Plures dant brasium, vinum plerique dederunt.
Ex his thesaurus fit mercibus amplior unus,
Quem numerare nequit, vel si quis compota novit.

Auxiliante Domino a fundamentis nova incœpta est basilica, et bonorum hominum collationibus dia-

tum fabrica consurgebat. Centulæ quoque habitatores ferventius exsequentes, quotidianis donariis urgebant invicem semetipsos, summo nisu supra vires exercentes ut nemo in dandis solatiis inferior videretur. Gratias Deo, qui dejectam luximus, renovatam et erectam congaudemus; fortiori fundamento, et celsiori fastigio elevatam cernimus.

Præterea cum videret isdem Gervinus in multa se gloria constitutum, et multo curialium vel popularium favore constipatum, putans esse sui meriti honorem, et gloriam patroni Richarii, cœpit vanis adulantium extolli rumoribus, et nihilum computare quod abbas exstiterat, ardenti corde anhelans ut episcopus fieret:

[*Quid plus his referamus, nisi rem jam dicere veram?*
Per data præmissa, per quotidiana promissa
Ambit eam sedem quam dicimus Ambianensem,
Se regnare putans per pontificatus honorem.
Ecclesiam sancti direspoliando patroni
Se iterum exaltat, monachorum de grege saltat,
Se faciens magnum fert fratribus undique damnum.
Obvius est Christus, prosternitur hinc inimicus:
Omnia quæ cepit, cum damno jure reliquit.
Omnibus et hostis ceu plures undique nostis,
Quos exaltavit, hos postea præcipitavit.
Sancti Richarii res multas dilapidavit
Exosus monachis, cunctis exosus amicis,
Pessimus atque sibi qui nollet velle mederi
Ad reprobum tandem certavit tendere finem.]

Fratres etenim diuturna exspectatione fatigati, cum viderent illum ad deteriora semper ferri, diversis modis eum revocare satagebant a destructione et dilapidatione loci, per Widonem comitem Pontivorum, per nobiles Palatinos, per Rainaldum Remorum archiepiscopum, et per alias nobiles personas illum conveniendo, et dejectionem beati quondam cœnobii non sine gemitu conclamando. Quibus ille in faciem blandiebatur, se cito per omnia emendaturum spondens; sed in corde contra eos, qui contra eum querelam deponebant, acriter sæviens. Cumque nulla jam spes de correctione illius remaneret, dedit consilium Remensis Ecclesia, ut domino papæ Urbano, qui eo tempore concilium in Claromonte erat de proximo habiturus, desolationem et confusionem sui loci Fratres nostri, vel per se, vel per fideles legatos aperirent, et majestatis ejus clementiam implorarent, ut monasterium jam pene exinanitum ad aliquam resurrectionis speciem pro sui officii dignitate benignus revocaret.

Factum est ita, et mox successit remedium. Nam dominus papa Urbanus in concilio residens, prolata in eum canonica sententia, baculo abbatis, et monachorum cura spoliando absolvit, adjiciens verbum durum: *Tu abbatiam S. Richarii, quæ nobilis et dives olim fuerat, tam pessime tractasti ut suis ecclesiam ornamentis spoliaveris, et monachos multos tuis vitiis resistentes exsules feceris: unde dignus eras ut omnem gratiam ecclesiasticæ dignitatis ex toto*
A *perderes, veluti ovium Christi mactator, et sanctæ Ecclesiæ dissipator; sed ne bina te ultione ferire videamus, esto contentus Ambianensi episcopatu, quem tam dure acquisisti. Monachis autem S. Richarii sit copia eligendi abbatis, cui tu contraire nulla ratione præsumas. Quod in virtute Spiritus sancti te observare jubemus.*

Igitur tali ingenio, et Romano taliter accepto imperio, deleta est potestas perversoris quievit a nobis virga percussoris, remotum est jugum grave a cervicibus nostris, anno Dominicæ Incarnationis 1096, ind IV. Hæc Dei miseratio Centulæ indulta est. Vir autem callidissimus non ita sopitus est a sua versutia, sed rediens a concilio, omnes qui de istis partibus conviatores aderant, precibus et pro-
B missis concitavit, ut suum casum nemo nobis intimaret, sic per annum integrum nos deludens nomine fallaci usus fuit rebus nostris, donec iterum a Remensi Ecclesia nobis divulgatum est, quomodo fuisset in concilio Clarimontis abbatia denudatus. Quod ubi fratribus palam factum est, convocaverunt eum in capitulum valde renitentem, et aperto sermone renuntiaverunt illi, et ejus obedientiæ; affirmantes quantocius ad papam se clamaturos, nisi penitus locum exiret. Qui videns suas fallacias jam exclusas, et majoris dedecoris cavens periculum, surrexit, baculum deposuit, veniam prostratus petivit, indulgeri sibi quod deliquerat, gemens rogavit. Monachi autem valde amaricati non audierunt vo-
C cem ejus, sed præteritorum et præsentium malorum nimietate instigati, conviciis certis eum insectati sunt, donec locum exiens Abbatis-villam adiret. Exeunti autem a Centulo non fuit qui condoleret vel unus, sed omnes ei maledicebant, gaudentes de ejus dejectione.

[*Sic pius elatus fit postea dedecoratus:*
Nobis infestus sibimet fit valde molestus:
Quam tulerat pestem sibi propinavit eamdem.
Richarii precibus sic corruit hic Gerevinus.]

Obsecro igitur omnes qui horum gestorum fuerint cognitores, ut meminerint quam clara vel honesta superius relata sint, et sciant quod optatius nobis foret bona et veneranda de domno Gervino referre, quam ea quæ superius dicta sunt; sed ut
D posteri certissime sciant quod S. Patris Richarii amatores, et ejus loci fideliter servatores, apud Deum mercedem habeant, et inter homines bonæ famæ laudem retineant. Idcirco studuimus domni Gervini lapsum ad memoriam revocare ut successores ejus noverint adhærentes Richario glorificari, contemptores autem et desertores æterno improperio subjacere. Præterea eidem domno Gervino a fratribus potuisset utique, quamvis ægre, aliqua venia impertiri, si in pœnitudine persistens se male fecisse cognovisset. Sed ut quasi invictum se monstraret, non cessavit nobis et loco nostro inquietudines excitare. Unde illa mox surrexit lis contentiosa, qua voluit abbatiam nostram sibi et successoribus facere quasi jure subjectam, quam ipse XXIV annis libe-

ram tenuerat, et omnium antecessorum suorum temporibus nobili libertate perfunctam optime cognoverat. Noverat Fulconem Ambianensem episcopum abbati Angelranno, et post eum Gervino multis servitiis fuisse obnoxium, et abbates Centulæ non subjectos attendisse, sed patronos. Et certe præfatus Fulco in Remensi concilio a beato papa Leone IX, excommunicatus fuisset, nisi reverendissimus vir Gervinus abbas accurate et prudenter pro illo intervenire studuisset. Noverat Guidonem Fulconis successorem patre comite natum, comitis germanum Hugonis, comitis Widonis patruum, abbati Centulensi, scilicet sibiipsi, multo famulatu exstitisse devotum, et tamen urgente malitia horum omnium se ostendit oblitum, nobilem juvenem Anscherum in abbatem electum novis insidiis appetens, et B qualiter ei resisteret, vel promotionem ejus impediret studiose disquirens. Longum nimis et valde tædiosum est diversitates machinationum ejus exprimere. Idcirco his omissis quomodo finierit, paucis dicamus.

Deficiente sumptu, et omnibus clericis in ejus contumeliam aspirantibus compulsus est relinquere sedem, et ignorante clero vel populo successit Turonis ad Majus Monasterium, ubi abbas Helgaudus honorifice illum excipiens, ad confessionem errati pertraxit; audiens ab illo in cœtu fratrum quanta perversitate, quantaque crudelitate cœnobium S. Richarii destruxerit, moribus et rebus infirmaverit. Quæ postquam nimium ejulando retulit, paucis supervixit mensibus, et IV Idus Januarii de hac vita C recessit.

Ultio non sit ei, maneat sed lux requiei. Amen.

Sunt et quædam utilia quæ chartarum indicio peregisse dignoscitur, sed tam pauca, ut in eorum explanatione tempus terere non placeat. Verum quia de hoc abbate tam tristia digessimus, largiente Christi misericordia de ipsius successore jam prospera narrabuntur, ut ex eo Christi Ecclesia gaudeat in ævum. Amen.

Ego frater Hariulfus monasterii Beati Richarii humilis monachus, hoc de sancti loci nostri nobilitate vel utilitatibus a domno Saxowalo ante plures annos inchoatum opus Deo auxiliante perficiens, obsecro omnes qui in hoc sancto loco militaturi D sunt, imo per virtutem Dei et sapientiam Christum obtestor, ut hæc, in quibus congregandis desudavi- A mus, diligenter ipsi custodiant, et ea qualicunque modo deperire non permittant. Completum est autem istum opus humanitatis Filii Dei anno 1088, indict. x, anno regis Philippi XXVIII, Widone Pontivorum comite annis XXXVI.

Explicit liber IV *Gestorum Centulensis Ecclesiæ.*

(28) Toto corde meo te, Centula mater, amavi.
Traditus a puero, mea sub te colla ligavi.
Fœdera juravi quibus in te vota dicavi.
Pignus habens fidei, tua sat contraria cavi.
Fratribus et dominis tunc lætitiam generavi;
Gesta Patrum scribens, pro viribus ista paravi;
Atque Dei laudes super istis multiplicavi.
Nobilis es palma, quia de te fructificavi.
Ecce tuos natos quot laudibus amplificavi:
Thesaurosque tuos nullis prius æquiparavi.
Richarium sanctum laudando clarificavi.
Cerne piis oculis quam rem tibi magnificavi.
Quo si nobilior, nulli te consociavi.
Conscriptis Patribus fore magnam nobilitavi.
Mater agens famulum, qui te sic mirificavi;
Exime jam culpis, per quas me commaculavi.
Meque tuis socia, quos jure beatificavi.
Fratribus intersim, dominos quos desideravi.
Projiciar nec his quibus antea me copulavi.
Richarius foveat me, sub quo sanctificavi,
Ut Christo placeam, me cui sacrificavi

Expulsorum quos recolo a secundo Gervino nomina sunt hæc: Walterus cognomine Ambrosius. Walterus cognomine Samuel. Walterus, Germanus, Teudoldus, Wido, Bernardus, Willelmus, Erluinus, Hildemarus.

EPITAPHIUM SCRIPTORIS.

[*Pontivo natus, pronus studiis Hariulfus,*
Almi Richarii claustra puer subiit:
In quibus imbutus deceat quid nosse magistrum,
Aldemborgensis tertius abba fuit.
Rem sibi commissam pro viribus amplificavit,
Crescere, Petre, tuis semper opes sitiens.
Fratribus exemplum prætendens compatientis,
Multa nimis tacuit quæque loqui decuit.
Centula quos fratres retinet coluit seniores,
Illis quod sit honor cernere semper amans.
Centula, diligo te, doctricis captus amore;
Ultima cum tibi do munuscula, mater aveto.
Atque vicem referens die noto natu valeto.]

(28) Hæc sunt Hariulfi de seipso verba, epilogi instar ad Centulam monasterium suum.

VITA SANCTI ARNULFI

EPISCOPI SUESSIONENSIS

AUCTORE HARIULFO

COÆQUALI

Et a Lisiardo, episcopo Suessionensi, item coæquali, ut videtur, recognita.

(MABILLON., *Acta sanctorum ord. S. Bened.*, Sæc. VI, parte II, pag. 502, ex ms. codice abbatiæ Longipontis cum aliis collato.)

MONITUM PRÆVIUM.

1. *Insigne monasterium Sancti Medardi Suessionensis hoc sæculo beati Arnulfi meritis et virtutibus illustratum fuit. Hujus beati viri Vitam sub Lisiardi, Suessionensis episcopi, nomine edidit Surius ad diem 15 Augusti, in cujus initio exstat ejusdem Lisiardi epistola ad Radulfum, Remorum archiepiscopum, qua hanc Vitam a se, uti profitetur, conscriptam, ejus censuræ subjicit. Varii item alii codices mss. eamdem epistolam sub Lisiardi nomine præferunt; unde factum est ut eadem Vita ab omnibus fere scriptoribus sub Lisiardi nomine laudata fuerit. Verum si rem attentius expendere libeat, hanc ipsam Vitam sive priores duos libros, Hariulfi, abbatis tertii Aldemburgensis, sincerum esse fetum deprehendemus; quod tum mss. codicum auctoritate, tum etiam nonnullis aliis argumentis ex ipso operis contextu mutuatis probare non adeo erit operosum Et quidem ex variis codicibus mss. in quibus hæc Vita habetur, unus exstat in bibliotheca monasterii Ursicampi, ordinis Cisterciensis, prope Noviomum, ubi hæc ipsa Vita, cum triplici epistola ipsi præfixa, sub Hariulfi nomine reperitur. Earum prima Lamberto Tornacensium episcopo inscripta est, altera ipsimet Lisiardo Suessionensi, tertia denique Radulfo, Remensi metropolitano, quæ quidem ultima eadem est, paucis admodum mutatis, quæ in aliis nonnullis codicibus et in editione Suriana sub Lisiardi nomine eidem archiepiscopo nuncupata legitur. Deinde hanc eamdem Vitam viderat Aubertus Miræus, ut ipse testatur in libello De originibus Benedictinis in Belgio, quam tamen in Catalogo scriptorum ecclesiasticorum, cap. 362, asserit male a Surio ejusque sequacibus Lisiardo Suessionum episcopo fuisse tributam, cum certum sit eam re ipsa ab Hariulfo conscriptam fuisse. Consentit Vossius libro II De historicis Latinis; quin et ex ipsamet Suriana Vita patet eam esse Hariulfi lucubrationem. Ibi quippe sub finem hæc verba habentur :* In calce libelli mei meus cudendus est apologeticus, ut quorum relatu hæc didicerim, quibusve urgentibus hæc scribenda suscipere ausus fuerim, omnibus perspicuum fiat. Primus ex iis fuit quem sæpe diximus, Everolphus, in ejus servitio perseverans, qui cum præsens res ejus certius cognovisset, mecum Aldemburgi manens dies aliquot, cuncta quæ noverat mihi in cera exaranti ordine enarravit. Alter Arnulfus sancti viri ex sorore nepos, et primus abbas Aldemburgensis, quæ ceris impresseram mihi adjumento fuit, ut ea atramento in chartis conscriberem. Tertia denique soror ejus Adzela, quæ illi fuit familiarior, multa de eo nobis indicavit. *Hæc sane nescio quo pacto Lisiardo tribui possent, qui nunquam Aldemburgi commoratus est. Deinde non tantum ea quæ ab aliis visa fuissent scripsisset Lisiardus, sed ea etiam, et id potissimum, quæ coram viderat, cum in præfatione libri De miraculis, asserat se a beato Arnulfo subdiaconum ordinatum fuisse, seque ipse ejusdem beati viri cohabitatorem nuncupet : quin et in eodem libello miracula a se visa passim enarrat.*

2. *Haud tamen dicere velim istud opus Lisiardo penitus esse abrogandum, cum et ipsemet illud sibi ipsi aliquo modo tribuat. Sic quippe in libro De miraculis jam supra laudato, de hac Vita in concilio Bellovacensi locutus est :* Inter cæteros adfuit quoque Aldemborgensis abbas, ferens in manibus libellum de Vita et moribus, miraculorumque gestis ipsius sancti Arnulfi. Quem libellum ego de manibus ejus accipiens aperui, et apertum obtuli episcopis, dicens : « Ecce, domini, libellus ipso me conscio, meque auctore de vita ejus conscriptus est, cui quod vera sunt omnia quæ narrat testimonium in fide perhibeo, *etc.* » *Ex quibus verbis apparet, quod sive Hariulfo, sive Lisiardo id opus tribuatur, nihil detrahitur ejus auctoritati; siquidem Hariulfi, qui tunc erat Aldemburgensis abbas, librum Lisiardus adoptavit, quo conscio et auctore conscriptus fuerat. Cæterum hanc Vitam uno libro comprehensam edidit Surius, cujus, pro more suo, stylum passim mutavit, omissis etiam nonnullis versibus, qui, pro eorum temporum consuetudine, variis in locis narrationi immisti erant. Eamdem unico quoque libro, in quadraginta capita diviso, complectitur cod. ms. Ursicampi cum tribus epistolis quas modo laudabamus. Sed eam ex ms. codice monasterii Longipontis ordinis Cisterciensis in duos libros divisam proferimus, cum tertio libro de ejusdem sancti miraculis et canonizatione. Quæ omnia sub Lisiardi nomine in eo codice habentur, ita tamen ut tertio libro peculiaris epistola præfixa sit, qua suum opus idem Lisiardus Radulfo, Remensium archiepiscopo, nuncupat. Ex quibus omnibus licet conjicere, Lisiardum post beati Arnulfi canonizationem, Hariulfi opus cum libro suo De miraculis et canonizatione ejusdem sancti in unum simul conjunxisse : unde contigerit ut hæc Vita ab aliis sub Hariulfi, a cæteris vero sub Lisiardi nomine postea descripta fuerit. Sed, ut cuivis ea de re judicium liberum permittamus, tres Hariulfi epistolas quæ in ms. codice Ursicampi habentur, Vitæ ipsæ præmittemus.*

3. *Fuit autem Lisiardus ex præposito Suessionensi ejusdem ecclesiæ episcopus, quam sedem iniit anno* 1108, *ut patet tum ex Chronico Alberici, tum ex chartario ms. Sancti Martini de Campis, ubi annus* 1123 *dicitur* XV *ejus episcopatus. Interfuit nonnullis provinciæ Remensis conciliis, cique Guibertus, Novigentinus abbas, Historiam gestorum Dei per Francos dicavit, cum præfixa epistola, in qua multis laudibus celebratur.*

Hariulfus vero is ipse est Chronici Centulensis auctor, qui ex monacho Centulensi Aldemburgensis abbas factus est circa annum 1105, *quo Gervinus pedum reliquit. Præsens fuit concilio Bellovacensi anno* 1020 *habito, in quo beati Arnulfi elevatio episcoporum omnium judicio comprobata est. Idem abbas monasterium suum contra Sancti Medardi Suessionensis monachos egregie defendit, qui illud sibi subjectum esse debere contendebant. Varia etiam diplomata a Flandriæ comitibus obtinuit ad ejusdem monasterii sui possessiones confirmandas, quorum nonnulla exstant apud Miræum in Notitia ecclesiarum Belgii. Ex his duo sunt Theodorici comitis, et tertium Simonis, episcopi Tornacensis, anno* 1130 *data. Præter Chronicon Centulense, et beati Arnulfi Vitam, scripsit quoque Vitam beati Gervini, Aldemburgensis abbatis secundi, et libellum de miraculis sancti Petri, in ecclesia scilicet sibi commissa patratis. Porro hic lectorem monitum velim, Hariulfum istum a nonnullis Arnulfum appellari, quod ex amanuensium vitio contigisse arbitramur, qui pro Ariulfo incaute Arnulfum legerunt; imo et ipse Sanderus in Flandria illustrata, modo eum Arnulfum, modo Hariulfum intra paucas lineas appellat. Sed jam ad beatum Arnulfum recurrat oratio.*

4. *Arnulfus ex parentibus non nobilitate solum, sed et divitiis amplissimis pollentibus natus dicitur initio ejus Vitæ; quem e nobilissima Pameliorum in Belgio familia ortum, asserunt unanimi consensu omnes rerum Belgicarum scriptores, quos Sammarthani in Gallia Christiana secuti sunt. Arnulfum Aldenardensem patruum habuisse testis est Vitæ scriptor; qui ibidem matrem ejus ex illustri comitum Lovaniensium, Namurcensium, Losnensium et Montensium prosapia prodiisse asseverat. Hæc tanta generis nobilitas ex veteri codice ms. monasterii Clarimarisci ordinis Cistercii in Belgio confirmari potest, ubi post beati Arnulfi Vitam, ejus materna ex stirpe genus sic describitur:* Albertus, comes Namurcensis, habuit tres germanas sorores, Lugerdam, Godam, Ermengardam, qui Albertus genuit Godefridum, patrem Godefridi Namurcencis; Lutgarda genuit Emmonem et Ottonem fratrem ejus. Emmo genuit Arnulfum comitem de Lo, et Sophiam ducissam de Hungaria. Ista Sophia genuit Regem de Hungaria, et ducissam de Hui. Otto frater Emmonis genuit Gislebertum de Durat. Goda soror Alberti comitis genuit Meinsindam, matrem sancti Arnulfi episcopi Suessionicæ civitatis in Francia. *In ejusdem sancti Arnulfi Vitæ compendio, quod ad libri tertii calcem dabimus ex codice Longipontano, et habetur quoque in ms. Clarimariscensi, ejus pater Fulbertus Godelef vocatur, mater vero dicitur ex Teutonicorum procerum stirpe edita.*

5. *Aliquot annos jam in militia sæculari transegerat, cum, mortuo patre, vitam monasticam sub Reinaldi, abbatis Sancti Medardi apud Suessiones, regimine amplexus est. Ibi in cella inclusus vixit, donec Pontio, qui post Reinaldi mortem in abbatiam intrusus fuerat, in ordinem redacto, quod totam monasterii substantiam dissiparet, Arnulfus ipse, annuente Philippo rege, in ejus locum suffectus est. Id Dormasius, Historiæ Suessionicæ auctor, factum fuisse putat in ea synodo Suessionensi, in qua abbatiæ Sancti Joannis fundatio confirmata fuit a Manasse metropolitano cæterisque provinciæ Remensis antistitibus; sed nullum exstat ea de re in veteribus monumentis vestigium, et quidem id non prætermisisset Vitæ auctor, qui electionis Arnulfi circumstantias fuse descripsit. Cæterum Arnulfus anno circiter* 1077 *huic monasterio præfectus fuisse videtur. Id ex eo deducimus quod Geraldus qui ei post biennium monasterii regimen dimittere coacto, suffectus a fratribus suis, statim pulsus fuerit a regina, anno* 1079; *Hoc enim ipso anno Geraldus in Aquitaniam se recepit, ubi sub ejusdem anni finem monasterii Silvæ-Majoris fundamenta jecit. Quam vero pie et prudenter Arnulfus monasterium Sancti Medardi sibi commissum administraverit, ex ejus Vita discendum est.*

6. *Dimisso monasterii regimine, vix cupita solitudine frui incœperat Arnulfus, cum iterum ad alias et quidem majores curas revocatus est. Mortuo quippe Theobaldo, Suessionensi episcopo, cum Ursio quidam hanc sedem invasisset, Arnulfus jubente Gregorio VII summo pontifice, in synodo Meldensi huic Ecclesiæ præficitur anno* 1080. *Sed cum in castro Ulciaco, occupata per Ursionem urbe Suessionica, episcopalibus curis sese totum impenderet, ab eodem pontifice Gregorio in Flandriam missus est, ut regionis illius proceres cum Roberto comite eis infensissimo in concordiam revocaret. Id non solum præstitit Arnulfus, sed et multa alia quæ in ejus Vita enarrantur; inter quæ locum, et quidem non ultimum, habere debet celebris monasterii Sancti Petri Aldemburgensis institutio, de quo nonnulla hic observasse juvabit.*

7. *Ferunt Aldemburgum oppidum* (*Outtembourg*) *olim opulentissimam civitatem fuisse, quæ ab Attila Gallias devastante diruta plane ac eversa fuerit. Eamdem calamitatem a Northmannis sæculo nono passam fuisse putant, quo tempore ex ejus ruderibus Brugensis clarissima Flandriæ urbs, muris cincta et munita fuit a Balduino Calvo, Flandrorum comite. Aldemburgensis vero ecclesiæ originem referunt ad beatum Ursmarum, Lobiensem episcopum et abbatem, qui sæculo* VII *exeunte in ea regione Evangelii doctrinam disseminavit. Etenim* Aldo provinciæ dominus ad fidem *Christi* conversus, *ab eodem sancto viro, ut in ejus Vita legitur, eidem* donavit, de suo dictum vocabulo Aldeburch vicum, in quo construxit atque consecravit ecclesiam in honorem beati Petri apostoli, et mille passus undique per circuitum, de quo dotavit postea ecclesiam Lobiensem, *etc. Ea ecclesia, et si perexigua, et ex ligneis tantum asseribus compacta, diu tamen sic perseveravit, usque ad annum scilicet* 1056, *quo oppidi cives miraculorum quæ in ea fiebant frequentia excitati, priori destructa, alteram ex lapidibus construxere, quod his vulgatis versibus exprimitur:*

Anno milleno quinquageno quoque sexto,
Hujus opus templi cœptum cognoscitur esse,
Lignea basilica fuerat quo condita primum.

Quadriennio postea a Rabodone Tornacensium episcopo consecrata est, quod hi duo alii versus indicant:

Christi milleno simul anno septuageno,
Hoc templum Sancti Petri a Rabodone sacratum est.

Verum eadem ecclesia, quæ in prima sui conditione Lobiensibus monachis fuerat tributa, jam ab annis multis in laicorum potestatem devenerat, cum Conon, Roberti comitis cubicularius, eam Rabodoni episcopo Tornacensi, et iste beato Arnulfo, qui, ut diximus, tunc temporis in Flandria dissidiorum componendorum causa morabatur, tradidit; ubi statim vir beatus congregationem monachorum instituit. Id refert ex Vita sancti Arnulfi auctor Chronici Aldemburgensis apud Sanderum in Flandria illustrata, his verbis: Eam nobilis vir Conon camerarius Flandriæ in beneficium castrense possedit, et hortatu Hasecææ conjugis tradidit Roberto comiti, Robertus autem Rabodo episcopo, episcopus, Waltero archidiacono et clero laudante, liberam et expeditam condonavit Arnulfo Suessionum episcopo, illique canonicam de ea fecit investituram. Qui Arnulfus eam dotavit in abbatiam et congregationem monachorum ordinis Sancti Benedicti anno 1084, et præfuit eidem annis tribus. *Primus ibi abbas institutus est Arnulfus, beati viri ex sorore nepos, qui anno* 1095 *e vivis excessit. In eo autem cœnobio præter beatum Gervinum et Hariulfum, alii quoque viri illustres postmodum floruere. Inter quos celebres fuerunt Henricus abbas vicesimus quintus, et Anianus ejus successor, qui*

ecclesiam sæculo decimo quinto restauraverunt. Georgius vero Cabellian Annales monasterii sui ad annum 1574, *quo adhuc in vivis erat, perduxit. Eodem tempore in eo cœnobio florebant duo viri illustres de ordine Benedictino bene meriti, scilicet Jacobus* Byns, *et Arnoldus Wion, qui, anno* 1578, *destructo funditus per hæreticos Calvinianos Aldemburgensi monasterio, in alias provincias abire compulsi sunt. Jacobus in Hispaniam transiit, ubi Hispali xenodochium ad suos contribules recipiendos et fovendos construxit; Arnoldus vero in Italiam secedens, ibi librum de ordinis nostri initiis, progressibus, aliisque ad eum pertinentibus sub nomine Ligni vitæ conscripsit, diuque inter nostros Casinenses versatus in eadem regione defunctus est. Hæc sub Melchiore* Everaert *abbate contigerunt, sub quo monachi huc illucque varia in loca dispersi sunt; sacras vero reliquias, aliaque furori hæreticorum subducta Brugis interea asservabant pauci admodum monachi, qui postea pacatis tumultibus ad monasterium rediere; quod tandem Maximiliani abbatis cura et sollicitudine restauratum est. Sed ad beatum Arnulfum redeamus.*

8. *Institutis in cœnobio Aldemburgensi monachis, concordiaque inter Flandriæ proceres confirmata, Arnulfus ad sedem revertitur: sed cum turbatis Ecclesiæ suæ rebus nihil proficere posset, nullumque a sede Remensi provinciæ metropolitana sperandum esset auxilium, cum ea Ecclesia, post Manassis exauctorationem, Elinando Laudunensi eam sub Philippi regis auctoritate potius devastante quam administrante, sine pastore esset, in monasterium Sancti Medardi beatus antistes sese recepit, ubi inclusi vitam iterum aggressus est. Hæc anno* 1084, *quo ex Flandria rediit, contigisse dicendum est; nam anno sequenti substitutus est Arnulfo Hilgotus, quem legitimum pontificem fuisse nullus inficiatur. Et quidem eo nomine conventui Compendiensi hoc ipso anno* 1085 *interfuit, et ipse in charta pro canonicis Castri-Theoderici annum* 1087 *pontificatus sui secundum appellat.*

9. *Verum emergentibus rursum in Belgio tumultibus, eam regionem denuo adire compulsus est Arnulfus, ubi, compositis dissidentium animis, e vivis excessit ipsa die Assumptionis sanctæ Mariæ decima quinta Augusti, anno* 1087, *atque ea de re nulla est inter auctores controversia. Sepultus est ante altare beatæ Mariæ in sinistra chori parte, ibique ad annum usque* 1121 *permansit, quo Kalendis Maii sacrum ejus corpus e terra elevatum est, atque in theca repositum. Anno* 1457 *Anianus, Aldemburgensis abbas, capsam priore ditiorem construi curavit, in quam cum maxima solemnitate sancti Arnulfi corpus translatum est. Ejus nomen in Romano, Benedictino, Gallicano aliisque Martyrologiis scriptum est. Molanus vero in Natalitiis sanctorum Belgii, et Arnoldus Wion in notis ad Martyrologium, ejus vitæ compendium texuerunt; cujus etiam elogium apud Dormasium Suessionensis Historiæ scriptorem, Marlotum in Metropoli Remensi, Meierum, Miræum, Sanderum et alios passim, potissimum Belgicos scriptores occurrit. Sigebertus, qui eo tempore vivebat, hæc de eodem pontifice ad annum* 1080 *habet:* Hoc etiam tempore in cœnobio Sancti Medardi pollebat signis et virtutibus vir beatissimus Arnulfus, qui pro miro sanctitatis fervore propositum reclusionis eligens, et arcta nimis abstinentia se ipsum affligens, prophetiæ gratiam divinitus accepit, et ex recluso abbas hujus monasterii factus, ad ipsam reclusionem pro contemptu mundi ac desiderio internæ quietis postmodum rediit. Suessionico autem pontifice defuncto, electus est ad episcopatum, et jussu papæ Gregorii, a sedis apostolicæ legato Hugone Lugdunensi archiepiscopo in præsulem est consecratus. *De ejus vero morte sic ad annum* 1087 *loquitur:* Sanctus Arnulfus ex abbate Sancti Medardi, postmodum etiam ad pontificatum civitatis Suessionicæ promotus, pro pacis reintegratione inter Flandrenses Flandriam venit, atque in vico nomine *Aldemburch*, ecclesiam Sancti Petri jam divinis miraculis illustratam, cœnobium monachorum fecit, ordinem regularis vitæ instituit, tandemque in eodem monasterio, et finem vitæ, et sepulturam, secundum quod ipse prædixerat, accepit. *Hæc Sigebertus, quæ non habentur in Miræi editione, sed in ea ad annum* 1086 *hæc alio charactere edita leguntur:* Arnulfus, Suessionicæ civitatis episcopus, spiritu prophetiæ, puritate vitæ, et miraculis venerabilis claruit; et in Aldenbort in ecclesia Sancti Petri Dei nutu sepelitur. *Eumdem sanctum virum laudat Trithemius in Chronico Hirsaugiensi ad annum* 1084. *Sed jam ipsa ejus Vita proferenda est, cui tres Hariulfi epistolas ex codice Ursicampi, ut polliciti sumus, præmittere visum est, quas ad nos humanissime transmisit anno* 1687 *R. P. domnus Nicolaus Perempertus, ejusdem monasterii Cisterciensis ordinis monachus.*

EPISTOLÆ TRES HARIULFI

ABBATIS ALDENBURGENSIS

Præfixæ Vitæ sancti Arnulfi episcopi Suessionensis.

I. *Epistola ad Lambertum episcopum Tornacensem.*

Domino LAMBERTO Dei gratia Tornacensium episcopo, filiorum ultimus HARIULFUS, salutem.

Regalia fercula, quamvis auro et argento fulgeant, quamvis saporibus peregrinis et aromaticis odoribus redoleant, nisi salis condimento temperentur, contemptui potius quam delectationi proveniunt, sic architecti peritia, si in suis ædificiis æquos limites excesserit, vel linearum tramites justo libramine non servaverit, frustra se laborasse sero pœnitebit, dum et peritiæ palmam amiserit, et fabricæ jacturam dolens incurrerit. His ita consideratis et paris periculi formidans eventum, tibi, o præsul venerande, o Pater hilarissime Lamberte, præsentis opusculi offero xenium; tibi ceu fido pastori, ingenioli mei frugigenum committo vellusculum, ut vestra pontificalis auctoritas det robur et fiduciam his ad utilitatem sanctæ Ecclesiæ legendis, cognoscendis et imitandis, ne propter agricolæ abjectam indignitatem, cives deliciosi novellæ segetis conculcent fecunditatem. Tanta enim spinarum densitas, et veprium asperitas, id est, impugnantium nequissima stoliditas, me hactenus contorsit et compedivit, ut nil aliud quam tristem fugam tractare animo liberet. At postquam gratia cœlestis ad pontificalem gradum in gemina sede Tornacensium Noviomensiumque vestram paternitatem promovit, statim spinæ et tribuli, quibus fortiter stimulabar, arescere et succidi cœperunt. Statim mihi valde contrito pax nova exorta est, et immensas

ago gratias Christo et vobis, quoniam sicut ranæ ad vocem tonitrui conticescunt, sic affligentes me in initio vestri præsulatus, vestræ mox pietatis formidine sopiti sunt et relisi. Igitur quia per vos quamdam vivendi libertatem recepi, in diebus pacis, quibus jugum inimici vestra auctoritate computruit, hunc compegi libellum de Vita et virtutibus electi viri domni Arnulfi Suessonici episcopi, mira Dei pietate nobis collati, nostroque in loco proventu divino humati. Hunc denique pavens tota certe veritate suffultum, primum vobis, uti fas est, tribuo promulgandum, quatenus vestri censura imperii aut sanctis Ecclesiæ filiis innotescat, aut certe intra domesticos fines mole silentii comprimatur. Si ergo lux gratiæ Dei, hoc opusculum cognitione dignum effecerit, per vos et a vobis viam progrediendi accipiat. Quod dum clementi judicio duxeritis laude dignum, obsecramus ut domino nostro, fratri et coepiscopo vestro Lisiardo, Suessionico antistiti, prorogare non pigritemini, qualiter vestro et illius officio nobilibus arcis Remorum visibus propagetur. Valete.

II. *Incipit ejusdem epistola ad Lisiardum, Suessionis episcopum.*

Omnimode probitatis floribus enitenti sanctæ Suessorum Ecclesiæ episcopo LISIARDO, H. sub titulo abbatis, servus sancti Petri apostoli, salutem et jugem in oratione fratrum memoriam.

Ut vestræ paternitatis reverentiam his interpellemus affatibus bina nos congruæ rationis causa permovit. Una quidem, quia præsentis negotii notitia vos non modica fulcit, vitæ scilicet, et virtutis meritorumque domini nostri, prædecessoris vestri Arnulfi episcopi; altera vero, quia etsi vobis nunquam notus fuisset, tamen quia illum Deus mirabilem cultu justitiæ fecit, quidquid de illo sanctum authenticumque potest dici vel describi, vestro debet testimonio roborari. Authenticum autem haberi jure sentimus quidquid ab antiquorum sanctorum gestis et virtutibus secundum rationabilem similitudinem non abhorret. Libellum itaque de Vita et miraculis almifici viri Arnulfi, ejusdem cui Deo auctore præestis Ecclesiæ antistitis, ad notitiam sanctæ matris Ecclesiæ proferre cupientes, huncque legitimo calle per manum domni Lamberti Noviomensis ac Tornacensis episcopi ad audientiam metropolitani perducere satagentes, ratum taxavimus eumdem prius vestro exhibere examini, scientes profecto, quoniam quæ vobis veritatis libramine placuerint, sanctæ quoque Remensis Ecclesiæ nullatenus judicio displicebunt. Horum itaque veritas vobis non ignota vestræ auctoritatis obtentu liberius pateat, et in cordibus eorum qui hanc perceperint relationem, respectu vestræ experientiæ uberior credendi fiducia oriatur. Non enim inanes nænias hæc pagella resonabit, sed opera virtutis, quæ soli Deo competunt, et quæ duce Spiritu sancto omnem fidelem animam ad virtutis exercitium valeant provocare. Munus igitur, quod vestræ discretionis examini pio ausu committimus, latius propalare, fideliter procurate, ut cognitio pietatis, quæ quondam illuxit vestræ menti, ad aliorum præcordia vestro ministerio diffundatur. Valete.

III. *Item ejusdem epistola ad domnum Radulfum, Remensem archiepiscopum*

Venerabili et charissimo Patri atque domino Radulfo, Dei gratia sanctæ Remensis Ecclesiæ archiepiscopo, omnium abbatum peripsema Hariulfus, salutem et omnium bonorum plenitudinem.

Frequens videndi et audiendi usus patefecit mihi vestræ scientiæ pelagus immensum, et vestræ prudentiæ cor ad omnia discretum, amorem quoque provectuum sanctæ Ecclesiæ, et in his quæ corrigenda sunt tenorem disciplinæ. Idcirco tot vestrarum virtutum adminiculis confortatus, præsumpsi opusculum peritis scriptoribus merito reservandum, non typho elationis, novit Christus, sed obtentu utilitatis, ut per meæ pusillitatis obsequium qualitercunque palam fierent opera Dei, quæ sapientes et docti hactenus neglexerunt sustollere de profundo silentii. Cumque ad hæc exaranda aciem mentis dirigerem, palpitabat animus præ timore; sed cum retractarem, quod ille meus timor fraternæ foret utilitati obstaculum, reducebam cor ad altum vestræ discretionis obtutum, sciens procul dubio facilem veniam patere temeritati, quæ accidit germanæ famulando charitati. Donet itaque vestra paternitas veniam præsumptori, qui talia nitens vestro per omnia studuit decori. Donet vestra auctoritas gratiam et vigorem horum propalatori, ne ob sui vilitatem subjaceat rubori. Porro de istorum veritate nullius mens vertatur in ambiguum, quoniam tam exquisita ab illis qui interfuerunt, et ad liquidum sunt comperta, ut in omnibus sit veritatis constantia certa. Et quoniam ratum habeo Ecclesiarum provectum vos ante omnia sectari; quidquid in his minus comple prolatum est, vestræ vestrorumque committo sophiæ, ut per nobile Remensis acumen eloquii fiat elimatum, quod per meam socordiam resonat impolitum. Vitæ igitur sanctitatem, et virtutum opera, quæ Christus Dominus novellis temporibus suo militi Arnulfo contulit, ex aliqua parte narraturus, omnium artificem bonorum mihi opto adesse Spiritum sanctum, ut ad hæc referenda benignus repleat os meum laude sua, qui, ut talia operaretur, ejusdem servi sui præcordia illustravit luce sua. Admittant hanc incultam dictionem ad sanctæ fabricam Ecclesiæ, lege silvestrium lignorum; facundissimarum periti lectionum, ut in domo Domini pili caprarum locum habeant et magnæ domus vasa diversa, prout competit, suis officiis non fraudentur. Vitam vestram, vestrumque primatum incolumem carne et spiritu conservet Deus noster in longum. Amen.

INCIPIT PROLOGUS IN VITA S. ARNULFI

SUESSIONENSIS EPISCOPI.

Venerabili et charissimo Patri atque domino Radulfo, Dei gratia sanctæ Remensis Ecclesiæ archiepiscopo, omnium episcoporum infimus Lisiardus, salutem et (29) totius sanctæ obedientiæ plenitudinem.

Frequens ac celeber vos videndi et audiendi usus patefecit multis, inter quos et mihi, vestræ scientiæ pondus immensum, vestræque prudentiæ cor ad omnia discretum, amorem quoque provectuum sanctæ Ecclesiæ et in corrigendis tenorem disciplinæ. Idcirco tot vestrarum virtutum studiis confortatus, veridicorum etiam testium multiplici relatione informatus, nec non rerum magnitudine instigatus, præsumpsi opusculum doctis scriptoribus merito reservandum, non typho elationis, sed obtentu utilitatis, ut per meæ exiguitatis obsequium, qualitercunque palam fierent magna opera Dei, quæ sapientes ac docti hactenus neglexerunt de profundo sustollere silentii. Cumque ad hæc exaranda aciem mentis dirigerem, palpitabat animus præ timore, sed cum vigilantius retractarem, quod ille meus timor fraternæ foret utilitatis obstaculum, reducebam cor ad vestræ discretionis intuitum, sciens procul dubio facilem veniam patere temeritati, quæ accidit germanæ famulando charitati. Donet itaque vestra paternitas veniam præsumptori, qui talia nitens vestræ per omnia studuit Ecclesiæ decori. Donet vestra auctoritas gratiam et vigorem horum propalatori; ne ob sui vilitatem subjaceat rubori. Porro de istorum veritate nullius mens vertatur in ambiguum, quoniam tam exquisita ab illis qui interfuerunt et ad liquidum comperta sunt, ut in omnibus sit veritatis constantia certa. Quidquid vero in iis minus compte prolatum est, vestræ vestrorumque [*al.* nostrorumque] committo sophiæ, ut per nobile Remensis acumen ingenii fiat elimatum, quod per meam socordiam cernitur impolitum. Vitæ igitur sanctitatem et virtutum opera, quæ Christus Dominus nostris pene temporibus suo militi Arnulfo contulit, ex parte narraturus, omnium artificem bonorum invoco Spiritum sanctum, ut ad hæc referenda benignus repleat ora nostra laude sua, qui ut talia perageret, ipsius servi sui præcordia illustravit luce sua.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI PRIMI.

(29) In altero codice et apud Surium habetur, *et omnium bonorum plenitudinem.*

INCIPIT VITA.

LIBER PRIMUS.

CAPITULUM PRIMUM.

I. Per id temporis, quo regio Flandriæ Balduini (30) comitis et conjugis ejus Adelæ regimine ornabatur, regnum Francorum moderante Henrico filio Roberti regis, et Anglis regnante Edwardo pio rege, fuit vir, nomine Folbertus, in pago Brabantiæ circa fluvium Scaldum, qui non solum generis spectabili nobilitate, sed et rerum copia mundanarum ditatus inter cæteros compatriotas, tam mente quam corpore, per omnia inclytus existebat. Qui ex more nobilium digno matrimonio sociatus, ex nobilissima conjuge, nomine Meinsinde, genuit filium elegantem, quique jam adultus et armorum gestui aptissimus ex præsenti luce est ablatus; cujus mors gravissimum patri ac matri omnique domesticæ clientelæ incussit mœrorem, adeo ut annuali tempore illum deflerent et incessanter lugerent.

CAPITULUM II.

Jamque menses aliquot in hoc dolore defluxerant, cum ecce in somnis apparuit eidem matronæ vir speciosus, et luce micanti fulgidus, dicens ad eam : *Quid teipsam mœrore afficis, et inutili tristitia deprimis pro filio tam utiliter mortuo, quem si spiritum vitæ ex te accepisse cognosceres, profecto a te factum vel plasmatum non immerito plangere vel lugere debueras. At quem supernus Conditor secundum incomprehensibile æquitatis judicium substulit de hac vita, tu quomodo lugere præsumpsisti? Pro cujus obitu nullum tu deinceps cordi tuo admittas dolorem; imo potius grandi lætare gaudio, quoniam in utero gestas puerum, quem superna electio præordinavit magnum futurum. Hunc dum tu in lucem protuleris, Christophorum vocari optabis; quoniam revera idem puer ad hoc est præscriptus, ut operibus et verbis suo Christum in pectore ferat. Et ut certo scias hæc ita divinitus præfixa, vadens ad ecclesiam, in eo loco ubi orare solita es, fodere fac, et fossa humo invenies laterem magnis litteris sculptum, quæ litteræ tibi prodent tui partus nomen et meritum.*

CAPITULUM III.

At matrona tantæ laudis percepto oraculo a somno evigilans, cum ingenti stupore et mirabili gaudio visionem enarravit marito, ac demum, ut comprobaret cœlestium fidem verborum, assumpsit famulos cum fossorio; et pergens ad ecclesiam, in eo loco ubi supplicare solita erat, fodere fecit, lateremque quadrum invenit, altis litteris exaratum ita, A Christophorus. Quo reperto, majori lætitia afflata est, et jam secura de prolis sanctitate, quoniam antea nesciebat se concepisse, alacriter exspectabat divinæ operationis munus tam honestum. Tempore igitur opportuno peperit filium repromissum, cum magna lætitia genitoris et propinquorum, quem etiam de sacro fonte suscipiendum secundum morem direxerunt ad Arnulfum Aldenardensem (*d'Oudenarde*), divitiis tunc et potentia inclytum virum. Hic lætanter suscipiens puerum, mox acceleravit impertiri illi sacræ regenerationis lavacrum, et ex nimio propinquitatis amore, fastuque jactantiæ, non permisit ut nominaretur Christophorus; sed sibi æquivocum nominari fecit Arnulfum. Cui quidem, etsi defuit nomen Christophori, virtus tamen Christum ferendi de die in diem semper excrevit. B Nam dum studiose satisque accurate nutriretur, die quadam supervenit quispiam peregrinus, veterana canitie respersus, qui eumdem infantulum benedicens, ac quasi balba locutione alludens, ait ad nutricem : *Hunc parvulum magna diligentia summaque munditia enutrito; quoniam Christus Dominus cor ejus habitando, virtutem operum suorum per hunc populo suo decrevit annuntiare.* Tantis ac talibus auspiciis ugente Deo meritum illius, et futura gloria propalabatur, et antequam faceret opera Domini, jam qui facturus erat divini favoris laude anticipabatur.

CAPITULUM IV.

Denique adultus cœpit esse blandus alloquio, C acutus ingenio, promptus obsequio, alacer in opere, efficax et fortissimus in membrorum robore : tantaque virium excellentia, ac corporis agilitate eminebat, ut quatuor aut quinque coævorum viribus excederet, et illum omnes Arnulfum-Fortem nuncuparent. Quem pater aut mater cupiebant tradere studio litterarum; sed cæteri propinqui resistebant plurimum, et maxime supradictus Arnulfus Aldenardensis, et paterno sanguine propinquus ejus, nam materna prosapia ex comitum gente [*al.* genere] derivabatur, scilicet ducis Lovaniensis, et comitis Namurcensis, Losnensis, Dusacensis atque Montensis. Hac tanta nobilitate ornatus Arnulfus-Christophorus, sic enim illum mater, memor divinæ sponsionis, maluit appellare; quidquid in se elegans D prætulit ac jucundum, totum cupivit ad Domini redigere famulatum. Optabant igitur propinqui illius, magis in rebus bellicis eum habere tironem,

(30) Balduinus Insulanus dictus, qui Philippi regis adhuc junioris tutor fuit. Adela ejus uxor, Roberti regis Francorum filia, Messinense nobilium virginum Benedictinarum monasterium condidit prope Ipras, ab Alexandro II velum suscepit, ac tandem in dicto parthenone pie obiit an. 1079. Apud ejus ævi auctores passim laudatur.

quam ecclesiasticorum graduum mancipari consortem. Inde factum est ut sæcularis militiæ cingulum cum grandi exsultatione charorum susciperet, spiritualia post modum arma viriliter subiturus. Susceptis itaque juxta votum amicorum ritumque nobilium militiæ signis, studuit pietatis fœdera retinere, in subditos pius, in gratiam indigentium profusus, in judicio misericorditer rectus, in auscultandis divinis officiis summo nisu sollicitus, in amore compariuma mirabiliter gratus, in Domini timore fundatus, in parentum honore studiosus, omniumque, qui noverant eum, amore præcordialiter fretus.

[Ad (31) ostendendam corporalem ejus fortitudinem licet plura suppetant, nos tamen nonnisi duo succincte expediemus. Cum enim opera Domini universa sint bona valde, illius quoque roboris seu virtutis cognitio materia erit laudis Dei, qui eam illi contulit; simul etiam accedet ad cumulum gloriæ sancti hujus, qui ea non ad mundi vanitatem et insanias falsas, cum posset, abusus est; sed contemptor ejus, et quæ ex illa comparatur, mundanæ gloriæ, totus ad Dominum conversus est. Enim vero in sanctis etiam corporalia Dei dona prædicantur, nobilitas commendatur, opulentia extollitur, non quod hæc beatitudinem illis contulerint, sed quod eorum contemptu, quibus ad malum potenter abuti poterant, sed noluerunt, gloriosiores et illustriores evaserint. In aula igitur imperatoris apud Trajectum frequens erat conventus sæcularium, mundano fastu tumentium, et in iis comes Flandriæ inter præcipuos summus. Is cum exoccupatus quibusdam hora opportuna occurreret, ut juvenilis fervor assolet pro captando inani favore mira facilitate agi, exsurgit hinc inde militaris cohors, jactandisque lanceis non sine virium attenuatione alius alium vincere summopere contendebat. Inter hos conatus animosi et audaces arcus frangunt, et imperatoriis militibus in hoc conflictu fere superioribus, dum Flandrenses nihil egregium, quod celebris eorum virtutis quoddam esset probamentum sive documentum, efficiunt, parum absunt ab opprobrio et ignominia. Aderat tunc in comitatu Flandrensium vir egregius Arnulfus, qui ætate quidem juvenis, sed senili prudentia et gravitate pollens, nulla instar illorum levitate movebatur. Quidam igitur virtutis ejus, cui nulla in Germanorum regno comparari poterat, conscii, ipsum adeunt, et ut ludicro certamini apponat manum non tam rogant quam cogunt. Adduntur precibus præcepta majorum et seniorum, quibus ille coactus in re, etsi ipsi nihil profutura, non tamen cuiquam nocitura, obedientiam pertinaciter negare frivolum ducens, lignum, quod in vertice mali positum velum continet, afferri curavit. Allato ligno, quod lanceis multo longius et crassius esset, ille cunctis stupentibus assurgit, et molem illam, atque pondus potius quam lanceam, ut multa concutiens procul conjicit. Mox strepitus et clamor omnium in

A laudem viri exsistit, et Flandrensibus eo in ludo sine periculo victoria cedit, nam juxta illud poetæ :

Ludus enim genuit trepidum certamen et iram,
Ira truces inimicitias et funebre bellum.

(Horat. *Epist.* lib. I, epist. 19. vers. 48, 49.)

Ejusmodi in aulis regis fiebant conflictationes, joco quidem initio susceptæ, sed persæpe in luctum et homicidia desinentes. Quod idem profecto levibus hominibus et mutuo tumore inflatis facile etiam his evenire potuisset, si non hunc ludum vir virtutis Arnulfus diremisset. Cum seniore suo Arnulfo Aldenardensi quandoque, ut crebro solebat, proficiscens, ad iter arctissimum pervenit, ubi plaustrum feno onustum, viæ angustias occupans, omnem transitum prohibebat. Itaque sociis ejus alio B se conferentibus, solus cum armigero suo mansit illic, partemque feni in terram abjicientes, et aliam cum plaustro manu sustollens, in eum locum, quem vepres et spinæ obsidebant, et iter angustum faciebant, longiuscule transposuit : atque ita viæ obstacula iter agentibus non minus facile quam benigne amovit.]

CAPITULUM V.

Omnia denique militiæ studia percurrit, imperialibus seu regalibus bellis interfuit, in principum curiis quaquaversum veniens facundus causidicus enituit. Brabantinas atque Flandrenses lites, seditionesque obice suæ prudentiæ multoties diremit, atque tremore suæ incomparabilis fortitudinis compressit, C dum non esset qui illius viribus, seu verbis ratione validis obviare tentaret. Ab imperatore Romanorum, a rege Anglorum et a comitibus propinquis amplas possessiones rerumque procurationes ac illustrissima matrimonia sibi oblata semper recusavit, memor videlicet quia non ad usum sæculi, sed ad laudem gratiæ Dei Christophorus vocari meruisset Et quoniam tot et tanta virtutum genimina, quæ divina in eo seminavit gratia, non poterant in latum fructificare, mortali retardante militia, eleganti concepit consilio, ut labor et cura militiæ in meliorem usum verteretur, et illa stipendia poscerentur, quæ vitæ et laudis nullum finem sentirent. Itaque convocatis duobus armigeris suis, jubet quantocius omnia armorum vasa aptari, qualiter cum eximio decore et D pompa decenti, curiam regis Francorum valeret adire. Parent armigeri imperanti, præparant equos, arma componunt, omnia strenuo militi digna assumunt. Tunc Arnulfus valefaciens matri (nam antea pater obierat), arripuit iter versus Franciam, neglecta curia regis tunc Philippi, festinus expetit ecclesiam almi Medardi confessoris, sitam juxta muros Suessionicæ civitatis. Erat tunc in eodem cœnobio præclara monachorum congregatio, quorum honesta refulgebat institutio, digna Deo immolans laudum sacrificia sub abbate Renaldo. Hujus vero congregationis prudentes fratres, tam Dei quam mundi astutia callentes, et coram Deo atque coram hominibus bona providentes, (nec enim esse pote-

(31) Quæ hic uncinulis inclusa habentur, ex Surio descripsimus.

rant moribus inculti, qui totius Franciæ et Romanæ vel Remensis curialitatis erant frequentatione suffulti) supra dictum virum, devotione præcipua ad Christum festinantem, devote, ut par erat, excipiunt, atque militiæ cingulum respuentem, armaque cum vestibus cultissimis quas attulerat ad ecclesiam conferentem attondent, ac tonsoratum in habitu regulari crucis Christi mortificationem amiciunt. Jam vero monachum factum, et vere huic mundo crucifixum, litteris erudiunt, legibus ac præceptis Dominicis informant, cunctisque sanctionibus exornant. Quæ ille omnia in antro interioris hominis adeo recondidit, ut semina verbi Dei nec secus viam, nec in petrosa, nec inter spinas cecidisse sequens vita ejus prodiderit.

CAPITULUM VI.

Jamque annuum cursum in regulari tramite peregerat, et ob majorem devotionis atque obedientiæ probationem, injungitur ei cura eleemosynæ, et alendorum pauperum sollicitudo. Dignum plane negotium, ut ei cura pauperum committeretur, qui et misericordiæ visceribus afflueret, et liberalis per omnia haberetur. Pro qua causa, dum die quadam prædium ad agapem (32) deputatum solus inviseret, cuncti canes vici adjacentis in eum subito insiluerunt, dentibus rabidis illum dilacerare cupientes. Quibus manu extensa innuit ut se sequerentur, et sic rabiem in obsequium commutantes sensu placido perrexerunt, et quandiu ibi mansit cum eo manserunt, ac tandem illo revertente simul redierunt; nec aliquem in ejus præsentia morsu vel latratu insectati sunt. Cœpit interea valida se mortificatione carnis constringere, vigiliis et jejuniis operam dare, orationibus prolixis cum lacrymis insistere, et sese omnibus probabilem exhibere. Et ut funditus sibi risum motumque lætitiæ temporalis exstingueret, asperrimo et nodoso spinosoque tribuli ramo corpus suum sub veste præcinxit, membra viriliter macerans, et mentem ad cœlestia dirigens vultum tamen hilarem et jucundum omnibus prætendens. Quadam vero die in conventu fratrum quiddam proloqui volens, non potuit more Francorum ad unguem exprimere verbum, idcirco dixit ei abbas, ut ad horam sileret, ne scilicet utilitas causæ differretur, si latius inde tractaretur. Quod tacendi mandatum corde simplici et zelo veræ obedientiæ per aliquot menses servavit, nulli dans verbum, nulli reddens responsum, donec a fratribus nuntiatum est abbati quod omnino mutus esset. Et abbas eum evocans ac requirens cur taceret, didicit diuturni causam silentii fuisse mandatum ab eo injunctum silendi. Qui admirans renovatam in hoc Pauli (33) simplicitatem, et congaudens fervori ejus circa obedientiam, præcepit ut causa ædificationis interim fratribus exhiberet obsequium collocutionis.

A

CAPITULUM VII.

In eodem monasterio erat tunc temporis monachus quidam, nomine Ercmboldus, propter divinum amorem reclusus, qui de gente Flandrensi ortus duram et austeram vitam ducebat, divinæ contemplationi incessanter anhelans. Huic Arnulfus sollicite obsequebatur; non quia famulantium copia deesset, sed ut magis arctiora sancti fervoris argumenta ab illo hauriret. Cumque post multos continentiæ agones ad vitæ mortalis finem jam tenderet, viribus corporis cœpit destitui, et valido angore urgeri: tunc amabilem Arnulfum sibi indefesse ministrantem rogavit, ut modicum lactis sibi provideret, quo imbecille corpus vel ad punctum recreare debuisset. Quod Arnulfus implere festinans, tulit panem unum ex his B qui pauperibus erant deputati, quo pane comparatum hac obtulit servo Dei. Ille quidem sumpsit, sed ex eo parum profecit; nam et morbus et ætas illum graviter deprimebant; imo potius dispensatio cœlestis ad requiem promerendam divino verbere coaptabat, quæ flagellat omnem filium quem recipit. Hunc itaque oravit Christi miles Arnulfus, ut post suam mortem statum suæ retributionis et animæ suæ habitum demonstraret. Ac ille, quod fidei calore et proficiendi amore præsumptum agnovit, se impleturum fideliter promisit. Et cum a sæculo emigrasset, secundum promissionem sæpe fato servo Dei Arnulfo gloriosam de se præbuit visionem, alacrem et gaudentem, beatæque requiei se conjunctum lucifluæ demonstrans. Cui Arnulfus ait: *Pater, quid* C *agis? aut qualiter tecum fit? vel aliquam pœnam pro quo reatu pertulisti?* At ille respondit: *Causa illius lactis per te mihi ministrati, et parumper a me comesti, aliquid pœnarum sustinui; idcirco quod idem lac de substantia pauperum comparasti. Sed tam hoc, quam et omnia mea sunt remissa peccata, et beatorum gaudia condonata.*

CAPITULUM VIII.

Hac siquidem visione venerabilis Arnulfus admodum fervefactus, incaluit multum ad divinæ servitutis cultum, et deinceps non quievit a precibus, pulsans abbatis voluntatem, donec impetravit quod optabat, ut scilicet eamdem subintraret secretæ conversationis reclusionem. Hoc potitus desiderio, factus D est Christi bonus odor in omni loco, et ejus exempla sequentes multi, de longe et de prope manasticam conversationem certatim expetebant. Eodem quippe tempore Tedbaldus (34) nobilis adolescens, clam diffugiens a comparium consortio, exsul et pauper Domino militavit; et coronam præmiorum exemplo consecutus, victoriam qua nunc fulget, in multorum mentibus plantavit. Quis enim audiens Arnulfum, militum scilicet majestatem et sæculum respuisse, non continuo amore sæculi solveretur? Quis, inquam, facile poterat non mirari hominem genere

(32) Id est, ad refectiones quæ causa charitatis dabantur.

(33) Paulus, cognomento Simplex, cum a beato Antonio jussus fuisset silere, septem annis non locutus est. Celebris est apud veteres, cujus Vitam scripsit Palladius in Lausiaca et Rufinus in Vitis Patrum. Adi Bolland. 7 Martii.

(34) Is est dubio procul S. Theobaldus ex Campaniæ comitum familia ortus, cujus Vitam supra dedimus ad ann. 1066.

nobilem, amicis potentibus fultum, statura procerum, vultu decorum, cui mundus favebat, quem tota sæculi gloria sequebatur, tam repente conversum, ut de summis divitiis ad infimam paupertatem tractus amore Christi semetipsum dejiceret. De regione quoque Flandrensi et Brabantia, multi tam clerici quam laici sacrum beati Medardi monasterium expetebant; ideo quod monasticus ordo in illo loco tunc florebat, et quod venerandi alumni Arnulfi jam reclusi dilectio quam maxime illos attrahebat. At ipse de virtute in virtutem quotidie succedens, et quod hactenus fuerat pro nihilo ducens, cellulæ reclusionem delicias paradisi existimabat, et continuam corporis afflictionem non dolorem aut miseriam, sed gloriam et voluptatem computabat. Unde ecclesia [*al.* cella] egrediens, atque extrinsecus sub divo fossam faciens, resedit ibidem, ita ut stillicidium de tecto ecclesiæ super caput ejus et collum decideret et quoties pluvia aut nives defluebant, sedem fossæ non mutavit, neque gelu neque frigus declinans; sed ad omnem aeris incommoditatem perseveranter orans et psallens, gemens et plorans, lectionique interdum vacans ibidem consistebat. Tribus igitur annis et mensibus sex nullum mortalibus locutus est verbum, continuo strictus silentio, et delectatus in cœlesti contemplatione atque assidua verbi Dei meditatione, quam solus legens ex divinorum copia librorum ubertim hauriebat. Cujus instantia proficiens, et auxilio gratiæ Dei præcedente multum exuberans, non mediocriter sapiens fiebat, prudenter intelligens et efficaciter capiens divinorum sententias sermonum, tanto Deo propinquior, quanto ab humanis remotior. Deditque operam ut scribendi notitia frueretur, nec non dictandi peritiam non contemnendam acquisivit. De cibo et potu quid referam? cum diuturna jejunia magis illi complacerent quam deliciosa fercula. Panis ex hordeo semitrio, raro et parce sumebatur, alius nunquam. Aqua squalens erat potus, et neque quotidie apponebatur, neque apposita ad satis sumebatur

CAPITULUM IX.

Interea fungitur abbas Renaldus, et instigante spiritu ambitionis, Pontius quidam pseudomonachus, gradu comparativo non secundum grammaticam, sed secundum simoniam a rege Francorum Philippo nomen et sedem Abbatis adipiscitur. Qui Pontius nimis fluxe atque dapsiliter agens, cunctam loci substantiam in brevi exhauserat, ecclesiæ quoque ornamenta, quæ præcipua erant, in usus militum se stipantium expenderat, et pene omnia quæ ad decorem domus Dei pertinent vesanus effuderat. Quid plura? ingruente inedia, defeceratdivinæ laudis officium in ecclesia: et illa quondam famosa beati Medardi basilica, ad tempus facta est opprobrium vicinis suis. Tunc fratres sanioris [*al.* senioris] consilii in unum congregati, tractabant quid medelæ opus esset ad tantam perniciem. Reperiunt bonum fore, si assumpto episcopo sedis Suessionicæ cum primariis loci, majestatem regiam implorent, quatenus cœnobii prisca nobilitate fundati, et per Pontium modo destructi, clementer misereatur, pretiosorum martyrum confessorumque corpora ibi consistentia revereatur; jubeatque, ut ejecto Pontio, non abbate sed tyranno, dignus Pater ovili Dominico provideatur. Sicque facientes, et mox regis mentem pronam ad clementiam inflectentes, communi consilio fratrum atque ecclesiæ casatorum (35), concordante clero ac populo, elegerunt in abbatem servum Christi Arnulfum. Tunc pontifex Thebaldus (36) cum fratrum caterva pergit ad inclusum, et præmissa oratione solemni, alloquitur illum episcopus, rogans et obsecrans, monens et imperans, ut votis fratrum acquiescat, et abbatis curam locumque in Christi nomine exerceat. At ille, qui annis jam tribus et mensibus sex conticuerat, nimium expavescens, tabellam arripit, et scriptitat in ea tale responsum: *Rogo, fratres charissimi, parcite mihi, et me peccatorum mole pergravatum sinite aliquem offerre Deo pœnitentiæ fructum, nec me insulsum, ullo modo cogatis ad tale onus suscipiendum. Quod si meam modo petitionem implere non vultis, vel inducias mihi usque mane largimini; quo valeam explorare circa hoc voluntatem Domini.* Tale responsum scripto suscipiens episcopus cum clero vel monachorum choro, advertit callidum quid in ejus mente versari. Datis tamen induciis, custodes ne nocte fugeret in circuitu cellæ disponunt. Verum ille altis gemitibus crebrisque suspiriis noctem trahens pervigilem, ubi advertit custodes grato sopore sopitos, scalam conscendens de muro abscedit fugiendoque errans, et qua fugeret ignorans, tandem devenit in quamdam villam subtus montem Lauduni, intransque cujuspiam hospitium pauperis quievit. Veniente hora cœnæ defuit aqua. Ille injussus arripit amphoram, pergens ad puteum haurit aquam, defert in domum, omnibus servit, omnibus ministrat, mutus tamen omnino perseverat.

CAPITULUM X.

Circa vesperum rediit homo ab urbe Suessionica, et dum cœnaret, cœpit enarrare quæ vulgo referente cognoverat, dicens: *Multus rumor multaque turba agitabatur per populos ob discessum cujusdam servi Dei, quem dicunt aufugisse, ne fieret abbas Sancti Medardi.* Et ecce diriguntur plures missi undique per regiones, quærere sanctum virum per silvas et montes, proposito edicto ut nemo reficiatur, donec Dei vir reducendus reperiatur. Audiens hanc famam heros reverendus, et ex toto satagens devitare quærentium manus, prima noctis hora surgit de stratu, et vadit ad ecclesiam ipsius villæ; ibique foris ante januam prostratus, clamat ad Dominum, magno plo-

(35) Casati erant ecclesiæ feudatarii, seu qui ex ecclesiæ bonis beneficia acceperant. Vide Glossarium Cangianum.

(36) Theobaldus, de Petra-fonte dictus, Suessionensem ecclesiam rexit ab anno 1072 ad 1080 quo sedente conditum est celebre monasterium S. Joannis de Vineis, in quo canonici regulares sunt instituti.

ratu deprecans majestatem, ne onus regiminis, quo se prorsus indignum sentiebat, ullo modo sibi permitteret imponi. Id vero multum diuque cum orasset, ubi credidit a Domino suas preces exauditas, deliberabat fugere ad remotiora deserti, et ecce subito lupus ingens adveniens, cum eo pergere cœpit. At ille credens ex lupi comitatu se melius perventurum ad devia, illum sivit præire, ipse sequi e vestigio conatus est: sic præduce lupo, imo magis auctore Deo, per noctem rediit Suessionem, et supra clivium urbi contiguum residens, orto sole ubi esset agnovit. Tunc animo angustiatus et mœrore confectus est, statimque prospiciens eminus fossam in rupe in qua lapides quadrabantur, in eam latitaturus descendit. Advenientes autem agricolæ et lapidum cæsores, ut viderunt hominem in veste humili et sine loquela, renuntiaverunt in civitatem. Quale vero gaudium et quanta celebritas mox in urbe surrexerit, impossibile credimus ab homine posse referri. Juvenes et virgines, senes cum junioribus laudabant nomen Domini, quod non eos privasset inventione Patris optati. Exeunt monachi cum clericis, nobiles cum suburbanis, et alligatum fugitivum suum pertrahunt ad ecclesiam Beati Medardi, invito imponentes locum officiumque abbatis. Qui vix tandem ora resolvens: *Vere*, ait, *nisi divinis nutibus resistere formidarem, quæ imponitis omnino recusarem*. Sic igitur cœnobio prælatus sancti ordinis restaurator optimus, studuit prava corrigere, vitia funditus exstirpare, mores fratrum dulci verbo, præeunte exemplo, assidue componere, et quidquid sacræ regulæ obviat prope modum disperdere. Mirum dictu quanta temporis velocitate status totius cœnobii ad formam rediit pristinæ honestatis! Ornamenta ecclesiæ revocata sunt, ordo claustralis redintegratus, quidquid utile reparatum, quidquid ab re dissipatum. Gaudebat iis in locis cuncta nobilitas quod ille famosus regalisque locus prisci honoris cultibus non caruisset in longum. Exsultabat etiam regio, quod ille magnus cœli senator martyr præcipuus Sebastianus (37) cum aliis pluribus inibi decubans, competentibus sibi laudum officiis non jam diutius privaretur.

CAPITULUM XI.

Sed quoniam ordo narrationis ad hoc processit, ut patrem monasterii illum exstitisse ostendit, dignum est ut labores et fatigationes, quas in regimine pertulit, memoremus ut et hæc optima utilitas rectoribus proponatur. Godefridus etenim Florinensis, vir potens et fortis, et tanto superbior quanto potentior, nec hominem metuens nec Deum, prædium grande, vocabulo Hancenias (38), in pago Sambrico situm, usibus fratrum Beati Medardi multis dudum annis subtraxerat, atque in suæ superbiæ commoda contraxerat. Et quoniam ejus rigida potestas omnibus timori erat, nemo pontificum in faciem convenire illum audebat, et intolerabilem

A cernentes ejus malitiam, nullo modo tractare cum canonice audebant. Proinde ipsorum fratrum unanimitas exoravit famulum Christi Arnulfum, abbatem videlicet suum, ut causa charitatis, laborem assumeret eumdem potentem convenire, et ut res ablatas ecclesiæ redderet coercendo commonere. Assensit fraternis sensibus fervens zelo domus Dei vir beatus, et jussit parari itineri necessaria, inter quæ asinum, qui beatum virum gestare potuisset. Quamvis autem mundi gloriam toto conamine devitaret, utpote is qui in Christi charitate totam mentem fundaverat, quorumdam tamen familiarium ejus mens infirma, et minus curans quæ Dei sunt, pompose illum agere et delicate ingredi affectabat, et ad exemplum multorum de Francia abbatum, am-

B bitiose illum equitare et deliciose vivere exoptabat, humilitatem qua vir Dei utebatur pro opprobrio sustinentes. Denique asellum quem sibi ad sedendum delegerat clam debilitaverunt, qualiter remoto asello, spumei equi vectionem usitare inciperet, intimaveruntque servo Dei ut caballum quæri juberet, qui illum gestare debuisset. Audiens hoc Christi servus, et pro constantia fixæ humilitatis abhorrens equestrem vectionem, cum paucis discipulorum adiit stabulum, quo asinus languens jacebat, et imponens manum super fracturam, ita cœpit loqui miti voce, mitiori affectu: *Omnipotens Deus bene scit quo animo iter imminens aggredi volo; quoniam non jactantiæ typo, sed divini officii voto, ac fraternæ utilitatis*

C *studio hanc profectionem subire appeto. Et quoniam, postquam sæculi militiam deposui, terga equi nunquam sedere proposui, non aliqua vanitate, sed Domini nostri Jesu Christi imitatione, modo si placet ei ut abeam, placeat ut sanetur tibia vel pes hujus aselli, qualiter humili vehiculo gestatus, servitium ejus et Ecclesiæ opus exerceam lætus*. Hæc dicens signum sanctæ crucis de contra edidit, et recessit. Sed asinus illico reparatus, semet concutiens surrexit, et tota sospitatus alacritate, famuli Dei vectionem et suscepit et perfecit. At ubi ventum est in faciem supradicti inflatissimi divitis Godefridi, mirum dictu quanta benignitate illum exceperit, quam prona humilitate eidem obtemperaverit. Nam mox ut eum allocutus est, illico detumuit fastus ejus, illico con-

D cidit illa ferox cervicositas, et e vestigio restituta est ecclesiæ prisca hæreditas; et qui hactenus fuerat ecclesiarum vastator, amodo factus est devotus conservator.

CAPITULUM XII.

Et postquam cum eodem Godefrido aliquos dies exegit, tunc prædia recepta cum fratribus invisere deliberavit. Ubi cum esset, et colonos sua præsentia multum lætificasset, venit ad eum quædam mulier nobilis, nomine Hesplendis, rebus et moribus inter suos honorabilis, quæ viro Dei querelam pro servo disposuit, veluti ille evangelicus centurio fecerat,

(37) Translationis S. Sebastiani ad monasterium S. Medardi historiam suo loco dedimus sæculo IV, parte I, pag. 383.

(38) Exstat etiamnunc in hoc loco, qui vulgo dicitur *Hensiennes*, præpositura in honorem S. Georgii, monasterio S. Medardi subjecta.

dicens : *Domesticus mihi fidelis procurator et servus, menstruis casibus male torquetur, pro quo flagito oratio vestra mittatur, qualiter miserante Deo sanari mereatur.* Tunc ille buccellam panis de quo ipse percipiebat benedixit, et honestæ mulieri jussit dari, dicens : *Mox ut domum redieris, aliquid hujus panis ante omnem alium cibum manducare coge ; et Deo jubente passio qua torquetur conquiescet.* Fecit illa ut docta erat ; sed malignus invasor non permisit ut de illo pane quidquam contingeret. Panem enim illum ac si incendium tangere extimuit, donec diuturna fame compulsus, de illo comedit, et statim perfectæ sanitatis libertatem accepit.

CAPITULUM XIII.

In præfato prædio commanebat homo, qui præ nimia morbi acerbitate usum manducandi panem ex toto perdiderat, et miseram vitam squalenti edulio ducens, quotidie in pœnis tabescebat. Hujus talia ad prædictam feminam fuerunt precata. *Precor*, ait, *mea domina, ut, cum ad hominem Dei accesseris, intimare illi studeas quod certa mihi visione crebrius allatum est, quoniam, si de pane victus ejus percipere meruero, statim usum panis manducandi recuperabo ; et obsecra ipsius dulcedinem, ut hanc mihi impendat pietatem, mittatque optatam sui panis benedictionem.* Ut ergo talia reverendus heros ex feminæ relatu audivit ; mox affluenti miseratione compatiens, divinæ bonitati preces lacrymosas libavit, et in hora suæ refectionis, panis sibi peculiariter appositi particulam profusius benedixit, ac prædictæ feminæ ægroto deportandum per monachum delegavit. Mox itaque ut de ipso pane infirmus in ora tulit, non solum facultas comedendi rediit, sed quædam aviditas vorandi extemplo successit, adeo ut diatim repararetur robur corporis, quod attritum videbatur esurie longi temporis.

CAPITULUM XIV.

Exinde placuit aliud invisere monasterii prædium, vocabulo Junciredium (39), super Mosam amnem situm. Ubi dum paucis diebus commaneret, quædam ipsius accola mulier jam decennio cæca accessit ad monachos itineris ejus socios, et dixit : *Ante complures dies meam mihi ærumnam deflenti apparuit quædam per somnium visio, certissime repromittens quod, si aquam manuum suarum ablutione perfunctam ad fovendum oculos meos hic homo Dei mihi commodare dignetur, statim illius meritis diu amissum Dominus restituet lumen oculorum. Idcirco deprecor ut vos, dum ille manus laverit, aquam mihi reservetis, qua valeam exui tenebris diuturnæ cæcitatis.* Ergo post hæc prima vice qua servus Dei manus abluit, contulerunt aquam orbatæ. Qua continuo unum fuit et oculis admovisse et lumen recepisse. Vir autem Dei hoc ipsum comperiens, haud æquanimiter tulit, sed mox iter accelerans sub festinatione

A abscessit, videlicet præcavens ne pro tanto signo laudis plausus illi resultaret popularis.

CAPITULUM XV.

In monasterio Sancti Medardi erat crypta in parte orientali, cujus anniversaria dedicationis dies solemniter annuatim agebatur, ad cujus diei pastum, prisca loci, ut dicebant, urbanitas esum piscis rhombi requirebat. Hunc autem usum novus abbas ignorabat, donec ipsa festivitas præ manibus exstans, quemdam quasi articulum abbati ex hoc non cogitanti et aliis curis occupato incussit. Hora etenim diei prima decantata, convenerunt fratres in capitulum, interrogant suum œconomum, si rhombus diei debitus in promptu haberetur. Negante illo, et eorum verba potius admirante, cœperunt stoma-

B chari, et contentiose affirmare missarum celebritatem a se non peragi, nisi rhombus ipsorum coquinæ inferretur. His auditis, quidam seniorum adeunt abbatem nihil tale suspicantem, pandunt sententiam fratrum. Audiens vir per omnia sagax fratrum sensum tam puerilem, et parumper tacendo deliberans, ad Christum vocem cordis emisit, et tandem respondit : *Si istum morem pridem præscissemus, illum piscem quærere de vacanti potuissemus. At nunc quoniam de repente id novimus, valet omnipotentia Dei hoc ipsum conferre, ut fratribus scandalum tollamus, et sancta celebritas alacriter compleatur. Jam citius vadat minister cum pretio ad pontem Axonæ, et rhombum inveniens, velociter comparet,*

C *ac coquinæ fratrum præparandum præsentet.* Et conversus senioribus dixit : *Ite, charissimi, nuntiate fratribus quia rhombus non deerit ; faciant gaudentes solemnia Domini. Sed et hoc intimate illis, quoniam sive vivam sive moriar, determinatum noverint, ut ab hodie per annos viginti non habeant in die ista fercula rhombi.* His dictis rhombus juxta verbum ejus ex insperato repertus emitur, et mensis fratrum parandus palpitans inducitur, solemnia etiam dedicationis solito alacrius celebrantur. Fratres quoque, qui huic rei interfuerunt, sub invocatione divini nominis testificati sunt quod ex tunc per annos viginti ille talis piscis in eadem solemnitate non potuit inveniri. Mirandum valde, quod tam præsens illi aderat spiritus veritatis, et quidquid ore pro-

D tulisset, totum semper veritatis constantia fundaretur !

CAPITULUM XVI

Sane quoniam apud mortales permanet et ratum nihil esse omni parte beatum, erat illo in tempore in eodem cœnobio quidam, nomine Odo, honestatis usurpator et virtutis simulator, qui famulo Dei Arnulfo abbati nimium invidebat, et se ad regimen loci digniorem ac utiliorem autumabat, qui etiam incessanter revolvebat quonam argumento servum Christi potuisset removere a suscepto regiminis

(39) Legendum forte *Dunciredium*. Hic quippe designatur, ut quidem videtur, oppidum *Doncheri* dictum, in diœcesi Remensi situm, haud procul ab urbe Sedano, ubi habetur etiamnunc insignis præpositura monasterii Sancti Medardi.

officio. Is cum esset in exterioribus agens, per internuntios quod frequenti munere cæcabat, studuit intimare regi Francorum Philippo ut, cum in procinctu contra hostem aliquorsum proficisceretur, abbatem Sancti Medardi venire secum juberet. Annuit rex consiliis Odonis, et cum exercitum promovisset, missis legatis monuit domnum Arnulfum, ut cum armata militia in expeditionem secum abiret. Arnulfus ad hæc stupuit, et regiis missis devote respondit : *Certum est me peccatorem militiæ quondam actibus sorduisse ; notum est ob Domini timorem relicta militia consortium monachorum expetisse. Legimus dicentem Dominum quod « qui perseveraverit in finem salvus erit* (*Matth.* XXIV). » *Et ego infelix, qui causa Dei militiam abjeci, rursum stipabor militibus? rursum arma exercebo? Grande nefas! Recte ait psalmus de me et mei similibus : « Dejeci eos dum allevarentur* (*Psal.* LXXII). » *Nam qui putabam me assumptum ad curam abbatiæ, ecce compellor offendere in foveam apostasiæ. Maluissem certe nomen istud abbatis, et locum non suscepisse, quam sub hujus dignitatis obtentu sæculo tam pessime deservire.* Hoc comperto rex Philippus misit denuo legatos, qui dicerent fuisse morem antiquum ut milites abbatiæ, abbate prævio, regali expeditioni inservirent. Aut faceret juxta morem antiquum, aut daret locum ut fieret regis imperium. Tunc Arnulfus, tali occasione accepta, prompto animo obedivit regis imperio, et secessit libens in reclusionis angulo ; nihil reputavit culmen tanti honoris, dum modo liceret tenere vocem Salvatoris, cupiens longe melius longeque ferventius seipsum exercere in servitio divinæ majestatis. At monachi omnes nimium consternati tali facto, conveniunt pariter, et quasi obsident Arnulfum planctu nimio, et sic illum flagellant dolenti obsequio : *O amande Pater! quid voluisti facere? gregem commissum tam inconsulte deserere? oves Christi tibi creditas lupis exponere; et domum sanctam, quam sic honorifice tractabas, vastatoribus iterum tradere? Si molestum tibi erat exercitum regis subire, sedisses tranquillus in loco tuo; nos cum nostris militibus paruissemus regis imperio. Ecce Pontius, noster olim vastator, oneratus crumenis nostri loci fiet iterum comparator, et accepta potestate instabit acrior dilapidator. Miserere, quæsumus, filiis tuis, miserere supplicibus tuis, et non abjicias nos, subesse gaudentes edictis tuis. Monemus te per martyrium Sebastiani* (40), *per confessionem Medardi, per papatum Gregorii, per sanctorum copiam, quorum huic loco nosti inesse reliquias atque memoriam.*

CAPITULUM XVII.

Auditis his sermonibus Arnulfus dissecabatur sensibus suis, et uberrime flens respondit illis : *O dulcissimi fratres, nolite, quæso, adeo mihi nostri conventus vel loci desolationem imputare, sed caute cognoscite quia inter vos habitat et ex vobis exiit, qui totum istud malum conatur patrare. At nunc quoniam, Deo gratias, abbatia spoliatus sum (quod valde optabat anima mea, etenim plus erat mihi oneri quam honori), hortor unanimitatem vestram, quatenus nunquam ad hoc intendatis, ut denuo pertrahar præesse vobis. Si consiliis meis vultis acquiescere, paratus sum bonum vobis et utile consilium ferre. Convocate vobis episcopum et omnes prælatos ecclesiarum urbis, festinanter eligite patrem Deo acceptum, et rebus vestris necessarium.* Monachi responderunt : *Hoc libentissime faceremus, sed oppressione avari regis nostra statim electio cassabitur. Unde melius fore probavimus ut nostra electio in manu vestra consistat; et quemcunque a vobis electum viderimus, nos illi fideliter obediemus. Quemcunque enim vos elegeritis, credimus quoniam non resistet illi vesania regis.* Tunc convocatis omnibus Ecclesiarum prælatis, et communicato concilio, electus est in abbatem vir magnæ scientiæ et religionis præcipuæ, nomine Geraldus (41). Quo non diu substituto, derepente advolat supradictus ille Pontius, totius pietatis adversarius, ducens secum reginam Francorum, nomine Bertam (42), quæ vi regia Geraldum expelleret, et eumdem Pontium in prælationem sancti loci contra fas subinferret. Quo comperto, famulus Christi Arnulfus de cella egreditur, et reginam adiens, furibundam blando afflatu humiliter rogavit, ut, quamvis regina haberetur, memor tamen femineæ conditionis, memor etiam divinorum judiciorum, ecclesiasticis legibus obviare formidaret, et ab injuria tanti viri seipsam verecunde temperaret. Quæ monita cum illa tumore regii fastus audire abnueret, ait ad illam prophetizans servus Dei : *O regina, si placet, crede fratri Arnulfo, imo crede Spiritui sancto, quoniam si domnum abbatem Geraldum a loco isto violenter expuleris, vindice Deo, et tu ante diem mortis tuæ a totius regni dominio extruderis* (43), *et in ærumna atque despectu exsors regni morieris.* Hæc siquidem viri Dei prophetia luce clarius manifesta facta est, dum omnibus patet, quod eadem regina post aliquot annos regis offensam irremediabiliter incurrerit, ob quam a totius regni consortio rejecta, in pagum Pontivum cum dedecore transposita sit, ibique diuturna calamitate detenta, more plebeio defuncta sit et sepulta. Geraldus autem ab illa repulsus, dedit locum iræ, et secessit in partes Aquitaniæ ; ubi a duce terræ illius gratanter exceptus, in Silva Majori illustre cœnobium construxit, ubi Deo digne deservivit, et beato fine in Domino quievit : cujus et vita et mors signis virtutum et gloria miraculorum refulsit.

(40) Horum SS. corpora in monast. S. Medardi supersunt, cætera ab hæreticis Calvinianis dissipata sunt.

(41) Ejus Vitam habes infra ad annum 1095, ubi vide in observationibus præviis quid de hac Geraldi electione sentiendum.

(42) Alii codd. *Bertradam*, sed nostra lectio melior est, uti ex nota subsequenti apparet.

(43) Hujus prophetiæ veritatem eventus probavit ; nam Philippus, subintroducta Bertrada Fulconis Andegavorum comitis uxore, Bertam expulit.

CAPITULUM XVIII.

Arnulfus denique amica reclusione semotus, tanquam si tunc primo inciperet, quotidianis sese jejuniis instanter macerabat, vigiliis affligebat, orationi vacans assidue, et toto conamine insistens contemplationi divinæ. Taliter agens, et tantis virtutum studiis quotidie excrescens, magnam a Domino consecutus est gratiam, et in terra Francorum gloriosam adeptus est famam, in tantum ut tota regni nobilitas ejus uti benedictionibus congauderet, et totius dignitatis homines ejus colloquium ardenter requirerent, tam de pace Ecclesiæ, quam et de salute animarum consilium flagitantes, felicem se multum credebat quicunque ab ore illius vel sermonem audire poterat. Ita quidquid dicebat, omni audienti videbatur salubre et gratum, ac spiritali sale conditum, ut liquido pateret illum sancti Spiritus præsentia præcordialiter afflatum. Fama vero sanctitatis ejus per omnes provincias emanabat, et ad ejus colloquium personas diversæ ætatis ac dignitatis undique advocabat. Sed remur opportunum, ut quæ signa vel prophetiæ dona eidem Dominus contulerit, enarrare inchoemus.

CAPITULUM XIX.

His diebus venit ad illum maritus sororis ejus, nomine Trudbertus, quem post colloquium de salute animæ collatum requisivit, dicens : *Noster olim commilito et sodalis Israel, putasne vivit, vel qualiter illum agere credis?* At ille respondit : *Sospes est et valens, et in omnibus prospere agit.* Cui vir Dei prophetico spiritu plenus ait : *Nequaquam ita est ut dicis ; nam Israel quem sospitem et valentem nuntias, corpore et spiritu mortuus est. Hesterna nempe die multam prædam diripuit, cum qua domum repetens, in scamno juxta focum in gremio concubinæ se reclinavit ; ubi circa vesperum mortem improvisam subiens, et istam et æternam vitam funditus amisit. O pavendas exsequias! o horrendos exactores ! quibus infelix ejus anima, tot viduarum et pupillorum imprecationibus comitata, totque doloribus cruciata, ad æternum ignem est pertracta.* Hæc audiens vir præfatus nimium exterritus est, et postquam domum rediit, omnia de Israel sic gesta invenit, ut vir Domini Arnulfus annuntiavit.

CAPITULUM XX.

Alio tempore accessit ad eum visendum quædam ejus soror, nomine Adsela. Quæ cum ante fenestram cellulæ ejus cum quibusdam resideret, et de vita animæ quomodo inter tot mundi procellas servari posset disquireret, jam hora meridiana venit minister deferens piscem frixura assatum; erat enim dies celeberrimus, et intulit coram eo in fenestram. Nam ut spiritum vanitatis motumque jactantiæ a se prorsus repelleret, solebat claustrales cibos, Dominicis diebus et festivitatibus præcipuis, parumper degustare, ob hoc ne fratrum mensas videretur contemnere. Habebat in hoc præceptores atque consolatores viros summa discretione præditos, Romanum papam Gregorium septimum, Hugonem venerabilem Cluniaci abbatem, divinæ institutionis ducem, atque peritum doctorem, Geraldum Silvæ-Majoris sanctissimum abbatem, quorum litteris sibi frequentius missis erudiebatur non plus sapere quam oporteret, nec, sub specie virtutum, mensuram a Patribus probatam transcendere. Pisce ergo illo coram eo illato, sic ait soror sua : *Jam modo, sancte frater, hinc mihi secedendum est, quia tempus est, et cibus apponitur, ut aliquid debeas manducare.* Cui homo Dei : *Non,* inquit, *chara soror, propter hunc cibum te hinc permitto abire, quoniam piscis iste sic allatus mihi non erit sumendus; est enim veneni peste infectus, quem nobis infestus apparavit inimicus, ut ex eo mihi fieret interitus. Sed gratias Deo, gratias Spiritui sancto, qui suo instinctu aperuit cordi nostro, ne venenum percipiendo, gaudium faceremus inimico* (44). Tunc, emissa voce, inclamavit corvum adesse, quem de more consueverat collectis micis in fenestra pascere. Adest repente corvus, cui inquit imperando Dei servus : *In Jesu Christi Domini nostri nomine, hunc piscem rostro tuo assume, et in tali loco projice, ubi ab homine nunquam possit inveniri.* Quem aliquantisper dubitans tandem rostro assumpsit, levavit et recessit. Illo projecto rediit, et de manu nutritoris consuetum sumptum accepit. Tunc interminatus est sorori et cæteris præsentibus, ne quandiu ipse viveret, hoc alicui aperirent.

CAPITULUM XXI.

Hæc ipsa filium habens adolescentem cuidam potenti commendatum, ut ab illo arma sortiretur, interrogata est ab eodem servo Dei : *Ubi est filius tuus, vel qualiter agit ?* At illa : *Ad quemdam,* inquit, *potentem nostrum consanguineum, salvum et incolumem transmisi, ut cum eo degat, donec miles efficiatur.* Tunc ait homo Dei : *Vanum præsagium, imo scelestum sortilegium, initio nuper actæ Quadragesimæ de illo exercuisti, ut quasi mori non posset, cujus calceamentum in altum projectum ultra trabem supervolasset. Peccatum tibi mansit, et filii vita recessit. Nam illo in loco ægrotans, tali die talique diei hora mortuus est ac sepultus. Inde multum hortor dilectionem tuam, ut pœnitentiam agens secundum scita catholicæ Ecclesiæ satisfacias, ne tibi ultima dies subrepat tanto delicto compeditæ. Qui enim talia agunt, Spiritui sancto omnino resistunt, et sacram Christianitatem lædere comprobantur.* Tunc illa, ultra quam credi possit, admirans et valde pavens, discessit, et antequam domum rediret, nuntius illam de filii morte prævenit, eo in loco, tali die, talique hora mortuum nuntians et sepultum, veluti vir domini Arnulfus Spiritu revelante prædixerat. Habebat ante fores suæ cellæ spatium quoddam in modum hortuli, in quo areolas manu propria operans, otium atque inertiam fugiebat ; habebat et quasdam arbusculas, quæ dum poma protulissent, quoties ægroti jussu ejus ex eisdem degustassent, mox a suis languoribus erige-

(44) Simile miraculum de B. P. Benedicto narrat Gregorius Magnus lib. II Dialog., cap. 8.

bantur. Ad infirmos etiam longius positos multoties panem vel vinum sua benedictione conditum rogatus transmisit; qui cum inde gustarent, statim melius habebant.

CAPITULUM XXII.

Solemne martyrium gloriosi levitæ Laurentii annua celebritate festive, ut dignum est, agebatur, et populi multitudo campos et plateas in circuitu monasterii Beati Medardi undique repleverat, cum ecce quædam mulier filium habens tredecim annorum ab ortu mutum, irrupit ad fenestram cellæ servi Dei et cum gravi mœrore cœpit implorare, ut sui filii vir sanctus misereretur, dicendo : *Serve Dei, ne abjicias preces meas, ne asperneris attendere calamitates meas. Ecce Dominus omnipotens abstulit unicum maritum meum, dimisit unicum filium mihi, cujus ope sustentarer : et ecce mutus et surdus est, non valens audire verbum vel dare cuiquam responsum.* Ad hæc servus Christi compunctus compassione, et miseratione affectus piissimi infusus lacrymis, ex dulcedine charitatis orationem intentius ad Dominum emisit, mutum ipsum nutibus signorum advocavit. Quem acceptum ante fenestram, signo sanctæ crucis cum divini nominis invocatione signavit, labris ejus signum almæ crucis impressit, digitis linguam ejus contrectavit, et sic eum interrogavit : *Quale nomen habes ?* Et ille statim in verba resolutus, plane et aperte ait : *Joannes.* Quo dicto, deinceps inoffense verba formans, pleno locutionis munere perfunctus est.

CAPITULUM XXIII.

Adolescens quidam immanissima dæmonum pervasione comprehensus, vinculisque ac catenis colligatus, non poterat domari, sed omnes quos tangere potuisset morsibus lacerabat. Postremo a multis utcunque superatus et coarctatus, cum magna vi pertractus est ad ecclesiam Sancti Medardi, et viro Dei indicatum est de eo. Qui condolens pessime captivo, jussit eum ad se conduci. Cumque in cominus pertractus venisset, mox ut servus Dei illum videre potuit, signum crucis edidit, et trahentibus illum ait : *Dissolvite illum.* Aiunt illi : *Domine, hunc dissolvere nequaquam audemus, ne forte in nos consurgat et perimat.* Et vir Dei : *Jam dixi*, inquit, *vos, dissolvite illum, nil metuentes.* Tunc nimis ægre manus applicantes, cœperunt eum dissolvere. Et ille dissolutus, mox corruit pronus in terram, et adoravit. Jam enim postquam servum Christi viderat, et ab eo fuerat consignatus, tota vis inimica in eo consopita quieverat. Vir autem Domini jussit eum a terra surgere, et ad cellæ fenestram proximare. Quo prope astante, cœpit servus Christi requirere, dicens : *Dic mihi, fili, inimica hæc infestatio quæ te tenuit, quando vel qualiter tibi advenit?* At ille eventum rei enarravit dicens : *Mi charissime pater, quidam fuit mihi amicus a carne propinquus, forma pulcherrimus, et corporis robore acer; cujus animum cujusdam viculi homunciones dure offenderant, in tantum ut, adunatis idem meus propinquus sodalium et* A *amicorum catervis, eumdem viculum assilire tentaret, ut, effracto viculo, et trucidatis incolis, injuriam suæ offensæ crudeliter vindicaret. Sed quoniam idem viculus silva undique cingebatur, et vallo consurgente ambiebatur, illi quoque homines qui inibi reperti sunt viriliter restiterunt, supradictus meus propinquus nil votorum obtinuit, quin imo vulneratus lancea, et visceribus patefactis, ibidem illico mortuus est. Quem mortuum ego miser apprehendi, et utrique scapulæ meæ talos ejus imposui, sicque trahens illum per medium saltus educebam a loco interfectionis. Nox erat tunc tetra, et ecce circumsteterunt me ante et retro sinistrorum spirituum innumeræ turbæ, ululantes et sibilantes, et interdum cachinnantes. Tunc timor et tremor horrendus me invasit, et vis adversaria me-* B *dullitus me concussit, et quid facerem nescius, tandem mortuum quem trahebam nescio quem in locum projeci. Mox itaque, sensu perdito et mente mutata, talis effectus sum ut vestra beatitudo vidit.* Tunc famulus Domini dixit ei : *Ecce, Deo gratias, sapienter confessus es. Restat ut pœnitentia Deum places, quod tam grandi piaculo interesse voluisti.* Ille ait : *Pro hoc malo et pro cunctis quibus Deum offendi, volo, sancte Pater, dignam Deo pœnitentiam offerre, et abhinc, quantum potero, ab omni malo cessare.* Sic Christi famulus, injuncto pœnitentiæ modulo, sanum et incolumem rectaque mente vigentem in propria remisit, emundatum non solum dæmoniaca legione, sed humani sanguinis hauriendi ingenita crudelitate. C Nam si tali modo præpeditus non fuisset, omnes illos viculi accolas in ultionem amici perempti peremisset.

CAPITULUM XXIV.

Per idem tempus opinio sæva urbem Suessionicam et illius suburbana, villasque adjacentes per quosdam rumigerulos fœdaverat, de hostili barbarorum adventu, dicentibus quibusdam quod gens Danorum de terra sua emergens, totam Franciam in brevi occupatura et deletura esset, et nec senibus vel infantibus ecclesiisque ullo modo parcitura. Compellebat hoc ad credendum, quoniam similia multoties Danos patrasse referebant historiæ diversarum chronicarum. Qui rumor infaustus in tantum convaluit, ut Tedbaldus episcopus Suessionensis virum Dei Arnulfum, tanquam videlicet divinitatis D symmistam, super hoc magnopere consulens exposceret, et Dei misericordiam, an ita de proximo futurum esset, ab illo indagari anxius imploraret. At famulus Domini, mox ut audivit rumorem, inanem prorsus et vacuum sensit; tamen ne temerariæ levitatis notaretur, inducias petit in crastinum, quatenus per alta noctis silentia supernam majestatem uberius precaretur hujus rei aliquod sibi manifestum aperiri indicium. Arnulfus psalmis occupans tempora, cinere tectus, cilicio amictus, emittit preces ad Christum, fundit flumen lacrymarum super solum, sollicitat majestatem ut hujus secreti aperiat veritatem. Sequenti diluculo sollicitus redit episcopus ad modernam spiritualis arcam testamenti,

ac cœleste reposcit super hesterno deposito oraculum. A Quem famulus Christi, divinitus sumpto roborans solamine: *Ne paveas*, inquit, *Præsul reverende, quoniam quandiu tu vel ego mortale geremus corpus, gens Danorum, vel quælibet alia barbaries regnum Franciæ non vastabit.*

Præsul Tedbaldus Suessorum pastor opimus,
Audivit famam vulgi levitate volantem,
Quod gens Danorum devastans cuncta locorum,
Francia quos retinet proceres exstinguere vellet,
Ut sic Francorum compesceret arma virorum.
Sæpius auditum vel sæpius hoc repetitum,
Concussit gentes, fecit pallere potentes.
Hac de re præsul populari murmure pulsus,
Consulit Arnulfum, divino pneumate fultum,
Implorans nimium, quod poscat pandere Christum, B
An sit venturum vel sit regnum ruiturum.
Arnulfus, symmysta Dei, petit otia noctis:
Sternitur in terram, lacrymarum flumina stillat,
Orans hac de re: *Deus omnipotens, miserere,*
Parce tuis, miserere reis, spes unica mundi,
Constans, invictus, nullius imagine fictus;
Sub quo curvantur reges, cœlique rotantur;
Per mortem Nati, qui solvit vita barathri,
Hostibus infandis ne tradas vis pietatis;
Ne dicant vani quod Francia servit inani,
Ne ludant miseri, Deus iste nequit misereri.
Ecce feri Dani, velut inquit vox popularis,
Protege nunc gentem dominum te rite legentem:
In tua consurgunt, qui perdere cuncta requirunt,
Se tibi donantem vel præcipue famulantem,
Gentes Francorum plenos turmis monachorum,
Gentes sanctarum cultrices ecclesiarum,
Qui te glorificant, qui sanctos semper honorant.
Sis memor istorum, sis protector famulorum:
Ne videant hostes, caveat vel plebs tua mortes,
Per Genitum tecum simul omnitenentem
Flamine cum sancto per quem tibi gloria constat.
Talibus intento, cœlestis nuntius astat,
Fulget ut aurora, redimitus veste decora,
Dicens: *Serve Dei, da finem fletibus istis,*
Nempe Deus Christus lacrymarum voce tuarum
Compulsus, statuit votum conferre rogatum.
Unde scias certo quod gens hostilis ad istud.
Non veniet regnum, quo tempore duxeris ævum;
Postque tuum finem per tempora longa manebit
Francia secura [*f.* secure], *superans hostilia jura.*
Pax tibi, serve Dei, sit tecum gloria Christi.
Tunc Domini servus vultum levat a pavimento,
Et Domino grates pro tali dat documento.
Præsul mane redit nimis anxius abdita quærens.
Exquirit tremulus quæ sit sententia cœli.
Quem servus Domini solatur famine dulci,
Dicens: *Ne paveas, Pater et præsul venerande,*
Nam donec mundi vitam linquamus uterque,
Francia regnabit: non barbarus hanc violabit.
Me Deus hoc docuit, cœli sententia struxit,
Ipsius invictum sit regnum jam benedictum.

Præsul ad hæc gaudens, et læto pectore plaudens,
Munera libavit, quæ voverat accumulavit.

CAPITULUM XXV.

Fecundabat Christus suam Ecclesiam donis gratiarum, quibus accensi nobiles et inclyti perplures viri relinquebant vanam mundi prosperitatem, et seipsos mortificando acquirere contendebant divinam nobilitatem. Inter quos tanquam sidus aureum gloriosus Ambianiensium et Veromandensium comes, pulcherrimus Simon (45), filius Radulfi comitis, divino amore inflammatus abjecit comitatus honorem vel potestatem, reliquit civitates et castella opulentissima, reliquit sponsam decoratissimam, atque Christum sequi exardescens, de tantis opibus nudus evasit, et totam Francorum deserens gentem, in qua inter millia servorum dominabatur, in partes Italiæ se contulit, ob hoc præcipue, ut copiam inveniret visendi et exorandi sacratissimam gloriosorum apostolorum Petri et Pauli præsentiam. Quorum dum sacras memorias divinitus inspiratus pia devotione frequentius adiret, innotuit tanti viri devotio domino papæ Gregorio septimo. Paucis denique annis diverso [*f.* Deo] militans in simplicitate et humilitate cordis, et jugi contritione corporis, atque in sanctarum exercitio virtutum viriliter se extendens, propitiante Deo, consummatus est in brevi: et quoniam placita erat Deo anima illius, educta est de carcere mundi, ut fulgeret inter lapides vivos in diademate cœli. Eadem vero hora, qua carne solutus ad beatam requiem transire meC ruit, vir sanctus Arnulfus in cella sua reclusus, mentis excessu sublevatus est, atque donante Deo, vidit omnia quæ circa honorandum virum Simonem olim comitem modo monachum gerebantur. Cumque post visum ad se fuisset reversus, festinavit evocare fratres, ut indicaret eis tantæ gratiam visionis. Veniunt fratres, quibus annuntiavit, dicens: *Ite, fratres, festinanter, nuntiate abbati ac fratribus quia domnus Simon, olim comes Vermandensis, hodie de hac vita recessit, et jubeat abbas velociter celebrari officium pro exitu tanti viri.* Vadunt ad abbatem, nuntiant quod audierant. Ille stupens plus miratur, et consurgens properat ad inclusum, requirit attentans quis sibi mandaverit (46). Tunc ait homo Dei: *Si quid falsum aut incertum vobis olim protulissem,* D *justum esset ut nobis difficilius crederetis. At nunc quoniam adhuc in me falsitatem verborum non reperistis, cur tantæ duritiæ ad credendum estis, ut rebus incertis me quasi dementari putetis? Notate diem, notate horam; et invenietis ita esse vel fuisse ut mihi est manifestatum.* Tunc festinus abbas et fratrum conventus intrant ecclesiam, pulsantur signa, canuntur psalmi, et suo ordine celebratur officium defunctorum. Interea suspensæ erant mentes eorum, reputantes quod delusi deriderentur. Cum ecce ante mensem dierum nuntius advolat, sub ea die et sub eadem hora domnum Simonem dicens obiisse, qua viro Dei Arnulfo de illo fuerat præostensum.

(45) Hujus Simonis Vitam vide supra ad annum 1082.

(46) In alio codice legitur *quid sibi manducaverit.*

CAPITULUM XXVI.

Non longe ab urbe Suessorum commanebat vir nobilis, militiæ actibus implicitus, nomine Guido (47), habens uxorem pietatis cultricem, nomine Ermengardem. Hi ambo flore divitiarum vernabant, et pietatis operibus abundabant. Is itaque Guido quodam tempore valida ægritudine depressus languebat, et amissa facultate dormiendi vel manducandi, a suis desperabatur, atque velut jam mortuus ab amicis plangebatur. His ferme diebus conjux ejus dolore et angustia partus jam vicini anxiabatur, et, duplici timore attrita, hinc propriam, hinc mariti mortem formidabat. Tantis irretita tormentis, unum sibi credidit remedium, si suos et mariti casus orationibus sancti Arnulfi commendasset. Mittensque nuntium, fidelem domesticum clericum, tam suum B quam mariti periculum auribus illius lacrymabiliter allegavit. Servus autem Christi, ut erat ex Dei dono valde præscius futurorum, oratione præmissa, eidem feminæ remandavit dicens: *Vade, frater, et dulcissimæ sorori nostræ hæc diligenter cum festinatione reporta: Duæ sibi angustiæ graves imminent; quas propitio Deo, bono exitu superabit: tertia vero angustia ingruit, quam ipsa ignorat, quæ ideo erit gravior, quia irrecuperabilior. Nam vir quidem ejus, quamvis modo langueat post modum convalescet, et stabili incolumitate donabitur. Ipsa etiam de periculo pariendi sine dubio salvabitur, et sub tempore noctis hujus, priusquam signum nocturni officii audiatur, pariet filium de quo gaudebit. Anxietas vero tertia, C de qua modo ipsa non curat, et quæ illam diutius cruciabit, ita se habet: Albricus frater ejus, Cotidiaci dominus, per consilium suæ conjugis Avelinæ ita perditus est, quod die crastina a suis inimicis in lectulo capietur, et comprehensus abstrahetur; abstractus ligabitur, ligatus duris tormentis agetur, et ad redemptionem suimet arctabitur. Redimens autem moribundam vitam suam thesauros expendet; porro castellum nec videbit nec recipiet. Sed mittat velociter soror nostra, et tam uxoris malitiam quam hostium insidias jam ingruentes denuntiet.* Sic nuntius ab eo recedens celeriter remeat ad dominam, refert mandata viri sancti, et gaudium pavori mistum mens matronæ concepit. Mittens vero concitum nuntium ad fratrem, expresse intimavit quid uxor pertra- D ctasset, vel quid ejus inimici uxore duce molirentur. Albricus autem credidit sorori, sed conjugi hæc neganti magis fidem accommodans, non præcavit, turrim suam et castellum vel oppidum non munivit, ideoque diluculo adhuc pausans invaditur, capitur, trahitur, ligatur, educitur; et habitatione vel dominio Cotidiaci in perpetuum nudatur.

CAPITULUM XXVII-XXVIII.

Eadem denique nocte uxor Guidonis, soror Albrici, de partu laborans, antequam in ecclesia Beati Me- A dardi nocturnæ synaxis prævia nola pulsaretur, filium enixa est. Ecce autem sequenti luce, dum puerum tractant diligentius, deprehendunt illum absque oculis esse natum; loca vero oculorum cute et carne obsita erant, sicuti frons vel maxilla. Quid tunc facerent obstetrices, nimio angore consternante plangunt, condolent mussitantes; et omnimodis elaborant ne filii cæcitatem mater moribunda cognoscat. Sic sex dies transierunt, et filii cæcitatem mater nescierat, donec ad id ventum est quod puer baptizandus ad ecclesiam ferri deberet. Tunc sane major trepidatio pervasit pedissequas, et totis nisibus argumentantur, ne illa tandiu celata cæcitas in notitiam vulgi publicetur. Adeunt adhuc de recenti partu ægrotam genitricem, persuadent ut filium prius mittat ad Arnulfum sanctum Dei quam feratur ad baptismum. Favit mater verbis ancillarum, dirigensque legatum ad hominem Dei, orat ut parvulum suis manibus tangere et benedicere dignaretur. Ad quod vir sanctus respondit: *Vere necesse est ut infantulum videamus, proinde velociter præsentetur. Sicut mater ab angustia et dolore pariendi, magno Dei munere salvata est, ita misericors Dominus filium imperfectum ad integrum salvare dignabitur.* Quibus verbis demonstratur quia infantis infirmitas jam servo Dei innotuerat.

Itaque allatum infantem servus Christi fenestram intro tulit, in lectulum cinericium reclinavit, et ipse prostratus in pavimento orationi incubuit. Oratione peracta, infantulum in gremium collegit, saliva oris sui loca oculorum perunxit; et statim divino munere oculi patuerunt, novosque ocellos lux nova penetravit. Relato puero ad matrem, facta est ingens exsultatio, et tunc primum agnovit mater se cæcum peperisse, quando per famulum Christi novos oculos didicit filium accepisse (48).

CAPITULUM XXIX.

Opportunum cernitur et illud expedire, quo cognoscatur quam subtilem præscientiæ prærogativam vir Domini sanctus Arnulfus invenitur habuisse. Præfati nobiles genuerant dudum filiam vultu decoram, quæ per id temporis jam nubiles annos ducens, a parentibus fuerat cuidam militi rebus ac natalibus non impari desponsata. At illa, ut se habet puellaris mobilitas, quemdam alium rebus ac genere inferiorem plus diligens, refutabat delectum sibi a progenitoribus sponsum, multis juramentis affirmans se interficiendam a se, nisi cupitis amplexibus potiretur. Hujus causæ infortunio affecti genitores puellæ virum Dei Arnulfum consulunt, si forte ejus menti dignaretur Dominus intimare quid in tali conflictu potius agendum susciperent. Tunc vir Domini, auditis brevi relatu genitorum querelis, opportunum et salubre edidit responsum. *Canonica est*, inquit, *auctoritas, ne puella cui non vult unquam*

(47) Hunc Guidonem putat Dormasius historiæ Suessonicæ lib. v, cap. 15, fuisse dominum Castilionis oppidi supra Matronam, cujus uxor Ermengardis erat Alberici comitis Codiciacensis soror, de quibus hic etiam agitur.

(48) Hic puer, nomine Petrus, postea factus est Ecclesiæ Suessionensis archidiaconus, de quo Lisiardus in libri III præfatione infra loquitur.

jungatur. Idcirco mandatum vobis injungo, ut puellam amato a se viro condonetis, ne ad quodlibet inconveniens puellam cogatis. Est autem Deo notum, et nobis ob meritum vestræ pietatis ostensum, ut post modicum temporis videatis filiam vestram illum sponsum anhelanter appetere, a cujus conjugio tam gratanter se cupit modo removere: deferte illi modo suam voluntatem, et sic proveniet ut redeat ad vestram honestatem. Tunc illi verbis ejus nimium creduli, nuptias optatas filiæ detulerunt, et dilecti viri conjugio illam perfrui permiserunt. Et vir ille puellæ conjugatus, quoniam miles famosus laborabat videri, dum nimium fertur in arma, ut sibi nomen acquireret, repente ab armatis perimitur, atque de nova conjuge novam valde viduam citius operatur. Sic juxta viri Dei verbum, puella rediit ad illius sponsi amorem, quem parentes primitus elegerant, illique copulata, damnum prioris æquanimiter toleravit. Hoc et si ab ordine narrationis nostræ videtur alienum, propterea debet audiri quia in sancto Arnulfo speciale quoddam prophetiæ virtutis declarat præsagium.

CAPITULUM XXX.

Rex Francorum Philippus, jamdiu per annos aliquot nuptiali copulæ sociatus, cum videret suam reginam permanere sterilem, famulum Domini sanctum Arnulfum frequentius exoravit, tam per se quam per alios clarissimos viros, ut Domini clementiam imploraret, quatenus ad regni tutelam et ad sanctæ Ecclesiæ defensionem filium sibi successurum condonare dignaretur. Abhorruit primum hoc facere fidelis servus Domini, cavens inde hominum favorem et formidans mentis laxare rigorem. Tandem ubi a Tedbaldo venerabili episcopo Suessionico, et ab aliis multis religiosis viris hoc coram Deo bonum et acceptum fore didicit, secundum quod beatus Apostolus pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt constituti obsecrandum docet, et hoc primo omnium fieri, tam bonorum hominum suggestione quam apostolica monitione pertractus, oraturum se promisit. Hanc vero ejus sponsionem cognoscens regina, gavisa est plurimum, et tanquam jam secura dirigit legatos idoneos ad famulum Dei, multa prece deposcens, ut sibi prænuntiare dignaretur quando esset jam futurum. At ille sentiens in corde reginæ fidei constantiam, remandavit illi, ut pauperum curam diligenter haberet, intimans quod eorum vox divinis auribus vim inferret, ut optatam prolem sibi Dominus commodaret. Regina paruit, et quotidiana convivia pauperibus instauravit, fixa quod oratio servi Dei non posset cassari.

CAPITULUM XXXI.

Vir Domini sanctus Arnulfus, cum adhuc temporali militia esset implicitus, fuerat ei quidam miles consodalis præ cæteris charus, nomine Gericus, qui recedente Arnulfo de vita sæculi, rapinis et deprædationibus attentius insudabat, nec Deum timens, nec hominem pavens, viduas et orphanos assidue opprimebat. Hanc ejus vituperabilem vitam relatione adventantium comperiens servus Dei, sæpius A exorabat Christi Domini bonitatem et omnipotentiam, quatenus illi Gerico immitteret occasionem et compunctionem pœnitentiæ, qua pessimos mores desereret, et timorem æterni judicii inciperet cogitare. Per fideles etiam viros vel mulieres a se repatriantes monita salutis illi mandabat, quæ ille aure corporis audiens, fide et opere non servabat. Interea Gericus, mundi prosperitate perfunctus, duxit uxorem, nomine Judith, æqua nobilitate valentem, generat plures liberos, et annis plurimis cum tota domo jucunda felicitate fulcitur. Postea cœperunt liberi defungi, et infra paucos annos vel unus filiorum superstes non fuit; ipse etiam gravem ægritudinem incurrit, et quadraginta duobus mensibus in lectulo decubuit, quod est annis tribus et B dimidio, de vita desperans et mortis articulum præ oculis spectans. Jam nepotes ejus de fratribus vel sororibus nati, terras ejus et quasque possessiones sibi vindicare affectabant, jam uxorem ejus Judith absque dote facere, et ab omni mariti hæreditate alienare conabantur. At illa quid faceret, nullus tutor, nullum solatium se illi offerebat. Tunc conversa ad Deum exoravit flebiliter ut divinum adesse dignaretur auxilium, ubi cessabat humanum, et recordata servi Dei Arnulfi convenit maritum moribundum questibus multis: *Mi charissime*, inquit, *conjux, ecce tui nati mortui sunt, ecce tui nepotes mortem tuam præoptantes, omnia bona tua in suum jus vindicare satagunt; ecce paraverunt sibi sermonem malignum, ut te sepulto me turpiter ejiciant, nec con-* C *jugem tuam me fuisse cognoscant. Et quare tua integra fides non acquiescit consiliis tuæ conjugis, vitam tuam et salutem super omnia diligentis. Loquere in corde tuo, et fac votum Jesu Christo Domino nostro, quod servum ejus Arnulfum, tuum quondam sodalem et amicum, lectica vectus visites, et ejus consilio temet et omnia tua subjicias; et Pater misericordiarum dolores tuos et mœrores meos respiciet.* At ille parumper recogitans, quasi pondus dictorum apud se examinans, respondit dicens: *Sapienter tractasti, optimum consilium invenisti, quod libenter suscipio, et ut citius fiat et volo et voveo.* Igitur lecticam equis gestantibus devehitur Suessionem, et viro Dei in suo exercitio desudanti perlatus est. Qui congaudens D advenisse virum, olim sibi fideli amicitia junctum, rogavit, imo jussit illum adduci ad se. Sequenti die deductus ante fenestram, audivit ab eodem viro Dei amicabilem increpationem: *Frater*, ait, *Gerice, tu miles optimus tuis, pessimus tibi, quandiu provocasti Dominum Deum intendens operibus rapinarum? Crede mihi, prope fuit interitus tibi, in fauces draconis paulo minus incidisti. Sed Christo Domino gratias ago, ille lacrymas meas, ut video, non despexit, qui te immissa ægritudine præpedivit, ne usquequaque rapinis incrassatus, fieres esca inimici dentibus. Scias igitur indubitanter quia infirmitas quæ te tenuit, diuturnis precibus meis a Domino postulata fuit, ut vel invitus cessares ab oppressione viduarum et voracitate rapinarum. Adverte quantum tibi Deus immensæ mi-*

sericordiæ suæ impendit beneficium, ut cognoscas te nequiter egisse; qui tantis malitiis inflammatus, morsus leonis potuisti evadere. Sed, inquies, *cujus leonis? Audi beatum Petrum divina voce dicentem : « Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret* (*I Petr.* v). » *Hujus leonis rictus sola Dei pietate evasisti; jam nunc da operam, ut ab ejus voluntate penitus exuaris.* At Gericus ait : *Sanctissime et amantissime Pater, eo voto eaque deliberatione ad tuum consilium properavi, ut secundum tenorem Dominicæ voluntatis, juxta mandatum vestræ sanctitatis vita mea deinceps componatur, et nihil amplius faciam, nisi quod consilii vestri sententia dictaverit. Pro mea tantum recuperatione Deo nostro preces offerte, et ego fœdere perpetuo assero et confirmo, quod ulterius non faciam quidquid divinis legibus contrarium novero.*

CAPITULUM XXXII.

Cum autem hæc verba finirentur, uxor ejusdem Gerici, nomine Judith, in vocem prorupit lacrymabiliter, dicens: *Sancte serve Dei, attende, quæso, et casus meos, et fer opem miseræ ac destitutæ.* Homo Dei respondit ei : *Dum audio vocem tuam, mox agnosco qualitatem et necessitatem tuam; et spondeo tibi in nomine Dei quod adventus tuus vel mariti tui non erit infructuosus vobis. Unde scias certo quia dabitur tibi gaudium pro mœrore, eo quod viro tuo fideliter ministrasti in sua infirmitate. Maritus enim hic tuus quia iniquitatem rejicit, perfecte sanabitur, de quo filium suscipies nominandum Lambertum, qui, jubente Deo, hoc eodem die, peracto anno, nascetur. Ille patri succedet, ille tuam senectutem enutriet; nec morieris, donec Lamberti tui prole legitima læteris. Unde volo et exhortor te, dulcissime frater Gerice, ut a modo per viam justitiæ ambules, Ecclesiam Dei et sacrum clerum honorifices, pauperibus nihil auferas, imo ablata restituas, eleemosynam jugiter et abunde facias; sic enim monet sanctus Apostolus divitibus imperare. Decimas tuas nunquam retineas, nec alicui eas nisi cui episcopus jusserit tribuas. Agros tuos excole, de fructu nutrimentorum tuorum et de justo quæstu vivere stude, cum tuis colonis misericorditer age; quod solvere nequeunt vel partim remitte. Principi tuo et comparibus tuis fidem et veritatem ex corde exhibe, de collatis tibi beneficiis Deo omnipotenti gratias age, et divina officia celebrantibus interesse frequentius stude. Ita tibi facienti aderit gratia Dei, et dabit pacem rebus tuis, atque bono fine fungeris; tu vero qui huc infirmus deportatus es, equitando sanus hinc recedes.* O quanta clementia supernæ bonitatis, quæ beatum famulum suum Arnulfum tot virtutum donis exornavit, ut et conversatio ejus in cœlis assidue esset, et vitæ ejus meritum in terris aliis prodesset! Nam, juxta quod ex dictis ipsius potest intelligi, iste miles Gericus merito suæ perversitatis coram Deo mortuus esset, nisi hunc oratio Arnulfi jugiter comitata fuisset. Denique propitio Deo, et sanus a viro Dei recessit, et domi consistens mox filium procreavit; qui, ut prædictum est, condicto die ad ortum processit, qui et defuncto patri successor exstitit, et matri suæ pius nutritor permansit. Ipsa vero mater Judith tandiu in corpore vixit, quousque filius ejus Lambertus legitime uxoratus filios procreavit.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI SECUNDI.

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

CAPITULUM PRIMUM.

Interea Tedbaldum, civitatis Augustæ Suessorum antistitem jussio divina sustulit ex hac vita, cujus sedem atque locum quidam generosus, nomine Gervasius, pro recompensatione palatini servitii impetravit donari suo fratri carnali, nomine Ursioni, habitu quidem monacho, ab infantia litteris erudito, sed ad episcopale officium moribus et animo nequaquam idoneo. Cujus ignavia vitæ et non canonicus accessus, haud longe post personuit ad aures Romani pontificis, nomine Gregorii: qui mox datis epistolis ad Hugonem Diensem episcopum, et tunc Galliarum legatum, monuit ut vita et promotio Ursionis canonice discuterentur, et quidquid in his sacris legibus obviasset, synodali judicio corrigerentur. Hinc accidit ut Hugo præfatus in civitate Meldis (*Meaux*) super amne Materna, Tedbaldo comite (Campaniæ) sibi patrocinante, teneret concilium: ubi secundum decretum domini papæ, concessa Ursioni se purgandi facultate, postquam legitime vocatus est, canonice protractus se præsentare contempsit, judicio episcoporum noxam subiit, ac proinde condemnatus, clero Suessonico ibidem præstolanti electionis copiam patefecit. Tunc igitur consultu concilii pars sanior cleri, et casati Ecclesiæ Suessonicæ elegerunt sibi in pontificem, sanctæ religionis cultorem domnum Arnulfum, per id temporis reclusum, et ut sibi celeriter donaretur instanter acclamaverunt. Sic facta et conscripta concordi electione, Hugo legatus statim e concilio reverendas C direxit personas ad cœnobium Sancti Medardi, mandans et monens per epistolas, etiam Romanæ Ecclesiæ auctoritate imperans, ut domnus Arnulfus cellam exiret, et concitus ad concilium Meldense veniret, alioquin ut inobediens anathema subiret. Tantæ jussionis tonitruum expavescens, Catholicæ Ecclesiæ revera filius Arnulfus, licet ægre, paruit mandatis legati, venitque ad concilium. Quo residente, repente relecta est petitio cleri et nobilium populi Suessonici domnum Arnulfum sibi in episcopum eligentis. Ex hinc fit vox episcoporum, Arnulfum omni sanctitate ornatum, suum collegam fieri postulantium. Sic mox tractus, et infulatus, et nec ad modicum se excusare permissus, in consessu pontificum statim est collocatus. Cui afflicto et mœrenti D Hugo legatus in virtute sanctæ obedientiæ sacro injunxit mandato, ut deinceps Christi Ecclesiæ ministrare studeret in pontificali officio. Jam ita constrictus cessit edictis, et designata consecrationis die vel loco, rediit ad monasterium Sancti Medardi, ut futuro itineri necessaria præpararet. Quibus copiose paratis, non suo typo, sed fidelium voto, profectus est cum quatuor monachis, et electis de clero, ve-

A nitque in Campaniam in castellum Tedbaldi comitis, quod dicunt Virtutes (49).

CAPITULUM II.

Comes autem Tedbaldus, cognito ejus adventu, cum magno militum ac nobilium comitatu gaudens eum excepit, obsequensque intra tectum inducit. Jam hora autem vespertina, in quodam remotiori triclinio vir Domini secretius residebat; et præfatus comes cum perpaucis nobilium assidebat, ac de spirituali salute quæritabat, cum subito vultu mutatus et quasi spiritu concitatus: *Vocentur*, inquit, *ad nos illi duo fratres, Everolfus et Ostermarus; habeo enim aliquid illis dicere.* Nec mora vocantur, veniunt. Qui dum starent ante illum, ait Ostermaro: *Postquam, Domino miserante, sæcularis mi-* B *litiæ supercilium dereliqui, pro viribus studui, ne cui fratrum quamlibet injuriam aut contumeliam irrogassem; et quod sollicite observavi, ab omnibus qui mihi adhærebant sollicitus observari sategi. Novi enim pœnam divino ore decretam ei qui scandalizaverit unum de pusillis. Cum hæc quam maxime vera sint, quomodo, tu frater Ostermare, huic confratri nostro Everolfo tam infaustam contumeliam dicere præsumpsisti, et nec timori Dei, nec pudori nostro quidpiam pepercisti? Vade et compone iter tuum rediens ad monasterium, quia post tantæ ineptiæ profusionem, tuam in via ista non patior societatem. Volo enim nostri comites itineris fieri gratos, mites, benevolos, sibi invicem servientes, sermone circum-* C *spectos; non rebelles, aut non subditos.* At ille supra modum consternatus, tremula voce respondit: *Domine Pater, ubi, quæso, rebellis fui, aut cui contumeliam feci? prorsus nusquam.* Respondit ei Christi servus: *Nonne aures meæ ad os tuum fuerunt, quando dixisti fratri Everolfo, te malle ut caput ejus mergeretur in latrinam, quam tuus caballus solito ampliorem non haberet annonam? Crede nobis. Tale quid dicere horruisses, si nostræ gratiæ ullam curam habuisses.* Tunc comes Tedbaldus hæc audiens, et omnes qui aderant, nimium obstupuerunt, quomodo rem, secretam et quasi furtive prolatam, tam expresse potuit cognovisse. Siquidem longe a se distabant camera, qua vir Domini residebat, et caballorum stabulum, ubi in distributione annonæ D hoc fuerat dictum stultiloquium. Tandem provolvitur dicti reus ad vestigia viri sancti, provolvuntur, et cæteri fratres, illi veniam suppliciter implorantes. Quibus Dei famulus ait: *Indulgeat tibi Dominus; sed tamen in hac via noster non eris deinceps socius.* Tunc ille plorans et nimium tristis ait: *Eheu! sancte homo Dei, qualiter a te digrediar solus, vel qualiter tantum hujus repulsæ portabo opprobrium? Putabunt omnes quod nefandum scelus commiserim, et idcirco*

(49) Oppidum Campaniæ diœcesis Catalaunensis, ubi duo monasteria, unum monachorum ordinis nostri, alterum vero monialium ordinis sancti Augustini.

a te ejectus sim. Parce, precor, meo pudori; præsta veniam, ne perpetuo subjiciar mærori. Ad hæc consurgit comes Tedbaldus, et cum eo tota præsens nobilitas, fiuntque supplices pro monacho, postulant ei aliquod causæ remedium, ne majori impellatur exitio.

CAPITULUM III.

Tunc vir Dei illius dolori compassus, fratrumque pro eo supplicantium, comitis quoque ac nobilium votis condescendens, tulit eum in partem et ait : *Tu quidem ob nimiam stoliditatem tuam omnino regredi habebis; sed nos per gratiam Dei tam honestam tibi causam injungemus, ut ex hac digressione nullum unquam patiaris dedecus. Sed mandatum quod tibi committo serva secretum, nec alicui dicas, nisi cui volumus fore nuntiatum. Itaque a nobis digrediens civitatem Parisius venies, et reginam Bertham* [al. *Bertradam*] *vice nostra visitabis, et annuntiabis illi optabile gaudium, quia revera in utero gestat filium, quem in sacro fonte vocabit Ludovicum* (50), *quique post patris decessum regnum tenebit Francorum. Illa tibi vix credet, quia infans vitalem motum nondum habet. Sed dic ei ut confidenter credat, quoniam post modicum temporis sentiet quod portat.* Sic monachus valde lætificatus arripit iter versus urbem Parisiorum, et reginæ pandit amabile mandatum dicens :

Rex vester dominus, tibi nunc, regina, maritus,
Tu regina pari sensu cupiens generari,
Sæpius Arnulfum rogitastis tuncque reclusum,
Exorare Deum vobis concedere natum :
Per proceres summos, per pontifices quoque magnos,
Arctius optastis quod per vos non potuistis,
Ut daret Ecclesiis tutorem Conditor orbis.
Catholicæ fidei personæ consuluerunt,
Ut Dominum cœli precibus votoque fideli
Expeteret prolem, regnandi sorte sequacem,
Vobis et regno donari jure superno.
Quod simul optastis, completum nuntio vobis :
Nam Dominus cœli compulsus mente fideli,
Contulit hoc vobis, ut detur gratia prolis.
Ventre geris puerum, quod debes credere verum.
Ille puer magnus, dum vivet mitis ut agnus,
Francis regnabit; super hostes non trepidabit,
Pessima delebit; Ludovicus nomen habebit;
Nec tamen hic vivit; nec eum vivax animavit
Spiritus, at Domini dono mox influet illi,
Arnulfi precibus fit filius iste creatus.

Illa præ stupore pallescit, regemque Philippum venatibus intendentem, missis perniciter nuntiis evocavit. Qui cursim veniens, et legationem tam gratam avide suscipiens, optatamque diu prolem a Domino sibi concessam comperiens, cœpit gaudere A et timere, multumque metu et lætitia fluctuare. Gauderet plane, si ex toto certus esset; metuebat ne talis promissio vacua remaneret. Tandem vicit in regali pectore fidei præsumptio, et prudenter decrevit non esse superfluum quod per talem servum Dei fuisset prophetatum. Noverat certe multiformi experimento, cujus sanctitatis et veritatis exsisteret, per quem tale præsagium processisset.

Post his quinque dies infans vitalis haberi
Incipit, et matri succrescit ventre gravedo.
Lætitiam tamen infantis sic dixit habendam,
Ut dolor atque metus reginam non gravet ullus,
Tempore condigno rex nascitur, hic Ludovicus
Pacificus, qui sceptra gerens, bene jura gubernat.

In hujus igitur tanti principis præscita, imo impe- B trata nativitate, laudanda atque admiranda est famuli Christi Arnulfi devotionis industria, qui tanti mysterii arcanum, et meritorum prærogativa obtinere meruit, et profunda humilitate dissimulavit. Nec enim aliquando regi vel reginæ importunior exstitit, ut ab eis aliquod peculiare requireret, quibus tanti gaudii beneficium extulisset, et cum rex et regina anhelarent, ut ei aliquid magnificum impenderent, nihil tamen unquam ab eis expostulavit, nisi ut pauperum curæ et ecclesiarum defensioni intenderent, quatenus pax et veritas in eorum diebus prævalerent et Ecclesiarum tranquillitas imperturbata maneret. Anno (51) igitur Dominicæ Incarnationis 1081, indict. IV, natus est futurus rex Ludo- C vicus, orationibus ac meritis sancti hujus Arnulfi impetratus, qui utinam ut bono fine potiatur ejusdem sancti suffragio sit adjutus !

CAPITULUM IV.

Expleto igitur itinere, pervenit ad Hugonem Diensem, ejusque insperato adventu idem Hugo gavisus est pariter et turbatus : gavisus quod tam laudabilem personam excepisset, turbatus quod ad ejus consecrationem nullum episcoporum invitasset. Sed totum Deo committens, repentino nuntio lætificatur, omnisque ei anxietas tollitur. Sequenti enim die præsentant se illi tres episcopi, qui nulla necessitate de suis locis tunc exierant, sed tacito instinctu ut legatum tunc inviserent, se permotos palam asserebant. Patuit ergo omnibus divini consilii manife- D stum arcanum, et quod revera hunc in pontificem consecrari superno judicio esset præfixum. Omnia vero quæ ad opus consecrationis ejus utilia videbantur, sic parata et inconfusa evenerunt, tanquam si divinis nutibus aptarentur. Posito super caput ejus sacro Evangeliorum corpore, cum episcopi respicerent, invenerunt secundum Matthæum dicta Salvatoris : *Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem* (*Matth.* XXI). Dominica ante natalem Domini, quæ

(50) De hac prophetia iterum Lisiardus libro III, infra.

(51) Hæc quæ sequuntur non habentur apud Surium, sed eorum loco elogium breve Ludovici regis. *Atque is est*, inquit, *Ludovicus, qui modo Francorum regni habenas moderatur, bella intestina pro viribus comvescit, hostilia fortiter exagitat, quanto quidem in ipso est pacis studiosus, in armis strenuus, in verbis cautus, prudens in consilio, in bello imperterritus, bonorum amans, ejus quæ rem decet probitatis, et integritatis cultor : cui tamen si quid regiæ perfectionis deest, non tam illi quam regni proceribus deputandum est.*

accidit XIV Kalend. Jan. consecratus est episcopus A cum magna gratia omnium, et cum tota prosperitate divini favoris ad sedem Suessonicam feliciter est transmissus. Nec latuit populos Viennenses inclyta fama ejus; quin potius congregati mutuo se hortabantur, ut illum vi raperent, et suæ urbi archiepiscopum intronizarent. Tunc etenim Vienna civitas pontificis administratione carebat. Quo rumore latius pervagante, vir Dei festinavit exire fines eorum, accelerans exercere salutem animarum sibi specialiter commissarum, et vineam excolere, cui cultor fuerat et custos ordinatus.

CAPITULUM V.

Sane Cluniacum monachorum agmine gloriosum, dum quasi latenter permeans declinare disponeret, fama comes virtutum non permisit eum latere. Nam comperiens iter ejus et causam itineris Hugo abbas præcipuæ religionis, misit velocius monachos suos in occursum ejus, mandavitque, et conjurans per charitatem sanctæ fraternitatis, ut nullatenus declinaret ab itinere sacri cœnobii Cluniacensis; sed comitibus monachis obviam missis, properaret videre fratres ejus gaudentes, ejusque benedictionibus avide confrui exoptantes. Quam tantæ humilitatis executionem vir Domini expavit recusare, et mandatis obtemperans, direxit viam ad venerabile cœnobium Cluniacense. Tunc collecto monachorum exercitu magnoque decore exornato, obviam ei processit, et beatum pontificem eximia cum veneratione excepit; nec tantum propter episcopatum, quantum propter prioris vitæ sibi notum, et Deo gratum meritum. Nam antea idem vir sanctus Arnulfus ipsius abbatis Cluniacensis magisterio et regiminio jugiter utebatur, unde et fama manaverat, quod in electione ipsius Ecclesia Suessionensis consilio ejusdem abbatis fuisset confortata. Quem honorifice susceptum et benigne habitum sedulus explorator obsedit, non typo curiositatis, sed fervore sanctæ charitatis, proponens quæstionem de Scripturis, et earum solutionem ab illius ore eliciens, ut tali indagine rescire posset utrum in promptu haberet proferre nova et vetera, ne commissa sibi Ecclesia minus justo spirituali aleretur doctrina. Denique sic contigit ut quem idiotam et agrestem existere domnus Hugo pius abbas extimuerat, zelo charitatis hunc doctrinæ fluentis exundare et eloquii facundia non mediocriter vigere lætus expertus sit. Sed prædicti Hugonis vel brevem istic memoriam videre animus sitit. Fuit nempe corpore et corde castissimus; monasticæ institutionis vitæque regularis sator et custos perfectus, probatorum monachorum, et honestissimarum personarum nutritor indesinens, et sanctæ Ecclesiæ auctor [*f.* tutor] et defensor fervens.

CAPITULUM VI.

Occupabat sedem Suessonicam non Ecclesiæ jure, sed palatii favore episcopus Ursio, Gervasii regalis dapiferi germanus, et idcirco rebus episcopii utebatur, quoniam regius favor ob gratiam fratris eumdem comitabatur. Venienti igitur domno Arnulpho episcopo, et Suessionis civitatem intrare disponenti, fit obvius isdem Gervasius cum turba armatorum, et monuit valde ne civitatem intraret, si tandem vivere vellet. Cui vir Dei constanti mente respondit: *Scriptum est, dicente apostolo, quoniam « perfecta charitas foras mittit timorem (I Joan. IV).» Et quia « mihi vivere Christus est, et mori lucrum (Philipp. I), » obedientiam apostolico mandato mihi impositam conabor implere, ne non obediens merearí improbari. Me decet audire* [*f.* adire] *quæ jussit papa subire: Opilio Christi non frangitur agmine tristi; habeat me Dominus Deus meus aut martyrem, si interficior, aut confessorem, si evado. « Charitas enim Christi urget nos (II Cor. V).»* Ita dicens animal cui insidebat calcaribus agitavit, ut civitatem velociter B subiret. At Gervasius injecta manu arripuit frenum jumenti, et torquens animal, cum sessore aliorsum digredi coegit utrumque. Vir autem Domini statim cessit obsistenti, memor Domini dicentis: *Amice, ad quid venisti?* » (*Matth.* XXVI.) Intendebat et illud, quia nec in hasta nec in gladio salvat Dominus. Sic in quantum licuit obedientiæ mandatum implevit, et sedem quam non cupierat tranquilla interim mente deseruit; sed excoluit pietate quam visus est deseruisse corpore.

CAPITULUM VII.

Verum quia non sedes episcopum, sed episcopus sedem facit, et virtus majestatis per loca non scinditur, in quodam castello ejusdem diœcesis, voca- C bulo Ulciaco (*Oulchi*), solatio Tedbaldi comitis, mansionem, ac sedis vicariam sibi statuit: ubi convenientibus Ecclesiarum prælatis, et senioribus de clero, concurrentibus etiam promiscuis populorum cœtibus, pœnitentiam confessis et reparationem lapsis strenue ac fideliter procurabat.

Pontificis studium colit omnis grex populorum,
Præsulis officium clerus sitit Ecclesiarum:
Consecrat ecclesias, clerum docet, agmina firmat,
Prædicat, absolvit, baptizat, chrismate tingit;
Cœtibus haud stultis diffundit verba salutis:
Lapsis dat veniam, contritis corde medelam,
Se sponsum viduis, patrem dedit esse pusillis:
Virginibusque tamen studuit conferre juvamen;
D Exhibuit charum se cunctis, sprevit amarum,
Ecclesiæ cultum coluit super omnia multum,
Pervigil, exorans, mundi crimina plorans.
Nec tulit indignum famulis se ferre benignum,
Vir pius et lætus, prædulci famine fretus,
Omnibus omne gerens, sceleratis valde resistens;
Præstans vitalem non se tulit exitialem,
Sic Domino gratus patuit, sic mente beatus,
Fieret in Christo laus, gloria, sorde carendo.

CAPITULUM VIII.

Commorante autem viro Dei in eodem loco, accidit graviter infirmari monachum ac presbyterum Everolfum, ipsi antistiti per omnia devotum, quem pro utilitate sui diligebat plurimum. Jamque isdem pro acerbitate fervidi languoris credebat se moritu-

rum, et idcirco postulavit episcopum, ut sacro eum oleo perungeret, suumque exitum suffragiis præmuniret. Cui episcopus lumine prophetiæ illustratus, ait: *Intempestiva sunt quæ flagitas; quibus ideo non annuo, quia divinæ dispositioni contraria scio. Nam non ego te ungere aut sepelire habeo, sed tu me alio tempore alioque in loco obeuntem, ungendo et sepeliendo sacris officiis prosequeris.* Et ille ait: *Ad vestri transitus obsequium quomodo ego tantillus possim accedere, cum episcopi vel abbates illud debeant celebrare?* Ad quem præsul: *Scias certissime quod ad meæ unctionis vel tumulationis exsequias, nullus episcoporum aut abbatum conveniet. Sed per tuæ dilectionis servitium omnia circa me complebuntur. Sed jam modo surge; ad ecclesiam vade, et missam faciens, Salvatori nostro gratias age.* At ille dixit: *Domine Pater, viginti et uno diebus non manducavi, et quomodo imperas ut surgam, vel ad ecclesiam pergam, dum corporis vires nullas habeam?* Tunc pontifex alludens tenuit manum ejus, et dixit: *Ecce dico tibi, in nomine Jesu Christi velociter surge; et quæ tibi imperavi hilariter comple.* At ille surrexit, et seipso fortior ad ecclesiam ivit; orationem fecit, missam cantavit. Reverso ab ecclesia ipsemet vir Dei cibos apposuit, poculum ministravit, et sic sanissimum factum, eodem die in comitatu sui itineris illum socium habuit.

CAPITULUM IX.

Idem vir Dei sanctus aliquando ab eodem fratre requisitus quando et quomodo vel ubi futurus esset transitus ejus, respondit: *Non multum tempus successerat, postquam divinæ voluntatis consilio episcopus, licet indignus, ordinatus sum, cum sentirem monachos Sancti Medardi et clericos ecclesiæ* (52) *Sancti Gervasii invicem altercari velle pro exuviis futuris corporis mei, totis visceribus imploravi Regem, cui omnia vivunt, ut dignaretur aperire mihi quando, et ubi præfixus esset transitus de corpore mortali, sive locus deputatus meæ tumulationi. Et quadam nocte his precibus incumbenti, astitit visio beati Petri apostoli, talibus verbis me instruens atque confortans: In regione Flandriæ est locus Domino nostro Jesu Christo, sub titulo nominis mei consecratus, ubi multa signa Christo volente facta sunt, ad cujus honorem vel provectum renovandum impetravi a Domino, ut in eodem loco debeas sepeliri, qualiter te Christo glorificante, idem locus splendore meritorum tuorum illustretur, et ad lucem sanctæ religionis, te inchoante, reducatur.* Cui ego: *Domine, cum ille locus ex toto mihi sit ignotus, et a diœcesi mihi commissa alienus, qua ratione potero illuc venire sepeliendus?* Ille respondit: *Tu audisti quam sæpius quia « non erit impossibile apud Deum omne verbum* (*Luc.* I), » *proinde de hoc non solliciteris, quia mox, ut erit tempus, paratum est Domini opus. Romanus pontifex tibi mandatum injunget, per quod adventus tui in Flandriam fiet causa. Pax Christi tecum, pax nostra simul comitetur in ævum. His talibus monitis confortatus, credo quod non erit vacuum quod dignatus est spondere primus apostolorum. Sed et tu, charissime, custodi diligenter, ne talia cuiquam quandiu spiro audeas confiteri.*

CAPITULUM X.

Populorum frequentia undique ad eum properante, quorum morbis expiandis attentius insudabat, quadam die in exedra stans, et per fenestram foras prospiciens, vidit in platea subjacente hominem anhelum gradientem, et super collum plancam bajulantem; moxque dixit circumstantibus clero et militibus: *Planca illa quæ eminus bajulatur rapina est.* Circumstantes responderunt: *Et unde hoc agnoscere, o domine, potuisti?* Respondit Dei servus: *Certissimum habeo rapinam esse, quoniam hac eadem hora auctor rapinæ diabolus collum hominis insidiando premit.* Aiunt ei: *Et possumus requirere an ita sit?* Dicit sanctus: *Facite ut vultis.* Mox de illis unus pro omnibus in agilem cursum se celeriter dedit, et gerulum plancæ sic affatus: *Heus tu, o homo! Planca ista, quam sic anhelus bajulas, unde rogo tibi provenit?* Respondit ille: *Apud Nantolium villam in quodam assultu interfui; et hanc ibi plancam rapiens acquisivi.* His percunctator auditis, ad eos qui se miserant celer rediit, et viri Dei testimonium ex toto fuisse veridicum, stupentibus nuntiavit. In hoc autem quædam similitudo est de beati virtute Martini, qui quondam ad Avitianum (53) superbum comitem veniens, diabolum super caput ejus incubantem aspexit.

CAPITULUM XI.

Quodam tempore dum cujusdam vici plebitaneam ecclesiam esset dedicaturus, clientibus suis et viæ sociis futuris dixit: *Tali rogo semita ad illam nos ecclesiam conducite, qualiter confluens populus nesciat qua nos illo via debeamus pervenire; et aliquid alimentorum vobiscum comportate, ut post itineris laborem, vel ad modicum valeamus corpora recreare.* Itaque semita remotior ac devia arripitur, nec tamen fervor populi sitientis hoc argumento sedatur; sed sub omni celeritate grandis multitudo ante illum et post adunatur. Quod cernens Dei servus, in laudem Conditoris erupit, et famulantibus sibi dixit: *Quidquid alimentorum hic habetis proferte, ut post laborem viæ vires corporum valeamus reparare.* Nec mora, proferuntur claustrales panes quinque, vini quoque funduntur quinque vascula, juxta modum claustralis justitiæ; et expansis in herba tapetibus, vir Domini resedit; proflua turba illum gregatim ambiente. Tunc benedicens panes, paucos quidem numero, sed multos numeri mysterio, jussit omnibus, qui undique considebant, ex eodem pane distribui, vinum quoque illis ad satis propinari. Res itaque tunc gesta, in hoc visa est digna magno miraculo, quoniam ille panis, illudque vinum tam abunde cunctis suffecit, ut dicerent se bene refectos et copiose satiatos. Etiam quidem illorum, de illo pane spe credula

(52) Ea est ecclesia cathedralis Suessionensis, quæ sub SS. Gervasii et Protasii titulo Deo dicata est.

(53) De Avitiano comite agit Sulpicius Dialogo 3 De virtutibus S. Martini.

quasdam particulas reportarunt; quæ languentibus postea appositæ, gustu sui salubre remedium præbuerunt. Manducantium vero et gaudentium caterva, præter præsulis comitatum, septingentorum numerum superavit.

CAPITULUM XII.

Rogerus comes Porcensis in castello, quod vocatur Calvus-Mons (54) Remensis provinciæ, ecclesiam construxit: ad cujus dedicationem faciendam, magnis precibus invitavit sanctum Arnulfum Suessionensem episcopum. Ventum est usque ad id ut, basilica consecrata, altare consecretur. Et tunc residente episcopo et paululum respirante, accessit comitissa ducens in manu sua mulierem quindecim annis cæcam, et genu flexo ante illum ait: *Pie domine, miserere huic misellæ, et tua sancta oratione, tuæque manus impositione, lumen illi oculorum suorum clementer restitue.* Illo autem negante, et se indignum magis clamante, cæca mulier dixit: *Episcope Dei, ne differas, quoniam cœlitus mihi est promissum quod tactu manus tuæ lumen recipiam oculorum.* Et ille statim lacrymis suffusus oravit, dexteram cum signo crucis oculis mulieris apposuit; et continuo lumen clarum mulier ipsa recepit. Hujus miraculi inspectores fuerunt Algelrannus vir facundus, beati viri tunc archidiaconus, et postea Laudunensis episcopus; Radulfus Viridis, postea Remorum archiepiscopus, ad quem scilicet hujus operis præfatio dirigitur; abbates convocati et præpositi ecclesiarum plures; ipse comes Rogerus, et comitissa ejus; clerus multus et populus infinitus, quorum voce laus Dei nostri celebrata est celsa voce, pro honore rei gestæ cunctis vociferantibus: *Te Deum laudamus.*

CAPITULUM XIII.

Qualiter sane regionem Flandrensium petierit, et quæ causa illum ad illas partes retraxerit, competens descriptionis ordo jam narrandum exposcit. Robertus (55) igitur tunc comes Flandrensium infestus fuerat quibusdam nobilibus ac ditioribus gentis suæ, qui hoc consilium tractaverunt, ut Rodberto feroce comite dejecto, mitiorem, ut putabant, principem sibi providerent, Balduinum scilicet comitem Montis-Castrorum. Tale consilium illorum postquam comiti Rodberto innotuit, omni molimine suos proditores intercepit, aliquantos perimens, aliquantos proscribens, quosdam etiam rebus et honoribus nudatos extra patriam exsulare compulit. Inter quos Arnulfus Morinorum archidiaconus, et ecclesiæ Beati Audomari (*S.-Omer*) præpositus, de omni sua rerum vel officii facultate depulsus, multis diebus profugus, intolerabilem calumniam est perpessus. Qui sero ad cor rediens, Romanum papam, nomine Gregorium, expetiit, et quanta calumnia gradus sui honorem et rerum facultatem amisisset, proclamavit lacrymabiliter. Tantæ ejus et sibi similium calamitati compatiens domnus papa, decrevit suis epistolis animos comitis Rodberti turbidos et feroces ad lenitatem provocare, ut suspectis suis plene indulgere, aut certe facultatem se purgandi concederet. Sed quia nemo potuit inveniri qui apostolici litteras in præsentiam comitis tam offensi deferre præsumeret, res in longum dilata est. Tandem memoriam subiit constantia sanctitatis, et fervor charitatis hujus sancti viri Arnulfi Suessionici episcopi. Idem in palatio domini papæ celebre innotuit, hunc esse procul dubio qui apostolici mandata comiti Rodberto præsentare incunctanter prævaleret. Tali tandem consilio animatus domnus papa Gregorius, scriptas et bullatas epistolas dirigit reverentissimo pontifici Arnulfo, mandans et imperans ut litteras interventrices et personas de quibus agebatur, ad præsentiam comitis Rodberti in suo conductu offerret, illisque veniam vel copiam se purgandi ad honorem apostolicæ sedis impetraret. Hac igitur causa bifariæ justitiæ, id est obedientiæ principalis, et fraternæ compassionis, alligatus vir pietate fortis, non immemor apostolicæ sibi præostensæ sponsionis, cum quibusdam illorum venit ad oppidum Insulam (56) nuncupatum, ubi reperto comite Rodberto, sacra apostolici præsentavit. Quæ dum legerentur, interim accusati clam se submittentes tenuerunt pedes ejus. O furor! o rabies! o motio fellis amara, quæ tunc fronte, oculis et toto vultu comitis ferbuerunt, quando sensit exosos suos tetigisse pedes suos. Sed quid illa ferocitas ante virum justum faceret? Adfuit ille qui respicit terram et facit eam tremere (*Psal.* CIII), et, tam obtentu sanctitatis ejus quam pro reverentia sedis apostolicæ, salus et vita rerumque facultas indultæ sunt. Ecce quam vera et quam miranda sunt consilia Dei! Quis hoc excogitare potuit, ut nequitia proditorum verteretur in occasionem salvandorum populorum! quis scire vel cogitare potuit, ut grandis furor irati comitis rediret ad magnum honorem famosi præsulis! Sed interim sileat omnis caro, ut appareat quid Jesus Dominus decreverit operari in servo suo.

CAPITULUM XIV.

Quia nempe illo in tempore per quædam, imo per cuncta Flandriæ loca, quotidiana homicidia, et insatiabiles humani sanguinis effusiones pacem et quietem totius regionis turbaverant, ob hoc magnis precibus maxima nobilium multitudo impetravit ut loca in quibus maxime atrox crudelitas sæviebat, præsul Domini visitaret, et mentes Flandrigenarum indociles ac cruentas, de pacis ac concordiæ bono aliquatenus commoneret. Qui in spiritu sentiens

(54) Calvus-Mons, vulgo *Chaumont*, oppidum diœcesis Remensis prope Castrum Porcense, vulgo *Château-Porcien*. Ecclesiam de qua hic mentio, abbatiæ titulo illustratam nunc possident Præmonstratenses, ut notat Marlotus Metrop. Rem. tom. II.

(55) Robertus Friso, vulgo dictus, qui pulsis Richilde Balduini comitis relicta ac ipsius filiis, comitatum Flandriæ occupavit.

(56) Hodie urbs est Flandriæ insignis, imo ejus caput, vulgo *Lille*.

hoc acceptum coram Deo, et, ut præscriptum est, sciens divina jussione, et beati Petri apostoli interventione huc oportere venire, tanto citius acquievit eorum precibus, quanto certius aspiciebat hæc omnia actitari divinitus. Nobilium itaque ac magnatorum stipatus caterva venit ad Brugense (*Bruges*) oppidum, et inde in Flandriam interiorem ad Aldeburgensem vicum. Quibus in locis tanta rabies occidendi, tantusque inerat furor ulciscendi, ut humano sanguine assidue cruentari jucundum haberent, et vel una die a cædibus cessare ignavum atque improbum æstimarent. Vix pater filio, vix filius patri parcebat; frater germanum, nepos avunculum vel patruum, quin et patruus nepotem pro modica causa neci tradebat. Horum autem diabolicam rabiem, et tam Brugensium quam Furnensium (*Furnes*) ac Aldeborgensium insanam perniciem, vir Domini Arnulfus verbo dulciflua prædicationis et exemplis eximiæ sanctitatis mirabili modo mansuefecit, et corda crudelium ad concordiæ tenorem, licet valde laboriose, complacavit. Nam instante illo, et opportune atque importune prædicante, et crebrius se illorum vestigiis prosternente, tandem inimicitia sopita est, et de infestissimis inimicis, in tenaces amicos arctius sunt confœderati.

CAPITULUM XV.

Hac in re enixius laborans venit in villam, quæ appellatur Turhold; nam et ibi hostis antiquus ignem litium flammasque rixarum spiraverat. Cumque proximos effusi sanguinis alloqueretur, ut pacis fœdera inirent, et diabolica incendia sopirent; erat ibi quidam, nomine Herradus, Herradi [*al. cod.*, Eraldus, Eraldi] filius presbyteri, qui maluit surda aure monita pacis spernere, quam seipsum vel proximos ad pacis studium informare. Atrium itaque ecclesiæ, in quo stabat episcopus, visus est exire, ut absens monita justitiæ pronius posset declinare. Dictumque fuit episcopo : *Ecce unus recedit in quo quam maxime causa consistit.* Statim episcopus e vestigio prosecutus, utque ad comitis stationem, illum subsequendo, pervenit, et ante pedes illius solo tenus prostratus humiliter exorabat, ut ad concordiam pacis redire debuisset. Ille vero typo juvenilis arrogantiæ inflatus subsistere noluit, sed veritus ne ab aliis teneretur, in fugæ cursum perniciter se laxavit; fugienti vero malignus spiritus insiluit, et in amentiam versum seipsum dentibus et ungulis dilacerare coegit. Quo comperto, amici vel affines venerunt, et ligaverunt amentem et dæmonio plenum, et pertraxerunt stridentem et motibus repugnantem in domum patris sui. Deinde adeunt sanctum episcopum, obsecrantes plurimum ut superbo et fatuo ignosceret, nec injuriæ irrogatæ memor esset. Quibus servus Domini dixit : *Injuriam pro veritate illatam amplector; sed de cordis illius stoliditate plus afficior : unde si vultis ut pro illius liberatione Dominum exorem, facite nobis certitudinem, ut vos omnes, velit ipse aut nolit, teneatis firmam pacem, et si litigium aut seditionem commoverit, nemo*
A *ex vobis ferat illi solamen.* Una omnes voce dixerunt : *Anathema sit inter nos quicunque auxilium illi dederit, nisi ad custodiendos sermones vestros.* Ita episcopus, quasi promissis delinitus, aquam benedictam cum exorcismi permistione confecit; de qua juvenis aspersus, statim diaboli pervasionem evasit, et sensibus suis sobrie functus, pacem et concordiam speciali devotione servavit.

CAPITULUM XVI.

In eadem villa Turhold, gestum fuit aliud non minus mirandum. Quidam miles Aldenborgensis indigena, nomine Willelmus, statura et agnomine Longus, habuerat filium jam adultum tirocinio mancipatum, sed furtis et rapinis plus intentum. Qui filius dum quodam tempore in domo cujus-
B dam Sigeri luce clara rapere niteretur, ab ipso Sigero gladio percussus citius mortuus est. Qui Sigerus cernens se peccasse in morte tironis, quamvis juste perempti; adiit venerandum sanctumque virum Arnulfum episcopum, rogans ut medelam verborum adhiberet, ad sanandum ulcus tanti piaculi. Vir autem sanctus, qui seipsum obtulerat in præparationem Evangelii pacis, impiger exiit in campum Sigeri, subiturus duellum contra potentias diaboli, et armatus scuto fidei, viriliter decertavit rapere vasa fortis maligni. Adunatis vero cum peremptore juvenis propinquis ejusdem interfecti, seminavit verbum justitiæ, verbum veritatis et pacis, et auctore Deo, pacificavit Sigerum cum Willelmo
C Longo, videlicet patre interfecti. Postea Willelmus, a quibusdam malignis increpatus, cur filii mortem tam leviter indulsisset, cœpit pœnitere de benefacto, et iterum cœpit locum captare, quo sumeret vindictam de Sigero. Nec cedebat ei locus ultionis, donec recursu temporis, circa festum sancti Joannis in nundinis Turholdensibus, veniente fortuito Sigero ut vestem emeret, illum Willelmus gladio acutissimo cervice tenus perculit, et exsanguem factum, non mortuum, in cartallum quo vestes jacebant dejecit. Statim omnes nundinæ turbatæ sunt. Fit clamor et indignatio in populis, cur comitis pacem temerare præsumpsisset. Curritur ad comitem, qui præsens in domo sua Turholdi consistebat; nuntiatur ei probrose illum jam nihili va-
D lere qui suas celebres nundinas nequisset defensare. Prosilit comes Rodbertus animo efferatus, jubet continuo percussum et percussorem sibi sisti. Interim audit a suis militibus, quod Willelmus Longus hujus audaciæ præsumptor fuisset, et in ultionem occisi filii nundinas exturbasset. Jam comes aliquantisper mitigatus respondit : *Willelmum Longum seu militem strenuum, diligo ut filium; sed hoc redarguo, quod filii mortem, per sanctum Arnulfum episcopum perdonatam atque pacificatam, denuo ultum repetivit.* Interea deducitur coram eo percussus, trepidans quidem, sed illæsus. Videtur cervix ejus non gladio percussa, sed quasi rubeo filo præcincta. Tunc comes ait ad Wilhelmum : *Miror tuam temeritatem, sed plus horreo tuam tantam debilitatem; quando-*

quidem enim parcere noluisti, cur tam pueriliter ferire non erubuisti, ut manus feminea, non virilis dextra in ista cervice compareat. Agnosce igitur quoniam nec gladii nec dexteræ causa fuit; sed imperio summi Dei id actum est, qui non permisit vulnerari cervicem, quæ per documenta tam sancti viri sponte susceperat pacem. Sic comes, sic comitis proceres, et milites prædicabant, quod quidquid sanctus Arnulfus pacificasset, fixum et inviolabile Dei nutu permaneret.

CAPITULUM XVII.

Intra terminos parochiæ Gestelensis, quæ subjacet diœcesi Tornacensi, est quædam vena terræ nigra et quasi subrufa, quæ, crebris paludibus intersita, non facile potest transiri. In his vero locis moratur genus hominum atrocitatem semper gestiens, ut vulgus Scytharum. Ad hæc loca vir Domini pertractus, ut inter tales verbum pacis seminaret. Conventus est a quadam anicula, lacrymosis planctibus ita clamante : *Sancte serve Dei, miserere mei, et dignare intrare in tugurium paupertatis meæ, sicque videbis multiplicem et diuturnam pœnam afflictionis meæ.* At ille mansuetus et humilis, memor semper nominis Christophori cœlitus sibi inditi, intravit tectum viduæ pauperis, ut videret causas declamatæ calamitatis. Jacebant enim in lectulis quinque filii ejus, uno eodemque languore constricti, quorum nullus alium poterat juvare, vel in aliquo supportare. Tum mulier dixit: *Vide, serve Dei, quanta sit mea miseria, quantus dolor me angit, quanta tristitia me affligit. Servio sola quinque viris, curro et festino ab illo ad illum, ab isto ad istum, et minime placeo famulando.* Tunc vir Domini nimia compassione congemiscens, tacitus oravit; deinde aquam benedictam conficiens, totam domum et infirmos aspersit, et eisdem sic imperavit. *In nomine Domini nostri Jesu Christi, recedat a vobis languor iste, ut statim convalescatis, et matrem vestram tot doloribus addictam serviendo vobis fatigare non egeatis.* Adfuit continuo virtus Domini, et statim consurrexerunt, atque cibos diu exosos avide sumpserunt. Sequenti die lavacra subierunt, ac deinceps omni incolumitate viguerunt.

CAPITULUM XVIII.

Folcardus quidam accola Gestelensis, alacer et robustus, nec tam utilis quam temerarius, beatum præsulem de pacis gratia colloquentem contemnendum putavit. Qui dum faciem viri Dei fugeret, repente est traditus maligno spiritui; a quo discerptus et miserabiliter laniatus, ab amicis vel propinquis vix potuit coerceri. Et hinc non sua fide, sed aliorum prece per beatum pontificem a dæmone purgatus, didicit jam ex passione quantum beato viro impendere debuisset amoris et reverentiæ.

CAPITULUM XIX.

In vicinio Furnensis castri habitavit quædam vidua, nobilitate et opibus fulta, nomine Evergerda, cujus maritum simulque filium atroces inimici peremerant, et pro quorum interitu graves inimicitiæ A interfectoribus undique incumbebant. Nam pro morte duorum omnis illa regio conturbata fuerat, dum alii vindictam, alii defensionem homicidarum molirentur. Ad quod malum compescendum Domini præsul sanctus Arnulfus sponte ac prompte properabat, ubicunque de pace et concordia esset agendum. Venit ergo asello vectus ad domum illius divitis viduæ, contra quam vox Apostoli insonat dicens : *Vidua quæ in deliciis est, vivens mortua est* (*I Tim.* v). Talis illa cum esset, beati viri ingressum omnino noluit; sed ante suam portam pontem levatorium erigi jussit, ne pateret ingressus, neve daretur effectus votis hominis Dei. Ille tamen non destitit prædicare, arguere, obsecrare, ut interfectoribus filii vel mariti pro refrigerio animarum ipsorum in- B dulgeret, et quos crudeliter odiebat, amicos sibi confœderatos effici consensisset. Illa vero neque preces ejus, neque monita suscipere voluit; sed in sui persistens tumore animi, famulum Christi de aselli sessione, et de vestis humilitate subsannando derisit, et a se repulit, sed non impune. Nam postquam præsul gemebundus ab ea recessit, gravis illam divinæ animadversionis vindicta percussit. Post modicum quippe temporis, manente cœli serenitate, quidam levis turbo consurgens, domum ejus concussit et contrivit, in qua ruina deprehensa, repentina morte percussa interiit. Ubi valde miranda res contigit quod in eadem domo cum essent famuli et ancillæ plures, porci vel canes, gallinæ, anseres, columbæ C atque hirundines, nihil tunc ibi periit, nisi irreverens femina, nec quodlibet animal vel quidpiam læsum fuit.

Funditus exstincta docuit non dogmata ficta,
Quæ monuit sanctus vindictæ pondere tantus,
Femina sic fortis, fit juste filia mortis.

Hujus certe ultionis fama volans, perterruit corda duricordium Flandrigenarum, ut nemo auderet viro Dei resultare, vel sacris ejus monitis non obedire. Erant eo tempore in vico Aldenborgensi duo vesanæ animositatis adversarii, Conon unus, alter Robalinus: quorum Robalinus Cononis patrem, nomine Hidonem, dolo peremerat, alter alterius amicos et domesticos trucidabat, alter alteri quæcunque poterat privatim et publice mala ingerebat. Horum quo- D que mentes dæmoniis plenas, suarum documentis prædicationum, et terrore frequentium signorum ad gratiam pacis convocavit. Talibus congratulans comes Rodbertus, totaque gentis nobilitas, gaudio magno gliscebant, quod talem suis temporibus Christus Dominus tribuisset ministrum, qui curam omnium paterno affectu gereret, et viam vitæ omnibus, exemplis propriorum actuum declararet. Et jubente comite Eremboldus prætor, assumptis secum prudentibus viris, in Brugensi palatio, supputatis per nomina interfectis Brugensis coloniæ, vel aliorum locorum, unde personarum notitiam colligere potuerunt, invenerunt et ex scripto indiderunt, quoniam expensio decem millium marcarum argenti meri non potuisset persolvere, quod gratia Dei per hunc ve-

ritatis ministrum dignata est moderari. Hinc factum est ut virum sanctum omnis homo, tam potens quam impotens, medullitus adamarent, illumque secum anhelanter habitare peroptarent. Et hinc toto conamine cœperunt disquirere quonam in loco sacer præsul utiliter ac honeste valuisset residere.

CAPITULUM XX.

Ecclesia erat in oppido Aldenborgensi, sub honore sancti Petri apostoli et omnium sanctorum apostolorum antiquitus fundata, divinis miraculis frequens et famosa, quam quidam nobilis et multum locuples, nomine Conon, frater Everardi Tornacensis, in rationem beneficii de Flandrensi comite habebat, comes autem hanc eamdem ab episcopo Tornacensi tenebat. Hunc Cononem inflammavit timor Dei, suggerente fidelissima conjuge, nomine Huzececa [*al.* Zazecca], ut ecclesiam Sancti Petri apostoli, quam terribilem fecerant divina miracula, immunem sui juris, liberamque perageret, et ad laudem Dei abbatiam monachorum instauraret. Oportebat enim impleri superius scriptam beati Petri sponsionem, quam ad ipsum præsulem factam retulimus, tam de loci structura quam et de ipsius sancti viri obitu et sepultura. Ordinatione vero Dei peractum est ut, reddente Conone comiti ecclesiam quam tenebat, comes hanc eamdem Tornacensi episcopo, nomine Radbodo, reddiderit. Radbodus quoque episcopus cum Galtero archidiacono, laudante clero et gaudente populo, liberam et expeditam condonavit episcopo Arnulfo, illique canonicam de eadem fecit investituram.

CAPITULUM XXI.

Hanc denique ecclesiam seniorum traditio ab abbate Usmaro (57) temporibus Dagoberti regis Francorum commemorat ædificatam, quam majestas Domini diversis revelationibus signorumque ostensionibus multoties mirificavit. Cæci visum receperunt, surdi auditum, muti loquelam, paralytici vel contracti restaurati sunt, et omnis morbus vel ægritudo optatam ibidem receperunt salutem. Anno autem Domini 1081 [*al. mendose* 1091] sacra nocte Natalis Domini, factus est ventus vehemens et validus, qui turres urbium et tecta domorum ac ædificia plura ecclesiarum concussit, fregit et dejecit. Eadem nocte ejusdemque venti turbine campanarium ecclesiæ Sancti Petri evulsum est a suis cardinibus, et supra tectum turris in qua stabat versus orientem projectum, ita ut per sex dies ac noctes cerneretur pendulum, quasi semper esset ruiturum. Congregati mane loci habitatores, sub omni celeritate convocant architectos, statutis præmiis si illud revocarent munerandos. At illi multa promittunt, restes præparant, balistas erigunt, ligamenta consuunt, et multimoda artis argumenta componunt. Et dum populus præstolaretur adinventas artificum machi-

A nas, quibus campanarium sperabatur reformari, ante noctis medium, pridie Kalendas Januarii, advenit virtus de cœlo in visione ignis, et campanarium quidem suis sedibus firmissime relocavit, ecclesiam vero intus et foris flammeo lumine vestivit. Hæc me sic referre puderet, nisi testes mille se vidisse perhibuissent (58).

CAPITULUM XXII.

Habebat in usum catholicæ fidei conservator, ut si quando ægrotus ad illum causa medelæ accessisset, mox prælato signo crucis manum illi imponeret, et verba Evangelii decantaret tertio dicens: *Super ægros manus imponent et bene habebunt* (*Marc.* XVI). Quibus ita tertio dictis, recedebant languores, sanitas sequebatur. Talia prænoscens quædam mulier B Aldenborgensis oppidi indigena, venit ad eum ubi tunc manebat apud Sanctum Petrum, et oravit dicens: *Rogo te, sancte episcope, tange et benedic caput meum, ut sanari valeam a tantorum afflictione dolorum.* Cui præsul: *Quid molestiæ patiaris, vel qua nos ratione adieris, edicito, soror.* At illa subjunxit: *Longum tempus transegi in acerrimis doloribus capitis, qui in tantum me exagitant, ut phrenesim me pati homines credant, et die nocteque aliqua requies in me non habeat locum. Dormire, manducare, vel operis quid exercere nunquam possum. Tot mihi malis oppressæ apparuit quidam divinus monitor dicens: Vade ad Arnulfum episcopum, et pete ab eo ut caput tuum tangens benedicat, et continuo sanaberis. His com-* C *pulsa causis venio, et promissam sanitatem exposco.* Ad quam mox episcopus ait: *Secundum fidem tuam fiat tibi.* Similiter et tangens benedixit, moxque capitis dolor cum caloris immoderantia deletus est.

CAPITULUM XXIII.

Adhuc eodem in loco consistente viro sancto, venit quidam Hierosolymis peregrinus, et nuntiavit illi dicens: *Domine, soror vestra domina Oda, mihi Hierosolymis locuta, nimium efflagitavit ut dicerem vobis quoniam quantumcunque prævalet, laborat et festinat, ut ante vestrum transitum vos in carne videat, vobis loquatur, remissionem delictorum, et agendæ in reliquum vitæ normam, atque consilium a vobis præsens petat atque accipiat. Hæc vero summa petitionum illius est, ut vestra oratio ad Dominum* D *fiat, impetrans ut vos non recedatis donec veniat, ipsa non moriatur donec dilectam sibi vestram faciem videat.* Tunc ait homo justus: *Oda soror nostra, et in Domino germana, quamvis festinet, avide properet, frustra contendit, in vanum laborat, in vanum concertat adipisci quod Dominus aliter disposuit. Videat et contempletur actus nostros, et studium timendi Dominum.* Itaque hæc pudicissima mulier properans et festinans, nec aliquam sibi requiem attribuens, celeriter intravit Aldemborg, et invenit fratrem sepultum octo dies habentem in monumento.

(57) Vitam S. Ursmari abbatis Laubiensis dedimus ad an. 713, Sæc III, part. I, pag. 246, cum Appendice in qua nonnihil habetur de hac ecclesia Aldeburgensi ab eodem Ursmaro exstructa.

(58) Eodem modo istud miraculum refert Sigebertus auctor æqualis, in Chronico, ad hunc annum 1081.

CAPITULUM XXIV.

Sed ut ad ordinem revertamur, beatus sanctus Christi miles Arnulfus, mense Junio subintrante, cœpit curiose requirere sicubi haberetur memoria sancti Medardi, cupiens solemnitatem ejus, quæ est sexto Idus Junii, in ecclesia ejusdem nomini dicata celebrare. Illo sic sollicito intimatum est in fundo nuncupato Ervingahem stare ecclesiam, Beati Medardi nomine insignitam, non longe ab Aldemborg, in plaga australi, ad quam sanctus Dei præsul venit, ut ibi perficeret debita officia pro honore tanti confessoris. Vidit autem illius fundi populus sanctam celebritatem, et compuncti corde donaverunt ecclesiæ Sancti Petri in Aldemborg duas partes decimarum omnium allodiorum suorum, cultorum et colendorum, palustrium vel aridorum, silvarum vel pratorum, et quidquid liberæ terræ habere visæ sunt, ex hoc duas partes decimæ totius annonæ lini et cannæ prompto animo contulerunt. Hujus autem largitionis principes quique, nobiles et ingenui illius loci viri, Bertulfus filius Ermenarii, cum Ingelborg uxore sua, Eremboldus et Malgerus filii Almari, Leggiva vidua alterius Ermenarii, cum filiis Ingranno, Fredeboldo, ac Lamberto, vel tota istorum consanguinitas, exegerunt a sancto viro ut æterno anathemate damnarentur isti vel eorum posteri, si quando molirentur de præfata decima aliquid subtrahere, vel minuere, vel quocunque modo quidpiam damni inferre.

CAPITULUM XXV.

Loco igitur canonica, ut præfatum est, traditione sibi delegato et legitime emancipato, deputavit ibidem aliquos suorum, qui locum mundarent, et habitationes Deo servientibus competentes præpararent. Populus etiam vicinus, sed et longe circumquaque positus, alacriter auxiliabatur dando pecunias, et animalia ac diversa subsidia. Gaudebant autem quod lucerna Dei inter illos emicare cœpisset; nam in alto ecclesiæ Sancti Petri apud Aldemborg, eo scilicet loco quo steterat vel sederat hic beatus, cum pro pace et concordia insudaret, visa est columna ignis ab alto proeminens consistere, quæ ab initio noctis usque circa auroram prægrandi fulgore noctis caliginem mutavit in lucem, et cuncta in circuitu spatia luce prælustravit splendiflua.

CAPITULUM XXVI.

Ipse ad sedem Suessonicam rediens, omnium votis ambitur, omnium gaudiis celebratur. Pervenit autem ad illum reprehensibilis in plerisque regis Philippi operatio, et continua coercendorum dissimulatio, necnon indiscreta episcoporum vel abbatum impositio. Ideoque cœpit tædere super malis quæ undique patrabantur, nullo rempublicam moderante rectore. Dormitavit ergo anima ejus præ tædio malorum, quæ excrescebant quotidie, quoniam et illa nobilis moderatio Remensis Ecclesiæ adeo tepuerat (59), dejecto jure metrapolitanæ di-

A gnitatis, ut nec episcoporum concilia, nec ecclesiarum judicia inibi exercerentur. Illam igitur compunctionis nutricem, illam silentii custodem, illam vigiliarum et psalmodiæ consciam, illam quietis et divinæ contemplationis amicam, primæ reclusionis resumpsit semitam, eligens abjectus esse in domo Domini, magis quam abire, stare vel sedere in qualibet divinæ legis transgressione. Noverat quippe potentes potenter tormenta passuros, idcirco declinavit a malis, ut totis viribus faceret bona, cupiens paratus fore et pervigil, ut Domino quandoque pulsanti confestim aperiret. Quam reclusionis semitam arduo tramite conservavit, sacris virtutibus decoravit, vivens in fame et siti et jejuniis multis, in frigore et nuditate, extendens semper mentem suam in scientia Dei, in

B charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu sancto.

CAPITULUM XXVII.

Emerserunt autem importuniores causæ circa locum, et circa finitimam regionem, pro quibus adunati nobiliores Aldenborgensis coloniæ cum Everolfo monacho, statuerunt ut venirent ad virum Dei, et totis nisibus compellerent ut rediret in Flandriam, et causis importunioribus modum finemque proferrent. At ille conscius futurorum, utpote qui divinis revelationibus frequentius docebatur, votis se quærentium libens annuit, sicut qui revera noverat, se non posse dissolvi ut esset cum Christo, nisi in loco Aldenborg. Veniens vero cum illis, frequenti

C verbo commonebat eos, dicens: *Quod modo Flandriam vado, filioli, scitote non tantum esse vestræ voluntatis quantum divinæ dispositionis.*

Dumque meant glebas regionis, venit Atrebas,
Quo patuli campi, spatio virgulta ferentis,
Obdormire volens disternitur ille jumento,
Utitur et verbis orans vernantibus herbis,
Ut modicum somni capiat, studio gerit omni;
Hæc requies felix quæ provocat agmina cœlis,
Tuncque viro fesso, somno per tempora presso,
Visio monstratur, de qua mox ipse beatur,
Nuntius applaudit, quæ præsul lætior audit:
Aldemborg veniens non multo tempore vivens.
Sæcula transibis, felicia regna subibis,
Quæ careant fine, quæ pollent perpetue luce,
D *Te domus illatum Petri capiet tumulatum,*
Tempora nec multa patieris carne sepultâ,
Terra tolleris, meritorum laude frueris.

CAPITULUM XXVIII.

Vir Domini surgens, sociosque viæ satis urgens
Sic famulis inquit: *Jam surgite, sufficit isthic*
Nos ita dormisse, vel somnia grata vidisse;
Somnia non falsa, quæ pandunt præmia celsa,
Jam bene celetis, qui me referente scietis;
Vobis prædico quod triste manet inimico,
Me cito scansurum cœlos, civemque futurum
Angelicis turmis, precibus quod posco diurnis:

(59) Ecclesia Remensis ob pravos Manassis archiepiscopi mores, nonnihil detrimenti passa est. Verum paulo post sub Reginaldi, Radulfi, Samsonis et aliorum illustrium præsulum regimine, splendorem suum recepit.

Hinc vos gaudete, lætissima corda tenete,
Et sic tractate Christum, sic rebus amate,
Ut vos recipiat, quando cinis hæc caro fiat.
Hoc simul ostendit, quod mens cognoscere tendit:
In Petri templo tumulabor atque sepulcro.
Sed jam pergamus, patriam jam calle teramus,
Tempore completo, veniens hæc munere læto.
Hinc stupor atque dolor famulantum pectora scidit.

Attamen in ejus comitatu nulli licebat aut mœrore plus justo affici, aut inepta lætitia resultare. Tantum erat in illo auctoritatis et gratiæ, tantusque circa illum vigor disciplinæ, ut illum videre et audire omni animæ gratum esset, cum tamen vultus ejus offensam tanquam grande piaculum præcaverent.

CAPITULUM XXIX.

Mense Julio, octava decima die mensis, cursu prospero cum felici fama virtutum intravit Aldenborg, ibidemque evangelizans regnum Dei, septem diebus incolumis permansit. Die autem sancti Jacobi apostoli, peractis sacris missarum solemniis, cœpit infirmari, et uno vigintique diebus valetudine laboravit. Cumque in extremis positus putaretur, suggerebant ei fratres ut sacris officiis se præmuniri faceret, ne forte sine his de hac vita exisset. Quibus mitissima voce respondit: *Charissimi filii, super hoc nolite quidquam sollicitari, quia per Dei misericordiam bene sentio quid vel quando mihi expediat. Scio tempus, novi et horam; et de his commonebo vos, cum opportunitas evenerit.*

CAPITULUM XXX.

Vicesima die postquam decubuit, cum esset sexta feria, ante noctis medium, cella in qua jacebat mirabili tremore atque horrifico fragore tertio concussa est, et a fundamentis pene collapsa, in tantum ut monachi vel famuli ante illum excubantes intolerabili timore quaterentur, et cellæ formidantes ruinam, foras fugere exoptarent. Quos vir Dei verbis consolationis demulcebat, et ut se cubitum collocarent hortabatur, nil incommodi successurum promittens. Tunc ei presbyter et monachus Everolfus flebiliter aiebat: *Domine, terra tremit, cella concutitur, ostium a me jam tertio diligenter obseratum denuo patet, turbarum murmur hinc inde resonat, et quomodo possumus inter tot terrores obdormire?* Cui homo Dei ait: *Chare frater, ne paveas, et nullus vestrum formidet, quoniam hæc omnia supernæ majestatis signa sunt, et postmodum vobis manifestabitur quæ vis hunc terræ motum et hujus cellæ concussionem patraverit.* Sequenti Sabbato, cum vir Domini articulum mortis imminere sentiret, peractis ex more matutinalibus hymnis, fratribus dixit: *Jam nunc parate nobis funeri necessaria, quoniam circa noctis initium transibo ex hac vita. Ita enim mihi Dominus, cui pro viribus servire laboravi, nocte hesterna innotuit: quamvis et antea diu hoc scissem, quando terræ motu et aeris concussione fragor cellæ inhorruit. Et prima quidem concussione beatus Petrus apostolus advenit, dicens mea omnia peccata remissa, et januam* A *vitæ mihi patere. Comitabatur illum multitudo beatorum, laudes divinas alta voce modulans:*
Laudes excelsus tunc decantasse catervas
Ostia senserunt, quæ tanta vi patuerunt.
Prima fuit talis processio spiritualis.
In secunda concussione, sanctus advenit archangelus Michael cum collegio beatorum angelorum, et suo conductu felicem vitam me intrare instanti hora promisit.
Dixerat intents: Tu cœlica regna repente
Me duce suscipies, paradisi convena fies
His dictis jubilant, cœlestia cantica formant,
Quam vim dictorum capiunt vix corda piorum;
Talibus expavit mens, quam vis cœlica stravit.
Tertia commotione adfuit nostra domina, vera mater B *misericordiæ, cum sanctarum caterva virginum, quæ sub gaudio suæ Assumptionis meam animam assumendam benignissima voce promisit. Sed omnes vos, o fratres, contestor per misericordiam Dei, ne dum adhuc vivo alicui ista dicatis.*

Idibus Augusti properant dum funera justi,
In feria sexta Christi de sanguine tincta,
Ad medium noctis veniunt præsagia doctis:
Clamor, cantus, odor, strepitus, vocesque virorum,
Hymnos vel psalmos resonabat vox populorum,
Atque fores cellæ reserantur more procellæ:
Cantus ab his cultus, sentitur jure tumultus;
Laudant cantando, jubilant et vociferando.
Cum famulis monachi quatiuntur voce feraci,
C Credunt seque mori, subdentes corda timori,
Erumpunt laudes, ceu dicant undique plaudes,
Carmina psalmorum solvuntur voce virorum,
Deficiat ne res, responsum dant mulieres.
His monachus quatitur, famulorum turma sopitur;
Corruit hic fortis credens discrimina mortis,
Non valet ista caro, dum mundo servit avaro
Et caret his donis præ pondere conditionis;
Cœlicus iste chorus, divina laude sonorus,
Hac illac resonat, plebs cœli carmina donat,
Palpitat et monachus, pavet, æstuat, angit anhelus:
Laudibus atque choris reboat domus illa canoris,
Complet odor cellam, signans intrasse puellam,
Viseret ut servum, meruit quæ gignere cervum,
Cornua gestantem, saliendo sanctificantem;
D Ipsa Dei Mater, Beemots per quam ruit ater;
Ipsa Dei Genitrix, justorum semper amatrix,
Rite pios fovit, quorum jam nomina novit,
Ipsamet Arnulfo propria sic voce loquendo,
Intulit: *Orna te multa virtute, beate,*
Quando meus Natus me de convalle levavit,
Te tunc assumens, ad cœli regna levabit,
Dando pias voces, mea tu solemnia duces,
Et tibi festa choris ego ducam carmen amoris,
Virgineus cœtus jubilavit me duce lætus,
Gaudia conjuncta deducent agmina cuncta.
Postea jam monachus trepidus surgens Everolfus,
Pallidus atque tremens, pro tantis vocibus hærens,
Aggreditur sanctum, dans toto pectore planctum:
Sic Pater et præsul, pro quo sum longe exsul,

Dic mihi nec celes, noctu quæ gesta reveles,
Affectu tristi moneo sub nomine Christi,
Cuncta mihi dicas, quando me corpore tritas,
Heu nimis infelix! tegitur tot laus tua velis,
Et nescit mundus tenebrosa morte profundus
Quis sis vel qualis, quam lucidus ac specialis.
Plurima dicentem vel talia sic repetentem,
Affatu miti præsul jubet illa remitti,
Rem similem veri mandat magis ipse taceri.
Sed tibi ego Pater, si me, charissime frater,
Diligis ut patrem, caveas me prodere vatem:
Vitæ consortem sileas, donec mihi mortem
Pertransisse scias, tunc postea pandere causas
Occultas poteris, vel signis prodere veris.
Fortius adjuro te, frater, judice Christo,
Ut tibi quod credo taceas, dum luce recedo.
Primitus advenit cum Petro præsule cœli
Concio depromens, quod sit mea crimina solvens,
Ipse pius Petrus sic protulit ista locutus:
Quæ mihi commissa sunt stant tibi prorsus aperta;
Nil timeas damni, patet ex me janua regni.
Vultibus angelicis fruitus sum semper amicis,
Me confortando de sancto fine morando,
Gaudia fecerunt hymnumque Deo cecinerunt.
Tertius ordo fuit comes almæ jam Genitricis,
Quæ nos invisit, quæ mundo gaudia misit,
Gratia plena Dei, quæ permanet huic genitrici
Nobis non celat, sed quæque futura revelat.
Fecerit hæc Mater Domini, dulcissime frater,
Ad notum morem subiit tunc cella fragorem,
Ostia panduntur quæ sic virtute premuntur,
Hinc reboat cantus cœlesti carmine tantus,
Mens tua sic cecidit quæ pondus ferre nequivit,
Illa dies major consurgens quam sacrat auctor:
Est festiva nimis, Deus hac quod surgit ab imis,
Cœlitus assumpta beat hanc et Virgo Maria.
Tertia causa datur qua festum multiplicatur:
Deprecor idcirco, custodi quæ tibi dico,
Accipe mandata Domini, quæ luce sacrata,
Jura sepulturæ non fiant, sit tibi curæ,
Fossa mihi munda statuatur luce secunda.
Hæc mea mandata tibi sint in corde parata.
Respondit frater: *Quæ mandas, o pie Pater,*
Omnia servabo, dimittere nulla parabo;
Sed precor hæc festa nobis, Pater, o manifesta,
Quis locus est dignus quo tantum condere pignus
Hoc tunc possumus, quando voces cœlicus hymnus
Sursum suscipiet, gravior nos luctus aduret.
Præsul respondit, hos sollicitosque retundit;
Ante sepulturam nolitis tendere curam,
Nuntius adveniet, demonstrans quo mihi fiet
Fossa pii tumuli, totius et ordo sepulcri.

CAPITULUM XXXI.

Itaque vicesima prima die suæ infirmitatis, cum esset Sabbatum et vigilia Assumptionis gloriosæ dominæ nostræ Dei genitricis Mariæ et semper Virginis, tunc vocatis discipulis, convocatis etiam vicinæ A Ecclesiæ clericis, cum psalmis et litaniis fecit se sacro oleo perungi, dans confessionem coram omnibus, et omnium humiliter petens orationem:

Et sic confessus fuit, ac si crimine pressus:
Penitus erravi, scelerum fas multiplicavi,
Monachus et miles tractavi res juveniles,
Corde gerens fatuum, non vixi ceu decet usum,
Multum peccator, mihimet peccando gravator,
Offendi Regem dantem super omnia legem,
Per quam salvetur quicunque Deum reveretur.
Ecce meam culpam fateor moribundus inultam,
Quam precibus vestris, quæso, dissolvere charis.

Docuit autem eosdem fratres dicens: *Cras de resurrectione Domini gaudium erit in cœlis, et de adventu* B *Reginæ cœli gaudium sanctis duplicabitur angelis. Largiente Christo, tertia causa addetur, pro qua gaudia triplicentur: idcirco prohibeo ne die crastina ad opus meæ sepulturæ terram aperiatis; sed hoc in secundam feriam reservetis. Sic enim cœlitus præfixum est, ut in die sancti Arnulfi Metensium antistitis* (60), *hujus peccatoris Arnulfi corpusculum terræ reddatur.* Multa vero prædixit, tam de regni vel ejusdem loci statu quam et de principum, vel pontificum casibus futuris, quæ omnia veluti prophetavit evenerunt. Jam ergo incumbente hora vespertina, corpus et sanguinem Redemptoris summa cum devotione accepit, omnibus benedictus, ab omnibus se benedici expostulavit, et sic ad requiem anhelans, sanctæ crucis signo a se tunc propensius C adorato totum se consignavit. Tunc in pavimentum cinere et cilicio stratum semet deponens, et nomen Domini orans ac benedicens, felicem dormitionem accepit, et regionem viventium Domino conjungendus intravit. Obiit XVIII Kalendas Septembris, anno Domini millesimo octogesimo septimo.

CAPITULUM XXXII.

At ubi obitus ejus populis innotuit, mirum dictu quanta alacritate, quantaque devotione plebs undique confluens universa in circuitu complevit! Clerici psalmis instabant, laicorum quidam pauperum concurrentium refectionem procurabant, nobilium quoque ac militum plurima multitudo nimium insistebant, ut decore eximio celebrarentur exsequiæ sancti pontificis. Tanta vero clericorum ac plebium D irruit multitudo, ut non dicam basilica, sed ipsum atrium et atrii confinia non possent capere tam copiosam frequentiam, aliis luminaria congerentibus, plerisque inde gaudentibus quod tantis exsequiis interesse meruissent. Cumque beati viri corpus de more compositum, et pontificalibus insignibus ornatum in ecclesia fuisset advectum, verens frater Everolfus ne alicujus rapacitas inter tot miscuas turbas aureum annulum de manu ejus concupiscens prærriperet, tulit illum et reposuit. Adveniente vero hora sepeliendi, cum eumdem annulum digito ejus voluisset indere, frigida manus ejus et incurvi digiti sic obdurati rigebant, ut nequaquam extendi potuis-

(60) Ejus Vitam habes Seculo II, ad an. 640, pag. 157.

sent. Tunc pro hujusmodi difficultate amor præsentium fidelium indoluit, et cum gemitu supplicabant, ut facultatem Dominus annueret illud corpus sanctum suis cultibus non carere. Intererat his exsequiis Bernardus præpositus Guasteniensis cum Ricoardo (61) decano, cum maxima turba presbyterorum ac clericorum, quorum hortatu et prævia voce cantati sunt psalmi, prosequenti litania et flente laicorum conventu, cum subito mirabilis Deus mirificavit sanctum suum in oculis præsentium: revera etenim, mirum dictu! illis conquerentibus, manus dextera a pectore defuncti sese erexit, digitos erigendo discrevit, et annulum inserendi locum dedit: quo inserto, manus eadem se ad pristinum recollegit, et digitos ut antea infra palmam curvavit.

Vox populi fertur, mox laudibus omnia dantur,
Et magis hinc plorant, quia sanctum semper honorant,
Præmia virtutum retinet quæ quæstor earum,
Præsule translato, de terris sede locato,
Ecclesiæ Petri confertur corpus herilis,
Præparat obsequium populi grex et monachorum,
Presbyteri veniunt, it clerus, et agmina currunt
Omnimodæ plebis, portantia lumina sanctis,
Prandia pauperibus, vel clero munera dantur,
Munia missarum satis et super hic celebrantur,
Atque dies celebris Christi vel nomine Matris,
Ducitur excelsa, feriam exspectando secundam.

CAPITULUM XXXIII.

Venerat et feriæ jam clarum mane secundæ,
Angelus e cœlo descendens, monstrat aperto
Cum sermone locum, faciant quo rite sepulcrum,
Fratribus ostendit, post cœlica scandere tendit,
Et faciunt tumbam, feriam ducendo secundam,
Cœlitus ostensam, cœlesti munere mensam:
Namque domus Petri loculus fit corporis almi,
Et juxta claustra quæ sunt in parte sinistra,
Quo deponatur vir sanctus, fossa paratur,
Mense sub Augusto dedit almus funera busto,
Conditur in tumulo dans membris pignora sæclo.
Planctus vel gemitus, suspiria cordis ab intus,
O quot mittuntur! quoties tunc et repetuntur!
Clamat amor cordis; mugit, ejulat ardor amoris;
Traditur huic baculus pro signo pontificatus,
Stanneus atque calix fit testis sacrificantis.
Plumbea scribuntur, quæ postea scripta legantur,
Et tabulæ modulo positum stat pectoris antro,
Infula pontificis, monstratur vestibus aptis,
Aurea traduntur pedibus sandalia sancti,
Tales ornatus secum tulit ille beatus,
Per quæ clareret quam digno flore niteret,
Spiritus in cœlis, vivens per sæcula felix.

CAPITULUM XXXIV.

Nunc igitur considerandum et fideli mente retinendum est quantis laboribus, quantisque afflictionum generibus iste servus Christi tantam meruerit A virtutis efficaciam, ut etiam membra defuncti miraculorum laude polleant. Nec enim gulæ et ventri serviendo, et humanis cupiditatibus inhiando, tale donum a Christo percepit, sed corpus mortificando, mandatis Dei invigilando, veræ charitati inhærendo, et in via justitiæ quotidianis augmentis crescendo et perseverando. Et quoniam cordis ejus cubile, corpore edomito, rite fuerat purificatum, idcirco complacuit Spiritui sancto, ut glorificantem se glorificaret, et sibi pure servientem in conspectu omnium hominum amabilem atque laudabilem exhiberet. Aspiciant igitur dignanter hæc legentes, et prudenti memoria colligant hujus viri prophetiam, quoniam ante plures dies in pago Suessonico apud Ulciacum castellum habitans prædixerat quod exse-
B quias funeris ejus nemo pontificum aut abbatum celebrare conveniret, sed per monachum et presbyterum suum circa eum omnia supplerentur. Talis namque tantaque occupatio vicinos abbates, duos Gandenses et unum Bergensem, præpedivit, ut sollicite invitati libenter occurrere vellent, et nullo modo prævalerent. Celebratis itaque missarum solemniis a multis, qui undique confluxerant sacerdotibus, in pauperum usus largissimis stipendiis distributis, qua die sancti Arnulfi Mettensium antistitis sacerna talis recolitur, eadem die in ecclesia Beati Petri apostoli apud Aldemborg hujus sancti viri corpus sepultum est, et subjecto epitaphio prænotatum (62):

C *Miles in hoc mundo, modo pulvis in hoc monumento,*
Militiam mundi sprevit amore Dei.
Cujus tutela, qua vivitur absque querela,
Primum devotus Suessionis monachus.
Et mox angustæ devotior incola cellæ,
Se per pauperiem, frigus et esuriem,
Atque per insomnes in fletibus et prece noctes,
Virtutum studiis extulit et meritis.
Abba dein factus, et præsul, utrumque coactus
Quæ digne subiit, dignius excoluit.
Huc veniens demum, Domino donante, supremum
Claudens morte diem, transiit ad requiem.
Transitus ejus ei provenit fine diei,
Quam sequitur celebris, orbe colente dies,
Qua cœli dominam de mundi valle Mariam,
D *Intulit astricolis cœlica turma choris;*
Præsulis Arnulfi, qua festa dies celebratur,
Præsulis Arnulfi corpus humo tegitur.

Completur (63) hoc opusculum anno post transitum ejus vicesimo octavo, indictione VII, quem credimus ab Incarnatione Domini 1114, regnum Francorum tenente Ludovico, filio Philippi regis, ab isto viro Dei ante ortum prophetato, septimo regni ejus anno, Romanæ Ecclesiæ præsidente beato Paschali papa secundo, Remensem metropolim gubernante domno Rodulpho archiepiscopo, regnante

(61) Al cod. *Gitaleniensis cum Ricardo.*
(62) Hujus epitaphii auctor apud Surium fuisse dicitur Regemarus S. Bertini monachus.

(63) In edit. Suriana hæc habentur : *In calce libelli mei meus cudendus est apologeticus*, etc., ut in Observationibus præviis, num. 1.

domino et Salvatore nostro Jesu Christo, cui cum Patre in unitate Spiritus sancti sit omnis honor et gloria, laus et imperium per infinita sæcula sæculorum. Amen.

INCIPIT PRÆFATIO LISIARDI EPISCOPI AD REMENSEM ARCHIEPISCOPUM IN LIBRO TERTIO.

Domno jure amabili merito, venerabili RODULFO, A Dei gratia Remensis Ecclesiæ archiepiscopo, LISIARDUS filius, utinam idoneus minister sanctæ Ecclesiæ Suessionis, salutem et piorum palmam victricem

Residente vestra paternitate in illo magno atque inauditæ episcoporum multitudinis consilio (64) quod auctoritate domni papæ Calixti Remis celebratum est, cum et ego humilis vestro lateri inhærerem, conquestus est in commune nobis frater et coepiscopus vester Lambertus Noviomensium ac Tornacensium antistes injustum et ingratum sibi videri, nec soli sibi, sed multis, quod sanctus præsul Arnulfus prædecessor meus, qui sanctam vitam et Deo placitam duxit, cujusque sanctitas multis valde miraculis a Domino comprobata est, in sinu humidæ terræ adhuc cubaret. Aderat testis miraculorum ejus regia majestas, ipsius sancti Arnulfi impetrata lacrymis et precibus condonata; aderat Petrus archidiaconus Suessonicus, qui se cæcum natum fuisse, atque per salivam oris viri Dei Arnulfi se oculos accepisse, cum multorum testimonio fatebatur; aderam et ego, licet minus idoneus, qui me in ordinem subdiaconatus ab eo consecratum plurimum exsultabam, et illi olim cohabitans, abstinentiam et regimen vitæ latius cognoveram; præsagia multa audieram, miracula non pauca præsens complexeram. Cumque hæc et his similia multa a plurimis protestata referrentur, placuit paternitati vestræ inferre dicendo: *Cur me afficitis relatibus vestris, cum ipse melius vobis cognoverim opera sanctitatis ejus. Vidi eum in Calvo Monte dedicationem facere, ubi femina de vico, quem dicunt Caviniaco,*

Ter quinis annis oculorum prædita damnis,
In faciem sancti se misit voce precanti.
Mox mora nulla fuit postquam præsul benedixit;
Palpebra se scidit, patuit lux, femina vidit.

Sed estote: fecerit mira, vixerit juxte. Non dico levandum, nisi gratia Dei per clara signa cœlitus B *dederit testimonium. Adest Romana Ecclesia, adest ipse dominus papa; refertur hæc res ad eorum cognitionem, et sequautur inde illorum examen.* Factum est, et consona omni voce, in vestram se redegerunt sententiam. Itaque quæ et quanta postquam sepultus circa exstincta ossa ejus Dominus et Salvator demonstrare dignatus sit miracula, hac præsenti decrevimus vobis et matri Ecclesiæ intimare pagella, ut præcedens cognitio vestram in auctoritatem securius legendi cæteris proficiat.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI TERTII.

(64) Illud concilium habitum fuit anno 1119, occasione investiturarum, ubi Henricus imperator excommunicatus est. Quinque canones in eo editi sunt. Ibi adfuit Ludovicus VI Francorum rex, qui multum coram Patribus de Anglorum rege conquestus est.

(65) Nihil omnino de eo episcopo habetur in hoc libro. Et quidem Hilgotus episcopus Suessionensis, de quo hæc epigraphe videtur debere intelligi, cito non periit, sed post annos circiter duodecim regiminis, in Monasterium Majus prope Turonos secessit, anno scilicet 1088, ubi postea abbas factus est. Ejus apologiam fecit Ivo Carnotensis episcopus in Epistola ad Paschalem II summum pontificem.

INCIPIT LIBER TERTIUS.

CAPITULUM PRIMUM.

Postquam beatus iste servus Dei humanis rebus feliciter exemptus est, diversa miracula circa ejus exuvias a Domino peracta sunt, ac plurimæ languentium sanitates condonatæ. Non longe vero a tumulo ejus stetit altare, et crux grandis supposita, habens imaginem crucifixi Domini, de cujus imaginis vultu et de pectore viderunt duo fratres spirituales igneum globum seu fulgur erumpere, et in illius tumbam circa ejus pectus celeriter transilire. Quo signo datur intelligi, quoniam ille qui peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum, huic famulo suo veræ lucis gaudia contulit. Sequenti tempore, eodem tamen anno, tumba ipsa a capite usque ultra pedes scissa est, et in directa divisa, quasi ad lineam fuisset conscissa. Ista autem divisio vel scissura instantis elevationis ejus præcurrens præsagium omnium mentibus intimavit.

CAPITULUM II.

A primo quoque tempore depositionis ejus, ardor fidei et devotionis tantus circa illum enituit, ut quicunque ægrotantes per se vel per missos suos venirent ad sepulcrum sancti Arnulfi, et per circuitum colligentes pulverem volitantem, reportabant sibi quasi certam medicinam; ipsum vero pulverem cibis suis aut poculis immittentes, seu siccum pulverem lambendo sorbentes, a cunctis infirmitatibus evadebant, et certissimum remedium velocius assequebantur. Et hoc non quater aut septies vel decies, sed millies evenisse notissimum est. Vidimus energumenum pessime vexatum, cui cum pulvis ille nolenti in os fuit injectus, mox hostem evasit, et mentem recepit. Pulvis iste celeber non soli nostræ Franciæ, sed omnibus finitimis regionibus grandem suæ utilitatis notitiam comportavit. Anglia, Gallia, Scotia, Frisia, sic tenuerunt externæ gentes, patriæque simul cinerem rapuerunt.

CAPITULUM III.

Hæc et his similia multa postquam sic fieri latius comperta sunt, et rumor iste laudabilis Franciam penetravit; cum et gratus odor ex ejus tumba jugiter emanaret, monachi Sancti Medardi graviter condolentes quod tanti viri exuviis caruissent, consilium inierunt cum suo abbate Odone, ut quasi visitationis gratia locum Aldenborgensem adirent, et clam tumulum ejus aperirent, ut extracta ossa ad suum cœnobium Suessionis sub omni celeritate deportarent. Ventum est eo usque, et paratis hujusce negotii instrumentis, noctu cœperunt aperire tumulum ejus a latere dextro. Mox ingens fragor cœlitus intonuit, concutiens fodientes, et nimium consternatos ab incepto deterruit. Illi paulo post recreati, et ex occulta aeris passione id accidisse autumantes, redierunt ad sepulcrum, ut cœptum perficerent; sed statim ut cœperunt fodere, iteratus fragor terribiliter increpuit. At illi facti exanimes, corruerunt in terram, ac tandem resumpto anhelitu, cum nimia formidine aufugerunt. Cumque de longe starent, suppresso murmure mussitantes, subiit illos cogitatio, ut iteratam temeritatem tertio repeterent, et an ullus cederet effectus denuo attentarent. Advenerunt tremuli, applicant manus pavitantes, sed continuo intolerabili terrore jam tertio percelluntur, alliduntur pavimento, palpitant exanimes, et pene præmortui quid fuerint nesciunt. Horarum vero trium spatio evoluto, ad sensum redierunt, et nimium angustiati fecerunt votum, quod nunquam amplius attentarent sacrum corpus vel ejus sepulcrum temerare. Arnulfus nepos ipsius sancti præsulis et primus abbas Aldenborgensis hæc patrare conatus est cum duobus monachis, Godeberto natione Aldenborgensi, et Balrado Brugensi, quorum relatione hæc eadem sic gesta innotuerunt.

CAPITULUM IV.

Sequenti tempore, delata est illuc quædam femina miserrima contractione deformiter distorta, ita ut genua ejus pectori confixa, et palmæ manuum sub poplitibus colligatæ, tali quoque natibus carne tenus cohærerent. Hæc miserentis populi studio ad tumulum sancti Arnulfi projecta, ubi per modicum quasi requievisse visa est, divino munere, ad honorem servi Dei sanata est erecta. Quæ per ecclesiam atque partem ecclesiæ recto gressu deambulans, ostendebat loca membrorum cruore horrentia, ubi aliud alii cohærens, complicitum pridem fuerat et connexum.

CAPITULUM V.

Multoties accidit ut luminaria ibidem cœlitus accendi viderentur. Sed ne fortuita vel quolibet astu adumbrata referre videamur, mille testibus defenditur quod narramus. Solemnitas præcipua agebatur prima die mensis Maii, et populi multitudo undique locum compleverat; et ecce hora diei tertia, cum solemnis processio ageretur, duo cerei qui portabantur, ad ostium ecclesiæ flante vento exstincti sunt; sed ut ventum est ad sepulcrum sancti Arnulfi, statim ipsi cerei accensi sunt, et ita accensi ut flamine venti exstingui non possent.

CAPITULUM VI.

Anno Dominicæ humanitatis post mille et centum quinto decimo, per totam vicinam regionem facta est plaga sævientium morborum in hominibus utriusque sexus et totius ætatis, et tunc catervatim properantes languidorum bajuli, satagebant projicere ægrotos suos circa tumbam Arnulfi servi Christi. Tanta vero diffusa est gratia in reparatione languentium, ut a medio Aprili usque medium mensis Augusti, quando transitus ejus celebratur, sexaginta

sint curæ notorum, præter eos qui sic sanati sunt, ut ad notitiam nobis non venerint. Similiter factum est ut, anno sequenti et a mense Maio usque ad mensem Augustum, quinquaginta hominum utriusque sexus, diversæque ætatis reparatio ibidem condonata sit.

CAPITULUM VII.

Sane inter eos venerat quidam hydropicus, ventris et venarum distentione vehementer inflatus, qui sumptum de cespite humili tumuli contiguo pulverem in aquam conspersit, et eamdem aquam ebibens, mox salutem est consecutus.

CAPITULUM VIII.

Sub eodem tempore exeuntes de ista Flandria piscatores, balenam permaximam circumdederunt, lanceis et jaculis vulnerantes, ut devictam ad terram conveherent, et de morte bestiæ divitias sibi aggregarent. At bestia immanis, quamvis fortiter jaculis et lanceis fuisset vulnerata, capi vel sedari nequaquam potuit; sed ex dolore plus insaniens, modo aquas vomebat ad cœlum, modo se submergebat in profundum, modo de profundo resurgens, caudæ suæ et alarum impetu confringebat armamenta navium. In tanta difficultate dixit unus ad socios: *Invocemus sanctum Arnulfum de Aldenborg, et voveamus illi partem de pisce, et confido quia auxilio ejus cito hanc bestiam devincemus.* Fecerunt ita. Et statim balena destitit sævire, et se capiendi atque funibus colligandi locum quietissimum attribuit.

CAPITULUM IX.

In vigilia Dominicæ Ascensionis ad concentum sancti Evangelii (66), intra synaxim vespertinam, quædam paralytica sanata est.

CAPITULUM X.

In Nativitate sancti Joannis Baptistæ, dum noctu vigilias ageremus, quidam homo ibidem sanatus est.

CAPITULUM XI.

Quidam etiam provectæ ætatis homines duo senes, gravi nimium et consimili angore concussi, dolebant se vivere; nam utrorumque genitalibus illapsa viscera nimiam passionem et vivendi difficultatem illis inferebant. Hi audita fama gratiarum beati Arnulfi, cum magno labore pervenerunt ad sepulcrum, et eorum contentio in salubre gaudium divino nutu conversa est. Nam meritis et orationibus sancti Arnulfi eorum viscera sursum reducta sunt, atque in naturalem situm revocata. Et qui cum maxima difficultate huc venerant, cum gaudio sanitatis, expediti et alacres redierunt.

CAPITULUM XII.

In feria sexta hebdomadæ Pentecostes, quidam juvenis aridam manum se habere dolens, venit, et projecit se ad loculum tumuli sancti Arnulfi, multis planctibus pulsans sancti pietatem, et dum lectio A evangelica recitaretur, sanata est manus ejus et perfecte restituta.

CAPITULUM XIII.

Antequam de terra levarentur ossa sancti Arnulfi, habebat ecclesia Sancti Petri multas sancti ejusdem reliquias, id est totam supellectilem peculiaris capellæ ejus. Ex his vero reliquiis dederunt fratres quamdam portionem quibusdam de insula Scolda hominibus, ut ædificarent ecclesiam in nomine Christi, sub titulo sancti Arnulfi. Ecclesia illa constructa et erecto altari, posuerunt capsulam istarum reliquiarum in altari. Et accidit per incuriam ut illa ecclesia ignibus deprehensa funditus arderet; capsula vero reliquiarum sancti Arnulfi ab ignibus intacta, et omnino illæsa in altario sedit. B Ipsa autem palla altaris, in quantum tangebat capsulam vel subjacebat, incombusta remansit.

CAPITULUM XIV.

In insula, quæ nuncupatur Bevelauda, hoc est Tremula Terra, quidam nobiles, quorum caput erat Alvisus filius Landradæ, et Ellicus frater ejus, contentionem et litigium exercebant adversus compares suos, æque nobiles viros. Unde contigit ut quidam, nomine Wido, ante portam Ellici in manu vulneratus duos amitteret digitos, medium et medicum, et maneret duobus digitis debilis et mancus. Hac pro re viguit magna Widonis et amicorum ejus inimicitia contra Alvisum et Ellicum, contraque amicos vel complices illorum, quousque sanctuarium Sancti Arnulfi in illas partes deveheretur ad faciendam C pacem inter gentes ignorantes Deum. Ille vero duorum digitorum damno deformatus, in ecclesia deprehensus a monachis et clericis coram se prostratis, cum et reliquiæ sancti Arnulfi coram eo solo tenus jacerent, arctatus est ut sponderet pacem se facturum cum Alviso et Ellico suis quondam inimicis, et ejusdem sponsionis arrhabonem coegerunt eum ponere super reliquiarum lecticam suæ manus chirothecam. Et quidem propter reverentiam præsentium sanctorum obedivit ad horam; sed domum reversus, et a propinquis et clientibus probrose increpatus, aversus est a bono, et supersedit perficere quod spoponderat sancto Arnulfo. Statim invasit illum fortis ægritudo, qua detentus decubuit D diebus viginti et uno, in quibus non somnum vel cibum capiens, sed de die in diem pejus tabescens, ad hoc redactus est ut accersito presbytero de funere cogitaret. Tunc presbyter dixit ei: *Omnis hæc infirmitas, quam tam diu pateris, pro mendacio quod sancto Arnulfo mentitus es juste infertur. Sed si mihi credas, et promissam pacem atque mancorum digitorum tuorum reatum bono corde indulgere non renuas, spero in Deum vivum, quod convalesces et vitam tuam prosperari senties.* At ille nihil deliberans: *Defer ad me*, inquit, *istam sanctam crucem*. Qua præ manibus oblata, ait: *Ecce certissime novi quoniam propter*

(66) Id videtur intelligi debere de cantico *Magnificat*, nec enim alia pars sancti Evangelii cantata fuisse videtur tunc temporis in synaxi vespertina.

meam falsitatem incurri infirmitatem; sed si nunc sanctus Arnulfus exoret pro me, ut possim vivere, voveo et juro in cruce ista quod de pace et digitorum meorum indulgentia quidquid dudum promisi complebo omnia. Sic dicens, et novo dono novum votum in cruce perficiens, continuo subjecit: *Si habeo amicum vel fidelem, provideat mihi ut cito manducem; nam timor mortis a me recedit, spes tota vitæ mihi succedit.* Quid plura? Statim cibo et potu refectus convaluit, et post diem tertium ascensis equis Flandriam intravit, Aldenborg petiit, et coram fratribus pœnitentiam egit. Rediens vero in locum, omnia prout postulatus erat, et, prout ipse primitus devoverat, ad perfectum complevit, et in pace quam spoponderat stabiliter permansit.

CAPITULUM XV.

Hæc et alia supernæ gratiæ documenta, postquam ad aures episcopi domni Lamberti, sive ad notitiam fidelis populi latius pervenerunt, idem iniit episcopus consilium in concilio Bellovacensi (67), quinto decimo Kalendas Novembris, cum quibusdam coepiscoporum suorum, quid facto opus esset ad tantam Dei magnitudinem. Intererant ibi episcopi Francorum Willelmus (68) Catalaunensis, columna doctorum; Joffredus Carnotensis episcopus, Delbertus [Dambertus] Senonensis archiepiscopus, [Henricus] Aurelianorum episcopus, [Girbertus] Parisiorum episcopus; Clarembaldus Silvanectensis episcopus, Petrus Belvacensis episcopus, Angelrannus Ambianensis episcopus, Robertus Atrebatensis episcopus, Joannes Morinorum episcopus, Lambertus Tornacensis episcopus, Borgardus [Burchardus] Cameracensis episcopus, Bartholomæus Laudunensis, Lisiardus ego indignus Suessionensis episcopus, abbatum, archidiaconorum, præpositorum et copiosa cleri multitudo. Inter cæteros quoque adfuit ipse Aldenborgensis abbas, ferens in manibus libellum de Vita et moribus, miraculorumque gestis ipsius sancti Arnulfi, quem libellum ego de manibus ejus accipiens aperui, et apertum obtuli episcopis, dicens: *Ecce, domni, libellus ipse, me conscio, meque auctore de Vita ejus conscriptus est, cui quod vera sunt omnia quæ narrat, testimonium in fide perhibeo: et de cujus miraculis et hic quosdam, et domi plures valde testes veraces adhibeo. Hunc libellum postulo a vobis diligenter considerari, ut ex ejus notitia valeatis quid de illo agendum sit melius informari. Vestra autem sanctitas audiat judicium meum, quoniam si in diœcesi mihi commissa pausaret, longum est quod in terra non jaceret.* Tunc Willelmus Catalaunensis episcopus accepit libellum, et inspiciens a principio, vidit numerositatem capitulorum, et ait ad episcopum Tornacensem: *Domne, quid amplius quæritis? Absque libello isto, sufficit vobis testimonium domni episcopi Suessionensis et clericorum ejus; debet vobis magnam fiduciam præbere iste talis abbas,* A *cujus et ætas suscipienda est, et prudentia beneplacet; libellum vero istum, quia synodalibus negotiis occupamur, percurrere non vacat.* Joffredus Carnotensis episcopus ait: *Domne Tornacensis, dico vobis in veritate: Si Dominus talia vel semel fecisset circa aliquem prædecessorum meorum, ego nec papam, nec legatum, nec vel archiepiscopum consulerem; sed tota constantia sanctum Dei, ut dignus est, exaltarem.* Interim dum hæc ab episcopis decernuntur, quidam nobiles magistri scholarum acceperant libellum, et cursim perlegerunt quædam gestorum capitula. Quidam ergo eorum recurrentes ubi erant episcopi, cum magna constantia fatebantur: *Revera ex Deo non est, qui hujus sancti exaltationi contrarius est.* Tunc Guillelmus Catalaunensis episcopus ait: *Per Deum* B *turpe est quod de re tam operta dubitamus; unde vos, domne Tornacensis, cum Domini gratia, remota ambiguitate, statuite diem quo ad locum conveniatis, et sanctum Domini servum de terra elevando honorifice recondatis.* Lambertus episcopus Tornacensis ait: *Ecce legatus in hac ipsa basilica cum nostro archiepiscopo Remensi, vel Turonensi* [f. *Senonensi*] *eminus residet: rogo vos, placeat vobis ante illos venire, et vestram sententiam illorum judicio conformare.* Episcopi dixerunt: *In nomine Domini fiat.* Ut ventum est, Lambertus episcopus dixit domno Catalaunensi: *Rogo, agite causam meam.* Cumque ille brevi facundia ante legatum et archiepiscopos causam explicuisset, tam legatus Conon, quam et Remensis archiepiscopus, una voce responderunt: C *Judicium vestræ auctoritatis plene suscipimus, et decretum vestri consensus roboramus.* Itaque episcopus Lambertus convocans abbatem, designavit diem, quo Aldenborg conveniret, id est, Kalendas Maii, et viri Dei corpus sanctum de humo levatum, juxta morem Gallicanæ Ecclesiæ ceu revera sanctum reponeret. Dedit etiam litteras cum sigillo, quibus omnem Tornacensis diœcesis populum ad tam sanctum officium convocaret.

Fama volans celeri currente meatu,
Diversos populos has sedes visere fecit.

Taceamus de Flandria: Walachrenses, Scoldanii, Bevelandenses, Antuerpenses, Texandriani, Wasiani, Brabantini, Menapenses, Morinenses, Bolonienses, vel cæterarum regionum plebes ubertim D adfuerunt. Tempore itaque præstituto advenit episcopus cum Tornacensi archidiacono honorabili Rodberto, et magna copia cleri; et prælato crucis trophæo, allato quoque sacri Evangelii corpore, cum cereis et odoribus concinente clero, aperitur tumulus viri sancti, eriguntur de pulveris situ ossa beata. Stabat calix consepultus super pectus ejus, jacebat et plumbea tabula sub calice præ pectore ejus; quæ tabula scripta tenebat nomen, patriam, genus, militiam, conversionem, in abbatem promotionem, diem ordinationis ejus in episcopum, diem

(67) Hanc synodum habitam fuisse anno 1120 ex eo conjicimus, quod infra cap. 17 dicatur elevatio facta mense Maio, anno 1121.

(68) Scilicet Guillelmus de Campellis vulgo dictus, a natali solo in Parisiensi diœcesi.

transitus ejus de sæculo isto ad Christum. Hæc tabula a pectore sancti elevata, et episcopo astanti relicta, fecit illi gaudia magna, quoniam formidabat ne errore aliquo aucti, non sanctum Arnulfum, sed quemlibet indignum, fratres sub nomine sancti elevarent. Similiter et pastorale petatium (69) cum episcopo demonstrassent, gavisus est plurimum. Ad ultimum cum sandalia auro intexta extracta vidisset, in lacrymas resolutus est. Ad suscipienda ossa, et de sepulcro levanda, fuerunt electi tres presbyterio functi, abbas Ariulfus [*al. mend.* Arnulfus], Goduinus monachus, Hagamingus monachus. Cumque abba calvariam capitis e terra elevasset, et in capsam ad hoc paratam posuisset, ecce manus ejus pingues, et liquore olei infusæ repertæ sunt, tanquam si manus suas intinxisset in vas olei plenum. Ecce, coram Deo, quia verum est, et verum fuit quod dicitur, odor quoque magnæ suavitatis ibidem diffusus est. Nec immerito, nam qui in vita mortali in omni loco Christi bonus odor existere studuit, non mirum, si jam coronatus a Deo, ipso largiente cui servivit, cœlesti odore meruit honorari. Interim reboat ecclesiæ sinus almæ Trinitatis laudibus, et usque dum beata ossa digno cultu amicta scrinio conderentur, tam episcopus quam clerus divinis verbis operam dabant. Quibus scrinio illatis, mox episcopus imposuit hymnum *Te Deum laudamus, te Dominum confitemur*. Hoc vero hymno usque ad millies conjubilato, effertur sanctus extra ecclesiam ad stationem condictam, manu siquidem militari. Tanta etenim ad sanctum irruit hominum multitudo ut nimium sese conculcarent, impingerent, contunderent; et nemo præ amore sancti vel sibi vel alteri parceret. Ita devotio sanctique desiderium metas rationis abjecerat, ut abba vel monachi ad sanctum propinquare nulla ratione valerent.

CAPITULUM XVI.

Sane divina non defuerunt miracula, sed Deus verus in Trinitate unus, cui pure servierat Arnulfus, trinum miraculum ibidem exhibuit. Nam quidam juvenis inimica vi possessus, et ob id in insaniam longo dudum tempore auctus, ibi ab inimico liberatus, et sospitati corporis, et libertati sensus sui est donatus. Duæ quoque feminæ paralysi percussæ, ac membrorum officio penitus destitutæ, plenariæ sanitati sunt restitutæ. Hæc vero tria signa intra ecclesiam facta, ad notitiam populi per plateas vel agros diffusi, non satis palam devenerunt, quia densa plebium multitudo stipatim basilicam adeo impleverat, ut nemo ibi palam loqui, nemo ibi quoquam se vertere, nemo ibi nisi fremitus tumultuantis populi tunc posset audire.

CAPITULUM XVII.

Deus de cœlo complacens sibi in suo sancto Arnulfo, dedit tunc signum etiam e cœlo. Etenim ab hora prima usque ad sextam plenam, visa est in cœlo sphæra ardens quasi flamma ignis, quæ incumbebat super sanctum corpus viri beati. Per transversum vero ipsius sphæræ, radiabat velut aurum purissimum in camino probatum, signum sanctæ crucis. Quæ crux suo splendore vincebat omnem solis decorem, sua etiam longitudine superabat amplitudinem prædictæ sphæræ, per quatuor cornua ultra tendens, et nimio fulgore velut aurum rutilans. Hoc certe signum in cœlo visum, videtur signare cœleste mysterium. Quid enim sphæra figurat, nisi orbis terrarum latitudinem? et quid visio crucis, nisi terreni corporis mortificationem designat? Quid autem aurum vel auri splendor indicat, nisi æternæ sapientiæ claritatem, et internam divini luminis contemplationem? In sphæra vero apparuit flamma, quoniam per orbem scitur, imo scietur quia charitas Dei diffusa est in corde Arnulfi, per sanctum Spiritum qui datus est illi. Si datus est, a Deo cœli datus est. Jure ergo signum Arnulfum glorificans in cœlo apparuit. Et nemo dicat: Arnulfum quis noverit? Nos dicimus quoniam optime notus est, qui jure cœli dignus est nosci. Nec enim fallit Propheta qui dicit: *In memoria æterna erit justus* (*Psal.* CXI). Sphæra igitur quæ in cœlo apparuit, figuravit latitudinem bonæ famæ; flammeus aspectus, ardorem charitatis internæ. Crux significat martyrium; aureus splendor divinæ charitatis mysticum intellectum; longitudo crucis, superans sphæram, intimat sanctam beatæ mortificationis perseverantiam. Potuit dicere beatus et sanctus Arnulfus: *Mea conversatio in cœlis est*; potuit dicere: *Omnia mundi amabilia vel delectabilia quæ reliqui, arbitror ut stercora.* Talis vero, talibus debuit declarari.

CAPITULUM XVIII.

Facta est autem hæc sancti Arnulfi translatio primo die mensis Maii, indictione XIV, sub anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo vicesimo primo, Francorum sceptra tenente Ludovico filio Philippi annis XIV, Flandriæ comitatum agente Carolo filio regis Danorum, cujus mater fuerat filia Rodberti comitis, cœnobium Aldenborgense regente Hariulfo abbate per annos jam sexdecim. Animadversum est autem, cum beati viri elevatione regioni Flandrensium advenisse frugum fecunditatem, corporum sanitatem, aurarum salubritatem: quæ antea per annos septem pluviarum inundatione, et agrorum sterilitate, animalium quoque peste, et hominum crebra mortalitate atrociter languerat (70).

CAPITULUM XIX.

Dominica tertia post Albas, quando introitus missarum cantatur, *Jubilate Deo, omnis terra, alleluia*, facta est nobis beata sancti Arnulfi corporalis elevatio, a qua Dominica, dein octava decima die, evenit præclara solemnitas de Ascensione Domini, quæ est quadragesima dies a sancta die Resurrectionis. Hæc vero Ascensionis solemnitas in oppido Aldenborgensi ab aliis solemnitatibus magis fre-

(69) Id est schedulam, ut alias jam notavimus.

(70) In capitulorum indice nulla mentio de his, quæ in eo capite habentur, sed ponitur argumentum sequentis.

quentior fit, eo quod in illa die solemnes nundinæ A in eodem loco ducuntur, et ideo populi ab operibus vacantes, solito plus confluunt. Hac vero opportunitate, promiscuis turbis undique irruentibus, contigit convenisse de una vicinia tres milites germanos fratres, et duos alios seorsum fratres milites, illis tribus inimicantes, quoniam illi tres nuper interfecerant germanum illorum duorum fratrem militem. Illi vero tres aliorum fratris interfectores, convenerunt abbatem et monachos ejus loci, et rogaverunt nimis supplices, ut ferrent auxilium, laborando pro reconciliatione eorum. Ad quos abbas et monachi satis voluntarii requirentes ubi essent illi duo fratres orbati, tulerunt secum lecticam beati Arnulfi, et venerunt ex improviso ubi illi sedebant, et prandere incœperant. Senior frater, ut vidit monachos et sanctam lecticam, intellexit hos venire ad sese cogendum. Statim, projectis dapibus et poculis, voluit exsurgens effugere; sed virtute Domini et meritis sancti Arnulfi, nates ejus adhæserunt scamno, pedes ejus adhæserunt scabello suppedaneo; et ita compeditus et constrictus resedit invitus. A monachis postulatus indulgentiam, respondit verba stultitiæ. Quid multis differamus? Lingua proterva, oculi torvi, et totius corporis motus dissimiles, illum amentem prodiderunt, et morti jam inditum amici defleverunt. Tunc junior frater devovit dicens : *Sancte Arnulfe, miserere mei, et redde mihi vitam fratris mei; et ecce voveo et promitto quoniam si evaserit frater meus et pro amore tui istis inimicis efficiar amicus, et ipsum, velit nolit, pertraham ut faciat cum eis perpetuæ pacis fœdus.* Monachi præsentes hæc audientes gavisi sunt, et accepta aqua humectaverunt pedes lecticæ, ipsamque aquam resumentes infuderunt ori ejus et faciei totæ. Tunc ille quasi de gravi somno expergiscens, continuit se; dein vocans fratrem fortiter ejulantem ait : *Gaude, frater, quia revixi, orationibus sancti Arnulfi me* B *Deus vivere permisit.* Et consurgens adoravit cum magna devotione. Deinde fratris sui occisores cum magno affectu accepit in amicos, et sub firmamento juramenti pollicitus est illis pacem stabilem observare. Sic exosis gratiam, sic odientibus benevolentiam, sic beato Arnulfo honoris reverentiam, sic Christus Deus noster nomini suo laudem et gloriam provenisse dedit in sæcula sæculorum. Amen.

EJUSDEM S. ARNULFI VITÆ COMPENDIUM.

(*Ex iisdem codd. mss.*)

1. Quamvis Brabantia litium ac rapinarum olim C fuerit altrix et magistra, veridicoque poemate dictum sit :

Francia quot vites, tot habet Brabantia lites,

sub tempore tamen comitis Balduini et Adelæ comitissæ, superno dono irradiari meruit, dum sanctæ recordationis virum Arnulfum futurum episcopum, ad illuminationem hominum non paucorum suo sinu progenitum, seu radium sole justitiæ illustratum, meruit procreare. Hujus genitor Fulbertus Godelef matris consobrinus, clara nobilitate refulsit, et mater, nomine Mainsindis, Teutonicorum procerum stirpe edita, ingenuitate spectabili claruit. Hi ergo inclyti genitores, carnali et spirituali prole florentes, habuerant filium jam adultum, formæ elegantia et militiæ actibus præcipuum, quem repente mors immatura diripuit, et genitorum corda irremediabili tristitiæ angore contrivit. Maternus tamen affectus pro amissione nati instantius condolebat, et nocte dieque in fletibus tempora D protrahebat. Huic præ nimia anxietate dormitanti, apparuit vir speciosus, et luce micanti fulgidus, dicens ad eam : *Quid teipsam mœrore afficis pro filio tam utiliter mortuo? Qui si diutius viveret, revera lubricus, et prædo, et pravorum hominum convena foret : imo potius grandi lætare gaudio, quoniam in utero gestas filium quem superna electio prædestinavit magnum futurum. Hunc dum in lucem protuleris, Christophorum vocari optabis; quoniam revera idem puer operibus et verbis suo Christum in pectore feret. Et ut certo scias hæc ita divinitus præordinata, vadens ad ecclesiam, in eo loco ubi orare solita es, fodere fac : et fossa humo, invenies lapidem magnis litteris sculptum, quæ litteræ tibi prodent tui partus nomen et meritum.* Et matrona venerabilis tantæ laudis percepto oraculo, a somno evigilans, cum ingenti gaudio visionem enarravit marito; ac demum, ut comprobaret rei fidem, assumpsit famulos cum fossorio, et velut commonita fuerat, fodere faciens, laterem quadrum invenit altis litteris exaratum, habentem ita : CHRISTOPHORUS. Quo reperto, majori lætitia afflata est, et jam secura de prolis sanctitate, quam antea nesciebat se concepisse, lætabunda exspectavit divinæ operationis munus repromissum. Denique adultus cœpit esse blandus alloquio, acutus ingenio, promptus obsequio, alacer in opere, efficax et fortissimus in corporis robore. Exinde tirocinii tempore alacriter superato, militiæ cingulum sumpsit, et omni humana virtute præstantior in rebus militaribus fuit.

2. Patre autem defuncto, se ad monasticum ordinem contulit, et in ecclesia Sancti Medardi Suessionis probatum se monachum, non solum claustrali contubernio, sed et solitaria reclusione ferventer exhibuit. Exinde defuncto abbate Rainaldo, in abbatem eligitur, et hoc negotio se credens inferiorem, nocturna fuga declinare molitur. Itaque unius diei fuga dilapsus, dum sequenti nocte remotiorem latebram quærit, lupi comitatu ad civitatem reducitur; et mane comprehensus, sedi quam fugerat episcopali auctoritate nolens invehitur. Tunc diuturna silentia, quæ tribus annis et mensibus sex tenuerat, resolvit : et præco Domini constitutus, verbo et opere omnibus prodesse studuit. In officio igitur regiminis desudans, plura miracula fecit; rebelles et incredulos domuit, infirmos dono gratiæ Dei sanavit, cæcis visum reddidit, prophetiæ spiritu viguit. Quod vere sanctus et Deo placitus esset, omnibus innotuit. Tunc temporis Philippus rex Francorum voluit eum venire in aulam regalem, ut regni negotiis disponendis interesset; voluit etiam ut armatæ expeditioni interesset. Quod

utramque servus Christi priscæ professioni suæ officere sentiens, abnuit, et ne Deum offenderet, regem terrenum circa hoc offendere non formidavit. Nec solum offensam regis incurrere, sed et curam abbatiæ ex toto dimittere maluit, timens videlicet ne postquam manum in aratrum posuerat, si retro respexisset, non esset aptus regno Dei.

3. Itaque qui in pauca fidelis permansit, supra multa constituitur, ut salvo altiori intellectu, omnium vitiorum turbas, omniumque peccatorum in seipso metas compesceret, et virtutum copia cumulatus, Deo et bonis hominibus complaceret. Glorificavit enim eum Dominus in conspectu regum et procerum regni, in conscientia domini papæ Romani Gregorii, et totius cleri, adeo ut languenti ecclesiæ Suessionicæ Ursionis incuria, nihil remedii occurreret nisi ut hic beatus Christi servus ipsius ecclesiæ pastoralem curam consultu papæ susciperet. Renuente [*al.* Annuente] igitur curia Francorum super ea sententia, sed cogente Romani pontificis auctoritate apostolica, consecratur episcopus, præeunte electione canonica, ut lucerna gratiæ Dei non jam lateret in angulo, sed omnibus posset lucere aptata candelabro. Sane dum consecrandus Hugonem Diensem episcopum, Romanæ sedis tunc legatum, adiret, reginæ Francorum longa jam sterilitate mœstissimæ, misit nuntium, denuntians ei, quod ventris gremio portaret filium, vitali flatu nondum vividum, sed post paucos dies spiritum vitæ a Domino accepturum: cujus et nomen prædixit Ludovicus, et quod post decessum patris rex futurus, et abundantiori pace potiturus foret, aperte prophetavit. Mense Decembrio, quarto decimo Kalendarum Januarii, perfunctus est sacra pontificali benedictione, et rediens, vix evasit Viennensis cleri vel populi devotam violentiam, qui illum raperent sibi in episcopum, si capere potuissent. Advenienti denique in sedem Suessionicam, fit obvia regiæ domus militia, et beatum episcopum interimere satagebant, sed pavebant ne vivos absorberet terra. Vir autem Domini cessit absistentibus, et solatio comitis Tedbaldi, mansionem accepit in castro Ulciacensi; ubi, convenientibus prælatis et nobilibus plebis, ecclesiastica causa diligenter tractabatur, cleri ac populi utilitas ad unguem sanciebatur, animarum salvatio exercebatur.

4. Quodam tempore cujusdam vici plebitaneam ecclesiam dedicaturus, clientibus suis dixit: *Tali, rogo, semita ad ecclesiam illam nos conducite, ut lateat populos, qua nos debeamus via venire, et aliquid alimentorum vobiscum comportate, ut corporum fatigationem valeamus vel ad modicum relevare.* Itaque semita remotior ac devia arripitur, nec tamen fervor populi hoc argumento sedatur; sed sub omni celeritate copiosa commeantium hinc inde turma adunatur. Quod cernens Dei servus, in laudem Conditoris erupit, ac deinde suis familiaribus dixit: *Quidquid alimentorum hic habetis, proferte, ut post laborem vires valeamus reparare.* Nec mora proferuntur quinque paximatia, funduntur et vini heminæ quinque. Tunc jactis in terram tapetibus, vir Domini supersedit, proflua turba illum gregatim ambiente. Tunc benedicens, paucos quidem numero, sed multos numeri mysterio, jussit omnibus qui undique considebant, distribui, vinum quoque ad satis propinari. Mirantur ministri panem non deficere, mirantur et illud tantillum vini tot sumentibus abundare. Nam excepto præsule cum suo comitatu, manducantium turba septingentorum numerum continuit.

5. In eodem castro vir Domini sanctus Arnulfus monachum suum et presbyterum Everolfum, febribus et dyssenteria fatigatum, suæ manus impositione sanavit; bajulum rapinæ diabolum gestare vidit; in hoc prophetiam de morte sua vel sepultura, Deo revelante, cognovit. Causa autem adventus sui, charitas fraterna et obedientia exstitit, quando domnus papa imperio suo eum coegit ut clericos, qui de proditione sui comitis fuerant impetiti, eidem comiti reconciliaret, et contra sacros canones nil ab eis extorqueri consentiret. Patuit sacris mandatis apostolici auctoritate sibi injunctis, rediit in Flandriam, fecit pacem verus pacis minister. Nec tantum clericos calumnia quassos recuperavit; sed omnis Flandriæ regionem, diabolico furore in semet sævientem, ad pacis et quietis placidam confœderationem reduxit. Deinde consilio et voluntate domini Radbodi Tornacensis episcopi ecclesiam Sancti Petri apostoli et Omnium Apostolorum, sitam in vico Aldenborgensi, rogante comite Rodberto, et flagitante Conone nobili viro, ædificandam, et usibus abbatiæ aptandam suscepit, ubi, Deo ordinante, dormitionem requiei accepit, ubi divinitus sibi antea provisam sepulturam subiit; et ubi post obitum sanctum anno tricesimo quarto, de translatione sacri corporis sui solemnia gaudiosa præbuit, præstante Domino et Salvatore nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu Sancto, vivit et regnat Deus per immortalia sæcula sæculorum. Amen.

VITA S. MADELGISILI

CONFESSORIS ET EREMITÆ IN PONTIVO,

AUCTORE HARIULFO.

(MABILLON *Acta SS. ordinis S. Bened.*, Sæc. IV, parte II, pag. 537, ex mss. codice Centulensi

OBSERVATIO PRÆVIA.

Qui Chronicon Centulense quatuor libris digessit Hariulfus, idem etiam libellum scripsit De gestis S. Madelgisili (S. Manguille) *confessoris, qui primum sub S. Fursei disciplina, dein Centulæ monachus, inde secessum petiit Monasterioli* (Monstrelet) *ad Alteiam fluvium, ubi supremos vitæ dies absolvit. Gervino abbati Centulensi, ejus nominis secundo, sequentem libellum dedicavit. Gervinus porro secundus alterius erat nepos, sed moribus longe dissimilis, idemque Ambianensis episcopus: cui Urbanus secundus abbatiam Centulensem abstulit in concilio Claromontensi. Hæc constant ex Chronico Hariulfi, qui sub Anschero abbate nonnulla huic Vitæ addidit a capite 16, aut certe aliquis alius. Anscheri elogium metricum præfixum erat initio ejus Vitæ, quam ex ms. codice Centulensi Chronicon Hariulfi continente eruimus. S. Madelgisili Vita hunc habet titulum in codice ms.*

IN NOMINE CHRISTI SALVATORIS

INCIPIT

PRÆFATIO. VITÆ SANCTI CONFESSORIS MADELGISILI.

Domino dilectissimo Patrique spirituali amore complectendo GERVINO sanctæ sedis Ambianicæ episcopo, necnon almifici Centulensis cœnobii rectori, vestri gregis ovicula (utinam idonea!) HARIULFUS, salutem et sinceram obedientiam.

Seniorum qui de tempore venerandi abbatis Angelranni (71) usque ad nostra tempora perstiterunt, multimodo relatu didici quædam narratione digna, quæ ad posterorum notitiam memoriæ studiose commendavi, ea scilicet quæ de sanctis apud nos quiescentibus gesta ferebantur, quorum gestorum seriem antiquorum nihilo minus studiosa relatio notitiæ posterorum tradiderat. Inter quæ omnia fratres delectabat audire et nosse de beato confessore Madelgisilo ab antiquis temporibus apud nos quiescente, quis fuerit, qualiter Domino omnipotenti deservierit, et quomodo vel quando sanctum corpus ejus ad locum Centulensem delatum sit, et ibi collocatum, quot et quantis miraculorum signis a Domino sit glorificatum. Quorum denique signorum non tam relatu quam aspectu notitiam certam percepimus, dum et ipsi quædam ejus miracula liquido cognovimus, et innumera per tales assertores didicimus, qui non auditu, sed ipso visu præsentialiter se percepisse testantur. Igitur charissimorum fratrum desideriis sanctis vel ex parte volens satisfacere, ad honorem Dei et reverentiam ipsius sancti, nec non ad utilitatem posterorum, ea quæ nobis frequens seniorum relatio de eodem sancto contulit, scribendi officio adnotamus, ne per nostram inertiam solertia futurorum tantæ rei notitia defraudari videatur.

INCIPIT VITA

SANCTI MADELGISILI CONFESSORIS.

CAP. I. *Furseus ex Hibernia venit in Galliam. Cœnobium condit.* — Francorum regnum tenente Lodoveo filio Dagoberti, et Austrasiis regnante Sigiberto æque filio Dagoberti, vir Domini sanctus Furseus ab Hibernia ortus, et ibidem signis virtutum et notitia revelationum mirificatus, ex divina jussione natale solum reliquit, Britanniam, quæ Anglia nuncupatur, pertransiens in partibus Germaniæ appulit, ubi videlicet præfatus rex Sigibertus (72) eumdem sanctum virum magno cum honore et gaudio excepit, magnoque affectu eum retinere gestiens, quæque loca monasticæ vitæ congrua illi offerebat, quatenus eo modo in locis sui regni delectaretur morari. Sanctus autem Furseus per spiritum sentiens nequaquam se in illis locis permanere debere, regiis tamen petitionibus vel ex aliquanto cupiens obedire, rura quæque sibi oblata circumiens, et divini verbi prædicationibus ubique ferventer insistens, locum tandem gratum reperit, ubi cum Dei gratia et prædicti regis juvamine cœnobium insigne constituit, et servorum Dei multitudine sufficienter implevit. Nam ejusdem sancti viri prædicationibus multi ex eodem regno ad fidem et dignos pœnitentiæ fructus propemodum accendebantur: ex quibus aliqui majori devotione subnixi, ad meliora divinæ servitutis studia certatim properabant, ut cuncta mundi impedimenta fugientes efficerentur monachi.

CAP. II. *Madelgisilus ab eo institutus. Ejus itineris comes.* — Inter quos fuit quidam, nomine Madelgisilus, alti generis prosapia genitus, ut quod majus est atque beatius, in divina præscientia electionis gratia præscriptus. Hic beati Fursei adhærens prædicamentis, et congaudens sanctitatis ejus exemplis, decrevit comes fore indissociabilis operum et viarum ejus, ut mereretur esse particeps meritorum et præmiorum illius. Itaque sanctus Furseus perfecta ædificatione atque institutione prædicti cœnobii et commisso regimine ipsius loci charissimo fratri suo beato abbati Ultano, nec non requisita et accepta Sigiberti regis licentia, assumptis etiam secum discipulis, occidentalem Galliam quæ post modum Francia dicta est, adire deliberavit, in qua jam cœlitus erat præfixum illum terreno corpore solvi, ipsamque Franciam exemplis et meritis illius ex divino decreto debere illustrari.

(71) Ingelramnus, cognomento Sapiens, Centulensibus præfuit regnante Roberto rege, laudatus ab Hariulfo in Chronici lib. I, cap. 1 et sequentibus.

(72) Falsus est Hariulfus æquivocatione nominis. Neque enim Furseus a Sigeberto Austrasiæ rege acceptus est, sed a Sigiberto Saxonum in Britannia insula rege, ut patet ex Actis S. Fursei in Sæculo II relatis, ubi agitur de origine monasterii a Furseo constructi, opitulante Sigeberto.

Hujus itineris comes individuus vir Domini Madelgisilus fuit, et cum beato Furseo civitates et regiones pertransiit, famem, sitim, vigilias cæterosque labores sustinuit, orationes et psalmodias cum illo, uti probus discipulus cum magistro, exercuit, prædicationis etiam et abstinentiæ patientissimus imitator inolevit.

Cap. III. *Eo mortuo Centulam se recipit.* — Postquam vero vir Domini beatus Furseus, ut cœlitus fuerat præstitutum, terrena mole relicta in pago Pontivo loco, vocabulo Macerias, suum Creatori reddidit spiritum, et sacrum corpus ejus ab inclytis viris Haymone duce et Archenoldo præfecto Perronam delatum est et sepultum, beatus Madelgisilus vehementi angore pro amissione charissimi magistri cœpit affligi, et, utpote advena atque locorum B ignarus, cœpit æstuanti studio inquirere sicubi esset locus monasticæ vitæ studiis institutus, ubi Domino adhærere posset, contemplativosque carpere fructus. Cui talia perquirenti continuo innotuit celebre nomen cœnobii Centulensis a beato Patre Richerio jam olim tota sanctitate et justitia collocati, et corporis ejus exuviis sacrosanctis hactenus mirabiliter ac divinissime exornati: in quo etiam monachorum cœtus Deo acceptus regulari tramite strenue militabat, et divinæ jussioni in spiritus paupertate totis nisibus parere insistebat. Ad hunc ergo locum prædictus famulus Dei tota aviditate convolavit, et sanctorum fratrum beatæ concioni se admitti religiose expetiit, religiosius impetravit. C Invenit sane ibi veros Israelitas, spiritualem Ægyptum toto animo fugientes, et cœleste manna totis votis ambientes, puræ vitæ monachos, totius abstinentiæ et humilitatis virtute armatos. Horum beatissimæ societati se ferventer connectens servus Dei Madelgisilus, et de die in diem ad meliora se extendens in timore Dei valde proficiebat, ac de virtute in virtutem ire assidue contendebat.

Cap. IV. *Sub Chlodoveo et Balthilde, miracula fiunt Centulæ.* — Florebat per id temporis Francorum respublica sub rege Lodoveo Dagoberti filio et Baltilde venerabili regina, quæ post mortem viri sui præfati Lodovei monasterium Corbeiense construxit. Cœnobium quoque Gemmeticum, instante beato Philiberto, in territorio Rothomagensi construxit, ac per alia D loca ad construenda cœnobia regalem munificentiam profuse adhibuit. Monasterium ergo Centulense antiquitate et religione cæteris sacris locis præeminebat, et miraculorum signis quotidie ad tumulum beati Richarii divinitus clarescebat. Quæ dum fratres assidue perspicerent, quasi radiis divini amoris medullitus inflammabantur. Sciebant enim quoniam arctam et angustam viam viriliter sectando, et contra hostem antiquum alacriter decertando, ad tantam meritorum gratiam beatus confessor Richarius excreverat, ut ad ejus merita declaranda tot et tanta Christus Dominus ostenderet miracula, quæ dum fierent, multiplici laude pollebant, dum Christo Domino honorem et gloriam, confessori ejus laudis re- A verentiam, cernentibus quoque imitandi desiderium, et debilibus præstarent sospitatis gaudium.

Cap. V. *Madelgisilus secedit in eremum.*— Hæc, inquam, divina miracula multum beato Madelgisilo circa Dei cultum inspiraverunt ardorem, multam in corde ejus divinæ dilectionis flammam succenderunt, multam ad contemptum mundi in ejus præcordiis efficaciam genuerunt. Qui cum aliquanto tempore in divinis exercitiis spiritualem militiam in hoc Centulensi cœnobio peregisset, et a cæteris fratribus pro honore sanctitatis venerabilis haberetur, cernens sibi officere impensam a fratribus reverentiam, et cupiens arctiorem remotamque arripere vivendi formulam, cum magna humilitate expetiit ut liceret sibi remotum et quietum locum perquirere, quo divinis laudibus securius atque profusius quivisset incumbere, orationibus quoque et lacrymis sine strepitu valeret invigilare, ac divinis obtutibus se mortificando semper purgatiorem exhibere. Quique quod devote expetiit, gratuita fratrum benignitas ei cum magna dulcedine concessit, quippe qui fraternis provectibus nescirent invidere, sed potius congaudere. Adeptus etenim desiderium, licentiam scilicet pergendi ad eremum, cœpit summis precibus ac lacrymis impensius flagitare, ut immensa Christi pietas ei locum talem dignaretur demonstrare, ubi in spiritu humilitatis et in animo contrito divinis obtutibus valuisset assidue laudis sacrificium immolare.

Cap. VI. *In quam eremum secedere debeat cœlitus præmonstratur.*— Ad quod impetrandum, assumpsit laborem majoris jejunii, studium prolixæ orationis, psalmorum diuturnam decantationem, seniorum quoque spiritualium expostulavit orationes, ut superna gratia illi pandere dignaretur quonam in loco sortiretur Dominici servitii solitariam stationem. Cui talibus insistenti apparuit per soporem angelus Domini, et educens eum dixit: *Sequere me, et cautius attende quem tibi monstravero locum, in quo tu deinceps Dominicum expleas servitium.* His dictis ante illum cœpit ire, et per diversa loca illum circumducere, donec pervenit ad cœlitus decretam stationem, ubi figens gradum, ait famulo Dei: *Hic requies tua in tempus præfixum, hic habitabis, et hic debitum de corpore ages transitum.* Post hæc dicta disparuit, et famulus Dei ad se reversus intellexit quid vidisset; et prosternens se cum lacrymis egit gratias Deo pro inenarrabili dono ejus.

Cap. VII. — Sequenti diluculo expletis hymnorum obsequiis, convocat majores de fratribus, et per ordinem refert visionem. Illi ut vere sine dolo servi Dei exsultant, et immensas Creatori grates persolvunt; ac deinde maturant opus perficere, quo nulla mora tantum divinæ bonitatis indicium potuisset intricare. Eliguntur fratres ex præcepto abbatis qui eum deducerent, apparantur utilia quæ Christi militi forent necessaria. Quibus rite præparatis, procedit fortis athleta ad singulare certamen. Deductus autem per quæque loca, ubi ad ostensum locum per-

venit, mox ex intimo sapore quod is esset sibi divinitus prælectus locus, recognovit, adamavit, apprehendit, et primo omnium procidens in orationem, lacrymis madefactus ad quod venerat mox inchoavit. Fratres vero qui eum conduxerant, tandiu cum illo permanserunt, quousque cellula erigeretur et oratorium, ubi Christi miles suo Regi debitum impenderet famulatum. Quibus ad legem eremi rite compositis, reversi sunt ad castra cœlestis exercitii.

Cap. VIII. *Eremi situs. Ibi fontem impetrat.*— Servus itaque Christi Madelgisilus solus remanens et remotus, studuit omni fervore divinis laudibus et canticis insistere, orationibus, et vigiliis attentius incumbere, mala mundi, tanquam sua essent, assiduis fletibus expiare, optans omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis pervenire. Est autem locus ipse in pago Pontivo [*le Ponthieu*] circa fluvium Alteiam [*l'Authie*] situs, aquæ prolapsu et silvarum opacitate circumdatus, et ad Deo serviendum liber valde et quietus, vocabulo Monstroledus (73). Aqua vero ejusdem alvei interjacente palustri mollitie inaccessibilis erat, unde et labor importabilis ad aquam hauriendam Dei famulo accidebat. Unde totis nisibus conversus ad Dominum, orabat supernam majestatem, ut illi auferret tantam hauriendæ aquæ difficultatem; et prostratus humi lacrymas fudit cum precibus, ut aquæ subsidium conferret illi omnipotens Deus. Sentiens quoque in spiritu se a Domino velociter exaudiri, post orationem fusam surrexit, et durissimo cespiti signum crucis apposuit. Mox etenim vena aquæ limpidissimæ ibidem se aperiens clarum fontem evomuit, qui in devexi montis subjacente modica et pendula planitie ebulliens, ad alveum Alteiæ seu maternum sinum recurrit, sed in suo decursu copiam hauriendi omnibus attribuit. Hic idem fonticulus cœlesti medicina refertus diversos languores suo haustu expulit: quod et modo nullus fieri ambigat, nisi infidelitas id petentis impediat.

Cap. IX. *Centulenses ægrotanti subveniunt.*— Igitur in omni sanctitate et nimia simplicitate serviens Deo sine interpolatione, et permanens in assumpta tam ardui propositi austeritate, post aliquot annorum curricula infirmatus est corpore languore valido, non tamen impeditus a divino servitio, et putans se jam resolvi, cœpit in Dei opere esse tam ferventior quam exspectata felicitas jam foret propinquior. Mox etenim abbati Centulensium apparens Dei angelus, monet et imperat ut visitetur in eremo Dei servus, et impendatur ei solatium, ne deficiat ad Christi servitium. Surgit abbas festinanter, assumptisque de fratribus quos elegit, incumbit et accelerat Dei servum invisere, quem compererat cœlestibus excubiis non carere. Venerunt itaque in eremum præfatam ad habitaculum viri: inveniunt ægrotum,

A orant, psalmos canunt. Inde præmissa benedictione salutant illum in osculo sancto, ac deinde proferunt quæ ad usum ejus detulerant ex cœlesti mandato. Præ gaudio autem de illorum adventu intantum servus Dei exhilaratus fuit, ut totam languoris gravedinem protinus oblivioni dederit. Relinquentes ergo ei fratrem qui ejus solitudini ac imbecillitati solamen præberet, redierunt ad claustra, extra quæ diutius commanere nullatenus proficeret.

Cap. X. *S. Wlganius medetur.* — Per idem ferme tempus fuit in Britannia majori vir Deo placitus genere et scientia insignis Wlganius (74), qui dum esset ad arcem episcopatus Dorovernensium civitatis, quæ Cantuaria nuncupatur, prælectus, et sentiret sibi obesse tanti culmen honoris, utpote qui

B in paupertate et extremitate Deo servire maluerat, rogavit Dominum, ut tale ei consilium præberet, quo de vinculis tantæ prælationis absolvi, et divinæ servitutis officio quam maxime valuisset implicari. Talia deprecantem taliaque deprecando frequentantem respexit qui humilibus dat gratiam, de quo scriptum est: *Desiderium pauperum exaudivit Dominus* (*Psal.* x), nempe cœlestis nuntius ei assistens, consilium quod quærebat, eidem intimavit, dicens: *Festinus transi mare versus Galliam, et applicabis in Alteiam, supra quam quidam Dei servus habitat, ad quem tu velox abibis, et ex Dei mandato a sua infirmitate illum sanabis, ac deinceps in Dei servitio cum illo socialiter permanebis.* Percepto hoc oraculo

C beatus Wlganius continuo exivit ad urbem, et arripuit iter ducens ad mare. Invenit autem nutu Dei naviculam, in quam mox intravit, Christum invocans, et de Dei præsentia non diffidens. Statim navicula fluctibus elevata sine humano remigio per maria in directum cucurrit, et angelico ductu ad portum Alteiæ velociter pervenit; indeque oram legens usque ad habitaculum Dei servi contra impetum fluminis navigando pervenit.

Cap. XI. *Simul convivunt.* — Egressus de navicula et intrans ad famulum Dei æque Dei servus Wlganius, mox orationi incubuit; qua completa manus suas ægroto imposuit, et continuo languore depulso sanitas redire incœpit. Beatus etiam Madel-

D gisilus lento conanime exsurgens in ejus complexum ruit, et sic se invicem mutua dilectione complexi sunt, ac si uterini fratres post longa terrarum vel locorum spatia in unum convenissent. Fuerunt ergo isti duo venerabiles viri fide et devotione conjuncti, spirituali gratia confirmati, ad instantiam divinæ laudis unanimiter animati, ad vitia calcanda fortes, in contemptu sæculi alacres, ad quæstum virtutum avidi, ad impendenda beneficia prompti. Et quoniam nec sensus excogitare, nec lingua valet virtutes eorum proferre, qualiter, auctore Deo, tanti pretii margaritæ in hujus mundi exsilio

(73) Monasteriolus dicitur in Hariulfi lib. III, cap. 20, vulgo *Monstrelet.*

(74) Wlganium in catalogo episcoporum Dorobernensium frustra quæras, et tamen id etiam legi in S. Wlganii Actis mss.

elimatæ ad cœleste sertum transmissæ sint, jam nunc propalare aggrediamur.

CAP. XII. *Wlganius morbo correptus, unctione et viatico munitus obit. [Maldegisilus item moritur.* — Consequenti tempore ut placuit supernæ providentiæ, jam expleto cursu fragilis hujus vitæ, accidit corporalis ægritudo famulo Dei Wlganio. Quo ægrotante beatus Madelgisilus satis ægre ferebat sodalis molestiam, et assistens ei cum singultu querebatur ita dicens : *Ergone, frater mi, ad hoc venisti, ut me relicto in convalle lacrymarum, tu festines ad consortium gaudentium animarum? ego certe sperabam a te corpore humi, spiritu Christo commendari; et nunc affectas hinc velox recedere, ut ante me spiritu cœlum, corpore terram debeas penetrare?* Cui sanctus Wlganius aiebat : *Sustine, quæso, patienter, frater beatissime, et Dei voluntati in nobis libenter acquiesce. Nam quid proderit tota vita in obedientia præceptorum Dei sudasse, si circa finem nostrum is qui calcaneum observat, rebelles ac murmurantes valuerit invenire? Nec durum patiaris quod ad tempus te relinquo, quoniam mox ut faciem Dei videro, pro te ut hinc eximaris, supplicare non cessabo.* His beatus Madelgisilus ad modicum recreatus, ministrum suum dudum sibi ab abbate delegatum ad idem monasterium festinanter transmisit, mandans fratribus, ut infirmum cohabitatorem suum quantocius visitarent; et quidquid ad viaticum decedentis pertinet, eidem ministrarent. Mox audito hoc mandato ad omnia bona efficaces et prompti Centulenses monachi, sub omni celeritate venerunt, oleo sacro servum Dei perunxerunt, communionem Dominicorum mysteriorum tradiderunt, et sic sanctam illam animam IV Non. Novembris de corpore egressam psalmis ac lectionibus prosecuti, corpus demum condignæ sepulturæ in oratorio (75) tradiderunt. Nec longo post temporis spatio sanctus Madelgisilus superfuit quin potius plenus dierum bonorumque operum ad gaudia sanctorum transmigravit, accipiens coronam de manu Domini, et reddens terræ corpusculum juxta sepulturam sui quondam sodalis Wlgani in eodem loculo oratorii sui. Dies autem natalitius hujus viri Dei ab antiquis traditur III Kal. Junii ad laudem et gloriam nominis Christi.

CAP. XIII. *Centulam corpus ejus transfertur. Dubitatio de ejus cultu miraculis sublata.* — Multis autem postea effluentibus annorum curriculis translatum est corpus beati Madelgisili ad cœnobium Centulense in ecclesiam Beati Richarii, et ibi requiescit, ubi scilicet divinæ laudis sonus (76) non desistit, et ubi multa continentur corpora animarum quæ cœlo vivunt. Inter quæ cum tempore abbatis Ingelardi (77) idem Christi confessor honori- A fice fuisset collocatus, cœperunt quidam ex monachis quadam stoliditate permoti dicere quod indignum esset illius hominis venerari ossilla, cujus ignorabant vitam vel gesta ; necdum enim lucida ejus opera scripturæ tradita, necdum memoriæ fidelium fuerant commendata. Hac de re dum jam dicti fratres aliquoties contenderent, erat antiquitus ecclesiola quædam in confinio ipsius Centulæ, ex ejusdem sancti nomine appellata, ad quam decreverunt ipsum ferri debere, dummodo et suæ ecclesiæ domicilio potiretur et illum taliter remotum non cogerentur honorare. Cum ergo illic esset positus, ille Deus qui humilia respicit, qui etiam sanctos suos, quamvis occultos, exaltare non desinit, decrevit eo loco plura patrare miracula, quatenus vel sic co- B gnoscerentur præfati sancti merita, et eorum qui illum abjecerant, domaretur stultitia. Denique cæcis visum, surdis auditum, claudis gressum, mutis loquelam, cæterisque infirmitatibus tale ac tantum contulit ibidem remedium, ut nemo valuerit lingua prædicare aut memoria retinere tantorum operum copiosam numerositatem. Cum ergo longiori tempore hæc Dei gratia ibidem claresceret, et tam evidenter omnibus pateret esse hunc apud Deum pretiosi meriti, cœpit abbas Ingelardus cum monachis suis grandi pœnitentia moveri, quod tanti pretii margaritam quasi quoddam vile abjecissent. Et quem prius pro gestorum ignorantia seu pro obscuritate despexerant sanctitatis, cum devota cordis C humilitate et celebri honore disposuit reportare, ad quem amandum et honorandum magnifica Dei virtute trahebatur. Tunc aggregatis fratribus et populo convocato, præmissis crucibus et cereis ac thymiamateriis et omni decore ecclesiastico, cum honore et magna timoris Dei reverentia jam dictam ecclesiolam processionaliter expetunt, præmissaque erroris venia cum hymnis sanctum corpus acceperunt, et ad ecclesiam sancti Richarii cum laudibus retulerunt, uti eum qui mentium duritiam meritorum virtute domaverat, quod etiam ibidem reconditum cum honore servatur, et cum amore veneratur.

CAP. XIV. *Delatio annua corporis.* — Fuit postmodum Centulensis populi et pagensium Pontivorum D devota consuetudo, ut unoquoque anno ad diem sui natalis, qui est III Kal. Junii, sacrum corpus ejus ad locum, ubi olim fuerat sepultus, cum gaudio et honore decenti deferrent; conveniebatque de proximis villis vel municipiis ingens turba populorum, et cum multa lætitia sancti festum colebant. Quadam ergo vice cum de more solemni illuc fuisset deportatum, et expletis solemniis, cum jam tempus adesset referendi, egredientibus fratribus cum sancti corpore

(75) Sancti Wlganii corpus postea translatum est in castrum Lenense (*Lens*), diœcesis Atrebatensis. Baldricus in Chronici lib. II, cap. 22 : *Apud castrum Lenense habetur quoque Monasterium canonicorum, ubi sanctus quiescit Volganius, qui Scotus traditur exstitisse.*

(76) Nimirum Laus perennis olim a sancto Angilberto, ut diximus, instituta : quæ haud scio an vigebat adhuc per id tempus.

(77) Ingelardus abbas, labente sæculo decimo, successorem habuit Ingelramnum, de quo supra. Lege Hariulfi Chronicon in lib. III, cap. 29, ubi totidem verbis hæc referuntur.

de ecclesia tantam contigit fieri pluviæ et ventorum turbulentiam, ut illa dies nocte turpior videretur præ nimia tempestivi aeris densitate. Ferebantur pro more ante corpus sanctum duo argentea ceroferaria, quorum lumina licet ventis pulsarentur, et pluviis valide humectarentur, nequaquam tamen exstingui potuerunt, quousque ipsam parœciam in qua fuerat conversatus, pertransisset. Ita quasi designans quod fuerat proprium miraculo sacravit.

CAP. XV. *Miraculum.* — Quidam vicinus possessor avaritiæ jaculo stimulatus quamdam terram ecclesiæ Beati Madelgisili olim condonatam vi rapuit, et in usus proprios redegit. Interea redeunte annua sancti solemnitate, contigit lecticam ejus per ablatam sibi terram permeare. At ubi qui portabant, illam terram calcare cœperunt, repente lectica ejus nimio pondere aggravata immobilis substitit, ac tanquam mons moveri a loco non potuit. Tunc qui noverant ipsam terram præfato dudum sancto injuste ablatam, conquerebantur dicentes : *Ecce sanctus Madelgisilus propter suam terram commotus se aggravavit, et se hinc proferri non permittit. Conveniamus raptorem, rogemus et exhortemur uti sancto sua reddat.* Sic temerator nimium pavefactus et formidans, ne terra illum viventem deglutiret, tremulus accessit, et veniam humiliter petens agrum suum sancto Madelgisilo restituit, liberumque et quietum in perpetuum acclamavit. Hoc facto ad sanctum reditur, lectica gestatur, ponderositas nulla sentitur.

CAP. XVI. *Anno 1113, transfertur in novam thecam.* — Sub anno etiam divinæ per carnem apparitionis millesimo centesimo et tertio decimo, indictione quinta, regnum Francorum tenente Ludovico filio Philippi anno quinto, cum sanctissimi Richarii nobile quondam monasterium detineret abbas Anscherus annis jam sedecim, placuit ipsi abbati ac cæteris fratribus, ut amabile corpus sancti Madelgisili revolverent et inspicerent, atque in novam capsam, quia antiqua valde fragilis erat, diligenti studio reconderent. Paratis itaque quæ ad tantum opus competentia videbantur, ubi ventum est ad id quo sacra membra relocarentur, cervini corii sacellus quo recipienda erant, invenitur brevior, minusque capacior quam ipsorum ossium magnitudo ac proceritas poscebat. Ideoque pars quædam eorumdem ossium remansit in pristino indumento, quousque tempore liberiori res in melius aptaretur. Attamen in novam capsam universa reposita sunt cum psalmis et decenti honore. Non multi post hæc fluxerant dies, et custos ecclesiæ, qui eumdem sanctum ferventi amore prosequebatur, infirmitate præventus dormire non poterat, et tota nocte apud se tractaverat quando qualiter sancti corporis transmutatio perfici posset. Jam vero aurora consurgente idem custos lassabundus modice obdormivit, et in ipso parvissimo somno sensu interiori de sancti reliquiis componendis cogitabat, et subito astitit coram illo vir procerus et decorus in habitu glorioso, et ait : *Hoc cautius provide et sic perage, ut omnia ossa mea insimul recondantur.* At ille qui perexiguo sopore tenebatur, et quem ejusdem sancti fervens amor aspirabat, mox ut audivit dicentem *omnia ossa mea*, ipsum esse beatum Madelgisilum liquido intellexit; et librata in eum oculorum acie nomen et meritum inquirere concupivit. At ille vir magnus et gloriosus, antequam interrogari potuisset, disparuit; sed odorem nimis gratum reliquit et vestigia pedum suorum tanquam aurea dimisit. Idem autem de recessu ejus dolens, sed de odore gaudens, et hujus visionis aliquod indicium retinere satagens, ait, ut putabat intra se : *Statim hæc aurea illius vestigia apprehendam, et hæc fratribus in testimonium deportabo.* Sic evigilans exsilivit, extensis brachiis et hac motione concussus aurea vestigia quæ se cernere putaverat, jam non vidit, sicque visionem et totam qua premebatur, ægritudinem continuo deposuit, adjuvante merito sancti per gratiam Domini nostri Jesus Christi, cui est honor et gloria in sæcula. Amen

EPIGRAMMA LECTI EJUS.

Ossa Madelgisili tenet hæc lectica beati,
Quem confessorem sibi Christus rite beavit,
Anscherusque novam sibi capsam jure paravit

APPENDIX AD HARIULFUM.

CHRONICON MONASTERII ALDENBURGENSIS PARVUM.

Edidit R^us admodum D^us J.-B. MALOU

CANONICUS AD HONORES, PROFESSOR THEOLOGIÆ ET BIBLIOTHECARIUS UNIVERSITATIS CATHOLICÆ LOVANIENSIS.

(*Recueil de chroniques, chartes et autres documents concernant l'histoire et les antiquités de la Flandre occidentale, publié par la Société d'émulation de Bruges. — Première série. Chronique des monastères de Flandre.* — Bruges, 1840, in-4.)

PRÉFACE.

SITUATION D'OUDENBURG, ATTILA L'ASSIEGE EN 453, S. URSMAR Y FONDE DES EGLISES.

Oudenburg, aujourd'hui simple village de la Flandre occidentale, situé entre Bruges, Ostende et Nieuport, près de la jonction des canaux qui unissent ces trois villes, fut dans des temps reculés, une place forte qui passait pour la capitale de ce pays. La Chronique dont nous publions maintenant le texte inédit, nous apprend qu'elle fut assiégée par Attila, roi des Huns, dans l'invasion qui eut lieu, selon nos historiens les plus accrédités, vers l'an 453 *de l'ère chrétienne. Ce désastre fit perdre à Oudenburg son ancienne splendeur, sans lui enlever sa prééminence sur les bourgs de la contrée, car vers la fin du septième siècle, S. Ursmar, qui parcourut toute la Flandre en apôtre, y fonda deux églises célebres. Vers le milieu du neuvième siècle, on voyait encore les ruines de ses anciennes fortifications, que Baudouin le Chauve, comte de Flandre, donna vers cette époque aux habitants de Bruges pour bâtir et fortifier leur ville. C'est aux pieux cénobites d'Oudenburg que nous devons ces souvenirs ; eux seuls ont conservé l'histoire de ces temps obscurcis par les âges*

S. ARNOULD, APOTRE DE LA FLANDRE, FONDE LE MONASTERE EN 1083.

S. Arnould, Flamand d'origine, élevé sur le siége épiscopal de Soissons par ses vertus et ses mérites, fut envoyé en Flandre par Grégoire VII, pour pacifier cette province, vers le milieu du XIe *siècle ; par ses travaux apostoliques, sa prudence et sa douceur, il ranima la foi et fit revivre la paix au sein des populations troublées par les dissensions civiles. Dès l'année* 1056, *il avait substitué aux églises bâties en bois par S. Ursmar, une église bâtie en pierre, dont les matériaux furent tirés des anciennes ruines de la ville ; et il eut le bonheur de fonder en* 1083 (1), *une abbaye de religieux de l'ordre de S. Benoît, qui fut chargée de desservir l'église et de maintenir dans la ville d'Oudenburg et dans les environs, l'esprit de foi et de ferveur, qu'il avait ranimé par son zèle. La première communauté fut formée de six religieux de l'abbaye d'Afflighem, en Brabant, et de quatre religieux de l'abbaye de Flurs, située en France. Malgré la vicissitude des temps,*

(1) Guidés par la grande chronique ms. d'Oudenburg, nous avons fixé la fondation du monastère à l'année 1083. L'histoire de la fondation est placée sous la rubrique de cette année, mais le catalogue des abbés la rapporte à l'année suivante 1084. Nous n'avons aucune raison de préférer une date à l'autre, les monuments que nous connaissons ne nous fournissent aucun moyen de discerner la vérité. Le premier abbé gouverna le monastère pendant huit ans, et mourut en 1095, huit ans après son oncle saint Arnould, évêque de Soissons, dont la mort est fixée à l'année 1087. Il devient donc impossible de supputer de combien d'années la fondation du monastère précéda la mort de S. Arnould, la succession des abbés n'ayant pris cours qu'après son trépas. Ne pouvant enlever cette contradiction de date, nous l'avons suivie. Dans cette préface et les notes de la chronique, nous tenons pour certaine la première ; dans le catalogue des abbés, nous nous sommes tenus au texte ; en adoptant l'une ou l'autre date, on voudra bien tenir compte de celle qui lui est contraire, et toujours entendre nos assertions avec la réserve, que nous venons d'indiquer.

qui obligea quelquefois les religieux à fuir les murs de leur monastère, cette fondation subsista jusqu'à l'année 1797 ; *elle fut alors enveloppée dans la suppression générale des établissements religieux de la Belgique.*

MONUMENTS HISTORIQUES DE CETTE MAISON.

Le monastère d'Oudenburg possédait autrefois trois monuments historiques principaux, dont la connaissance est parvenue jusqu'à nous ; d'abord la petite Chronique anonyme *que nous publions ici, et qui fut écrite au* XI*e siècle ; en second lieu, une* Grande Chronique, *rédigée en* 1458, *par les soins d'Anianus* XXVI*e abbé du monastère, et dont nous avons l'original en mains ; en troisième lieu des* Annales d'Oudenburg, *écrites par George Cabiliauw religieux du couvent vers le milieu du* XV*e siècle.*

ANNALES DE G. CABILIAUW.

Jusqu'ici, il nous a été impossible de découvrir les écrits de George Cabiliauw : peut-être ont-ils passé en Angleterre, avec tant d'autres monuments précieux ; peut-être sont-ils ensevelis dans des archives encore inexplorées; peut-être ont-ils péri dans la tourmente révolutionnaire. Voici, au reste, les témoignages qui nous certifient leur existence. Sanderus, dans sa Flandria illustrata, *tome I, page* 5, *colon.* 1641, *après avoir allégué l'opinion de plusieurs auteurs, qui cherchent l'étymologie du mot* Flandria, *dans le nom du prince Flandbert, qui régna sur notre pays, ajoute aussitôt* : In eadem plane sententia est GEORGIUS CABELLAVIUS, Annalium Aldenburgensium, quæ in eodem cœnobio mss. servantur, auctor, quam non insolidis rationibus probat. *Le même auteur, dans sa description du Franc de Bruges, page* 318, *édit. citée, dit que le souvenir de George Cabiliauw était encore récent ; voici ses paroles :* Patrum memoria vixit, et Annales monasterio latino sermone contexuit.

Valerius Andreas a connu ces Annales, et il parle de leur contenu et de leur auteur en ces termes : Georgius Cabilliau, monachus Aldenburgensis in Flandria, ordinis Sancti Benedicti, scripsit historiam urbis et abbatum Aldenburgensium, quæ ibid. ms. legitur. Orditur autem a prima civitatis illius ædificatione, ac destructione ejusdem ab Atthila et Northmannis, deducitque usque ad annum CIƆIƆLXX.

Nous avons découvert par hasard, dans une feuille volante qui servit autrefois de brouillon à la rédaction du catalogue des abbés d'Oudenburg, l'époque précise où vécut George Cabiliauw. Parmi les notes qui se rapportent à l'administration de Gaspar de Bovincourt, XXXVII*me abbé, qui gouverna le monastère de l'année* 1569 *à l'année* 1577, *nous lisons :* Ten dien tyde, waer alhier dese religieusen : Adrianus de Gruytere, prior ; Ægidius Sauvin, GEORGIUS CABILIAUW, Adrianus David, Melchior Everaert, presbyteri ; et Petrus Wilsoets, subdiaconus. *Cette époque s'accorde parfaitement avec l'indication plus générale de Sanderus, qui écrivait avant l'année* 1641, *que George Cabiliauw,* patrum memoria vixit.

Si le volume de ces Annales a été détruit, sa perte est bien à regretter, car puisé dans les archives du monastère, il contenait sans doute des faits et des détails historiques, dont maintenant le souvenir est perdu peut-être à jamais. Estimons-nous heureux néanmoins d'avoir dérobé au torrent rongeur des années, les deux chroniques qui ont échappé comme par miracle à une destruction presque inévitable.

SORT DES DEUX CHRONIQUES.

Un heureux hasard permit qu'au moment de la dispersion des religieux en 1797, *on trouvât moyen d'emporter ces deux précieux volumes. Après la mort de ses confrères, le P. Bouten les reçut en partage ; ce religieux, par un excès de zèle, s'engagea dans le schisme des Stévenistes et vécut hors de la communion de son évêque, passant de village en village pour soutenir ses adeptes, jusqu'à ce que la mort vînt le frapper, dans une ferme des environs d'Ypres, où il avait déposé ses livres et ses papiers. Un ecclésiastique appelé sur les lieux voulut bien examiner le dépôt, après sa mort : les livres jugés mauvais furent détruits, les autres vendus. Le cultivateur héritier du P. Bouten, céda la grande chronique originale, de* 210 *folios en parchemin, avec plusieurs miniatures assez soignées, pour la somme de trois francs ; mais comme la Vie de S. Arnould, qui est suivie de la chronique dont nous publions ici le texte, avait perdu la moitié de sa couverture séculaire, d'un demi-pouce d'épaisseur, et avait subi la dent des rats, elle ne trouva pas d'acheteurs. On la déposa à Ypres dans la maison d'un honnête chaudronnier, chez qui je pus l'acquérir pour une somme assez modique. J'appris depuis que des mss. de moindre format, en papier, avaient été détruits comme insignifiants ; il m'a été impossible d'en découvrir les restes.*

GRANDE CHRONIQUE COMPILÉE PAR ANIANUS

La grande chronique rédigée, ou plutôt compilée par Anianus, est précédée d'une introduction chronologique et géographique, et suivie du catalogue des souverains pontifes, des principaux souverains de l'Europe, des évêques du pays, et des abbés du monastère : cette liste nous fournit une esquisse historique de la maison ; elle n'est pas sans intérêt, après la perte des Annales de G. Cabiliauw, qui entrait sans doute dans des détails plus étendus.

Le célèbre Charles de Visch, religieux de l'abbaye des Dunes, a fort bien remarqué, à la page 145 *de ses notes mss. conservées aujourd'hui dans les archives du séminaire de Bruges, qu'Anianus doit beaucoup à*

Brandon, religieux des Dunes, dont la chronique encore inédite, sera publiée, nous l'espérons, par la commission royale d'histoire.

On ne peut disconvenir qu'Anianus n'ait suivi presque pas à pas les traces de Brandon : cependant le parallèle que j'ai fait de quelques récits, me porte à croire que le compilateur d'Oudenburg avait sous les yeux plusieurs historiens, que Brandon a copiés servilement : car il ajoute quelquefois des détails que Brandon a supprimés. Nous parlerons plus amplement de cette Chronique, lorsque nous la mettrons sous presse, avec les autres monuments relatifs à l'abbaye d'Oudenburg, que nous rassemblerons ou par nos recherches personnelles, ou par les soins de nos amis. Nous observerons seulement ici, que Sanderus, page 318, édit. cit., et Valerius Andreas, page 59 des ouvrages cités plus haut, se trompent lorsqu'ils affirment que l'abbé Anianus rédigea une chronique universelle depuis l'origine du monde, jusqu'à l'année 1457 ; car cette chronique commence à la naissance du Sauveur et se termine à l'année 1400. L'inscription de la table des matières en tête de la chronique, porte en toutes lettres que le volume fut écrit l'année 1458.

La grande Chronique contient à peu près en entier la petite Chronique que nous publions ici, mais morcelée, et distribuée aux différentes époques qu'elle touche. Cette copie nous a été utile pour fixer quelques leçons douteuses.

DE LA PETITE CHRONIQUE. ELLE A ÉTÉ CONNUE DE NOS HISTORIENS.

La petite Chronique dont nous publions ici pour la première fois le texte, est sans contredit, un des monuments les plus curieux de notre histoire, et peut-être la pièce la plus ancienne rédigée en forme historique. Il paraît indubitable, par son contenu, qu'elle a été écrite, l'année 1083, ou bien peu de temps après. L'auteur répète plusieurs fois, qu'il a été témoin des faits qu'il raconte : il vit encore debout l'ancienne église bâtie en bois par S. Ursmar ; il vit bâtir la nouvelle église en pierre, commencée par S. Arnould, en 1056 ; il assista, en 1070, à la dédicace de la même église ; en 1081, il redouta les effets d'une tempête effroyable, qui faillit renverser le clocher de l'église ; il raconte la fondation du monastère, qui eut lieu en 1083, et c'est ici le fait le plus récent de la chronique : elle n'en contient aucun, qui soit postérieur à l'année 1083. On se persuadera facilement que l'auteur n'a guère pu différer au delà de cette année, d'écrire sa chronique, vu son grand âge, si l'on réfléchit qu'en 1056, environ 30 ans avant la fondation du monastère, il avait sans doute déjà atteint ou dépassé l'âge mûr, puisqu'il avait remarqué et conservé dans sa mémoire des détails minutieux, qu'un jeune homme ne remarque pas. J'ajouterai encore qu'au N° VIII de sa chronique, il assure avoir reçu le témoignage des fidèles, qui vivaient sous le règne d'Arnould le Jeune ; or, ce prince mourut l'année 989 : il est donc évident, qu'en 1083, notre auteur avait atteint un grand âge, et qu'il n'a pu différer longtemps la rédaction de sa Chronique.

Ce monument n'est pas resté inconnu à nos principaux historiens. Olivier Vredius en parle dans sa Flandria Ethnica, *page 491, édit. Brug. 1650, et dans sa* Flandria Christiana, *page 161 ; Meyer, dans ses* Annales Flandriæ, *à l'année 455 : L'Espinoy, dans ses* Recherches des Antiquités et noblesse de Flandres, *chap.* V ; *D'Oudegherst, dans ses* Annales, *pages 3 et 13. édit. Lesbroussart, 1789. Cependant, si l'on excepte Vredius et Meyer, il est permis de croire que ces écrivains citaient notre chronique sans l'avoir lue, et sur l'autorité d'autrui, comme semble l'indiquer d'ailleurs la méprise de Sanderus et de Valerius Andreas, observée plus haut. Au reste, les courts extraits qu'ils en donnent sont insuffisants pour la faire connaître.*

DU MS. DE LA PETITE CHRONIQUE.

Disons un mot du ms. sur lequel nous publions le texte de ce précieux monument. Notre Chronique ne forme pas un volume séparé ; elle a été copiée sur quelques feuilles de parchemin libres, entre la vie de saint Arnould, fondateur du monastère d'Oudenburg, et l'ouvrage d'Hugo, prieur de Saint-Laurent, intitulé : De claustro animæ. *On peut consulter sur cet auteur, beaucoup lu au moyen âge,* Oudin, De scriptoribus ecclesiasticis, *tome* II, *col. 1107, édit. Lips. 1722. La Vie de saint Arnould a été écrite par Lisiard, un de ses successeurs sur le siége de Soissons, en l'année 1114, et publiée avec de notables retranchements, par Surius, au 15 août. Ces deux ouvrages réunis forment un grand volume in-folio de la plus belle écriture, qui servait autrefois de lectionnaire pour l'office du saint fondateur. Entre ces deux ouvrages se trouve insérée notre chronique, d'une très-petite écriture, qui semble appartenir aux premières années du* XIV*e siècle.*

DE L'AGE DE CE MS.

Il paraît à peu près certain que la vie de S. Arnould et l'écrit d'Hugo, ont été copiés à Oudenburg, avant l'année 1278, par Jean De Biervliet, XIV*me abbé du monastère, dont il est fait mention en ces termes dans le catalogue des abbés, que nous publions ci-après :* Joannes De Biervliet, religiosus hujus monasterii, cujus scriptura adhuc viget, rexit annis XXIX, et obiit anno Domini 1307. *Nous avons ici trois points importants : la patrie de cet abbé, sa célébrité acquise par sa belle écriture, enfin l'estime et l'usage que l'on faisait de*

ses manuscrits, indiqués dans le mot Vigel. Or, ces trois caractères se retrouvent dans le ms. dont il est question. D'abord la patrie, car le copiste termine le volume par cette épigraphe :

Qui me scripsit ita, monachus fuit, atque levita,
De Biervliet natus ; sit pro mercede beatus.

Ensuite l'art d'écrire : car l'écriture est d'une beauté et d'une régularité remarquables ; enfin l'usage fréquent qu'on faisait de ce ms. dans le monastère, attesté par les inscriptions, écrites à différents chapitres ou à la marge : Lectio prima, secunda, tertia. *Je pourrais alléguer encore les dégradations et la couleur de certaines feuilles, qui résultent évidemment d'une manipulation fréquente.*

Jean de Biervliet gouverna le monastère depuis l'année 1278, *jusqu'à sa mort en* 1307. *Il est très vraisemblable que revêtu de cette dignité, et tout occupé des devoirs qu'elle impose, il n'eut plus guère le temps de vaquer à la transcription des livres, et qu'il écrivit par conséquent ce volume avant l'année* 1278. *L'épigraphe que j'ai citée vient à l'appui de cette assertion, car Jean De Biervliet n'était que lévite, j'entends diacre, lorsqu'il termina ce manuscrit. Ce volume fut donc un ouvrage de sa jeunesse. On peut affirmer sans témérité que la petite chronique fut ajoutée au volume après l'année* 1278, *et peut-être au commencement du quatorzième siècle, après la mort de Jean De Biervliet : car l'écriture cursive et resserrée de notre ms. a une analogie frappante avec le caractère des diplomes de Gui de Dampierre, que l'on trouve en grand nombre aux archives du séminaire de Bruges.*

DE L'ÉDITION DE LA PETITE CHRONIQUE.

Pour conserver à notre chronique sa couleur de vétusté, nous suivrons l'orthographe du ms., excepté en ce qui concerne la ponctuation et les majuscules : car il est très-défectueux sous ce double rapport. Les notes et éclaircissements que nous y avons ajoutés ont pour but d'en faciliter la lecture ou de confirmer ses récits. Nous examinerons à part dans une dissertation qui sera ajoutée au volume, si les doutes de Vredius et de De Bast sur les dévastations d'Attila en Flandre, sont bien fondés ; nous croyons pouvoir démontrer que le démenti donné par ces grands hommes à notre chronique, n'est pas basé sur des preuves solides.

VIE ABRÉGÉE DE S. ARNOULD. CATALOGUE DES ABBÉS.

Notre Chronique est suivie d'une chronique plus courte, qui contient un simple résumé de la vie de S. Arnould et de la fondation du monastère ; nous l'avons trouvée dans la grande chronique, placée à la tête du catalogue des abbés, dont elle forme une espèce de préliminaire. Comme le catalogue des abbés renferme une histoire abrégée du monastère, depuis son établissement jusqu'à nos jours, nous n'avons pas hésité à l'insérer dans ce volume, afin que ces trois pièces réunies nous offrissent la suite des faits historiques qui concernent Oudenburg, depuis l'année 453 *où elle fut dévastée par Attila, jusqu'à la mort du dernier abbé, en* 1803.

DIPLOMES TROUVÉS PAR M. VAN DE PUTTE.

M. Van De Putte, membre de la Société d'Émulation pour l'Histoire et les Antiquités de la Flandre occidentale, *par ses recherches actives, a réuni un assez grand nombre de diplômes concernant l'ancienne abbaye d'Oudenburg, et il a eu la complaisance de m'en offrir une copie, mais comme ces pièces sont d'une certaine étendue, et ont plus d'homogénéité avec les extraits que nous donnerons de la grande chronique, nous les réserverons pour cette seconde publication. Afin de compléter l'histoire de cette célèbre abbaye, nous y ajouterons les pièces déjà publiées par Miræus dans le* 3ᵉ *volume de ses* Opera diplomatica.

RÉSUMÉ GÉNÉRAL DE LA CHRONIQUE.

L'ordre des temps n'est pas scrupuleusement gardé dans notre chronique ; nous en donnerons ici un résumé général, qui pourra tenir lieu de table des matières.

Je m'estime heureux de pouvoir joindre cette publication à la collection de monuments que la Société d'émulation pour l'histoire et les antiquités de la Flandre occidentale *commence à publier, afin de reconnaître au moins par cette faible coopération, l'honneur qu'elle a bien voulu me faire en m'associant à ses travaux.*

Louvain, le 4 février 1840.

J.-B. Malou.

CHRONICON ALDENBURGENSE

AUCTORE ANONYMO (2)

I.

Ab Adam usque ad diluvium, anni duo milia ducenta quadraginta duo. A diluvio usque ad Abraham, anni nongenta quadraginta duo : Ab Abraham usque ad nativitatem Domini nostri Jesu-Christi, anni duo milia et quindecim. Sic fuit ab Adam usque ad Dominum Christum, anni quinque milia centum nonaginta novem (3). Et sic a principio mundi usque ad passionem D. N. J. C. quinque milia anni sunt cc xvi. A passione Domini usque ad initium edificationis templi sancti Petri apostoli Aldenburgensis, anni m l vi. Ceptum est autem opus predicti templi ab oriente prefate urbis, vii Kal. Maii, feria v, indictione ix, epacta i, et concurrente i, pontificatum agente romane ecclesie papa Leone (4), cujus temA poribus, antea circiter septimum annum sancta exstitit synodus Remensis (5). In qua ipse presidens, Spiritu sancto revelante, episcoporum et abbatum ibidem consedentium actus, mores et vitam liquido omnibus patefecit.

II.

Primo igitur unumquemque secundum Domini præceptum inter se ipsum solum humiliter corripiens, deinde sub duobus vel tribus ydoneis testibus, postea in commune permanentes, publice coram omni concilio increpare non neglexit. In ipso ergo sancto concilio quam plurima decreta Domino accepta, que hactenus universali Ecclesie perstant proficua, apostolica auctoritate jubendo, confirmavit.

(2) Le manuscrit de cette chronique ne porte pas de titre : nous n'avons pas hésité à lui donner celui que semble exiger son sujet tout historique. L'auteur, aux n. X et XIX, l'appelle *Tractatus*; mais ce nom était générique au moyen âge, et signifiait tout aussi bien une chronique, qu'un sermon, une lettre, une convention, ou un traité de paix. On peut voir à ce sujet le Glossaire de Du Cange.

Il paraît que le nom de l'auteur était inconnu depuis longtemps même dans le monastère, car Valerius Andreas, qui aurait facilement pu s'en informer, après avoir fait mention des Annales de G. Cabiliauw, ajoute : *Aliud ibidem ejusdem ecclesiæ et abbatiæ exstat Chronicon, antiquissimo caractere scriptum, sed incerto auctore* (*Biblioth. Belgica*, pag. 259). On ne peut guère douter qu'il ne parle de notre Chronique.

(3) L'auteur suit ici la chronologie des Septante, adoptée par Eusèbe de Césarée, dans sa Chronique, et généralement suivie par l'Eglise orientale et occidentale, comme l'observe Baronius, au 25 Décembre, dans ses notes au Martyrologe romain.

(4) Notre auteur se trouve ici en défaut. S. Léon IX, dont il parle, ne vivait plus l'année 1056, ou l'on commença à bâtir l'église d'Oudenburg. Tous les historiens du temps s'accordent à fixer la mort de S. Léon IX à l'année 1054; nous citerons *Hermannus Contractus* dans *Usserman, Prodromus Germaniæ sacræ*, tome I, page 134, San-Blasii, 1790, et les *Annales Beneventani*, à l'année 1054, dans les *Monumenta Germaniæ* de Pertz, tome V, page 180, Hanov. 1839. Parmi les modernes on peut alléguer à l'appui de ce fait généralement reconnu, le card. *Etienne Borgia*, dans ses *Memorie istoriche della pontificia citta di Benevento*, etc., tome II, page 39, Roma, 1764. En 1056, Victor II occupait le siége de saint Pierre.

(5) Le concile de Reims eut lieu en effet sept ans avant l'année 1056, c'est-à-dire, en 1049. Les actes de ce Concile sont insérés dans la *Collection des Conciles* de Labbe, tome IX, col. 1028 et seq. Paris, 1671. Il fut dirigé contre la simonie; Théodoric, dans son histoire *De gestis Virdunensium episcoporum*, insérée dans le *Spicilége* de D'Achéri, tome II, page 243, Paris, 1723, entre dans plusieurs détails à ce sujet, et développe ce que notre auteur raconte en peu de mots, dans le n. suivant.

III.

Qui beatissimus pontifex Leo post initium constructionis prefati templi sancti Petri, sequenti anno, xviii Kal. Maii, feria ii, circa meridiem feliciter migravit a seculo (6); et in ipsa hora transitus sui a corpore, non solum Rome, ubi corpus ejus jacuit, verum etiam in toto orbe terrarum, circulus eximie claritatis hominibus apparuit in celo, per spatium fere medie hore, Domino fortasse demonstrante, quod ipse coronam inter diligentes se percipere dignus esset in cœlo.

IV.

Ultimo anno imperatoris Henrici (7) ceptum est opus supradicti templi S. Petri apostoli, regnante alio Henrico rege Francorum (8), nec non Eduvardo beatissimo rege Anglorum (9); Baltguino insulano (10) regionem totius Flandrie et maximum et partem Gallie laudabiliter illo tempore gubernante.

V.

Igitur presul Ursmarus sanctitate preclarus, dum Flandriam ydolatrie (11) deditam ob baptismi gratiam predicando perlustravit, qui vere fidei ardore succensus multis in locis seminabat verbum veritatis, et plantabat germen eterne viriditatis (12). Hic vero residens in urbe quondam nobili, sed per id temporis lugubri, Aldenburgh, predicabat assidue nomen et gloriam Jesu-Christi Domini Nostri et adventum ipsius et regnum ejus; cui celeste commonitione imperatum est ut ecclesiam in nomine Christi sub titulo beati Petri apostoli et omnium apostolorum edificatam in Aldenburgh consecraret. Qui celesti visioni alacriter obediens in loco sibi preostenso basilicam ligno conditam, in Aldenburgensium urbis affinio S. Petri patrocinio sanctissime consecravit. Quam virtus Altissimi signorum miraculis et sanitatum beneficiis in laudem sui nominis et ad honorem preelecti apostoli sui Petri multociens honorificavit. Denique S. Ursmarus celesti commonitione instructus, ut dictum est, hanc urbem, scilicet Aldenburg, pro reverentia sue dignitatis primum adiit, habitantesque in ea verbo sancte exhortationis illustravit, atque locum, in quo nunc prefatum S. Petri apostoli templum est constructum specialiter elegit, ibique ecclesiam cum omnipotentis Jesu-Christi Domini opitulatione edificavit, eumdemque locum sicut a fidelibus probatisque viris quam plurimis cognovimus, dedicavit. Et ideo pro sanctitatis ejus reverentia, ac pro benedictione locus ille a multis religiosus et sanctus habetur. Quod usque hodie in eodem loco venientibus fidei oculis indubitanter cernere credentibus licet. In quo ipse presidens sollicitus plebis circum circa omnem patriam (13) cum suis comilitonibus lustravit, populumque non parvum verbis et exemplis per totam Flandriam ad veram fidem Christi convertit, atque ad veram matrem ecclesie (*sic*) perduxit.

VI.

Mox ergo primates hujus nobilissime urbis, ceteraque fidelium multitudo parrochie (14) hujus, maximam terrarum quantitatem illi alacriter offerre decretabatur (15-16), quatenus venerabilem clericorum multitudinem duobus in locis posset coadunare, Dominoque, die ac nocte, in perpetuum servire; nec deficerent qui regulariter sobrieque viventes sponsam Domini, id est Ecclesiam, sobria castitate custodirent. Quod ita factum est.

(6) La mort de Léon IX, est donc fixée par notre auteur, à l'année qui suivit le commencement de la bâtisse de l'église de S. Pierre à Oudenburg, c'est-à-dire en 1057. Cette opinion est contraire au récit des écrivains contemporains, et ne peut se concilier avec d'autres faits certains de cette époque. Les historiens ne s'accordent pas sur le jour de la mort de ce saint. pontife. Notre ms. la fixe au xviii des kalendes de mai, c'est-à-dire au 14 avril; *Hermannus Contractus*, au xvi des kalendes de mai (16 avril); le card. Borgia au 19 avril (xiii des kalendes de mai); la grande Chronique ms. d'Oudenburg, corrigeant notre vieux ms., au vii des kalendes de mai (25 avril).

(7) L'empereur Henri III, dit le Noir, mort en 1056. Voyez l'*Art de vérifier les dates des faits historiques*, etc., page 440. Paris 1770.

(8) Henri I, qui régna de 1031 à l'année 1060. Ibid. pag. 544.

(9) S. Edouard III, le Confesseur, régna de 1042 à l'année 1066. Ibid. page 775.

(10) Baudouin V, de Lille, régna de 1034 à 1067. Ibid. page 631, et dans nos historiens. En 1060, il fut chargé de la tutèle de Philippe I, fils d'Henri I, qui n'avait que huit ans à la mort de son père.

(11) Le ms. porte *ydolatrie*, au lieu d'*idololatriæ* usité.

(12) S. Ursmar naquit à Fleon, maintenant Floyon, près d'Avesne, aujourd'hui province de Hainaut, le 23 Juillet 644 ou 645, selon *Henschenius*, dans le tome II d'Avril des *Acta Sanctorum*, page 557 et seq. et dans les *Acta SS. Belgii selecta*, tome VI, page 247, et seq. ou l'on trouve une savante dissertation d'*Isfridus Thisius*, sur l'époque où S. Ursmar fut créé abbé de Lobbes et consacré évêque. Les auteurs varient sur ce point et il est difficile de s'arrêter à une opinion. Trithemius, dans son traité *De viris illustribus Ord. S. Bened.* lib. iii, cap. 157, dit que S. Ursmar florissait vers l'année 700. Il mourut en 713. L'auteur de la grande Chronique d'Oudenburg place le récit de l'apostolat de S. Ursmar à l'année 650; mais si ce grand saint est né en 644, comme le croit Henschenius, il n'a pu évangeliser la Flandre en 650, à l'âge de 16 ans. Ce récit n'a donc pu obtenir place à l'année 650, si ce n'est, parce qu'il fait mention du temps où la Flandre était encore livrée à l'idolâtrie, avant que S. Ursmar ne l'appelât à la grâce du baptême.

(13) *Patria* au moyen âge signifiait également *village*, *région*, *province*. Du Cange en fournit les preuves dans son Glossaire. Ce mot semble être pris ici dans le second sens.

(14) *Parrochie*, plus souvent *parochie*, signifiait en général un *territoire*, un *district* et en particulier un *diocèse*, et ce que nous appelons *paroisse*. Ce mot a été employé dans différentes acceptions par l'auteur de cette chronique, comme on l'observera dans la suite.

(15-16) *Decretabatur*, mot barbare, dont je ne trouve pas d'exemple comme verbe déponent. Le contexte ne permet pas de douter du sens.

VII.

Ab oriente namque hujus urbis, ut prefati sumus, unam in honore S. Petri apostoli ecclesiam ligno conditam consecravit, ibique idoneam clericorum congregationem delegavit. Nam principale altare et presbiterium, ac nonnulla pars templi beati Petri constructum est modo in eodem loco atrii, in quo ecclesia lignea a beato Ursmaro edificata fuit temporibus antiquis, et ab ipso sanctificata et benedicta. Quapropter ut predixi, a presbiterio ex utraque parte templi, ac deinceps usque ad orientalem terminum ejusdem atrii, semper viridis et amenus herbarum ornatibus locus ille perseverat, quamvis tritus ob vestigia calcantium semper videatur, et reliqua pars usque ad occidentem sicca et pulvere cooperta jugiter permanens.

VIII.

Alteram vero ecclesiam beatus Ursmarus ab aquilone hujus urbis in honore sancte ac perpetue virginis Marie edificavit, congruamque inibi clericorum societatem similiter constituit. Quod verum esse adhuc testatur terra, que in septentrionali climate templi sancti Petri apostoli longe lateque simul jacet, et adhuc ad ecclesiam pertinet, quamvis et clericis et pauperibus violenter sit ablata, laicisque secularis militie et non heredibus tota constat subjugata. Si vero aliqui de altera ecclesia sanctissime ac perpetue virginis Marie, que ut predixi, in lateribus aquilonis hujus urbis constructa fuerat, dubii fuerint, eo quod non modo domus et mansiones plurimorum illo in climate constitute videantur, pro certo noverint temporibus Arnulphi comitis (17), patris Balduvini barbati, in alia parte, neque domum, neque mansionem alicujus constitisse; non solummodo duorum germanorum videlicet *Wlinemari presbiteri et Erembaldi laici* (18), quorum unus, id est Erembaldus, ab oriente illius lateris domum suam edificavit, frater vero ejus Wlinemarus ab occidente. ibique in medio atrium jam dicte ecclesie Sancte Marie constitisse, ab antiquis fidelibus procul dubio perhibetur; ubi autem iterum sepedicta ecclesia exstitit, ibi postea Ingelbertus clericus domum suam sine dubio edificavit.

A

IX.

Non solum autem circa istam urbem sancto Ursmaro et supradictis ecclesiarum cernitoribus (19) spatiosa terrarum amenitas tempore illo a fidelibus tradita fuerat, verum etiam multis in locis parochie hujus, nec non in totius Flandrie finibus; nam sancto Ursmaro censum atque terrarum precium xxv librarum (20) denariorum persolvi in isto loco, a multis hujus provincie viris verissime comprobatur, absque (21) prenominata terra, quam laicis secularis militie subjacere supradiximus. Insuper et carta, in qua hec notata continebantur multorum nomina retinebat, qui antea debitum solvere solebant. In atrio autem supradicte ecclesie Beate Marie cartularium (22) multi sedere viderunt, qui supradictum debitum recipiebat.

B

X.

Basilica ligno condita sub tempore Dagoberti regis Francorum (23), ac ipsius licentia a beato Ursmaro in honore beati Petri apostoli edificata, ut superius dictum est, diuturna stabilitate viguit longa etate senuit, prolixa vetustate corruit, ac demum post plurima annorum curricula cives Aldenburgenses novam ecclesiam in honorem beati Petri apostoli omniumque apostolorum edificare ceperunt. Anno autem Domini M L VI ceptum est opus prefati templi beati Petri apostoli, sicut habetur plenius in principio hujus tractatus; et ceptum est in eodem loco, quo prius, de lapidibus, sicut manifestum (24) per miracula, que fiebant dum templum operabatur, quod sub brevitate enarrare aggrediamur.

C

XI.

Post inicium constructionis ipsius templi circiter quintum annum, quum presbiterium perfectum esset, et culmo coopertum, atque inter trabes ante principale altare campane pependissent, arcum ante presbiterium a terra usque ad summum virgis sepire, ac culmo dependente cooperire ad pluviam et grandinem atque nivem depellendam ante hyemis tempora clerici procurabant. Quadam vero die quidam juvenis clericus valde simplex et devotus, nomine Lisgerus, nimis intente huic operi astare, manibusque cooperare diligenter atque hylariter stu-

(17) Arnoul II, dit le Jeune, régna de l'année 965 jusqu'à 989. *Art de vérifier les dates*, page 630.

(18) Ces mots sont soulignés dans le ms.

(19) *Cernitores* signifie les protecteurs de l'Eglise, ceux qui par leurs conseils pourvoient à ses interets. On peut assigner à ce mot l'origine que Du Cange attribue au mot *cernita*, qui signifie *délibération, consultation publique*, il parait provenir du mot italien *cernire*, qui signifie *discerner*. On lit le mot *cernita* dans les Actes de S. Juvenal, au tome I de Mai, page 404, des *Acta SS.* de Bollandus. Je ne trouve nulle part le mot *cernitor*.

(20) D'après des calculs probables de l'abbé Ghesquiere, dans son *Mémoire sur trois points intéressants de l'histoire monétaire des Pays-Bas*, 8°. Bruxelles, 1786, page 67 et 183, on peut estimer la somme de 25 livres, au onzième siècle, à 1814 fr. de notre monnaie, somme assez considérable à cette époque. Le ms porte *libra*, la dernière syllabe parait effacée

(21) Le ms. porte *abque*

(22) Le *cartularius* etait ordinairement chargé de la conservation des archives de l'église, et de la rentrée de ses revenus.

(23) Il s'agit ici de Dagobert III, qui succéda à son père Childebert III, l'an 711. Cette date est probablement fautive; car l'apostolat de S. Ursmar en Flandre est anterieur à l'année 711. Ce saint évèque mourut en 713; il n'est pas vraisemblable que dans l'espace de deux ans environ, il ait bâti les deux églises d'Oudenburg, et reçu tous les dons mentionnés au numéro IX de cette Chronique.

(24) Le sens est plus clair lorsqu'on supplée le mot *est*, qui parait omis par la négligence du copiste. L'historien veut prouver, par le récit de plusieurs miracles, que l'église nouvelle a été bâtie sur l'emplacement déjà sanctifié par un culte de plusieurs siècles.

dum impendebat. Cum autem in superioribus partibus ejusdem arcus ex utraque parte machinamentum constructum esset, Lisgerus interius, aliusque exterius contra eum in predicto machinamento stetit, qui culmen tortis virgunculis ad parietem ligare studebat, quem virgis conseptum ante predixi, virgunculas vero intrinsecus per parietem immittere festinabat. Lisgerus eas sagaciter firmare intus ad parietem contendebat, cumque hec per longum temporis spacium contenderent, ut fecissent, incaute unam de viminibus Lisgerus extrahens, retrorsum de prescripto machinamento cum ipso cecidit, scilicet deorsum ad terram, et alius magno pavore perferri tus estimabat, qui foris stans virgulam intus immiserat; sed inter secundam et terciam trabem, super jugum maxime campane, absque ulla corporis lesione, leviter in uno latere lapsus est. Quia vero illic in opere beati Petri apostoli, sicut predixi, devota mente et simplici corde instabat, ideo ledi non potuit, et quia in casu suo sanctissima apostoli intercessione portabatur.

XII.

Subsequente autem tempore, cum edes templi edificabantur in septentrionali climate, bituminis artifex cum suis in meridiano latere operabatur. Quadam vero die, puer qui ei lapides et cementum porrigebat, tam grave pondus lapidum machinamento, in quo stabant supposuit, ut vim tante molis ferre non prevaleret, sed fracto omni machinamento lapides et cementum cum magno sonitu super terram corruerunt. Ipse autem et puer in unam fenestram ejusdem macerie sine ullo corporis detrimento inopinate devenerunt, que eis non prope, sed tam longe abfuit, ut si super terram starent, saltando vix tantum spacium attingerent, quod ad jussum omnipotentis Dei per merita S. Petri apostoli intelligit, qui divina providentia disponi omnia fideliter credit.

XIII.

Post hec vero transactis quinque vel sex annorum curriculis, quadam die custos ipsius templi Sygerus nomine, dum matutinis horis ultimam campanam ad excitandam in circuitu fidelium multitudinem fiducialiter resonabat, corda (25) qua ipsam campanam movebat, magnam et gravissimam plancam alti solarii ejusdem turris, super quam campane pendebant, incaute tetigit, que mox ei inter scapulas cum horribili sonitu cecidit; ita ut qui illic in choro astabant, ei omnia membra confracta autumarent. Mox, sicut postea ipsi narraverunt, presbiter Erembaldus et clericus Remgerus eum brachiis suis portantes, super lectum suum ponere non differebant. Dum autem ipsa die matutinos psalmos percantassent, statim de lecto suo ita sanus atque incolumis surrexit, ac si nullam antea corporis lesionem sustinuisset.

XIV.

Alio igitur tempore, festivitate sancti Andree apostoli dum secundum signum ad matutinum ydem Sygerus resonabat, clavus, in qua nola pependit, casu elapsus est, atque ipsa super tectum turris, que lignis abietibus cooperta fuerat, magno strepitu cecidit, ita ut ipse et aliqui, qui astabant, tectum ruptum fuisse, nolamque per partes divisam fuisse non dubitabant. Ipso autem die quemdam puerum scandere fecit, partesque confracte nole colligere expetiit. Ascendens ergo puer super tectum prefate turris, nolam ibi stantem ita sanam et incolumem repperit, ut in ea nullius fracture vestigia inveniri potuissent.

XV.

Dum autem hec urbs in nichilum redigebatur, remanente tamen montis congerie, in qua murus destruebatur, ubi basilica beate Marie matronicio (26) venerabatur, que tanta veneratione ab incolis honorabatur, quod quantum ad seculum nobiles, in ejus cimiterio sepeliebantur, et in atrio predicti oratorii sancti Petri ignobiles sepulture tradebantur. Interim Flandrigene famis importunitate periclitabantur (27), qui victum queritando usquequaque vagabantur, quorum perplures ad hanc confluentes, etiam pro sui copia am hospitio quam victu carentes, in plateis circa sepes jacendo miserabiliter moriebantur. Inde contigit quod quadam die in platea quidam mortuus inveniebatur, cui ab incolis hujusmodi negotii iteratione fastiditis, exequiarum humanitas non subministrabatur. Quem tandem quidam devoti in hospitium deportantes funeri debitum adhibendo, sacerdotem ecclesie, Godebertum nomine, adierunt, cui licentiam sepeliendi, campanasque pulsandi, ex consuetudine petierunt. Quibus vero sepulture, sed non nolas pro eo sonari deliberationem fertur dedisse, quem non noverat illas videlicet nolas partim empsisse (28). At illi hac prohibitione constritati, corpus ad ecclesiam deportabant, et vim prohibitis campanis facere non audebant. Mox priusquam cum corpore ad ecclesiam pervenerunt, nole pulsari, nullo terrigena pulsante ceperunt, quousque corpus illud sepulture commendaverunt.

XVI.

Consecrata est autem ecclesia sancti Petri apostoli omniumque apostolorum, prima die mensis may feria v, a Ratbodone (29) Noviomensi et Tornacensi

(25) *Corda*, pour signifier *une corde*, *un câble*, était très-usité au moyen âge. Le mot *plauca*, qui suit immédiatement est cité par Festus : *Plancæ, tabulæ planæ*, etc. voyez Du Cange.

(26) Le ms. porte *matrocinio* au lieu de *patrocinio*, probablement parce que l'église était dédiée à la sainte Vierge qui est *Mère* de Dieu.

(27) Les historiens de France font mention de cette cruelle famine au règne d'Henri I, qui régna de l'année 1031 à l'année 1060.

(28) Le ms. porte *emisisse:* mais le sens exige *empsisse*, comme l'a bien corrigé Anianus, dans la grande Chronique MS.

(29) Ratbodo, ou Rabdodus II, occupa le siége de Tournay et de Noyon de l'année 1068 à l'année 1098, où il mourut misérablement à Bruges. Voyez

episcopo, anno Domini MLXX, indictione VIII, regnante Philippo rege Francorum (30) anno X, atque Wilelmo rege Anglorum anno VII (31). Hec autem ecclesia, in loco Aldenburgense, sub honore sancti Petri apostoli omniumque apostolorum fundata, divinis miraculis frequens erat et famosa, quam quidam nobilis et multum locuples, nomine Conon, frater Everardi Tornacensis, in ratione beneficii de Flandrensi comiti (32) habebat. Comes autem hanc eamdem ab episcopo Tornacensi (33) tenebat. Hunc Cononem inflammavit timor Domini, suggerente fidelissima conjuge sua nomine Hasecca, ut ecclesiam Sancti Petri apostoli, quam terribilem fecerant divina miracula, immunem sui juris liberamque perageret, et ad laudem Dei abbatiam monachorum instauraret.

XVII.

Ordinatione vero Dei peractum est, ut, reddente Conone comiti ecclesiam, quam tenebat, comes hanc eamdem Noviomensi ac Tornacensi episcopo, nomine Ratbodo, reddiderit. Ratbodus quoque episcopus cum Waltero archidiacono, gaudente clero et gaudente populo, liberam et expeditam condonavit episcopo Arnulpho, illique canonicam de eadem fecit investituram. Qui Arnulphus episcopus Suessoniensis primitus congregationem constituit monachorum (34).

XVIII.

Anno autem Domini millesimo octogesimo primo, sancta nocte Dominice Nativitatis, ortus est nothus asperrime tempestatis, qui campanarium prefati templi sancti Petri compulit a suo statu declinare, eumque repentinum casum adeo in orientem minitare, ut etiam videns, non putaret subsistere eum ad horam, nisi providentia divina dispensaret sustentationis moram. Siquidem orto mane incole

A ceperunt ad hoc spectaculum se coadunare, prope accedere, ob horribilem casus minitationem dubitantes, sed subitam altaris ei subjacentis quassationem intendentes solummodo divinam clementiam ad hujus periculi auxilium implorabant, in quo humanum adjutorium minime profuturum explorabant. Hec enim doloris summa; dum ita miserabiliter agerentur, circa gallicinium noctis precedentis Circumcisionis Domini, parum antequam matutine pulsarentur, subito favonius, more turbinis tempestuose surrexit, qui ipsum campanarium pristino statu incolumem divino concessu erexit. Ergo hunc restitutionis fragorem valde horribilem, vicini audientes, timidi etiam ne forte consueti infortunii aliquid accidisset, velociter ingenti pavore perterB riti, surgentes ad templum prememoratum catervatim concurrerunt, atque campanarium restitutum ita redintegratum invenerunt, ut in eo nihil fractum reperiebatur, neque lesum. Unde divine operationis munificentiam sentientes, mox campanizare ceperunt, Deumque in altissimis laudaverunt (35).

XIX.

Sinus Gallie borealis quamdam pinguem regionem coercet, que Flandria nuncupatur, cui scilicet regioni a facie aquilonis occeanus adjacet (36). Qui descendunt mare in navibus, facientes navigationem in aquis multis, testantur hunc occeanum contra aquilonem infinitum, et ab ultimis Francie oris usque ad terminos celi usquequaque distensum. Flandria vero ab effectu dicitur, tanquam flatibus vel flu-C ctibus diuturna (37). In hac Flandria antiquorum industria civitatem statuit munitam et fortem, ut res poscebat, quum juxta litus maris sita a barbaris insularum crebro impetebatur. Hec civitas quondam ab Athalo (38) rege diu obsessa et tandem devicta, decorem et fortitudinem, atque urba-

Summa statutorum synodal. cum prævia synopsi vitæ episcoporum Tornacensium, 8°, Insulis, 1726, page LVII.

(30) Philippe I.

(31) Guillaume le Conquérant occupa le trône d'Angleterre depuis 1066 jusqu'en 1087. L'année 1070 était donc la quatrième de son règne, et non pas la septième, comme indiquent nos deux mss. La grande Chronique d'Odenburg ajoute : *Necnon Balduino comite Flandrie anno tercio, Flandrie* XII, *Arnulphus cum Rikilde matre annis* II.

(32) Robert le Frison, qui règna de 1072 a 1093.

(33) Ratbodo avait donc abandonné les revenus de cette église au comte de Flandre, il fut accusé plus tard de simonie ; et ce fut pour se purger de cette accusation devant le légat apostolique qu'il se rendit à Bruges, où il mourut.

(34) La grande Chronique ms. fol. 64 recto, insère ce récit à l'année 1083, et ajoute : *Ordinis S. Benedicti, ut hactenus cernitur*. C'est ici qu'il faut rapporter la petite Chronique, qui commence par ces mots : *Clarissimus præsul Arnulphus*, et que nous publions à la suite de cette Chronique d'Oudenburg ; elle contient une histoire abrégée de la vie de S. Arnould et de la fondation du monastère, et nous apprend que S. Arnould obtint d'abord six religieux d'Affligbem en Brabant, et quatre du monastère de Flurs en France, pour constituer la première communauté : *Sex manachos ex Affligìniensi monasterio cum illis quatuor, quos ex Franciæ cenobio de Flurs sibi procuravit.* Sous Olivier Van der Hulst, XXXVIe abbé du monastère d'Oudenburg, qui avait été prieur de S. André près de Bruges, la maison quitta les règles de Cluni, et s'aggrégea à la célèbre congrégation de Burzfeld, dont elle adopta les rits. Ce changement eut lieu en 1550. Voyez la grande Chronique ms. fol. 202 verso, et plus bas au cataD logue des abbés. Le monastère fut supprimé l'année 1797, comme nous l'avons dit dans la préface.

(35) Ces détails, auxquels chacun est libre d'ajouter ou de ne pas ajouter foi, sont précieux en ce qu'il nous révèlent un auteur contemporain et un témoin oculaire.

(36) Cette dernière partie de la Chronique, en est aussi la plus remarquable ; elle contient une histoire abrégée d'Oudenburg, et embrasse tout le temps qui s'est écoulé depuis les ravages d'Attila au Ve siècle jusqu'au XIe, où vivait l'auteur.

(37) La plupart de nos historiens font mention de cette étymologie du chroniqueur d'Oudenburg, Meyer, l'Espinoy, Vredius, Oudegherst, Sanderus etc.

(38) Le ms. a en toutes lettres *Athalo* ; la grande Chronique ms. qui insère ce récit à l'année 650, fol. 35, verso, sous la rubrique : *Destructio ville Oudemburgensis*, écrit de même. Mais Meyer dans

nam frequentiam, hostili gladio intercepta amisit, et de sibi relictis vix parvum opidum restauravit. Hy ergo, qui cedem evaserant, casas in opidum erigere ceperunt, ob monumentum prisce glorie locum suum Aldenborgh appellaverunt, et (39) ab antiquis teutonice nominabatur, eo quod vetustissima et prima in omni Flandria exstitisse dignoscebatur : nam Aldenburgh teutonice, latine vetus urbs interpretatur. Verum tempore illo urbs ista Aldenborgh caput totius Flandrie, et sicut predixi, initiis exstitit celeberrima, muris ac propugnaculis munitissima. Nam a partibus orientis et a meridiano climate, et ab occasu, et ab aquilone nigris et durissimis lapidibus fuerat constructa. Lapides namque hujus coloris et fortissimi roboris, in omni Flandrie provincia naturaliter editi non possunt reperiri, nisi solummodo in Gallia, Tornacensi parrochia. In partibus vero aquilonis fundamentum quadris ac magnis lapidibus ferro et plumbo firmiter infixis antiqua fundaverat manus. Quod genus lapidum in Bononiensi provincia tantummodo inveniri dicitur. Habitacula quoque nonnulla infra murorum munimenta levibus ac non valde duris lapidibus constructa erant. Naturaliter autem hy lapides in oriente, apud Coloniensem provintiam repperiuntur. Vasa formosa atque pulcerrima, ciphi et scutelle, aliaque utensilia quam plurima, in illo tempore ab antiquis ingeniose formata atque sculpta, nostris temporibus reperta sunt, que modo ab ingeniosis artificibus, in auro et argento, vix tam eleganter formari ac sculpi possint. Et ut laudabilior ac dignior esset urbs supradicta, per medium totius Flandrie, quasi in meditullio, fundata erat, scilicet oriente Gandensem et ab occidente Taruanensem parrochiam pene equa mensura libratam habere videbatur; contra A meridiem vero per spatium duarum leucarum, sabulosa terra interjacet, que illic amena et opacissima terminatur silva. A partibus vero aquilonis, optima terra Flandrie, duabus fere leucis usque ad litus maris extenditur. Que vero urbs turrium murorumque munitionibus tutissima, etiam omni affluentia diviciarum famosissima, patriarum (40), civitatumque sibi affinium, longe lateque dominum exercebat Ursmarum episcopum (41), ut dictum est, quod id ei regalis excellentia providebat. Murus vero tam fortis ac firmissimus extitit, ut arietibus destrui non posset, nisi prius lapides fundamenti extracti penitus auferrentur. Ut autem legentibus scrupulum dubietatis de predicte urbis firmissima constructione penitus auferam, ipse qui istum traB ctatum composui et primitus scripsi, murum destruere oculis meis vidi, et supradictum sancti Petri apostoli templum ex ipsis lapidibus edificare procul dubio cernere merui. Verum columpne et parietes Tornacensibus lapidibus sunt constructe, capita quoque columpnarum Bononiensibus lapidibus adornata interseruntur. Nam antea, Balduini Insulani temporibus, comitis totius Frandrie, edificentia Brugensis urbis magna ex parte ex lapidibus istis constructa dignoscuntur. Quia postquam comes Ernaldus barbatus Bruggiam edificare cepit, muros hujus urbis destruere et lapides Bruggensibus tribuere in urbis edificium fecit (42), quatenus hac destructa, augmentaretur illa constructa. Unde C pene hec in nichilum redigebatur, remanente tantum montis congerie, in quo murus destruebatur.

Quod si hiis, que predixi, forsitan testimonia vel testes a me requirantur, fateor omnes fere, qui in Aldenburgensi parrochia manent, mecum probabiles testes concurrent.

ses *Annales Flandriæ*, à l'année 453, où il raconte ces désastres, écrit *Atthila*, et ajoute : *In hac nostra Belgica Tornacum et Taruannam, et Aldenburgum excisa lego....*

(39) Le ms. et la grande Chonique ms. lisent *et;* le sens serait plus net, si on lisait *ut*.

(40) *Patria* paraît signifier ici, *bourg*, *village*.

(41) *Urbs.... dominum exercebat Ursmarum episcopum*, phrase obscure, dont il est difficile de saisir le sens. Comme il est dit immédiatement après, que la prérogative énoncée dans ces mots, provenait de la munificence royale, et qu'au n° IX l'auteur parle des biens accordés à S. Ursmar dans toute la Flandre, peut-être s'agit-il ici d'une redevance, qui était payée régulièrement aux églises fondées par ce saint apôtre.

(42) L'auteur s'est trop fié à sa mémoire, lorsqu'il attribue au comte Arnoul le Barbu, la construction de la ville de Bruges. Ce personnage n'exista jamais. La grande Chronique ms. fol. 36, recto, transcrit cette erreur, mais une main du XVI[e] siècle a écrit le nom de *Balduinus* au-dessus d'*Ernaldus*, en laissant subsister le mot *barbatus*. La grande Chronique ms. fol. 51, verso, à l'année 881 corrige cette erreur, en nous apprenant que ce fut Baudouin le Chauve, qui donna les pierres d'Oudenburg aux Brugeois pour bâtir leur ville; voici ce D qu'on lit à ce sujet à l'endroit cité : *Balduinus Calvus comes Flandrie oppidum de Brugis in Flandria construit, et tollens lapides de Oudemborg villa, quam quondam Atthila rex Hunnorum destruxit, inde oppidum Brugis munivit.* On remarquera que le nom d'Oudenburg, a été écrit de differentes manières par les chroniqueurs. Baudouin le Chauve régna de l'année 879 jusqu'à l'année 918.

AVERTISSEMENT

Cette petite chronique est extraite en partie de la vie de S. Arnould par Lisiard, évêque de Soissons, que d'autres attribuent à Hariulfe, IIIe abbé d'Oudenburg, en partie de la grande chronique ms. et d'autres pièces inconnues; elle contient des faits que je ne trouve pas ailleurs, et ne s'écarte en rien de la vérité historique. L'auteur en est resté inconnu: elle a été transcrite sur une feuille de parchemin, au XVIe *siècle, si je ne me trompe, ou tout au plus tôt à la fin du* XVe, *et fixée dans la grande chronique ms., à la tête du Catalogue des abbés, dont elle est en effet le préliminaire naturel comme elle forme la conclusion de la chronique précédente.*

Clarissimus presul Arnulphus, natione Flandrus, A Fulberto ac Mainsinde ortus, cis Scaldam in loco cui nomen Tydeghem, in agro ac decharchia Aldernardensi, nobilissimo equite; qui Baltheo dehinc a pio Balduino comite, dicto Insulano, donatus, Christo Servatori militare delegit. Reclusus in cenobio Divi Medardi, admiranda sanctimonia et incomparabili emicuit silentio, tribus totis annis, et sex mensibus nemini mortalium locutus. Abbas primum, deinde creatus episcopus Suessoniensis. Dum autem bellum gereret Robertus Frisius, contra nepotem suum Balduinum Insulensem, justum comitem ac heredem Flandrie, cui tunc, præter alios, multi favebant ecclesiastici proceres; quos ipse Frisius, modis omnibus persecutus, alios exilio, alios morte aut bonis mulctabat. Ex quibus Arnulphus archidiaconus Morinorum et antistes divi Audomari, bonis omnibus spoliatus ac patria pulsus Romam profugit ad Gregorium VII. Qui papa Gregorius mox in Flandriam misit sanctissimum virum Arnulphum Suessoniensem episcopum, qui discordias compescendo, inter comitem et sacerdotes pacem composuit. Tunc rogante comite ac primoribus viris, maxime Everardo Tornacensi et Conone ejus fratre ac Balduino Gandensi, multa B. Arnulphus circuit loca Flandrie, plebemque domestica seditione tumultuantem, sine intermissione sanctis concionibus, piis exemplis ac vitæ sanctitate, magna ex parte sedavit, multoque quietiorem reddidit regionem. Anno vero 1084 præscriptus Conon, Roberti Frisonis cubicularius, Aldenburgensis ecclesiæ gentilicium tenebat sacerdotium. Ceterum Hasecca ejus uxor, mulier religiosa, templum tantis miraculis insignitum diutius retinere formidabat. Quapropter Conon suasu uxoris Roberto comiti, Robertus decimus comes episcopo Rabodoni, Rabodo autem Arnulpho episcopo Suessionum idipsum templum tradidit, quod tandem S. Arnulphus, assentiente Ro- B berto comite statim convertit in cenobium Benedictinorum monachorum, sperans illic monachos per longam ætatem, sanctam ducturos vitam, acquirens sex monachos ex Affliginiensi monasterio, cum illis quatuor quos ex Francia, cenobio de Flurs sibi procuravit. Post suam mortem 1087, constituit nepotem suum primum abbatem.

AVERTISSEMENT.

Le magnifique ms. dans lequel a été insérée la petite chronique d'Oudenburg publiée à la tête de ce volume, contient, comme nous l'avons dit, la Vie de S. Arnould, évêque de Soissons, et fondateur de l'abbaye d'Oudenburg. Cette Vie, telle que nous la trouvons dans notre ms., a été publiée par les Pères Bollandistes, au 15 Août (tom. III Augusti, p. 259 et seq.). Le P. G. Cuper, qui en est l'éditeur, regrette de n'avoir pu obtenir l'office et la messe que l'on célébrait en l'honneur de S. Arnould. Le P. Papebroch les avait eus en main l'année 1672; mais lorsqu'il s'agit en 1737 de les publier, on ne put les découvrir dans la bibliothèque de la Chartreuse de Bruges, où ils avaient été déposés. A la suite de la Vie, publiée par le P. Cuper, nous trouvons dans notre ms. les huit leçons de l'office de S. Arnould, tel qu'on le célébrait à Oudenburg; nous nous empressons donc de les publier comme un complément de son histoire. La vie même, que nous avons attribuée d'après le titre du ms. et un léger examen, à Lisiard, évêque de Soissons, paraît avoir pour auteur Hariulfe, troisième abbé d'Oudenburg: telle est du moins l'opinion du P. Mabillon, dans ses Acta SS. Ord. S. Bened., *opinion fondée sur l'autorité de quelques mss. et des raisons intrinsèques assez solides. Il croit que Lisiard a seulement rédigé la préface, et adopté en quelque sorte l'ouvrage. Le P. Cuper partage cette opinion.*

SOLEMPNITAS ARNULFI EPISCOPI

QUÆ CELEBRATUR KALENDAS MAI.

SERMO DE VITA EJUSDEM.

LECTIO PRIMA.

Quamvis Brabantia litium ac rapinarum olim fuerit altrix et magistra, veridicoque poemate dictum sit :

Francia quot vites, tot habet Brabantia lites,

sub tempore tamen comitis Balduini et Adele comitisse superno dono irradiari meruit, dum sancte recordationis virum Arnulphum futurum episcopum, ad illuminationem hominum non paucorum suo sinu progenitum, ceu radium sole justicie illustratum, meruit procreare. Hujus genitor Fulbertus Godelef, martiris consobrinus, clara nobilitate refulsit, et mater nominis Mainsidis Teuthonicorum procerum stirpe edita, ingenuitate spectabili claruit. Hy ergo inclyti genitores carnali et spirituali prole florentes, habuerant filium jam adultum forme elegantia ac militie actibus precipuum, quem repente mors immatura diripuit, et genitorum corda irremediabili tristicie angore contrivit. Maternus tamen affectus pro amissione nati instantius condolebat, et nocte dieque in fletibus tempora proterebat

LECTIO II.

Huic pre nimia anxietate dormitanti, apparuit vir speciosus et luce micante fulgidus, dicens ad eam : « Quid te ipsam merore afficis pro filio tam utiliter mortuo? qui si diutius viveret revera lubricus et predo et pravorum hominum convena foret. Proinde morte subtractus jam tibi non sit dolori; immo potius grandi letare gaudio, que in utero gestas filium, quem superna electio predestinavit magnum futurum. Hunc dum tu in lucem protuleris Christophorum vocari optabis, quum revera idem puer operibus et verbis suo Christum in pectore feret. Et ut certo scias hec ita divinitus preordinata, vadens ad ecclesiam in eo loco ubi orare solita es, fodere fac, et fossa humo invenies lapidem magnis litteris sculptum, que littere tibi prodent tui partus nomen et meritum. »

LECTIO III.

At matrona venerabilis, tante laudis percepto oraculo, a sompno evigilans cum ingenti gaudio visionem enarravit marito. Ac demum, ut comprobaret rei fidem, assumpsit famulos cum fossario, et, velut commonita fuerat, fodere faciens laterem quadrum invenit altis litteris exaratum, habentem ita: *Christoforus*. Quo reperto, majori lætitia afflata est et jam secura de prolis sanctitate, quam antea nesciebat se concepisse, letabunda exspectavit divine operationis munus repromissum. Denique adultus cepit esse blandus alloquio, acutus ingenio promptus obsequio, alacer in opere, efficax et fortissimus in corporis robore. Exinde tyrocinii tempore alacriter superato, militie cingulum sumpsit, et omni humana virtute præstantior in rebus militaribus fuit. Patre autem defuncto, se ad monasticum ordinem contulit, et in ecclesia sancti Medardi Suessionis probatum se monachum, non solum claustrali contubernio sed et solitaria reclusione, ferventer exhibuit.

LECTIO IV.

Exinde defuncto abbate Rainaldo, in abbatem eligitur, et hoc negotio se credens inferiorem, nocturna fuga declinare molitur. Itaque unius diei fuga dilapsus, dum sequenti nocte remotiorem latebram querit, lupi comitatu ad civitatem reducitur, et mane comprehensus, sedi, quam fugerat, episcopali auctoritate nolens invehitur. Tunc diuturna silentia, quæ tribus annis et mensibus sex tenuerat, resolvit, et preco Domini constitutus verbo et opere omnibus prodesse studuit. In officio igitur regiminis desudans plura miracula fecit; rebelles et incredulos domuit, infirmos reddidit. Prophetie spiritu viguit, quod vere sanctus et Deo placitus ceteris omnibus innotuit. Tunc temporis Philippus, rex Francorum, voluit eum venire in aulam regalem, ut regni negotiis disponendis interesset, voluit etiam ut armate expeditioni interesset, quod utrumque Christi servus prisce professionis sue officere sentiens abnuit, et, ne Dominum offenderet, regem terrenum circa hoc offendere non formidavit; nec solum offensam regis incurrere, sed et curam abbatie ex toto dimittere maluit, timens videlicet, ne postquam manum in aratrum posuerat, si retro respexisset, non esset aptus regno Dei.

LECTIO V.

Itaque qui in pauca fidelis permansit, supra multa constituitur, ut salvo altiori intellectu, omnium vitiorum turbas, omniumque peccatorum in seipso metas compesceret, et virtutum copia cumulatus Deo et bonis hominibus complaceret. Glorificavit enim eum Dominus in conspectu regum et procerum regni, conscientia domini pape romani Gregorii, et totius cleri, adeo ut languenti ecclesie Suessonice Ursionis incuria. nil remedii occurreret, nisi ut hic beatus Christi servus ipsius ecclesie pastoralem curam consultu pape susciperet. Rennuente igitur curie Francorum publica sententia, sed congente romani pontificis auctoritate apostolica, consecra-

tur episcopus, preeunte electione canonica, ut lucerna gratiæ Dei non jam lateret in angulo, sed omnibus posset lucere aptata candelabro.

LECTIO VI.

Sane dum consecrandus Hugonem Diensem episcopum, Romane sedis tunc legatum, adiret, regine Francorum, longa jam sterilitate mestissime, misit nuntium, denuntians ei quod ventris gremio portaret filium vitali flatu nondum vividum, sed post paucos dies spiritum vite a Domino accepturum cujus et nomen predixit, Ludovicus; et quod post decessum patris rex futurus, et abundantiori pace potiturus foret aperte prophetavit. Mense decembri, quarto decimo Kalendarum januarii, perfunctus est sacra pontificali benedictione, et rediens vix evasit Viennensis cleri vel populi devotam violentiam, qui illum raperent sibi in episcopum, si capere potuissent. Advenienti denique in sedem Suessonicam fit obvia regie domus militia, et beatum episcopum interimere satagebant. Sed pavebant ne vivos absorberet terra. Vir autem Domini cessit obsistentibus, et solatio comitis Tedbaldi mansionem accepit in castro Ulciacensi, ubi convenientibus prelatis et nobilibus plebis, ecclesiastica causa diligenter tractabatur, cleri et populi utilitas ad unguem sanciebatur, animarum salvatio exercebatur.

LECTIO VII.

Quodam autem tempore cujusdam vici plebitaneam ecclesiam dedicaturus clientibus suis dixit: « Tali rogo, semita ad ecclesiam illam nos conducite, ut lateat populos qua nos debeamus via venire, et aliquid alimentorum vobiscum comportate, ut corporum fatigationem valeamus vel ad modicum relevare. » Itaque semita remotior ac devia arripitur; nec tamen fervor populi hoc argumento sedatior; sed sub omni celeritate copiosa commeantium hinc inde turma adunatur. Quod cernens Dei servus in laudem Conditoris erupit, ac deinde suis familiaribus dixit: « Quidquid alimentorum hic habetis proferte, ut post laborem vires valeamus reparare. » Nec mora, proferuntur quinque paximatia; funduntur et vini emine quinque. Tunc jectis in terram tapetibus, vir Domini supersedit; proflua turba illum gregatim ambiente. Tunc benedicens panes paucos quidem numero, sed multos numeri misterio, jussit omnibus qui undique considebant distribui, vinum quoque ad satis propinare. Mirantur ministri panem non deficere; mirantur et illud tantillum vini tot sumentibus habundare.

LECTIO VIII.

In eodem castro vir Domini sanctus Arnulphus monachum suum et presbiterum Everolfum febribus et dissenteria fatigatum, sue manus impositione sanavit: in hoc bajulum rapine diabolum gestare vidit, in hoc prophetiam de morte sua vel sepultura, revelante Deo, cognovit. Causa autem adventus sui caritas fraterna et obedientia extitit, quando dominus papa imperio suo eum coegit, ut clericos, qui de proditione sui comitis fuerant impetiti, eidem comiti reconsiliaret et contra sacros canones nil ab eis extorqueri consentiret. Paruit sacris mandatis, apostolica auctoritate sibi injunctis, rediit in Flandriam; fecit pacem verus pacis minister. Nec tantum clericos calumpnia quassatos recuperavit, sed omnem Flandrie regionem diabolico furore in semet sevientem, ad pacis et quietis placidam confederationem reduxit. Deinde consilio et voluntate domni Radbodi, Tornacensis episcopi, ecclesiam sancti Petri apostoli et omnium apostolorum sitam in vico Aldenborgensi, rogante comite Rodberto, et flagitante Conone nobile viro, edificandam et usibus abbatie aptandam suscepit, ubi Deo ordinante, dormitionem requiei accepit, ubi divinitus sibi antea previsam sepulturam subiit, et ubi post obitum, anno tricesimo quarto, de translatione sacri corporis sui solempnia gaudiosa prebuit, prestante Domino et salvatore nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per immortalia secula seculorum. Amen.

AVERTISSEMENT.

Nous avons observé dans la préface de ce volume, que la suite des pièces que nous publions, forme une histoire complète d'Oudenburg et de son monastère. En effet, dans la petite Chronique, nous lisons les vicissitudes de cette ville jusqu'à l'année 1804, y compris l'apostolat de saint Ursmar et de saint Arnould, qui fonda le monastère. La vie du saint fondateur appartient à l'histoire d'Oudenburg; nous en avons donné un résumé succinct, inédit, composé dans le monastère même, et pour compléter cette pièce, nous y avons ajouté les leçons qu'on récitait dans l'office de ce saint. Ces leçons inédites méritaient d'autant plus de figurer ici, qu'elles constituent un des monuments authentiques du culte de saint Arnould, et qu'à ce titre les Bollandistes avaient regretté de ne pouvoir les publier. En les insérant ici, nous comblons une lacune, et nous avons l'avantage de compléter les monuments de la vie de ce saint.

Le catalogue des abbés nous offre l'histoire des successeurs de saint Arnould à Oudenburg, à commencer par son neveu. Les premières vies sont très-courtes : elles ont été interpolées. Comme les notes ajoutées postérieurement contiennent des dates qui ne sont pas indifférentes, nous les avons conservées, en les distinguant avec soin du texte primitif; les unes, qui paraissent ajoutées à la fin du XVe siècle, ou au commencement du

XVI , sont mises entre paranthèses ( ); les autres, qui sont du milieu ou de la fin du XVIe siècle, en petite écriture fine, sont enfermées entre crochets [ ]. On les reconnaîtra facilement à ces signes.

Dans le ms. les armes des abbés sont placées à la marge de leur histoire. La majeure partie de ces armes manque.

La lecture de ce catalogue n'est pas sans intérêt malgré sa brièveté; car il raconte les principaux événements du monastère, les époques auxquelles les différentes parties des bâtiments et de l'église ont été construites, l'année où on abandonna le rite de Cluni pour prendre celui de Burzfeld, la décadence et la prospérité temporelle de la maison, jusqu'à l'époque de sa suppression définitive.

Voici le tableau synoptique des abbés d'Oudenburg, d'après le catalogue :

1^r	abbé	Arnould, neveu de St-Arnould,	gouverna	8	ans,		mort	1095.
2^e	»	Gervinus,	résigna après	10	»	en 1105	—	1107
3^e	»	Hariulphus	gouverna	38	»		—	1143.
4^e	»	Balderannus,	»	2	»		—	1145.
5^e	»	Marcilius,	»	25	»		—	1170.
6^e	»	Hermannus,	»	17	»		—	1187.
7^e	»	Balduinus,	»	13	»		—	1200.
8^e	»	Wittus,	»	11	»		—	1211.
9^e	»	Henricus,	»	24	»		—	1236.
10^e	»	Gerardus,	»	10	»		—	1246.
11^e	»	Robertus,	»	4	»		—	1250.
12^e	»	Joannes,	»	20	»		—	1270.
13^e	»	Raso	»	8	»		—	1278.
14^e	»	Johannes de Biervilet,	»	29	»		—	1307.
15^e	»	Johannes de Donsa,	résigna bientôt				—	1329.
16^e	»	Rogerus Wevel avec son prédécesseur,		27	»		—	1334.
17^e	»	Jacobus Tintoris,	gouverna	20	»		—	1354.
18^e	»	Zegardus Karlin,	»	28	»		—	1382.
19^e	»	Nicholaus Alout,	»	11	»		—	1393.
20^e	»	Georgius,	résigna après	1	»	en	—	....
21^e	»	Wittus Tallet	gouverna	19	»		—	1413.
22^e	»	Jacobus Coc,	»	20	»		—	1433.
23^e	»	Johannis Dunync,	»	10	»		—	1433.
24^e	»	Anthonius Clerici,	»	2	»		—	1445.
25^e	»	Henri Ondermarck,	résigna après	5	»	en 1451	—	1456.
26^e	»	Anianus Coussere.	gouverna	11	»		—	1462.
27^e	»	Clemens Ægidii,	»	1	»		—	1463.
28^e	»	Raphael de Marchatellis,	résigna après	15	»	en 1478	—	1478.
29^e	»	Walterus de Lacu,	gouverna	11	»		—	1489.
30^e	»	Jacobus Jacobi,	»	11	»		—	1500.
31^e	»	Jacobus de Courteville,	résigna après	18	»	en 1518	—	1524.
32^e	»	Anthonius de Courteville.	gouverna	19	»		—	1536.
33^e	»	Joannes de Greboual,	»	4	»		—	1540.
34^e	»	Christianus Van Bassevelde,	»	1	»		—	1541.
35^e	»	Joannes Van der Werde,	résigna après	5	»	en 1546	—	1561.
36^e	»	Oliverius Van der Hulst,	gouverna	22	»		—	1568.
37^e	»	Jaspar de Bovincourt,	»	7	»		—	1577.
38^e	»	Melchior Wueraert,	»	.. (42*)	»		—	1583.
39^e	»	Joannes Bourier,	»		»		—	1616.
40^e	»	Joannes Maximil. d'Enghien,	»	47	»		—	1662.
		Vacance de		2	»			
41^e	»	Carolus Gheleyns,		3	»		—	1667.
42^e	»	Philippus Ghueraerd,		11	»		—	1679.
43^e	»	Albertus Fredericus Taye,					—	1687.
44^e	»	Augustinus Vermeulen,					—	1698.
45^e	»	Martinus Geerts,					—	1700.

(42*) Pendant 40 ans l'office divin fut interrompu par la guerre des Gueux.

46°	» Gregorius Lamberti,	gouverna 13 »	mort	713.
47°	» Amandus Neirynck,	» 8 »	—	1721.
48°	» Judocus Gramon,	» 13 »	—	1732
49°	» Folquinus Gramon,	» 4 »	—	1736.
50°	» Godefredus Collier,	» 1 »	—	1739.
51°	» Maurus Eloy,	» 21 »	—	1760.
52°	» Paulus Dieriexen,	» 13 »	—	1773.
53°	» Petrus Coudelier,		—	1788.
54°	» Paulus de Brouwere,		—	1803.

CATALOGUS ABBATUM

MONASTERII ALDENBURGENSIS

AB ANNO 1084 AD 1797.

Temporibus Dagoberti regis Francorum, cujus regni gubernacula inceperunt anno Dominicæ incarnationis sexcentesimo decimo quarto (43), ac de ipsius regis licentia primitus constructum est templum sancti Petri in Aldenborch, a Sto Ursmaro episcopo dedicatum, atque consecratum. Quod diuturna stabilitate viguit, longa ætate senuit et prolixa vetustate corruit. Post multa vero annorum curricula, id est anno dominicæ incarnationis millesimo quinquagesimo sexto reinceptum ac reparatum est, a Domino Rabodo Tornacensium ac Noviomensium episcopo reconsecratum. Et hoc, anno dominicæ incarnationis millesimo septuagesimo, prima die mensis Maii.

Et quia nobilis vir Conon, camerarius Flandriæ et ejus uxor Hasecca istam ecclesiam in beneficium castrale possederunt, tradiderunt eam comiti Roberto. Robertus vero comes eandem tradidit Rabodo Tornacensium ac Noviomensium episcopo predicto. Episcopus vero cum Waltero archidiacono, laudante clero, liberam et expeditam condonavit sancto viro Arnulpho Suessonensium episcopo, illique canonicam de eadem fecit investituram. Qui Arnulphus Suessonensium episcopus predictus eam fundavit in abbatiam et congregationem monachorum ordinis Sti-Benedicti. Et hoc, anno Domini millesimo octuagesimo quarto, et prefuit eidem annis tribus. Qui clausit diem extremum anno Domini millesimo octuagesimo septimo (XVIII Kl. Sept). (43*).

Cui successit dompnus Arnulphus, filius sororis predicti sancti viri, primus abbas istius monasterii. Qui rexit annis octo, et obiit anno Domini millesimo nonagesimo quinto.

Abbas Gervinus, secundus [consecratus Gandavi apud Sm-Petrum]. Quondam religiosus Sti-Winnoci Bergensis, vir honestæ vitæ ac sanctæ conversationis, sicut in libris nostris melius patet (44). Rexit annis decem, et resignavit anno Domini millesimo centesimo quinto. (Supervixit annis duobus, sepultus in Brabantia (17 Aprilis).

Abbas Hariulphus tercius (45), quondam religiosus Sti-Ricarii in Pontivo. Vir totius prudentiæ et miræ discretionis. Cujus sollicitudine anno regiminis sui XVIto levatum est de terra sanctissimi presulis Arnulphi corpus, anno tricesimo quarto depositionis ejusdem primi fundatoris istius monasterii predicti (46). Insuper viriliter ac legitime defendit ecclesiam sibi commissam, contra abbatem et religiosos Sti-Medardi Suessonensium, qui eam nitebantur redigere sibi in prioratum, ut clarius patet in aliis scriptis (47). Rexit digne et laudabiliter triginta

(43) Il est fait mention dans la petite chronique, page 25, de la permission accordée par Dagobert à saint Ursmar, de bâtir une eglise à Oudenburg; nous avons cru, en comparant les dates, devoir attribuer cette concession à Dagobert III qui règna de 711 à 715. L'auteur de ce catalogue l'attribue à Dagobert II qui mourut en 638, quelques années avant la naissance de saint Ursmar, qu'Henschenius fixe entre l'année 644 et 645. Nous n'avons aucun moyen de concilier ces dates, ou d'expliquer ces erreurs. On remarquera encore que le commencement du règne de Dagobert est fixé à l'année 614, tandis qu'il doit être fixé à l'annee 628, ou plutôt à l'annee 622 où Clotaire II donna son fils fort jeune encore, aux Austrasiens, pour les gouverner.

(43*) L'auteur du catalogue a placé ici les armes de St-Arnould. Une main du XVe siècle y a joint ces mots : *Hæc insignia sunt Sti-Arnulphi, episcopi Suessonensium, qui fuit inchoator primus cenobii Aldenborgensis.* Voyez le tableau général.

(44) On voit ici que le catalogue des abbés n'est qu'un extrait des annales plus développées que l'on conservait dans la bibliothèque du monastère, et dont nous avons sans doute à déplorer la perte.

(45) Le manuscrit porte *Hariulphus*; Sanderus lit : *Arnulphus*; les PP. Mabillon et Cuper lisent : *Hariulphus*, comme le ms.

(46) Ce fut en effet 34 ans après la mort du saint fondateur, c'est-à-dire l'année 1121, qu'eut lieu l'élévation de son corps, d'après la vie publiée par le P. Cuper, dans les *Acta Sanctorum*, dont nous avons sous les yeux un excellent ms.

(47) La grande chronique ms. contient les pièces de ce débat à l'année 1141.

octo annis, et obiit anno Domini incarnationis millesimo centesimo quadragesimo tertio (16 Augusti) cujus anima partem beatæ resurrectionis obtineat.

Abbas Baldrannus (48) quartus. Quondam prior Lobiensis ecclesiæ: [in partibus Hannoniæ] rexit annis duobus, et obiit anno millesimo centesimo quadragesimo quinto (17 Maii).

Abbas Marcilius quintus. Quondam religiosus Sti-Bertini, in Sto-Audomaro. Rexit annis viginti quinque et obiit anno Domini millesimo centesimo L xx° (18 Julii).

Abbas Hermannus sextus. Quondam religiosus Sancti Nichasii Remensis, qui confederavit fraternitatem inter ecclesiam Sti-Petri in Aldenborch et Sancti Nichasii Remensis: rexit annis xvii, et obiit anno m° centesimo L xxxvii^mo (prima Octobris).

Abbas Balduinus, septimus. Quondam religiosus Sti-Winoci Bergensis, rexit annis tredecim et obiit Coloniæ, anno Domini millesimo ducentesimo (10 Novembris).

Abbas Wittus, octavus. Quondam religiosus Sti-Petri Gaudensis, rexit annis undecim et obiit anno Domini millesimo ducentesimo (27 Novembris).

Abbas Henricus, nonus. Rexit laudabiliter annis viginti quinque et obiit anno Domini millesimo ducentesimo trecesimo sexto (27 Julii).

EPITAPHIUM PREDICTI.

Hic jacet Henricus, abbas pius atque pudicus,
Justitiæ legis exemplar, formaque gregis.

Abbas Gerardus, decimus, ex nostris, sub cujus tempore curtis nostra de Boomburch combusta est, igne latenter immisso [anno m cc xliii in nocte SS. Simonis et Judæ Apostolorum] ac conventus dispersus est [duobus annis]. Rexit annis decem et obiit anno millesimo ducentesimo quadragesimo sexto (4 Decembris).

Abbas Robertus, undecimus. Quondam religiosus ac cellerarius Sti-Martini Tornacensis; postea monachus de Thosan, rexit annis quatuor, et obiit anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo. [Hoc eodem anno debitorum mole pregravatus, dispersus fuit conventus noster tribus annis.]

Abbas Johannes, duodecimus. Quondam religiosus ac elemosinarius Sti-Petri Gandensis, vir in temporalibus ac spiritualibus multum preferendus, rexit annis viginti. Qui multa beneficia huic monasterio contulit. Insuper dormitorium de novo construxit, ut hactenus cernitur, et clausit diem extremum anno Dominicæ incarnationis millesimo ducentesimo septuagesimo (12 Octobris); cujus anima in regione viventium requiescat

EPITAPHIUM PREDICTI

Seclo bis seno sit anno septuageno,
Transiit Octobris pater iste die duodeno,
Heu pulvis texit patrem, qui nos bene rexit
Bis denis annis. Jhesu miserere Jhohannis!

(48) Sanderus écrit: *Balderamus*

A Superaddiderunt fratres:
Gaudeat in celis abbas pius atque fidelis.
(Sepultus in medio chori).

Abbas Raso, XIIIs, (ex nostris) rexit annis octo et obiit anno milles°, ducentesimo septuagesimo octavo (3 Octobris).

Abbas Johannes De Biervliet, XIVs, religiosus, istius monasterii cujus scriptura adhuc viget, rexit annis viginti novem, et obiit anno Domini millesimo trecentesimo septimo (17 Januarii).

Abbas Johannes De Donsa, XVs (ex nostris) rexit modico tempore et resignavit. Qui obiit anno Domini m ccc vigesimo nono (24 Februarii).

EPITAPHIUM PREDICTI ABBATIS.

Johannes natus de Donsa sit hic tumulatus
B *Abbas, prælatus humilis, cunctis quoque gratus*
Exstitit in vita; post deveniens cenobita,
Non ad molita se gessit sed bene rita.
Anno milleno, cum mortis vulnere pleno,
Juncto bis deno, nono simul atque treceno,
Transiit in festo Matthæi tunc manifesto.
Huic precibus presto sis præsens quisquis adesto.
Annorum plenus fuit insuper octuagenus;
Hocque fidele genus paradisus servet amenus.

Item in eodem silice.

Hic pausant bini pariter fratres uterini
De Donsa nati, sint cum sanctis sociati.
Unus erat Jacobus monachus bonus hic reputatus,
Johannesque probus curatus Slipis amatus.
Qui missas quatuor celebrari constituerat
Ebdomada; frater nobis satis inde dederat.
Jam tribus his dictis confer, bone Christe, juvamen
Cordibus infectis, quod fiat poscimus, amen.

C Abbas Rogerus Wevel, XVIs, quondam religiosus Sti-Andree juxta Brugis. Rexit cum prædecessore annis viginti septem, anno millesimo trecentesimo xxx° quarto (18 Octobris; sepultus juxta campanam atque capellam crucis).

Abbas Jacobus Tintoris (49), XVIIs, ex nostris rexit annis viginti, et obiit anno m° ccc° quinquagesimo quarto (25 Augusti; sepultus in capella Marie).

Abbas Zegardus Karlin, XVIIIs, ex nostris, rexit annis viginti octo, et obiit anno Domini m° trecentesimo octuagesimo secundo (27 Decembris; sepultus in fine ecclesiæ in meridiana parte).

Abbas Nicolaus Alout, XIXs, ex nostris, rexit
D annis undecim et obiit anno m° ccc° xciii°, (25 Junii. Oriundus de Brugis, sepultus in capella Virginis Marie).

Abbas Georgius, XXs, quondam religiosus sancti Winoci Bergensis, rexit uno anno qui (abbatiam) resignavit, et transtulit se ad regendum prædictum monasterium Sti-Winoci.

Abbas Wittus Tallet, XXIs, quondam religiosus Sti-Bertini in Sancto Audomaro. Rexit annis decem et novem. Et obiit anno m° cccc° xiii° (11 Januarii).

Abbas Jacobus dictus Coc, XXIIs (de Mechlinia), qui aulam claustralem reparavit et a fundamentis renovavit anno m° quadringentesimo xxi°. Rexit

(49) Sanderus écrit: *Tinctoris.*

annis viginti, et obiit anno M° CCCC° XXXIII• (13 Augusti; sepultus in capella B. Marie).

Abbas JOHANNES DURYNC, XXIIIs, rexit annis decem et obiit Parisiis. Sepultusque in ecclesia collegiata Sti-Benedicti ante S. Christoforum. Anno Domini millesimo CCCC° quadragesimo tertio (8 Maii; ex nostris).

Abbas ANTHONIUS CLERICI, XXIVs, rexit duobus annis et obiit anno Domini M° CCCC° quadragesimo quinto (23 Decembris. Jacet in navi ecclesiæ, consiliarius comitis, ex nostris).

Abbas HENRICUS ONDERMARCK, XXVs, qui fundamenta præsentis chori locavit, maceries in altum erexit, etiam quam plurima præparamenta ad hoc opus apta reliquit (magnam sollicitudinem pro animabus habens), necnon multa alia beneficia ecclesie contulit. Rexit annis quinque et resignavit, anno Domini M° CCCC°, quinquagesimo primo. (Obiit autem Henricus abbas iste anno 1456, sepultus Lovanii, quinto Junii.)

(Diligentia et studio sequentis D. Aniani, præscripta omnia in memoriam manserunt.)

Abbas ANIANUS dictus Coussere. Oriundus de Casletensi territorio, quondam religiosus ac præpositus in monasterio Sti-Winoci Bergensis, successit in regimine XXVI• et accepit munus benedictionis, anno Domini M° CCCC quinquagesimo primo, XII kalendas Julii, quæ fuit dies sanctissimæ Trinitatis. Qui desudans in agro dominico sollicitusque arca spiritualia et temporalia. chorum a suo prædecessore inceptum breviter complevit et ad perfectionem cum novis sedibus usque perduxit. Anno vero M° CCCC LV°, quinto kal. Maii, idem abbas, de consensu reverendi principis domini Johannis episcopi Tornacensis, fecit dedicare dictum novum chorum et duas novas capellas, atque consecrare duo altaria. Videlicet summum in honore sanctæ Trinitatis (et apostolorum), et altare ad meridionalem partem chori in honore sanctæ Crucis et Sti-Benedicti. Reconciliarique navim ecclesiæ, atrium, refectorium capitulum, dormitorium et claustrum per totum, per reverendum Dominum Dominum Guillelmum episcopum Sareptanum; præsentibus Jacobo sancti Andræ juxta Brugis, Jacobo de Capella Thosan, ac ipso Aniano Abbatibus aliisque ecclesiasticis personis quam pluribus. Videns insuper dictus Abbas corpus gloriosi principis nostri Arnulphi requiescere in quadam veteri capsa lignea, quæ pro nimia vetustate erat tam modice præsentationis ac parvi apparatus, atque ob hoc veneratio ejusdem sancti omittebatur, fecit fabricari Brugis quoddam novum feretrum auro et argento, ut oculis patet intuentium, decoratum, in quo fecit translatari sanctissimum corpus patris nostri Arnulphi, anno M° CCCC LVII•, prima die Maii, quæ tunc erat dies dominica, presentibus multis abbatibus, prepositis, doctoribus, curatis et cappellanis ac nobilibus, ceterisque utriusque sexus, in maxima multitudine, videlicet Gandensium, Brugensium, Oudenburgentium, Dixmudensium, Noviportensium, Furnensium, Ostendensium, Bergensium, Ghistellensium, Ettelgheniensium, et Leffinghensium, qui omnes decoraverunt hunc locum mirabiliter, precedendo clerum processionaliter cum tedis infinitis, ac tubis bene sonantibus, in magno numero, cum devotione, gaudio et jocunditate. Hæc vidi.

Copia litteræ domini Tornacensis, de consensu translationis corporis S. Arnulphi episcopi.

« JOANNES miseratione divina Tornacensis episcopus Reverendo in Christo patri Domino GUILLERMO, eadem miseratione episcopo Sareptano salutem in Domino. Pridem venerabilis pater abbas monasterii sancti Petri Oudenburgensis nostræ diocesis, nobis exposuit, quod feretrum, quo gloriosissimum corpus Sti Arnulphi, episcopi et confessoris, in eodem monasterio requiescens reconditum existit in capsula lignea, quæ pro nimia vetustate est tam modice repræsentationis et tam parvi apparatus, quod ob hoc veneratio ejusdem sancti, per Christi fideles omittitur et relinquitur. Quemque ad finem ut ipse sanctus per dictos Christi fideles veneretur et de eo laudes et præconia cumulentur, idem abbas novum feretrum honorifice decoratum pro dicto gloriosissimo corpore, inibi de dicto veteri feretro transferendo et recondendo, confici fecit. Petens propterea et humiliter requirens quatenus in translatione hujusmodi nostrum consensum pariter et assensum præbere dignaremur atque vellemus. Quocirca hujusmodi requisitioni tamque justæ favorabiliter annuentes, vobis dictum vetus feretrum aperiendi, et ex eodem dictum gloriosissimum corpus cum orationibus solempnitatibus et ceremoniis ad hoc necessariis et requisitis assumendi et elevandi, et ad dictum novum feretrum transferendi, et in eodem reverenter recondendi licentiam et auctoritatem impartimur per præsentes sigillo cameræ nostræ sigillatas, cum concessione triginta dierum indulgentiarum in forma consueta. Datum Insulis dictæ nostræ diocesis, anno Domini M° CCCC° LVI°, mensis Octobris die vicesima quinta.

« *Sic sign.* HULAND. »

Copia scripti in feretro positi juxta corpus prædicti sancti Arnulphi.

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti. Hic requiescit gloriosum corpus sanctissimi patris ac defensoris nostri Arnulphi, episcopi et confessoris. translatum per reverendum in Christo patrem et dominum Guillermum episcopum Sareptanum suffraganeum Reverendissimi in Christo patris ac Domini Domini Johannis episcopi Tornacensis, indictione quinta, Calisto tertio romanam sedem tenente, Johanne metropoli Remorum sedem regente, Karolo VI° rege Francorum regnante, Ludovico, nobilissimo Delphino Francie Brugis spatiante, Philippo autem Flandrense comite, anno sui regiminis XXXVIII• principiante, atque Aniano abbate curam Aldenburgensis cenobii Deo auctore administrante; mul-

tis præterea tam abbatibus, quam præpositis ceterorumque Christi fidelium cum gaudio ac devotione astantibus, actum solempniter, anno dominicæ incarnationis millesimo, Ut a posteris nostris indubitanter credatur, diligenter honoretur, ac in perpetuum celebretur, nomina et signa eorum qui huic translationi interfuere annotare sancitum est. Sigillum domini Guillermi episcopi Sareptani. Sig. Aniani abbatis S. Petri Oudenburgensis. S. Jacobi abbatis S^{ti}-Andreæ juxta Brugis. S. Nichasii, abbatis S^{ti}-Adriani martyris. S. Everardi abbatis de Dunis. S. Jacobi abbatis de capella Thosan. S. Petri abbatis beatæ Mariæ Middelburgensis. Sigill. Lymanni abbatis S^{ti}-Nicholay Furnensis. Sigillum Hectoris præpositi de Eversam. Sig. Jacobi abbatis beatæ Mariæ de Zunnebeke. Sig. Anthonii abbatis S^{ti}-Bartholomæi de Eechout. S. Wualteri præpositi Ecclesiarum beatæ Mariæ Brugensis ac S^{ti}-Petri Casletensis. »

Copia litteræ datæ parochianis de Tidegheem in donatione reliquiæ ejusdem sancti.

« Guillermus miseratione divina episcopus Sareptanus et Anianus, eadem permissione, humilis abbas monasterii S^{ti}-Petri Oudenburgensis, Ordinis S^{ti}-Benedicti Tornacensis diocesis, universis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis, salutem in Domino sempiternam. Notum facimus quod anno incarnationis Domini Nostri Jhesu-Christi millesimo quadringentesimo L XI°, die prima mensis Maii, visitato per nos aliosque quamplures diversarum ecclesiarum, ut decebat, prælatos, glorioso corpore sanctissimi patris nostri Arnulphi episcopi et confessoris, in prædicto monasterio requiescentis, in quadam veteri capsa, ex qua de speciali mandato reverendi in Christo patris ac Domini Domini Johannis, eadem miseratione divini episcopi Tornacensis, per dictum abbatem obtento, idem sanctissimus confessor Domini Arnulphus exstitit solemniter ad novum feretrum honorifice argento et auro decoratum translatus, et reconditus est.

« Ad humilem igitur supplicationem honorabilium virorum curati provisorumque fabricæ parochialis ecclesiæ de Tidegheem, dictæ Tornacensis diocesis, unde idem gloriosus sanctus Arnulphus exstitit oriundus, unam de eodem sanctissimo et gloriosissimo confessore reliquiam antedictis curato et provisoribus eamdem humiliter et devote petentibus concessimus et donavimus, quatenus in eadem ecclesia, locisque adjacentibus posset ardentius et devotius venerari et honorari, in quorum omnium præmissorum testimonium præsentes litteras sigillis nostris duximus roborandas, anno mense et die suprascriptis. »

Omnibus prædictis rite peractis idem Anianus abbas fecit consecrari per Guillermum episcopum Sareptanum sepedictum altare in cappella curtis nostræ de Boomburck, anno Domini M° CCCC° L° VIII°, kalendis Augusti, quod erat in crastino S^{ti}-Jacobi Apostoli. Fecitque eodem anno reparationes multas ibidem in domibus cum fossatis circumquaque.

Eodem anno dictus abbas redemit ex manibus filiorum Egidii de Capella curtem nostram de Hemelgheem, quam tenebant ad vitam cum omnibus domibus et pertinenciis. Pro quibus exposuit mille lib. paris. et ultra. Istis temporibus reparatum fuit fossatum curtis nostræ vulgariter vocatæ *Sinte Aernouds-Goed.*

Anianus me conflari et sacratam nuncupari Petram fecit, in honore S^{ti}-Petri, Petro actore, anno Domini M° CCCC° LX°.

Et me idem Anianus per ejusdem Petri manus simul tempore conflari fecit, Paulamque vocari.

Igitur (50) ANIANUS prædictus Abbas XXVI^{s} hujus loci, cujus arma hunc in modum exstant (51), postquam multa pia opera ecclesiæ nostræ contulisset, in vinea Domini haud segniter laborasset, undecimo regiminis sui anno migravit a seculo, anno millesimo quadringentesimo sexagesimo secundo, penultima die mensis Maii, sepultus est in medio chori nostri cenobii.

Quoniam (52) videmus nostrorum abbatum catalogum interruptum ob negligentiam scriptorum, jam opere precium estimamus supplere numerum, ut posteri cognoscere possint, quo ordine quisque vices suas gesserit. Igitur sicut ab antiquioribus nostris accepimus, qui scribendi sunt abbates singillatim exprimere intendimus.

Post mortem Aniani abbatis videlicet CLEMENS EGIDII, monachus hujus cenobii fit XXVII^{s} abbas hujus monasterii; illustrissimi ducis Burgundiæ et comitis Flandriæ consiliarius. Qui abbas hujuscemodi habebat arma veluti figura hæc ostendit. Hic præfuit uno tantum anno atque obiit 1463, die 14 mensis Junii; sepultus in capella sanctæ crucis nostræ ecclesiæ.

RAPHAEL DE MARCHATELLIS, filius Philippi magni ducis Burgundiæ, attamen mariti matris suæ cognomentum retinuit. Doctor Parisiensis et monachus S^{ti}-Petri Gandensis. Fuit abbas XXVIII^{s} Oudenburgensis, qui curtem de Erninghem emit, et amortizationem a Duce obtinuit, tali sub conditione, ut Carolo vivente, in die S^{ti}-Martini (quia ea die se natum dicebat) in monasterio prima Missa cantaretur de Spiritu sancto: post mortem vero ejusdem Caroli perpetuum Requiem. Ipse abbas nostrum dormitorium (quia cum tecto ceciderat) confractum, suo

(50) Ce paragraphe a été écrit après la mort d'Anianus par une main du XVe ou XVIe siècle.

(51) Nous avons réuni en un seul tableau, qui se trouve plus bas, les armes des abbés d'Oudenbourg, que nous trouvons dispersés dans le ms. C'est là qu'il faudra chercher toutes celles dont il sera fait mention dans la suite.

(52) Ce paragraphe et tout ce qui suit jusqu'aux mots : *ficta et assumpta sunt, qui...* sous Olivier Van Der Hulst, paraît avoir été rédigé sous cet abbé, entre l'année 1547 et 1550. La suite a été ajoutée après sa mort, car la Vie de Gaspar de Bovincour est écrite d'une autre main.

tempore postquam abbreviasset, in australi parte reedificavit et artesiis cooperuit. Tandem cum xv annis præfuisset, anno scilicet Domini 1478, resignans, factus est abbas S^ti-Bavonis Gandensis; deductus illustre quinquaginta equitibus; ac obtinuit episcopatum Rocensem, at minime administravit: cujus arma hunc in modum exstant. Mortuus vero et sepultus fuit in cenobio Gandensi, quarto die Augusti.

Walterus de Lacu, Religiosus S^ti-Petri Blandiniensis ac secundus Prior, fuit abbas XXIX^us cenobii nostri Oudenburgensis, annis undecim. Hujus arma hic apparent. Obiit autem anno Domini 1489, die 16 mensis Septembris. Sepultus in capella B. Mariæ monasterii nostri.

Jacobus Jacobi, oriundus de Brugis, monachus, hujus loci vinarius, fit XXX^us abbas Oudenburgensis, electus Brugis in sacristia S. Salvatoris. Præfuit circiter xi annis. Hic erat consiliarius illustrissimi principis et ducis Burgundiæ ac Brabantiæ atque comitis Flandriæ, Domini Philippi. Sub hoc abbate conventus noster dispergebatur propter milites de Slusis, vastatores Flandriæ, quorum bellum dicebatur *de garde*. Constituitque coadjutorem monachum de Vlierbeka, juxta Lovanium, cujus nomen Jacobus Courteville, et obiit anno 1500, quinto die mensis Augusti. Sepultus ante altare sanctæ crucis, ut patet ex lapide, ubi arma ejus hoc modo clarent.

Jacobus de Courteville, monachus cenobii Flierbacensis, divi Benedicti ordinis, fuit abbas XXXI^us Oudenburgensis, consecratus in Decollatione S^ti-Joannis-Baptistæ, cujus arma hoc signo depingebantur. Qui anno 1518, sui vero regiminis 18°, resignatione facta, fratri suo D. Anthonio, transtulit se in profesto Apostolorum Petri et Pauli ad regendum monasterium D. Winoci Bergensis, non sine magnis obstaculis; ibidem mortuus anno Domini 1524, die 19 Novembris.

Anthonius de Courteville Domini Jacobi prædicti frater, quondam canonicus præmonstratensis, cenobii D. Andreæ in nemore Ambianensis diocesis, fuit XXXII^us abbas hujus loci, ex resignatione sui fratris, consecratus in festo Jacobi et Christophori. Hic fecit ædificari locum venerabilis sanctuarii, in choro ex albis lapidibus, ut patet. Deditque ornamenta ecclesiæ mirifica ex rubo holoserico, cujus arma inibi tali forma clarent, ut præscribitur. Dum autem præfuisset 19 annis obiit anno Domini 1636, sexto die mensis Octobris, ac sepultus est in sinistro latere presbyterii juxta parietem sine memoria. Qui substituit sibi ex procuratione comitissæ Flandriæ, quemdam fratrem Augustinensem, e Gandavo, nomine Gedeonem, qui adepto suffraganeatu, recusavit abbatiam, contentus pensione 50 lib. gr. annua a successore.

Joannes de Grebouval, oriundus de Steenweercke, monachus S. Salvatoris in Ham, at prior tunc proprietarius de Beouverie in Arthesia postulatus a fratribus, loco Gedeonis ut supra, consecratus est A Brugis in domo S^ti-Bertini, 18 Februarii, abbas Oudenburgensis piæ memoriæ. Hujus insignia vidi in diversis locis nostri monasterii depicta, tali ornatu: qui digne et laudabiliter iv rexit annis atque obiit anno 1540, die 25 mensis Augusti, postridie nempe S^ti-Bartholomæi. Jacet in capella B. Mariæ sepultus. Unus monachus ex sibi subditis, Jacobus Michiels, describens composuit illius epitaphium:

Hic jacet abbatum decus, hic clarissimus abbas
Hujus Joannes gloria magna domus.
Hunc Grebovalla domus celebris produxit et ampla,
Flandria progenuit, arthesium coluit,
Hams juvenem excepit, Benedicti norma refinxit,
Quam subit octennis, religione flagrans.
Sic Beouverie suum sumpsit Christina Priorem,
Qui prior effectus, altius emicuit.
B *At Deus omnipotens simul et pia numina cuncta*
Ne male pervertat ulla procella virum.
Hinc alio properare suo dat numine sancto;
Oudenburga datur, ante petita domus,
Quam rexere patres, celebresque piique triginta
Et duo: percelebris tertius iste fuit.
Magna dedit vitæ miseris solatia: magnum
Jure malo pressis præsidiumque fuit.
Præripuere virum nobis verum invida fata.
Intempestiva mors tulit alta nimis.
Excoquitve morbo quidquid contraxerat orci,
Terra tegit corpus. Spiritus astra tenet.
Da Pater omnipotens regnum celeste paratum,
Quod cruce restituit filius ille tuus!
Tu quoque, lector amans, manes ne flamma peruret
Hunc vestris precibus exonerato piis.

Christianus van Basseveldе, natus in hoc Oudenburgensi oppido, religiosus hujus monasterii, C atque cellerarius, receptor, nec non prior, factus est abbas XXXIV^us hujus loci, consecratus Dominico ante festum S^ti-Martini, in Novembri, cujus arma taliter efficta erant. Hic prefuit uno anno tribusque mensibus et obiit anno Domini 1541, die 22 mensis Januarii, more remensi, sepultus autem in capella Sta-Crucis cenobii nostri. Ipsius epitaphium dominus Franciscus Kempe composuit:

Hic situs est abbas a Christi nomine dictus,
Nomine cum vita conveniente pia.
Moris erat sancti et litterarum cultor amandus,
Relligionis honos, cenobiique decus.
Dum solemnis erat festis Vincentiis horis
Liquit mortales corporis exuvias.
Bassevalem victa cocyti peste frementis
Elisii Christus collocet arce soli!

D Joannes Van der Weerde, monachus et receptor cenobii D. Andreæ Stratensis, fuit XXXV^us abbas hujus loci; consecratus primo die Maii 1542. Dumque rexisset circiter quinque annos, resignatione facta majestati imperiali atque commendata Domino Oliverio, suo quondam priori, rediit ad cenobium præfatum, scilicet D. Andreæ, juxta Brugas; anno 1561, die 12 Decembris: sepultus in sui monasterii choro, nosque exequias egimus cum tricenario.

Oliverius Van der Hulst, monachus et prior monasterii Stratensis S^ti-Andreæ juxta Brugas, fit abbas XXXVI^us S^ti-Petri Oudenburgensis, consecratus ipso die S^ti-Benedicti in Martio 1547; cujus arma secundum cognomen ejus ficta et assumpta

sunt; qui (53) anno 1550, prælationis autem suæ iv, monasterium a veteri Cluniacensium instituto ad novum Burzfeldensium ritum reformavit; mutatis tum ceremoniis, tum et consuetis divini pariter officii Agendis. Inter cetera autem præclare gesta, etiam ecclesiam diversis ornamentorum (quorum tum maxima hic erat penuria) generibus decoravit, campanas quinque sub debita tonorum consonantia conflari jussit, pavimentum ecclesiæ anterioris, eatenus tegulis stratum, lapidibus sternendum cœpit, atque a religiosorum choro exquisitis cancellorum interstitiis discrevit. Orientalem insuper atque meridionalem ambitus nostri partes e fundamentis excitavit novas, duodecim lapidum ordinibus quam fuerant antea altiores: ac multa bona temporaria monasterio acquisivit et ingenti debitorum mole, quo idipsum reperit obstrictum exoneravit atque inestimabilem præterea pecuniæ thesaurum successori suo moriens dereliquit. Rexit multa cum laude annis xxii°, mensibus viii°, hebdomada una, et moritur ætatis suæ anno 75°, ab orbe restituto 1568, nonis Decembribus, sepultus sub campanili ante summi chori introitum, sub sarcophago, quem ante obitum sibi illic reposuerat novum.

Hoc jacet in tumulo, dederat cui nomen Olyva
Ipsaque cognomen Taxus acuta, pater.
Prima reformati viguit qui gloria claustri
Augustusque sacræ relligionis honos.
Cujus erat (nomen fuit ut virtutibus æquans)
Innocuis placidum, fontibus esse trucem.
Pungentes iræ stimulos notat hyspida Taxus.
Indicium mentis præbet olyva piæ.
Wettera nascentem prior hunc concernere ab alvo
Promeruit, Iris Ganda fovere bonis.
Andreas monachum hinc crucifer facit atque Priorem,
Abbatem Aldenborg possidet inde sibi.
Sextus ter denis abbatibus additur abbas,
Nec fuit e cunctis quolibet ipse minor.
Quidquid in antiquis virtutis imagine luxit,
Pervolat innumeris dotibus iste bonis.
Præfuerat lustris abbas ita rite quaternis,
Annus et accrevit inde secundus ei;
Tertius accessit (male sed complendus) iniquo
Omine: quem nunquam sic properasse velim.
Morte nonis rapitur non digna quippe decembris,
Hei mihi pro meritis qualia dona refert!
Quod superest, meritum precibus comitare parentem
Et memori semper corde tenete virum,
Et quoties facies, non sit grave dicere, quæso:
Patris Olyverii, molliter ossa cubent!

D. Jaspar de Bovincourt (54), eques hierosolymitanus, oriundus ex Bapalmis, Arthesii oppido, religiosus ac œconomus Monasterii sancti Salvatoris in Aquiscincto, prope Duacum, hujus cœnobii XXXVII° et a reformatione secundus destinatur nobis abbas a curia Bruxellensi, viii idus Aprilis, anno reparatæ salutis 1569, anno ætatis suæ 40°, benedictionisque munus et gratiam in suo præfato monasterio Aquiscinctensi a R° Atrebatensi episcopo, Francisco Richardoto, viii° idus Maii ejusdem anni, in Dominica *Cantate*, sortitus est, vacante tum per D. Petri Curtii primi antistitis obitum, sede Brugensi. Qui cum a prædecessore suo congestam pecuniæ reperisset massam, non modicam, in ipso statim prælationis suæ initio totam abbatialem domum e fundamentis excitavit novam, destructis veteribus, quas repererat, ædibus ac erectis cubiculis, longe splendidissimis ac magnificis, totamque domum abbatialem copiosa non minus, quam sumptuosa ac splendida præter antiquam monasterii consuetudinem, brevi temporis spatio, decoravit supellectili, tapetibus, picturis variis, auleis hispanicis parietes convestivit, ita ut per subitam sui metamorphosim, non tam domus abbatialis, quam curia videri potuisset regalis. In conventu quoque binas a prædecessore erectas ambitus partes vitreis complevit, ac decoravit sua et conventus insignia apponendo, residuamque anterioris ecclesiæ partem lapide substravit ordunico, ibique a campanili usque ad porticum in aquilonari parte, ad majorem ecclesiæ decorem, insignes cancellos ex albo lapide confectos, erexit. Vir erat vultu spectabilis, ore facundus, moribus præclaris ornatus, apparatu gaudebat magnifico, nobilibus Belgiæ charissimus, illisque conjunctus familiarissime, adeo ut quarto prælationis suæ anno, videlicet 1572, a quaternis Flandriæ membris, ob difficilia tum reipublicæ tempora, necessitatem expositurus ad Philippum II, regem Hispaniæ et Flandriæ comitem, ablegatur: quam legationem summa cum laude peregit, suum nomen celebre reddidit, insignem voce omnium, qui legationis comites fuerunt, gloriam reportavit, ac denique suo monasterio immortalem sui memoriam reliquit. Præfuit autem annis septem, obiitque post longam corporis infirmitatem xi die Februarii, anno Domini 1577, apud Phanum Divi Michaelis prope Brugas, in castello cui Craneburg vocabulum est, quo variandi aeris, valetudinis recuperandæ gratia sese receperat; postea ad monasterium reductus, in choro summo, ad sinistri altaris chorum juxta parietem sepultus est.

XXXVIII°. Huic successit in dignitate abbatiali R. Dominus Melchior Wueraert (55), anno 1577 per Joannem Austriacum, et vix resedit in abbatia, propter sectarios, utpote 24 Septembris 1578 coactus cum suis religiosis deserere proprium monasterium; fuit peste sublatus et sepultus Neoporti mense Octobri, in ecclesia parochiali, anno 1583.

XXXIX°. Huic successit A. D. Joannes Bourrier, anno 1584, qui vix t inter intestina bella ut numquam potuerit residere. Hic abbas una administravit abbatiam Sti-Andreæ, juxta Brugas. Officium divinum penitus a Geusiis interdictum fuit per 40 annos, deinde monasterium versum in fortalitium, usque ad annum 1616, die Stæ-Agnetis, quo mortuus est Brugis et sepultus in Sti-Salvatoris, in sacello Beatæ Mariæ Lauretanæ, in libera

(53) Olivier Van der Hulst a fait continuer le catalogue des abbés, depuis Anianus XXVI° abbé, jusqu'à ces mots: *Ficta et assumpta sunt, qui.*

(54) Cette Vie est écrite d'une main qui n'en a pas écrit d'autres. L'écriture gothique cesse ici avec le XXXVIII° abbé.

(55) L'histoire de cet abbé, et des suivants jusqu'à Charles Ghelevns inclusivement, est d'une

sepultura, cum epitaphio quod hodie adhuc visitur in pariete inter duas fenestras laterales ejusdem sacelli.

XLs. Huic successit eodem anno, nempe 1616, per serenissimos principes Albertum et Isabellam archiduces denominatus, R. D. JOANNES MAXIMILIANUS D'ENGHIEN, nobili apud Brabantos stirpe ortus, religiosus Vedastinus, sacræ Theologiæ licentiatus, ac præses collegii Sti-Gregorii Duaci; hic sepius deputatus fuit a Clero ad ordines Flandriæ, et magna ex parte recuperavit bona monasterii, quæ per 40 annorum spatium a Geusiis occupata et deperdita fuerant, monasterium versum in fortalitium regium instauravit ex toto. Mortuus est anno ætatis suæ 79°, prælaturæ 47°, anno 1662°, 20 Augusti, Brugis, in refugio suo, et sepultus in monasterio Aldenburgensi, in medio presbyterii, cujus epitaphium est lapidi inscriptum.

Interim sedes vacavit ad annum 1664, quando substitutus fuit a Rege Hispaniæ, Philippo IV, R. D. CAROLUS GHELEYNS Winoci-Bergensis, religiosus et cantor, hujus monasterii abbas XLIs. Hic a summo Pontifice Alexandro VII° obtinuit mitram et pontificalia, et ipsis kalendis Januarii 1665 mitratus fuit in choro Sti-Donatiani, a R° ac Illust°. Roberto de Haynin episcopo Brugensi, assistentibus RR. admodum ac ampl. DD. De Wignacourt abbate Sti-Winoci et Benedicto Van Den Berghe, abbate Sti-Andreæ, in præsentia marchionis De Castel Rodrigo tunc Belgii gubernatoris, totiusque aulæ.

Fuit hic abbas deputatus a Clero ad ordines Flandriæ, et mortuus est Brugis in refugio, anno 1677, et sepultus in monasterio, in medio presbyterii. Hic reliquit monasterium immensis debitis oppignoratum ita ut vix supersit aliqua spes. Requiescat in pace.

XLIIs. Huic immediate successit denominatus per excell. Ducem de Villa Hermosa pro rege Carolo II gubernatorem Belgii, R. D. PHILIPPUS GHUERARD (56) natus de Gandavo, prior monasterii Aldenburgensis ac religiosus professus ejusdem, mitratus ac benedictus in capella sacri Cruoris ab illust. Domino Francisco De Baillencourt, episcopo Brugensi, anno 1698. Mortuus Brugis in refugio, anno 1679, 14° mensis Martii, et sepultus Aldenburgi in medio presbyterii.

Anno Domini 1676, cum monasterium Aldenburgense vacasset per duos menses, denominatus fuit per excellm Ducem De Villa Hermosa, pro rege Carolo II gubernatorem Belgii, A. D. ALBERTUS FREDERICUS TAYE, ex Baronibus Wemmelams, religiosus monasterii Sti-Salvatoris in Eenam, fuitque installatus, benedictus et mitratus, ab illust. Domino Francisco De Baillencourt, episcopo Brugensi, in monasterio Aldenburgensi, 24° mensis Junii ejusdem anni, estque abbas hujus monasterii XLIII.

Anno 1687, mense ... die ... R. D. AUGUSTINUS VERMEULEN (57) Brugensis, religiosus, et ante prior, ac præpositus Blandiniensis, exacto prædecessore, denominatus fuit ab excell. Domino Marquisio de Castagna, pro rege catholico Carolo II gubernatore Belgii, qui et non multo post, confirmatus et mitratus fuit abbas ab III. et R. Domino Humberto Guillelmo (a Precipiano) episcopo Brugensi, in capella sui palatii episcopalis, in Bruga, hujus monasterii XLIVs, qui et invenit monasterium alieno ære terribiliter oppignoratum et summe gravatum, debitisque multis oneratum : ad quæ successerunt illa grandia bella illata a rege Franciæ, post fractam toties pacem, et treugam viginti annorum, contra Imperatorem, Regem catholicum et omnes confederatos Germaniæ, Hollandiæ et Angliæ.

(XLVs) Huic successit MARTINUS GEERTS; accepit litteras patentes Bruxellis signatas de 2° Aprilis, 1698, a Carolo II. Hic religiosus Sti-Petri Gandavensis fuit, Gandæ impilatus a Philippo Van Der Noot, 24 mensis Junii 1698, in sua abbatia. Assistebant, abbas Gandavensis et Eenamensis. Sumpserat possessionem 13 Aprilis 1698, obiit 11 Octobris, anno 1700. Cujus divisio erat : *Non recuso laborem.*

Hujus loco subsecutus est GREGORIUS LAMBERTI (58) hujus abbatiæ religiosus et prior, XLVIs abbas. Accepit litteras potentiales Bruxellis de mandato Philippi regis Castillæ signatas M. Barde, de 25 Januarii 1701. Institutus 1° die Martii ejusdem anni a Petro Boury, canonico cathedralis et officiali, et Andrea Mendez canonico ejusdem ecclesiæ de mandato Guilielmi Basseri, episcopi Brugensis, et Brugis in sacello episcopali ab ipso, die 17 Aprilis 1701 solemniter infulatus. Obiit 17 kalendas Maii, sive 16 Aprilis 1713.

AMANDUS NEIRYNCK, XLVIIs abbas hujus domus, religiosus Sti-Petri in monte Blandini, Bruxellis denominatus fuit ab Imperatore Carolo, 14 Januarii 1716. Signata erat denominatio, ab A. Bollaert; die autem 8 mensis ... 1716 confirmatus, obiit 9 Martii 1721.

Reverendus Dominus JUDOCUS GRAMON (59) reli-

ecriture très-négligée du XVIIe siècle. La phrase qui termine la vie de Charles Gheleyns : *Hic reliquit monasterium immensis debitis oppignoratum, ita ut vix supersit aliqua spes*, me porte à croire que cette partie du catalogue a été rédigée immédiatement après la mort de cet abbé, et sous l'impression bien triste que laissait sa mauvaise administration. Il mourut en 1667. Cependant l'histoire des deux abbés suivants est écrite de la même main.

(56) La vie du XLIIe et du XLIIIe abbé, est écrite d'une même main, mais différente des autres.

(57) Les dates omises à cette ligne manquent dans le ms. La vie de cet abbé a été écrite aussitôt après sa mort. Il en est de même de la suivante.

(58) L'histoire de cet abbé et de tous les suivants a été rédigée après 1803, par les soins du P. Bouten, qui avait reçu la grande chronique en partage. J'ai retrouvé dans le volume les notes qui ont servi à la rédaction, elles paraissent avoir été prises dans les archives du couvent. L'écriture de cette dernière partie du catalogue est celle d'un enfant.

(59) L'auteur de ce catalogue a oublié le numéro

giosus et per decem annos professor S^ti-Winoci-Bergensis, in qualitate Prioris circiter per 13 annos abbatiam nostram gubernavit, idque defectu æris et subditorum; nam abbatia, ut fertur, erat terribiliter gravata debitis, tantum constabat tribus religiosis, et vix habebant unde viverent. Is totis viribus laboravit ut succurreret, sed mors nimium propera 15° kalendas Julii 1732 eum sustulit.

Huic successit in abbatiali dignitate R. D. Folquinus Gramon, XLVIIIs abbas, frater defuncti prioris, religiosus Divi Bertini professus, ubi pietate, zelo, eruditione magnus, professor erat, quem ut talem religiosi rogaverunt ut dignaretur onus illud suscipere. Hic factus pró merito magnus prior, professor, pastor sed major in abbatiali dignitate, et maximus dum inter illustres Flandriæ ordines factus assessor primarius fuerat. Denominatus fuit ab imperatore Carolo VI Bruxellis, 16 Augusti 1734; assistebant abbas S^ti-Winoci et abbas S^ti-Andreæ. Obiit 31 Decembris 1736, ætatis suæ 42°.

Godefridus Collier, religiosus Affligeniensis, hujus abbatiæ XLIXs abbas, non impilatus, vir pius et amabilis, in oratione assiduus ab omnibus pro sancto reputatus, circiter per annum abbatiam rexit et meritis plenus obdormivit in Domino, 17 Octobris 1739.


Maurus Elot, religiosus ex monasterio S^ti-Adriani Gerardi-montis Ls abbas hujus domus, cum ambitum construxisset, et multos fundos deperditos litibus monasterio recuperasset, obiit 15 Junii 1760, ætatis suæ anno 64°, regiminis 21°. Hic domum hanc pene collapsam in spem contra spem a fide roboratus restituit, suffulsit, restauravit, in arduis prudens, in adversis ubique constans, in Deum pius, in labore indefessus, qui in posterorum memoria perennet.

Paulus Dieriexen, religiosus hujus loci professus, LIs abbas, accepit litteras patentes Bruxellis signatas ab A. De Ferrari, Maria-Theresia regina Hongariæ regnante, de data 20 mensis Augusti 1760, institutus 11° Septembris et a Joanne Roberto Caimo, episcopo Brugensi in sacello episcopali die 14 ejusdem mensis et anni accepit abbatialem benedictionem. Fuit hic vir valde mitis et ab omnibus religiosis amatus, magnam curam habuit restaurandi ædificia villarum; obiit 13 Martii 1773, ætatis suæ 64°.

Petrus Coudelier, Neoportanus, religiosus hujus domus, LIIs abbas inveniens pecuniarum massam, quam prædecessor pepercerat, cœpit novam abbatiam ædificare, cum tertiam partem a fundamentis ad fenestras struxerat, videns ærarium penitus exhaustum a proposito cessavit. Sed ante mortem alio in loco ædificavit quarterium pro hospitibus celeberrimum; destruxitque primum incœptum. Hic suis et sibi parcus abbatialem curam per quindecim annos administravit. Religiosus ille cultor pastoralem curam, quam 31 annos tenuerat, factus abbas non deseruit, donec tandem in senectute bona, subito, 17 Junii 1788, reddidit spiritum, cum vixisset 78 annos. Sepultus est in cœmiterio parochiali in sepulchro lapideo ante crucem, quia a Josepho II° imperatore prohibitum erat in ecclesiis sepelire.

Paulus De Brouwere, itidem Neoportanus, hujus abbatiæ religiosus, LIIIs abbas, nepos defuncti, a pastoratu de Zantvoorde vocatus, et a Josepho II, imperatore romano, signatas accepit litteras, de data Januarii 1789. Institutus fuit a secretario De Gryse et a canonico cathedralis... et ab Illust. Domino Felice Guilielmo Brenaert, episcopo Brugensi in ecclesia abbatiali solemni pompa, 19 Aprilis ejusdem anni, infulatus. Magnanimus ille vir accepto avunculi sui thesauro cœpit ædificare, pingere, nitorem domus quærere, rheda circuire, in multis opulentis recreationibus populum invitare. Istis et similibus expensis domum adeo gravavit debitis, ut respublica gallicana in communi suppressione, 16 Februarii 1797, religiosos cum duce, manibus pene vacuis expulerit. Ipse rediens ad relictam pastoralem curam, ibi cum deservitore aliquandiu vixit, sed videns se non posse subsistere, proventibus non solutis, a rusticis promissis, vendidit quæ sua erant, et reliquit curam suam et postea seductus juravit juramentum gallicanum et cœpit vagari, cum non inveniret locum ubi requiesceret pes ejus, parvis, quæ habebat, dilapidatis, ad amentiam devenit, et Brugis inclusus in domo, talibus præparata, vixit, donec tandem sui compos, acceptis omnibus sacramentis ecclesiæ, oppressus febribus, 22 mensis Maii 1803, obierit et ibi in domo ubi servabatur, jussu fratris 24° sepultus.

d'ordre de cet abbé, qu'il a donné au suivant; de là une erreur qui se poursuit jusqu'à la fin du catalogue; nous l'avons réformée dans le tableau synoptique qui se trouve à la fin de l'avertissement, page 50.



DISSERTATION

SUR

LES RAVAGES D'ATTHILA EN FLANDRE

Nos historiens sont généralement d'accord qu At-A thila, roi des Huns, lors de son fameux passage du Rhin et des ravages qu'il étendit sur la majeure partie des Gaules septentrionales, pénétra avec une partie de son armée dans la Flandre proprement dite, et y laissa des traces durables de sa férocité.

Meyer, dont l'érudition profonde, les recherches curieuses et l'autorité ne sont contestées par personne, accueille ce fait et atteste l'avoir lu dans la plupart des chroniques et des monuments historiques qu'il avait consultés. *A cette époque*, dit-il (de l'invasion d'Atthila dans les Gaules), *à peine vit-on une ville échapper à la fureur des Huns, dans toute l'étendue des Gaules. Je trouve que dans notre Belgique, Tournay, Térouanne, Oudenburg, furent détruites, aussi bien que Cologne et Tongres*... (60).

Notre chronique au N° XIX, atteste le même fait pour ce qui concerne Oudenburg. *Cette ville*, dit le chroniqueur, *autrefois longtemps assiégée et vaincue enfin par le roi Atthila, frappée du glaive ennemi, perdit sa splendeur, sa force et sa population; de sorte qu'on parvint à peine à former une petite ville de ses ruines* (61).

Malgré ces assertions positives, Vredius, sans contredit, un de nos historiens les plus versés dans l'étude de nos annales, prétend dans sa *Flandria Ethnica* (62), que jamais Atthila ne vint en Flandre, et il considère en particulier l'assertion de notre chronique, qu'il semble avoir en vue, comme une fable, qui n'a aucun fondement historique. Le chanoine De Bast, connu par ses travaux sur les *antiquités Romaines et Gauloises* (63), marche sur les traces de Vredius, et tâche de confirmer l'opinion de cet écrivain.

Après avoir pesé les raisons de ces graves écrivains, nous avons cru que leur opinion n'était pas suffisamment basée, pour nous faire passer condamnation, et charger notre chroniqueur d'une erreur presque impardonnable.

Vredius observe d'abord que l'itinéraire d'Atthila, tel que les écrivains contemporains l'ont tracé, ne fait aucune mention d'Oudenburg, et De Bast, qui veut enchérir sur son devancier, prétend que l'itinéraire d'Atthila exclut la possibilité de sa venue en Flandre. « Ce monstre, dit-il, altéré de sang, après avoir passé le Rhin avec des armées innombrables, saccagea Metz, Trèves, Tongres, Arras et mit à feu et à sang toutes les villes qui se trouvèrent sur sa route. Paris fut délivré par les prières de sainte Geneviève, et Troyes par l'entremise de saint Loup, son prélat. Il attaqua Orléans, lorsque Mérové, roi des Francs, Aetius général des Romains, et Théodoric, roi des Visigoths, ayant joint leurs armées, le chargèrent à l'improviste; ils lui livrèrent bataille dans la plaine de Châlon, et lui tuèrent, dit-on, plus de deux cent mille hommes, en 451. Atthila frémissant de fureur et de rage, fut B obligé de se retirer avec les débris de son armée (64). » Jornandès, dans son histoire de la guerre des Goths, fournit le récit le plus étendu de cette bataille: saint Grégoire de Tours est, après lui, l'auteur qui entre dans le plus de détails.

Je réponds en premier lieu qu'il n'est guère étonnant que des écrivains étrangers, les uns Grecs, les autres Latins, cités par Vredius, aient omis Oudenburg dans l'énumération des villes qu'Atthila ravagea dans cette invasion: d'abord ils n'ont pas nommé toutes les villes, ils se sont bornés à énumérer les principaux chef-lieux de province où Atthila dirigea le centre de son armée, parce qu'il s'attendait à y trouver plus de résistance. Les villes C citées étaient célèbres dans toutes les Gaules; pour en nommer quelques-unes, on ne pouvait omettre Metz, Troyes, Orléans, Paris, dont la conquête paraissait la plus importante au féroce conquérant, mais il fallait nécessairement omettre une foule de cités de second ordre, celles surtout qui par leur éloignement, leur nom moins gaulois, se présentaient moins naturellement sous la plume des historiens qui nous ont laissé le récit de ces événements.

Du reste la généralité de leurs expressions comprend évidemment Oudenburg. Ils attestent tous d'une seule voix que les ravages s'étendirent sur *toutes les Gaules*. S. Prosper, dans sa chronique,

(60) *Ea tempestate vix ulla per Gallias civitas Hunnicam subterfugit rabiem. In hac nostra Belgica, Tornacum et Taruannam et Aldenburgum excisa lego... Tum Colonia Agrippina... Tungrorum oppidum, etc. Annales Flandriæ, ad an.* 453.

(61) *Hæc civitas quondam ab Athalo rege diu obsessa et tandem devicta, decorem et fortitudinem, atque urbanam frequentiam, hostili gladio intercepta amisit, et de sibi relictis vix parvum ovidum restaurauit.* p. 34.

(62) Page 87 et seq.

(63) Recueil d'antiquités Romaines et Gauloises tom. I et II, in-4°. Gand, 1808.

(64) *Recueil d'antiquités Romaines et Gauloises.* tome I, page 324.

parle en ces termes : « Lorsqu'Atthila eut passé le Rhin, et que déjà beaucoup de villes Gauloises éprouvaient les plus cruels assauts de son armée, il plut aux nôtres (aux Romains) et aux Goths de réunir leurs armées pour résister aux attaques furieuses d'un ennemi orgueilleux (65). »

Sidoine Apollinaire raconte aussi que ce roi barbare se répandit en Belgique. « La forêt Hercinia, dit-il, coupée par la hache, servit à former des radeaux, et un pont sur le Rhin, et déjà, o Belge, Atthila, suivi de ses terribles légions, s'était répandu dans tes campagnes (66) ! »

S. Grégoire de Tours, dans son *Histoire des Français*, dit encore : « Lorsqu'Atthila eut ravagé beaucoup de villes dans les Gaules, il attaqua aussi Orléans (67). »

L'auteur de la vie de S. Loup, évêque de Troyes, assure que les Huns *répandus par toutes les Gaules*, tâchaient tantôt de prendre les villes en feignant de vouloir leur accorder la paix, tantôt ils les prenaient de vive force (68).

Enfin Sigebert de Gemblours, un de nos meilleurs chroniqueurs, écrit « que tout d'abord l'indignation divine éclata tellement *dans toutes les Gaules*, par l'invasion des Huns, qu'il n'y eut pas de rempart qui pût défendre de leur fureur *une seule cité, un seul château, une seule ville* (69). »

De là cette expression de Meyer déjà citée : *A peine une seule ville put-elle échapper à la rage des Huns dans toute l'étendue des Gaules.*

Il résulte de ces témoignages que l'armée d'Atthila se répandit sur *toutes les Gaules*, et principalement dans la *Belgique*, qui comprenait alors la Champagne, et d'autres provinces françaises de nos jours. On voit que ces ravages furent si généraux, qu'il n'y eut ni cité, ni château, ni ville fortifiée, qui fût conservée. Or Oudenburg appartenait à la Belgique et à la Gaule d'alors, et par conséquent on peut légitimement la comprendre parmi les villes qui furent l'objet de la fureur des Huns. Il est bon de remarquer ensuite, que l'armée d'Atthila, que Jornandès fait monter à trois cent mille hommes, ne put passer le Rhin, à un seul endroit. Ce fleuve fut sans doute traversé en partie près de Mayence, en partie près de Cologne, et plus bas encore, puisqu'une partie de l'armée descendit sur Tongres, qui fut détruit. Il était impossible, comme l'observe aussi Bucherius, qu'une si grande multitude passât un si grand fleuve A à un seul endroit (70), et dès-lors il est raisonnable de croire qu'une partie de l'armée descendit vers la Hollande, et les bouches de l'Escaut, où les Romains avaient leurs colonies, pour dépouiller ces régions, pendant que le chef de l'armée dépouillait le centre des Gaules.

On ne peut pas dire que l'itinéraire tracé par Vredius et De Bast exclue Oudenburg des villes qui sont tombées sous le fer des Huns ; il serait permis au contraire, à défaut de monuments positifs, de faire des conjectures très-vraisemblables dans un sens contraire, d'après les seules données que ces deux écrivains nous fournissent. Une partie de l'armée d'Atthila ravagea tour-à-tour Tongres, Tournay, Arras ; or pour passer de Tongres à Tournay, B les troupes qui étaient obligées de suivre les grandes routes au milieu des forêts qui couvraient alors le pays, ont dû passer non loin de la Flandre, où Oudenburg était situé. Si on ajoute avec Meyer, qui travaillait toujours sur de bons monuments, que Térouane éprouva le sort des autres villes de la Gaule, on se figure naturellement un détachement de l'armée des Huns qui passe le Rhin assez bas pour attaquer les colonies romaines à l'extrémité de la Batavie, qui tombe ensuite sur Oudenburg, et de là se rend à Térouanne, soit en longeant la mer, pour arriver à la Morinie, soit en passant par Tournay. Il est certain qu'à cette époque, où la Flandre presqu'entière était couverte de forêts, ces armées qui ne cherchaient que le butin, se portaient C même à de grandes distances sur les centres de population où les richesses étaient accumulées. Oudenburg devait tenter leur cupidité, si elle était, comme nous l'assure notre chronique, la capitale de la contrée, et une ville si importante, qu'elle était munie de solides remparts. Tout porte donc à croire que l'armée des Huns étendit ses ravages jusque dans la Flandre proprement dite, et rien ne nous oblige à croire, d'après le récit des écrivains étrangers, que cette armée n'y a jamais paru.

La seconde raison de Vredius est que dans la France première, où était situé Oudenburg, il n'y avait pas de villes, mais seulement des bourgs (71), d'où il suit qu'Atthila n'a pu détruire une ville qui D n'existait pas.

Qu'Oudenburg ait été une ville, quoi qu'en dise Vredius, c'est une chose si clairement attestée par notre chroniqueur, témoin oculaire, que la raison

(65) *Cum transito Rheno, sævissimos ejus impetus multæ gallicanæ urbes experirentur, cito et nostris et Gothis placuit, ut furori superborum hostium, consociatis exercitibus repugnaretur.* Pag. 405, opp. edit. Venet. 1782

(66) *..Cecidit cito secta bipenni*
Hercinia in lintres et Rhenum texuit alno
Et jam terrificis diffuderat Attila turmis
In campos se, Belga, tuos....

Carm. VII, v. 551, page 96, edit. Paris., 1609.

(67) *Attila... cum multas Galliarum civitates opprimeret, Aureliam aggreditur.* Hist. Franc. lib. II, cap. 7.

(68) *Hunni per omnem Galliam diffusi, partim simulatæ pacis arte tentabant urbes, partim vi expugnabant. Vita S. Lupi, apud Buchertum,* Belgii Romani, lib. XVII, cap 3, n. 1, page 512.

(69) *Et primo per totas Gallias, per eos (Hunnos) tanta efferbuit Dei indignatio, ut nullam omnino civitatem, castellum vel oppidum aliqua a furore eorum potuerit tutari munitio.* Chron. ad an. 455.

(70) *Ut tanta hominum colluvies simul incedere non potuit, ita nec unum Rheni trajectum tenere,* Belgii Romani *loc. cit.*

(71) *At verum id non apparet tum ex itinere Atthilæ, superius demonstrato, tum ex eo quod Aldenburgum situm sit in prima Francia, ubi non in urbibus sed pagatim habitabatur. Flandria Ethnica,* page 87

générale de Vredius ne doit pas prévaloir à son témoignage. Il peut être vrai en général qu'on n'habitait point de villes dans cette partie des Gaules, c'est-à-dire, qu'il n'y avait pas plusieurs villes ; et que la population se tenait généralement dans des bourgs et des villages ; cette assertion peut-être vraie rigoureusement pour le VIIe et le VIIIe siècle, peut-être ; mais on n'admettra pas facilement qu'Oudenburg *n'ait jamais été une ville*, et que cette ville n'ait pu être détruite par le roi des Huns.

Notre chroniqueur atteste qu'il a vu les restes des murailles antiques, d'une solidité telle, qu'il fallut de grands efforts pour détacher les pierres les unes des autres. On reconnut que les pierres avaient été apportées à grands frais de la province de Boulogne et de Cologne ; elles servirent à bâtir une église ; on découvrit dans ces ruines des vases d'un travail admirable, dont on n'avait plus aucune idée au onzième siècle, signes certains de la grande antiquité de ces constructions. Des faits de ce genre ne prêtent guère aux illusions, et il est impossible de croire qu'un écrivain, sans intérêt et sans volonté de tronquer à dessein la vérité et de fabriquer des mensonges, ait inventé des récits de ce genre, pour en imposer aux âges futurs. Le chroniqueur est témoin oculaire, il a vu enlever les pierres, bâtir deux églises, et il appelle toute la population d'Oudenburg en témoignage de sa véracité.

Je pourrais ajouter la tradition peu ancienne recueillie par notre auteur. Il dit qu'une partie des pierres extraites des ruines fut donnée aux habitants de Bruges pour bâtir et fortifier leur ville ; cette concession eut lieu, comme nous l'avons remarqué en note à la fin de la chronique, vers l'an 881, c'est-à-dire environ deux siècles avant que la Chronique d'Oudenburg fût écrite, et un siècle et demi avant la construction des deux églises d'Oudenburg. Le fait est rapporté dans la grande Chronique, dont le récit confirme l'assertion de notre auteur, puisqu'elle vient d'une autre source, sans doute fort ancienne. Mais je n'insisterai pas davantage sur cette tradition qui vient ici à mon appui ; je demanderai seulement, ces faits étant supposés, comment il est possible de les expliquer, si on nie les ravages d'Atthila en Flandre ?

Oudenburg a été jadis une ville fortifiée : on ne peut en douter raisonnablement ; ses ruines, vues, détruites, employées, au milieu d'une population nombreuse, attestent trop clairement son ancienne splendeur. Mais par quelles vicissitudes, cette ville fut-elle réduite en cendres ? par quel conquérant ses murs furent-ils renversés ? Je répondrai : par l'armée des Huns, comme le racontent nos vieilles chroniques, et le problème sera résolu.

Si on conteste avec Vredius et De Bast les ravages de l'armée d'Atthila, ce problème reste insoluble. Ce dernier qui ne veut pas nier qu'Oudenburg ait

A été jadis une ville fortifiée, dit qu'elle a pu être détruite *d'une autre manière* ; mais en vérité cette manière d'éluder la difficulté n'est pas heureuse. Il faudrait invoquer ici un monument historique, et démontrer que l'assertion positive de notre chronique est fausse ; elle explique la destruction d'Oudenburg ; elle l'attribue à l'armée d'Atthila ; elle est en possession du fait. On ne peut la déposséder que par d'autres faits et d'autres témoignages authentiques qui lui ôtent toute foi : lui opposer une conjecture négative, c'est avouer que son récit subsiste, et que le fait des ruines d'Oudenburg reste inexplicable pour les auteurs qui nient l'arrivée d'une armée d'Atthila dans ces régions. Car il n'est pas possible, je pense, de l'expliquer historiquement,
B dans les temps postérieurs. On ne connaît pas de guerre assez acharnée pour avoir causé la ruine d'Oudenburg dans des temps récents, et si ces guerres avaient eu lieu entre le cinquième et le onzième siècle, où écrivait notre chroniqueur, il n'y a point de doute qu'il n'eût recueilli facilement la tradition de ces événements, et qu'il ne les eût confirmés dans l'histoire de la ville. On doit présumer qu'à l'époque où il écrivait on ne connaissait pas d'événements postérieurs à Atthila qui eussent pu causer la ruine de la ville, et dès lors il ne paraît pas possible d'en supposer gratuitement de nos jours.

Le troisième argument qu'on oppose à notre chro-
C nique, est encore négatif. Je défie, dit De Bast, de montrer des traces d'Atthila dans l'intérieur de la Flandre proprement dite. Je réponds que les traces d'Atthila dans la Flandre ne peuvent pas être nombreuses. Il n'y avait peut-être point de villes, excepté Oudenburg ; le pays était couvert de forêts et de populations peu civilisées ; il était peu connu des écrivains étrangers et ne possédait pas d'écrivains indigènes. Néanmoins, les traces des ravages d'Atthila existent, et il est facile de les montrer : 1° dans les ruines d'Oudenburg, qu'on ne peut expliquer historiquement dès qu'on nie ces ravages ; 2° dans le témoignage unanime de nos plus anciens monuments, que nous rapporte Meyer déjà cité, et que ne peut pas désavouer Vredius lui-même (72).
D L'accord de ces chroniques composées par différents auteurs n'existerait pas si les ravages d'Atthila n'étaient qu'une fable inventée à plaisir. Comme Vredius n'oppose que des conjectures et des arguments négatifs à l'opinion plus générale qui lui est contraire, il nous semble que l'autorité de la seule chronique d'Oudenburg suffit pour réfuter la sienne. En effet, elle a été écrite sur les lieux par un homme qui avait de l'instruction et qui pouvait recueillir sans peine les monuments et les traditions anciennes. Ces traditions s'étaient facilement conservées parmi le clergé que saint Ursmar avait fixé à Oudenburg, deux siècles environ après

(72) *His temporibus* Chronica nostratia *volunt eversum ab Hunnis Aldenburgum, vetus oppidum tertio ab urbe Brugensi lapide. At verum id non apparet tum ex itinere Atthilæ*. etc. Fland. Eth., page 87.

que la ville eût été ravagée par les Huns, et environ deux siècles et demi après la mort de saint Ursmar, notre auteur vivait à Oudenburg et se trouvait au courant des affaires de cette ville. Il avait donc tous les moyens de connaître la vérité; il a voulu la connaître, car sa bonne foi et sa candeur percent dans tout le cours de sa chronique; il a du jugement, il évite les détails froids et insignifiants dont beaucoup d'écrits de cet âge sont souillés; il observe les événements sérieux et notables; il parle du concile de Reims, de la mort de saint Léon IX, de la première prédication de l'Évangile en Flandre, des revenus de l'Eglise, et enfin des vicissitudes de la ville. Il n'est pas juste de supposer des fictions historiques, de la légèreté, de la crédulité dans un homme de ce caractère. Les événements merveilleux qui appartiennent à la bâtisse de l'église d'Oudenburg, ne sont pas racontés comme des prodiges inouis, mais comme l'effet de la providence divine qui veille à tout, et de la protection des saints apôtres, en l'honneur desquels on élevait cet édifice. On ne trouve donc pas ici la crédulité enfantine qui rencontre des prodiges dans les choses les plus simples, mais la sincérité d'un écrivain qui raconte des événements extraordinaires, il est vrai, mais qui ne sont pas impossibles.

Afin d'éluder l'argument que l'on tire de l'étymologie d'Oudenburg, pour prouver son antiquité, Vredius la conteste, et nous oppose l'auteur de la vie de saint Ursmar. On a vu que notre chroniqueur, suivi de la plupart de nos historiens, assure que le nom d'Oudenburg est formé de deux mots, *oud*, ancien, et *burg*, bourg ou village; par ces mots on a voulu exprimer l'antiquité de cette ville, dont l'origine se perdait dans la nuit des temps. En admettant cette étymologie, on conçoit qu'Oudenburg ait été fortifié par les Romains, et détruit par Atthila. Mais Vredius échappe à cette conclusion en niant l'étymologie proposée par notre auteur. « Que personne ne se figure, dit-il, qu'Oudenburg soit une ville si ancienne; car l'auteur de la vie de saint Ursmar atteste le contraire lorsqu'il dit qu'Oudenburg était le village d'un seigneur appelé Aldo ou Aldus. Molanus a extrait ces paroles des archives de l'abbaye de Lobbes: Le seigneur de la province Aldo donna son nom au village appelé Aldenburg, dans lequel il bâtit une église en l'honneur de S. Pierre, afin que ce saint apôtre devînt le patron des Flamands et des Ménapiens (73). »

Le passage publié par Molanus est extrait du catalogue des abbés de Lobbes, écrit vers la fin du

A neuvième siècle par Fulcuin, abbé de ce monastère, qui mourut en 890 (74).

Henschæenius l'a publié dans la collection des Bollandistes, et G. Thysius le reproduisit dans le VIe volume des *Acta SS. Belgii* (75).

Nons n'avons aucun motif de préférer l'autorité de Fulcuin à celle de notre chroniqueur. L'abbé de Lobbes était étranger à Oudenburg; notre historien y avait passé toute sa vie: l'étymologie proposée par le premier, n'a aucun appui dans l'histoire, celle du second est fondée sur l'usage même de la langue, et la signification naturelle de ses racines. Y eut-il autrefois des noms propres, tels que Fulcuin en suppose? Nous l'ignorons. La langue eut-elle toujours le mot *oud*, pour signifier une chose ancienne, nous

B ne pouvons en douter. Aussi Henschenius, si habile dans l'histoire du moyen âge, observe-t-il dans une note (76) que l'étymologie de Fulcuin est bien moins probable que celle de notre chroniqueur, qui connaissait l'histoire locale, et voyait de ses yeux les monuments les plus certains de la haute antiquité de cette ville.

Une dernière conjecture de Vredius, que De Bast se décide à copier, mérite à peine une réponse. Il suppose que l'opinion des ravages d'Atthila en Flandre est née de ce que certaines gens, ayant aperçu de l'analogie entre le nom d'Ettelghem, village des environs d'Oudenburg, et le nom du roi des Huns, crurent de bonne foi que ce conquérant avait paru

C dans nos contrées (77). Ce n'est qu'en hésitant que Vredius émet cette hypothèse: *Videtur profluxisse;* et il a raison: car il attribue à ces temps simples une subtilité qui est de notre âge. On ne raffinait guère aux IXe et Xe siècles, comme on l'a fait depuis le XVIe, sur les lettres et les syllabes; et d'ailleurs ici la conjecture n'a pas même de vraisemblance; Atthila et Ettel sont deux mots dont la prononciation est si différente, qu'ils ne paraissent pas avoir assez d'affinité pour donner lieu à une fable aussi complète que celle qu'on attribue à notre auteur. Si le fait qu'il avance eût reposé sur la base arbitraire que Vredius imagine, il n'eût pas manqué de citer le nom d'Ettelghem: mais ce rapprochement ne lui est pas venu à la pensée, et il n'a pu être observé que par

D un auteur décidé par système à contredire le récit bien simple et bien naturel de notre historien.

Nous croyons en avoir dit assez pour prouver qu'il n'y a aucune raison solide de s'écarter du récit de nos vieilles chroniques, pour ce qui touche les ravages d'Atthila dans la Flandre, et qu'en particulier la chronique d'Oudenburg conserve toute son autorité.

(73) *Et nemo credat Aldenburgum urbem adeo antiquam fuisse; secus enim attestatur aperte Vita S. Ursmari, ubi Aldenburgum dicitur cujusdam Toparchæ cui nomen erat Aldo sive Aldus, vicus fuisse. Molanus ex archivis Lobiensibus: Ipse etiam provinciæ dominus Aldo donavit, a suo vocabulo dictum Aldenburg, vicum in quo in honorem B. Petri ecclesiam construxit, quatenus B. Apostolus Flandrensibus et Menapibus patrocinaretur.* Fland. Eth. loc. cit.

(74) *Vid. Acta SS. Belgii*, Tome VI, page 237.

(75) Page 252.

(76) *Acta SS. Belgii*, tome V, page 253.

(77) *Origo hujus fabulæ videtur profluxisse ex nuncupatione pagi vicini, qui Ettelghem cum dicatur, Atthilæ domum, sive templum videtur sonare.* Op. Cit. page 88.

On lui oppose le récit incomplet de l'itinéraire de ce roi conquérant, et l'usage du pays de ne point habiter des villes ; mais le premier argument ne prouve rien, et le second est démenti par un témoin qui a vu les restes de cette ancienne ville. Le défi porté par De Bast tombe par le même démenti, car si on ne trouve plus de nos jours les vestiges des ravages d'Atthila en Flandre, il n'est pas permis pour cela d'affirmer et de prétendre qu'il n'en existait pas au XIe siècle, époque à laquelle notre auteur a pu les reconnaître. Tenons-nous en donc au récit de nos anciens monumens, lorsque des monuments plus certains et plus respectables ne leur sont pas contraires. En s'écartant de cette règle si conforme aux prescriptions de la saine critique, on se jette dans les hypothèses et les conjectures, qui ne sont bonnes qu'à ébranler les faits les plus constants et à jeter des ténèbres sur les histoires les mieux avérées.

CHRONICON MONASTERII ALDENBURGENSIS MAJUS.

EDIDIT R. D. F. VAN DE PUTTE

COLL. EPISC. BRUG. RECTOR.

(*Recueil de chroniques, chartes et autres documents concernant l'histoire et les antiquités de la Flandre occidentale, publié par la société d'émulation de Bruges.* Gand, 1843. — Première série, Chroniques des monastères de Flandre.)

INTRODUCTION.

Nos anciennes abbayes et nos autres institutions religieuses avaient la coutume de rédiger en forme d'annales l'histoire de leurs maisons et d'y intercaler des faits contemporains de l'histoire profane. Telle est la forme des plus anciennes chroniques de nos monastères, de celles de Saint-Bavon et des Frères Mineurs à Gand, de celles de Tronchiennes, de Saint Bertin et de bien d'autres. Quelques siècles plus tard les Brandon, les De But et d'autres moines compilent les anciens chroniqueurs tant sacrés que profanes, et écrivent de nouvelles chroniques beaucoup plus étendues, auxquelles ils donnent ordinairement le nom de leurs monastères. Sigebert de Gemblours eut l'honneur d'être fondu en partie dans toutes ces productions différentes, qu'on poussa très-souvent jusqu'à la création du monde.

Brandon, moine des Dunes, écrivit la chronique la plus étendue : elle s'étendait de la création du monde à l'année 1414, *et était divisée en trois parties, intitulées :* Chronodromus seu Cursus Temporum. *C'est surtout la troisième partie, commençant à l'année* 800, *qui est intéressante pour notre histoire, et Meyer ne craint pas de dire qu'il s'en est servi pour la composition de sa chronique. Une bonne copie de cette troisième partie se trouve aujourd'hui à la bibliothèque de Bourgogne; elle provient de l'abbaye de Saint-Pierre à Gand et a été acquise à la vente de la bibliothèque Lammens. D'autres copies ont été prises d'après celle-ci, mais elles sont souvent défectueuses par la négligence des copistes. Déjà, en* 1659, *l'auteur de la* Bibliotheca Cisterciensis, *Charles De Visch, s'était occupé de quelques recherches sur la chronique de Brandon et s'était servi du manuscrit de Saint-Pierre, comme le prouve un manuscrit autographe de De Visch, dans lequel il dit :* Quam tertiam partem (Chronodromi) mihi commodavit Rmus Ds abbas Si Petri in monte Blandinio juxta Gandavum, anno 1659. *Le but que De Visch s'était proposé en empruntant le manuscrit de Saint-Pierre était de le comparer à la chronique d'Oudenbourg qui semblait contenir une partie de Brandon. Et en effet, il avait emprunté en même temps cette chronique comme le prouvent les paroles que voici, tirées du manuscrit autographe dont je viens de parler :* Excerpta ex antiquissimo chronico MS. in pergamo abbatiæ Aldenburgensis, conscripto per anonymum, mihi autem a Ro abbate Maximiliano d'Engien commodato, anno 1659. *De Visch a copié plusieurs passages de ce manuscrit, qui font voir que c'est le même que nous publions ici en partie. Il soutient contre les moines d'Oudenbourg que l'écrivain de leur chronique était un plagiaire qui avait copié Brandon. Il écrivit à ce sujet ce qui suit :* Notandum quod in cœnobio Aldenburgensi habeant partem

primam etiamnum Chronodromonis nostri Brandonis, descriptam per monachum ejusdem loci; qui cum ad secundam pervenisset partem, omissis hinc inde plurimis, eorumdem loco inseruit totum chronicon sui monasterii et utramque partem 2am et 3am contraxit in unum tomum. Quo factum fuit ut tractu temporis monachi Aldenburgenses crediderint et etiamnum credant, totum opus conscriptum esse a quodam ex suis; quod propterea vocant Chronicon sui monasterii. Sed plagium lectori curioso deteget genuina pars tertia Chronodromonis Brandonis, quæ asservatur Gandavi in Blandinio et Lovanii in collegio Atrebatensi; imo et satis clare hic Prologus quem proinde ad verbum hic descripsi ex ipso Aldenburgensi codice, quem diu penes me habui.

Après un peu moins de deux siècles, j'ai à l'exemple de De Visch, comparé la Chronique d'Oudenbourg avec une copie de celle de Brandon, appartenant aux Bollandistes, et j'ai trouvé vrai ce que cet auteur avance dans les lignes que je viens de citer. Le compilateur d'Oudenbourg dit en effet dans son prologue, qui est mot à mot le même que celui de Brandon, des choses qui ne peuvent appartenir qu'à cet auteur. Les phrases : Usque in finem Temporum Cursum hactenus caeptum perage, *et,* Ab anno dominicæ incarnationis primo, hanc partem Chronodromonis initiare tentavi, *indiquent facilement le titre de Brandon que nous avons rapporté ci-dessus. La comparaison exacte des deux manuscrits m'a raffermi dans mon opinion; la majeure partie de la Chronique d'Oudenbourg est semblable au texte de Brandon, surtout à commencer du* XIVe *siècle. Jusqu'à cette époque l'écrivain d'Oudenbourg a consulté plusieurs ouvrages; mais, soit par fatigue, soit qu'il ne trouvât pas beaucoup d'ouvrages à peu près contemporains du* XIVe *siècle, il ne s'est plus fait scrupule, et a copié littéralement Brandon jusqu'en* 1400, *en omettant toutefois la plus grande partie de ce que dit cet écrivain.*

Le prologue qui se trouve dans la Chronique d'Oudenbourg est celui de la deuxième partie du Chronodrome; celui de la troisième partie ne s'y trouve pas. La raison de la préférence de l'auteur pour l'un plutôt que pour l'autre est assez naturelle : il a commencé sa chronique à la naissance du Sauveur, par où commence aussi la deuxième partie de Brandon, et il a copié cette préface pour servir d'introduction à tout son ouvrage, laissant là celle de la troisième partie de Brandon, dans laquelle celui-ci explique tout le plan de ce qu'il a écrit précédemment. Le moine d'Oudenbourg n'aurait pas pu copier ce plan sans commettre une imprudence bien plus grande que celle d'avoir parlé dans son Prologue du Chronodrome *et du* Cursus temporum.

Nous publions le Prologue de la troisième partie afin qu'on soit à même de pouvoir juger ce que nous avançons et pour compléter la troisième partie, dont ce Prologue est le commencement.

Le Chronodrome de Brandon est une compilation d'autres chroniques tant nationales qu'étrangères, car son ouvrage traite de l'histoire du pays et de celle des autres contrées de l'Europe. Il cite comme sources auxquelles il a puisé Sigeberg de Gemblours, Paul de Constantinople, Vincent de Beauvais, Martin de Pologne, Guillaume de Malmesbury, Jean Bocace, la Chronique de Cluny, Raban-Maur et deux ouvrages dont l'un est nommé Gesta *et l'autre* Imago speculi Flandriæ. *Il a en outre consulté beaucoup d'autres ouvrages, comme il le dit dans son Prologue. Le chroniqueur d'Oudenbourg a quelquefois puisé à d'autres sources que Brandon; j'ai eu soin de mettre en notes les variantes et les sources diverses où ces deux auteurs ont copié presque toujours littéralement ce qu'ils avancent.*

Il ne nous manque pas de chroniques qui traitent de notre pays, mais, je l'ai dit plus haut, elles se sont presque toutes copiées, et les variantes qu'on y a introduites ont donné occasion aux difficultés qu'on y rencontre. Pour ne parler que de l'histoire de la Flandre, nous avons Meyer, qui a réussi le mieux à nous donner une chronique exacte. Eh bien! Meyer a copié littéralement Brandon, Sigebert de Gemblours et quelques autres plus modernes. Qu'a fait Despars? Il a traduit Meyer d'après la première édition de Nuremberg. Custis a copié Despars, il y a un demi siècle, et tour à tour nos historiens sont venus donner un réchauffé l'un de l'autre. Tous ont cependant quelque chose qui leur est propre et qu'ils ont quelquefois puisé à des sources inconnues avant eux. Meyer avait eu accès aux dépôts d'archives; Despars avait joui de l'insigne privilége d'entrer dans les bibliothèques des monastères et de fouiller leurs anciens parchemins. Il n'est donc pas étonnant de lire dans ces auteurs des choses qu'on chercherait vainement ailleurs. La chronique flamande éditée par André Wydts est de tous ces ouvrages le plus complet et le plus exact peut-être, sous tous les rapports : elle est écrite d'après les ouvrages que nous venons d'énumérer.

La partie contemporaine de chaque chroniqueur est celle qui mérite toujours le plus d'attention; l'écrivain y raconte ce qu'il a vu et qu'on contesterait difficilement sous le point de véracité. M. Lambin remarque très-bien dans la préface à la Chronique de Jean Van Dixmude que des extraits de la partie contemporaine de chaque chroniqueur feraient une chronique exacte écrite par des contemporains. Celui qui se chargerait de pareille publication contribuerait pour une part bien large à la confection d'une histoire nationale.

Un ouvrage traitant de la Flandre qu'on trouve reproduit dans beaucoup de chroniques des monastères, et que Brandon et le chroniqueur d'Oudenbourg ont aussi mis à profit, est la Genealogia comitum Flandrensium

autrement connu sous le nom Flandria generosa. *La chronique d'Oudenbourg est suivie d'une copie de cet ouvrage, que nous nous proposons de publier plus tard.*

L'histoire des croisades, auxquelles les Belges ont pris une part très-grande, a été traitée par quantité d'écrivains. Les Gesta Dei per Francos *nous en fournissent quelques-uns; d'autres se trouvent dans le* Thesaurus anecdotorum. *Les chroniqueurs y ont trouvé une moisson abondante et Brandon n'a pas fait défaut de transcription dès qu'il est parvenu à l'année* 1096. *L'écrivain d'Oudenbourg ne dit que peu de choses des croisades, mais il a ajouté à la page* 150 *une histoire de ces guerres lointaines ayant pour titre :* Gesta Francorum Jherusalem expugnantium.

L'auteur de notre chronique ne se fait pas connaître; Sanderus nous apprend que l'abbé Anianus en est l'auteur : Anianus, origine Casletanus, primum monachus Bergis ad S. Winocum, Chronicon universale ab initio mundi ad sua usque tempora, ad annum nempe Christi 1457 [scripsit.] (78). *Sanderus est ici dans l'erreur, la chronique ne s'étend que jusqu'à l'année* 1400*; cet écrivain aurait mieux fait de dire qu'elle a été écrite en* 1458, *comme Anianus nous le dit au commencement de sa table des matières.*

Le ms. que nous publions est composé de 210 *feuillets de vélin in-folio, à deux colonnes de* 45 *lignes, non compris quatre feuillets contenant le Prologue et la table des matières que l'auteur n'a pas paginés. Vingt-trois feuillets non paginés et de la même écriture précèdent la Chronique. Ces feuillets contiennent un mélange de notion de sphère et d'histoire sacrée et profane des premiers âges du monde.*

Deux grandes miniatures assez bien exécutées ornent ce volume; l'une en grisaille représente saint Arnould et sainte Godelièvе qu'on dit avoir été sa parente. Cette miniature se trouve avant le calendrier; l'autre se trouve à la page 64 *et représente Conon* (79), *chambellan de Robert le Frison, rendant l'église d'Oudenbourg à l'évêque de Tournai Rabodo. Ce petit tableau est peint en couleurs : au milieu se trouve l'église, à droite Conon sous les traits et le costume de Philippe le Bon; à gauche on voit saint Arnould et l'évêque Rabodo, suivis d'un moine. Le peintre qui s'est plu à représenter ici Philippe le Bon n'aurait-il pas peint l'abbé Anianus sous le costume de Rabodo? — Deux autres miniatures moindres et figurant des sujets religieux sont peintes sur le feuillet* 9.

. *Une main du* XVI*e* *siècle a écrit sur plusieurs des marges inférieures des vers qui ont rapport aux faits cités dans les feuillets où ils se trouvent. Sanderus cite quelques-uns de ces vers, ce qui nous fait présumer qu'il a compulsé notre chronique en même temps que celle de Cabillau, dont il rapporte plusieurs passages* (80).

Le chroniqueur d'Oudenbourg, à l'instar de Brandon, a écrit par ordre chronologique, en faisant précéder chaque article de l'année à laquelle il se rapporte. Nous avons suivi cet ordre dans cette publication, tant pour la conformité avec l'auteur que pour la facilité de la recherche des faits. Cet ordre naturel est suivi par presque tous nos chroniqueurs.

Nous avons reproduit une partie de la vie de saint Arnould qui se trouve dans les Bollandistes, T. III du mois d'août, et que notre chroniqueur donne avec quelque variantes. Les hagiographes se sont servis pour la publication de cette Vie, d'un ms. de l'abbaye de Ter-Doest, qui a été écrit d'après la Vie de saint Arnould composée par l'abbé Hariulphe. Cet abbé écrivit cette Vie d'après les témoignages du moine Everolphe, qui avait été lié d'amitié avec saint Arnould et d'après ceux d'Adzela et d'Arnould, l'une sœur, l'autre neveu du saint. Cette Vie qui se trouve presqu'en entier dans Surius, au 15 *août, est attribuée à tort par cet écrivain à Liziard, évêque de Soissons, comme le prouve Mabillon dans ses* Annales ordinis S. Benedicti (81), *disant que les deux premières parties de la vie de saint Arnould sont d'Hariulphe et que la troisième, qui traite des miracles du saint, est sortie de la plume de Liziard. Notre chronique dit clairement, à l'année* 1120, *que l'abbé Hariulphe présenta la vie de saint Arnould aux évêques assemblés en concile à Beauvais. Elle avait été terminée par cet abbé en* 1114, *dit Mabillon, et dédiée à l'archevêque de Reims Rodulphe.*

La commission royale d'histoire s'étant proposé de publier Brandon dans son Corpus chronicorum Belgii, *nous avons omis dans cette publication-ci tout ce que notre chronique contenait de copié de cet écrivain, et cela pour ne pas publier deux fois le même ouvrage.*

Les chartes et diplômes que nous donnons à la fin de l'ouvrage ont été en partie copiés sur les chartes re-

(78) *Flandr. illust.* edit. Col. Agrip. t. I, p. 318.

(79) Voici ce que dit Sanderus de ce Conon à la page 317 de l'ouvrage cité : *Erat Conon memoratus ipsius comitis cubicularius, quo etiam titulo et dignitatis prærogativa omnes antiquitus oppidi Aldenburgensis prætores gavisi sunt. Comites siquidem Flandriæ, regis more quatuor ab initio habuisse memorantur magistratus præcipuos, scilicet cancellarium, magistrum equitum, cubicularium et pocillatorem : iique dicebantur vulgo ministeriales domus. Cancellarius erat præpositus S. Donatiani Brugis, magister equitum, præfectus Insulensis, pocillator præfectus Thorallanus et Cubicularius præfectus sive prætor Aldenburgensis.* Sanderus a tiré ce passage de la chronique de George Cabillau, qui l'avait copié lui-même des archives de Bergues-Saint-Winoc.

(80) *Fl. illust.* edit. cit. p. 317 et seq.

(81) Tom. V, p. 242 et 551. Edit. Lut. Paris

produites dans un Factum *publié au* XVII*e* *siècle, et portant pour titre :* Briefve déduction des droits de l'abbaye d'Oudenbourg sur l'église paroissiale dudict lieu. *Auber le Mire a publié quatre autres diplômes dans sa* Notitia ecclesiarum Belgii *et dans son* Corps diplomatique.

Il est dit dans cette Briefve déduction *que vers l'an* 700, *du temps de Childebert, roi de France, saint Ursmar, II*e *abbé de Lobbes et apôtre de la Flandre, prêcha l'Évangile à Oudenbourg et y bâtit deux églises, celle de Saint-Pierre et celle de Notre-Dame. Ces églises furent détruites par les Normands, et leurs biens et dîmes donnés par les papes au comte de Flandre pour défendre la côte maritime contre l'incursion des barbares. Les comtes cédèrent ces biens aux seigneurs d'Oudenbourg, chambellans héréditaires des comtes de Flandre.*

Ce récit tiré de la petite Chronique, publiée par M. le docteur Malou, n'est étayé d'aucune pièce authentique. Les chartes les plus anciennes qui font mention d'Oudenbourg sont celles de saint Arnould ; l'une, du 5 *des nones de mars* 1084, *l'autre, du* 8 *des calendes d'août* 1087. *L'on sait que saint Arnould fut envoyé par le pape en Flandre pour arranger les différends survenus entre le comte Robert le Frison, et les gens d'église et autres sujets. Wautier et Conon, l'un camérier, l'autre bouteiller du comte, étaient alors seigneurs d'Oudenbourg, ils cédèrent les églises du lieu au saint missionnaire, qui y mit des religieux. Ces chartes sont donc les pièces de fondation de l'abbaye.*

Pour ce qui concerne la haute antiquité que quelques-uns donnent à Oudenbourg, le pour et le contre de la question a été soutenu par les historiens. Au dire de Gramaye (82) *des fragments de vases renfermant des monnaies romaines, auraient été trouvés dans des restes d'anciennes murailles qu'on a démolies à Oudenbourg, ce qui prouverait le séjour des Romains en ce lieu. Plusieurs cartes anciennes* (83) *représentent Oudenbourg comme étant un* castrum, *et y font même passer une voie romaine. Tout ceci sert à donner à cet endroit une haute antiquité, et il est probable que ce que les Normands ont démoli n'était que les restes d'un ancien* castrum, *malgré ce qu'en dit Lernutius :*

Sunt qui vastata Aldburgo Nordmanna per arma
Affirmant, Brugas illius e lapide
Muratas contra Danos ; falluntur : ad usus
Tales tunc lapidum nulla habita est ratio ;
Oppida nam vallo precingebantur acervo,
Fidaque suggesto cespite obibat humus.

Si ce que je viens d'avancer par rapport au castrum *qui s'est trouvé à Oudenbourg a quelque lueur de vérité, on sera moins étonné de voir les Huns s'emparer de cette forteresse au milieu du* V*e* *siècle, lorsque ces barbares se rendirent maîtres de toutes les places fortes de la Belgique.*

In campos se, Belga tuos :
Et jam terrificis diffuderat Attila campis
Francus Germanum primum, Belgamque secundam
Sternebat (84).

Le lecteur trouvera des renseignements curieux sur les ravages d'Attila en Flandre, dans la Dissertation qui se trouve à la suite du Chronicon Aldenburgense, *publié par M. le docteur Malou, qui a été empêché par ses nombreuses occupations d'éditer lui-même cette Chronique. Je me suis chargé de cette tâche et j'ai donné à cet ouvrage le titre de* Chronicon monasterii Aldenburgensis majus, *par opposition à la petite Chronique. Puissent mes travaux être de quelque utilité aux sciences, et mes peines seront récompensées !*

PROLOGUS (85)

1 Jam vetustatis horrida squalescens in umbra lentoque labore tediatus pigricie soporans in lectulo contusum calamum fere tenus annotandi scriptorii in archa recluseram, inque profundum demersus soporem victus mercidusque jacens aiebam : Quid demens sudore excruciaris in tanto? Quid veterum monumenta tam excessivo vexaris labore? Frustra ex antiquorum ruinis novis litterulis cupis fama quesita precellere cum jam sit qui te rebus mortalibus exuens corpusculum tuum convertat in cineres. Talibus ergo plerisque similibus suasionibus desidie pressus, caput quod in cubitum surrecturus erexeram in pulvinar reclinavi. Et ecce velut a tergo repente viros duos summa reverentia dignos, aspectu modestos et moribus astitisse conspector. E quibus unus pontificalis dignitatis **2** infula, alterum vero imperialis potestatis insignivit dyadema. Quos dum reseratis oculis, sompnoque omnino discusso acu-

(82) Antiq. Fl., p. 88.
(83) Malbranq, Vredius etc.
(84) Sidonius Apollinaris.

(85) Est hic Prologus secundæ partis Chronodromi Brandonis, qui anteponitur Chronico Aldenburgensi.

tius intuerer, michi primus romanorum pontifex, beatus Petrus apostolus, Christi vicarius, simul et Octavianus, primus augustus, videbantur adesse, qui equo increpationis rigore meam sompnolentiam detestantes acriori me corripuere sermone. Quid, inquiunt, jaces ociorum professor? Quid falsa inhercie suasione torperis? An oblitus es hominem nasci ad laborem? Cepisti Cursum temporis paucaque veterum monumenta revolvere quibus gentilitas longius a via veritatis aberrans versabatur in umbra; et dum jam ultimum terminum devenisses quo planum tibi iter patebat in lucem, stulta seductus opinione consistis! Anne labori tuo satis est perpauca jam veterum hominum facta sicut hactenus et sub veteris peccati caligine denigrata scriptis commendasse et non pocius sub gracia novi testamenti, mundo serenato, luce radiante divina, inclita jam tempora Christianorum retexere quibus evangelii veritate vulgata, qua nova illa Jerusalem, sponsa Christi ecclesia, stat firmiter radicata, nostri cujuslibetque milicie, nostrorumque successorum insignia fidei lucescunt in lumine? Ut nos nomen Christi summi Dei testamentum nobis nostrisque posteris ut veris heredibus delegatum, equa lance divisum uni spiritualium, alteri temporalium cedente rerum imperio divina auctoritate sumentes universum hunc mundum, nova Christi sanguinis aspersione renovatum gubernare jubemur. Tantaque nobis celitus est concessa potestas ut quidquid super terram alligare solvereve, nostre auctoritatis statuto decrevimus, non absolvatur neque ligetur in celis. Nonne tibi narratione digna videntur ad exemplar virtutis carpendum romanorum pontificum, sacrosancte pastorum ecclesie statutorum, decretorum synodaliumque consiliorum sancita moderamina, quibus fides defenditur, heresis confunditur, 3 et fidelium undique mentes felici gubernatione reguntur. Et cum tocius impletur cure pastoralis officium, pastores cum grege, summi regis in aula pariter letentur in evum. Nonne et paulominus illustrium imperatorum romanorum atque grecorum, regum Francorum, Anglorum et aliorum nobilium, seu equa laude relatu digna censentur gestamina, juste sanctiones, leges, juraque plebiscita, quibuscum servatur concordia, transgressorum frenatus discordia et dum equalitatis libra ponderante cuilibet tribuatur quod suum est totamque debiti civilis regiminis policia disponatur, principe cum populis feliciter eterna jucundantur in patria? Nunquid et gloriosa martirum certamina, sanctorum patrum virtutum exempla et virginalis castitatis continentie, quibus hii omnes hac in peregrinatione mortali Deo et non viciis militasse noscuntur ceca putes oblivione calcare? Absit plane sed potius totis viribus cogites extollenda ut dum conaris in ipsis divinam ampliare gratiam, Deum ipsum tibi ampliatorem gratie munificum esse cognosces et ipsis quorum felicia facta retexes supplicibus, ut intercessoribus in extreme discussionis audiencia apud judicem pociaris. Et si omnino apud mortales mercedis perdatur imago, apud Deum sanctosque suos immortales ob ejus gratiam mortalibus laborasti perdi non potest. Qui quod optabilius est labori laboranti periturum munus impendit. Adde etiam et si a nullo mercedis retributio speraretur, velis tamen pocius vigilasse vacuus quam satur ocio torpuisse. Has ergo tenebras pelle, ignaviam contere, fervensque consurge, et usque in finem temporum cursum hactenus ceptum perage, preterque lapsi temporis viros gloriosos, decoros, splendidos posteritati demonstra, ut eorum famam variis viis virtutum quesitum velud recentem revolventes defunctorum meritos testentur honores. Adde quod et legentibus aliud procures utilitatis antidotum cum pro horum que tue compilacionis 4 stilus exaggerat evidenti noticia plurium auctorum et hystoricorum necesse haberent laboriose perscrutari volumina. Et que sparsim vagando variis in codicibus perquirerent, seriatim in tuo valeant invenire compendio.

Hiis autem ego verissimis redargutionibus verborumque lepiditate linitus, a letifera mole corporis excitus, mee stoliditatis oppinione dampnata, tante reverentie virorum precepta, animo gratanti amplectens, ipsorum eam deprecaturus clemenciam, quatenus merite indignacionis nube dejecta purgate ignavie veniam concedentes, dispersos in haustum pectus spiritus revocarent. Sed ecce non aliter quam ex proviso nescio quibus ab horis advenerant tanquam officio functis celitus ut rebar abiere. Quamobrem in memetipso collectis paululum viribus, senciensque quibus modis excitet Deus insipidos, in vetus officium calamum novitatis assumpsi, singulisque regnorum titulis, annorum quoque numeris, veluti hucusque in sue dispositionis ordine, operis ut forma requirit, asscriptis, ab anno dominice incarnationis primo hanc partem Cronodromonis iniciare temptans, varios rerum eventus, singulis distinguendo sub annis, usque divisionem dominice scilicet incarnationis annum millesimum quadringentesimum inclusive, divine gracie suffultus auxilio, percursurus.

EXPLICIT PROLOGUS.

TABULA ISTIUS LIBRI

SCRIPTI

ANNO DOMINI MILLESIMO QUADRINGENTESIMO QUINQUAGESIMO VIII°.

I. **5** *Kalend : in quo reperiuntur anni.*

II. *Incarnationis domini nostri Jhesu Christi.*

III. *Indictiones, epacte concurrentes.*

IV. *Cyclus lunaris.*

V. *Quarta decima luna. Littera dominicalis.*

VI. *Dies dominicus ;*

VII. *Nec non luna ipsius diei :*

VIII.

IX. *De conceptione et incarnacione domini nostri Jhesu Xpristi.*

X. *De passione domini nostri Jhesu Xpristi atque duodecim apostolorum.*

XI.

XII. *De ferocitate Herodis et Neronis.*

XIII.

XIV. **6** *De Alexandro et Syxto qui multa utilia ordinaverunt in sacrificio misse.*

XV.

XVI.

XVII. *De sancto Leonide Martyre et Drogone filio suo.*

XVIII. *De interfectione Galli et Volusiani.*

XIX. *De sancto Sylvestro papa.*

XX. *De Constantino imperatore et Helena matre sua.*

XXI. *De synodo celebrato in Nicena civitate.*

XXII. *De Juliano imperatore.*

XXIII. *De Corporibus Abacuc et Michee prophetarum et de sancto Martino Turonorum episcopo.*

XXIV. *De sancto Joanne Crisostomo et beato Jeronimo presbytero.*

XXV. *De sanctis Augustino et Nichasio. Item de obitu Faramundi, primi regis Francorum et de Attila rege Hunorum.*

XXVI. *De sancto Mamerto Viennensium episcopo.*

XXVII. *De Clodoveo baptisato et sancto Remigio.*

XXVIII. *De sanctis Benedicto et Mauro.*

XXIX.

XXX. *De visione Guntrani regis et de salvatione viri infidelis per mulierem fidelem et de tunica domini nostri Jhesu Xpristi.*

XXXI. *De Brunechilda regina*

XXXII. *De Bonifacio papa qui impetravit a Foca Cesare panthcon.*

XXXIII. *De sancto Columbano et aliis sanctis.*

XXXIV. *De sancto Amando et beata Rictrude et de edificatione monasterii sancti Bertini.*

XXXV. *De prima consecratione templi sancti Petri atque beatæ Marie Oudenburgensis a sancto Ursmaro episcopo.*

XXXVI. *De destructione ville Oudenburgensis ab Atthila rege et quomodo comes Flandriæ Brugensibus tribuit lapides murorum destructorum.*

XXXVII. *De sancto Vinnoco filio regis Britanniæ qui in Sithiu monasterio monachus efficitur.*

XXXVIII. *De sanctis Eugenio, Wandregisilo, Leodegario, Amato et Philiberto abbate.*

XXXIX. *Qualiter Heremarus dedit sancto Vinnoco Woormhout. Item de Beda presbytero.*

XL. **7** *De obitu sanctorum Bertini, Ursmari et Vinnoci.*

XLI.

XLII. *De Beata Maria Magdalena et de genealogia Puppini, regis Francorum.*

XLIII. *De Karlomanno qui nitebatur tollere ossa sancti Benedicti ab ecclesia Floriacensi.*

XLIV. *Quomodo Karolus rex studium quod erat Rome transtulit Parisiis.*

XLV. *De Lidrico primo florestario Flandriæ.*

XLVI.

XLVII. *De bello quod gestum est in Ronciavalle.*

XLVIII.

XLIX. *De obitu Karoli magni, imperatoris Romanorum.*

L.

LI. *Qualiter corpus sancti Vinnoci de Woormhout ad Sithiu transfertur propter metum Danorum.*

LII. *Qualiter Balduinus Calvus construxit Bruggiam de lapidibus ville Oudenburgensis.*

LIII. *De constructione ordinis Cluniacensis et de gloriosa relacione corporis sancti Winnoci de Sithiu ad Bergas.*

LIV. *De Otthone imperatore.*

LV.

LVI. *Quomodo corpora sanctorum Richarii et Walerici reducta sunt in monasteria sua.*

LVII. *Quomodo Balduinus, comes Flandrie, invasit castrum quod vocatur Valenchianas, et de obitu Hugonis, regis francorum.*

LVIII. *Quomodo Dani invasi sunt Angliam et de obitu Otthonis, ducis Brabancie.*

LIX. *De Balduino cognomento pulcra barba.*
LX. *Qualiter Dani obsederunt Cantuariam in Anglia.*
LXI. *De inaudito miraculo quod contigit in Saxonia.*
LXII. *Quomodo basilica quedam ligno condita corruit ac postea Oudenburgenses novam ceperunt edificare in honore sancti Petri, principis apostolorum.*
LXIII. *De obitu Leonis pape et de consecratione nove ecclesie sancti Petri in Oudenburch, nec non de constructione ecclesie Watinensis.*
LXIV. *Quomodo Conon, camerarius Flandrie et Hasecca, ejus uxor, contulerunt sancto Arnulpho ecclesiam sancti Petri in Oudenburch quam tenebant in feudum, etc.*
LXV. **8** *De obitu sancti Arnulphi et quomodo monachi sancti Medardi nitebantur clam aperire tumulum et furari corpus.*
LXVI. *De consilio celebrato per Urbanum papam apud Claremontem et quomodo Affligemienses ingressi sunt monasterium sancti Andree juxta Brugis.*
LXVII. *De constructione domus Cisterciensis.*
LXVIII. *De translatione corporis sancti Nicholay et quomodo Robertus, comes Flandrie finivit vitam suam super pontem Meldensem equitando.*
LXIX. *De fondatione monasteriorum Clarevallis, Pontiniaci atque Morimundi, ordinis cistercienses et de Balduino comite Flandrie cognomento Hapkin.*
LXX. *De gloriosa elevacione corporis sancti Arnulphi, episcopi Suessionensis.*
LXXI.
LXXII. *Ordo templariorum incepit et ecclesia sancti Winnoci constructa est.*
LXXIII. *De Karolo comite Flandrie Brugis occiso.*
LXXIV. *De pietate Theobaldi, comitis Campanie et Blesensis.*
LXXV. *Gesta Hariulphi abbatis monasterii sancti Petri Oudenburgensis contra abbatem et conventum monasterii sancti Medardi Seussionensis Rome in presentia Innocentii pape.*
LXXVI.
LXXVII.
LXXVIII
LXXIX. *De consilio generali Remis celebrato tempore Eugenii pape.*
LXXX. *De obitu diversorum episcoporum et abbatum in Francia. Item epistola Adriani pape ad Fredericum imperatorem atque rescriptio Frederici ad Adrianum papam.*
LXXXI.
LXXXII. *De Frederico imperatore et Theodorico comite Flandrie.*
LXXXIII. *De fundacione monasterii de Thosan et de translatione sancti Folquini.*
LXXXIV. *De Philippo rege Francorum et Philippo comite Flandrie transcendentibus ad terram sanctam.*
LXXXV.
LXXXVI.
LXXXVII. *De Henrico imperatore et obitu Celestini pape.*
LXXVIII. *De bellis intestinis in Westflandria et quo anno ordo fratrum predicatorum incepit*
LXXXIX. *De consilio generali Lateranensi celebrato tempore Innocentii pape.*
XC. **9** *De elevatione preciosi corporis sancti Thome Cantuariensis et de confirmatione ordinis fratrum Vallis scolarium.*
XCI. *De gloriosa translatione sancti Oswaldi regis, Idaberghe virginis et sancte Lewinne virginis et martiris, item de adventu romani cardinalis in Gallia.*
XCII. *Quomodo Ludovicus, rex Francie, acquisivit spineam coronam Domini et de dispersione scolarium Parisiis.*
XCIII. *De cruce signatis contra incolas hereticos de Breem et de gloriosa translatione beati Bertini abbatis. Item epistola imperatoris Frederici ad cardinalem.*
XCIV. *Qualiter Petrus de Brena, templarius eximius, in partibus ultramarinis scripsit Henrico, archiepiscopo Remensi.*
XCV. *De obitu Johanne comitisse Flandrie et de Margareta ejus sorore.*
XCVI. *Quomodo Innocentius papa, celebrato consilio apud Lugdunum Gallie, excommunicavit et anathematisavit imperatorem Fredericum.*
XCVII. *De confirmatione ordinis fratrum penitentie qui vulgariter fratres ae sacco nominantur.*
XCVIII. *De pace facta Parisiis inter regem Francie et Anglie et de consecratione ecclesie de Dunis.*
XCIX. *Epistola Petri regis Arragonensis ad dominum Karolum regem Sycilie et rescriptio ipsius domini Karoli predicto Petro regi. Item epistola domini Martini pape ad dominum Karolum, regem Sycilie.*
C. *De obitu Martini pape.*
CI. *Quomodo Soldanus Babilonie cepit civitatem Accharon.*
CII. *Quomodo Guido, comes Flandrie, desponsavit filiam suam Philippam filio regis Anglie, ex qua re multe guerre processerunt.*
CIII.
CIV. *Bellum Curtracense.*
CV.
CVI. *Quomodo Johannes, dux Brabancie, venit ad exercitum Flamingorum, suadens eis pacem expetere a rege Francie.*
CVII. *Quomodo templarii per totum regnum Francie capiuntur, puniuntur et comburuntur.*
CVIII. *Quomodo Philippus, rex Francorum, indignatus est eo quod comes Flandrie distulerat sibi facere homagium per octo annos.*
CIX. **10** *De inundatione aquarum in augusto; unde secuta est maxima caristia omnium rerum.*
CX.
CXI. *De maxima persecutione leprosorum per totum regnum Francie, et de obitu Roberti, comitis Flandrie, Ipris tumulato.*
CXII. *Quomodo Ludovicus, comes Flandrie, dedit avunculo suo dominium aquæ in Slusa, unde magna dissensio orta est.*
CXIII. *Quomodo populares Flandrie insurgunt adversus magnates scabinos et curatores castellaniarum.*
CXIV.

CXV. *Quomodo rex Francie Philippus venit in auxilium comitis Flandrie Ludovici et factum est bellum apud Casletum in vigilia beati Bartholomei apostoli.*
CXVI. *De Ludovico de Bavaria imperatore.*
CXVII. *De variis processionibus contra antipapam et Ludovicum de Bavaria.*
CXVIII. *Qualiter Alphonsius, rex Hyspanie, sive Castelle, magnam guerram et diutinam contra Sarracenos tenuit.*
CXIX. *Epistola quam Caliphes de Baldac misit Garbo regi ut destrueret totam terram Christianorum.*
CXX. *De controversia inter Yprenses et Poperingenses. Item de confederatione Flamingorum cum rege Anglie ex quo processit bellum de Cressy.*
CXXI. *Quomodo Ludovicus comes, filius Ludovici Nivernensis, venit in Flandriam, tractatumque de matrimonio ineundo cum filia regis Anglie, quod renuit; sed accepit sibi in uxorem filium ducis Brabancie.*
CXXII. *De pace et concordia inter Ludovicum, comitem Flandrie, et regem Anglie facta apud Dunkerke.*
CXXIII. *Quomodo tres status obtulerunt Johanni, regi Francie XXX:a millia armatorum ad sustinendam guerram suam in Normania et quomodo rex intravit secrete castrum Rothomagense, unde oritur bellum, ubi Johannes rex captus est cum multis nobilibus.*
CXXIV.
CXXV. *De discordia inter Ludovicum, comitem Flandrie et Wenceslaum, ducem Brabancie, pro villa Mechlinie et de treugis inter reges per totam Franciam.*
CXXVI. *De confirmatione pacis inter reges.*
CXXVII.
CXXVIII. **11** *Quomodo Bertrandus Claykin duxit exercitum in Hyspaniam et ibidem captus est cum aliis multis.*
CXXIX. *De matrimonio contracto inter Philippum, ducem Burgundie et Margaretam, comitissam Flandrie.*
CXXX. *Quomodo Bertrandus Claykin cepit plures villas et oppida in Pictavia.*
CXXXI. *De obitu Eduardi, regis Anglie et de adventu Karoli, regis Bohemie, imperatoris, ad regem Francie, qui eum ultra modum honorifice suscepit.*
CXXXII.
CXXXIII. *De obitu Gregorii pape et de discrepatione electionis. Item de comotione Gandensium contra Ludovicum, comitem Flandrie.*
CXXXIV.
CXXXV. *Quomodo pax facta inter comitem Flandrie Gandenses iterum turbare incepit.*
CXXXVI. *Qualiter comes Flandrie abiit in Franciam deprecando regi Karolo auxilium.*
CXXXVII.
CXXXVIII. *De litteris missis a rege Anglie quod breviter succurreret Gandensibus. Item de obitu comitis Ludovici et de successione ducis Burgundie Philippi.*
CXXXIX. *De pace tractanda inter Philippum, ducem Burgundie, comitemque Flandrie et Gandenses.*
CXL. *Quomodo Philippus, dux Burgundie, flamingos suos subditos ad obedientiam pape Clementis variis viis inclinare nitebatur.*
CXLI. *De profectione Johannis Nivernensis versus Hungarium ubi captus fuit.*
CXLII. *Quomodo Ricardus, rex Anglie, paravit expeditionem ad Ibernienses.*
CXLIII. *Quomodo Henricus de Lancaistre, veniens ex Normannia, intravit Angliam, capiendo plures villas, spoliandoque Ricardum a suo regno.*
CXLIV. CXLV. CXLVI. CXLVII.
CXLVIII. *De morte Ricardi, regis Anglie.*
CXLIX.
CL. *De gestis Francorum Jherusalem expugnantium.*
CLI. *De conjurata pace Francorum apud Claremontem. Item de primo profectu christianorum. Item profectio comitum; id est Roberti Normannie, Roberti Flandrie et Stephani Blesensis. Item de adventu Francorum Constantinopolim.*
CLII. *Quomodo Franci Nicenam civitatem obsederunt. Item de divisione christianorum* **12** *et de traditione Nicene civitatis. Item qualiter Turchi christianos infestant. Item de victoria christianorum et de miseria Turchorum.*
CLIII. *Quomodo christiani Antiochiam obsiderunt; item de Francorum incommodo apud Antiochiam. Item de fame et inopia christianorum.*
CLIV. *De angelica admonitione et de traditione Antiochie. Item de adventu regum paganorum apud Antiochiam.*
CLV. *De sermone Podiensis episcopi et fuga Blesensis comitis. Item de visione angelica.*
CLVI. *Nomina francorum principum. Item nomina Persarum. Item numerus Persarum exercitus. Item de fuga Turchorum et victoria gloriosaque ditacione christianorum. Secundum bellum Antiochie.*
CLVII. *De obitu Podiensis episcopi. Item de contencione lancee invente in Antiochia.*
CLVIII. *De obsidione Jherusalem. Item quibus virtutibus urbs sancta sit ornata.*
CLIX. *Quomodo muros civitatis Jherusalem christiani ascenderunt.*
CLX. *Qualiter comes Normanie destruxit muros civitatis una cum suis.*
CLXI. *Quomodo christiani intraverunt civitatem Jherusalem euntes ad sepulcrum Domini. Item quomodo christiani obviam ad prelium proficiscuntur regi Babilonie cum exercitu.*
CLXII. *Quomodo christiani interfecerunt hereticos. Item qualiter Dambertum in patriarcham elegerunt. Item qualiter Boamundus captus fuit.*
CLXIII. *De obitu Godefridi, regis Jherusalem et de successione Balduini, fratris ejus. Item qualiter Balduinus ordinavit bellum contra Turchos. Item quomodo Balduinus comes fuit receptus in Jherusalem.*
CLXIV. *Quomodo amisso lumine timor et tremor invaserunt christianos.*
CLXV. *Quomodo patriarcha fecit sermonem populo Dei. Item quomodo luctus christianorum vertitur in gaudium.*
CLXVI. *Quomodo rex Balduinus obsedit Assur. Item qualiter rex Babilonie proposuit extirpare Francos.*
CLXVII. *Qualiter rex Balduinus obtinuit victoriam. Item quomodo rex Balduinus persolvit vota in Jherusalem.*
CLXVIII. *Qualiter rex Babilonis obsedit civitatem Ramulam. Item septimum bellum Romanie.*
CLXIX.
CLXX. **13** *Qualiter rex Balduinus receptus est Joppe. Item de obsidione apud Tholomaidam.*

INCIPIT PROLOGUS

TERCII LIBRI CHRONODROMONIS, ID EST CURSUS TEMPORUM SUPRA QUARTAM PARTEM (86).

14-15 Moris est imbecillium, minima quavis ex A sarcina premi, eoque facilius ferre, quo propius terminus, finisque laboris arridet. Solentque longum ac laboriosum iter agentes, non solum aliquando subsistere cum plus quam medium peregerint, sudores detergere, corpus leviare, auram captare levem et sitim poculis sedare, verum etiam in terga retrorsum, facie versa, jam acta metiri spacia, et totum quod residuum est itineris, modici laboris pro termini gaudio reputantes, indefesse peragere. Quod cum paululum mecum ipse revolverem, trium jam partium insufficientis et ut timeo minus utilis, compilationis labore peracto, qua Cursus temporum, rerumque gestarum in ipsis ordinem **16** et hominum actus illustrium, doctorumve, singulis suis quibus evenerunt annis, a mundi exordio, per quatuor scilicet B millium annorum septingentorum sexaginta trium, usque Verbi humanati octingentesimum primum distinguens concluserim, quarte profecto sed ultime prohemialis disposicionis ordini tento continuationis stilum infixurus consederam. Et ecce pregustati tediosa laboris nimietas, virium mearum defectuosa debilitas et frequentium impedimentorum ex temporis qualitate me distrahentium impetuosa varietas, nec non exemplarium ex quibus precipue materia compilandorum emergeret excerpenda discors et penuriosa paucitas, vix stilum ab ulteriori progressu inchoati operis atque labore mentem servassent inertem, nisi confestim animadverterem quietem corporis inimicam, torporis matrem et ingenii hostem fore, meque profecto operis propositi metam, C finemque (si gracia detur Pneumatis almi) e vicino posse pertingere, dum laboris tedium diligencia pellat, virium inopiam gracia relevet, variam temporis molestiam, mentis stabilitas regulet et precipue operis intenti completio et eorum que in ipso continentur utilitas legentibus, audientibusque proficiat; riparumque et fere nichil fecisse viderer, meritoque dendus, si veterum huc usque molimina, actus atque gestamina et ea que horum temporibus acciderint annali supputacione distincta recuderim et medio fere gradum figens in studio, uti laboris apostata, inclyta regum Francorum, Anglorum, Jherosolymorum et precipue Romanorum imperatorum, eorum videlicet qui nobili Francorum (magno authore Carolo) pullularunt ex sanguine ducum, comitum, ceterorumque virorum illustrium tempora postergans et actus et presertim ea que presentibus vicina temporibus evenerunt in Anglia, Francia et potissime Flandria, cujus incola censeor, quorum perplurium scribendi gracia stilum assumseram, ceca putarem oblivione **17** calcare et non pocius continuato compilacionis officio, usque presens in evum scripto tenus exarare. Et si non omnium, saltem horum, quorum exemplaria viderim, e quibus satis amplam rerum gestarum, si velim, possem enucleare materiam; ut sunt egregiorum virorum opuscula, videlicet: Sigeberti Gemblacensis, Pauli Constantinopolitani, Vincentii, Martini, Willelmi Malesberiensis, Johannis Bocatii et ejus qui novellam quamdam compilacionem edidit, que Imago speculi vocatur et si que plura. His ergo meam consolatus amentiam, quarte parti et ultime copulande calamum libens infixi, hanc usque presens in evum (juvante gracia divina) per annos sexcentos et amplius complendo ducturus.

(86) Hunc Prologum exscripsi ex Brandone.

Explicit Prologus.

CHRONICON.

18-19 Anno Domini DCCC, anno vero Karoli, regis Francorum, XXX° tercio Romani, qui ab imperatore Constantinopolitano jam diu animo desciverant, nunc accepta occasionis opoṙtunitate quam mulier excecato imperatore Constantino filio suo eis imperabat, uno omnium consensu, Karolo regi imperatorias laudes acclamant, eumque per manus Leonis pape coronatus, Cesarem et Augustum appellant. Puppinum vero filium ejus regem Italie ordinatum collaudant. Amymurlin, rex Persarum, Karolo imperatori elephantem et multa munera mittit. Barchinona capitur. In Italia quoque Theate civitas capitur a Francis. Sanctus Salvius, archiepiscopus, veniens ab Aquitania ad fiscum Valentianas, a Vuinigardo, filio Gerardi, procuratoris ipsius fisci martirisatur et super corpore ejus requirendo Karolus magnus imperator tertio divinitus **20** admonitus, corpus quidem inventum honorifice sepelivit. Interfectores autem ejus gravi pena multavit, nec tamen pro hoc in eos ultio Dei cessavit.

Karolus imperator et rex Francorum per omne imperium suum legatos ad faciendum judicium et justitiam comitis dirigit et legis capitula viginti tria instituit. Moguntie pons quingentorum passuum longitudinis trans Rhenum quem Karolus imperator per decem annos ingenti labore de ligno construxerat, ita ut perpetuo durare posse videretur, ita in tribus horis conflagravit ut ne una quidem hastula super aquam remaneret. Karolus imperator filio suo Ludovico coronam imperialem imponit. Karolus imperator per totas Galias consilio super statu ecclesiarum ab episcopis celebrari edicet. Unum fuit Moguncie, alterum Remis, tercium Turonis, quartum Cabilonis et quintum Arelati.

De obitu Karoli, anno xlvj.

Karolus imperator gloriosus, regno et imperio suo ampliato et pacato, statu quoque ecclesie sancte et religiose ordinato, anno regni sui xlvj^{to}, porro imperii sui xiij°, moritur et sepelitur Aquis, anno etatis sue lxxij°. Qui pro magnitudine operum agnominatus est magnus. Post quem Ludovicus, filius ejus, imperat annis xxvj. In archivis beati Medardi Suessionis de sepultura ejus, cum essem juvenis, quedam legi, sed sensum non latinitatem retinui. Ibi interfuit Leo papa cum proceribus romanis, multi etiam episcopi et archiepiscopi, duces et comites, abbates etiam et alii innumeri. Corpus imperatoris defuncti vestibus imperialibus et festivis induentes, auream coronam capiti imposuerunt. Deinde super cathedram quasi vivum et judicem sedere fecerunt et super genua ejus textum quatuor evangelistarum, aureis litteris scriptum, collocaverunt, quem dextera manu, sinistra vero sceptrum tenebat. Catenulam etiam auream diademati convingentes cathedre auree super quam sedebat, ne caput defuncti decideret affigentes, sentem quoque aureum quod **21** Romani ei fecerant, ante faciem ejus statuentes, arcum lapideum, in quo sepultus erat, aromatibus preciosis replentes, monumentum strenue sigillantes clauserunt. Obiit autem anno Domini dccc^{mo} xiij°, xiiij kl^{s} Februarii.

807.

Karolus imperator Aquisgrani balnea aqua calida et frigida temperata sedule prenavit et ecclesiam beate Marie rotundam quam ibi edificaverat auro, argento, cunctisque ornatibus ecclesiasticis decenter ornavit, veterisque et novi testamenti historiam in ea depingi fecit et palatium similiter, quod ibi edificaverat, ornavit, omnia bella que in Hyspania gesserat et etiam VII artes liberales miro modo ibi fecit depingi.

809.

Puppinus, filius Karoli magni, rex Italie, Veneciam bello subigit et non multo postea Mediolani obiit et Karolus imperator Veneciam Nichephoro Constantinopolitanorum imperatori reddidit.

817.

Turpinus archiepiscopus Remensis obiit. Sanctus Folquinus Tornacensis fit episcopus.

819.

Ludovicus imperator Brittones sibi subigit.

823.

Elevatio Sancti Ursmari confessoris celebratur.

825.

Flandrie comite Ingelramno mortuo ac apud Harlebeck sepulto, succedit ei Audacer, filius ejus, gubernavit annis xiij.

827.

Balduinus, abbas sancti Dyonisii sacrique palatii archicapellanus, Romam mittens, a papa Eugenio sancti Sebastiani martyris corpus accepit et Suessionis in basilica sancti Medardi collocavit.

828.

22 Corpora Marcellini et Petri matyrum de Roma sublata et in Franciam translata, multis signis clarificata sunt. Corpus etiam sancti Gregorii pape ad urbem Suessionis translatum esse dicitur.

832.

Ludovicus imperator adversantes sibi alios exauctoravit, alios bonis privavit, alios exiliavit ac per hoc filios et optimates suos magis contra se exacerbavit.

833.

Ludovicus imperator, a suis desertus ac proditus et in potestatem filiorum redactus, episcoporum judicio arma deposuit et ad agendam penitentiam inclusus est.

835.

Ludovicus imperator statuit, monente Gregorio papa et omnibus episcopis assistentibus, ut in Gallia et Germania festivitas Omnium sanctorum in kl^s novembris celebraretur. Reliquie Viti martiris a Parisius ad Corbeiam Saxonie transferuntur. Unde ipsi Franci testati sunt quod ab illo tempore gracia Francorum translata sit.

837.

Normanni Gallias graviter infestant. Dordracum vastant, Andworpiam et Witlant, emporium situm juxta ostium Mose fluminis, incenderunt. A Fresonibus tributum accipiunt. Illi Normanni, origine Dani fuerunt et dicti sunt Normanni quasi septentrionales. Audacer III^s Flandrie **23** comes moritur et apud Harlebeeck sepelitur; cui successit Balduinus cognomento ferreus, filius ejus. Hic Flandriam gubernavit annis xl.

862.

Judith, filia regis Francorum Karoli calvi, Silvanectis rapitur a Balduino ferreo, comite Flandrie.

864.

Floruit hiis temporibus sanctus Odo Cluniacensis cenobii fundator.

878.

Ludovicus, filius Karoli, cognomento Baldus moritur in Compendio palatio; filii ejus, Ludovicus et Karlomanus, regnum ejus inter se diviserunt. Nortmannorum plus quam V millia a Ludovico et Francis in Gallia cesa sunt.

879.

Balduinus, Odacri filius, cognomento ferreus, gener supradicti Karoli calvi et comes Flandrie obiit. Cui succedit filius ejus, Balduinus, cognomento calvus. Hic duxit Eltrudem, filiam regis Elgeri Anglie, ex qua genuit Arnulfum magnum, restauratorem Blandiniensis.

880.

Dani seu Nortmanni famosissimum Aquisgrani palacium cremant et Coloniam Agrippinam cum monasteriis et palaciis regni, villas quoque, habitatoribus interfectis, igne cremarunt. Nam precedenti anno civitatem **24** Atrebatum, Cameracum, Tornacum et omnia monasteria circa fluvium Scaldum et fluvium Yscart destruxerunt, incenderunt, accolas autem terre aut captivarunt aut occiderunt.

A 881.

Balduinus calvus, comes Flandrie, oppidum de Brugis in Flandria construit et tollens lapides de Oudenborg villa, quam quondam Atthila, rex Hunnorum, destruxit, inde oppidum Brugis munivit. Transtulit quoque corpus sancti Donaciani de civitate Remensi in villam Brugensem, ubi nunc reconditum cum honore recolitur

882.

Godefridus et Sigifridus, reges Nortmannorum, cum inestimabili multitudine juxta Mosam, in loco Haslon, consederunt; Leodium, Trajectum, Tungris, Coloniam Agrippinam, Hemnacum adjacentibus castellis comburunt. Aquis in palacio equos stabulan-
B tes, oppidum et palacium incendunt. Sacri ordinis ministri in utroque sexu ubi poterant oportunius latebant, et sanctorum corpora et pignora locis tucioribus absconderunt.

887.

Karolus imperator et rex Francorum, cum Nortmannos a Francia nequiret expellere, tandem facto federe, concessit eis regiones que erant ultra Sequanam, quarum incole contra se rebellabant; que prius Francia, a Normannis est Normannia denominata.

888.

Monasterium sancti Bertini tempestate dejectum.

889.

25 Rodulphus, comes pagi Cameracensis, frater
C Balduini, comitis Fandrensis, in natura commotus propter castella ab Odone rege sibi ablata, sancti Quintini et Perona dum depredari non cessat, abbaciam sancti Quintini, ab Heriberto comite in bello occiditur. Balduinus, comes Flandrensis, invasit civitatem Atrebatum et castrum sancti Vedasti sed sub celebritate amisit. Postea Odo rex venit ad quoddam castrum fluvium Ysam, quod Fera dicitur, ibique graviter infirmari cepit. Obtestatusque est ut Karolum in regno susciperent, mortuusque est ibi kal: januarii; corpus autem ejus est delatum apud sanctum Dyonisium, ibique honorifice sepultum.

892.

Normanni Parisius expugnare non valentes, Bur-

Anno 835. Compilator Aldenburgensis eadem habet ac Brando, sed aliis verbis; videntur hausisse eodem fonte

Anno 853. Uterque exscribit fabulam Joannæ papissæ ex Martino Polono. Idem fecerunt ad annos 845 et 846.

Anno 856. Brando enumerat opera Rhabani Mauri, de quibus nonnulla ad verbum inserta lego MS. Aldenb. an. 825.

Anno 861. Brando adnotat *Wiitus* ex quo descripsit.

Anno 862. Brando evolvit quod adnotat Aldenburg Brando indicat *ex Gestis*....

D Anno 880. Hocce anno refertur a Brandone mors Ludovici baldi, quæ ab Aldenb. anno 878 ponitur. Etiam aliter Aldenb. narrat invasionem Danorum, quam Brando refert anno 882. Ad hunc annum 880, Ald. ponit translationem Calixti, quam Brando figit ad annum 884.

Anno 885. Martinus II præsidet secundum Aldenb. Brando ipsum præsidere facit anno 886.

Anno 888. Brando Agapetum II pontif max. ponit; Aldenb. eodem anno, tanquam pontif. citat Adrianum III, de quo Brando ad an. 889, prætermissis quæ Aldenb. dicit de Monast. Bertiniensi.

Anno 892. Cfr. Ald. cum Brandone ad an. 891 et constabit unum ex alio non sumpsisse quæ narrantur.

gundiam aggrediuntur et Senonis urbem oppugnant A sed non expugnant. Normanni a Senonis Parisius repetunt et inde repulsi per Matronam fluvium Trecas urbem incendunt et usque Virdinum et Tullum oppidum cuncta depopulantur. Castellum sancti Audomari igne consumitur.

894

In Burgundia claruit Berno, ex comite abbas Gigmacensis cenobii, a se fundati, qui etiam ex dono Ave comitisse construxit Cluniacum cenobium in cellam Gigmacensem. Normanorum residui transvadata Mosa Ribuariam et Ardennam vastando pervagantur trans mare recedunt.

899.

Karolus rex estivo tempore super Ysam, adunato B exercitu, resedit tractaturus quid ageret de suis inimicis. Balduinus vero perrexit ad **26** ipsum placitum, valens sibi regem reblandiri ut Atrebatum quam ei tulerat redderet. Cumque hoc contradiceret Fulco, archiepiscopus Remensis atque Heribertus, Winethmarus improvise superveniens, Fulconi archiepiscopo cum suis complicibus, quod dictu nefas est, multis perfossus vulneribus interfecerunt XVI, kl. Julii, corpusque ejus Remis delatum atque in ecclesia beati Remigii positum est. Post hoc ordinante episcopo Hereneo Remis, synodoque facta, omnes interfectores episcopi dampnaverunt et a liminibus sancte matris ecclesie extorres reddiderunt.

901.

Gloriosa relacio corporis sancti Winoci abbatis C et confessoris, fortissimique advocati Flandrie de Sithiu ad Bergas. Facta est denique translacio ista a comite Balduino calvo, qui ecclesiam in inferioribus ejusdem burgi construi fecit, que titulo confessorum Christi, Martini atque Winnoci, insignitam perfecit et canonicorum ministerio in ea cultui divino, die noctuque insistere devotissime instituit.

903.

Francone Leodiensium episcopo mortuo, Stephanus episcopus subrogatur; vir, sanctitate et sciencia clarus, qui vitam et passionem sancti Lamberti metrice ad Herimannum archiepiscopum edidit cantumque nocturnum de eodem metrice, cantumque de sancta Trinitate et de invencione sancti Stephani, D prothomartiris, dulci et regulari modulatione composuit.

905.

Karolus coguomento simplex, rex Francorum, filiam Eduardi, Anglie regis, Odgivam nomine, ducit uxorem. Ex qua genuit Ludovicum, qui post eum in Franciam regnavit.

915.

27 Karolus rex Francorum, Lotharingie regnum recepit

916.

Balduinus calvus, comes Flandrie, obiit et in Blandinio tumulum sumpsit; Markam vero ejus filii inter se diviserunt et Arnulphus, qui major natu erat, Flandriam, Adulphus vero civitatem Bononiam et regionem Taruanicam acceperunt, sed Adulpho primum defuncto, Arnulphus ejus comitatum simul cum Flandria tenuit. Rexit Flandriam Arnulphus annis xlvj.

925

Karolus rex Francorum a comite Heriberto capitur et in custodiam Perone truditur ob necem Roberti ducis ab eo perempti.

928.

Ludovicus filius Karoli regis insidiantes sibi fugiens; per mare transit in Angliam, mater enim ejus fuerat filia regis Anglorum. Regnavit autem in Francia erumpnose annis xxxvij. Nam post hec verba rebellaverunt proceres Francorum contra eum, super omnes Hugo magnus, comes Parisiensis.

931.

Quidam Evrardus, qui urbem Bergas condidit, dedit Werbem sancto Winnoco. Temporibus Adololfi, incliti markisi, extitit quidam vir illuster Everardus nomine, qui urbem Beryas condidit propter seviciam latronum, ad munimen Christianorum qui ob honorem sancti Winnoci et spem vite manentis aliquam ecclesiam in hereditate sua eidem concessit **28** sancto, quam emerat cum alode a quodam viro nomine Hemfrido consencientibus filiis ejus XXX lib. argenti.

932.

Hubaldus monachus et philosophus de cenobio sancti Amandi Elnonensis, qui de multis sanctis cantus dulci modulacione composuit, moritur.

933.

Adololfus comes Bolonie obiit. Arnulphus frater ejus comitatum recepit, qui duxit filiam Heriberti, Virmandorum comitis, nomine Adalam; de qua genuit Balduinum, qui juvenis, morbo variole, obiit. Hic duxerat filiam Herimanni saxonum ducis nomine Mathildem ex qua genuit Arnulphum. Mathildis vidua relicta nupsit Godefrido, duci de Heyam, ex quo suscepit tres filios, Gezelonem ducem, Godefridum, Heselonem; Arnulphus vero filius ejus ex priore marito Balduino duxit filiam regis Berengarii Langobardorum, Raselamque et Susannam ex qua genuit Balduinum barbatum.

961.

Balduinus comes obiit et in Sithiu sepelitur.

Anno 895. Habet Ald. quæ citat Brando de iisdem Normannis ad an. 894.

Anno 908. Brando notat ex Chronicis, nempe Cluniacensibus.

Anno 909. Ald. habet quæ Brando ad an. 910.

Anno 916. Eadem habet Brando sed aliis verbis.

Anno 925. Aldenb. ea aliis verbis habet et fusius quam Brando, quæ ea ad. an. seq. notat.

Anno 961. Male hanc mortem refert Brando ad annum 966.

966.

Arnulpho sene Flandrensium comite mortuo, Marchisiam quam per XLVIIJ annos honestissime et gloriosissime gubernaverat, Lotharius, rex Francorum, graviter infestat et vastat. Post cujus longum et luctuosum obitum successit ei in comitatu Balduinus Barbatus, filius Arnulphi junioris, qui appellatus est fortis et pulcherrimus marchisus. Hic duxit Ogivam, filiam Giselberti comitis, de qua genuit Balduinum Insulanum.

970.

29 Hugo magnus, comes Parisiensis et dux Francorum moritur et Hugo filius ejus, cognomento Capet, dux Francorum sub Lothario rege efficitur.

975.

Monasterium sancti Bertini ceptum est edificari post combustionem.

978.

Ducatus Brabancie et Lotharingie post Fredericum datur Karolo fratri Lotharii, regis Francorum, multis insuper conducto beneficiis ut et ipse ab insolenciis desistat et fratris sui Lotharii regis motibus obsistat.

Quomodo corpora sanctorum Richarii et Walerici reducta sunt in monasteria sua.

988.

In gestis sanctorum Richarii et Walerici legimus quod corpora eorum translata sunt a suis ecclesiis in Flandriam et reposita in ecclesia sancti Bertini. Causam translacionis obscure scriptam inveni, sed constat quod timore Northmanorum et Danorum, utpote ut tuciori loco ibi sint reposita. Castrum enim sancti Audomari in quo constat ecclesia sancti Bertini, illo tempore erat nobile et contra hostes satis munitum. Cum autem tempore Karoli regis cognomento simplicis, Nortmanni essent conversi ad fidem Christi, corpora sanctorum qui timore eorum translata fuerant in locis munitissimis reportata sunt a suis in suis ecclesiis. Cum autem monachi sancti Richarii et sancti Walerici corpora sanctorum suorum repeterent, monachi sancti Bertini illa per violenciam Arnulphi veteli comitis detinebant. Tunc sanctus Walericus apparuit Hugoni, comiti Parisiensi, in sompnis et dixit ei : Vade ad Arnulphum, comitem Flandrensium et dic ei ut remittat corpora nostra que sunt in ecclesia sancti 30 Bertini in nostris ecclesiis. Magis enim diligimus loca nostra quam aliena. Domine quis es tu? inquit, vel quis socius tuus? Ego enim, inquit, ille vocor Walericus, socius autem meus est Pontivensis Richarius. Age que tibi precepit Deus per me festinanter et ne dissimules. Et ut brevi sermone tamen concludam, abiit Hugo ad Arnulphum, que sibi mandata fuerant indicat. Arnulphus vero superbo animo corpora sanctorum reddere recusat. Tunc Hugo, comes Parisiensis, constanti animo Arnulpho comiti dixit : A Vide ut in illo die et in illo loco corpora sanctorum spontaneo animo honeste mihi deferas . quod si non feceris spontaneus, facies postea invitus. Tunc Arnulphus comes timore et patientia Hugonis constrictus, duas techas argento et auro decoravit et in illis sanctorum reliquias reposuit. Die condicto Hugo cum armato et copioso exercitu ad monasteriolum, quod castrum regis est Francorum, venit. Arnulphus autem comes audito adventu ejus cum magno exercitu sed inermis et humilis ei obvius venit. Corpora sanctorum Richarii et Walerici Hugoni decenter coaptata reddidit. Ille vero unumquodque in suo loco resignavit. Nocte vero subsequenti apparuit sanctus Walericus Hugoni in sompnis et dixit ei : Quia studiose egisti que precepta B sunt tibi, et nos ad loca nostra retulisti, tu in regno Francorum et successores tui usque in septimam generacionem regnabitis. In hac revelacione patenter ostenditur regni relacionem factam fuisse Domini voluntate.

995.

Anno quarto Henrici imperatoris et x^mo Roberti Francorum regis, Balduinus, comes Flandrie, castrum imperatoris quod vocatur Valencianas, situm in marchia Francie et Lotharingie invasit. Imperator Henricus, hoc auditu, invitavit Robertum, regem Francie et Richardum, comitem Northmannorum, ad sui auxilium et obsidet castrum. Et quia imperator de illa obsidione inefficax rediit, contra C Balduinum profectus, castrum Gandavum invadit depopulata terra, aliquos Flandrensium primores capit. Inde Balduinus perterritus in Aquensi palacio imperatori satisfecit. Valencianas reddidit, datisque obsidibus cum sacramento fidelitatis, manus 31 ei dedit. Postea imperator sedicione coactus suorum, Valencianas Balduino beneficiavit, ut sibi contra motus suorum hominum auxilio esset. Postea ei Walacras addidit.

1016.

Otto dux Brabancie moritur et quia nullum sibi reliquit heredem, in ipso linea ducum Lotharingie, sive Brabancie, a progenie Karlomannorum et Karoli magni descendentium terminatur. Henricus vero imperator ducatum Brabancie dat comiti Godefrido, D filio Godefridi Ardennensis. Hujus fuerunt fratres : Gozelo, qui postea istum Godefridi ducatum Brabancie tenuit et Etzelo. Mater horum fuit Mathildis, olim comitissa Flandrie, uxor Balduini juvenis, que, mortuo Balduino, nupserat prefato Godefrido, comiti de Ardenne et de Enham et hos peperit sibi filios : Godefridum, Gazelonem et Hetzelonem. Godefridus igitur juvenis, primogenitus Godefridi et Mathildis, dono imperatoris, dux Brabancie factus, tenuit Brabanciam, Ardennam et terram de Enham, que nunc est de integritate comitatus Flandrie, licet ultra Scaldum sit. Fuit tunc in ea Brachantum castrum ; est nunc in ea Geraldi mons, Ninniven et alia oppida multa;

Anno 966. Fere eadem habet Brando ad. an. 967.
Anno 988. Chronicon S. Bertini seu Iperii idem factum refert.

jacet inter Gandavum, et Bruxellam et Adinghe. Pro A hac terra fuit guerra inter imperatorem Henricum III et comitem Flandrie Balduinum pium, sive Insulanum, quia Balduinus eam invasit. Sed postea, pace interveniente, imperator eam Balduino dedit, addens eciam ei terram de Alost et terram IIII^{or} officiorum, similiter et Walacriam in Zelandiam, que de jure tunc imperatoris erat. Lambertus vero, comes Lovaniensis, audiens Godefridum Brabanciam occupasse, defuncto jam Ottone duce, cujus ipse sororem habebat Gerbergam uxorem, voluit eam cum conjuge jure hereditario obtinere, sicque guerra diutina inter eos orta est. Sed postremo convenerunt bello apud Florines, ubi Lambertus occisus est. Posteri tamen hujus Lamberti Lovaniensem comitatem simul et Bruxellensem longo postea tempore successione B hereditaria possederant. Godefridus autem Brabanciam tenuit annis xiiij, imperatori Henrico semper fidelis, unde et ab ipso in subsidium Theodorici, comitis Hollandie, contra Fresones missus, ab ipsis **32** Fresonibus captus est et non multo postea solutus, mortuus est. Successit ei frater ejus Gozelo cujus fuerunt filii : Stephanus papa IX, qui post Victorem II factus est papa, Godefridus audax, una filia comitissa Bruxselle, alio nomine Reynel, comitissa Namurcensis. Post Gozelonem ducatum Brabancie tenuit filius ejus Godefridus, cognomento audax. Hic genuit Godefridum scrumosum et filiam Idam, que nupsit Eustacio, comiti Bononie, cujus filii fuerunt Godefridus de Bulioen, Balduinus, reges Jherusalem et Eustacius comes Bononie. Audaci C Godefrido duci successit in ducatu Brabancie filius ejus Godefridus scrumosus. Hic in civitate Ultrajectensi occisus est non relinquens hæredem ; idcirco filius sororis sue Yde Godefridus de Bulioen in ducatu Brabancie sibi successit. Quo in regem Jerosolimorum promoto et ibidem defuncto, ducatus Brabancie datus est Godefrido cum barba ab imperatore filio Henrici comitis Bruxellensis et Lovaniensis, qui Henricus fuit filius Henrici Lovaniensis, qui fuit a quodam captivo in domo sua strangulatus. Hic fuit filius Lamberti Lovaniensis comitis, qui Lambertus fuit interfectus juxta Tornacum. Hic Lambertus fuit filius Henrici comitis Lovaniensis, qui Henricus fuit filius Lamberti et Gerberghe, D sororis Ottonis quem jam defunctum diximus, filii scilicet Karoli inclyti ducis, qui fuit frater Lotharii, regis Francorum. Dum ergo iste Godefridus barbatus, dux Brabancie esset effectus, constat Brabancie ducatum ad duces de Karlomannorum et Karoli magni progenie derivatos regressum. Iste ergo Godefridus barbatus expulit de Lotharingia Henricum de Lemburch, genuitque Godefridum ducem, qui habuit Luthgardem, sororem imperatoris, de qua genuit idem Godefridus dux Brabancie Godefridum tercium, qui duxit uxorem Henrici de Lemburch filiam, ex qua genuit Henricum seniorem et Albertum episcopum Leodiensem. Henricus dux Brabancie factus gener ex Mathilde filia Mathei, comitis Bononie, fratris Philippi, comitis Flandrie, Henricum II et Mariam imperatricem, uxorem Ottonis quarti et Mathildem comitissam palatini de Rheno, que postea fuit comitissa Hollandie et comitissam Ghelrie et Alvernie comitissam. Iste idem Henricus senior secundo nupsit filio **33** Philippi monoculi, regis Francie, Marie que peperit ei filiam, quam Theodoricus, comes de Cleve, duxit uxorem, unde nata est domina de Dorbi : indeque venerunt domina de Vorem et domina de Ghistella. Post Henricum seniorem successit in ducatu filius ejus Henricus, qui, ex nepte Frederici secundi, genuit Henricum III et ex alia uxore filia, sancte Elisabeth, ducisse Thuringie, genuit filium eciam nomine Henricum, lantgravo Thuringie, qui contra Stadinghos hereticos viriliter pugnavit. Henricus ergo III^{us} ducatum Brabancie suscipiens duxit uxorem Aleydam, filiam ducis Burgundie que peperit ei filium nomine Johannem. Ipse Johannes factus est tutor Aquisgrani. Anno domini m^{o} cc^{mo} lxviij duxit uxorem filiam Guidonis, comitis Flandrie, de quo plures habuit filios, sed omnes in juventute mortui sunt, excepto uno qui dictus est eciam Johannes. Iste Johannes I^{us} dux Brabancie effectus, bellum habuit apud Worout contra comitem Ghelrie et comitem de Lutzenburch et eorum coadjutores, et victoria potitus est. Hic genuit Johannem II ut diximus et filiam quam postea accepit comes de Lutzenburch et genuit ex ea Henricum comitem de Lutzenburch et postea imperatorem patrem regis Bohemie. Johannes II vero dux Brabancie effectus accepit uxorem filiam regis Anglie cujus sororem comes de Baren accepit uxorem, unde predictus Johannes dux ibi vocatus ad nupcias, in hastiludio vulneratus et in patriam delatus, est defunctus. Bruxcelle juxta uxorem suam sepultus. Anno domini m^{o} cc^{mo} xciiij successit ei filius Johannes III ex filia regis Angliæ natus. Hic accepit uxorem filiam Ludovici, regis Francorum, genuitque ex ea filios tres et filias totidem. Sed filii omnes immaturata morte sublati sunt. Filiarum vero una Johanna nupsit Willelmo, comiti Hollandie et postea a Fresonibus occiso, nupsit Venzelao, filio regis Bohemie et imperatoris, quo viduata atque hodie in Brabancia venerabili senectute plusquam nonagenaria principatur. Altera filia Margareta comiti nupsit Flandrie, scilicet Ludovico, unde nata est Magareta filia, que nupsit Philippo duci Burgundie, cujus filii habentur illustres : Johannes dux Burgundie et comes Flandrie, Antonius dux de Lemburch, futurus eciam dux Brabancie post mortem Johanne ducisse **34** et Philippus comes Nivernensis. Tercia quoque Johannis ducis Brabancie filia nupsit comiti Ghelrie a quo viduata, domina manens de Tuernout, in senectute bona defuncta est. Hec est genealogia ducum Brabancie usque in annum dominice incarnationis m. cccc et v^{tum} deducta.

1025.

Balduinus cognomento pulcra barba filio suo Balduino, qui postea dictus est Pius, Athelam, filiam Roberti regis Francorum, associat in uxorem, ex

quo nati sunt Balduinus Montensis et Robertus Friso et una filia, Mathildis, que postea nupsit Willelmo, filio ducis Normannie Roberti, qui Willelmus Angliam acquisivit et primus ex Normannis in ea regnavit ut suo tempore patebit

1027.

Anno m° xxvi^to^ Balduinus barbatus suscepta Flandrorum monarchia in superioribus ejusdem Bergensis burgi in monte scilicet qui usque ad id tempus mons Bahal dicebatur, castrum construeret et ecclesiam amplioris magnificencie juxta edificaret, quod fecisse estimatur quorundam opinione ut et remocior a communi burgensium degeret cohabitacione et sanctissima corporis membra in contiguam translata ecclesiam et frequencior inviseret et devocius excoleret. Quod licet ut animo destinaverat pio devocione effectui mancipaverit, tamen ut in prefaciuncula hujus tomuli prescripsimus, res in contrarium cessit, cultusque Dei clericorum socordia omnino refriguit. Sed ubi hoc inclito marchioni innotuit bonum a progenitoribus institutum, sed pravorum inercia destitutum pociori concilio corrigere non dissimulavit. Senciens vero clericos et nobilitatis titulo prepollentes et voluptatibus assuetos facile non posse ad melius flecti, possessiones ejusdem ecclesie, que aliter non potuit, clericis vix hoc modo assencientibus, distribuit, illosque expellens, locum venerabili Roderico, abbati sancti Bertini, regendam delegavit.

1028.

35 Cumque prememoratus Balduinus marchisus per omnia religioni studeret, monachosque sancti Bertini minus regulariter sed valde seculariter vivere condoleret, hunc Rodericum, in omnibus virum strenuissimum, de cenobio sancti Vedasti evocatum, ubi tunc temporis fervor pollebat religionis, abbatem ecclesie beati Bertini prefecit. Abbas vero Rodericus cum xx et uno anno probabiliter Sithiensi prefuisset cenobio, ex quibus fere vii Bergensi pastorali vice providit ecclesie, senciens se utrobique pondus ferre non posse, germanum quemdam abbatem Bergensibus monachis, ordinari fecit.

1029.

Canonici de Bergas sunt expulsi et locus datus est domno abbati Roderico.

1030.

Roberto, rege Francorum mortuo, Henricus filius ejus regnat in Francia annis XXX. Balduinus, comes Flandrie, cognomento pulcra barba, moritur et apud Gandavum tumulatur in monasterio sancti Petri, successit ei in comitatu Balduinus pius sive

A Insulanus. Qui Insulanus ideo vocatur quia castrum quod in Insula dicitur condidit et templum sancti Petri in eo construxit. Qui Athelam Roberti regis Francorum filiam uxorem habuit tenuitque comitatum annis xxxiiij.

1034.

Monasterium sancti Audomari est consumptum.

1036.

Monasterium sancti Petri et sancti Bertini igne consumitur.

1050.

Balduinus junior, comes, ducit Richildem, viduam Heremanni comitis 36 montensis et genuit ex ea duos filios Arnulphum et Balduinum. Inventio corporis sancti Bertini.

1051.

B Elevatio santi Bertini vi nonas maii.

1052.

Henricus imperator venit ad fossatum. Balduinus comes invadens comitatum Hagionensium contra imperatorem rebellat.

1054.

Hoc anno Henricus, imperator Romanorum, filio suo Henrico puero quinqueni in regem Aquisgrani sublimato, contra Balduinum pium, comitem Flandrie, proficiscitur et Scaldum fluvium, Balduino fugiente, transiens omnia depopulatur et insuper apertis sibi clausule portis, multam cedem inimicorum facit, et ultra progressus Lambertum comitem, satellitem Balduini, cum multis perimit, multo-
C eciam Flandrensium primates exercitum suum prosequentes concludit intra urbem Tornacum et obsessos capit.

1056.

Anno milleno quinquageno quoque sexto
Hujus opus templi ceptum dinoscitur esse,
Lignea basilica fuerat quo condita prima.

1066.

Alexander fit papa.

1067.

37 Balduinus gloriosus obiit et Insulis sepelitur. Cui succedit Balduinus filius ejus.

1069.

Balduinus, cui Hasnoni jacet conditus, (cujus frater Robertus dictus Friso) duxit filiam Bernardi
D saxonum comitis, Gertrudem viduam Florencii comitis Fresonum et cum ea ejus tenuit regnum. Hic accepta a patre ejus pecunia maxima, sacramento Flandriam abdicavit, quam jure hereditario fratri suo Balduino, ejusque successoribus concessit. In vita enim fratris Roberti siluit, sed post ejus obitum traditorum auxilio Arnulphum nepotem suum, co-

Anno 1025. Hæc habet Brando ad annum 1027.

Anno 1028 et 1029. Iperius hœc aliter narrat.

Anno 1030. Eodem fere modo, sed anno seq. hæc narrantur a Brandone.

Anno 1052. Fusius apud Brandonem.

Anno 1054. Idem factum aliis verbis narratur a Brandone.

Anno 1056. Ad hunc annum referuntur in Chronico hoc majori quæ reperiuntur in Minori, edito ab Ampl. D. Malou, Numeris X, XI, XII, XIII, XIV.

Anno 1067. Multo fusius in Brandone.

Anno 1069. Aliter fit hœc narratio apud Brandonem.

mitem Flandrie, apud Cassel interfecit, regnumque A
ejus dolo obtinuit. Robertus normannus Flandriam subjicit, interfecto Arnaldo nepote suo apud Casletum et apud sanctum Audomarum sepulto.

1070.

Christi milleno simul anno septuageno
Hoc templum sancti Petri Rabodone sacratur.

Hoc anno fuit martyrisata B. virgo Godeleva juxta Ghistellam sexto die julii a servis mariti sui.

1072.

Locus Watinensis in Flandria fundatur. Flandrie XIII^s Robertus Friso senior annis V.

1080.

Hoc quoque tempore in cenobio sancti Medardi Suessionis pollebat **38** signis et virtutibus beatus B
Arnulphus, qui pro miro sanctitatis fervore propositum reclusionis eligens et arcta nimis abstinentia se affligens, prophecie graciam divinitus accepit et ex recluso abbas ejusdem monasterii factus, ad ipsam reclusionem pro contemptu mundi et desiderii interne quietis postmodum rediit. Suessonico autem pontifice defuncto, electus est ad episcopatum et jussu pape Gregorii a sedis apostolice legato, Hugone, Lugdunensi archiepiscopo; in presulem est consecratus.

1083.

Hoc anno cenobium Affligemiense fabricari cepit et beati Livini corpus Gandavi translatum. Flandria quoque commota bellis et discordiis civilibus, quas
seditiones B. Arnulphus, episcopus Suessionum, C
missus a papa Gregorio VII, compescuit atque sedavit sanctis concionibus, piis exemplis atque sanctitate vite.

1084.

Anno Domini 1084 levatum est corpus B. Godeleve apud Ghistellam a d^o. Radbodo, Noviorum episcopo, tercio kl. augusti, quod 1070, sexto die julii martyrisatum fuit.

1087.

Octogenus erat millenus septimus annus,
Dum terra corpus Arnulphus ponitur almi
Hic per quem primo monachi tunc constituuntur.

Sanctus Arnulphus ex abbate sancti Medardi
Suessionensis episcopus **39** factus apud Oudem- D
borg in ecclesia sancti Petri divinis miraculis illustrata hoc anno feliciter migravit ad Dominum.

1091.

Postquam patronus noster, beatus Arnulphus, servus Dei humanis rebus feliciter exemptus est, diversa miracula circa ejus exuvias a Domino peracta sunt ac plurime languentium sanitates condonate. Nam a primo tempore deposicionis ejus ardor fidei et devocionis tantus circa illum enituit, ut quicumque egrotantes per se vel per missos suos venirent ad sepulcrum ejusdem sancti Arnulphi et per circuitum colligentes pulverem volitantem reportabant sibi quasi certam medicinam. Ipsum vero pulverem cibis suis aut poculis immitentes, seu siccum pulverem lambendo sorbentes, a cunctis infirmitatibus evadebant et certissimum remedium vel locius assequebantur. Et hoc non quater, aut sepcies, aut decies, sed milies evenisse notissimum est.

Vidimus energumenum pessime vexatum cui cum pulvis ille nolenti in os fuisset injectus, mox hostem evasit et mentem recepit. Pulvis iste celeber non soli nostre Flandrie, sed omnibus finitimis regionibus grandem sue utilitatis noticiam comportavit. Anglia, Gallia, Scotia, Fresia, sic tenuerunt externe gentes, patrieque simul cinerem rapuerunt.

Hec et hiis similia multa postquam sic fieri latius comperta sunt et rumor iste laudabilis Franciam penetravit cum et gratus odor ex ejus tumba jugiter emanaret, monachi sancti Medardi graviter condolentes quod tanti viri exuviis caruissent, consilium inierunt cum suo abbate Odone, ut quasi visitacionis gracia locum Aldenburgensem adirent et clam tumulum ejus apperirent ut extracta ossa ad suum cenobium Suessionis sub omni celeritate deportarent. Ventum est eousque et paratis hujusce negocii **40** instrumentis noctu ceperunt aperire tumulum ejus a latere dextero. Mox ingens fragor celitus intonuit concutiens fodientes et nimium consternatos ad incepto deterruit. Illi paulo post recreati et ex occulta aeris passione id accedisse autumantes, redierunt ad sepulcrum ut ceptum perficerent. Sed statim ut ceperunt fodere iteratus fragor terribiliter increpuit. At illi facti exanimes corruerunt in terram ac tandem resumpto anhelitu cum nimia formidine aufugerunt. Cumque de longe starent, suppresso murmure, musitantes subiit illos cogitacio ut iteratam themeritatem tercio repeterent et an ullus cederet effectus denuo attemptarent. Adveniunt tremuli, applicant manus pavitantes, sed continuo

Anno 1070. In majori Chronico refertur hæc consecratio ecclesiæ Aldenburgensis, quœ in chronico minori ponitur articulo XVI.

Anno 1072. Exscripsit Brando *Genealogiam comitum Flandriæ.*

Anno 1080. Hœc habet Sigebertus.

Anno 1081. Refertur articulus XVIII minoris chronici.

Anno 1083. Refertur in chronico majori ultima pars articuli XVI et totus art. XVII chron. min Quœ hic reperiuntur de Cœnobio Afflighemiensi alia scriptura exarata sunt in MS. Idem est de relatis ad an. 1084 et de versibus ad an. 1087

Articuli V, VI, VII, VIII et IX minoris chronici referuntur in Majori ad annum 650. Ad eumdem annum refertur destructio villæ Aldenburgensis, quœ in chronico minori narratur articulo XIX.

Anno 1091. Agitur de iisdem miraculis in Actis sanctorum ad 15 augusti. Videtur Aldenb. usus fuisse MS Thosano, vel simili saltem, quo usi sunt Bollandistæ.

intollerabili terrore jam tercio percelluntur. Allidunlur pavimento, palpitant exanimes et pene permotui, quid faciant nesciunt. Horarum vero trium spacio evoluto ad sensum redierunt et nimium angustiatum fecerunt votum quod nunquam amplius attemptarent sanctum corpus vel ejus sepulcrum temerarie. Arnulphus vero, nepos ipsius sanctis presulis et primus abba Aldenburgensis hec patrare conatus est cum duobus monachis Godeberto, natione Aldenburgensi et Boldrado, Brugensi, quorum eciam conclamacione hec eadem sic gesta innotuerunt.

1096.

Anno ab incarnacione Domini m xcvj, Philippi vero regis Francorum xxxvi°, via Jerosolimitana incepta est, apud Clarummontem in Avernia per auctoritatem Urbani pape et exhortacionem Tymari, episcopi Podiensis. Affigunt igitur cruces in palliis suis duces, comites, potentes, nobiles, et ignobiles, divites et pauperes, liberi et servi, episcopi, clerici, monachi, senes et juvenes, eciam pueri et puelle, omnes uno animo, nullum ullo angariante undique concurrunt, ab Hyspania, a Provincia, ab Aquitania, Britannia, a Scotia, ab Anglia, a Nortmannia, a Francia, a Lotharingia a Burgundia, a Germania, a Langobardia, ab Apulia et ab aliis regnis. **41** Eminebant in hoc Dei hostico dux Lotharingie Godefridus et fratres ejus Eustasius et Balduinus, Anselmus de Ribodimonte, Balduinus, comes Montensis, Robertus, comes Flandrensis, consobrinus ejus Stephanus, comes Blesensis. Hugo, frater regis Francorum, Robertus, comes Nortmannie, Raymundus comes sancti Egidii, Boamundus, dux Apulie et Tancredus. Exercitus Dei aggressus terminos paganorum viriliter agit. Primumque eis fecit bellum ad pontem Pharphar fluminis, IX kl. marcii, ubi multi Turcorum occisi sunt. Secundum eis fuit bellum apud Nicheam, iij nonas marcii, in quo eciam pagani victi sunt. Capta ergo Nichea, capta eciam Laudicia, cum essent plusquam trecenta millia armatorum in exercitu christianorum, tanta eis omnium rerum suppetebat copia, ut aries uno nummo, bos vix duodecim nummis vinderetur ut ad longum habetur superius in Gestis Francorum Jherusalem expugnantibus usque ad annum millesimum centesimum.

1099.

Affligemienses cenobite ingressi sunt monasterium sancti Andree juxta Brugis primum viij kl. marcii et factus est grex monachorum.

Anno milleno centeno quo minus uno
Idibus in Julio completis sub Godefrido
Jherusalem Franci capiunt virtute potenti.
Post hec transacti sunt octo quaterque viginti
Cum Damascenus rex cepit eam Haladinus;
Inde cruces primus capit annus et arma secundus.

1111.

Robertus secundus, comes Flandrie, cum equitaret super pontem Meldensem cum multitudine militum, casu cecidit et conculcantibus **42** pedibus equorum ibi vitam finivit. Corpus ejus apud Atrebatum delatum est et in ecclesia sancti Vedasti sepultum. Cui successit filius ejus Balduinus, cognomento Hapkin, ex Clementia, ducis Burgundiorum filia, natus. Qui Balduinus accepit uxorem filiam Alani, comitis Nannetensis, sive Britannie, sed inter eos consanguinitate reperta, jussu Paschalis pape separati sunt: que consanguinitas a Conone, Prenestino episcopo, in presencia pape hoc modo recitata est: Constancia, Francorum regina, uxor Roberti regis et Ermegardis, comitissa Avernensis, sorores fuerunt; de Constancia nata est Adela, comitissa Flandrie; de Ermegarde altera Ermegardis comitissa. De Adela Robertus Friso, comes Flandrie. De Ermegarde Bertha comitissa. De Roberto alter Robertus, De Bertha Awisis, Nannetensis comitissa. De Roberto iste Balduinus et de Hawise comes Alanus, de quo ista juvencula. Ita Balduinus comes in diebus potens super omnes Francie principes, bellis frequentibus ita nobiliter Flandrensium comitatum gubernavit ut vicinis tyrannis undique terrorem inferret, comitatum autem Flandrie tenuit annis IX.

Flandria et Burgundia longo terrarum situ disjuncte conjurant in apostasia proditoris Jude. Quidam proditores Flandrenses timentes dampnari pro suo scelere dominum suum Karolum comitem Brugis jugulant in ecclesia sancti Donatiani ante altare psalmos canentem et elemosinas dantem. Unus atque idem sathanas uno atque eodem die simile nephas presumit in Burgundia; dampnati quidam dum diffident sue saluti utpote rei majestatis dominum suum Willelmum, comitem Sedunensium, gladiis confodunt in quadam ecclesia ante altare orantem. Actum secunda ebdomada quadragesime, feria tercia. Homicide hac illacque diffugientes diversis injuriis et digno satis sibi fine perierunt per industriam Ludovici, regis Francorum.

1112.

Anno XXVIII Ludovici, regis Francorum, cenobium sancti Vedasti atrebatensis concrematur cum claustro et officinis et magna oppidi parte, nec **43** meminit aliquis nostra etate tot villas et civitates, tot castra, oppida vel municipia concremata fortuito igne, quam in hujus anni spacio combusta esse referunt. In Monte Castriloco ecclesia sancte Waldetrudis cum aliis duabus ecclesiis minoribus arsit cum toto pene oppido. Ecclesia eciam sancti Michaelis de periculo maris fulgurata arsit cum omnibus appendentibus sibi edificiis.

1120

Balduinus, comes Flandrie, obiit et apud sanctum

Anno 1096. Fusius apud Brandonem, qui exscripsit ex Gestis Francorum.

Anno 1099. Alia manus scripsit hos versus.

Anno 1119. Aldenb. ad hunc annum refert mor-

Bertinum sepelitur, cui successit Carolus, Roberti A comitis ex sorore nepos, filius Canuti, regis Danorum.

De elevacione corporis sancti Arnulphi episcopi confessoris atque patroni nostri.

Postquam multa atque diversa superne gracie documenta de vita ac miraculis sanctissimi patris nostri ac defensoris Arnulphi ad aures domni Lamberti episcopi Tornacensis, sive ad noticiam fidelis populi lacius **44** pervenissent, idem episcopus iniit consilium Belvacense quinto decimo kl : novembris, cum quibusdam coepiscoporum suorum, quid facto opus esset ad tantam Dei magnitudinem. Intererant ibi episcopi Francorum, Guillelmus Cathalaunensis, columna doctorum, Joffredus, Carnotensis episcopus, Deibertus (87) Senonensis archiepiscopus, Au- B relianorum episcopus, Parisiorum episcopus, Clarembaldus, Silvanectensis episcopus, Petrus, Belvacensis episcopus, Angelrannus, Ambianensis episcopus, Rodbertus, Atrebatensis episcopus, Johannes, Morinorum episcopus, Lambertus, Tornacensis episcopus, Borgardus, Cameracensis episcopus, Bartholomeus, Laudunensis episcopus, Lisiardus, Suessionensis episcopus, actor istius tractatus (88). Abbatum, archidiaconorum, prepositorum et copiosa cleri multitudo. Inter ceteros quoque adfuit Aldenburgensis abbas Hariulphus (89), ferens in manibus libellum de vita et moribus, miraculorumque gestis ipsius sancti viri (90) Arnulphi ; quem libellum dictus Lisiardus (91) Suessionensis episcopus de ma- C nibus ejus accipiens aperuit et apertum obtulit episcopis dicens : Ecce, Domini, libellus iste, me conscio, meque auctore de vita ejus conscriptus est, cui quod vera sint omnia que narrat, testimonium in fide perhibeo et de cujus miraculis et hic quosdam et domi plures valde testes veraces adhibeo. Hunc ergo libellum postulo a vobis diligenter considerari ut ex hujus noticia valeatis quid de illo agendum sit melius informari. Vestra autem sanctitas audiat judicium meum, quoniam si in diocesi mihi commissa pausaret, longum est quod in terra non jaceret. Tunc Guillelmus, Cathalaunensis episcopus, accepit libellum et inspiciens a principio vidit numerositatem capitulorum et ait ad episcopum Tornacensem : Domine, quid amplius queritis? D absque libello isto sufficit vobis (92) testimonium domni episcopi Suessionensis et clericorum ejus. Debet vobis magnam **45** fiduciam prebere iste talis abbas, cujus et etas suscipienda est et prudencia bene placet. Libellum vero istum, quia synodalibus negociis occupamur transcurrere (93) non vacat.

Joffredus, Carnotensis episcopus, ait : Domne Tornacensis, dico vobis in veritate, si Dominus talia vel semel fecisset circa aliquem predecessorum meorum, ego nec papam, nec legatum, nec vel archiepiscopum consulerem, sed tota constantia sanctum Dei, ut dignus est, exaltarem. Interim dum hec ab episcopis decernuntur, quidam nobiles magistri scolarum acceperant libellum et cursim perlegerant quedam gestorum capitula. Quidam ergo eorum recurrentes, ubi erant episcopi, cum magna constancia fatebantur : Revera ex Deo non est qui hujus sancti exaltacioni contrarius est. Tunc Guillelmus, Cathalaunensium episcopus, ait : per Deum turpe est quod de re tam aperta dubitamus. Unde vos, Domne Tornacensis, cum Domini gracia, remota omni ambiguitate, statuite diem quo ad locum conveniatis et sanctum servum Domini de terra elevando honorifice recondatis. Lambertus, episcopus Tornacencis, ait : Ecce legatus in hac ipsa basilica cum archiepiscopo nostro Remensi vel Turonensi eminus residet : rogo vos placeat vobis ante illos venire vestram sentenciam illorum judicio confirmare. Episcopi dixerunt : In nomine Domini fiat. Ut ventum est, Lambertus episcopus dixit domno Cathalaunensi : Rogo agite causam meam. Cumque ille brevi facundia ante legatum et archiepiscopos causam explicuisset, tam legatus Conon quam et Remensis archiepiscopus una voce responderunt : Judicium vestræ auctoritatis plene suscipimus et decretum vestri consensus corroboramus.

Itaque episcopus Lambertus convocans abbatem designavit diem, quo Aldenborgh conveniret, id est kl. Maii, et viri Dei corpus sanctum de humo levatum juxta morem gallicane ecclesie ceu revera sanctum reponeret. **46** Dedit eciam litteras cum sigillo, quibus omnem Tornacensis diocesis populum ad tam sanctum officium convocaret.

Copia littere episcopi Tornacensis reperte in veteri capsa (94).

Lambertus Dei gracia Tornacensium et Novio-

tem comitis et anno seq. nempe 1120, iterum hanc mortem refert ex Brandone.

Anno 1121. Hæc, etsi in actis sanctorum T. III Augusti, p. 257 et seqq. relata sint, duximus hic denuo producenda, tum quia verba quœdam differunt, tum quia hic adduntur quœdam P. Cupero ignota. Usus est Cuperus MS Apographo monasterii Thosani, quod probabiliter transcriptum erat ex aliquo MS aldenburgensi. Hoc facto videre est Bollandistas non usos fuisse hoc majori nostro chronico. Unde saltem inserviet textus noster ad componenda quœdam dubia ab Hagiographis in notis exposita.

(87) In Bolland. *Delbertus.*
(88) In Boll. *Liziardus ego indignus*, etc.
(89) In Boll. omittitur *Hariulphus.*
(90) In Boll. omittitur *viri.*
(91) Loco Lisiardus Boll. habent *ego.*
(92) Boll. *nobis*

(93) Boll. *percurrere.*
(94) Hæc littera in opere agiographorum refertur in Commentario prævio ad vitam S. Arnulphi p. 223. 3ᵒᵉ partis Augusti. Hanc epistolam non refert Lisiardus.

mensium episcopus, omnibus decanis ac presbiteris nostre diocesis salutem et benedictionem. Cooperante gracia spiritus decrevimus sacrum corpus sancti Arnulphi episcopi de terra levare; ad quod sacrum officium prima die mensis Maii preduce Christo, explendum plebes vobis comissas per singulas ecclesias a vestra charitate jubemus commoneri, ut devote conveniant, et Domini benedictionem pociantur apud Aldenborgh in ecclesia sancti Petri apostoli. Datum anno Domini millesimo centesimo vicesimo, indictione XIII.

Fama volans, celeri currente meatu diversos populos has sedes visere fecit. Taceamus de Flandria; Walachrenses, Scoldanii, Bevelandenses, Antverpienses, Texandriani, Waslani, Brabantini, Menapenses, Morinenses, Bolonienses, vel ceterarum regionum plebes ubertim affuerunt. Tempore itaque prestituto advenit episcopus cum Tornacensi archidiacono honorabili Rodberto et magna copia cleri et prelato crucis tropheo, allato quoque sacro evangelii corpore cum cereis et odoribus, concinnente clero, aperitur tumulus viri sancti, eliguntur de pulveris situ ossa beata. Stabat calix consepultus super pectus ejus, jacebat et plumbea tabula sub calice pre pectore ejus, que tabula scripta tenebat nomen, patriam genus, militiam, conversionem, in abbatem promocionem, diem ordinacionis ejus in episcopum, diem transitus ejus de seculo isto ad Christum. Hec tabula a pectore sancti elevata et episcopo astante (95) relecta, fecit **47** illi gaudia magna, quoniam formidabat ne errore aliquo auctu non sanctum Arnulpum, quemlibet indignum, fratres sub nomine sancti elevarent. Similiter et pastoralem petalum cum episcopo demonstrassent, et gavisus plurimum. Ad ultimum cum sandalia auro intexta extracta (96) vidisset, in lacrimas resolutus est. Ad suscipienda ossa et de sepulcro levanda fuerunt electi tres presbiterio functi, abbas Hariulphus, Godewinus monachus, Haghaninghus monachus. Cumque abba calvariam capitis e terra elevasset et in capsam ad hoc paratam posuisset, ecce manus ejus pingues et liquore olei infuse sunt reperta, tanquam si manus suas intinxisset in vas oleo plenum. Ecce coram Deo, quia verum est, et verum fuit quod dicitur. Odor quoque magne suavitatis ibidem diffusus est, nec immerito: nam qui in vita mortali in omni loco Christi bonus odor existere studuit, non mirum, si jam coronatus a Deo ipso largiente, cui servivit, celesti odore meruit honorari. Interim reboat ecclesie sinus alme Trinitatis laudibus et usque dum beata ossa digno cultu amicta scrinio conderentur, tam episcopus quam clerus divinis operam dabant. Quibus scrinio illatis mox episcopus imposuit hymnum: Te Deum laudamus, te Dominum confitemur. Hoc vero hymno usque ad

(95) In Boll. *astante.*
(96) Boll. *exstructa.*
(97) Boll. *nimium.*
(98) Sphæra.

A nubes conjubilato, effertur sanctus extra sanctam ecclesiam ad stationem condictam, manu si quidem militari. Tanta etenim ad sanctum irruit hominum multitudo, ut nimirum (97) sese conculcaret, impingeret, contunderet, et nemo pre amore sancti vel sibi alteri parceret. Ita devotio, sanctique desiderium methas racionis abjecerat, ut abba vel monachi ad sanctum appropinquare nulla racione valerent.

Sane divina non defuerunt miracula, sed verus Deus in Trinitate unus, cui pure servierat sanctus Arnulphus, trinum miraculum ibidem exhibuit; nam quidam juvenis inimica vi possessus, et ob id in insaniam longo dudum tempore auctus, ibi ab inimico liberatus et sospitati corporis et libertati sensus sui est donatus. B Due quoque femine paralisi percusse, **48** ac membrorum officio penitus destitute, plenarie sanitati sunt restitute. Hec vero tria signa intra ecclesiam facta ad noticiam populi per plateas vel agros diffusi, non satis palam devenerunt quia densa plebium multitudo stipatim basilicam adeo impleverat, ut nemo ibi palam loqui, nemo ibi quoquam se vertere, nemo ibi nisi fremitus tumultuantis populi tunc posset audire.

Deus de celo complacens sibi in suo sancto Arnulpho, dedit tunc signum eciam e celo. Etenim ab hora prima usque ad sextam plenam, visa est in celo spera (98) ardens, quasi flamma ignis, que incumbebat super sanctum corpus viri beati, per C transversum vero spere (99) radiabat, velud aurum purissimum in camino probatum, signum sancte crucis, que crux suo splendore vincebat omnem solis decorem, sua eciam longitudine superabat amplitudinem predicte spere, per IIIIor cornua ultra tendens et in uno (100) fulgore velut aurum rutilans. Hoc certe signum in celo visum videtur signare celeste misterium. Quid enim spera figurat nisi orbis terrarum latitudinem? Et quid visio crucis, nisi terreni (101) mortificationem designat corporis? Quid autem vel auri splendor indicat nisi eterne sapiencie claritatem et internam divini luminis contemplacionem. In spera vero apparuit flamma, quoniam per orbem scitur, ymo scietur quantum charitas Dei diffusa est in corde sancti D Arnulphi per Spiritum sanctum qui datus est illi. Jure ergo signum sancti Arnulphi glorificans in celo apparuit. Et nemo dicat, sanctum Arnulphum quis noverit? Nos dicimus quoniam optime notus est, qui jure celi dignus est nosci: nec enim fallit propheta, qui dicit: In memoria eterna erit justus. Spera igitur, que in celo apparuit, figuravit latitudinem bone fame; flammeus aspectus, ardorem caritatis interne. Crux significat martirium. Aureus splendor divine caritatis misticum intellectum. Longitudo crucis superans speram, intimat sanctam

(99) Boll. *ipsius sphære.*
(100) Boll. *nimio fulgere.*
(101) Boll. *Jerrenam.*

beate mortificacionis perseveranciam. Potuit dicere A beatus et sanctus Arnulphus : Mea conversio in celis est. Potuit dicere : Omnia **49** mundi amabilia vel delectabilia, que reliqui, arbitror ut stercora. Talis vero talibus debuit declarari.

Sriptum repertum in antiquo Scrinio de elevacione corporis sancti Arnulphi (102).

Anno Dominice incarnationis millesimo centesimo vicesimo primo, indictione xiiii^{a}, Ludovico, rege Francorum, annis xiiij, Calixto papa romanam sedem tenente anno ii^{o}, Carolo eciam Flandrensium comite anno secundo. Cenobium Aldenborgense desudante abbate Hariulpho annis jam quindecim et mensibus sex preter dies novem, levatum et translatum est sacrum corpus beati Arnulphi episcopi, kal. maii, a Lamberto Tornacensi episcopo, quando B romanus cardinalis presbyter Petrus de Leone hospitabatur apud sanctum Bertinum visitans has regiones.

Alba, que in sacculo lineo seorsum jacet ipsius sancti fuerat, in qua consecratus est in episcopum et in qua usque ad finem vite missas cantavit.

Tibia in alba posita de ipsius sacro corpore fuit, sed ex amore cogitaveramus eam forinsecus retinere donec nimia petentium importunitate coacti sumus in lectum recondere. Que nunc est in sacristia honorifice auro et argento decorata et vocata brachium sancti Arnulphi.

1121.

Facta est autem hec translacio primo die mensis maii, indictione xiiii^{a}, sub anno dominice incarna- C tionis millesimo centesimo vicesimo primo, Francorum sceptra moderante Ludovico, filio Philippi, annis quatuordecim, sub papa Calisto, Remorum sedem tenente Rodulpho archiepiscopo. Flandrie comitatum agente Karolo, regis Danorum filio, cujus mater fuerat filia Roberti comitis. Cenobium Aldenburgense regente **50** Hariulpho abbate per anno jam xvi^{m}. Animadversum est autem cum beati viri elevacione regioni Flandrensium advenisse frugum fecunditatem, corporum sanitatem, aurarum salubritatem, que antea per annos septem pluviarum inundacione et agrorum sterilitate, animalium quoque peste et hominum crebra mortalitate atrociter languerat (103).

Milleno centeno bis deno quoque primo D
Presulis Arnulphi constat translacio facta (104).

1124.

Ecclesia sancti Winnoci cum omnibus appendiciis suis denuo combusta est et pene tota villa, nonis septembris.

1127.

Karolus comes Flandrie, anno viij principatus sui Brugis est occisus a Burcardo servo suo coram sancto altari in quadragesima, cum psalterio in oracione procumbens, sacerdote sanctum canonem ad altare coram eodem principe decantante. Cum quo eciam occisi sunt Themardus, castellanus de Broborgh et duo filii ejus Gillebertus et Walterus, dapifer quoque ipsius comitis nomine Walterus de Locres. Quo cognito, Ludovicus, Francorum rex, ad ejus ulcionem in Flandriam venit et multos de proditoribus de turri precipitari fecit et successorem Karolo ponit Willelmum, filium Roberti, comitis Normannorum, cognomento Cortheose, militem strenuissimum.

1128.

Willelmus, comes Flandrie, in obsidione Alost vulneratus, infirmatur et monachus sancti Bertini effectus moritur et in ecclesia ad capud nepotis sui Balduini comitis sepelitur. Cui successit Theodericus, filius Theoderici, **51** ducis de Elzate, quem genuit ex Gertrude, filia Roberti, comitis Frisonis, relicta comitis Henrici Brussellensis. Hoc anno monasterium de Dunis cepit construi.

Incipiunt gesta Hariulphi, abbatis sancti Petri Aldenborgensis, contra abbatem sancti Medardi Suessionensis, Roma in presencia pape et cardinalium.

1141.

Aldenborgensis abbas Hariulphus veniens Romam, prima die visitavit et officiis frequentavit basilicam beati Petri apostoli. Die secunda transiit in palacium Lateranense et secundum præceptum ab episcopo Noviomi acceptum primitus quesivit colloquium dompni Aymerici, summi cancellarii, probatissimi et ecclesiasticis legibus, palatinisque institutis ad prime eruditi, a quo petivit consilium et auxilium dicens : Dompne venerande, vir dompnus noster Tornacensium et Noviomensium episcopus vobis rite benevolus mittit me ad vestram nobilem strenuitatem, ut primo omnium vobis offeram mee possibilitatis servitutem et ut vestro consilio precedam ante dompnum papam ad enarrandam totam adventus mei racionem. Nam quamvis ad dompnum papam omnis cause examinacio respiciat, vobis jure imponitur currus Israhel et auriga ejus. Quum vestra industria disponit omnia, componens minora, dirigens majora. Idcirco veniens opto ac peto uti benevolenciam vestri consilii adipiscar, ut sic demum effectum veritatis et justicie promerear. Cancellarius ait : Frater, vel pocius Pater, non te nobis, sed nos tibi servire condecet, quum facies tua et canicies decora bonis similem te pretendunt. Idcirco queso ut caveas ne te aut per te nos verecundie jacula feriant. Abba pavefactus ait : De me pro Deo qualiter vobis verecundia veniret, qui novus adveniens et

Anno 1127. Fusius hæc habet Brando.

Anno 1126. Plurima habet Brando de visitatione B. Bernardi.

(102) Hoc scriptum reperitur in tom. III. Aug. Act. sanct. p. 225.

(103) Hec scripsit chronicæ compilator ex Liziardo.

(104) Alia manu exarati sunt hi versus.

omnibus ignotus **52** inter vos nihil gessi, unde vobis vel pocius michi, quamvis verecundia proveniat. Ille respondit: Quum tua senectus omnibus honori est et tuus sermo placidus ac facundus, nobis multum complacet, ideo cavemus et summo studio exoptamus, ut tecum totaliter agamus qualiter per te in omni loco odor bonus disseminetur et ille nequam sermo, qui ubique discurrit per te incipiat extingui, ut sicut hactenus dictum est, omnia venalia Rome, ita deinceps dicatur, omnia justissima Rome. Et hoc est quod prius dixi quum verecundia nos maneret, si te muneribus datis justificaremus, vel non datis promeremus. Proinde, vigilanter moneo, ne in Romano palacio, alicui persone aliquid des, aut promittas; quum si te novero fecisse et nostro consilio et dompni pape carebis auxilio. Instanter enim contendimus ut hunc venenosum sibilum a nobis compescamus. Abbas dixit: Ultra modum insipiens essem, si contra mandatum vestrum faciens, consilio vestro me privarem. Sed tamen ad vestigia dompni pape veniens, quid aut quantum ponere debeo? Cancellarius dixit: Absit a vobis, ut illic aliquid ponere debeatis. Audiens hec abba, gavisus est multum, eo quod illi non suppetebat dativum. Tunc cancellarius Aymericus tenens manum abbatis, duxit illum ad consistorium palacii, ubi in tribunali residebat dompnus papa et cardinales a dextris ejus. Romanorum vero nobiliores calamistrati et cericis amicti circa vestigia ejus stabant vel sedebant. Ut autem viderunt cancellarium venientem, mox surgentes fecerunt ei locum. Statim abbas provolvens se ad vestigia dompni pape, labiis vel oculis affixis, osculabatur pedes. Sentiens vero pontifex quam devoto et pio affectu abba se ageret, extensa manu levavit eum et dedit osculum, et requisivit dicens: Frater, quis es et unde vel qua causa te ad nos pertraxit? Videtur enim indecens ut homo tot dierum Romam venire cogeretur. Abbas respondit: Dompne multum indecens esset, nisi cause pondus impulisset; sed gravissimum pondus cause, portabile, nobis fecit pelagus vie. Ego enim sum abbas ille Flandrensis, quem dure insequitur dompnus abbas sancti Medardi Suessionensis, volens sibi subjicere nostrum locum, equidem nimis injuste. Papa ait: Poterisne monstrare quod sit injuste? Abbas ait: Auxiliante **53** Deo confido et presumo me ostendere posse. Tunc abbas obtulit pontifici litteras episcopi Noviomensis et litteras abbatis Clarevallensis. Tunc papa dixit: Et est sanus ille nobis karissimus frater? Abbas non plane intelligens de quo papa requireret, dixit: Sanos et incolumes illos dimisimus. Papa dixit: Deo gracias. Tunc abbati dixit papa: Vade modo et provide tibi hospicium; cras vel sequenti venies ad nos et audiemus te. Episcopi ibi tunc presentes dixerunt: Vere dignus est audicione. Erant vero ibi tunc episcopi: archiepiscopus sancti Rufine, episcopus Hostiensis, episcopus Sigmensis, episcopus Ferentinus, episcopus Tuscanus et abbates plures, quorum una

A vox hec erat: Ut dompnus papa misericorditer abbatem tractaret. Sed et nobiles Romanorum dixerunt: Per Dominum Deum multum peccatum fecit qui talem seniorem fatigari coegit. Abbas vero adorans papam recessit et ivit in hospicium non longe a palacio. Diebus vero sequentibus assidue frequentavit palacium, intrans et exiens et obtutibus pontificis seu cardinalium conventibus se ingerens, quatenus ipsa inoportunitate papam sollicitaret ad audiendam causam. Qui sepe dicebat abbati hylari vultu et benigno: Dompne abba, quomodo vobiscum est? Ille alacriter respondebat: Dompne, bene, et melius erit si vestra munificentia me respexerit. Papa dicebat: Sustine, nec fatigeris, quia quantum poterimus tuam voluntatem habebis. Non est enim usus nostre curie, B ut venerabilis persona huc veniens cicius remittatur, quin potius remorando et inter nostros spaciendo discat que non novit et agnovit dominacionem Romanorum equanimiter pati. Abbas dixit: Dompne, si tali intencione me differtis, in hoc gaudebo, sed vereor ne sacculus inanis victum neget diu moranti. Papa ait: Serva tibi reversuro victum, nam quandiu hic remanes potes convivari nobiscum. Abbas inflexo vultu ait: Grates ago tante promissioni.

Cardinales igitur, Aymericus cancellarius, Gerardus sanctæ Crucis, Ivo sancti Laurentii, Guido Pisanus, Gregorius centu et alii pociores sepe confabulabantur abbati. A quibus potissimum flagitabat ut dompno pape suggererent et suggerendo insiste- C rent quatenus misertus abbatis locum et diem statueret. Qui et publice dicebat: Vere Dompne si placeat vobis, valde dignum **54** ducimus audire et modificare causam ejus. Tandem nona die adventus sui posuit ei dompnus papa diem et locum, scilicet in cubiculo suo et convocatis cardinalibus, introductus est abbas in idem cubiculum, jussusque est sedere in scabello pedum pontificis, ubi sedebat et cancellarius, Tunc dompnus papa ait abbati: Vere, frater, compatimur et condolemus tibi, quam multum laborastis, contra vires etatis tue, nimiumque fatigatus es. Et ecce gracia tui convocavimus fratres nostros quibus coram referes rationes adventus tui et nos libenter audientes decernemus de consilio quid facto opus sit. Abba adorans papam ait: D Dompne pater, Domino omnipotenti gracias ago, quod misit in cor vestrum hanc dulcedinem ut tam benignam mihi impendere dignemini pietatem. Sed ut apcius sensiatis dolorem ne ducatis indignum audire meum quem parabolice induco sermonem.

Vir junior etate duxit sibi sponsam omni libertate perspicuam, quam in eadem libertate favit et tenuit annis xxxv et mensibus v et ecce derepente consurgens quidam ferox adversarius dicit sponso jam seni: Servus michi eris quia sponsa tua in ancillam competit mihi. Cui sponsus quondam juvenis modo vetulus rudet. Cum patrum tuorum nullus unquam mei sit dominator, unde tibi hoc ut mei domineris? Ille tumide ait: Industria mea adquisivi te, nec poteris resistere, quum romanus papa jugo meo

supposuit colla tua. Cui inquid: Si dompnus papa jugum tuum imposuit collo meo, adhuc est in spe, nec est in re; certus sum enim quod ignorans fecit: inde restat ut excurram ad dompnum papam et utrum ita sit discutiam. Stomachatus ille ait: Tu discuties moribunde? jam halitum trahis extremum et requires curiam romanorum? Ille ait: Plane de mendaciis tuis arguam te et dolos excogitatos in presencia romanorum statuam ante faciem tuam. Huc usque parabola, quam sequitur explanacio verisimillima.

Vir junior ducens sponsam signat abbatem de Aldenborgh, qui etate quidem junior promotus est canonice in officium abbatis, libere quidem et absolute; id est, sine fuco et macula alicujus contradictionis. Denique xxxv^to ordinacionis ejus anno, surrexit dompnus abbas sancti Medardi **55** Suessionensis instigatus tam proprio zelo quam duorum clericorum, Rodulphi et Goduini insidioso dolo et impetravit a romano papa obliquas litteras quibus abbas Aldenborgensis urgeretur exire de loco suo. Papa vero non advertens in hoc quippiam doli, nec estimans abbatem sancti Medardi sibi velle mentiri, dedit litteras postulatas, que delate sunt abbati Aldenborgensi prima die mensis augusti. Senciens et cernens ille inopportunitatem et maliciam tante fraudis properanter cucurrit ad presentiam dompni pape Innocentii et facunda veritate denudavit exquisita contra se machinamenta abbatis Suessonici. Quibus auditis misericors utrisque condoluit sed dissimiliter: nam Aldenborgensi de sua injusta fatigacione, Suessonico condoluit, quod cor ejus hostis antiquus tanta potuerit obligare fraudis nimietate. Hiis finitis papa dixit: Audivimus tuam parabolam, audivimus parabole explicationem et cernimus quod ad hoc tendit tuum studium, ut sponse diu conservate nullum ante nos fiat divorcium. Abbas ait: Si male convictus sum non recuso divorcium, si autem bene, quis nos separabit? Magis incumbit vobis prava rescindere, quam in Christo fundata dissipare. Papa dixit: Primo die adventus tui, promisisti te ostensurum de abbate sancti Medardi, quod injuste adversaretur tibi. Unde age nobiscum et dic quo nomine sancti sit sacratum oratorium vestrum. Abbas dixit: Sub honore duorum vestrorum, ymmo nostrorum beatorum videlicet, Petri et Pauli apostolorum sacratum fuit oratorium nostrum. Fundus terre et ecclesia inibi fundata de jure Tornacensi ecclesie et de feodo comitis Roberti extitit et ad ecclesiam sancti Medardi nullatenus unquam pertinuit. Ecce veni, ecce laboravi, ob hoc peto ut vestra serenitas audiat me et compaciatur mihi. Sanctissimi romanorum pontifices, qui martirio vitam finierunt, in decretis suis statuerunt ut nemo absens condempnetur. Et ubi fuit sancte Romane ecclesie provisio sincera, quin contra primum decreta absentem me condempnatis? Papa dixit: Non te condempnavimus, sed libenter et honoranter te accipimus et audimus. Abbas dixit: Quando me non vocato vel audito ecclesia mihi canonice commissa spoliastis et alteri sine examinacione contulistis, tanquam dampnatum me tenuistis.

56 Dominus papa dixit: si quid ignoranter circa te actenus erratum est, hoc totum rejicimus et tu rejice, sed et parce nobis, et de cetero prout compertum habuerimus veritatis justiciam gratanter tibi faciemus. Abbas ait: Grates Deo et vobis pro beneficiis factis et faciendis. Verum tamen istud nolo vos ignorare quod veniens de Flandria Romam quecumque gravia vel impossibilia pertuli, excellentia vestre michi majestatis incussit. In tota certe gente Francorum non erat potestas aut dominatio que me cogere posset Romam venire, sed magisterium apostolatus vestri, cui omnis homo subjici debet, me ut huc venirem pertraxit. Papa stupens ac pene indignans erecta dextera signavit se dicens: Frater, pro Deo, quid dicis? Cancellarius in eodem scabello residens ait: Dompne abba, videte quoniam caute loquamini. Abbas dixit: Dompne pater, ex quo littere vestre, non vestre, quia false, sed vestre, quia vestro signo munite, michi allate fuerunt, nimio zelo zelatus sum pro injuria sancte romane ecclesie, vestrique nominis sub quo ille littere signate fuerant, quum omni dolo, omni mendacio, omnique fallacia plene fuerant et inde magis scandalizatus sum et conturbatus, quod ipse littere omni veritate carebant et tamen Domini apostolici bullam habebant. Sed licet ita fatear, romane tamen puritati nullam omnino fallaciam imputo, sed graviter ut nefas pacior, quod quelibet persona tam impudens fuerit ut tam apertis mendaciis non horruerit fedare aures vestras, vos seducendo et me participare festinando. Ad hec dompnus papa ait: Recita nobis ipsas litteras, ut sciamus an merito fueris conturbatus. Tunc abbas recitavit: Innocentius episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Hariulpho, Aldenborgensi abbati, salutem et apostolicam benedictionem. Non est laudandum quod altare contra altare erexeris et a fideli servo dissentiens commissum tibi talentum non augmentare sed in terram obruere studueris. Itaque, quum monachus sancti Medardi Suessionensis quondam fueris et a tua professione recedens, cellam in prioratum tibi commissam abbaciam tua tibi astucia feceris sancti Medardi monasterium tua obedientia, suaque ecclesiastica spoliaveris, mandamus tibi auctoritate apostolica, ut, deposito baculo, abbati sancti Medardi te **57** ut suum monarchum, sibique jure obedientem celerius restituas, et capitulo fratrum sancti Medardi ecclesiam quam tulisti restituas.

Ecce littere, ymmo ecce gravia mendacia, que luce clarius patet nunquam ita fuisse. Nam sancti Medardi monachus nunquam fui, cellam vel prioratum a capitulo vel ab abbatibus sancti Medardi nunquam accepi, a monasterio sancti Medardi nunquam vel unius oboli quadrantem tenui aut possedi. Salutem vero et benedictionem que primo versu littere sonuerunt amavi et adoravi atque super aurum et topazion dilexi, quum hiis anima mea impinguata plurimum exultavit. Sed qualiter ferre po-

tui vituperium tam immane et injuriam tam importabilem ut viderem vel nossem sacras aures summi pontificis sic infectas sibilo mendacii ut de culmine romani apicis transmitteret litteras in ultimos fines Flandrie regionis. Litteras dico veritate vacuas, falsitate plenas, opprobrium mittentis ubique resonantes. Tunc Dompnus papa ait: Eia! frater, si te sancti Medardi Monachum fuisse tanto tempore denegas, oportet ut dicas de quo monasterio in abbatem te credamus assumptum. Abbas ait: De monasterio optime vobis noto et sancte romane ecclesie familiaritate tota olim devotione applicito, id est, sancti Richarii de Pontivo, ubi sub anno dominice incarnationis m° c° vicesimo primo, indictione xiiij, contigit advenisse vobiscum dompnum Petrum presbyterum Leonis; in eodem loco per dies xiij conversando ubi vobis ambobus et clientibus vestris laute fuit ministratum; ubi eciam abbas Anscerus me ad obsequium vestrum invitavit, cum jam annos xvi[im] in cura abbacie expendissem. Ex illo, inquam, monasterio sub tempore Domini Paschalis pape II per Baldricum, Tornacensem episcopum, necnon per Lambertum, suum archidiaconum, postulatus et ab Abbate A. absolutus et sancte Tornacensis ecclesie condonatus ad ordinem abbacie, premissa fratrum electione, canonice processi, cum jam in eodem loco ante me duo abbates prefuissent Arnulphus et Gervinus, in quorum ordinacionibus sancti Medardi ecclesia nec consilium, nec auxilium prebuit, siquidem ad illam nichil pertinuit. Et papa tunc intulit: Et illius vestri loci quis fuit fundator aut edificator? Abbas respondit: Dompne **58** illum locum, quantum ad cultum religionis fundavit quidam Dei servus nomine Arnulphus. Papa ait: Et quis fuit ille Arnulphus? Abbas ait: Episcopus fuit Suessionensis. Papa ait: Ante episcopatum qualis homo fuit? Abbas ait: Sancti Medardi monachus fuerat. Papa dixit: Cum dicis eum fuisse sancti Medardi monachum et loci vestri fundatorem, oportet proinde ut fatearis sanctum Medardum vestri loci possessorem. Abbas respondit: Nequaquam, o Domine, quia aliter currit ordo gestorum. Et imploramus ut placeat vobis audire, liceatque nobis referre rei continuacionem. Papa dixit: Nos tibi libenter concedimus ut veritatem prosequaris, ita ut et nos de tua narracione sentiamus notitiam veritatis. Abbas respondit: Vir domini, sanctus Arnulphus nobilis genere, nobilior moribus, postquam militiam secularem reliquit, apud sanctum Medardum monachus fuit. Sanctitate autem et virtute plenus, de vita claustrali se redegit ad arduam vitam reclusionis, unde in abbatem assumptus, locum totum copia rerum et legibus mox reparavit. Vocatus autem vel pocius jussus a rege Philippo cum armata milicia in expedicione contra regis hostes exire, maluit in cellam reclusionis secedere. Consequenti tempore Gervasius, dapifer regis, carnalem suum germanum in ecclesia Suessionensi statuit episcopum sine electione cleri vel populi, et sine concilio

A Romane vel Remensis ecclesie. Cujus introitus haud canonicus et vita nimis indecens brevi patuit dompno pape Gregorio septimo, qui non distulit Ursionem deponere et virum Dei Arnulphum reclusum in prefata ecclesia episcopum subrogare. Papa dixit: Ecce, monstrasti istum Arnulphum sanctum fuisse episcopum, sed quomodo ad locum vestrum fundandum pervenerit non monstrasti. Abbas dixit: Parata est monstratio, si presto sit audicio. Pontifex ait: Exequere. Tunc abbas: Comes, inquit, Rodbertus a suis proditus et sue prodicionis rancore, exacerbatus ipsum sue mortis reatum retorsit in quosdam nobilium clericorum, quos a Flandria expulit et officiis atque honoribus spoliatos, ad sanctam romanam ecclesiam convolare coegit. Quo- B rum afflictioni compaciens dompnus papa, misit virum Dei Arnulphum episcopum ad comitem Rodbertum pro reconciliacione eorumdem clericorum. **59** Quibus digne pacificatis subiit in mentem ipsius comitis et quorumdam optimatum, id est, Everardi Tornacensis et fratris suis Cononis atque Balduini Gandensis, ut eidem viro Dei ydoneam mansionem circa ecclesiam sancti Petri apostoli apud Aldenborg ordinarent. Vir autem Domini rectus et simplex de manu comitis illud donum recusavit omnino; quapropter evocatus a comite, tum temporis, Tornacensis episcopus, nomine Radbodus, iniit concilium cum clero suo et disposuit consultans quod ecclesiam sui juris alicui non tra- C deret, nisi sub tali condicione ut statim abbacia monachorum in eodem loco fieri inciperet. Abbacia utique, non cella. Precavebat enim jam tunc ne propter sanctum Arnulphum, quondam sancti Medardi monachum, aliqua querela moveretur; hiis dictis siluit abbas parumper et resumens dixit ad dompnum papam: Ecce, reverendissime pater, tali principio fundatur locus noster, nec sancto Medardo competit, nec a sancti Medardi abbatibus usque modo unquam repetitus fuit. Si quidem abbas iste Suessonicus nullam omnino justicie fiduciam habuit, sed instigatus a duobus clericis nostris insidiatoribus, hoc inconsulte presumpsit, qui dicebant ei: Quid tardatis? quid pavetis? Abbas iste permortuus non contradicet vobis. Clamate ta- D men et recipietis totum. Non sunt vires, non sunt opes quibus vobis resistatur. Viriliter agite et videbitis corda eorum concuti forti pavore. Talibus incitamentis accensus dompnus abbas Medardensis et nostrarum rerum vel virium penuriam sperans fore victoriam suam, induit se armis mendacii. Nec timuit fallere summum pontificem, dummodo tali lucraretur rem indebitam sibi et nomen sibi acquireret fecisse quod antea nemo fecisset. Quod ut subtilius cernatis testamentum episcopi Tornacensis ab initio decretum simul et ipsius Arnulphi imploro ut coram legi jubeatur. Lecta sunt duorum munimenta episcoporum Radbodi et Arnulphi, quibus recitatis et diligenter consideratis dixit abbas ad papam: Ecce dompne, oculi vestri vident et aures

vestrae audiunt, sed et dompni Cardinales aperte percipiunt quod scriptura ista in presenti recitata sancto Medardo vel suis abbatibus omnino nichil attribuunt. Papa dixit : Vere nichil. Presentes ibi tunc episcopi cum Aymerico cancellario dixerunt : Ista munimenta **60** valde prohibent, ut abbati sancti Medardi nunquam amplius contra loquatur. Tunc abbas multum gavisus adoravit papam et conventum et postea dixit : Domini, de vobis post apostolos scriptum est : Nimis confortatus est principatus eorum. Et idcirco ille littere tantum me terruerunt ut nulla racione anima mea quiescere posset, nisi ego ipse tantillus ad vos venirem et argumenta falsitatis tenoremque veritatis vobis presens intimarem. Etenim in omni terra nesciebam personam ante quam potuissem enucleare casus meos nisi romanum pontificem Christi vicarium, successorem Petri et omnium ecclesiarum patronum. Nam si considerans meam imbecillitatem, ad presentem curiam non venissem, appetitor nostri loci contemptorem me fortassis finxisset et vinculum excommunicationis in me initi elaborasset. Tunc dompnus papa ait : Ecce quamvis supra vires laboraveris, quamvis contra votum tuum res tuas expenderis, multum bene fecisti quod ecclesiam romanam expetisti. Ideo et nostram habebis graciam et tuam causam invenies prosperam, quam non titubando, sed docte progrediendo rationabiliter gestorum aperuisti nobis veritatem et in tuis verbis nullam ostendisti ambiguitatem. Amodo tam securus quiesce et volumus ut deinceps nemo te compellat Romam venire. Abbas ait : Honorande pater, quum quidem magnificentia vestra magna est super me, opto ut eamdem in qua ordinatus sum mihi et successoribus meis confirmetis libertatem, ut locus noster qui modo premitur injuste, vestro privilegio munitus amplius non valeat vacillare. Papa dixit : Duo sunt que nobis et tibi resistunt, quod ecclesia tibi commissa presenti calumpnia premitur et tui episcopi petitio non habetur. Tue vero libertati simul et tui loci libenter assentimus, et necesse est ut sic tuam causam componamus qualiter et tu pace nostra gaudeas et instans adversarius locum juste querele invenire nequeat. Unde opus est ut te remoto, consilium cum precibus nostris ineuntes ordinemus et tuam quietudinem et nostram defensionem. Et quia tibi nimium compatimur, id properanter expediemus. Hiis ita peroratis discessum est.

Die sequenti jussit dompnus papa vocari abbatem et jussit cancellario ut abbati nunciaret consilium quod inventum esset. Dixitque cancellarius **61** abbati : Dompne frater, noster Dominus apostolicus cum tota curia sollicitatur pro vobis et pro vestra causa, si vultis acquiescere, ita est ordinatum ut salvo per omnia statu vestro eligantur tres religiose persone de terra Francorum, quibus Dominus papa sic injungat negocium vestrum, ut si ille vester molestator silere noluerit, coram illis personis proclamet et ipsi judicent inter vos, sitque illorum A judicium ratum atque irreprehensibile. Hoc vero ita fieri propter vestram commoditatem excogitavimus et ne Romam repetere egeatis, magnopere cavemus : nam dominus papa totaque simul curia ista vobis nimium condescendit, quin et vultu et sermone nobis omnibus complacetis. Et hoc quod secus pedes dompni nostri sedetis, honoris est delacio et eligendarum personarum optio in vestro ponitur arbitrio. Inclinando vultum respondit abbas : Per omnia gracias agens magis volo et opto ut dompnus papa seu curia sua hanc electionem faciat, sic tamen ut notos adversarios non opponat. Papa dixit : Et qui sunt tibi adversi ? Respondit abbas : Dompnus Cathalaunensis et dompnus Atrebatensis. Papa subridens ait : Nos istis bene credimus et de illorum B veritate atque religiositate confidimus, quod nunquam tibi aliquid injustum facient. Abbas ait : Quamvis valde boni, tamen michi suspecti sunt ; Cathalaunensis, quia sancti Medardi abbas fuerit ; Atrebatensis, quia totam istam molestiam ipse concitaverit. Et ut Jeronimus dicit : Quid opus est certa relinquere et incerta sectari. Habet Francia alios viros non inferioris gratiæ quorum judicium non pavesco. Papa dixit : Si hos rejicis, quos accipis ? Respondit abbas : Si liceat dompnum Morinensem, dompnum Carnotensem et aut Laudunensem vel Suessionensem, accipio. Cancellarius ait : Non tibi dabitur dompnus Carnotensis, quia et a te longinquus et romanis negociis occupatissimus est. Nec Laudu- C nensem, quum obtinuit ut nullo sibi causa preter propria imponatur. Suessionensem idcirco non damus, ne inter ipsum et sancti Medardi abbatem litem aut discordiam seminasse dicamur. Provide bonos viros, qui sine simulacione judices episcopos vel abbates et quibus nulla suspicio ab aliqua parte imponatur, et sint judices hujus negocii. Abbas alacrior dixit : Libenter accipio dompnum abbatem Clarevallensem et abbatem sancti Remigii Remensis et abbatem **62** Cysterciensem. Cancellarius ait : Dominus papa non permittit fatigari abbatem Clarevallis quia egrotus est ; abbas Cysterciensis, quia longinquus est ; abbas sancti Remigii nimium vicinus est, et succenseretur ei si faveret tibi. Si juvaret alterum, diceretur fecisse ob copiam deliciarum : D sed esto ; accipe dompnum Morinensem, simulque Atrebatensem et abbatem Premonstratensem. Abbas ait duos laudo, tercium si possim recuso, id est episcopum Atrebatensem. Papa dixit : Quid metuis de ipso, cum nos illum religiosum et sani consilii virum esse senciamus. Abbas ait : Idcirco metuo, quum pertinax est in zelo suo et imputatur ei instigacio hujus laboris mei. Papa ait : Admitte illum et nos spondemus quod tibi nullum inferet detrimentum. Rediens autem cum pace in Flandriam quia pervius est, visitabis eum et dices illi salutem ex me, adjiciesque : Dompne, Romanus pontifex indicit vobis sub ea fiducia quam habet de vobis ut nullatenus michi noceatis. Tunc abbas ad papam ait : Domine pater et tocius pastor, quandoquidem

vobis ita placet, licet valde nociturum admitto illum ob hoc ut intelligatis quod sic ut devotus filius vobis obedio. Papa dixit : Recte dicis et rectius agis, idcirco omnes favemus tibi. Itaque postquam sic dictum vel factum fuit jussit papa cancellario scribere litteras eidem abbati tribuendas et convertens papa vultum suum ad cardinales dixit eis voce clara : Mea fide homo iste magnifici cordis est. Cardinales dixerunt : Vere constanter et honeste atque curialiter peregit causam suam. Abbas ait : Domine, si me boni cordis esse sentitis, eo promptius bene michi facere debetis. Papa dixit : Vere nos tibi faciemus quecunque salva justicie romane prevaluerimus.

Alia die cum venisset abbas ante conspectum dompni pape, dixit illi subridens : Quid nunc frater : Vidisti litteras tibi factas ? Abbas respondit : Domine, non vidi. Ecce, ait, apud cancellarium sunt ; si vis, vade, et vide et renuncia nobis an tibi placeant. Ille abiit, vidit, legit, et renunciavit dicens : Bene placerent si dompnus Atrebatensis remotus fuisset ; nam timor ille qui me semel cepit, a pectore nunquam recedit. Papa dixit : Tibi nostro concessu, duorum electio data est, minus non decet quam ut vel unius electio nobis tribuatur. Abbas ait : Et unius et omnium **63** electio vestro consistat arbitrio. Papa ait : Bene dicis, sed primo affectu te precamur et monemus, quum quidem moriturus es, ut animam tuam non perdas pro causa ista, sed si aliquid veritatis justitia tibi nota est, quod sancti Medardi esse debeat, fatere nobis vis aperte. Vis secretius et nos bonam cum abbate illo tibi componemus concordiam nec aliqua ratione paciemur tuam inhoneste tractari caniciem ? Tunc consurgens abbas stetit et ait : Domine pater et pastor tocius orbis, audite obsecro et intendite michi. Per illam vere fidei soliditatem in qua Petrus fundatus erat cum dixit : Tu es Christus filius Dei vivi, quod ego in causa ista justitiam ecclesie sancti Medardi nunquam scivi vel agnovi. Cum enim certissimum habeam beatum Medardum esse preciosum Domini confessorem cur res ejus minuerem vel negarem cum scirem inde mihi provenire dampnacionem. Absit hoc a me, absit ab omni Christiano ut tanta vesania me existimet occupari. Cancellarius dixit ad papam : Vere Domine, licet non premeditatus, honestissime vobis et toti curie vestre satisfecit. Ob hoc judicamus quod causa ejus verax et justa debet haberi, quum non scrupulose sed luculenter ante vos et coram vobis cause sue raciones disseruit et nullum verbi anfractum offendit sed omnes sermones recto tramite decucurrit. Papa ait : Benedictus sit a Deo et a nobis. Abbas dixit ad Dominum papam : Recessurus peto ut confessionem meorum reatuum audire dignemini, ut qui peccator adveni, per vestram absolutionem purgatus abscedam. Cancellarius ait : Mea fide, rem justam petit. Papa adjecit : Libenter facimus. Abbas dixit : Si facitis, tollite moram. Ait papa : Fiat, ecce sequere me. Statim surgens secessit in locum secretissimum : quem abbas insecutus fecit confessionem, accepit absolutionem et benedictionem et exire voluit. Papa subsistens ait : Volo frater et peto ut fratres nostros karissimos ex me salutes et de nostra incolumitate illos letifices, Abbas ait : O quam libenter si scirem qui sunt illi et si loca illorum pervia michi forent. Papa ait : Non quero ut deseras viam tuam, sed si forte etiam per annum tibi occurrerint memor esto petitionis mee. Abbas ait : Si placet, dicite qui sint? Et papa : Dompnus Lingonensis, dompnus Antisiodorensis, Carnotensis, Cathalaunensis, Atrebatensis, **64** Morinensis, Suessionensis, Laudunensis. Abbas ait : Et quare preteritis dompnum Noviomensem, cum vita ejus nobilis reliquis sit utilior ? Papa ait : Non pretereo, sed dilectas salutes illi mando. Abbas ait : De episcopis vobis cura, abbates prorsus spernitis ? Papa ait : Et abbates et omnes religiosos exopto in Domino salutari, precipue de Claravalle et similes illis. Abbas dixit : Abbas sancti Remigii valde dignus est a vobis salutari, quum locum illum prout valebat tantumdem melioravit. Studiose ait : Illum et reverenter saluta, quum optime se exercuit in domo Domini. Quam maxime hoc deprecor ut venerandum fratrem et amicum nostrum Hugonem, Premonstratensem abbatem, sublimiter et sollicite salutes, illique pro beneficiis nobis ab eo sedulo impensis magnas grates vice nostra respondeas. Abbas ait : Domine, si vobis placet ut tantopere a me vice vestra salutetur, tunc oportunum michi erit ut per eum locum redeam et illi paternitatis vestre mandatum presenti presens exhibeam. Papa ait : Optime, agis, nec aliquid poteras nobis impendere magis graciosum. Abbas dixit : Forsan dubitabit a vestra celsitudine talia michi fuisse imposita, nisi aliquod aptum signum ab ore vestro prolatum illi pretulero. Papa dixit : De libro sancti Augustini, de civitate Dei, quem bene scriptum, pulcre ligatum et ornatum nobis transmisit grates multas referimus. Et apud illos, nec Dominus, nec pontifex esse querimus sed inter fratres unus eorum esse et permanere exoptamus. Si quid tamen ex officio nostro illis prodesse potuerimus, revera ad hoc impigri et alacres inveniemur. De cetero ut pro nobis et pro romana ecclesia apud Deum invigilent optamus et deprecamur. Pax tibi.

1159.

Theodericus, comes Flandrie, tercia vice ab Jerosolimis revertitur. Sibilla autem comitissa uxor ejus ibi remansit et habitum religionis, consentiente viro, apud sanctum Lasarum sumpsit, ubi sancto fine quievit.

1160.

Matthæus, filius Theoderici, comitis Flandrie, filiam Stephani, olim regis Anglie, sororem predicti comitis Bolonie jam defuncti, abbatissam **65** raptam de monasterio ubi erat Deo consecrata per violenciam Henrici, regis Anglorum, ducit uxorem

et per eam obtinet comitatum Bolonie. Qua de causa a Sampsone, Remorum archiepiscopo et omnibus suffraganeis ejus excommunicatus est et a patre suo Theodorico comite et fratre Philippo, propter castellum Lens, quod adversus eos jure hereditario repetebat, nimium injuriatus.

1178.

Philippus, comes Flandrie, octobri mense reversus, a suis Flandrensibus favorabiliter est susceptus. Inter quos Brugenses oppidani piscem monstruosum jam pridem a piscatoribus captum et sale conditum obtulerunt. Habebat enim ad similitudinem avis rostrum permaximum et super caput cartillaginem gladio simillimam.

1179.

Rome celebratum est famosum concilium ab Alexandro papa. Philippus, filius Ludovici pii et religiosi regis Francorum, cum filiam Balduini comitis Haynonensis, neptem Philippi, comitis Flandrie, ex sorore duxisset uxorem, in festo Omnium Sanctorum Remis ab avunculo suo Willelmo, archiepiscopo Remorum, coronatur in regem.

1180.

Pons Aldenardi factus fuit arte Gherardi
Ac ope Liberti duplici, de munere certi,
Annus leticie fuit octogesimus m. c. (105)

1181.

Sanctus Folquinus, episcopus Morinensis, sanctitate preclarus, qui, in ecclesia sancti Bertini corpore quiescit, a duobus episcopis, dompno videlicet Desiderio Morinensi et Petro Thelonensi, e veteri scrinio in **66** quo multis annis jacuerat, tertio transfertur et in novo feretro a dompno Symone abbate predicti loci honorifice fabricato reconditur, anno a transitu ejusdem sancti ccc° xxvi°, vi Junii. Alexander papa obiit, cui successit Lucius. Hoc anno orta est magna discordia inter Philippum, regem Francie et Philippum, comitem Flandrie.

1185.

Philippus, comes Flandrie, missis legatis in Hyspaniam, uxorem duxit filiam regis Portugalie, Mathildem nomine. Philippus, rex Francorum, instinctu Balduini, comitis Montensis in Philippum, comitem Flandrie, iterum insurgit; qua de re idem Philippus, auxilio fretus Philippi, Coloniensis archiepiscopi, terram comitis Montensis ingreditur, eamque rapinis et incendiis magna ex parte depopulatur. Quod comperto, rex Francorum cum exercitu suo Viromandiam ingreditur, accedensque ad castrum quod Mons Desiderii dicitur, ipsius suburbana succendit; deinde Henrico rege Anglie mediante, vel pocius hyemis asperitate, qui jam instabat compellente, unusquisque ad propria est reversus. Philippus, rex Francorum, non contempnende probitatis juvenis, cum exercitu suo Viromandiam ingreditur. Cui cum exercitu suo Philippus, comes Flandrie, usque Ambianis occurrit; sed comes non minus regie majestati quam proprio honori deferens, populorum eciam cedem coram Deo et hominibus sibi imputari formidans, partem Viromandie regi concessit, ut residuum sibi in pace tenendum confirmaret. Henricus rex, filius Frederici imperatoris, qui futurus sperabatur imperator, amitam regis Sicilie duxit uxorem.

1188.

Philippus, rex Francorum et Henricus, rex Anglie et comes Flandrie Philippus exhortacione Henrici, Albanensis episcopi, sedis apostolice legati, cruces assumunt post Domini nativitatem. Idem vero episcopus postquam **67** totam Germaniam et Galliam ad vindictam Jerosolimitane destructionis armaverat et orationes publicas a dompno papa Gregorio institutas universis ecclesiis observandas tradiderat, tandem in Flandriam veniens, in territorio Atrebatensi apud Maroelles defingitur et auxilio Margarete regine, relicte Philippi, comitis Flandrie, Clarevallis transfertur. Dominica medie quadragesime, apud Meguntiam, generali curia congregata, Fredericus imperator cum multis episcopis et tocius regni sui principibus et innumerabili multitudine Theutonicorum cruces sumunt

1189.

Philippus, rex Francorum, assumpto secum Philippo, comite Flandrie et Richardo Aquitanie, castella et villas regni Henrici, regis Anglie et incendit et destruit, quorum assultum rex Anglie non sustinens et de loco ad locum fugiendo eorum adventum devitans, tandem Cenomannis pervenit, ibique predicti principes insecuti sunt, super quo rex Anglie supra modum contristatus in infirmitatem decidit et ad Chynon usque perveniens diem clausit extremum. Hinc apud Fontem Ebraldi delatus, vix necessarios sumptus ille quondam dives et prepotens ad sepeliendum habens, ibi in monasterium sanctimonialium tumulatur.

1198.

Comes Flandrie et Haynonie Balduinus castrum sancti Audomari quinque hebdomadarum obsidione clausit et rege Philippo nullum ferente subsidium cepit, et obtinuit. Arienses enim jam se sponte reddiderant in manus ipsius.

1200

Philippus, rex Francorum et Johannes, rex Anglorum, Balduinus quoque comes Flandrie et multi alii utriusque regni principes in marcis Francie et Normannie ad mutuum conveniunt colloquium. Ibi

Anno 1179. Brando aliter narrat hanc coronationem regis Francorum.

Anno 1187. Aldenb. narrat mortem comitis Flandriæ Philippi, quam Brando narrat ad annum 1191.

Anno 1193. Aldenb: refert rebellionem Theoderici de Beverne; Brando vero ad annum 1192.

(105) Alio charactere scripti sunt hi versus.

Ludovicus, puer, 68 filius regis Francorum, uxorem accepit filiam regis Hyspaniarum, quæ erat filia sororis Johannis, regis Anglorum. Ibi pax firma firmata est inter reges et principes.

1201.

Post mortem comitis Flandrie Philippi, in territorio Furnensi inter Blavotinos et ingrikinos guerra per aliquot annos durat. Homicidia, incendia, rapine fiunt, nec est qui justicie manum apponat. XVI kl. Decembris quidam miles, Herbertus nomine, de Vulfrenghem, qui precipuus inter Blavotinos habebatur, castrum comitis in ipsa villa de Furnis, collecta parva manu suorum, incendit. Ob cujus facti audaciam tam ipse quam sue factionis coadjutores per bannum comitis Balduini et regine Portugallensis per aliquot tempus ejecti sunt de terra et bona eorum confiscata.

1202.

Balduinus, comes Flandrie et Haynonie, Jerosolimam tendens, Venetiis hyemavit. Qui prius inimicam Venetiis gazarum civitatem subactam eis tradidit et sic ad illam nobilem munitissimam, opulentissimam et fere inexpugnabilem civitatem Constantinopolim expugnandam, de Dei confisus adjutorio, cum paucis accessit; in qua, expugnata secundo, in imperatorem eligitur et coronatur.

1203.

Maria, uxor predicti Balduini comitis, neptis Philippi illustris regis Francorum, virum suum insecuta, multa et gravia perpessa maris pericula, tandem Acharon applicuit, ibique longa egritudine macerata spiritum exalavit.

1205.

Balduinus, imperator Constantinopolitanus, a Johanne, cognomento Blake, in conflictu inter se commisso captus fuit. Imperator attamen in 69 captivitatem ductus, postea nostris nunquam comparuit. Quidam autem fabulantur quod post multos annos, post multam penuriam reversus sit, sed non est agnitus a filiabus et quia ignorabat tempus desponsacionis sue, vel ipse vel alius, qui menciebatur se ipsum esse, in Insulis suspensus fuit. Successit ei, anno sequenti, in imperio Henricus, frater ejus comes de Alencione. In comitatu vero Flandrie et Haynonie Johanna, primogenita ejus filia, successit, quam in sua custodia et tutela rex Francie Philippus habuit, donec matrimonio eam copulavit Fernando, filio regis Portugalensis. Itaque Flandria pro parte Johanne filie attingens et Haynonia a rege Francie regebatur annis sex, usque ad adventum Fernandi. Mathildis vero, regina Portugalensis, vidua Philippi, olim comitis, de jure suo testamentali partem Flandrie usque ab obitum ejus tenebat. Videlicet Bergas, Casletum, Brugburch cum territoribus adjacentibus, Insulam quoque et Duacum et alias plures villas hinc et inde jacentes.

1213.

Philippus, rex Francorum, collecto exercitu et navigio magno, cum multi eum in Angliam transfretare putarent, ipse, mutato ut videbatur proposito, totum exercitum suum in Flandriam duxit et acceptis obsidibus a melioribus castris, scilicet: Ipra, Gandavo et Brugis, in Franciam rediit. Post cujus recessum, comes Flandrie Ferrandus castra sua recepit. Postea domnus Ludovicus, primogenitus regis Francie, villam super mare, que dicitur Novusportus et quasdam alias, scilicet Balleolum et Stenfort, pro magna parte combussit et devastavit, ubi capti fuerunt innumerabiles utriusque sexus. Deinde, paucis evolutis diebus, comes Flandrie civitatem Tornacum cepit, muris ejus in parte dirutis. Insula vero opidum ei redditum fuit, quod in brevi a domno rege Francie iterato combustum fuit.

1214.

70 Johannes, rex Anglie, cum magno exercitu Pictavum venit et confederacione ei facta a Pictavensibus, castrisque redditis, domnus rex Francie nimium exacerbatus, domnum Ludovicum primogenitum et marescalum ibidem cum multis militibus ad resistendum ei transmisit. Stipendarios suos domnus rex Francie de castris Flandrie revocavit. Illi qui Casleti morabantur castello succenso recesserunt.

Bis sescenteno Domini rex gallicus anno
Bis quoque septeno Philippus ponte Bovino
Flandrensem comitem Fernandum cepit et agmen
Corruit Ottonis, in festo Panthaleonis (106).

1215.

Post hec, paucis interpositis diebus, Fernandus, comes Flandrie, cum magno exercitu terram Arnoldi, comitis Gisnensis, ingressus, apud Gisnes comitissa capta cum quibusdam suis et in Flandriam ducta, castellis de Gisnes, de Colewide et Sangathe magna ex parte dirutis, Bonham quoque, ejusdem comitisse castellum, post decimum diem obsidionis redditum fuit Hugoni de Bova, militi, qui ex parte regis Anglie comitem Flandrie adjuvabat et ipse idem castellum funditus evertit. Deinde ad adventum domni regis Francie Flandrenses formidantes, castrum Aria quod aliquandiu obsederant, reliquerunt. Post modicum autem tempus, audito adventu Otthonis imperatoris, cum magno exercitu domno Philippo regi Francorum occurrerunt in Flandriam, apud pontem de Bovines, non longe a castro quod dicitur Insula et ibidem inconsulte cum eo congressi sunt. Domini vero dictante justicia, invictissimo regi Francie, domno Philippo, con-

Anno 1205. Pauca hic differunt a Brandone. Cfr. Genealogiam comitum Flandriæ, unde desumpsit Brando.

An. 1213 et 1214. Fusius in Brandone.

(106) Alia manu exarati sunt hi versus.

cessa est victoria gloriosa, fugatoque Otthone, qui dicebatur imperator, capti fuerunt ex parte Flandrensium validiores ad arma et magis strenui, 71 videlicet comes Flandrie Fernandus, comes Salesberie, Willelmus Longa spada et comes Bolonie Reynaldus et alii multi de melioribus Flandrie, pauci tamen interfecti fuerunt, quia fuga se liberaverunt.

Annis ter quinis conjunctis mille ducentis
Per mare Flandrensis tellus submersa jacebat (107).

1219.

Mathildis, regina Portugalensis, uxor olim Philippi, comitis Flandrie, moritur et in Dunis monasterio sepelitur; tamen postea ad Claremvallem apud maritum suum collocatur translata.

1223.

Igitur anno Domini m° cc° xx° iii° facta est gloriosa translatio sancte Lewinne, virginis et martyris, a domno Adam, Morinensi episcopo, super montem qui dicitur Groneberch, quorum gloriose reliquie in feretro, ex auro et argento decenter fabricato, sunt recondite; ad quorum gloriosam translacionem interfuerunt multe venerabiles et religiose persone.

1225.

Bis sescenteno quinto quoque bis quoque deno
Insula Bertramno pendente dolens fuit anno.

1227.

Oppidum Brugense incendio miserabiliter comburitur.

1228.

Fernandus, comes Flandrie, qui per XII annos et sex menses Parisius in capcione regis Francorum detentus fuerat, multa redemptus pecunia liberatur circa Epyphaniam Domini.

1233.

72 Adde triginta Jhesu tres annos mille ducentis
Flandria debellat tunc millia quinque virorum
Stadingorum; quos spoliat Brabantia cunctos
Quorum regna furens Hollandia depopulata est (108).

1237.

Facta est gloriosa translacio beati Bertini abbatis a domno Petro, episcopo Morinensi, tempore domni Jacobi tunc abbatis ejusdem ecclesie. Huic autem translacioni interfuerunt multe ecclesiastice persone et seculares, scilicet episcopus Atrebatensis, abbas Guillelmus sancti Winnoci, abbas Johannes de Alchiaco, comes Ghisnensis et alii multi.

1246.

Sub quadraginta sex annis mille ducentis
Parisius sexta feria post festa Naboris
Rex et legatus discernendo comitatus,
Uni Flandrensem, reliquo dat Hanoniensem

1253.

Bis sescenteno quinquageno tribus annis
Conventus fuerat hic propter debita sparsus.
Bis c l m quoque ter i fuit annus quando subacta
A Affuit Hollandis Fanoria capta dolis
Bis sescenteno quinquageno quoque terno
Armis Zelandos invasit Flandria classe.
73 Innumera cum gente robusta, milite forti
Quos partim morti fortuna dedit truculente
Non vis armorum, non hostis dextra, sed horum
Vis divisa, maris jactatus et ira deorum (109).

1259.

Bis sescenteno quinquageno quoque nono
Octavis Petri Paulique simul, dominorum
In dormitorium conventus primitus intrat.

1263.

Bis sescenteno sex x trino quoque, regem
Symonis auxilio de Montfort Anglia cepit,
Qui virtute sua liberat se, Symone ceso
B Tunc varius populus Brugis convenit in unum.
Ante parum stella fuerat tunc visa cometa

1274.

Bis sescenteno quarto quoque septuageno
Gregorius denus convocat omne genus
Lugduni, tale dans concilium generale.
Vult cruce signare populum, grecosque vocare,
Atque reformare clerum, saccos nichilare,
Sex annis que vorat decimam, bigamos inhonorat.

1276.

Bis sescenteno sexto quoque septuageno
Circa Leodium devastat Flandria terram.
Bis sescenteno sexto quoque septuageno
Terremotus erat vigiliarum nocte Mathei
74 Bis sescenteno sexto quoque septuageno
C Polrus dikatur Boomburch, Hem qui vocitatur,
Postea bis deno polrus conjungitur alter.

Epistola Petri, regis Aragonum, ad domnum Karolum, regem Sycilie, anno ab incarnatione Domini nostri Jhesu Christi millesimo ducentesimo octuagesimo secundo.

1282.

Magnifico principi domno Karolo, regi Jherusalem illustri, Petrus Dei gracia Aragonum et Sycilie rex. Cum venissemus ad partes Barbarie ad impugnandum Saracenos, misimus nuncios nostros ad romanam ecclesiam cum quibusdam nostris peticionibus, quarum nullam potuimus obtinere et postea venissemus in Syciliam, audientes gentem querelantem, quod vos gravastis eos et hostiliter D impugnatis. Unde nostrum consilium implorarunt et quia nolumus eos deficere, nec possumus propter uxorem et filios ad quos regnum ipsum jure hereditario noscitur pertinere; vos rogamus quatinus ab injuriis et molestiis hujusmodi desistatis. Et talibus datoribus presentium credatis in hiis que vobis dixerint ex parte nostra.

Rescriptio domini Karoli, regis Sycilie, Petro regi Arragonum, anno m° cc° octuagesimo ii°.

1283.

Petro solo nomine regi Arragonum atque Sycilie ut dicit, Karolus Dei gracia Jherusalem et Sycilie

(107) Alia manu sunt scripta. Idem relata annis 1225 et 1227.

(108) Omnia hæc alia manu sunt scripta. Idem dicendum de relatis annis 1246 et 1253.

(109) Omnes hi versus alia manu sunt scripti Idem dicendum de versibus annis seqq. relatis.

rex, ducatus Apulie, principatus Capue, **75** Andegavie, Provincie, Fonscalcarii, Antemodani comes, alme urbis senator. Si nomen tibi graviter acquisitum conservare volueris de spelunca quam nunc inhabitas, caput te decet emittere, si tua juventus experiendi sumat audaciam quanta strenuitas solet in nostris militibus inveniri quilibet avidissime te dixerint expectandum. Ne tamen mora virium tuarum, quod absit, impediat experientiam, cito locum quem nunc inhabitas auctore Domino visitabo

Epistola Domini Martini pape quarti ad dominum Karolum, regem Sicilie, anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo tercio.

Regi Sycilie illustri. Mortalibus hiis quos sincere caritatis zelus afficit esse solet gravius de carorum inordinacione turbari, acerbius illorum errores arguere, illosque diucius increpare. Hunc ergo morem erga te, fili karissime, facti exigente qualitate prosequimur. Nunc presertim cum vices licet insufficientibus meritis geramus illius, qui quos diligit arguit et castigat, non indigne servamus. Quod est enim verbum in quo te audivimus nobis insciis et saltem ex hoc juris censura invito animo censendis tam themerarie consensisse. Videlicet ut cum P. rege Aragonum particulare certamen, ita quod tu centesimo milite, ac ipse similiter e regione conveniatis in illo et insimul confligatis inire promiseris et in subitacione spiritus previus juramento firmaveris communi concensu pariter in penam succumbentis partis, adjecto ut ille quem ex vobis contigerit, in certamine ipso succumbere, si de illo vivus evadat, ex tunc nec regem Sycilie, nec alicujus terre dominum nominet, sed et toto tempore vite sue solus incedat, planicie Burdegalensi pro loco et Kalend. Junii pro termino ad id ut predicitur assignatis. An nescis quod regnum Sycilie a romana tenes ecclesia? Et es nobis et ipsi ad multa exinde, sub juramenti corporalis vinculo repetiti multociens obligatus? Ex quo satis advertisse debueras ipsius regni negocium tam contra **76** dictum regem Arragonum quam quoslibet eandem ecclesiam et te impugnantes in illo ipsius ecclesie non minus esse quam tuum. Unde igitur tanta presumptio? Quid tibi vis ista promptitas? Que racio persuadet ut in te ac similiter circa defensionem regni proprie potencie ipsius ecclesie finem ponas? ymmo immense virtutis filius Dei vivi, qui discipulis suis, quos ipsius ecclesie jecit videlicet precipue fundamenta, Ego, inquiens, vobiscum sum usque ad consummacionem seculi, eidem ecclesie promisit potentiam perpetue astitricem. Profecto, fili karissime, non est sermo iste, qui misericordiam provocet, sed iram excitet et furorem accendat. Est ne itaque inconsulte hoc actum? Suntne ista tue solite prudencie opera? Non tibi ad prudenciam putes ascribi, ymo ad imprudenciam potius imputari, quod prefatum regem Arragonum tibi prorsus viribus inequalem, ut de ceteris taceamus, qui velut desperatus censetur hoc agere,

A utpoto contra Dei justiciam ipsius ecclesie, tuam tuorumque potenciam desperans merito posse subsistere, tibi judicio bellice dampnateque sortis equasti. Quomodo potuit te inimici tam subdoli, tam insidosi, terram tuam fraudulenter ingressi adeo provocatio irritare, ut ad tam inordinata procederes, ad tam erronea prosilires, quasi te in eventu quoque nobis non consensientibus tue voluntatis arbitrio ab hiis possis absolvere, ad que ipsi ecclesie nobis nostris successoribus pro regno eodem tam solempniter es astrictus, tam obnixe teneris vel jure id negante amittere in eodem tibi commissum imperium, illud a te taliter abdicando. Non intendis ad tam indiscreta, quam themeraria, quam dampnosa te per hoc dicti regis Arragonum B preruinpere fecit iniqua sagacitas, sagaxque nequicia, ut scilicet regnum cum ipso, qui nullum jus habet in ipso, eventu quantum fuit in te pari commiseris et te consenciente in re tua sit tibi et ipsi par judicium, par exitus, par eventus. Ut ipse, quem sui graves et enormes excessus in eandem ecclesiam tuamque commissi magnificentiam culpis gravioribus obligant, brevis et equalis tibi et sibi pugne commertio penas redimat graviores, non tam equale quam idem cum passus injurias ipse tantas et tales inferens judicium subiturus. Ut tu cujus vires mundus majores non dubitat, tuas tam angustares spontaneus et suas illis in cujusdam non **77** laudande animositatis impetu insultus equares, ut te a recuperacione Sycilie quam non in C sui fortitudine brachii, sed in populi rebellione Syculi occupavit, quin verius de ipsorum rebellium ipsam occupatam jam tenentium manibus clandestinis insidiator et usurpator accepit sollicitudo hujus futuri conflictus abstraheret et tam ipse quam alii, qui forsan in tua persecutione non dormiunt, te maxime ipsius occasione conflictus absente suas liberius insidias prosequuntur. O fili karissime, si adesset tue presencie copia, si daretur mutuis hora narrantibus quam plenius commissas in premissis themeritates exprimeret lingua quam littera, quam amarius argueret, quam profundius increparet, quam clarius justas causas increpationis ostenderet vivus sermo quam scriptus. D Verum, quia in hiis increpacio affectu paterno sola non sufficit nisi et correctio subsequatur, ad remedium celeris correctionis intendimus, ad illud plenis desideriis suspiramus. Ideoque promissionem tuam prorsus illicitam et juramentum super ea prestitum, themerarium declarantes, et carere virtutibus te quia ad illorum non teneri observantiam decernentes, ab illis te nichilominus absolvendo quatinus processere de facto themeritates redeant, monemus, rogamus et hortamur attente in remissionem peccatorum, tibi suadentes et nichilominus sub debito nobis et ipsi ecclesie prestiti juramenti, factique vassallagii et homagii arcius injungentes, quatinus a prosecutione premissorum et juratorum taliter prorsus abstineas et omnimodo desistas.

Nos enim universis et singulis Christi fidelibus, ne illa tibi prosequenda qualitercunque sic adeant, neve in illorum prosecutione tibi consilio, auxilio vel favore aut alio modo quovis assistant, districtius inhibemus. Et nichilominus in omnes secus quolibet modo presumentes cujuscunque sint preeminencie, condicionis, aut status; etiam si regalis vel imperialis, aut cujuslibet alterius secularis dignitatis honore prefulgeant, non obstante aliqua indulgencia sub quacunque forma vel expressione verborum eis, vel eorum alicui ab apostolica sede concessa, etiam si de ipsa oporteat plenam et expressam, sive de verbo ad verbum in nostris litteris fieri mencionem, ex nunc excommunicationis sententiam promulgamus. Et te, nisi predictis nostris monitis et mandatis precise parueris, **78** eandem summam incurrere decernimus ipso facto. Nullo tibi in hoc suffragaturo ejusdem sedis privilegio, vel que, cujuscunque tenoris vel expressionis, existant, quoad id omnino evacuamus.

1326.

Hoc anno pax que inter comitem et comitates fuerat prolocuta turbari cepit; nam dum juxta formam pacis inquireretur de forefactis utrobique per arbitros, et emendarentur singula juste, populares insequebantur arbitros predictos in multitudine armata et cum verbis contumeliosis querebant obtinere intentum specialiter super correctione cujusdam homicidii facti super mare per nobiles super inimicis suis, quod populares retorquebant in gravamen communitatis comissum et volebant ut ad voluntatem eorum corrigerentur. Die ergo assignata in monasterio de Dunis, ut pacifice sine armis ibidem convenirent, venerunt illico in tanta multitudine populares cum capitaneis eorum Nicholao Zannekin et Sigero Johannis, armatique arbitri ad concordiam deputati non audebant comparere, nam videbatur eis quod iterum incipiebant insanire populares et verum fuit. Comes autem Ludovicus ab ipsis popularibus postea captus erat apud Curtracum. Hoc facto, advenit exercitus Brugensium Curtracum et statim comes eis est traditus captivus cum aliquibus militibus, qui comitem imponentes equo parvo fecerunt eum duci Brugis, ubi firmiter et strictissime detineretur. Tandem post maximam stragem popularium per illos de Gandavo, qui erant ex parte comitis, Brugenses ad vocem populi comitem solverunt et deliberaverunt. Comes autem, promissa impunitate popularibus et indulgens eis que in ipsum acta fuerant, a captivitate solus venit in Gandavum et inde Parisius ad regem Francie accessit.

A **79** *Genealogia sancti Arnulphi episcopi et confessoris*

Albertus, comes Namurcensis, habuit tres germanas sorores: Ludgardam, Godam, Ermengardam. Qui Albertus genuit Godefridum patrem Godefridi Namurcensis. Ludgardis genuit Emmonem et Ottonem fratrem ejus. Emmo genuit Arnulphum, comitem de Loo et Sophiam, ducissam de Hungaria. Ista Sophia genuit regem de Hungaria et ducissam de Huy. Otto frater Emmonis genuit Giselbertum de Duzas. Goda, soror Alberti comitis, genuit Meinsindam matrem sanctissimi Arnulphi, episcopi Suessonice civitatis in Francia.

Epythafium Hariulphi abbatis.

Pontivo natus, pronus studiis Hariulphus,
  Almi Richarii claustra puer subiit,
B In quibus imbutus deceat qui nosse magistrum
  Aldenburgensis tercius abba fuit,
Rem sibi commissam pro viribus amplificavit.
  Crescere, Petre, tuis semper opes siciens
Fratribus exemplum pretendens compatientis,
  Multa nimis tacuit queque loqui decuit;
Arnulphi vitam conscripsit presulis almi,
  Civibus Aldenborg tale ferendo decus.
Ipsius et studio de terra membra levantur
  Presulis ejusdem, auxiliante Deo,
Pro quibus a Domino donetur rite corona,
  Huic Hariulpho propiciante Deo.

80 *Vita Hariulphi abbatis* (110).

Hariulphus Benedictini cœnobii Aldenburgi abbas, scripsit et inscripsit Guilielmo, Doroberniæ in
C Anglia episcopo, vitam sancti Arnulphi, Suessionensium episcopi, prout ea etiam nunc legitur inter Vitas sanctorum a Surio collectas, tomo V, ad 15 augusti; prætermissa tamen triplici præfatione quæ in MS, quod apud Cistercienses juxta Noviodunum servatur, reperitur, ita incipiens: Domno Lamberto, Dei gratia episcopo Tornacensi etc. Scripsit præterea vitam B. Gervini, secundi abbatis Aldenburgensis monasterii, cui et ipse in prælatura successit, ex quo facile conjiciendum, sæculo duodecimo hunc Hariulphum floruisse. Prædictæ autem vitæ, teste Molano, cum missali et pontificali sancti Arnulphi diu in præfata abbatia servata fuerunt, sed nescio an nunc adhuc super-
D sint, nam everso, anno 1578, hæreticorum ac perduellium rabie, antiquo illo monasterio, religiosi variis in locis dispersi fuerunt, redierunt autem postea et nunc (initio sæculi XVIII) cœnobium illud quod aliquo tempore pæne interciderat cura et solertia præsentis prælati aliquo modo reflorescere incipit.

Vita Gasparis de Bovincourt (111).

Gaspar de Bovincourt, nobilis Arthesius, in juven-

Anno 1303. Aldenb. erronee narrat hoc anno pugnam Montis in Peuvla, rectius anno sequenti eam narrat Brando.

Anno 1326. Aldenb. videtur abbreviasse Brandonem.

(110) Desumpta ex Amphitheatro illust. virorum Brugensium, Ms a P. J. Van Male, quod asservatur in musæo prænob. D. Van Huerne de Puyenbeke. Brugis. Plura curiosa de Hariulpho refert Foppens in Bibliotheca Belgica, t. I, p. 432.

(111) Ex eodem Ms Musæi Prænob. D. Van Huerne de Puyenbeke.

tute sua in Aquicinctina abbatia religiosa vota emisit; deinde moribus ac prudentia singulari 81 præditus, dignus inventus est ut in abbatem eligeretur antiquissimi cœnobii S. Petri Aldenburgi, tertio lapide a Brugensi urbe distantis. Vir erat per omnia gravis ac elegans, corporis habitu decorus, moribus laudabilis, ac patriæ nostræ primoribus gratus, adeoque dignissimus ut in concessum ordinum Flandriæ adsumeretur; eorum autem nomine, quarto prælatus sui anno, id est 1572, missus in Hispaniam ad potentissimum regem Philippum II, ut præsentem tunc temporis statum exponeret, magna solertia ac prudentia commissione sua functus est, retulitque ordinibus felicem missionis suæ successum. Scripsit varia, inter quæ ab authoribus recensentur imprimis Itinerarium Jerosolymitanum et ad montem Sinai, in quo accurate omnia illa quæ per longum illud iter illi memorabilia obvenerunt descripsit. Tractatum de Arithmetica, Exhortationes spirituales ad fratres ac denique versu gallico librum unum de Providentia divina, alterum de sui ipsius cognitione, qui quidem prælo parati, jam erant approbati a doctissimo nostro Jacobo Pamelio, tunc temporis canonico S. Donatiani ac Ebrorum censore, sed additionem præclusit magni illius viri obitus, nam ubi phtisi laborans, mitiorem aerem quærit et se transfert in villam Craneburgicam prope Brugas, ibidem vitæ suæ finem invenit 11 februarii, anno 1577, postquam abbatiæ præfuisset septem annis, mensibus decem, diebus septem. Cadaver autem ad monasterium devectum ibidem in choro juxta summum altare, ad latus sinistrum, tumulatum fuit. Possevinus vero, in suo apparatu honorificam illius viri mentionem facit, nec immerito, nam præter nobilitatem generis, Jerosolymitani equitis titulum, dignitatem abbatialem, multarum linguarum notitiam ac dexteritatem in summis negotiis, commendabant cum infucata pietas, morum modestia ac eruditio non vulgaris.

CODEX DIPLOMATICUS.

I.

82—83 *Diploma Sancti Arnulphi, Episcopi Suessonici, de donatione Decimarum oppidi Aldenburgensis Abbatiæ Aldenburgensi.*

1087.

In nomine Dei summi in æterna præscientia ante secula omnia disponentis et in suo tempore omnia operantis. Ego peccator; Arnulphus nomine, non merito Episcopus consensu et voluntate venerandi antistitis Radbodi Tornacensium et Noviomensium episcopi, aggrediens instaurare ædificia futuræ Abbatiæ in loco Aldenburgensi, id est in Ecclesia S. Petri Apostoli et omnium Apostolorum, notum esse volo quæ et quanta solatia eidem operi Christus Dominus per fideles Christianos snbministraverit et quæ me superstite meaque mediante solicitudine ad eumdem locum collata sunt, nam loco canonica largitione ad omnem libertatem per manum prædicti Episcopi mihi tradito, contulit dominus Conon tertiam partem decimæ de omni anona totius Aldenburgensis parochiæ habendam in perpetuum et possidendam, concedente claro comite Roberto, filio Balduini. 84 Similiter Godescalcus decanus omnia quæ habebat daturum se promisit, cujus exemplo accensi nobiles quinque viri de villa Erneghem, Bertulfus et uxor ejus Ingelburch, cum filiis et filiabus, Cremoldus, et Malgero filii Almari, Ledgina, vidua Ermenarii, cum filiis Ingramno, Fredeboldo ac Lamberto, vel tota illorum cognatio, donaverunt duas partes decimæ totius anonæ lini et cannæ omnium allodiorum suorum ubicumque jacentium cultorum et colendorum, hoc obtulerunt super altare S. Petri apostoli in Aldenborgh perpetua firmitate possidendum, orantes et exigentes ut vinculo anathematis condemnaremus omnes eorum posteros vel alienos quicumque impedimentum vel detrimentum in ipsius decimæ annua redditione niterentur. Quod et factum est quinto nonas Martii indic. 6, anno Domini M.LXXXIV.

Paucis inde diebus evolutis, viri nobiles et ditiores Aldenburgensis viciniæ in unum conglobati, voluntaria largitione donaverunt S. Petro apostolo pro eleemosina in stipem monachorum partem suarum hæreditatum, id est Walterus tres metas, Trudbaldus tres metas, filius hujus Trudbaldi Walterus unam metam, Sigerd tres metas, Robalis duas metas, Fluitardus filius Gomanni duas metas, Bertelinus et mater ejus II metas, Hermatus II, vidua Folcardi Landrada cum filiis II, Themardus Rufus I, Reifridus filius Ramgeri Canno II, Evergerd vidua Offridi I et dimidiam, Remilinus Calvus II, Remelinus Longus I, Bertof filius Eremboldi I, Segerus Olfridi et fratres ejus tres metas, Anna vidua Fredeboldi, Leccardus et mater ejus quatuor metas, Remelinus et frater ejus II, Oslif III metas, Radlef tres metas et decem vaccas, Lebild et Ubuum et sorores metas XII. Tale vocabulo Hem atque Werf et in Lisweghe metas XII, Erenboldus filius Bononis metas XIV, Hatewidis soror Bertolfi metas V, de territorio etiam Bredenensi Esuvedus et uxor ejus Gilgorg metas duas quæ vocantur Wermbolbelc, hæc et alia nonnulla quae fideles dominique timentes ob amorem Dei et pro honore sancti Petri ad inchoandum sacræ vitæ Monasterium contulerunt

ratum duximus presenti cartula contestari, ut noverit omnis posteritas nostram humilitatem ad hoc insudasse qualiter in hoc loco post meum decessum abbatia regulariter ordinetur qui cum fratrum canonice exerceat et loci commoda pro viribus oportune perquirat. Quicumque igitur contra hæc agere studuerint authoritate omnipotentis Dei Patris et Filii et Spiritus Sancti ac beatorum Apostolorum Petri ac Pauli nec non domini papæ Gregorii septimi cujus consilio et imperio ista facio perpetuo anathemate condemnentur et æterno gehennæ **85** supplicio plectantur. Amen, fiat fiat. Actum apud Aldenborch 8. Kal. Aug. sub A. Dñicæ Incarn. M. LXXXVII indic. 10. Dño Rege Philippo regnante annis viginti septem.

II.

Diploma Radbodi, Tornacensium Episcopi, de libertate Ecclesiæ S. Petri Apostoli.

1090.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Ego Radbodus Dei gracia Noviomensium seu Tornacensium Episcopus omnibus sanctæ religionis cultoribus perfectæ beatitudinis hæreditatem quam promisit Deus se diligentibus. Cum piæ desiderium voluntatis, et laudandæ devotionis intentio sacerdotalibus sit semper stadiis adjuvanda, cura est sollicitudinis adhibenda, ut ea quæ pro quiete religiosæ conversionis fidelis quispiam voluerit ordinare nullius valeat præsumptio perturbare, neque sanctæ matris ecclesiæ multiplicatione violare. Noverit igitur omnium tam futurorum quam præsentium scientia quod Chuno nepos meus et ejus uxor Hazecca scientes injustam esse in sanctuarium laicorum dominationem, devotissime nos obsecraverint quatenus Ecclesiam in honorem S. Petri apostoli in Aldenburg fundatam, quam a Flandrensi comite hactenus tenuerant liberam esse concederemus et beneficia monachorum usui collata quos in eodem loco Deo omnipotenti servituros stabilire volebant, sub perpetua libertate confirmaremus : quorum bonam intentionem perpendentes, consilio ab archidiacono nostro W. seu clericis nostris accepto : hoc tali modo concessimus, quod ipse quem ejusdem loci monachi canonice in abbatem elegerint, benedictionem ab episcopo Noviomensi seu Tornacensi et curam animarum suscipiat, eique debitam subjectionem exhibeat, sicque libere sub sancta religione cum commisso sibi Monachorum grege Domino studeat militare. Ne ergo quis posterorum nostrorum hujusmodi libertatem quam dicimus audeat violare, privilegium hoc officii nostri authoritate roboravimus atque cum idoneis testibus **86** sigilli nostri impressione signavimus. Signum Dom. Radbodi episcopi, Sig. Walteri archidiaconi, Sig. Henrici Decani, Sig. Hermanni præpositi, Sig. Sigeri, Sig. Rudolphi. Sig. Tanchinari, Sig. Bertulfi, Sig. Godescali, Sig. laicorum Cononis, Everardi, Adelardi, Ricvardi. Roberti, Walteri, Rodulfi, Hiddonis, Lidelini, Lamberti, Louis, Embaldi. Actum Tornaci

A Kalendis Julii A. Domin. Incarn. M.XC. indict. 13 Regnante Rege Philippo I. trigesimo, domino Episcopante A. XXII. Ego Guido Cancellarius dictavi, relegi ac subterfirmavi.

III.

Diploma Caroli, Flandriæ comitis, de donatione decimarum, et de omni annona totius Aldenburgensis parochiæ.

1119.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, Amen. Karolus Dei gratia Flandrensium comes tam futuris quam præsentibus in perpetuum. Quoniam res gestæ ex vetustate delentur oblivione nisi commendentur scripto, successorum memoriæ collatos redditus tempore nostri principatus B. Petri principis apostolorum Aldenborgensis Ecclesia præsentis scedulæ decrevimus inserere. Notum igitur sit omnibus assertoribus veritatis tam præsentibus quam futuris quod Walterus Buticularius et frater suus Conon tertiam partem decimæ de omni annona totius Aldenburgensis parochiæ in perpetuos usus fratrum inibi Deo servientium pro remedio peccatorum suorum et omnium parentum suorum liberam ex omni exactione et omnium successorum suorum inquietatione vel retractatione devote et legitime contradiderint, *Sane huic donationi manum nostram tanquam supremam contradentes quidquid nostri juris erat in ea aut successorum nostrorum apposuimus.* Quoniam eos nobiscum tam sanctæ donationis participes esse volumus, præterea ecclesiam S. Mariæ in Aldenborg sitam, cum omnibus suis pertinentiis scilicet cum alia 3ª parte decimæ et cum universa minuta decima totius Parochiæ et cum omni dote ecclesiæ, videlicet octo mensuris terræ, vel si quid amplioris incrementi fuerit, vel largitione fidelium accreverit sub hæreditario censu et **87** perpetuo prædicti fratres in perpetuos usus fratrum praedictæ ecclesiæ legitime contradiderunt. Ea videlicet conditione, ut abbas sancti Petri Aldenburgensis seu fratres Ecclesiæ præfatæ, fratribus aut eorum successoribus quotannis sub tribus temporibus videlicet Nativitatis, Paschæ, Pentecostes novem libras denariorum Flandrensis monetæ in tres partes divisas secundum præfata tempora persolvant, retentis tamen novem solidis ex novem libris quibus synodale debitum Abbas et fratres sui annuatim persolvant, cui Donnationi secundæ ut in perpetuum firma maneat etiam manum nostram addidimus sicut in prima fecimus. Cæterum hoc censu hæreditario et perpetuo annuatim præfatis temporibus persoluto sub duarum Ecclesiasticarum personarum testimonio nihil erit unde præfatus Abbas vel fratres sui in curia prædictorum fratrum vel successorum ipsorum ad justiciam stare debeant, nec pro aliqua causa judicium secularium personarum ecclesiaticæ personæ subeant, verum ut hæc omnia inconvulsa et in perpetuum permaneant rata, paginam præsentem præfatas donationes continentem sigilli nostri authoritate roboravimus, et testes qui interfuerunt subscribi fecimus. Signum Karoli comitis.

filii Regis Danorum, Sig. Walteri Buticularii et fratris ejus Cononis, Sig. Bertulfi Brug. Prepositi, Sig. Willelmi Malet, Sig, Roberti fratris Willelmi, Sig. Gorumi, Sig. Desidery Haket Castellani, Sig. Lamberti Nappin, Sig. Tancmari de Straten, Sig. Theodoric de Dicasmuta, Sig. Berenoldi de Straten. Actum Brugis in domo Prepositi 16, Kal. Aug. A. Domin. Incarn. M. C. XIX indic. 12. Regnante Ludovico Rege Francor. filio Philippi A. 12. quo anno Dom. Guido. Viennensis archiepiscopus in Romanum Pontificem elevatus est.

IV.

Diploma Theoderici, Flandriæ comitis, confirmans donationes Cononis et Walteri.

1129.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, Amen. Ego Theodoricus Dei gratia Flandrensium comes, omnibus tam futuris quam præsentibus sanctæ Matris **88** ecclesiæ filiis notum facio quod quidam nostras nobilis ac potens, Conon nomine, filius Adelardi atque frater Walteri quondam Buticularii, nostram mansuetudinem imploraverit quatenus quandam largitionem quam dudum tam ipse Conon quam etiam præfatus Walterus fecerant, nostræ autoritatis cognitione firmaremus, et ut perpetuam obtineat stabilitatem, jussionis nostræ præcepto ratam fore mandaremus, cujus votis libenter annuimus. Quoniam ea quæ prædecessorum nostrorum aliorumque fidelium largitione ecclesiis collata sunt et non ampliamus, conservare volumus, nunc autem quæ fuerit largitio quam prædictus Conon in præsentia nostra ecclesiæ S. Petri Aldenborgensis renovavit et per nos confirmavit enarrando roboramus, tertiam videlicet partem decimæ de omni annona totius Aldenburgensis Parochiæ. Præterea ecclesiam sanctæ Mariæ in Aldenborg sitam cum omnibus suis pertinenciis, scilicet cum alia tertia parte decimæ et cum universa minuta decima et cum omni dote ecclesiæ, videlicet octo mensuris terræ, vel si quid incrementi amplioris fuerit, vel largitione fidelium accreverit sub hæreditario censu et perpetuo, prædictus Conon in perpetuos usus fratrum prætaxatæ ecclesiæ legitime sicut prius fecerat contradidit : ea videlicet conditione, ut abbas S. Petri Aldenborgensis, seu fratres, ecclesiae sibi et ejus successoribus quotannis sub tribus temporibus, scilicet Nativitatis, Paschae, Pentecostes, novem libras denariorum Flandrensis monetæ in tres partes divisas secundum præfata tempora persolvant, retentis tamen novem solidis ex novem libris quibus sinodale debitum Abbas vel fratres sui annuatim Episcopo persolvant. Cæterum hoc censu haereditario et perpetuo annuatim præfatis temporibus persoluto sub duarum Ecclesiasticarum personarum testimonio nihil erit unde præfatus Abbas vel fratres sui in curia prædicti Cononis vel successorum ipsius ad justitiam stare debeant, nec pro aliqua causa judicium saecularium personarum Ecclesia-

A sticæ personæ subeant. Ut autem hoc ratum perpetuo maneat, scedulam hanc largitionem continentem sigilli nostri autoritate confirmavimus et nomina testium qui interfuerunt subnotari fecimus. Signum Theoderici Flandrensium Comitis, Sig. Cononis, Sig. Harnulphi Abbatis Aldenburgensis, Sig. Gilleberti, abbatis Henamensis, Sig. Balduini Gandensis, Sig. Walteri Tornacensis. Sig. Danielis Thermundensis, Sig. Theoderici, castellani de Dicasmuta, Sig. Thanemari de Straten, Sig. Christiani de Gistela. Actum Anno Dom. Incarn. M.C.XXIX. indict. 7. concil. I.

V.

89 *Diploma Simonis, Tornacensium episcopi, de*
B *donatione ecclesiæ B. M. V. in Aldenborg cum totius Aldenborgensis parochiæ integritate.*

1130

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Symon, Dei gratia Tornacensium ac Noviomensium episcopus, fidelibus cunctis praesentibus et futuris gratiam ac benedictionem sempiternae salutis. Cum manifeste comperissem monasterium S.S. apostolorum Petri et Pauli, quod situm est in oppido Aldenborg, rerum copia nunquam suffultum ac proinde Monachos ibidem Domino deservientes angustiis plerumque teneri, paterna, ut decuit, miseratione illis utpote filiis nostris compassus, sumpto consilio Archidiaconi nostri Roberti et aliorum honestorum
C clericorum, donavimus eidem monasterio Aldenborgensi et abbati Hariulpho ac fratribus sibi commissis ecclesiam sanctae Mariae, in eodem oppido sitam, cum totius Aldenborgensis parochiae integritate sub personatu tenendam, tali videlicet conditione ut jus episcopale prout antea extitit integrum permaneat, et persona ibidem constituta pontificalia ac sinodalia debita immobiliter persolvat. Sut Coneni, nobili viro, cujus benevola concessione et pia petitione hanc ipsam ecclesiam abbati praefato et monachis ejus contradidimus, seu successoribus ejus novem libras denariorum annuatim persolvat, ex quibus tamen novem libris novem solidos quotannis retentabit, ex quibus ut hactenus factum est debitum episcopale compensabit. Persona
D abeunte, alia per voluntatem fratrum et abbatis restituenda, decem tantum solidos dabit episcopo Tornacensi, persolutis denique episcopo et Cononi antiquitus constitutis censualibus debitis, de cetero quidquid decimarum et oblationum seu terrarum dotis ecclesiae superesse potuerit, illud totum ad sustentationem victus et vestitus monachorum monasterii Aldenborgensis condonando conferimus et conferendo condonamus, ut eis jure perpetuo inserviat et ad relevandam illorum necessitatem indesinenter proficiat. Ut autem haec nostra largitio ad honorem Dei et S.S. apostolorum Petri et Pauli perpetuam obtineat firmitatem, hanc inde paginam scriptam, sigillo nostro **90** munimus et devotorum clericorum testimonio roboramus. Signum domini

Simonis episcopi. Sig. D. Roberti Tornac. Archidiaconi. Sig. tunc præsentis Hugonis, Noviomensis archid. Sig. D. Rainaldi Noviomensis abbatis, reg. can. Sig. Novini Torn. can. Sig. Bernardi Decani de Wasia, Sig. Sigeri Noviomensis canonici. Sig. Hugonis, cancellarii de Rogia. Sig. Raineri, personae Breden. Sig. Balteronis, personae Gestelen. Sig. Walteri Buticularii qui me Brugis merentem et dolentem pro nece comitis Karoli in ecclesia Salvatoris adiit et ut hanc ecclesiam fratribus sancti Petri condonarem multa prece expostulavit. Signum Canonis, fratris ac successoris praefati Walteri, qui iterum me Brugis in hospitio meo, quod erat domus Folperti Kinfaber, humiliter convenit et ut praedictam ecclesiam cum personatu condonarem sancti Petri abbati rogitavit. Actum Brugis undecimo kal. Aprilis A. Dom. M.C.XXX. indict. 8.

VI.

Theodoricus, comes Flandriæ, remittit annum censum a certis bonis in charta expositis.

1130.

Ego Theodericus, Dei gratia Flandrensium comes, notum esse cupio cunctis fidelibus presentis temporis et futuri, quod dum causa orationis intrassem ecclesiam beatorum apostolorum Petri et Pauli, sitam in oppido Aldenburg, accesserunt ad me monachi ibidem Deo servientes cum suo abbate Hariolfo et suppliciter petiverunt, ut causa salutis anime mee illis remitterem ac indulgendo perdonarem quandam census redditionem, quam annuali debito mihi et antecessoribus nostris hactenus persolvere cogebantur. Quorum humili petitione compulsum, beati etiam Petri apostoli patrocinium impetrare avidus, prout rogaverunt benigne concessi et predictam census annui redibitionem in perpetuum perdonavi, remisi et indulsi. Quarum etiam terminum, ne in posterum quemlibet fallacia subrepat, veracem notitiam hic ponimus. In ministerio Wilramni, preconis de terra conductili, terra sancti Petri de **91** Animemed xx, de Huiumed xxj, de terra Reifridi Hassa viij, in port Oldenborg terra Ave de Pola viiij, terra sancti Petri vj, terra Roberti Baites viij, terra Oldut, filii Elvard, ij, terra Godelie xij, terra Rumoldi, filii Siberti, viij, terra Elvardi, filii Elvardi, ij, terra Alberti ex Arka ij, terra Tsedberti Erclis iiij, terra Gildewif ij, terra Werembold Werric xvj, terra Arnoldi Clerici. In iiij ministerio Willelmi, preconis de terra conductili, terra Hiddonis et fratrum ejus xj. In port Oldenburg, terra Erembold xiiij, terra Ricardi xiiij, terra Vogali xiiij, terra S. Petri iij, item terra S. Petri x, terra Herred Boselmeab ij, terra Popli vij, terra Folberti Vogal xij, terra Sibrand viiij, terra Follirs Juculatoris vj, terra Radcard v, terra Puerolfi presbyteri v, terra Sigerd, filii Walkers, ij, terra Folpti, fili Lettard, iij. In ministerio Dodini, preconis de terra conductili, terra Bertolf filii Orpes, xviij, terra sancti ex Rep iiij. De censu in Clemeskerca; terra Bertramni vj, terra

A Olfridi Uldel vij. In ministerio Cristiani ex Mor: terra Reinfridi Calvi xxvij. In ministerio Walteri de Lisweg: terra Suildis xv, qui pertinebant ad .... comitis. In ministerio Gerardi breviatoris, per totum xxviij s. vij.

Horum igitur censuum annuam solutionem pro remissione patrum meorum atque pro requie omnium antecessorum meorum, nec non pro pace et statu comitatus nostri et pro salute omnium fidelium nostrorum, omnipotenti Deo et sanctis apostolis Petro et Paulo condonando remisi et remittendo indulsi quatenus monachi in prefato loco Deo famulantes Christi Domini imaginem pro nobis assidue implorent. Et ut hec nostra largitio inviolabilem obtineat firmitatem hanc inde fieri kartam B decrevimus et signis nostrorum fidelium qui interfuerunt consignamus atque nostri sigilli impressione roboramus.

Signum Theoderici, comitis Flandrensis. Signum conjugis ejus Suanahildis comitisse. Signum Arnulphi, nepotis comitum. Signum Godzwini de Snellegahem. Signum Gerardi, cubicularii. Signum Huberti Cubuc. Signum Rogeri, prepositi Brugensis. Signum Angelramni, fratris Arnulphi cubicularii. Signum Odgari Geruli, sigilli. Signum Reingeri Gelmonis. Signum Frumoldi junioris, breviatoris. Signum Adalardi, cognati Frumoldi. Signum Gerardi, breviatoris. Signum Rameri Volakin. Signum Rameri Snoges.

Actum apud Aldenburg, in ecclesia apostolorum, C vj kal. junii, indict: viiij, sub anno dominice incarnationis m. c. xxx, regnum Francorum tenente Hludovico rege, filio Philippi regis, anno xxiij, comitatus Theodorici ij°.

VII.

92 *Diploma Walteri de Heines donationes a patre suo Conone, et patruo suo Waltero factas.*

1131.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, Amen. Quoniam filiorum et beatis patrum actibus non solum non invidere, sed illis vigilanter intendere et aliquid adaugere omnibus sancte Matris ecclesie filiis tam presentibus quam futuris quedam temporum nostrorum gesta notificare dignum duxi- D mus. Ego siquidem Walterus de Heines, advocatus ecclesie sancti Petri Aldenborg, omnia que a patre meo Conone atque patruo meo Waltero pro remedio peccatorum suorum sub hereditario censu et perpetuo prefate ecclesie sunt donata, divini amoris spiritu afflatus simili modo quo illius fratribus, ibidem Christo militantibus, per manum Theoderici, Flandrie comitis, libere contradidi: sed quia humanitatis mutabilitas oblivionis vitio obnoxia non ignoratur, donationem istam tenaci memorie commendando exprimere curavi. Tertiam videlicet partem decime de omni annona totius Aldenborgensis parochie, preterea ecclesiam sancte Marie in Aldenborch sitam cum omnibus suis pertinentiis; scilicet cum alia tertia parte decime et universa minuta de-

cima totius parochie et cum omni dote ecclesie, videlicet octo mensuris terre, et si quid amplius in presentiarum fuerit quod ad dotem pertineat vel posterorum fidelium largitione accreverit sub hereditario censu et perpetuo, sicut supra dictum est, in perpetuos usus fratrum pretaxate ecclesie legitime donavi; ea videlicet conditione, ut abbas sancti Petri, seu fratres ecclesie mihi et successoribus meis quotannis sub tribus temporibus, scilicet: Nativitas, Pasche, Pentecostes, novem libras denariorum Flandrensis monete in tres partes divisas secundum prefata tempora persolvant, retentis tamen novem solidis ex novem libris, quibus synodale debitum abbas vel fratres sui annuatim episcopo persolvant. Ceterum hoc censu hereditario et perpetuo annuatim prefatis temporibus persoluto sub duarum ecclesiasticarum personarum testimonio, nihil erit unde abbas vel fratres **93** sui in curia mea aut successorum meorum ad justitiam stare debeant. Ut autem hec omnia in perpetuum inconvulsa permaneant, sedulam hujus donationis seriem continentem sigilli mei munimine confirmavi et nomina testium qui huic largitioni interfuerunt subscribi feci. Signum Theoderici, Flandrie comitis. Sig. Rogeri, Flandrie propositi. Sig. Desiderii, prepositi Insulani. Sig. Eustachii camerarii. Sig. Henrici, castellani de Aldenborg. Sig. Riquardi de Sedelgem. Sig. Remisridi de Slipis et Rodulfi fratris ejus. Sig. Balduini de Coclara. Sig. Christiani de Gistella. Actum Brugis anno Dom. Incarn. 1151. indict. 14. Mense Martio, 6ª, die mensis ejusdem.

VIII.

***Diploma Geraldi**, episcopi Tornacensis, quo confirmatur invadiatio octo librarum contra Walterum de Vlaerdesloo.*

1154.

In nomine sancte et individue Trinitatis Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen. Ego Geraldus, Dei gratia Tornacensis episcopus tam futuris quam presentibus in perpetuum. Divinis preceptis instruimur et apostolocis monitis informamur, ut pro ecclesiarum statu impigro vigilemus affectu cum locis Deo dicatis et sanctis ejus, vel nova dona concedimus, vel vetera confirmamus, mercedem a Deo cui hec conferimus et a quo ea accepimus in eterna beatitudine nos credimus suscepturos. Comperiat igitur fidelium solertia, quod Walterus de Flardeslo in nostra et personarum nostrarum et hominum suorum presentia octo libras cum undecim solidis, quas ecclesia sancti Petri in Aldenburch de altari ejusdem ville sub hereditario censu et perpetuo annuatim, sicut patri suo Cononi ei persolvere consuevit, abbati et monachis prefate ecclesie in vadium pro sexaginta Marcis tradidit; ea videlicet conditione, ut nunquam nisi de proprio pretaxatas libras redimere liceret sibi et deinceps ad suos proprios usus retineret et fructus omnes qui interim pervenerint predictus Walterus in eleemosinam monachis benigne indulsit. Preterea, quia prefatum altare de pheudo comitis esse dignoscitur assensum ipsius et scriptum ecclesie se provisurum et omnia que supradiximus **94** se observaturum ipse et Lanbertus de Riderford et Eustachius, frater ejus, fide data pepigerunt, nihilominus etiam quecunque bona frater suus Cono, sive frater Cononis Walterus, Buticularius, supradicte ecclesie S. Petri dederat, ipse quoque Walterus ob remedium anime sue et predecessorum suorum quemadmodum in scriptis illustris viri Theoderici, Flandriensis comitis, continetur, tota animi devotione concessit. Ut autem hec firma et inconvulsa permaneant, sigilli nostri impressione confirmavimus et eorum qui interfuerunt testimonio corroboravimus. Actum est Brugis, in atrio sancti Salvatoris, anno Dom. Incarn. millesimo centesimo quinquagesimo quarto, Signum D. Geraldi episcopi Sig. Roberti, abbatis Clarevallensis. Sig. Herimanni, abbatis Aldenborgensis, Sig. Erenbaldi Decani S. Donatiani, Sig. Fulcheri Decani. Sig. magistri Sinonis. Sig. magistri Walteri de Andwerp. Sig. Walteri Pbri Sti. Salvatoris. Sig. Richardi de Thorout. Sig. Bodini de Oestkercke. Sig. Magistri Walteri de Cortraco. Sig. magistri Remfridi. Sig. Walteri de Henes. Sig. Lamberti de Riderford. Sig. Eustachii fratris ejus. Sig. Roberti Colaeph. Sig. Hanegri. Sig. Rodulfi Nipe.

IX.

Diploma Adriani Papæ de confirmatione omnium bonorum Sancti Petri in Aldenborg, videlicet Terrarum, Decimarum, Oblationum, et Personatus.

1156.

Adrianus episcopus, Servus servorum Dei, dilectis filiis Hermanno, abbati sancti Petri Aldenborgensis ejusque fratribus tam presentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Effectum justa postulantibus indulgere et vigor equitatis et ordo exigit rationis, presertim quando petentium voluntati et pietas adjuvat et veritas non relinquit. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus et presertim monasterium, in quo divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti privilegio communimus, statuentes, ut quascunque possessiones, quecunque bona idem monasterium in presentiarum juste et canonice possidet, **95** aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis prestante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant, in quibus hec propriis duximus exponenda vocabulis: Tertiam partem decime totius parochie de Aldenborg, tertiam preterea partem decime et oblationes omnes et quecunque de altari S. Marie proveniunt, exceptis beneficiis que ad presbyteratum pertinent. Que omnia sub annuo censu octo librarum et undecim solidorum, quos annuatim debetis exsolvere, quemadmodum in privilegiis Tornacensis ecclesie continetur, vobis authoritate apostolica confirmamus, decimam de Herneghem, terram quam habetis apud Alden-

borg. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum A liceat prefatum monasterium temere perturbare aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed illibata omnia et integra conserventur eorum pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolice authoritate et diœcesani episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, semel tertiove commonita, nisi presumptionem suam digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat et a sacratissimo corpore et sanguine Dei et Domini redemptoris nostri B Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districte ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bone actionis percipiant, et apud districtum judicem premia eterne pacis inveniant. Amen. Amen. Datum Lateranis per manum Rolandi sacre romane ecclesie presbyteri cardinalis, cancellarii, pridie kalendas Januarii, Indict. quinta incarn. Domin. anno M.C.LVI. Pontificatus vero Domini Adriani pape IV, anno 3.

X.

96 *Diploma Geraldi episcopi, de invadiatione octo librarum de Altari sanctæ Mariæ, contra Walterum de Heines, a Philippo comite confirmata.*

1164.

In rebus gestis quas tenaci memorie commendare disponimus ne vento oblivionis distrahantur, scripti munitionem non imprudenter apponimus. Noverit itaque tam presentium quam futurorum diligentia, quod Dominus Hermannus, abbas de Aldenborg, octo libras et undecim solidos, quos de altari ejusdem ville censu hereditario Waltero de Heines annuatim donat, sicut patri suo dare consuevit, sexaginta Marcis invadiavit. Facta est autem invadiatio hec tenore tali, quod prefato Waltero easdem libras cum undecim solidis annuatim in Martio solummodo redimere liceret; si autem redimeret hereditarium censum in tribus temporibus anni, videlicet Nativitatis, Pasche, Pentecostes, sicut consuevit Ecclesia, D persolveret, et in presentia comitis Flandrie redemptio fieret. Hoc autem actum est Brugis, anno Dom. incarn. millesimo centesimo sexagesimo quarto, in presentia Philippi, comitis Flandrie, consilio et auxilio et ipsius assensu ac presentibus istis: Hugone, abbate S. Amandi; Desiderio, Insulano preposito; Roberto; Ariensi preposito; Haketto, Brugensi Decano; Waltero de Tenremonde; Rogero de Landast; Sigero de Somergem; Eustachio Camerario; Willelmo de Hus; Riquardo de Sedelghem

XI.

Diploma Geraldi, episcopi Tornacensis, de personatu ecclesiæ sanctæ Mariæ de Aldenborg.

1165.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen. Ego Geraldus, Dei gratia Tornacensium episcopus, tam futuris quam presentibus in perpetuum. Quoniam 97 omnium ecclesiarum in diocesi Tornacensi divino cultui mancipata cura et sollicitudo nobis commissa est omnimodis quantum in nos est, providere debemus; ut quod eis charitatis intuitu a clericis sive laicis confertur pastorali, et ne quid in eis contra justitiam attempletur, cui non sit rationabiliter obviatum. Notum igitur esse volumus tam futuris quam presentibus quod nos ob remedium anime nostre et predecessorum nostrorum personatum ecclesie Aldenborgensis, quem Bernardus de Wasia hactenus tenuerat, de manu ipsius Bernardi susceptum salvo in omnibus jure episcopali abbati et fratribus ecclesie Aldenburgensi Deo militantibus perpetuo tenendum concessimus, et ut hec concessio firma et inconvulsa in perpetuum permaneat, sigilli nostri impressione confirmavimus et testium qui interfuerunt subnotatione corroboravimus. Sig. domini Geraldi episcopi. Sig. Walteri decani. Sig. Everardi archidiaconi. Sig. Letberti, prepositi. Sig. Leberti cantoris. Sig. Roberti prepositi Arlebeccensis. Sig. Thome. Sig. magistri Lamberti. Sig Walteri de Jabecca. Sig. Mathei notarii. Actum C Tornaci anno ab Incarn. Domini millesimo centesimo sexagesimo quinto.

XII.

Philippus Alsatius, comes Flandriæ, benefacit abbatiæ Aldenburgensi, ordinis S. Benedicti, in diœcesi Brugensi (52).

1173.

Ego Philippus Flandrie et Viromandie comes notum esse volo tam posteris quam modernis, quod omnem novam terram tam arabilem quam pascua lem que apud Westenda de Testrep, ubicunque inter dunas et Isaram et mare jacet et omnem quam ibi in futurum alluvione maris accrescet, ecclesie sancti 98 Petri de Aldenburch pro salute anime mee et uxoris mee et predecessorum meorum hereditario jure possidendam donavimus. Ita tamen quod pro singulis octo mensuratis infra dictum tantum contentis ecclesia illa domino Flandrie unam marcham flandrensis monete singulis annis persolvet et sic deinceps supra dicta terra ab omni exactione et relevio et tallia libera et quieta in perpetuum permanebit.

Ut autem hec donatio mea in posterum rata et ab omni reclamationis periculo libera permaneat, sigilli mei auctoritate et subscriptorum testimonio eam confirmavi.

(112) Hæc charta asservatur in archivis Cameræ rationum Insulis et reperitur edita apud Miræum Tom. III.

S. Florentii, comitis Hollandie.

S. Roberti, Turonensis thesaurarii et Flandrie cancellarii.

S. Hugonis, abbatis sancti Nicholai de Furnes

S. Haket, decani sancti Donatiani de Brugis.

S. Cononis, Castellani de Brugis.

S. Eustachii, Camerarii

S. Florentii de Vorren.

S. Rasonis, Buticularii.

S. Riquardi Blavoet.

S. Riquardi Seneskalli

S. Theodorici de Ipris

Actum est Ipris anno Domini millesimo centesimo septuagesimo tercio.

XIII.

Diploma Philippi, Flandrie et Viromandie comitis, quo confirmantur donationes decimarum de Oudenburg, parochiæ de Erneghem, Ichteghem, Couckelaere et Bovekerke.

1176

Thilippus Dei gratia Flandrie et Viromandie comes, omnibus presens scriptum inspecturis in perpetuum. Quoniam saluti anime nostre perspicuum esse credimus ea bona que predecessorum nostrorum seu aliorum fidelium **99** largitione Christi ecclesiis sub nostra ditione constitutis aliquando pervenerint, ad cautelam futurorum signi nostri testimonio confirmare curamus, proinde universis tam posteris quam modernis notum esse volumus quod Hermanus Aldenborgensis abbas et fratres ejus justis a nobis precibus impetraverint, ut ea que predecessorum nostrorum temporibus possedisse vel adhuc nostris possidere noscuntur, scripti munimine et sigilli nostri appensione firmaremus : que autem fuerint, ne qua relinquatur erroris occasio, duximus exprimendum : Tertiam partem de omni Decima totius Aldenborgensis parochie, preterea ecclesiam sancte Marie in Aldenborg sitam cum omnibus pertinentiis suis, scilicet cum alia tertia parte decime ejusdem ville et universa minuta decima et cum omni dote ecclesie, sicut in privilegiis eorum continetur, sub annuo censu in perpetuum possidendum confirmamus, decima quoque de Erneghem quam quidam ejusdem ville nobiles de omni allodio suo et de omnibus terris suis cultis et colendis sicut in privilegio sancti Arnulphi continetur, concedente claro comite Roberto, per manum domini Radbodi episcopi ad usum jam dicte ecclesie sancti Petri contulerunt, preterea duas garbas totius solitudinis que teutonice vocatur Fang, vel Wostyna in parochiis de Erneghem, et Ichteghem, et Coclara et Bovenkerca, usque ad confinium de Flardeslo sicut in privilegio Caroli comitis continetur ab omni nostro vel successorum nostrorum jure liberas et absolutas dictis fratribus confirmamus. Ne ergo iidem fratres vel eorum successores super his aliqua ab aliquo calumnie patiantur injuriam, presentem scedulam hec continentem sigilli nostri authoritate et testium annotatione munire curavimus. Signum Hugonis sancti Amandi. Sig. Hugonis sancti Nicolai de Furnis abbatum. Sig. Haketti decani. Sig. Eustachii Camerarii. Datum Brugis in domo mea anno Dom. M. C. LXXVI.

XIV.

100 *Arnoldus, vicecomes Ghistellensis, dotat Aldenburgensem abbatiam, probante Philippo Alsatio, Flandriæ comite* (11).

1180.

Philippus, favente Deo, tam Flandrie quam Viromandie comes, universis sancte matris Ecclesie filiis in perpetuum.

Cum omnia, que mundi hujus dives producit fecunditas, divine largitatis beneficio possideamus ad libitum, ea solum nobis in posterum profutura reponimus que pauperum Christi manibus in celestes thesauros deportanda committimus.

Ut ego terne mendicitatis evadamus incommoda, aliqua ex iis, que modo superfluerent sunt premittenda, quibus et interim pauperum Christi sublevetur inopia et nobis in posterum preparentur subsidia

Presenti igitur pagina curavi insinuare futurorum quam presentium tenaci memorie, quod Arnoldus, vicecomes de Gistella, cum uxore sua Agnete, omnem decimam, quam in parochia de Erneghem et Westkerka, et Roxem, et Bekeghem, inter Pita et Watervalla a me in feodo habebat, absoluta renuntiatione in manus meas resignavit et ego eandem decimam, pro meis et meorum reatibus diluendis, ecclesie S. Petri de Aldenburg, perpetuis usibus, legitima ac libera donatione contradidi.

Ipse vero Arnoldus, cum uxore sua Agnete, quandam decimam, quam in confinio prefate decime ab ecclesia S. Nicolai de Ribelmund, sub annua dimidii firtonis solutione, hereditario jure possidebat, eidem S. Petri ecclesie, sub eodem pensionis canone, perpetuo possidendam. juris sui loco, concessi.

Verum ne sepedicta S. Petri ecclesia, temporum volumine, aliquid de rebus **101** suis possit pati prejudicium, prefatam donationem scripto mandari et sigilli nostri munimine coroborari necessarium duxi. Huic donationi interfuerunt :

Geraldus, prepositus Insulanus.

Walterus, capellanus comitis de Winendala.

Gerardus, vicecomes de Aldenburg.

Boidin de Ravenscota.

Christianus de Gistella.

Theodericus Damhoudere.

Weitin de Jabbeca et fratres ejus.

Henricus de Paskendala.

Henricus de Schirvelda.

Daniel de Torholt.

Haket de Riddervoorda.

Datum Furnis anno dominice incarnationis millesimo centesimo octogesimo, indictione tertia, epacta decima septima.

(11) Hæc charta reperitur t. I Diplomatum Miræi.

XV.

Diploma comitis Philippi Flandriæ de confirmatione decimarum totius Aldenburgensis parochiæ.

1183.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen. Philippus Dei gratia Flandrie et Viromandie comes omnibus sancte matris Ecclesie filiis tam presentibus quam futuris in perpetuum. Quoniam labili hominum memoria que prioribus temporibus gesta sunt oblivione deleri solent, ea, que nostris seu predecessorum nostrorum temporibus Christi ecclesiis sub nostra ditione constitutis, donatione legitima provenerunt, eorum quibus collata sunt usibus illesa servari nostre saluti proficuum arbitramur. Proinde universitati fidelium presenti pagina volumus intimare quod Hermanus, Aldenburgensis abbas, et fratres ejusdem loci, justis precibus a nostra justitia impetrarint, ut ea que a Conone atque Waltero fratribus, filiis Adalardi Buticularii, predecessorum meorum Flandrie principum, **102** Caroli videlicet tempore, ecclesie beati Petri sunt donata, Theoderici vero patris mei temporibus confirmata, sicut ex eorum privilegiis certissime cognovimus, scripti nostri munimine, et sigilli nostri appositione firmaremus, que autem fuerint, ne qua relinquatur erroris occasio, duximus exprimendum : tertiam videlicet partem de omni decima annone totius Aldenborgensis parochie, preterea ecclesiam sancte Marie in Aldenborg sitam cum omnibus suis pertinentiis, scilicet, cum alia tertia parte decime et cum universa minuta decima totius parochie, et cum omni dote ecclesie, videlicet, octo mensuris terre, et si quid amplius in presentiarum fuerit quod ad dotem pertineat, vel in posterum largitione fidelium accreverit, sub hereditario censu et perpetuo predictus Conon et frater ejus Walterus in perpetuos usus fratrum pretaxate ecclesie legitime contradiderunt, ea videlicet conditione, ut abbas sancti Petri Aldenborgensis seu fratres ecclesie sibi et successoribus suis quotannis sub tribus temporibus scilicet Nativitatis, Pasche, Pentecostes, novem libras denariorum Flandrensis monete in tres partes divisas secundum prefata tempora persolvant, retentis tamen novem solidis ex novem libris quibus sinodale debitum abbas vel fratres sui annuatim episcopo persolvant. Ceterum hoc censu hereditario et perpetuo annuatim præ atis temporibus persoluto, sub duarum ecclesiasticarum personarum testimonio nihil erit unde abbas vel fratres sui in curia sepedictorum fratrum aut successorum ipsorum ad justitiam stare debeant, nec pro aliqua causa judicium secularium personarum ecclesiastice persone subeant. Ut autem hec omnia perpetua stabilitate inconvulsa permaneant, scedulam hujus largitionis seriem continentem, sigilli nostri autoritate munivimus, et nomina testium qui huic confirmationi interfuerunt subnotari fecimus. Signum Philippi, comitis Flandrie. Sig. Geraldi de Mencines. Sig. Willelmi, abbatis

A sancti Bavonis. Sig. Joannis Iprensis prepositi. Sig. Eustachii Camerarii. Sig. Willelmi Castellani, Sig. Audomari. Sig. Hellini de Woverin. Sig. Walteri de Nevela. Sig. Arnoldi de Gistella. Sig. Walteri de Formensela. Sig. Geraldi de Landast. Sig. Willelmi de Straden templarii. Actum Ipris in domo mea anno dominice incarnat. millesimo octogesimo tertio.

XVI.

103 *Diploma Everardi, Tornacensis episcopi, de conventione capellæ de Zantvoorde et abbatis absolutione ab impetitione parochianorum*

1184.

Ego Everardus, Dei gratia Tornacensis episcopus, omnibus ad quos littere iste perveniunt salutem. Notum sit vobis quod quidam parochianorum de Aldenborg venientes ad presentiam nostram proposuerint quod duo presbiteri ibidem in matrice ecclesia
B constituti nequaquam sufficerent ad procurandam salutem parochianorum pro latitudine et largitudine ipsius parochie et locorum invia positione, quamobrem obnixe petiverunt a nobis quatenus in cappella quadam, jam dudum constituta, ubi etiam, sicut asserebant, diu per quosdam presbiteros celebrata fuerunt divina, concederemus eis presbiterum nullatenus assignato vel determinato, ut hoc fieret salvo jure matricis ecclesie : nos itaque communicato consilio prudentum ac religiosorum virorum viris prudentibus sane opinionis et boni testimonii, assensu parochianorum et abbatis qui personatum tenebat ipsius ecclesie, commisimus ut ad locum accedentes inquirerent et decernerent an sa-
C lus animarum in prefata capella divinum celebrari officium ex necessitate requireret, illi vero diligenter inquisita veritate et inspecta sub omni districtione commoniti, nobis retulerunt quod nulla necessitas exigeret ut in supradicta capella celebrarentur divina, cum parochiali ecclesie satis vicina foret et ad subveniendum necessitatibus remotorum parochianorum nequaquam idonea, super his ergo sufficienter instructi, habita consultatione una cum capitulo majoris ecclesie nostre, presentem abbatem de Aldenborg a memorata parochianorum impetitione, eo quod omnino ratione careret, absolvimus. Si quis autem huic absolutioni nostre temerario ausu contradicere presumpserit, noverit se sententiam ana-
D thematis incursurum, ipsi quoque sepedicto abbati concessimus, ut si quis presbiterorum absque ipsius abbatis licentia in illa capella divina celebraverit, nominatim illum tanquam malefactorem authoritate nostra fretus excommunicationi subjiciat et omnes qui scienter **104** interfuerint, precipimus etiam ut eadem sententia tam in presbiterum quam auditores ejus prolata a parochialibus presbiteris per totum Brugensem decanatum promulgetur. Ego Everardus, Tornacensis episcopus, subscripsi. Similiter ego Arnoldus, Tornacensis ecclesie B. Marie decanus, una cum capitulo nostro sub testimonio sigilli nostri subscripsi. Sig. Gorumi archidiaconi. Sig. Theodorici prepositi. Sig. Guntheri archipresbiteri. Sig. Mathei diaconi. Sig. Ghisberti et Wal-

teri subdiac. Sig. Ivonis abbatis santi Martini. Sig. Eustachii abbatis de Pratis. Datum Tornaci anno ab Incarn. Dom. M.C.LXXXIV. 2 kal. Septembris.

XVII.

Diploma de decimis omnibus magnis et minutis Aldenburgensis parochiæ ab Everardo Tornacensi episcopo ecclesiæ nostræ adjudicatis.

Ego Everardus, Tornacensium episcopus, cunctis fidelibus in perpetuum. In hoc positi sumus et preesse debemus ut unicuique jura sua integra et illesa conservemus. Notum quidem facimus universitati vestre quod ex mandato domini pape quod per manum domini Ambiacensis et domini Morinensis habuimus super controversia inter Hermanum abbatem et parochianos de Aldenborg diu agitata et habita a capitulo Tornacensi presenti abbati et B fratribus ecclesie de Aldenborg sicut ex ratione provenit et justum nobis videtur, judicatum fuit, quod ipsi parochiani decimas omnium arabilium et animantium et frumenti omnium segetum aliorum etiam et de warancis et de wesdis et carduorum et omnium olerum que eos vendere contingeret et agnorum et pecudum et sicut agnorum ita et lane; si vero parochianus decem agnos habuerit, unum dare debebit; si autem novem vel octo, vel septem tantum habuerit, unum dare vel libitum abbatis facere secundum rationabilem estimationem debebit, si autem minus quam septem habuerit, secundum quantitatem pretii et estimationem vendentis vel ementis decimum dare debebit et oblationes in Nativitate Domini, et in Pascha, et in Pentecoste, et C ut hoc futuris inviolatum conservetur temporibus omnes qui contra hec ire voluerint anathemate innodamus. Ut autem hoc magis roboretur, sigillum nostrum et ecclesie nostre cum attestatione eorum qui interfuerunt apposuimus. Sig. Everardi **105** Tornacensis episcopi. Sig. Letberti, decani. Sig. Theodorici presbyteri. Sig. magistri Walteri et Lamberti diaconorum. Sig. Walteri. Sig. Winomari subdiaconi. Sig. Galteri abbatis de Pratis.

XVIII.

Diploma Everardi episcopi de missa celebranda in capella de Zantvoorde.

1185.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen. D Ego Everardus Dei gratia Tornacensis episcopus cunctis fidelibus in perpetuum. Quoniam, ut ait apostolus, in pace vocavit nos Deus, quecumque pacis statum possunt evertere, statim in suis primordiis sunt extinguenda et ne recidiva possint importunitate resurgere qualiter sint extincta litterarum fideli custodie est commendandum. Ego ergo Everardus, Tornacensis episcopus, presenti pagina ad omnium tam presentium quam futurorum transmitto notitiam, quod litem quam adversus ecclesiam S. Petri Aldenburgensis, hi qui de semine Walcheri sunt oriundi, pro divinis in sua capella, que constat esse constructa in honorem sancte Marie semper Virginis atque Dei genitricis celeA brandis in mea presentia suscitarant, hinc ecclesie indemnitati, hinc hominum necessitati volens consulere, de utriusque partis assensu ita decrevi quod monachus cui de gremio sue ecclesie abbas Aldenborgensis injunxerit singulis diebus misse tantum solemnia in prefata ecclesia celebrabit, nisi intollerabilis aeris intemperies id faciendi ademerit facultatem, vesperas vero nunquam, nisi in festis precipuis et diebus dominicis, sed nec matutinum nisi in nocte Dominice Nativitatis, et nocte Circumcisionis, et similiter in nocte sancte Apparitionis, tribus quoque noctibus precedentibus diem Dominice Resurrectionis ibidem tenebitur celebrare: porro prefati posteri Walcheri clericum idoneum semper monacho procurantes marcham unam ad equum in monachi vecturam comparandum dabunt abbati et eundem equum abbas suis impendiis immortalem conservabit, quidquid autam oblationis ad manum monachi divina celebrantis obvenerit totum in usum Aldenborgensis cedet monasterii, excepto quod de candelis tantum in capella relinquetur ut possint inibi luminaria necessaria ministrari, preterea quidquid preter altaris officium ad eandem capellam sive in mobilibus sive immobilibus fidelium donatione provenerit, media pars **106** in usus capelle reservabitur, media vero monasterium obtinebit; ut autem sancti Petri ecclesia per omnia conservetur indemnis, jam dicti Walcheri progenies duo videlicet milites, quorum alter Gerardus Gorch, alter Galterus de Beverhot vocatur, marcham unam super terram suam eidem ecclesie assignaverunt annuo reditu persolvendam, unusquisque scilicet dimidiam, dicitur autem terra Gerardi super qua assignavit sancto Petro hujus marche dimidium Everelmus Sliccortavura, terra vero Walteri Nordaker et Musalms Hofsteda que similiter dimidiam marcham persolvet; sciendum vero quia cum de largitate fidelium tantum terre capella receperit unde prefate marche redditur assignatus possit haberi, posteri Galteri terram suam absolutam recipient et monachi suum redditum de terra capelle recipient. Baptismatis ac sepulture officium nunquam exigent illic celebrari, nec presbyter secularis unquam preter abbatis imperium divina facturus illuc presumat accedere. Si quis vero ex his que dicta sunt aliquid efficaciter attemptarit infringere, sententiam excommunicationis se incurrere noverit et donec resipiscendo monasterio pro arbitrio abbatis satisfecerit capella divinis officiis privata permanebit. Ut autem hec magis inconvulsa et illibata permaneant tam meo quam Tornacensis capituli, sed et Aldenburgensis ecclesie sigillis communita insuper et nominibus eorum qui interfuerint corroborata sunt. Sig. Arnulphi decani. Sig. Theodorici presbyteri. Sig. Mathei canonici. Sig. Willelmi Brugensis decani. Sig. Nicolai presbyteri. Sig. Hermani abbatis. Sig. Geraldi, Balduini, Galteri, Corbelli monachorum. Datum Aldenburgi anno Verbi incarnati M. C. LXXXV. Ego Henricus Dei gratia Tornacensis cancellarius legi et subscripsi.

XIX.

Celestinus papa abbatiam Aldenburgensem sub sua protectione suscipit, variaque privilegia concedit.

1195

Celestinus episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Hermanno abbati sancti Petri Aldenborgensis ejusque fratribus tam presentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Effectum justa postulantibus indulgere et vigor equitatis et ordo exigit rationis, presertim quando petentium voluntates et pietas **107** adjuvant et veritas non relinquit. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus et prefatum monasterium in quo divino mancipati estis obsequio sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti privilegio communimus, imprimis siquidem statuentes ut ordo monasticus qui secundum Deum et beati Benedicti regulam in eodem monasterio institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Preterea quascumque possessionis, quecumque bona idem monasterium, in presentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum, concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis prestante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant, in quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis : locum ipsum in quo prefatum monasterium situm est cum omnibus pertinentiis suis; tertiam partem decime totius parochie de Aldenborgh, tertiam partem preterea decime et oblationes omnes et quecumque de altari sancte Marie proveniunt, exceptis beneficiis que ad presbyteratum pertinent, que omnia sub annuo censu octo librarum et undecim solidorum, quos annuatim debetis persolvere, quemadmodum in privilegiis Tornacensis ecclesie continetur, vobis auctoritate apostolica confirmamus; decimam de Eerneghem, terram quam habetis apud Aldenborgh sive novalium vestrorum que propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum, nullus a vobis decimas exigere, vel extorquere presumat, liceat quoque vobis clericos vel laicos, liberos vel absolutos e seculo fugientes ad curationem recipere et eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli fratrum vestrorum post factam in monasterio vestro professionem fas sit absque abbatis sui licentia, nisi arctioris religionis obtentu ab eodem loco discedere. Discedentem vero absque communi fratrum cautione nullus audeat retinere; nichilominus etiam arctius inhibemus ne episcopo, archidiacono, vel eorum ministerialibus, canonicis seu clericis aliis, pro confirmatione, intronizatione, vel benedictione abbatis cappam sericam aut quidquid aliud facultas vel licentia pateat a nobis obtentu cujuslibet consuetudinis exigendi, si vero pro hiis a vobis quidquid exegerint, cum detestabile sit et obvium rationi, libere vobis liceat eis quod postulaverint denegari.

A Interdicta si terra fuerit liceat vobis clausis januis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce divina officia celebrare, sepulturam preterea ejusdem loci liberam esse decernimus, et eorum devotioni **108** et extreme voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverunt, nisi forte excommunicati vel interdicti fuerint nullus obsistat, salva tamen justicia illarum ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur. Existente vero te nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum nullus ibi surreptionis qualibet astucia seu violentia proponatur nisi quem fratris communi consensu vel fratrum pars consilii sanioris secundum Dei timorem et beati Benedicti regulam, providerint eligendum; decernimus ergo ut nulli omni-
B no homini liceat prefatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione aut sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolice auctoritate et diocesani episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam venire temptaverit, secundo tertiove commonita nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit pietatis, honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate agnoscat et a sacratissimo corpore et sanguine Dei et Domini redemptoris nostri Jesu
C Christi aliena fiat, atque in extremo examine divine ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi quatenus et hic factum bone actionis percipiant et apud districtum judicem premia eterne pacis inveniant. Amen.

Datum Rome apud S. Petrum per manum Centii sancte Lucie in Orthea diaconi cardinalis, domni pape camerarii, quinto kal. martii, indictione xiiij, incarnationis Dominice anno m.c,xcv°, pontificatus vero domini Celestini pape tertii anno quinto.

XX.

Diploma Balduini, Flandriæ et Hannoniæ comitis, quo confirmantur donationes omnium decimarum et ecclesiæ beatæ Mariæ in Aldenbourg.

D 1197.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen. Ego Balduinus Dei gratia Flandrie et Haynonie comes omnibus sancte matris Ecclesie filiis in perpetuum **109**. Quoniam unicum est oblivionis remedium scriptura, qui calumniis imponit silentium et contentionis nodum explicat, quedam nostrorum predecessorum temporibus peracta, ne nubilo oblivionis obducta recidive dubitationis scrupulum reducantur, scripti memorie commendare curavimus; proinde universitati tam futurorum quam presentium presentis pagine testimonio declaramus quod Balduinus, Aldenburgensis abbas, ejusdemque loci fratres justis postulationibus a nostra obtinuerant justitia, ut ea que a Conone atque Waltero fratri-

bus, filiis Adalardi Buticularii predecessorum meorum Flandrie principum, Caroli videlicet tempore, ecclesie B. Petri sunt donata, Theoderici vero avi mei nec non et avunculi mei, venerande memorie Philippi comitis temporibus confirmata, sicut ex eorum privilegiis certissime cognovimus, scripti nostri munimine et sigilli appositione firmaremus, que autem fuerint, ne qua relinquatur erroris occasio, duximus exprimendum: tertiam videlicet partem de omni decima annone totius Aldenborgensis parochie, ab omni census exactione liberam, preterea ecclesiam sancte Marie in Aldenborg sitam cum omnibus suis pertinentiis, sicut cum alia tertia parte decime et cum universa minuta decima totius parochie et cum omni dote ecclesie, videlicet octo mensuris terre et si quid amplius in presentiarum fuerit quod ad dotem pertineat vel in posterum largitione fidelium accreverit, que omnia ad jus spectant personatus, sub hereditario censu et perpetuo predictus Cono et frater ejus Walterus in perpetuos usus fratrum pretaxate ecclesie legitime contradiderunt, ea videlicet conditione ut abbas sancti Petri Aldenborgensis seu fratres ecclesie sibi et successoribus suis quotannis sub tribus temporibus, scilicet Nativitatis, Passche, Pentecostes, novem libras denariorum Flandrensis monete in tres partes divisas secundum prefata tempora persolvant, retentis tamen novem solidis, ex novem libris quibus sinodale debitum abbas vel fratres sui annuatim episcopo persolvant, ceterum hoc sensu hereditario et perpetuo annuatim prefatis temporibus persoluto sub duarum ecclesiasticarum personarum testimonio, nihil erit unde abbas vel fratres sui in curia sepedictorum fratrum aut successorum ipsorum ad justitiam stare debeant nec pro aliqua causa judicium secularium personarum ecclesiastice persone subeant. Ut autem hec omnia perpetua stabilitate inconvulsa permaneant, scedulam hujus largitionis seriem continentem sigilli nostri authoritate munivimus et nomina testium qui huic confirmationi interfuerunt subnotari fecimus. Signum Gerardi Brug. prepositi et Flandrie cancellarii. Sig. Henrici fratris co . itis. Sig. Rasonis de Gavera. Sig. **110** Gheerkini de Sottenghem. Sig. Gerardi Castellani de Aldenborg. Sig. Joseph Notarii. Sig. Guillielmi. Sig. Magistri Gunterii. Sig. Henrici de Paskendala. Datum apud Maela anno Dom. M.C. XCVII.

XXI.

Diploma Guidonis, comitis Flandriæ, ac universis minutis decimis totius Aldenburgensis parochiæ et Zantvoorde.

1128

Nous Guis comte de Flandre et marquis de Namur faisons savoir à tous, que comme entre les religieus hommes l'abbei et le couvant de St. Pierre d'Audenborgh d'une part, et les parochiens de cet mesme lieu de Zantvoorde d'autre part fust et eust été contens des dismes des herbes kou claime en flameng mede woude, poret, onion, looc, colen et colzaed, que les abbes et le couvens devant dit demanderent aux parochiens devant dis des tieres dont ils avoient pris et soloient prendre dismes de bleis quant il i estoient et avoient esté semé, et dont ils avoient aussi pris les menues dismes es paroiches devant dites desqueles herbes ces parochiens refusoient à donner dismes à l'abbei et au couvent devant dis pour ce qu'il disoient, qu'il de ces herbes ni avoient onques levé dismes, et de cette content les parties devant dictes se fussent mises en nostre dit et en nostre ordinance, nous owi et entendu ce que ces mesmes parties vourent dire et proposer pardevant nous par le conseil de bonnes Gens, disons et ordonnons que les parochiens devant dites ores en avant soient perpetuellement tenus de paier et paient à l'abbei et au couvent deseure dis droit de dismes des herbes et des tieres desuere nommées gisans es paroiches deseure dites, et des arrirages de ces mesme dismes, quitons lons pour bien de pais par nostre dit et par nostre ordinance les parochiens desuere dis. En temoignage de ces lettres saillées de nostre saiiel, qui furent données à Male en l'an de nostre Seigneur mil deux cens quatre vins et deux, el mois de Jenvier.

XXII.

111 *Collatio Scholastriæ oppidi Aldenburgensis quæ abbati Aldenburgensi pleno jure competit.*

1570.

Gaspar permissione divina humilis abbas monasterii sancti Petri oppidi Oudenburgensis ordinis sancti Benedicti Brugensis diocesis, dilecto nobis in Christo, Joanni de la Porte, clerico Cameracensis diocesis salutem in Domino. Scholastriam ecclesie parochialis beate Mariæ Virginis dicti oppidi Oudenburgensis ad nostras collationem, provisionem, omnimodam dispositionem ratione nostri juris patronatus pleno jure spectantem et pertinentem liberam nunc et vacantem tibi in Dei nomine contulimus atque conferimus, necnon de eadem cum omnibus juribus et pertinentiis suis universis providemus et conferimus. Te nihilominus per presentes nostras litteras de iisdem investientes. Quocirca requirimus et rogamus dilectum nobis in Christo decanum christianitatis Oudenburgensis, seu ejus locum tenentem, quatenus te, vel procuratorem tuum nomine tuo ac pro te in corporalem, realem et actualem possessionem dictæ scholastriæ ac jurium et pertinentiarum ejusdem ponant et inducant seu poni et induci procurent adhibitis solemnitatibus in talibus adhiberi solitis et consuetis, nobis quid inde factum sit fideliter rescribendo. Datum in dicto monasterio sub sigillo nostro abbatiali, anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo, die vero undecima Aprilis. In firma habebatur: Per dominum abbatem. Subsignatum erat, C. J. Gillis, cum certo signo manuali. In dorso scriptum erat: Anno Domini millesimo quingentesimo, die vero prima mensis Maii, Ego Petrus de Palude presbyter et decanus christianitatis Oudenburgensis virtute retroscriptarum litterarum

nostrum Joannem de la Porte in corporalem, realem et actualem possessionem scholastriæ ecclesiæ oppidi Oudenburgensis in Dei nomine posui et induxi presentibus ibidem Clotho Salomone et domino Adriano de Grutere testibus ad premissa vocatis, teste signo nostro manuali. Subsignatum erat: P. de Palude decanus christianitatis etc. et appendebat sigillum duplici cauda transfixum in cera rubra impressum.

XXIII.

112 *Diploma de unione utriusque portionis curæ pastoralis ecclesiæ Aldenburgensis per Remigium Driutium, episcopum Brugensem.*

1577.

Remigius Driutius Dei et apostolice sedis gratia episcopus Brugensis, omnibus et singulis presentes nostras inspecturis lecturis et audituris salutem in Domino. Notum facimus quod nos viso libello supplici rev. Patri domini Gasparis a Bovincourt abbatis monasterii Sancti Petri oppidi Aldenburgensis, ut et tanquam patroni ecclesiæ parochialis beatæ Mariæ dicti oppidi supplicantis et petentis unionem et annectionem duarum portionum prædicte curæ seu ecclesiæ divæ Mariæ Aldenburgensis atque absolutionem a pensione, seu extinctionem pensionis quinque librarum grossarum cuilibet portioni pro competentia pastoris super decimis dictæ parochiæ ad dictum monasterium spectantibus per nostrum in episcopatu Brugensi predecessorum piæ memoriæ adjudicatarum, necnon auditis super dicta petitione tam quondam domino Sebastiano Pauwaert curato dictæ ecclesiæ, quam magistratu Aldenburgensi et rectoribus fabricæ predictæ ecclesiæ; insuper attento consensu domini Arnoldi Vossii, presbyteri ad predictam curam per dictum dominum abbatem patronum ejusdem ecclesiæ per obitum prefati domini Sebastiani novissimi pacifici vicarii, nobis ordinario collatori presentati, quodque abbas sæpedictus consentit in annuam perpetuamque obligationem et solutionem quinque librarum grossarum pro ampliori dote et honestiori competentia vivendi pastoris super decimis prædictæ parochiæ ad monasterium antedictum sancti Petri spectantibus salvo quod reliquæ quinque libræ grossæ supradicta extinguerentur, utque monasterium ab illis quinque libris in futurum absolveretur et liberaretur; illisque omnibus et aliis de jure attendendis diligenter attentis et mature consideratis tam authoritate nobis per decreta concilii Tridentini attributa, quam nostra ordinaria duximus, decrevimus et declaravimus predictas duas portiones ecclesiæ parochialis suæ curæ beatæ Mariæ oppidi Aldenburgensis modo vacantis cum omnibus juribus, fructibus 113 et emolumentis certis et incertis uniendas et annectendas esse, sicuti per præsentes easdem portiones modo et forma præmissis univimus unamque curam ex dictis duabus portionibus constituimus eidemque pastori pro tempore existenti ac suis successoribus pro uberiori vitæ competentia super decimis dictæ parochiæ ad monasterium spectantibus, summam

A quinque librarum grossarum assignavimus et adjudicavimus ipsumque abbatem pro tempore existentem ad solvendam dictam summam quinque librarum grossarum singulis annis duobus in terminis videlicet in festivitatibus Domini nostri Jesu Christi, et nativitate sancti Joannis Baptistæ, ita quod primus cadet in festo sancti Joannis Baptistæ proximo condemnavimus, a reliquis vero quinque grossis eumdem abbatem et dictum monasterium (salva promissione reverendi domini Melchioris Everaerts moderni abbatis Arnoldo Vossio) de aliis quinque libris respectu et in favorem personæ illius ad ejusdem prelati vitam solvendis, in futurum absolvimus et liberavimus sic in his scriptis declarantes. In cujus rei fidem et testimonium præsentes sigilli

B nostri appensione ac Henrici Mertens subscriptione jussimus et fecimus communiri. Datum et actum Brugis 20 mensis Aprilis 1577. Et erat signatum: R^me^ suæ presentis mandato: H. Mertens.

XXIV.

Lettre du roi d'Espagne, Philippe IV, au marquis de Caracena, par laquelle il conste qu'il a été question de réunir l'abbaye d'Oudenbourg à celle des Dunes.

1663.

Mon cousin. M'ayant l'abbé des Dunes supplié par la requête cy-jointe et pour les raisons y contenues d'unir et incorporer en la dite abbaye celle d'Audenbourg présentement vacante, j'ai bien voulu vous remettre la dite requête, afin de la faire

C veoir et examiner et sur ce m'escrire vostre advis, pour apres en ordonner ce que je trouveray convenir. A tant, mon cousin, nostre Seigneur vous ait en sa sainte garde.

Madrid, le 18 février 1663. Philippe. Et plus bas: Jean Vecquer.

XXV.

114 *Protestation faite par l'abbé et les religieux de l'abbaye de Saint-Pierre à Oudenburg, au moment de la sortie de leur maison.*

Le 16 février 1797.

Liberté... Droits de l'homme... Sûreté personnelle.. Garantie des propriétés... Expressions, principes, maximes sans cesse répétés, prodigués dans la constitution de la République française, dans les

D décrets de ses gouvernants, dans les arrêtés des autorités constituées; qu'est-ce qu'on n'en devait pas attendre?

Il n'est rien dans la société, dont le choix est, et doit être plus libre à tout individu, que la manière de vivre qu'il veut embrasser et suivre, pourvu qu'elle ne soit pas contraire aux lois, ou nuisible au droit d'un autre.

Nous soussignés abbé et religieux de l'abbaye d'Oudenburg, avons, de notre plein gré, choisi et embrassé la manière de vivre, établie dans cette maison depuis le XIe siècle, que nous avons constamment suivie jusqu'à ce jour; nous étions fermement résolus et souhaitions de tout notre cœur d'y persévérer jusqu'à notre dernier soupir.

Nous subsistons paisiblement du peu de revenus A de notre propriété en commun.

Notre état, notre profession, notre manière de vivre étaient approuvés, autorisés par les lois du pays. Notre propriété était garantie, protégée par elles... Les commissaires français, lors de l'entrée de leurs armées dans ce pays, nous promettaient solennellement la conservation de l'un et de l'autre... La constitution française, lors de sa publication dans ce pays, nous l'assurait, nous le garantissait. Loin de nuire au droit d'un autre, nous étions utiles à nos concitoyens par les moyens de subsistance que nous leur procurions, en donnant soit de l'ouvrage d'agriculture, d'exercice de leur métier, etc., aux français valeureux, soit de secours et assistance aux indigents et infirmes, témoin les habitants de cette commune.

Notre existence civile était donc légale.

Mais ce nonobstant nous nous voyons aujourd'hui chassés, bannis de notre retraite, dépouillés de nos revenus, privés de notre propriété par une puissance **115** de laquelle nous nous flattions de pouvoir attendre toute aide et protection contre l'injuste invaseur, par une force à laquelle nous ne pouvons pas résister... Il faut donc,... et nous nous soumettons.

Mais avant de quitter notre cher asile, nous déclarons et protestons devant Dieu et tout l'univers, que c'est contre notre gré, et que nous nous réservons le droit et faculté de poursuivre, par tous les moyens légaux et en temps et lieu nos droits et propriétés contre qui que ce soit.

Ainsi fait en notre chapitre, ce 16 février 1797, et présenté en double aux commissaires exécuteurs de cette funeste catastrophe, l'un pour être joint au procès-verbal, l'autre pour nous servir partout où besoin sera. Les requérant de nous en remettre récépissé, et avons signé, tant pour nous-mêmes, que B pour notre confrère Placide Camerlynck, vicaire à Adeghem, absent. Suivent les signatures.

Plus bas était :

Vu par nous commissaires au recollement, nommés par arrêté de l'administration municipale du canton de Ghistelles, en date du 26 de ce mois. Oudenburg, le 28 pluviose an v de la République française une et indivisible. Et était signé : Jean Allaert, agent municipal. J. F. Kemel, agent municipal.

CIRCA MEDIUM SÆCULUM.

LISIARDUS

TURONENSIS CLERICUS

NOTITIA HISTORICA IN LISIARDUM.

(FABRIC. *Biblioth. med. et inf. lat.*, t. IV, p. 277.)

Lisiardus, *Liziardus*, sive *Lictardus*, Turonensis clericus, et ab anno 1153 ad 1168 decanus Laudunensis (1), scriptor, ut fertur, *Ordinarii* sive cæremoniarum et officii divini in illa Ecclesia. Eidem Barthius libro CLXVII Adversariorum, cap. 7, et in notis ad illud scriptum (2) tribuit *Historiam Hierosolymitanam*, quam sine nomine auctoris publicavit Bongarsius in *Gestis Dei per Francos*, pag. 594-621, et in qua res ab anno 1100 ad 1124 auctor prosequitur.

(1) Dacherius ad Guibertum Novigentinum, p. 820.
(2) In Joannis Petri Ludewig Reliquiis veterum monumentorum, t. III, p. 523.

HISTORIA HIEROSOLYMITANA.

(PRIMA PARS PERIIT.)

INCIPIT PARS SECUNDA.

(BONGARS., *Gesta Dei per Francos*, Hanoviæ, 1611, fol. p. 594.)

Cum audisset domnus Bujamundus, qui reversus Antiochiam, toti jam urbi principabatur solus, ho- C minibus Raimundi comitis de ea ejectis, et domnus Balduinus ducis Godefridi frater, qui et ipse jam Edessæ civitatis totiusque confinis trans fluvium Euphraten regionis obtinuerat principatum, certis referentibus nuntiis, sanctum qui præcesserat Christi exercitum, et urbem Hierosolymam Deo se juvante armis cepisse, et finitimam regionem, hostibus expulsis, magna ex parte sibi subjugasse, et loca sancta latius ad Christi cultum liberavisse, lætissimi cum suis hominibus effecti, debitas proinde laudes Deo reddiderunt ; dignas prosperatori laborum servorum suorum, et consummatori Christo gratiarum actiones devotissime persolverunt. Gaudent omnes, cuncti simul lætantur ; Antiochia cum suo Boamundo exsultat : Edessa cum Balduino tripudiat ; Euphratesia utrisque congratulatur : tantæ victoriæ participes fiunt congratulando, qui non pugnando fuerant extremi expertes laboris. Erubesci

Boamundus cum suis de reversione; de retardatione Balduinus verecundatur; pudore suffunditur uterque, quod gloriarum suarum titulis supremæ laudis victoria non annumeretur. Quamvis ejusdem fuerit virtutis et cautelæ ad muniendas defensandasve noviter expugnatas regiones remansisse, cujus et ad expugnandas præcessisse. Aut nihil enim valuisset, aut parum, de Syria seu Euphratesia ejectos in Persidam usque Persas expulisse et Turcos, si omnino Christianorum abscessu defensoribus vacuæ, reinvadendæ relinquerentur hostibus regiones. Quin potius extremæ dementiæ fuisset, tot et tantos pro reparando in regionibus illis nomine et cultu Christiano labores sudasse et agones, si terras patrias, quas Christo sanguine pepererant suo, resumendas scilicet relinquerent inimicis. Proinde et in profectione aliorum et istorum remansione divina agnoscatur operata esse providentia, et ut utrobique: « Non homini, sed nomini tuo, Christe, detur hæc gloria. Tua est potentia, tuum regnum. Domine. Tu Hierosolymam cultoribus tuis reddidisti; tu, Babylonios coram ipsis attrivisti: tu, nihilominus Balduinum et suos, innumeras Persarum multitudines cum parva cultorum tuorum manu sæpius invadentem in Mesopotamiæ finibus, sæpiusque vincentem, fugantem, proterentem, confortasti, adjuvisti, magnificasti. » Denique cum cognovissent Persæ, quod et Balduinus et Boamundus Hierosolymam, ut Deo vota sua persolverent, collegas suas subsequi cœpissent, conglobati rursum Edessenæ regionis partem invadunt; quos ibi reperissent cultores Christi, tanquam oves sine pastore, lupina rabie voraturi. Contra quos Balduinus cum parva satis, sed electa suorum turma, subito reversus occursu, in suis eos castris securos, et nihilominus quam Balduini recursum suspicantes, improvisus repente aggreditur; castra perrumpit, hostes perturbat, expugnat inimicos: alios occidit, alios fugat: sicque deletis hostibus, et victoria potitur, et præda ditatus opima, cum suis ad propositum iter revertitur; Boamundumque recursum ipsius prope oppidum, quod Valenium dicitur, præstolantem brevi assequitur. Applicuerat in portu Laodicensi archiepiscopus quidam Pisanus, nomine Daimbertus, et cum eo Itali plures atque Tusciani: aderat et quidam alius de Apulia episcopus: hii omnes simul satis amicabiliter glomerati, ad viginti quinque millia tam equitum quam peditum poterant æstimari. Qui omnes Saracenorum fines latius introgressi, impossibile dictu quanta vel de infestationibus Paganorum, vel de cibariorum penuria et homines et jumenta sustinuerint pericula: adeo ut plerique urgente inedia, equorum vel asinorum, vel et camelorum carnes compulsi fuerint manducare, ut vel ad qualemcunque cibum proficerent jumenta, quæ ad iter explendum defecissent. Inveniebantur aliquando arundines quædam, vulgo dictæ cannameles, de quibus confici aiunt mel sylvestre, unde et nomen ex canna et melle compositum videntur habere: has qui poterant invenire, dentibus ruminandas, propter mellleum saporem, ingerebant: plus inde saporis capescentes, quam vigoris. Torrebantur algore hiemis viatores; et imbrium continuatione, tam homines quam jumenta solvebantur. Plerique et nobiles viri, deficientibus jumentis, de equitibus pedites facti, cogebantur incedere rescellulis suis sarcinati: et quas gestabant, ut earum subsidiis utcunque relevarentur, earum oneribus nonnulli deficientes, pene ad mortem fatigabantur. Sed vincit omnia sancto fervens desiderio Christi populus, nec cessavit donec perveniens Hierusalem, vota sua Domino reddidit, adorans eum in loco ubi steterunt pedes ejus. Occurrunt sibi et quæ præcesserant, et quæ nunc successerant tribus tribus Domini, et vere testimonium Israel ad confitendum nomini Domini. Occurrit Balduino Duci, dux, idemque frater ipsius Rex Godefredus, seque invicem in osculo sancto salutantes, de sua vel sospitate vel laboris tam diuturni, tam gloriose consummati prosperitate congratulantur. Consummant desiderium suum simul omnes milites Christi, loca sancta circumeunt. Terræ Sanctæ basia devotissima infigunt; vixque possunt avelli ab aliis, nisi quod aliorum desiderio et amore alia coguntur deserere. De Hierusalem, pervolant in Bethlehem, revolant in Hierusalem, de Bethlehem, nunc sanctissimi sepulcri, nunc præsepii amore raptati: horrebat adhuc et sordebat aer et terra, fetore cadaverum recens occisorum, ipsaque immensitate horroris, quantam populo suo Christus præstitisset de Turcis victoriam commendabant. Recreatis itaque a tanto vel viæ vel famis labore et hominibus et jumentis, post celebrata in Bethlehem annua Natalis Dominici cum summo gaudio solemnia: et memorato superius Daimberto archiepiscopo, Hierosolymis Patriarcha, electo: quidam quidem cum ducibus Boamundo et Balduino elegerunt Antiochiam redire, quidam vero Hierosolymis remanere, cum rege Godefredo.

Anno ab Incarnatione Domini 1100 memorati duces Boamundus atque Balduinus, cum de Hierosolymis ad sua reverterentur cum suis, per Galilæam venerunt usque Paneadam: hæc est quæ in sanctis Evangeliis Cæsarea Philippi nominatur: urbs inclita satis, a filiis Dan antiquitus ad radices montis Libani ædificata; sed temporibus Augusti seu Tyberii Cæsaris reædificata diligentius a Philippo, filio Herodis, et Cæsarea est Philippi cognominata. Oriuntur ibi duo fontes, quorum quidam Jor, alter vero Dan nuncupantur: horum et fluenta et vocabula sui compositione Jordanem efficiunt fluvium, qui exinde usque in lacum, qui Alphatites, vel potius Mare Mortuum dicitur, percurrens, et nominibus perdit et flumen: hic est lacus, imo tenebrosissima quædam et impermeabilis abyssus, illius Pentapolis vorago horribilis, quæ perditionis impiorum adhuc permanet testis. Dicitur autem Mare Mortuum idcirco nominari, quod nihil vivum nec ex se gignere possit, nec aliunde forte immissum nutrire. Ita

non modo horribili vastitate terra ibi damnata est, sed aqua sterilitate. Nam et solum si qua forte fructificat, forinsecus et gratum colore, et specie solidum videtur; intrinsecus vero, vel tactu vel gustu probatur inane : ita foris, prætendit gratiam; intus, favillam abscondit. Terra quondam paradiso Dei, ut Moyses ipse testatur (*Genes.*, XIII, 10), persimilis; nunc horroris atque salsuginis effecta, etiam in ipso germine suo existit umbra mortis. Talia perditorum quondam terra, perditionis adhuc præfert signa, ut jussu ipso discant corruptionis et nequitiæ sectatores, cui sint fine perditioni mancipandi : quin potius ut pertimescant et desinant ad ea libidinis opera ardere, quæ eos faciant sempiterno igne ardere; caveantque eo desideriorum turpium fumo fuliginari, unde fumus tormentorum eorum, sicut Scriptura dicit (*Apoc.* XIV, 11), ascendat in sæcula sæculorum. Sed de hoc sufficiat ista breviter memorasse : nunc ad propositum recurramus. Igitur ducibus præfatis cum comitibus suis ad sua, prius per Tyberiadam et dehinc per Paneadam revertentibus, occurrunt cum multitudine grandi de Damasco, nocituri si possent, qui eorum insidiantes operiebantur transitum; Saraceni, confidentes plurimum de victoria, pro eo quod inermes et de labore viæ nimis defatigatos illos didicerant esse viatores : et de armorum quidem inopia non omnino falsa erat eorum suspicio, quia et lanceis carebant nostri, et sagittis parum abundabant; et arcus ipsi, qui locis illis glutino compaginari solent, assiduis imbribus humectati pene omnes, laxi erant et soluti. De victoriæ tamen obtentu, fefellit hostes militum suorum Christus; et de manibus eorum qui jam sibi eos comprehendisse videbantur, solertia ducum, eos clementer eripuit. Et Boamundus quidem in primo agmine, occursus hostium propugnabat et impetus; Balduinus veró in extrema parte versutias et insectationes improborum quassabat. Evaserunt tandem periculum illud Christi milites, et evicerunt discrimen tam studiose sibi, tamque feraliter intentatum. Quod in tali articulo evasisse, non minus optabile fuit jam conclusis jamque captis, quam vicisse. Nam et hostibus ipsis non minus ingessit confusionis, in tanta opportunitate obtinendi victoriam, perdidisse quam fugisse. Itaque ipsis videntibus e regione munitionis ipsorum, quam Balaac nuncupant, castra sua locaverant nocte illa Christiani, sequenti die per Tortosam et Laodiciam transituri : ubi comitem Raimundum, quem ibi reliquerant, adhuc reperientes, sed propter victualium caritudinem et inopiam cum eo diutius remorari non valentes, alter ducum cum suis ad suam properavit Edessam; alter vero Antiochiam suam cum suis gaudenter ingressus, jucundissime a suis est susceptus. Ubi cum per sex menses suum, ex more, strenue ageret principatum Gabriel, urbis Meletinæ primus, per legationem cum eo fœdus pepigit, et sui ipsius et ejus, cui præsidebat, urbis deditionem illi pactus : ad quam cum Julio mense, cum paucis pergeret recipiendam, incertum

A sane cujus proditoris instinctu, Admiratus quidam, Danisman nomine, cum magna Turcorum gente, haud longe ab eadem urbe, insidias proficiscentibus tetendit : et Boamundum cum suis inconsulte prorsus et omnino incaute, quia nimis secure, venientem, undique de insidiis irruens gens nefaria circumvallavit subito; et usque adeo repentino et improviso incursu perturbavit, ut non dico pugnare, sed nec arma pugnaturus corripere quisquam posset. Ita disgregati omnes, et in fugam versi, heu, proh dolor! ludibrio hostibus facti, plurimi perempti, nonnulli capti, paucissimi fuga elapsi, et arma et castra atque etiam vecturas cum omni substantia perdiderunt. Boamundus ipse comprehensus a Turcis, captivus abductus, luctum et desolationem permaximam suis

B reliquit. Qui cum adhuc ante urbem Meletinam, quam Danisman obsidione cinxerat, captus teneretur, præciso sui capitis cincigno, et Balduino per quemdam transmisso, mandat et cum omni supplicatione lamentabiliter postulat, ut sibi citato pro Christi amore succurrere festinet. Audito Balduinus tam miserabili infortunio, vehementissime tristis efficitur : deflet amicum, collegam plangit, communem casum lamentatur. Nec differt heros cordatissimus ad succursum, si posset, amici cum quanto poterat exercitu, junctis et sibi Antiochenis, properare; seque pro liberando, si prævalet, collega omni exponere periculo. Verum Danisman, Francorum sibi concursu prænuntiato, eorum veritus animositatem, urbem quam obsederat relinquit; et inse-

C quenti se per triduum Balduino, nullam congregandi copiam fugitans facit. Ita quasso labore Balduinus et sui, dolentes revertuntur : Boamundus vero captivus, ut dictum est, abductus, diligentissime custoditur. Regredienti Balduino Gabriel occurrit, et se et urbem illis dedens : firmatis itaque cum Gabriele amicitiis, et urbis custodia sua Balduinus diligenter commendata, Antiocheni quidem orbati principe suo, Antiochiam mœsti redeunt; Balduinus vero, cum Edessenis revertitur Edessam, ubi cum sua pace gauderet, et aliquanta frueretur prosperitate, germanum suum, ducem videlicet Godefredum, vix anno in regno Hierosolymorum expleto, cunctis deferentibus nuntiis, didicit apud Hieroso-

D lymam XV Kal. Augusti, diem extremum clausisse; seque ipsum ab omni Hierosolymorum populo regni successorem decretum esse, et electum. Dolet quidem de fratris morte dux, sed de regni decreta non minus gaudet hæreditate. Itaque communicato cum amicis consilio, terram suam cuidam propinquo suo, comiti scilicet Balduino regendam committit, et custodiendam; ipse vero cum CC fere militibus, et peditibus DCC Hierosolymam tendere disponit; et mirantibus multis, et amicis horrescentibus, quod cum tam modico comitatu, tam periculosum iter aggrederetur, per tot hostium regiones transiturus, unde plerique periculis se subduxerunt, pavefacti. Ventum est Antiochiam, et inde Laodiciam, inde Gibellum, deinde Aracleam. Cumque per Tortosam

et Archas castrum, Tripolim usque fuisset perventum, Tripolitanorum rex, nondumque Christianus, sed Christianis non omnino inimicus, in castris suis Balduino et suis victualia pro munere abundanter præberi fecit, innotescens etiam ipsis quod Duchac rex Damasci, et Gmahadole rex Calipti, cum multis Turcorum, Arabum, et aliorum Saracenorum catervis, angustias locorum præoccupassent, transitum operientes Christianorum.

Est enim haud longe ab urbe, quam Beritum vocant, prope mare, meatus arctissimus quidem, sed inevitabilis illac viantibus, cujus angustias si prius occupaverint viri centum, centum millibus transitum facillime obcludere possint, montium et maris objectibus, caveis etiam antrorum undique muniti. Hunc itaque locum Damasceni præoccupantes et Calipteni, cum præcurrentes Christianorum exploratores accedentes ad se statim impugnare cœpissent, qui pone sequebantur ordinato per acies comitatu toto, auxilium eis de cœlo præstari in tanta necessitate devotissime precabantur. Nec defuit suis clemens ubique bonitas Salvatoris. Nam primo quidem congressu, plures hostium in insidiis suis confestim occisi, alii vero adeo perterriti sunt ut congredi formidantes, pugnam desererent, seque ipsos in caveas antrorum, vel montium angustias receptantes, de prohibendo potius transitu quam de conflictu agitando curarent. Quod cernentes Christianæ vel dux vel signiferi militiæ, eodem quo confligere cœperant loco castra locant sua: videlicet ne, si ad modicum vel hospitandi gratia retrocederent, infractam hostium animositatem, quasi formidantes, rursus adversum se concitarent. Noctem illam fere omnes tam homines quam jumenta, et incibati et sine potu, duxerunt insomnem. Simulabant contra hostes audaciam, sed parum de vita confidebant. Periculosum erat in castris manere; periculosius angustiarum fauces transeundas adire; periculosissimum retroducendo fugitare. Ita cum neque de fuga consilium, neque spes ulla patesceret de victoria, de salute fere omnis fiducia perierat. In tanta anxietate nocte illa in castris suis languerunt Christiani: longa erat anxiis nox, præ acerbitate languoris; sed præ horrore formidatæ, jamque velut ante oculos positæ mortis non minus timebatur lucis accessus; aurora, quam desirantes metuebant, illuxit. Consilium vel transeundi angustias, vel quod magis sperabatur moriendi gloriose in bello libratur a primoribus, et ab omnibus firmatur. Collectis papilionibus, seu quibuslibet aliis rebus, onerata jumenta præ se minantes, armati milites ab irruentibus undique hostibus defensant; gressum versus angustiarum accessum tendunt. Circumvallant gradientes, et de montibus et de mari concurrentes undique Saraceni, clamoribus immensis perstrepunt sagittis et missilibus appetunt, gladiis minitantur nudatis, simulque post tergum et ab utroque latere, velut oves, ad angustiarum fauces eos minabant, ut ibi conclusis pro libitu illudere, atque pessumdare sic interceptos valerent. Quod et facerent facillime nisi pius Christus et suis in extremo conclusis articulo, tanto mirabilius, quanto insperatius consilium inspiraret, et ministraret auxilium; et inimicis suorum utrumque mirabiliter subtraheret. Nam cum inter vociferantes undique, et gladios suos in mortes piorum impios exerentes, pii et fideles Christi planitiem quandam angustiis illis pene contiguam occupassent, tantam cordibus suorum subito præsens ubique in opportunitatibus, in tribulatione pius Jesus immisit fiduciam ut audacissimo recursu impetitores suos impeterent, conglobatorum cuneos irrumperent, dispergerent, trifariamque disgregatos fugarent; adeo ut effusi nunquam ultra vel resumere vires, vel in aciem se recolligere prævalerent: aliis ad montana fugientibus, postremi quique gladiis insequentium trucidantur; alii de præruptis vel scopulis rupium vel montium cacuminibus, in præceps acti colliduntur; alii lintribus vel scaphis etiam per mare, quam pernicius possunt, aufugerunt, timentes ne etiam classem sibi possent eripere Christiani. Hoc plane mirabile erat intueri, per mare fugientes se non nisi per terram insectantes: quia non satis sibi fore crederent Christianorum evadere manus, littus deserendo, nisi et fugiendo longius evasissent et visus. Quare hoc? nisi ut manifestissimo claresceret indicio, istud non nisi opus esse virtutis? Quare hoc? nisi ut Christiani et vere filii Israel, suum et terra et mari pro se pugnantem videntes Dominum, gratulabundo concentu clamarent: « Si Deus pro nobis, quis contra nos (*Rom.* VIII, 31). » Ecce etenim compleri etiam visibiliter cernebant divinum illud promissum: « Persequuntur quinque de vobis, centum alienos; et centum e vobis decem millia (*Levit.* XXVI, 8). » Quin potius fugiebant hostes etiam illic, ubi se neminem persequi posse non nesciebant. Tantum cordibus eorum terroris, tantum invalitudinis immiserat Omnipotens, ut plurimi paucissimos, sed pios impii, non dicam impugnare, sed nec respectare auderent. Obstupuerant adeo præ formidine et pene diriguerant, ut velut ad quid venissent non advertentes, projectis armis, inermes dexteras et nudas cervices ferientibus objectarent. Ecce, quo modo victi sunt, qui se jam vicisse gloriabantur! Vincuntur victores a victis, a captivis captivatores capiuntur; et ab eis quos se jam vinctos tenere putaverant, vinciuntur, asservantur, distribuuntur. Postquam itaque fere toto illo die hostes suos persecuti sunt, ad castra eorum reversi, et spoliis ditati opimis, armis quoque peremptorum collectis, consultius fore visum est duci ut in quoddam proximum sed vastum castellum secederent; ibique post tantæ cædis laborem, nocte illa sub olivis quiescerent et virgultis. Sequenti die, primo diluculo dux, cum aliquantis de militibus suis, ad angustias jam meatus accessit, explorare per se volens si qui adhuc ibi superessent qui transitum possent prohibere Saraceni. Sed neque in hoc minus quam in cæteris se probavit virtus Christi, quod omnino

inexpugnabilem locum hostes omnes deseruerant A pavefacti. Quo solerter satis explorato, jussu ducis commilitones ejus ignem accenderunt in cacumine montis : ut viso, sicut condictum fuerat, fumo, qui in castro resederant, omnes subsequerentur. Ita prosperante Deo convenerunt omnes, et liberam habentes viam, cum omnibus rebus suis transierunt : hospitalis autem prope Berittum, Admiratus ipsius, timore potius quam amore permotus, victualia scaphis gestantibus transmisit. Sidonii quoque, et Tyrii, sed et Ptolomenses, transeuntibus prope se, victualium convectatione fingebant amicitiam ; sed non nesciebantur cor habere nequam. Oppidum, quod Caiphas nuncupant, eodem anno ab Hierosolymitis recuperatum, Tancredus quidem jam possederat : sed quia jam Balduino malivolus esse cœperat, no- B lentibus ad se intrare cives panem et vinum extra muros vendiderunt, Tancredo, providente Deo, tunc absente. Transeuntes autem Cæsaream Palestinæ, venerunt Joppen civitatem maritimam, ibi ducem Balduinum tanquam regem suum Franci gaudenter susceperunt. Properantibus exinde Hierosolymam, tota simul extra muros occurrit Ecclesia, cumque lætabundo satis processu excipiens usque in Dominici Sepulcri templum cum hymnis et laudibus deducit. Ibi firmatis cum rege, Christiano more, fœderibus, et rex et qui cum eo venerant, a labore, et Hierosolymorum populus a desolatione principis, Deo et Christo favente, quieverunt. Solus Patriarcha Daimbertus, cum paucis, C huic tam celebri regis defuit exceptioni : eo quod et regi, et aliquantæ vel cleri vel populi parti, jam cœperat de quibusdam esse exosus : unde et extra sedem, alias versabatur privatus. Propter quod et coronandi regem, usque ad sequentem Dominici natalis solemnitatem, solemnitas est dilata : simulque ut tunc, sicut decebat, gloria coronæ regalis gloria fieret clamor ex gloria tam gloriosissimæ festivitatis : pace interim inter patriarcham et regem, inter clerum et archipræsulem tractata diligenter et reformata. Interim rex consilio cum proceribus habito commodum duxit finitimas hostium regiones intrare, et in ipso regni sui primordio Turcanæ feritatis insolentiæ, probitatis suæ, quasi gustum propinare : commodius fore judicans hostes in terris D et urbibus suis aggredi, quam ad se aggrediendum eis ex dilatione cornua sinere erigi. Elegit itaque rex cum electa militiæ Christianæ manu primo omnium Ascalonitas expetere gentem videlicet rebellem semper, et Christianæ pacis æmulam, malignitatis totius adversus servos Christi nutriciam, in qua et de qua pullulant semper assidua bellorum omnium et laborum fomenta. Quam et urbem et gentem, sicut de antiquis scriptum est, idcirco credendum arbitror Dominum vel delere vel servis suis tradere noluisse, ut semper in eis experiatur Hierusalem, et habeant consuetudinem præliandi : ne videlicet per otium pejoribus inimicis deterius impugnentur et expugnentur, moribus vitiosis : ut juxta dictum illud satirici quidem sed garriendo veridici,

Servabat castas humilis fortuna Latinas,
Et labor in noctes et proximus Annibal urbi ;

et nostri Hierosolymitæ ex bellorum et laborum assiduitate, et in humilitate deprimantur, et constringantur in castitate. Minus quippe superbire libet, ubi vix licet vivere : minus delectat fornicari eos, qui assidue timent etiam mori. Bella itaque exteriora, interiorum sunt sæpe peremptoria bellorum. Hostes visibiles invisibilium sunt vel repressio vel oppressio inimicorum. Proinde contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus, bella Hierosolymitis nostris necessaria semper credenda sunt ea, quæ adversus carnem et sanguinem, hoc est adversus Ascalonitas, continua sustinent bella. Ante Ascalonem igitur cum rex Balduinus venisset cum eo quem, Christo duce, ductabat Christianorum exercitu, egressis adversus se hostibus tam impetuoso restitit congressu, ut statim intra mœnia refugere compulsi, foras erumpere ultra non fuerint ausi.

Proinde videntes Christiani nullam sibi tunc fieri copiam congrediendi, vicinas regiones perambulare maluerunt, quam ibi frustra diutius immorari. Ob quorum metum, locorum incolæ, et se et sua et animalia intra latebras occultabant cavernarum : e quibus cum fumo speluncarum ingressibus admoto, cogerentur exire, comperto quod plurimi eorum soliti essent exercere latrocinia in Christianos, et viantibus insidiari, sine dilatione aliqua statim sunt omnes jugulati. Syris tamen, qui inveniebantur inter eos, ob nomen Christi, quod utcunque retinent, parcebatur. Peragrata itaque, et armis atque incendiis tota fere illa depopulata regione, consultum etiam est in Arabiam transire, terrorem ubique spargere, parcere subjectis, et debellare superbos. Transeuntes itaque per montana, prope ea loca quæ sepulturis patriarcharum habentur insignia, ventum est in vallem antiquitus, ut Scriptura dicit (*Gen.* XIII, 10), Paradiso Dei similem ; nunc autem, imo satis olim, umbram mortis et perditionis : vallem scilicet Sodomorum atque Gomorrhæorum, civitatum igne et sulphure perditarum ; et in locis quibus absorptæ sunt, lacum habentem, imo abyssum, sicut supra memoratum est, impermeabilem. Quam etiam Mare Mortuum, seu salsissimum Scriptura nominare est solita (*Jos.* III, 16 ; *Deut.* III, 17, seq.), tam pro eo quod nihil gignere vivum possit, vel nutrire ; quam etiam quod gustum et tactum probetur, super omnia amara, amarum. Hoc nullum undique, nisi forte in subterraneis, habet exitum ; nullum in se flumen recipit nisi ab Aquilone Jordanem, unde etiam lacus congrue nuncupatur : cujus longitudo in meridiem stadiis porrigitur fere septingentis, latitudo vero CL stadiis patet. Unde et convenientius creditur scelestæ quondam gentis habitaculum fuisse : cujus impuritatem gentis, cum divina non ferendam ultra judicasset severitas, terra hiatu vastissimo dehiscente, et gentem nefariam tortis coo-

litus sulphureis ignibus conflagratam absorbente, credendum voraginem illam abysso, occupante salsugine, illo fuisse repletam. Hunc itaque lacum rex, et qui cum eo erat exercitus girantes, a parte Australi Arabiæ montana sunt ingressi : ac deinde in vallem quamdam cunctis terræ frugibus satis uberrimam, in qua invenerunt et eum fontem, quem sanctus Moyses, jubente Domino, elicuisse fertur de petra virga bis percussa, perenni cursu vivaciter manantem, adeo ut et molendinos satis volubiles habere possit ejus rivus, nulla unquam siccitate arescens. Invenerunt ibi et Oratorium, quod Sancti Aaron hodieque dicitur, in montis vertice situm, in quo et ipsum et fratrem ejus sanctum Moysen divinum fertur frequentare solere colloquium. Utrum autem verum sit quod Dei et sanctorum germanorum ibi adhuc manere, videri, et intrari posse dicitur collocutorium, viderint hi qui primum talem inde vulgaverunt opinionem. Nam nos, quod suum est historiæ, facimus, vel res, vel quæ de rebus habentur opiniones, simpliciter referentes. In valle memorata victualibus cunctis satis opulenta nullum fere incolarum invenire prævalens exercitus Christianorum, cum eos ultra procedere non sineret latissime patens, vasta nimis solitudo et horrida, redire Hierosolymam disponunt. Quo cum redissent, de pacificando cum rege, et canonicis Sancti Sepulcri, Patriarcha Daimberto, tractatum diligenter et efficaciter Deo favente expletum est, et de coronando rege apud Bethlehem, instante Dominici Natalis die, et tandem ab omnibus differri non oportere, collaudatum. Causabantur enim quidam non debere ibi coronari regem hominem, ubi constat spinis coronatum esse cœlorum regem : nec debere ab homine præsumi ad insigne honoris coronam quam Christus Dominus sustinere dignatus sit ad dedecus illusionis. Sed quid, quæso, quid refert ista causatio ? quasi vero non totum nobis cedat ad honorem, quidquid vel opprobrii Christus sustinuit vel laboris. Sicut enim mors Christi, vitæ nostræ est causa ; sic et irrisio Christi, nostri est insigne honoris. An non omnis Christianus, ex illa Christi corona, « genus electum, regale sacerdotium (*I Petr*, II, 9), » est factus. Nempe ad honorandum potius, quam ad quassandum honorem regium, valere censendum est quod Christus Dominus spinis est coronari dignatus. Proinde, quamvis laudandæ humilitatis fuerit quod rex, Dux Godefridus hac consideratione dicitur coronari noluisse ; non est tamen improbandæ rationis fratrem ejus ducem Balduinum et inunctum more Christiano a Christianis fuisse, et coronatum.

Annus itaque ab incarnatione Domini M. C. I. regis Hierosolymorum secundi, videlicet ducis Balduini, primus est. Quem licet in primordio regni sui paucarum urbium possessorem, non numerosa adhuc militia abundantem, finitimæ tamen gentes aggredi verebantur omnino, et metuebant, bellatorem eum strenuissimum esse non nescientes. Qui hoc potissimum dolebat, quod quam vellet copiosam congregare militiam non valeret. Adhuc enim proficiscentibus Hierusalem peregrinis, via satis erat impedita, hostibus portus omnes præter Joppensem obtinentibus. Unde quoque de Occidentalibus partibus difficillimus erat ad Orientales transitus : non dicam defensoribus, sed et habitatoribus adhuc magna ex parte vacua erat regio Hierosolymitana : Eorum quos, ad visenda et veneranda loca sancta, devotio Christiana de transmarinis partibus per tot et tanta pericula perducebat, pauci inibi diutius volebant remorari : equi, quos remanentes vel emere possent, vel dono regis accipere, vix poterant inveniri : unde vix ultra trecentos milites regia poterat habere militia, quos et ipsos de assignatis sibi custodiis adunare, periculosissimum erat : tum, ne ipsi viatim ab hostibus intercepti ; tum, ne vel urbes vel castra reinvaderent hostes, absente, præter mulierculas, omni fere defensore. Nam pedites, vix ad Hierusalem, Ramulam, Joppen, et castrum Cayphas muniendum custodiendumve, abundabant. Hæc idcirco memoraverim ut advertant qui legerint ista, vel audierint, quot et quantos labores, timores, angores sustinuerint pro Christo primitivi illi terræ vel regionis Hierosolymitanæ possessores : simulque ut intelligatur, non minus miraculi esse regionem tam amplam, a tam raro vel possessore vel defensore retentari potuisse postmodum, quam primitus expugnari. Liquet itaque Christi Domini in omnibus his operatam dignationem intueri, admirari virtutem, clementiam contemplari. Quis enim audiat patriam tantam a trecentis militibus retentari, defensari inter innumeras hostium populosissimasque nationes, Syriam scilicet, Arabiam, Ægyptum, Persidam, Mesopotamiam ; et facile credit ? vere incredibile hoc fit, si sola virtus humana pensetur. At vero si Omnipotens, omnia quæcunque voluerit in cœlo et in terra faciens, cogitetur fideliter et pie agnoscatur, desistit quidem hoc impossibile videri ; magisque incipit esse mirabile : mirabile quidem, sed non miserabile. Nam pro Christo Domino laborare tanto gloriosius est, quanto beatius : « Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, ait Scriptura, et bene tibi erit (*Psal.* CXXVII, 2) ; » et beatissimus Apostolus : « Si quid patimur, inquit, propter justitiam, beati (*I Petr.* III, 14). » Proinde et nos cum eodem Apostolo, convenienter audemus beatificare eos, quos scimus in via et in terra sancta innumeros et immensos labores sudasse et agones. Nec Antiocheni eorumdem fuerunt expertes laborum, imoque nec præmiorum exortes, quos ea potissimum desolatio tunc angebat, quod capto, ut et superius memoratum est, Boamundo, sine principe vel duce, extra muros vix audebant exire suos, hostium insuper frequentissimos et excursus tolerantes, et assultus. Quamobrem destitutioni suæ consulentes, Tancredum Boamundi propinquum, eodem anno evocaverunt per legatos ; et ei tam urbis quam regionis assignaverunt principatum : eo tenore, ut si quando, Deo miserante, Boamundus rediret, nihil ei fe-

cuperandum ducatum suum præjudicatum fuisset. Quo cum Tancredus, vel propinqui amore, vel majoris principatus cupidine, migrare disposuisset, pacificatur regi Balduino, et castri sui Cayphas, et urbis Tyberiadis ejus fidei tradidit dominatum. Eodem anno Januenses Itali cum numerosa satis classe Laodiciæ hyemantes, verno tempore subsequente, Joppen usque navigaverunt: ibique navium in portu firmata statione cum Rege, qui eis occurrerat jucundissime excipiendis, Hierusalem usque profecti sunt. Ubi cum Paschalem celebrassent sollempnitatem, reversi Joppen cum rege fœdus inierunt hujusmodi: «Ut simul ad expugnandas hostium vel urbes vel castra procedentes, pecuniæ quidem primam et secundam partem rex, et sui haberent; Januenses vero tertiam, cum uno in castro vel urbe capta vico semper obtinerent.» Taliter utique fœderati, primo omnium oppidum Peregrinis Sanctæ viæ infestissimum Assurt videlicet obsederunt, a Godefrido rege obsessum nec captum. Quin potius centum ferme de Francis, ibi rex præfatus amiserat, de turre lignea muro jam admota quidem; sed præ ascendentium nimietate confracta frustatim, in terram elisos. Quorum alios, videntibus et dolentibus Christianis, crucifixerunt statim Saraceni; alios sagittis, alios aliis patibulis interfecerunt. Hujus tam crudelis in collegas parati piaculi non immemores qui rege Godefredo fuerant christiani, tam ardenter ad expugnationem convenerunt impiorum, ut eos ad resistendi desperationem compulerint, totis licet viribus se defensantes. Scientes itaque se nec resistere diu posse, nec si caperentur meritas et pœnas et mortes evadere, de dedendo regi castro, si sibi vita concederetur cum pecunia, cœperunt per legatos tractare. Librato itaque rex cum Januensium consulibus consilio, visum est bonum omnibus, si sine discrimine obsidentium, peregrinorum quoque Christianorum tam grande removeretur periculum. Itaque indulgetur oppidanis vita cum rebus: castrum receptum diligenter munitur, impiis ejectis inde, et Ascalonam usque cum suis omnibus deductis. Inde ad *Cæsaream* urbem Palæstinæ munitissimam obsidio transfertur. Cæsarienses obsessi, obsessores irrident; convitiis lacessunt et maledictis, de muris et propugnaculis suis plurimum confidentes. Jussu regis machinæ parantur, muris admovendæ scalæ plures deferuntur; fabricatur et turris lignea de malis navium, satis excelsa, murorum altitudinem viginti cubitis transcendens. Prægrandes muro annisu lapides torquentur in arces; turrium solida crebris ictibus quassantur; nihilque, quod ad expugnandos impios credatur valere, intentatum relinquitur. Nec minor obsessis inerat se defensandi solertia: non die, non nocte quiescunt, semper inveniuntur resistere parati: quindecim diebus impugnatur assidue civitas, nec capitur. Pertæsus tam longæ obsidionis Christianorum exercitus, erubescit sibi et indignatur, quod ad obsidendum fortiores sunt impii et blasphemi, quam ipsi ad insistendum. Cohortantes itaque se invicem, et alterutrum et verbo et exemplo provocantes, correptis armis, ausu et impetu mirifico convolant ad murum, scalas suberigunt, scutis capita tecti conscendunt, gladiis et lanceis obvios hostes in ipsis murorum propugnaculis aggrediuntur, alios trucidant ibi, alios præcipitant: scandendi post se et viam liberam faciunt sociis, et jam ex æquo cum hostibus decertant. Fit jam Christianorum murus, qui modo erat Saracenorum. Deturbati e muro, ad munitiora fugiunt illi perniciter; sed ipsi pernicius insequuntur. Densantur fugientes; et dum alius alium præcurrere ad latebras gestit, se ipsi præpediunt, ut latebra quæ posset alicujus esse, sit nullius. Conglobantur super corruentium acervos catervæ percussorum; simulque tanquam triturantes in area triticum, indiscreta omnes cæde trucidat; nec sexui parcitur, nec ætati, ut ira Dei in blasphemos compleretur. Admiratus urbis et Archadius, sic enim suum Saraceni vocant episcopum, comprehensi, et ante regem adducti, vivi et vincti jubentur asservari, pecuniæ credo spe potius quam miserationis affectu. Qui vivi comprehendebantur prius pugnis colla percussi, Bizanteos intra ora in gingivis occultatos, evomere cogebantur. Quos qui non evomebant, trucidati congregabantur in acervum, et comburebantur, ne vel aurum ab improbis glutitum perderetur, vel corrumperetur aer fetore de cadaveribus exhalante peremptorum. Consueverunt enim pessimi, cum se jamjamque morituros prævident aurum sic transglutire suum, aut intra ora abscondere, victoribus eo modo et in ipsa morte invidentes. Feminæ quoque, impudentius et turpius quam eloqui deceat, intra se celatos nudare aureos morituræ cogebantur. Ita deditis morti Cæsariensibus fere cunctis, perpauci de utroque sexu, sive ad efferenda congerendave peremptorum cadavera, seu ad servitutem, venales futuri, reservati sunt. Jam vero capta urbe, quanta pecuniæ copia, quanta victualium omnium abundantia, quot et quanta et forma et materia pretiosa utensilia reperta sunt ibi et congesta, æstimari non facile, necdum enarrari potest. Quod ex eo satis pensare licet, quod plures prius pauperes, exinde facti sunt satis locupletes.

Expugnata urbe Cæsarea, et custodienda prudentibus et strenuis viris commendata, auditum est, et cunctis referentibus nuntiis approbatum, Babylonios apud Ascalonam congregatos bellum Christianis parare. Propter quod et rex et exercitus Christianorum, Ramulam civitatem Lidæ proximam adire festinaverunt; et se, ad excipiendum quod sibi parabatur bellum, præparare. Quod scientes Babylonii distulerunt callide paratos adire; se potius adiri prope mœnia sua, et intra aggeres suos præstolantes: ut vel vincere facilius possent, vel victi in munitiones suas sese receptare. Quorum calliditate comperta, Christiani calliditatem calliditate simili deludere maluerunt, quam innumeros pauci, munitos immuniti expetere. Tandem, videntes Ismaelit-

suam sibi calliditatem nil valere; et moræ et inediæ pertæsi, alii alibi sunt dispersi. Quod rex et sui cognoscentes læti et alacres Joppen redeunt, Christum Dominum super omnibus quæ sibi præstitisset bonis, collaudantes. Verum post duos menses cum intimatum fuisset regi, adversarios suos iterata contra se animositate, Ascalonæ esse congregatos, congregat et ipse Joppen quantum prævalet exercitum: ducentos scilicet et sexaginta milites, et pedites nongentos; cum his contra undecim millia militum et viginti peditum millia pugnaturus. Quis audiat hoc, et non horrescat? audacia est ista, an fiducia? temeritati hoc ascribendum, an fortitudini? hoc etenim videri possit, non pugnare velle, sed mori. Ita plane est; parati erant mori: sed pro eo, qui pro ipsis mortem dignatus est pati. Non ergo audacia erat ista, sed fides; non temeritas, sed charitas; Christo etenim, ut Apostolus dicit, passo in carne (*I Petr.* IV, 1), et ipsi simili cogitatione armabantur. Unde et ipsum, in quo passus est in carne Christus, secum detulerunt salutis lignum; singulare, imo totum de eo habentes solatium. Proruunt illi de Ascalona; isti de Joppe procedunt. Cumque sese jam invicem contuerentur, ordinatum rex per sex acies exercitum suum, his eos affatur alloquiis: « Eia, milites Christi, videtis quod de tam longinquis regionibus per tot et tanta maris et terræ pericula quæsistis; venistis sponte offerre animas vestras pro Christo discrimini: invenistis, ad quod venistis. Non respuat ignavia, quod devotio sancta quæsivit, et tandem invenit. Pro Domino pugnaturi, confortamini in Domino, et in potentia virtutis ejus. Potens est vos salvare Omnipotens: dulcissima ejus promissa recolite semper et menti infigite, quibus et paucitatem vestram et paupertatem benignissime consolatur, dicens: *Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum* (*Luc.* XII, 32). Si sola regis terreni, vel stipendia cogitaretis vel donativa, merito trepidaretis, vel vinci vel et mori formidantes. Optatius debet videri pugnaturo, mori, qui sciat ab æterno rege regnum paratum esse æternum morienti. Sive moriamur in bello isto, sive evadamus, de victoria dubitare non possumus. Si vinci videmur impiis et insipientibus, coram eis moriendo, ad Christum, gaudium nostrum, venientes, de diabolo et mundo melius triumphamus. Si vero, quod sæpe fecit Christus noster, et hic corpora nostra servare voluerit, et de inimicis his victoriam præstare, minus quidem interim gloriosi erimus quam si moriamur: sed tamen magnum nomen, ultra nomen magnorum qui sunt in terris, nobis, Christo Domino donante, comparabimus. De fuga, nullus cogitet unquam: quia longe nimis nostra nobis Francia abest. » His et talibus a rege dictis, accensi omnes ad pugnam procedunt, congressum ultra differre non ferentes, reboant tubis, et simul omnes, Eia, Deus, adjuva nos! conclamant; immergunt se latissimis confertissimisque hostium turmis; obvios quosque sternunt: nec imbelles omnino inveniunt hostes; imo vero, totis sibi viribus obsistentes. Nam duas quæ præcesserant acies obtegunt, multitudine nimia et pene funditus consumunt. Corruunt multi de Christianis, vulnerantur plures: impetus sustinent improborum; vicissimque eos impetentes, viriliter retrocedere compellunt. Rex qui in postrema parte cum sua acie substiterat, ubi densiores vidit hostium cohortes, accurrit; totumque se de rege in militem transferens, alios lancea in terram deturbat de caballis; alios ense dimidiat in sellis. Convocat suos, instantes confortat; et eis animatis in adversarios excurrit. Crucem Dominicam præferri semper, et in ora impiorum inferri facit, ut ejus præsentia et roborentur servi crucis, et inimici confunderentur. Cujus virtutem, sicut dæmones, ita et dæmonum satellites, diutius non sustinentes, pavore subito cœlitus sibi immisso, in fugam versi, se ipsi impellere cœperunt, et alii super alios corruere; insistunt fugientibus insequentes, et quos consequi prævalent, omnes prosternunt. Qui cum rege erant, omnes in ferrum ruunt, ipso præ omnibus fortissime, et fugante fugientes et prosternente. Vociferantur omnes, et confusis clamoribus ipsum pulsatur cœlum: fragor nimius vel de collisionibus armorum, vel de illisionibus cassidum resonat et gladiorum: plangores et ululatus undique, vel morientium audiuntur vel vulneratorum. Ita quidem ex ea parte, qua salutiferum crucis Dominicæ lignum delatum contra hostes fuerat et illatum; et victi et usque Ascalonem fugati sunt inimici, rege cum suis vel potius cruce Christi insequente, adeo ut dux ipse Babyloniorum inventus postmodum ibi sit mortuus in medio quinque millium mortuorum. At vero ex alia parte, unde crux Christi remotius abfuerat, peremptis magna ex parte quos obvios habuerant Christianis, Saraceni Joppen usque procurrerunt; et nescientes vel fugam suorum, vel nostrorum victoriam ignorantes, jactitabant se et regem et Christianos omnes in bello occidisse, in argumentum mendacii sui arma peremptorum Joppitis, de muro cernentibus, ostentantes. Dolent illi vehementer; nec tamen insultantibus urbem, sicut frustra speraverant, illico reddunt: exspectantes si forte tristius aliquid vel lætius de bello possent audire. At vero rex cum suis a persequentibus hostibus regrediens, quia Joppen pervenire non posset, eadem nocte in ipsis hostium tentoriis, quæ fugientes cunctis victualibus plena reliquerant, cum requievisset, sequente die Missa de nativitate gloriosæ Virginis Mariæ ibidem celebrata, Joppen revertebatur, jumentis de rerum in tabernaculis eisdem inventarum multiplici copia onustatis. Occurrunt revertentibus Joppen, ab Joppe revertentes quingenti Arabes: illi qui illuc pridie præcurrerant quasi victores, ornati satis pompatice armis Christianorum in campo pugnæ collectis, minantes et aliquantam quam circa Joppen rapuerant prædam. Suspicabantur Saracenos potius quibus obviarent, Jop-

pen, sicut et ipsi fecerant, adire volentes invadendam: unde non solum securi, sed et gratulabundi occursabant. Verum Christiani prius eos cognoscentes in securos celerrime irruunt; prosternunt alios, alios in fugam versos insequuntur. Nam resistendi nec ad momentum constantiam habuerunt inimici: ita dispersi, citissime quod quisque potuit diffugerunt: Christo ita videlicet disponente, ne qui partem suorum vicissent, non nisi victi redirent; utque tanta victoria non nisi Dominicæ Crucis virtuti videretur assignanda. Non tamen diutius fugitantes insecuti sunt Christiani, vel pridiano labore vel vulneribus fatigati. Interim nocturna fuga elapsi, Joppen per diverticula venerant de bello Christiani: nuntiantes, quod et ipsi verum putabant, regem cum reliquis omnibus Christianis in bello interisse. Dolent Joppitæ omnes, et præcipue regina usque ad mortem contristatur. Scribunt ad Tancredum, per quemdam cursorem marinum: et cum supplicatione omni lamentabiliter implorant, ut commendato alteri Antiocheno principatu, populo succurreret Hierosolymitano periclitanti; jam jamque rege, cum suis, in bello ab Ascalonitis Babyloniisque interfecto. Dolet Tancredus commune infortunium; et de ferendo, quod petebatur, populo Dei satis anxie tractat auxilio. Cursor quidem talia deferens abcesserat. Supervenit eodem die rex cum exercitu residuo; et falsis rumoribus asperam Joppitis, tristitiæ et doloris nebulam, præsentia sua detergit. Scribitur et Tancredo per alium de prosperitate legatum; ut anxietas priore nuntio delata, posteriore superveniente pelleretur. Inde Hierosolymam, cum lætitia magna reditum est; et crux sancta in loco Sancto, et honorifice suscepta est, et locata. Hostibus, Deo favente, ita repulsis et repressis, secuti sunt octo menses bellorum turbinibus immunes.

Anno 1102 auditum est Hierosolymis rursum Babylonios, ad viginti millia equitum, et peditum decem millia, apud Ascalonam convenisse, a rege Babylonis missos, exceptis clitellariis, qui camelos, asinosque victualibus onustos minantes, clavas simul et missilia manibus ad pugnam gestarent. Hi omnes de Ascalona simul egressi, primo Ramulam adeuntes, messes quidem jam maturas vastant omnes, castris suis prope urbem locatis. Episcopium quoque urbis munitissimum, juxta S. Georgii ecclesiam situm, expugnare aggressi, cum non prævalerent, ad expugnandos arcis Ramulanæ custodes, quindecim videlicet milites recurrunt: idcirco maxime eos habentes exosos, quod prædones Ascalonitæ, eorum occursibus crebris, non sinerentur libere quo vellent procurrere. Episcopus itaque et sibi et urbi consulere volens liberandæ, rem regi, Joppæ moranti, legato currente innotescit, succursum celerem anxie satis implorans. Erant tunc cum rege ibidem quam plures clari et nobiles viri, Stephanus comes Blesensis, Stephanus quoque comes Burgundiæ, Gaudifridus Vindocinensis et Hugo Liziniacensis Raimundi comitis frater. De quibus, licet hic nimis longa retro series sit, non incongruo tamen repetendum videtur, quod hi omnes et cum eis Hugo magnus et Guillermus Pictaviensium comes, prima quidem profectione Hierusalem cum aliis, tendentes, Antiochiam usque venerant: sed inde alius alia occasione, via nondum expleta, in terras suas redire volentes, usque in extremas Romaniæ partes devenissent quam plurimis peregrinantium copiis comitata. Ubi obsistente Solimano Turco, Niceæ sibi per eos ablatæ non oblito; vel potius justo judice Deo, ignaviam eorum puniente, qui bonum et sanctum non implessent peregrinationis sanctæ propositum, cum centum millia tam equitum quam peditum ex eis variis mortibus disperissent, qui potuerunt evadere rursus Antiochiam post multa et maxima dispendia redire compulsi sunt: Hugone Magno Tarso Ciliciæ prius defuncto. Cumque Tortosam usque venissent, qui terrestri itinere Hierusalem tendebant, parte non minima per mare eunte, Tortosam quidem terra marique expugnare aggressi, urbem captam Raimundo comiti, ibi malenti remanere quam Hierusalem, cui capiendæ probe satis interfuerat, dimittentes, alii Hierusalem primo tunc venerunt quæ Domino voverant, ipso disponente, tali ordine completuri. Quorum rex Balduinus adventum audiens, ad angustias Beriti, de quibus supra satis dictum est, eis occurrit: septemdecim diebus ibi eos præstolans: ne, præoccupato a Saracenis calle augusto, non possent transire. Exceptis ergo ibi secundæ illius profectionis peregrinis, et Hierusalem ad loca sancta cum gaudio et lætitia deductis, Joppen cum rege plures eorum redierunt, ventum opportunum ad navigandum in Gallias plurimi præstolantes. Cum itaque ibi essent cum rege, quando ei de succursu Ramulanis ferendo episcopi delatio delata est; correptis rex armis, inconsulte satis, et nimis intemperanter equum ascendit, nemini quidquam, nisi ut sequerentur, locutus. Reboant buccinæ, litui concrepant; regem, qui possunt vel volunt, subsequuntur, quo nesciret præcurrentem. Confidebat siquidem nimis de probitate sua, et qui de Deo solo in talibus deberet, de se ipso omnino temere præsumebat. Punita est graviter ejus temeritas, Deo qui superbis resistit ei resistente, in eo qui non, ut solebat, exstiterit victor; sed victus vix evaserit: et primo quidem rapidis cursibus usque ad alienarum castra currere non cessans, cum ea sicut erant, latissima consertissimaque prospexisset, pavore perterritus nimio, totus infremuit, dolens vehementissime, et sero temeritatis suæ pœnitens: in eum detrusus necessitatis articulum, ut nec redire Joppen posset, ab hostibus visus et pene jam circumseptus; nec pene solus contra tot hostium millia pugnare. Respiciens tamen ad suos qui vix ducenti milites eum consequi potuerant propeiantem: « Age, inquit, o fortissimi milites Christi: quia in hoc devenimus ut pugnam vitare nullo modo possimus, pugnemus viriliter; nec, ut solent mori ignavi, moriamur: scientes quia

sive vivimus sive morimur Domini sumus. » His dictis in hostes se, audaci satis impetu, omnes ingerunt; sed undique girantibus Turcis obtecti, parum proficiunt. Corruunt plures, plurimis tamen hostium prius peremptis: tandem qui supererant, morituros jamjamque se non dubitantes, nisi sibi consulere fugiendo possint, pondus belli interim declinantes, cursu rapido se in Ramulam intruserunt. Rex autem, et qui latus ejus nobiles atque fortissimi pugnatores ambiebant, cum similiter posset, Ramulam ingredi noluit: mori malens, quam ibi concludi. Adjunctis itaque sibi vix quinque militibus, ad montana cum uno eorum contendit, consecutis cæteris ab hostibus trecentis. Ita, Deo se protegente, rex interim evasit, nocte illa vel oberrans per montana vel delitescens. Interim hostes arcis Ramulanæ custodes impugnant; et heu, proh dolor! expugnant. Episcopus ipse, munitione episcopii sui relicta, Joppen confugit. Ceciderunt in isto bello plures, satis clari et nobiles viri: inter quos præcipui, Stephanus Blesensium; et Stephanus Burgundionum consules illustrissimi. Rex die tertia præ fame et labore jam pene deficiens, vix tandem intra oppidum suum Arsut', cum uno tantum milite et armigero suo se recepit. Susceptus gaudenter a suis, cibo, potu et somno recreatus, convaluit. Ita plane corripuit eum Dominus juste, sed benigne correxit. Elisit elatum, sed elisum erexit, ut posset ei cantare illud Prophetæ: « Castigans castigavit me Dominus, et morti non tradidit me (*Psal.* CXVII, 18). » Ipso enim namque die, quo in Arsut rex evaserat, ecce unus ex optimatibus ejus, Hugo de Tyberiade, legatione ab Hierosolymis habita ut Joppitis succurrere festinaret, cum octoginta militibus ibidem regi occurrit: desolationemque ipsius et confusionem, quantulacunque recuperatione militiæ, magnifice exhilaravit. Nec sic tamen terrestri itinere cum eis Joppen rex ausus commeare, cimba potius per mare evectus, gradientes per terram Joppen præcessit. Suscipitur a suis gaudenter, collætantibus cunctis et præ gaudio flentibus, quod recepissent salvum quem planxissent mortuum: Mortuus fuerat, inquiunt, rex, et revixit: perierat, et inventus est (*Luc.* XV, 24). Qui assumptis quos ibi reperit militibus, adventanti, sicut condictum fuerat, Hugoni occurrit, et sic cum eis Joppen regressus est. Omnes insuper de Hierusalem, et de Sancto Abraham convocat Christianos; bellumque rursus contra Arabas, etiam Joppen obsidere parantes, instaurat. Passi sunt tamen et ipsi, cum Joppen fere CC milites vel equites convenirent, periculosissimas ab hostibus in itinere insidias; evadentes tamen, Deo miserante, et Joppen tandem, fugantibus se usque ad portas hostibus, pervenientes, gaudenter a rege recepti sunt: idcirco maxime quod secum singularem omnium Christianorum spem atque virtutem detulissent, signum videlicet gloriosæ Crucis lignum salutis: cujus præsentia exhilarati omnes et velut de gravi languore convaluissent admodum vegetati, sequenti mane, catervatim per acies ordinati, procedunt in hostes, tribus fere ab urbe milliariis castra metatos; ibique machinas suas ad expugnandam Joppen præparantes. Qui cum contra spem Christianos adversum se in bello viderent procedentes, præparati et ipsi, obviantibus occurrunt audacter, fortiterque pugnantes obsistunt. Circumvallant innumeri paucos, et de solo divino auxilio sperare compellunt. Quod cum sibi adesse Christiani devotissime precarentur, non diu defuit clamantibus ad se pius exauditor Christus, et suis virtutem protectionemque tribuens misericorditer, et mirabiliter terrens hostes atque in fugam vertens. Nam milites quidem et equites circumfusa sibi hostium agmina impetu constantissimo penetrantes; rursumque versus pedites suos, defendentes se fortissime, iterato impetu recurrentes, prosternunt obvios, confertos dissipant; tandemque in fugam actos, insequuntur. Ita qui de capiendis, ut frustra putaverant, in urbe, tanquam de jam captis paulo ante tractabant; nunc victi turpiter, de sola fuga contendunt. Deserunt castra, de tentoriis nihil capessentes; et stipendia et arma victoribus relinquunt, gaudentes vel nuda corpora eripuisse discrimini. Denique nonnulli, dum fugiunt, sitis nimietate moriuntur. Evasissent pauci mortem, nisi et paucitas sua victores, et labor enecandi quos consequebantur, prægravasset fatigatos. Ita posteriore bello, victi sunt hostes ab his quos ipsi priore vicerunt: excepto quod in illo, de se præsumentium est confusa temeritas; isto, de Dominicæ crucis virtute confidentium, fides est et humilitas victoriæ suæ glorificata triumpho: « Equus enim paratus ad diem belli, ait Scriptura; Dominus autem salutem tribuet (*Prov.* XXXI, 21): » tribuit plane Dominus salutem, sed opportune: populum videlicet humilem, salvum faciendo, et humiliando oculos superborum: ut non glorietur omnis caro coram ipso, edocta non sperare in arcu et gladio suo, et cantare toto corde Salvatori suo, « Salvasti enim nos de affligentibus nos, et odientes nos confudisti (*Psal.* LIII, 9). » Non itaque, cum pro perversitate sua corripitur superbia, causetur Deum in corde suo stultitia: ne si de justo murmuret flagello protervia, vel vinciri æterno carcere, vel supplicio sempiterno cruciari mereatur insania. Non itaque fortunæ spectet eventus stultus; sed modestus, rerum merita penset: ut intelligat, quia rebus quidem rectus semper ordo est, quamvis opinioni perversæ sua semper hæreat confusio. Expleto bello, et tabernaculis hostium cum omnibus spoliis, camelis quoque et asinis quam plurimis, vel collectis a victoribus vel direptis, rex et sui Joppen sunt cum magna lætitia reversi, totum sequens vel autumni vel hyemis tempus Deo et Christo miserante, a bellis ducentes quietum.

Anno ab Incarnatione Domini 1103 ab Urbe autem capta vel potius recepta quarto, cum Sanctum Pascha celebrassent in Hierusalem, ex more, Chri-

stiani; rex cum quanto potuit exercitu urbem munitissimam obsedit, antiquo quidem vocabulo prius ut putatur Acaron, deinde Ptolomaidam; sed nunc vel Acram vel rursus Acaron nuncupatam. Obsessa quidem a Christianis Acra tunc est, sed minime capta: tum, quia muro vel antemurali validissimo cincta est; tum, quia defensores et multos haberet et fortes. Proinde obsidio urbis hujus interim omissa est, et expugnatio dilata: et attritis segetibus eorum, hortisque vastatis vel virgultis, rex cum suis Joppen rediit. Ubi cum esset, desiderabili satis et utili nuntio lætificatus est, dominum Boamundum, miserante Deo, de captivitate redisse cognoscens liberum; et suum Antiochiæ principatum recepisse. Nam et Laodiciam, quam Tancredus postea cœperat, hominibus Constantinopolitani imperatoris ablatam, idem Boamundus simul recepit; eumdemque Tancredum convenienter pacificavit, sibi principatus sui consortem factum. Quo tempore, rege Balduino contra Saracenos, more solito, strenue satis pugnante, contigit eum, dum fugitantes insequitur hostes, ab Æthiope quodam, post rupem delitescente, missili fortiter torto, dolosum a dorso sub scapula vulnus excipere; vixque post aliquantum tempus, Deo miserante, reparari: cicatrice tamen, conceptum futuræ longe post mortis ejus effectum, latenter retinente.

Anno 1104 rex, et Christianorum exercitus, sancto Pascha Hierosolymis, ex more, celebrato, intermissam præcedente anno Ptolomaidæ seu Acræ obsidionem repetunt, Januensibus cum classe, LXX rostratas naves habente, sibi ad urbis expugnationem sociatis. Quam cum terra marique, machinis et pervasionibus crebris, validissime diutius coangustassent, tandem, post viginti dies, ad deditionem et sui et urbis compulerunt obsessos; eisque ejectis urbem liberam obtinuerunt, pro eo maxime Christianis necessariam et omnino utilissimam, quod intra mœnia sua portum habeat peroptimum: refundente se usque ad medium urbis mari gratissimoque refluxu ibidem navium stationem continente. Res hostium omnes Christianis in prædam cesserunt, de ipsis hostibus occisis pluribus, quibusdam etiam vivere permissis. Eodem anno, æstivo jam tempore transacto, Boamundus Antiochiæ principatum Tancredo collegæ ex integro committens, ipse cum paucis Apuliam petit, raro satis evectus navigio, ut quantamcunque posset de transmarinis sibi partibus militiam contrahens, secum reduceret. Transfretavit cum eo et Hierosolymorum Patriarcha venerabilis Daimbertus; Romamque petens, cum ad sedem suam cum autoritate Romani Pontificis reverteretur, in itinere obiit Peregrinus. In cujus loco rex et populus Hierosolymorum domnum Arnulfum, longe ante electum, sibi præsulem tunc confirmaverunt. Sequente anno, hoc est, ab incarnatione Domini 1105, Raimundo comite in oppido suo, haud longe a Tripoli, defuncto, nepos ipsius Guillelmus, cognomento Jordanus, comitatum defuncti suscepit regendum. Tancredo quoque principatum ministrante Antiochenum, rex Calipti, Rodoan nomine, cum copioso nimis exercitu bellum ei intulit; cumque cum Antiochenis, paucis quidem, sed Christi virtute robustis, in prælium contra se convenire coegit. Denique pugna commissa Calipteni victi, victores fuerunt Antiocheni: Christo Domino pugnante pro fidelibus suis, suosque et ipsorum hostes tam mirabiliter propugnante, ut quamvis parvissimus esset Christianorum exercitus, interemptorum tamen ab eo non fuerit numerus perfidorum. Ita quos ad præliandum contra Christum et sua multitudo, et raritas invitaverat Christianorum, Christi virtutem dum nolunt cognoscere fide, non ignorare coguntur in sua blasphemi confusione. Glorificatus ita Christus in Antiochenis, quam mirabiliter et in Hierosolymitis glorificari dignatus sit, eodem anno, prosequamur. Admiralius namque Babylonis, Christianorum in terra Sancta raritate comperta, Semelmuch militiæ suæ principem, Ascalonam cum quindecim millibus transmisit armatorum: hoc eis in præceptis dans, ut exterminata penitus de terris illis et gente Christiana et nomine, etiam sacratissimum illud Christi Domini Sepulcrum effoderent impiis manibus, et minutatim dispergerent: « ne ultra, inquit, amore sepulcri conveniant illuc de Occidentalibus regnis cultores Sepulti. » Unde et conjurare fecit eos quos ad exsequendum tantæ impietatis satellitium direxit: « nec terga eos unquam vertere in bello; nec nisi patrata Christianorum eversione ultra redire. » Audita rex et Christiani tam obstinata hostium malignitate, omnes de toto regno suo arma ferre valentes apud Joppen conveniunt, paucissimis ad murorum custodiam per loca singula relictis. Diutius tamen et illi Ascalonæ, et isti Joppe congregati callebant, nec illi istos, nec illos isti expetentes. Prorupit tandem adversus piorum populum protervia sæviens impiorum; et Babylonii de Ascalona, de Joppe Christiani apud Ramulam convenerunt. Ibi rex et sui in extrema anxietate positi, misso ad Patriarcham et reliquos qui Hierosolymis remanserant legato, obnoxius flagitant, ut sibi divinum in necessitate non cessent auxilium implorare, scientes crastina die bellum sine dubio futurum. Quo cognito Patriarcha clerum totum et omnem convocans plebem, prælii diem et commune periculum insinuat, de flagitanda Christi misericordia commonet; hortatur ea die et sequenti jejuniis, precibus et eleemosinis devotius insistendum, ut rege et suis pugnantibus gladiis, ipsi orationum et eleemosynarum melioribus compugnarent armis: « maxime, inquit, visitationibus ægrotorum, pauperum misericordiis, Deum nobis facere satagamus propitium: talibus enim hostiis promeretur Deus: » et sicut Scriptura dicit alibi: « Benedictionem post se num relinquit? » (*Joel.* II, 14.) « Et ego, ait patriarcha, nocte proxima Ramulam, si potero, Deo volente, proficiscor, istis quos videtis fere CI fratribus comitatus, singularem

Christiani populi spem et virtutem nobiscum illuc deferentes, pretiosissimæ crucis Christi tropæum. » Primo diluculo pervenerunt Ramulam nocturni viatores, patriarcha et sui, Hierosolymitis Ecclesias tota nocte et sequenti Dominica die frequentantibus, incedentibusque nudis pedibus, et ante Deum plorantibus; nihilque prorsus omittentibus unde sibi divinam conciliari posse sperarent misericordiam. Rex et sui, patriarchæ et gloriosæ crucis præsentia exhilarati admodum et roborati, concurrunt ad presbyteros, et omnes singuli confitentes peccata sua, et se ad excipiendam fideliter mortem præparantes, Dominici corporis et sanguinis perceptione muniti. Quibus sollicite præmissis, ordinantur ad pugnam; et procedunt per acies vix quingenti milites et pedites duo millia, adversus quindecim millia Saracenorum, vix quatuor a Ramula milliariis castra metatos; parantesque cum minore exercitus parte Ramulam adire, majorem vero mittere Joppen, quam vacuam defensoribus sperabant, se posse præoccupare. Verum cum regem et Christianorum exercitum tam audacter contra se, tam mane viderent procedere, dissipata quam frustra machinabantur versutia reglobati, potius de committendo prælio statim coacti sunt tractare. Ordinatis ergo et ipsi agminibus suis, adversus procedentes procedunt audacter, de multitudine confisi: Christiani, de Christo potius confidentes, quam de numero: more suo exclamantes, « Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat, » certamen ineunt animosi; acclamantes Saracenos, et totis viribus oppugnantes impetunt; validissimosque, alii in alios excursus faciunt. Conantur circumvallare paucissimos plurimi; et maxime Turci a tergo girantes, concludere et sagittis sternere, in antepositos oppugnatores intentos, nituntur Christianos. Quod cernens rex cum acie sua, totum se periculo exponit, Turcis se cordatissime opponit, eosque recto* Ecclesiæ Deo iuvante compellit fortissimo impetu dissipatos. Inde se in majores confertioresque Arabum et Æthiopum phalanges immergit, creberrimisque atque validissimis incursibus densissimos tandem, Deo miserante, hostium cuneos perrumpit, peremptis* alios in fugam vertit. Fugiunt usque Ascalonam, qui evadere potuerunt: insequuntur fugitantes conglobati post eos Christiani, atque ipsum Ascalonæ Ammiratum Gemelmuch in primis occidunt. Cujus morte comperta, Semelmuch princeps militiæ regis Babylonis, consuluit vitæ suæ fuga, amissa penitus spe victoriæ de pugna, malens vivere perjurus, quam exsecrandi sacramenti fide perire. Sequuntur ducis exemplum qui possunt; et sacramentum, vitæ postponunt, sicut dictum est, qua vel quo quisque poterat fugitantes. Ammiratus olim Acaronita captus et reservatus a rege, postmodum viginti millibus aureis est redemptus. Æthiopes, quoniam nequiverant fugere, in campo fere omnes trucidati perierunt. Denique quatuor millia cæsorum numerata sunt, cum de Christianis vix ceciderunt homines sexaginta. Reversi ab insequendis hostibus Christiani, castra victorum victores diripiunt, plurimisque spoliis onusti, Joppen summo cum gaudio revertuntur: propitium sibi factum totis cordibus collaudantes Deum; glorificantesque protectorem et adjutorem suum Christum, in quo virtutem magnam fecissent, inimicis suis ad nihilum deductis.

Mirandis, plus miranda succedunt, cum glorificatus prælii terrestris victoria Christus, et ventis et mari dignatur glorificari. Nam classis Babylonia, Joppe jam ipsa belli die cum maxima exercitus parte applicata: sperans frustra, deletis terrestri pugna Christianis, et Joppen et cæteras urbes maritimas omnes sibi confestim subigendas: cum versa vice et suos victos, et Christianos vicisse cognovisset, Gemelmuch Ammirati Ascalonitæ præciso capite, et sibi per nautas regios jaculato, illico se in portus Tyri et Sydonis retraxit; ad deinde Babyloniam navigare contendens, spiritu procellæ exagitata, partim naufragio disperiit, partim Joppensium portui impulsa, Joppitis se capessendam obtulit. Denique, viginti quinque naves ibidem captæ tunc referuntur, Saracenis plenæ. Ita qui terra et mari speraverant se atque paraverant perdere simul omnes Christianos terra marique perditi, positi sunt « ut rota, et sicut stipula ante faciem venti (*Psal.* LXXXII, 12). » Verum pius Dominus qui tam magnifica consolatione suos, sexto Kal. Septembris lætificasset, eodem jam declinante anno, ipsa videlicet Dominicæ nativitatis vigilia, horisono nimis terræmotu Hierosolymam totam concussit, omniumque corda nimio terrore perterruit; admonens videlicet Hierosolymitas illos ita de beneficiis ab ipso sibi collatis exsultare, ut ei semper servire deberent in timore.

Sed et sequente anno, videlicet millesimo centesimo sexto, cometa quinquaginta et eo amplius diebus, vespertinis semper horis apparens, stupore simul et terrore totum replevit tunc mundum. Nam splendoris alburni radium, versus brumalem solis occasum, instar telæ lineæ producens, primis quidem diebus flammantior; postremis vero subobscurior visebatur, donec paulatim attenuatus post dies, ut dictum est, quinquaginta, videre omnino desisteret. In quibus etiam diebus, Februarii videlicet mense medio, ad dexteram et ad levam solis partem, duo quasi soles apparuerunt, non tamen æque ut medius fulgentes; sed forma et lumine rariore, mediocriter rutilantes. In quorum giro, circuli duo visi sunt, alter alterum complectens: sed exterior totus albicans; interior, Iris instar, quadruplici colore distinctus, et a superiore medii Solis parte, velut arcuata amplexione, ad duos collaterales Soles pertingens; ab inferiore velut dimidiatus desinens. Referuntur et sequenti mense, nocte quadam media, stellæ de cœlo, instar pluviæ, videri cecidisse. Quid tanta et insolita prodigia protenderint, adhuc minus habetur probatum. In Hierosolymorum tamen partibus contigit eodem anno Hugonem Tiberiadis Du-

cem bis a Damascenis victum, tertio belli recursu Damascenos vicisse adeo mirabiliter, ut cum cxx pugnatoribus, quatuor millia disperserit armatorum; eumdemque non longe post in expeditione cum rege positum, ictu sagittæ occubuisse.

Anno 1107 solito effervescentes Ascalonitæ, inter montium angustias Joppitis Hierusalem proficisci parantibus insidiate tetenderunt, eos se ibi intercipere et perdere posse rati. Verum Joppitis, de præparatis sibi insidiis præmuniti, LXXV exploratores præmittunt : qui repente a quingentis fere militibus et peditibus mille, adeo conclusi sunt et intercepti, ut nullatenus vel redire possent, vel ad congregandum aliter quam erant ordinare. Quo deprehensi articulo gratius elegerunt, si contingeret præliando mori quam fugere, frustra tentando mortem suam etiam ignaviæ nota maculari; auxiliatorem sibi precantes simul et sperantes Christum, mirum in modum primo impetu hostilem aciem penetraverunt adeo, et dissipaverunt, ut non valentes ultra reconglobari, de fuga potius, Deo volente, satagerent, quam de pugna : quorum plures occisi, reliqui victi turpiter, et fugati, laqueo quem ipsi paraverant deprehensi, in eam, quam foderunt pedibus piorum, foveam ceciderunt.

Eodem anno, Boamundus de Galliis cum magnis militiæ copiis regressus, numerosa quoque in portu Brundusii classe præparata, Bulgariam navigans, Ascalone tandem applicuit; et ea sine dilatione capta, Dirachium adiens obsedit; quam, quia defensoribus et victualibus satis munita erat, per annum obsidens capere non valuit. Moliebatur tamen, si quo modo imperatore Alexium, Christianis Hierosolymam peregre petentibus infestissimum, et ipsis Saracenis longe deteriorem, crudelioremque inimicum, protrahere posset in bellum. Quod cum nullo efficere possit ingenio, tandem per internuntios concordia et tentata est et confirmata : imperatore quidem jurante super pretiosissimas reliquias, nullum se per totum imperium suum illaturum peregrinis de cætero nocumentum, sed servaturum fideliter et adjuturum : Boamundo quoque, imperatori pacem et fidem jurante. Quo peracto, Deo favente, negotio, Boamundus cum minore exercitus sui parte, Apuliam rediit : reliquis Hierusalem, sicut foverant [voverant?], profectis; pluribus tamen in obsidione Dirachii, præ nimio solis ardore correptis, et defunctis, Guidone etiam ibidem mortuo, Boamundi fratre. Quo anno et rex Francorum Philippus fertur obisse, Ludovicum filium suum regni successorem relinquens.

Anno 1108 et ab Hierusalem capta XI, Bertrannus filius Raimundi comitis Tripolim obsedit, Januensibus sibi cum numerosa satis classe sociatis : cui Bertranno, consobrinus ejus Guillelmus cognomento Jordanus, oppidi qui Mons Peregrinus dicitur dominus, invidebat potius, quam congaudebat, Tripolim obsidenti; sibi potius et obsidionem urbis et expugnationem reservare debere asserens, et ascribi. Ille de paterna hæreditate, iste de possessione oppidi A præscribebat. Sub qua discordia dum præpeditur urbis obsidio, et expugnatio differtur, rex Balduinus illuc venit, Januenses ad Ascalonam, Beritum, et Sidonem obsidendas, Deo volente, sibi conciliare quærens. Verum cum de concordandis sibi cognatis Bertranno videlicet et Guilhelmo, rex et Januenses tractarent, Guilhelmus, dum noctu equitat, incertum cujus dolo, sagittæ ictu percussus et mortuus; et discordiæ finem dedit, et urbis expugnandæ negotium acceleravit. Coangustantur undique ab obsessoribus obsessi, et de vita desperari compulsi, ad deditionem coarctantur et urbis et sui : vitæ tamen et libertatis sibi a rege pactione petita prius, et juramento confirmata, eo tenore, ut portas aperientes ipsi in partem urbis secederent, omnes simul, B inde postmodum quo vellent abituri. Quod dum fieret, incertum sane quo eventu, minores Januensium repentino tumultu per scalas et cordas murum conscendentes, urbem ingrediuntur; catervatimque discurrentes obvios quosque obtruncant Saracenos, eos videlicet qui secedere, quo condictum fuerat, tardassent. Nam et ipsos qui jam secesserant, similiter trucidassent Januenses, nisi rem cognoscens rex, furentibus festinus occurreret, susceptos in fide taliter liberans a morte. Ita captam a Christianis Tripolim Bertrannus comes, rege concedente, possedit, regi proinde fidelis hominii fœdere dedicatus.

Anno 1110 Februo mense necdum elapso, rex et C Christianorum exercitus Beritum obsederunt, Tripolitanum comitem socium habentes Bertrannum. Quam LXXV, ut opinor, diebus obsessam : cum etiam naves, quas ad subsidium inclusorum finitimi Saraceni deduxerant, classe sua intra portum conclusissent Christiani, tandem, auxiliante Deo, comprehenderunt, de turribus ligneis muro admotis, ausu mirifico super murum descendentes, desilientesque de muro in urbem, et obvios quosque, sive in muris, sive in plateis, Saracenos obtruncantes. Inde cum etiam portas sociis patefecissent, ingreditur simul toto impetu omnis exercitus maximam hostium facientes stragem, et totam peremptorum pecuniam diripientes. Apparuit tunc rursus cometes per aliquot noctes, radio versus Austrum longius producto, viderit Deus quid protendens. Eodem tempore Tancredus D cum Antiochenis regem Hierosolymorum sibi contra Turcos, regionem suam infestantes, in auxilium venire flagitant : cum quo Euphraten transeuntes, Edessam victualibus copiosius muniunt : sed hostibus nullam sibi congrediendi facultatem facientibus, Antiocheni quidem, Antiochiam; rex autem et sui Hierosolymam revertuntur. Applicuerant interim Joppe classe pulcherrima, evecti de occiduis partibus Oceani, Norrenses quidam, Hierusalem devotione Christiana properantes, fratrem regis terræ suæ, speciosissimum quemdam juvenem, ducem habentes : parati in Terra Sancta diutius morari pro Christi amore, si regi placeret; et quocunque juberet, cum eo per mare ituri, si tantum

sibi necessarium faceret victum præberi. Quod Rex A et accipiens gratissime, et libentissime concedens, Sidonem ipse quidem a terra, Norrenses a mari obsidere festinant; et machinis ad urbem impetendam præparatis, hostes undique coarctant; tandemque et virtute resistendi, et evadendi spe sublata, eos ad deditionem compellunt: vitæ tamen prius eis fœdere firmato. Ita solidariis quidem, quo voluerunt abeuntibus; ruricolæ, Christianis fœderati remanserunt et subjecti.

Anno 1111, ebulliens e Perside Turcorum maxima multitudo, et per Mesopotamiam ad Euphraten veniens, flumine transmisso castrum, quod Turbessel nuncupant, obsederunt diutius; sed capere non potuerunt. Unde secedentes, et crebris excursibus B Tancredum et Antiochenos irritantes, compulerunt rursus regis Hierosolymorum et auxilium flagitare, et adventum. Cum quo Apamiam vel potius Abalapam urbem, præcedente anno probe satis a Tancredo captam adeuntes, munierunt; et Turcos in sua se retrahere conpellentes, cum eos in pugnam pretrahere non valerent, quisque in sua redierunt. Inde rex Tyrum obsedit quidem cum multo apparatu; et ut eam expugnaret diutius laboravit; sed inefficax totus tunc ejus exstitit conatus: eo quod duas turres ligneas muro altiores admotas, de duabus muri turribus a Saracenis nocte una jaculantes mira se probitate defensarunt: et machinis ad extremum concrematis, regem et suos inde recedere compulerunt, dolentes nimis, quod tam diu- C turnum laborem inefficacem ita perdidissent.

Annum sequentem videlicet 1112, rex et Hierosolymitæ a bellis, Deo miserante, habuerunt quietum: Antiocheni vero solito tristiorem eum duxerunt, Tancredo principe defuncto, et morte sua finitimos hostes in se protervius insurgere, irritante. Obstitit tamen pro posse improbis Rogerus defuncti cognatus, principatus Antiocheni successor effectus.

Anno 1113, mense Martio, contigit Solem quasi quarta formæ suæ parte, ac si cornutum, prius a summo, demum ab imo videri, a mane usque ad tertiam; nec tamen claritate sua omnino privari. Incertum sane utrum ex concurrente occursu Lunæ tunc XXVIII eclipsim passus sit sol; an aliquid prodigium exstiterit. Æstivo deinde tempore congregati D Turci, flumine transmeato Euphrate, per Syriam, inter Damascum et Antiochiam transeuntes; et inde per Phœnicis regionem inter Tyrum et Paneadam, quæ et Cæsarea Philippi dicitur, pervagantes; mari etiam Galilææ circumito, et terra Nephtalim et Zabulon versus Austrum peragrata: tandem se inter duo flumina, Jor scilicet et Dan, incluserunt, in insula parva quidem, sed fluminum ambitu circumclusa, pontibus etiam duobus hinc inde munita castra sua collocantes. Qui locus adeo opportunus eis erat et commodus, ut et inde quo vellent, excurrere possent; et impeti vel angustiari non facile possent, arctis pontium meatibus muniti. Quem locum cum rex et sui, audito hostium accessu, præoccupare festinarent a Ptolomaida moto exercitu, insidias incurrerunt ab hostibus sibi jam exinde paratas, adeo periculose, ut rex ipse, et vexillo et tentorio per-optimo amissis, una cum Patriarcha fugere cogeretur, millia ferme triginta, et peditibus mille ducentis, heu, proh dolor! exstinctis. Contigit et hoc regis immoderata prorsus et inconsulta festinatione: qui militia sua non exspectata, improvide nimis et inconsiderate præcesserat, nec consule Tripolitano, nec principe Antiochiæ Rogero sibi adhuc sociatis. Qui cum venissent, audito quod acciderat, regis immodestiam culpantes, in monte præfatæ insulæ præeminente, castra sua et ipsi locaverunt. Maledoctus, insulanorum illorum Dux dicebatur; qui rege Damasci Tuldequino sibi sociato, insulam illam asservabat sibi diutius; nec ullam congrediendi secum facultatem Christianis præbebant. Coerceri tamen non poterant insulani a montanis, quin catervatim procedentes, et Christianorum vastarent terras, et victualia sibi in insulam convectarent. Tunc et hi qui subjecti fuerant Saraceni, a Christianis recesserunt, angustantes eos undique; et nec nuntium ab aliis ad alios dirigi sinentes. Neapolim ipsam, antiquitus Sichem, vel Sichimam nuncupatam, interim occupaverunt hostes, et penitus diripuerunt. Ascalonita et Arabes Hierusalem adeuntes, antemurale urbis occupaverunt, messes multas ibi congestas succedentes, sequentique nocte, lætantibus Hierosolymitis abscesserunt. Nec qui in urbibus vel oppidis erant, nec qui in castris de se invicem rescire poterant: ita plane in angusto positæ erant res Christianorum, ut nec messis, quæ plurima eo anno provenerat, collegi posset, sed in agris relicta periret. Turbatur et mare plus solito: et vel piscandi maritimis denegat facultatem: concutitur et terra bis, terræmotu horrisono; et ædificiorum eversionem, arescentibus præ timore minatur mortalibus. Obsederant omnia Christianorum loca, profunda silentia: quædam mortis imago stupefactos, et præ pavore pene exsangues, universos ibi obtexerat Christianos. Intelligebant evidenter omnes qui sanum aliquid sapiebant, irati sibi Dei hanc esse vindictam. Taliter duobus integris mensibus afflicti, tandem, miserante Deo, et iram in gratiam convertente, respiraverunt Christiani. Nam adventantium de transmarinis partibus peregrinorum copiis, videntes insulani illi exercitum in dies augeri Christianorum, Deo eos perterrente, secesserunt post duos menses in partes Damasci; et regi cum suis, facultas patuit in Ptolomaidam revertendi. Ubi et comitissam Siciliæ rex reperit applicuisse, Rogeri fratris Rotberdi Guischardi, quondam conjugem. Postmodum suam regis futuram uxorem. At vero Maledoctus, Damascum cum Tuldequino rege ingressus, nec mora, judicante Deo, dolo ibi a quodam sicario peremptus, et affligendi Christianos facultatem perdidit et vivendi: vir, quondam et divitiis et armis potentissimus inter omnes Turcos, et in omnibus actibus suis astutissimus.

Anno 1114 prius locustarum multitudine infinita ex Arabiæ partibus convolante, territorium Hierosolymitanum, per dies aliquot vehementer vastatum est : mense Aprili vel Maio et sequenti terræmotu horribiliter concussum ; Mamistriæ urbis pars nonnulla subversa ; in regione quoque Antiochia plurima oppida, quædam media, quædam ex integro, solotenus cum parte plebis subruta : itemque in urbe quam Mariscum nuncupant, populus universus repentinis ædificiorum ruinis præfocatus, heu proh dolor ! terribiliter et miserabiliter exstinctus : in Euphratesia etiam oppidum, quod Tribalec nuncupant, funditus eversum.

Anno 1115 Turci, solita protervia regressi, et castra ubi solebant inter Antiochiam et Damascum locantes, et Hierosolymitas et Antiochenos rursus contra se compulerunt convenire : Tuldequinum quosque Damascenorum regem, morte Maledocti, dolose ab eo perempti, exosum sibi factum, cum Christianis coegerunt pacem facere, metuentem, ne non posset eorum impetus solus sustinere. Verum cum et Damascenos comperissent Christianis fœderatos, contra se ad bellum convenisse, clanculo recedentes, occultantesque se in caveis delituerunt, donec et Christianos, Antiochiam, Antiochenos, et regem cum suis Tripolim, et Damascenos in sua comperissent recessisse ; arbitrantes quod Turci Euphrate transmisso in sua et ipsi remeassent. At vero Ascalonitæ interim, regis et exercitus Christianorum absentia furoris sui satiandi nactos se occasionem rati, concurrunt, Joppen, classe Babylonica, septuaginta ferme naves habente, roborati, terra marique obsidentes eam, et fortissime oppugnantes, adeo ut etiam scalis secum ad hoc delatis murum contenderent ascendere, et comprehendere se urbem posse putarent. Verum civibus paucissimis quidem et debilibus, fortissime tamen se defendentibus, cum, quod frustra speraverunt, non valerent, Deo protegente suos, efficere, portis urbis igne injecto combustis, recesserunt confusi, ne ab Hierosolymitis supervenientibus opprimerentur metuentes. Post dies tamen decem obsidionem eamdem terra marique repetentes, fortissimisque invasionibus urbem impetentes, Deo pro suis resistente improbis, cum nihil efficere prævalerent, invaletudinem suam stupentes impii, recesserunt ; plures secum de suis, occisos ibi, deferentes, de caballis quoque suis pluribus amissis. At vero hi, de quibus supra dictum est, Turci, Christianos excessisse comperientes, de latebris suis erumpunt, et stationis solitæ locum rursus occupantes, per regiones Syriæ discurrebant, rapinis et incendiis quæque poterant, vel oppida vel villas, pessumdantes. Qua rursus Antiocheni necessitate in exercitum coacti, maluerunt se discrimini committere, quam toties ab improbis fatigari. Unde, nec Hierosolymorum, nec Damascenorum, sed solius Dei expetentes auxilium, et exspectantes, licet admodum pauci, audacter tamen innumeros et expetierunt hostes et A impetierunt : adeo ut, quamvis validissime repugnantes, tamen, Deo propugnante, tandem eos fugam inire compellerent ; et relictis omnibus, armis quoque projectis, terga victoribus cedenda præbere. De quibus tria millia occisi, capti vero quam plurimi : reliqui omnes et tabernaculis et utensilibus, vecturis quoque, et pecuniis omnibus adeo nudati diffugerunt, ut equorum, mulorum, camelorum non fuerit numerus captivorum ; quadringenta quoque millia æstimata sint aureorum : et, quod his omnibus majus atque præstantius est, recuperata quam plurimorum captivorum libertas Francorum, sive Syrorum. Vere mirabilis in cunctis operibus suis Deus. Ecce cum multi fuissent simul Christiani, tam Hierosolymitæ quam Antiocheni, vel B fugerunt victi, vel omnino parum profecerunt. Nunc soli cum essent Antiocheni, paucitate sua provocatam in prælium plurimam hostium multitudinem, Deo fortes fuderunt, straverunt, captivaverunt ; tantaque cœperunt spolia, ut et æstimationem, pondus et numerum vinceret multitudo. Quare hoc? nisi ut evidentissimis clarescat indiciis in nullo nisi in Deo gloriandum homini, qui per se nihil valens, audet tamen gloriari, quia in seipso fecerit virtutem, et non in Deo? Cujus præsumptionis timore, nihil apud Deum abominabilius, nihil esse exsecrabilius potest : sicut e diverso, nihil gratius, nihil acceptabilius, quam vere humili et devoto corde intelligere, quia omnia opera nostra operatur nobis ipse. Verum, quos ita per se protegebat pius ; per se quo- C que ipse corripiebat justus. Eodem anno et Mamistriam terræmotu subvertens, urbem olim satis illustrem et pleraque alia in territorio Antiocheno loca, horrore simili concutiens. Eodem anno et Arnulfus patriarcha, a quodam Romanæ urbis legato de sede sua ejectus : sed ab ipso populo Romano, Romam veniens, ad suam sedem rediit, restitutus. Quo tempore et Rex Hierosolymorum in Arabiam profectus, castrum ædificans in monte quodam naturali situ satis munito. Regalem hunc montem nuncupavit : custodes ibi et habitatores idoneos ponens, quorum objectu prædonum latronumve ex Arabia erumpentium præpedirentur excursus. Quod castrum tribus a mari Rubro distans man- D sionibus, quatuor ab Hierosolymis disparatur diætis.

Annum millesimum centesimum decimum sextum, Hierosolymitæ, Deo favente, bellis duxerunt quietum. Quo anno rex cum ducentis militibus Arabiam ad ipsum usque mare Rubrum perambulans, Helim civitatem, primam Israelitarum post transitum Maris Rubri, mansionem, intravit, habitatoribus omnino tunc vacuam : incolis ejus adventus regis timore, mare Rubrum navigio alterius ingressis. Peragrato ibi littore maris ; et ruboris ejus causa, non in aqua, cujuslibet maris aquæ simillima, sed in arena esse animadversa, Rex cum suis Montem Regalem, et inde Hierosolymam reversus, comitissam Siculorum, non legitime ductam uxorem, mortis ti-

more perterritus, ablateravit, ei, quam pellicis amore dimiserat, reconciliatus uxori legitimæ adhuc viventi. Ita corripuit eum Dominus, et correxit, mortis timore liberans reum a morte. Verum de situ Maris Rubri, quia se obtulit occasio, hoc breviter memorandum : quod ab Oceano derivatum, a parte Australi versus Septentrionem porrectum, nec longe a monte Sina terminatum, a Mediterraneo mari, versus Joppen et Ascalonam, quatuor vel quinque mansionibus dicitur abesse; et sinu latissimo totam Ægyptum, Numidiam quoque et Æthiopiam a Septentrionali plaga concludere. Unde mirandum nimis quonam modo Gyon, qui et Nilus, de Paradiso in Oriente, ut credendum arbitror, sito, versus Ægyptum tendere possit; Euphrates quoque Armeniam, Mesopotamiamque permeare, cum inter primos ortus suos, et eas quas pertranseunt regiones memoratas Mare Rubrum, flumina hæc habeant interjectum. Nam, quod post longos terrarum tractus subterraneos, cursus suos, novis quasi ortubus, probantur super terram sæpius efferre, mirum vel ipsum Mare Rubrum, sive inter sive subter currendo, possint memorata flumina pertransire, ut ad ortus quos post Mare Rubrum renovant, possint pervenire. Potest et hoc, qui omnia potest, facere Deus : quo autem modo fiat, nec visu, nec auditu, nec lectione unquam potui vestigare. De Scripturæ tamen sacræ veritate, nullo nos modo oportet dubitare : docentis memorata flumina, et de Paradiso illo prægrandi fonte, ortus primos habere; et ipsa esse, quæ jam dictas regiones vel circumire noscuntur, vel permeare. Quibus autem, sive per medium Mare Rubrum directis quidem meatibus, sed ignotis, sive quamlibet sinuatis, subtus terram circuitibus, ad nota usque defluant loca : quia pervestigare non valemus, ejus hoc totum dimittamus Providentiæ, quem et in supinis præcelsorum montium cacuminibus, vividos ortus fontibus dare videmus; et in nubibus, sicut et Scriptura dicit, aquas ligare perspicimus : quem denique in cœlorum sublimibus, aquas ab initio locasse, et perpetuo continere non dubitamus, visibili hoc cœlo, hoc est, firmamento, in divisione aquarum medie librato. Sed jam ad historiæ ordinem recurramus.

Anno 1117 hostium vice Hierosolmytanum totum fere territorium infinitæ multitudines occupavere locustarum, ita catervatim continuatimque de pessumdatis jam locis ad alia procedentes pessumdanda, ut ex devoratis cunctis virentibus terræ perpendere evidenter liceret Dominum præcepisse locustæ indisciplinatorum devorare terras incolarum : si forte revertentes ad cor animadverterent perversi quam non locustis vastandi, sed ipsis Saracenis tradi mererentur trucidandi. Sequente Junii mense, Luna post galli cantum prius tota rubea intuentibus visa, dehinc usque ad luminis exstinctionem fusca effecta, utrum vel sanguinis effusionem rubore, vel nigredine famem futuram protenderet, aut ex objectu terræ umbrata eclipsin so- A litam pateretur, suspectos conjectores fecit : post duas fere horas, pleno tertiæ decimæ formæ suæ fulgore recepto. Solet enim circa plenilunium Luna objectæ inter se et solem terræ, quasi acuminatam usque ad se umbram, vel tota vel ex parte incurrere : ac sic fulgoris sui dispendium, donec eamdem umbram alibi magis, alibi minus sibi propinquitatem, evadat, ferre. Quod ne omni plenilunio eveniat, ea facit causa, quod Luna non eadem semper via Zodiacum pervolat. Unde tunc solum, jam dictum luminis patitur defectum, cum eas cœli partes plena peragrat, ad quas usque majores oppositi terræ tumore umbras suas altius possunt efferre; Solisque deorsum currentis, accurrentes desuper Luna, radios præpedire. Quod cum evenit, nescientes B causam mirari facit, et portentum aliquod suspicari, cum naturalis Lunæ cursus in causa tunc sit, et efferentis se altius quam Luna currit, umbræ terrenæ incursus. Verum hoc breviter intimato; historiæ res gestas ut cœpimus, exsequamur. Secutus est locustæ pestem, sexto Kalend. Junii horribilis nimis terræmotus, iram Dei præmonens citius debere placari. Concutiebantur ad ruinam ædificia, ut dura hominum stolidorum ad pœnitentiam concuterentur corda. Ædificatum per idem tempus castrum quoddam prope Tyrum, rex Balduinus, quod intra quintum ab urbe lapidem situm, Scandaleon, id est campum Leonis, antiquitus aiunt, nuncupatum : cujus diruta rex diligenter reparans, C custodes in eo idoneos locavit, ut eorum potentia, et prædonum excursus coercerentur Tyriorum, et futura ejusdem urbis præpararetur obsessio. Secutum est eodem anno, mense videlicet Decembri, tam mirabile quam insolitum signum in cœlo : cœlum ipsum, scilicet in Septentrionali plaga, primo noctis conticinio, ex magna parte igneo sive sanguineo fulgore respersum, radios albuni [albuli?] coloris ab imo sursum mistim habens interpolatos, et nunc ante, nunc retro, nunc et in medio subitis mutationibus intermistos : inferior autem pars cœli, quam dicunt horizonta, quadam quasi nova albescat aurora : primam vero ejusdem vel ruboris vel alboris frontem major quædam et clarior præcedebat velut Oriens Luna, adeo ut circumjecta quæque subtus loca cla- D rius undique candesceret, eodem fulgore illustrata. Conjectabant qui hoc suspiciebant signum, vel multum sanguinem in bello præsagari fundendum; vel alias quaslibet, et terribiles rerum portendi mutationes humanarum. Qui modestius sapiebant, nihil temere censebant suspicandum, sed « dimisso divinæ providentiæ et rerum et temporum moderamine, de sola morum perversitate corrigenda, et imploranda propitiatione divina laborandum, » commonebant. Defunctarum tamen post ante annum sublimium in hoc sæculo personarum, plures Præmisso præsignari casus opinabantur; Romæ Paschalis papæ, mense Januario; Hierosolymis Balduini regis, mense Aprili; Arnulfi quoque patriarchæ, et imperatoris Græcorum Alexis : nec non et alias

aliorum defunctorum per idem tempus plurimorum hujus magnatorum mundi.

Anno 1118, rex Balduinus elapso mense Martio, cum urbem versus Ægyptum sitam, quam Pharamam incolæ nuncupant, diripuisset, die quodam Nili littora cum suis peragrans, cum de piscibus ejusdem fluminis in præfato oppido comedisset, irritatum noxii cibi novitate, acerbissime sensit veteris plagæ suæ dolorem renovari : adeo ut equitare non valens letica de papilionum sudibus facta decubans, usque ad villam quæ dicitur Laris, Hierusalem rediens, reportaretur. Ubi cum esset, cicatricis irremediabiliter dolentis languore per dies ingravescente, ad mortem usque perurgetur; et inter suos non sine grandi dolore et luctu cunctorum, defungitur, octodecim annis in regno Hierosolymorum exactis. Cujus intestinis lotis, qui aderant diligenter, et sale conditis, Hierosolymam, funeris bajuli, mœsti omnes properant regis commilitones. Accidit sane mira et inopinata, Dei, ut credendum reor, ordinatione, ut eo die et hora quo Pascha floridum celebrans ex more populus Hierosolymorum, solemnem ageret processionem, de monte Oliveti in valle Josaphat descendens cum palmarum ramis, militia quoque regii funeris latrix occurreret eidem processioni : sed plorans cantanti, dolens gaudenti, gemens et ululans exsultanti. Verum re, sicut erat, cognita, facta est lugentium, quæ cantantium erat, processionalis tota caterva; totusque ille est in planctum chorus conversus. Ululant Franci, lamentantur Syri, Sarraceni et ipsi qui subjecti serviebant, tristantur. Quis enim se continere a fletibus tunc posset, ubi totius patriæ propugnacula in uno cerneret corpusculo concidisse? Itaque in tanto dolore, quod supererat curatum est exsequiarum et sepulturæ : et sepelierunt eum, regia ambitione, in Golgotha juxta germanum suum, regem videlicet Godefridum. Cujus mausoleo epitaphium inscripserunt, versibus heroicis conscriptum. Deinde initio salubri concilio Hierosolymitæ, defuncti cognatum regem sibi illico creaverunt, alium Balduinum, et ipsum consulem Edessenum, divina providentia Hierosolymis, gratia colloquendi cum cognato, tunc positum : sed cui colloqui morte prævento non potuit, communi electione in regnum sepulto successit : ipso quidem die electus ab omnibus, sequenti vero Dominicæ Paschæ die, regali unctione consecratus : videlicet præcaventes ne dilatione, vel ab hostibus aliquid contra se præsumeretur audacius, vel ab ipsis Christianis malignius novaretur, ambitione instigante. Contra novum regem nova confestim emergunt bella : cum eodem subsequente æstivo tempore Babylonii simul et Damasceni, viribus et copiis in unum apud Ascalonam coactis, ad quindecim equitum et viginti peditum millia convenientes, Christianum et populum et nomen exterminare pararent. Classis insuper non modica, in portu Tyri applicata, et arma et victum exercitibus convectarat copiosum.

A Audientes itaque et rex populusque Hierosolymorum, bellum sibi parari tam periculosum, Tripolitanos simul et Antiochenos per legatos evocant; et simul cunctis undecunque viribus contractis contra hostes prope Ascalonam properant, castra sua e regione castrorum ita locantes, ut et videre et videri semper ad invicem possent. Verum quia et illi Christianis ex numero, et isti Sarracenis ex animo valde formidabiles erant, per tres continuo menses, alii contra alios sedentes, castra sua asservabant, caientes utrinque, et congressum semper differentes. Ita tandem diuturno affecti tædio Sarraceni, recesserunt absque prælio, copiam facientes Hierosolymitis, cum trecentis de Antiochenis ad subsidium secum retentis, Hierosolymam optato

B tandem revertendi, Tripolitanis cum reliquis Antiochenorum ad sua prospere regressis. Anno ab incarnatione Domini 1119, quæ et quanta Antiochenos involverint mala, et veritas historiæ jubet evolvere et horror magnitudoque cladis prohibet referre. Sed nescio quid Christianis præstaret, eorum ipsis malorum subtrahere verba, quorum illi pertulerint facta : quin potius noceret etiam perditis, exempla supprimere eorum perditionis, quandoquidem et ipsis forsitan sit perversis utile, ipsorum exitio ab eorum deterreri imitatione. Quod si forte ipsis nihil conferat damnatis, quomodo et quare perierint nosse; sequentibus tamen celeberrimum, forte potest, cognitis aliorum ruinis, aliis cavere ruinosis. Proinde non ignoraretur Antio-

C chenos omnes fere et nobiles et plebeios, una cum principe suo Rogero, prope Arcasium oppidum, simul esse una die a Turcis interemptos : quorum septem feruntur millia occisi; de Turcis vero, nec homines viginti. Ita vendiderat eos Deus sine pretio, qui corrupti fuerant et sibi abominabiles facti: adeo ut etiam princeps ipsorum Rogerus, adulter non vereretur esse publicus, pluribus civium et hujus, et aliorum scelerum nequitiis, ducis exemplo maculatis. Quin et dominum suum Boamundi filium in Apulia cum matre cogebat exsulare : nec jure, ut princeps, sed crudelitate, ut tyrannus omnia agebat : nec Deo subjectus, nec hominibus modestus existens, dignus qui similibus esset præ-

D latus. Ita superbia et luxuria omnia sibi apud Antiochenos vendicarant. Unde non mirum si captivi criminum, et vitiorum servi, traditi sunt hostibus perimendi : ut intelligant exitiorum exemplis concussi qui verbis admoniti intelligere nolunt, mortem esse stipendia peccati (*Rom.* VI, 23). Prodierat quidem quasi ex adipe iniquitas Antiochenorum, unde non fuit respectus morti eorum : dum jam Omnipotentis patientia tantorum non posset culmina malorum ultra ferre multa. Animadvertat hinc gens absque consilio et sine prudentia, quæ iram Domini irritare non pertimescit, commeruisse quidem se ut cessare faceret Deus ex hominibus memoriam eorum : sed tamen ejus exterminationem propter iram inimicorum esse dilatam, ne

forte superbirent hostes eorum et dicerent: « Manus nostra excelsa; et non Dominus fecit hæc omnia (*Deut.* XXXII, 27). » Unde nec peremptores Antiochenorum Turci de sua sunt in longum gavisi victoria, victi paulo post a paucis, qui de pluribus paulo ante triumphassent. Quod qualiter gestum sit, latius memorandum est. Cum primo Turcorum adventu permotus Antiochenorum et princeps et populus, regis Hierosolymorum et adventum implorassent per legatos, et succursum, rex cum patriarcha, relicto interim bello, nec longe a Jordane sibi a Damascenis intentato, ipsis tamen uno impetu de stationibus suis ejectis prius, et in fugam actis, Antiochiam festinabundus tendebat, eis, si ante bellum potuisset occurrere, auxiliaturus. Venerat cum eo et consul Tripolitanus, Cæsariensis quoque episcopus, vice patriarchæ crucis Dominicæ bajulus. Qui, cum Antiochiam pervenissent cum rege milites fere ducenti quinquaginta, cognito quod jam acciderat, Antiochenorum excidio lamentabili, et congruo planctu prosecuto, evocant Edessenos, et bellum Turcis iterum inferre parant. Qui undecunque congregati fuerunt fere milites septingenti; contra viginti millia Turcorum pugnaturi. Quis hoc audiens non horrescat? Quis non contremiscat, tam dispari prælii apparatu? Quorsum hoc, nisi ut intelligant mortales miseri, non se in se debere gloriari, sed in eo solo, apud quem nil refert in paucis vincatur, an in multis? Quod intelligens aliquatenus Turcorum quidam, fertur cuidam militi Christiano, cum animadvertisset eum linguam nosse Persicam, exprobrando dixisse: « Quæ est ista vestra, non audacia, o Franci, sed insania, ut contra tam plurimos, tam paucissimi vel convenire ausi sitis vel pugnare, cras procul dubio vincendi a nobis, et ad nihilum redigendi? Scimus enim pro certo, quod dereliquerit vos Deus vester; et legis suæ desertores, vos ultra non adjuvabit; frustra de ejus confiditis adjutorio, cujus legem reliquistis, nec fidem, nec veritatem inter vos, ut solebatis, conservantes. Nam si Dei vestri legem et fidem servaretis, adhuc sicut solebatis, et terribiles nobis ex more, et insuperabiles essetis. » Heu, proh pudor! quod perfidiæ fideles et hujus a perfidis arguuntur! Erubesce, o Christiane, sacræ legis transgressionem a tuis tibi hostibus objectari: erubesce, inquam, veritatem tibi a filiis falsitatis exprobrando prædicari. Nam si in via Dei ambulasses, habitasses utique in pace super terram. Erubesce ergo, erubesce, populus Dei; et toto corde converte te ad eum qui te et exspectat adhuc, et invitat etiam per linguas inimicorum suorum ad se converti. Committitur itaque bellum sequenti die gravissimum, et utrinque diutius acerrime pugnatur. Victoria diu quidem anceps fuit, dum pars aliorum ab aliorum parte ita superati sunt tandem, et in fugam acta, ut usque Antiochiam fugerit disgregata a collegis pars Christianorum, et in

A Persidam, sive in Halapam pars maxima fugerit Turcorum. Rex etenim Hierosolymorum et Tripolitanorum consul cum suis, Crucis Dominicæ præsentia et virtute roborati, ejus bajulum Cæsariensem nunquam deseruere episcopum: sed in campo belli semper et illæsi perstiterunt et invicti, donec post biduum, nullo de Turcis redeunte ad bellum, inde sunt Antiochiam cum lætitia magna reversi. Exierunt obviam victoribus patriarcha, et populus qui supererat Antiochenus: omnipotenti Deo agentes gratias, et laudes debitas reddentes, quod ira in misericordiam esset conversa, et per virtutem gloriosissimæ Crucis, ejus cultoribus victoria de hostibus, et vindicta fuisset restituta. Ibi rex cum suis recreatus aliquanta quiete, et totius regionis B princeps et dominus ab omnibus fieri postulatus, regno Hierosolymorum principatum adjecit Antiochenorum, multo latius hoc habens quam veterum quilibet Israelitarum. Inde Crucem Dominicam delectis perlatoribus commissam, Hierosolymam remisit, ipso exaltationis ejus die, Deo disponente, Hierosolymis cum ineffabilis gaudii tripudio excipiendam ab omni populo fideliter, et adorandam. Cumque rex Antiochiæ aliquanto tempore demoratus, mortuorum in bello civium prædia et possessiones vel hæredibus legitimis, vel congruis possessoribus locasset, viduas maritis, et protectoribus pupillos tradens, reversus Hierusalem, Dominici Natalis die cum uxore sua coronatus est in Bethlehem.

C Anno ab Incarnatione Domini 1120 rex Balduinus venditores vel tritici vel leguminum omnes intra portas Hierusalem ab omni consuetudine absolvit, ipsam modii mercedem, quam jumagium vocant, remittens. Audiens autem, cunctis deferentibus nuntiis, rursum Turcos Euphrate transito Syriam ingressos, non tardavit postulatum Antiochenis contra eos ferre succursum: Cruce Dominica a clero Hierusalem et patriarcha, humiliter quidem petita prius, et fideliter satis, sed omnino ægre obtenta, dum vel illi formidant sine illa proficisci, vel isti, illa recedente pertimescunt remanere. Ita certabant inter se fidelis populi spes et devotio. Vicit ea quæ vincere debuit, fraternæ miseratio D charitatis; et necessitati periculi imminentis consultum est obviandum fore potius quam voluntati propriæ faciendum. Prosecuti sunt eam nudis pedibus, cum patriarcha, clerus et populus Hierosolymorum universus: sicque cum ea profecti sunt rex et sui; populus et clerus, ad urbem sunt flentes reversi. Jam Turci Antiochiam undique angustabant, totam circa regionem incursantes improbissime: et egressum Antiochenis vel regressum vix usque ad primum ab urbe lapidem patere sinentes. Qui tamen regis adventum prænoscentes, statim versus Caliptum se retraxerunt, tria Damascenorum millia militum evocantes sibi ad supplementum exercitus; et nec sic tamen regi obviare, vel cum eo congredi præsumentes: ad quos cum

rex propius accessisset, adeo ut jactis utrinque sagittis, plures undique vel sauciati vel interfecti corruerent, post triduum, recusantibus omnino bellum committere Turcis, Christiani Antiochiam, Turcorum pars maxima in Persidam redierunt. Ita Crucis Dominicæ virtute perterriti, non ausi vel inire prælium Turci, Syriam, quam circa Antiochiam latius occupaverant, Antiochenis interim liberam reliquerunt. Rex vero Crucem Dominicam cum debita honorificentia Hierusalem remittens, ipse ad tempus Antiochiæ remansit, inimicorum prohibens præsentia sua recursus.

Anno ab Incarnatione Domini 1121, regressus ab Antiochia rex, congregato omni a Sidone usque Jopem populo suo, transiens Jordanem, regem Damasci, cum Arabibus sibi fœderatis, Christianorum terras versus Tiberiadem vastantem, in sua refugere coegit, solo adventus sui nuntio perterritum. Quem rex biduo insequens, cum consequi non posset, reversus ad quoddam castellum octavo a Jordane lapide a Damascenis ædificatum, Jarras nomine, obsedit illud : et machinis coercens expugnavit, custodibus ejus XL Turcis ad deditionem, sub fœdere libertatis et vitæ, coactis. Quod obtentum, rex ad solum usque dirui fecit, perspiciens hoc nec sine difficultate magna vel muniri posse vel retineri, nec sine gravissimo Christianorum nocumento ab hostibus recuperatum possideri. Fertur hoc olim insignis in Arabia civitas exstitisse, Gerasa nuncupata antiquitus, situ loci fortis, lapide magno et quadro altius fundata et sublimius murata, proxima monti Galaad, et quondam in tribu Manasse instituta. Quod superfuit hujus anni, pace hostium, et ubertate glebæ prosperum, Christiani, Deo favente, transegerunt.

Anno a Nativitate Domini 1122, rex a Ptolomaida exercitu moto, Tripolim est profectus, contemptum et rebellionem debellaturus Pontii consulis Tripolitani, repudiantis regi Hierosolymorum subjici, contra morem patris sui Bertranni, et debito ei hominio fœderari. Verum, Deo volente, cum comes, meliore usus consilio, debitam regi subjectionem fecisset, pacati sibi et amici rex et consul sunt effecti. Interea legationem Antiochenorum deferens archiepiscopus quidam, Tripolim venerat ad regem, succursum flagitans Antiochenis contra Turcos ferendum, totas circa regiones sine obstaculo devastantes rursus longe lateque et occupantes. Quo audito rex gloriosissimæ Crucis Dominicæ præsentia munitus, continuo Antiochiam properat, trecentos secum lectissimos milites ducens, et equites trecentos, ad sua cæteris remissis. At vero Turci regis adventu, more suo perterriti, Sardanium castrum, quod jam obsederant, reliquerunt, ad sua se retrahentes. Rex inde Antiochiam, Turci ad incœpta recurrunt. Occurrit rursus rex regressis : et nec sic gens congrediendi secum illa Parthica facultatem præstat occurrenti, more suo semper instabilis : nunc dorsum, nunc visum agilius quam

A opinari possis hostibus obvertens, ut cum eam fugere putes, recursum repentinum et impetus subitos necesse sit caveas ; et unde te credas vicisse, videre ne vincaris observare oporteat. Ita gens perfida et quietis omnino impatiens, dum regis et suorum constantiam perviderent, et suam sibi nihil valituram astutiam, tandem ad sua recesserunt, congressum vitantes omnino, et victoriam sine sanguine Christianis relinquentes. Et cui alteri nisi gloriosissimæ Cruci Domini nostri Jesu Christi talis est assignanda victoria, in qua nec congredi ausus hostis, illæsus superatur, et victor, nullo sui dispendio victoria potitus, gloriatur? Quis non miretur, decem millia armatorum, mille ducentos timuisse, et vitato congressu ceu victos abcessisse?

B Proinde servis Crucis absit gloriari nisi in virtute Crucis (*Gal.* VI, 14), in cujus cornibus, ut ait Scriptura, Crucifixi est abscondita virtus; ea videlicet virtus quæ sequenter exprimitur, cum dicitur : Ante faciem ejus ibit mors ; egredietur diabolus ante pedes ejus (*Habac.* III, 5). Pedes ejus, bajulos ejus, cultores, prædicatores ejus esse advertamus, ante quos diabolum in satellitibus suis egredi, et fugere conspicimus, congredi verentibus et properantibus regredi, ut et fidelibus Crucis liceret cum ipsa cruce ad sua reverti. Ita cum usque Tripolim rex Crucem Dominicam reduxisset, cum parte exercitus eam inde Hierusalem remisit, ipse cum reliquis Antiochiam reversus. Interea Balach Admiratus quidam, astutia et malignitate nulli secun-

C dus, consulem Edessenum Goscelinum cœpit, et cum eo cognatum ipsius Galerannum, insidiis circumventos, sociis eorum, centum militibus, crudeliter trucidatis. Reliquum hujus anni spatium, neque Parthia, neque Babylonia Christianis fecit inquietum, Domino Jesu Christo donante et quietum cum esse, et fruge omnimoda satis optimum.

Anno ab Incarnatione Domini 1123, illa inter imperatorem Alemanniæ Henricum, et papam Romanum diutius protracta discordia, tandem Deo est volente terminata, et regnum sacerdotio fœderatum, agente papa tunc Calixto secundo. Eodem anno Venetici, numerosa satis et pulcherrima classe, centum videlicet navium, præparata, Hierusalem

D adire, et Christi Domini vel amplificare ibi nomen et cultum, vel roborare devoverunt : carabos insuper quam plurimos, et naves onerarias, alias triremos, alias rostratas habentes : in quibus et magnæ proceritatis ligna posuerunt, construendis ubi opus esset machinis apta. Inerant autem navibus ter quina armatorum millia; equi vero non plus quam trecenti. Itaque præcedente quidem anno, de terra sua egressa, in insula Curpho nuncupata, hiemaverunt ; isto autem qui nunc habetur in manibus anno, tandem in Syria applicuerunt : quod priusquam fieret, contigit et regem Hierosolymorum, insidiis Balach circumventum, abduci captivum; et apud Cartapetam munitissimum ejusdem Balach castellum, in arce ipsius cum Goscelino et

Galeranno reponi, diligenter observandum. Quo infortunio quid jucundius Sarrecenis, quid Christianis tristius horribiliusque posset evenire, nescio. Quod postquam Hierosolimis et circa per totam regionem vulgatum est, convenerunt apud Ptolomaidam cum patriarcha, proceres totius Hierosolymorum regni fere omnes, tractaturi inter se in tanto discrimine quid facto opus esset. Communi itaque consilio et assensu elegerunt et decreverunt, Cæsareæ et Sidonis principem Eustachium totius regni fore custodem, virum utique strenuum armis, et moribus honestum, pollentem consilio, et nobilitate clarum. Hujus præceptis patriarcha et populus universus, omnes totius regni optimates obtemperare decreverunt, quo usque quid de rege fieri disposuisset Deus, rei exitu pateret. Cumque cognovissent Babylonios Ascalonæ terram marique convenisse, Eustachius dux, et qui cum eo erant, legationem Venetiorum classi obviam miserunt, lembis agillimis directam, imminens periculum insinuantes eis, et speratum succursum obnixius sibi accelerari flagitantes. Interim Babilonii Jopem classe multa evecti, de navibus cum ingenti strepitu et piratico horrore exsiliunt: æreis tubis et clamoribus immensis personantes undique et ululantes, circumvallant urbem; et machinis erectis, muros invadunt: tormentis pervalidis saxa jaciunt, adeo fortiter, ut ultra jactum sagittæ tanti lapides pervolarent. Arabes quoque et Æthiopes, qui plurimi pedites convenerant, grandes in muros impetus dabant; alii tela, alii sagittas, alii saxa civibus de muro se, pro posse, defendentibus, ingerentes. Nihil prorsus intentatum relinquebant hostes, unde obsessos fatigari posse sperarent. Nam et murum plerisque in locis suffodere aggrediuntur alii; dum alii defensores e propugnaculis vel sagittarum imbribus vel turbinibus lapidum arcere contendunt. At vero cives, quamvis admodum pauci, indefesse impugnantibus obsistunt, non diebus neque noctibus e muris descendentes: sed dum aliis alii impugnatores succedunt, ipsi semper irrequieti, defensandis muris persistunt. Mulieres et ipsæ, viris desuper laborantibus, deorsum collaborant, nunc lapides, nunc tela propugnantibus ministrantes; nunc sitientibus potum, esurientibus cibum offerentes. Verum Sarraceni, cum per dies quinque expugnandæ urbi insistentes, Deo semper suos mirabiliter roborante, non prævalerent, audito Christianorum adventu Jopitis succurere festinantium, non ausi ibi diutius immorari, se in naves suas retraxerunt, depositis machinis, et membratim navibus illatis. De quibus dubium non est quod expugnarent urbem, si diutius eam impugnare secure potuissent. Nam murum jam plerisque in locis suffoderant, et propugnaculorum plurima confracta disjecerant, tortorum fortius illisione saxorum conquassata.

Ita classe, LXXX fere habente, versus Ascalonam retracta, terrestri prælio se præparant contra venientes adversum se Christianos excipiendo. Nam de toto fere Hierosolymorum regno, duce Eustachio præcipiente, jam apud Ramatha, urbem quondam juxta Diospolim sitam, omnes fere concurrerant arma ferre valentes Christiani, gloriosa Christi Domini Cruce præsente freti admodum et confortati: illa autem a patriarcha, et clero delata. Qui autem remanserant Hierosolymis, jejuniis, vigiliis, orationibus, eleemosynis insistebant, fratribus suis et sibi in tanto periculo positis propitium fieri Deum enixius flagitantes. Dux et qui secum erant proceres, primo mane de Ramatha consurgentes, ordinatis per acies agminibus suis, benedictione et absolutione a patriarcha populo data, caute et ordinate in hostes procedunt, apud Azotum, quondam Philistinorum urbem quintam, congregatos, et bello committendo se maximo apparatu conglobantes. B Sarraceni, more suo, de numero confidunt: de Crucis et Crucifixi virtute præsumunt Christiani. Committitur igitur pugna durissima, et gladiis cominus res geritur. Quid plura? Placuit et hic Christo Domino, et suis conferre virtutem, et inimicis confusionem inferre. Nam cum milites hostilis exercitus Christianæ militiæ ordines et arma mirarentur, ferocissimos eorum impetus sustinere non ferentes, protinus versi, pedites suos in campos dimiserunt trucidandos: quibus pro libitu percutientium detruncatis, Christiani victoriam sibi cœlitus collatam congaudentes, quantum vel possunt vel audent insequuntur fugientes, prosternentes omnes quos consequi prævalent, et instantissimi prosternendis incumbentes. C Ita sex hostium millibus peremptis, reliqui, qua vel quo quisque potuit, evaserunt. Nam sedecim millia præliantium convenisse ferebantur, cum Christiani ad octo sint millia æstimati. Fuga et strage hostium parata, victores ad castra læti redeunt, ditati opimis, trecentos camelos, et asinos quingentos, præ se mirantes captivos. Laudatur a suis Christus: et Crux magnificatur et Crucifixus, cujus virtute et dignatione redacti ad nihilum sunt inimici. Bello isto per omnipotentis Domini voluntatem et gratiam ita peracto, et Dominica Cruce Hierusalem patriarcha reportante, glorifico occurrentis populi processu, in loco suo reportata, post triduum de Veneticorum classe jucundi sunt rumores subsecuti: quæ cum Ptolemaide applicuisset, D intimatum est Veneticorum duci Babylonicam classem ab Jope revertentem, ei, si cum sua classe occurrere vellet, Deo volente, obviam fieri posse, et si ita sit voluntas in cœlo, comprehendi. Qui suorum consilio, confestim classem suam bifariam divisit, minorem ejus partem versus Jopem festinanter ducens; alteram sequi a longe præcipiens: callens videlicet, ignaros ita in bellum et in periculum protrahi posse Sarracenos. Nec fefellit callentem opinio. Nam Sarraceni per mare vagantes, explorantesque si qua forte peregrinantium in Hierusalem occupare possent navigia, cum octodecim naves de classe Venetica prospicerent appropinquantes, occurrerunt læti; et more suo tubis æreis clangentibus perstrepunt; grande sibi promittentes, tanquam

de jam comprehensis tot navibus, emolumentum. Venetici pavitare se, et velle nec posse fugere simulantes, ad solum hoc bellum differunt, ut sociis supervenientibus, felicius pugnent. Quos cum propinquantes etiam Sarraceni cernerent, velis et remis latius æquora prosulcantes, qui se prius ad prædam cohortantes, alter alterum præcurrere nitebantur, jam se tantum propinquasse cœperunt pœnitere, cum neque fugere jam possent, nec auderent pugnare. Ita Venetici, de victoria securi, in Sarracenorum classem irruunt; exsangues jam præ pavore et dissolutos Sarracenos aggrediuntur audacter; et naves eorum celeriter ingrediuntur, omnes in suis navibus, ac si in agris messem, detruncantes. Incredibile fortassis judicatur dictu, quod ibi factum fuisse fertur mirabile; occisorum sanguine usque occidentium tibias exundante, navium tabulatus plenos omnes horruisse: denique peremptorum corporibus in mare præcipitatis, tantus ex eis fertur fluxisse sanguis, ut totum, usque ad quatuor fere millia passuum, mare videretur rubuisse. Ita deletis omnibus qui navibus inerant hostibus, naves omnes cum omnibus vel armis vel opibus, a Veneticis captæ sunt et detentæ. Inde usque Ascalonam percurrentes, alias quoque decem naves comprehenderunt diversis victualibus onustas, lignis quoque; mira proceritate directis ad machinas componendas præparatis: alias etiam naves ad littus usque fugitivas, ignibus injectis incenderunt; alias funibus præcisis, secum Ptolomaidam reduxerunt. Ita, qui terram marique convenerant perdere Christianos Sarraceni, terra marique, sub eodem tempore, fere omnes periere. Imbelles putabant esse, quos regem sciebant non habere. Probaverunt eos sine rege non esse, quibus Christum Regem experti sunt non deesse. Tenebant quidem in vinculis regem Balduinum; sed liberatorem Christianorum experti sunt semper esse Christum. Qui ut se etiam improbis probaret Regem esse regum, ipsum quoque regem Balduinum eodem anno mirabiliter dignatus est de vinculis liberare, et regno potenter suo restituere liberatum, Eustachio duce per idem tempus defuncto, et Guilhelmo de Buris ad regni tutelam ei substituto.

Verum liberatio regis et eorum qui cum eo captivi tenebantur Goscelini et Galerani, quo ordine evenerit, quia satis jucunda videtur esse narratio, nec prolixa videri debet nec onerosa. Fuerunt in Edessa urbe strenuissimi viri, qui divinam, ut credendum arbitror, inspiratione permoti, posuerunt animas suas in manibus suis; et de captivorum regis et comitum liberatione, fortissimum inter se inierunt consilium. Nam fœderati inter se Cartapetam usque pervenerunt, habitu pauperrimo contecti, simulque mercibus quibusdam vilissimis sarcinati, quas cum se venales convectare præmonstrarent, castrum totum perambulantes, explorabant diligentissime quonam aditu ad carcerem possent pervenire, interiori castelli munitione cum ipsa arce prius, si forte possent, occupata. Cujus custodes cum prope portam invenissent ludentes, ingressi sunt alter post alterum, tanquam, de facta sibi a castrensibus injuria, querimoniam ad magistratum deferentes. Ubi cum primum custodem lacrymabili conquestione in se fecissent intentum, eductis subito de sub semicinciis suis pugionibus occultis, ipsum dicto citius necaverunt: dehinc arreptis, quas ibi invenerunt, lanceis, omnes, qui cum ipso erant, peremerunt. Attollitur clamor ingens, et per totum etiam exterius castrum simul omnes perturbantur. Quicumque, exploraturi clamoris causam, ingressi fuissent, ante perimebantur, quam quidnam esset dignoscere possent. Ita centum de Turcis ibi feruntur necati. Claudunt deinde illi confestim portas, et carcere fracto regem cum comitibus educunt. Inde scalis erectis, muri conscendunt fastigium: et in summa arce vexillum Christianorum exaltantes, suum esse castrum exclamant. Conveniunt finitimi cum castrensibus undique Turci, et interius illud cum arce castrum obsidentes, intus conclusos asservant sollicite, ne quis eorum posset exire. Conclusi tamen, rex et sui, de liberanda vita sua consultant inter se, nimis anxii. Quorum Goscelinus, sicut erat vir cordatissimus, paratum se dicit esse, pro communi periculo, proposito se discrimini exponere: « Cum tribus solummodo viris exibo, inquit, si hoc vobis complaceat, o viri fortes et proceres inclyti: et, si is qui cœpit cooperari nobis liberandis, voluerit misericors Dominus, Edessam vadam, et inde Antiochiam, vel etiam Hierosolymam, Deo volente, pergam, succursum vobis, quam citius potero, et quæsiturus simul, et adducturus. » Collaudant cuncti propositum viri. Nec mora, consul cum tribus delectis comitibus, nocturnus simul et furtivus viator, egreditur caute, et hostiles custodias transgrediens, unum de suis ad regem, sicut simul contradixerant, eadem via remittit: liberum sibi, miserante Deo, patuisse iter significans. Latitant diebus, et noctibus per devia properant; tandemque ad Euphratem perveniunt. Navigium non habentes, natando transeunt, consuli, natatus ignaro, duobus utribus secum ad hoc delatis, impletis vento atque suppositis. Ita transmisso flumine, jejuni et sitibundi properant. Tandem Armeniorum fines ingressi, victum sibi quæritare nec sic audent, etiam Christianos illos habentes proditionis suspectos; ideoque, et videri pavitantes, et agnosci. In tantis positi malis, solum sperabant, hocque sibi adfore precabantur, divinæ pietatis auxilium. Confectus famis atque itineris labore consul, dum sub arbore nuce pausaret, obdormit vepribus et foliis contectus. Processerat interim unus de comitibus consulis, sicubi quid victus invenire prævaleret circumspectans. Occurrit rusticus quidam Armenius, et rogatus caricas cum paxillo panis latitanti sub nuce consuli dum offerret, agnoscens eum: « Ave, inquit, domine Gosceline, ave, consul nobilissime, et tuis desiderantissime princeps. Quid hic agis? cur non properanter venis? » Neganti se Goscelinum esse, et adhuc occul-

tare volenti : « Ne timeas, rusticus inquit, domine consul : ne me, te bene cognoscentem suspectum habeas. Ita me salvet Dominus, quo modo salutis tibi, pro posse, cooperator, si jubes, existam. » « Age, ait consul, o liberalissimæ mentis homo, miserere mei, per illam quam Christo debes fidem et dilectionem te obsecro ; nec me cuiquam malivolorum meorum detegas, quæso : sed si quid volueris accepturus mercedis, usque Torvexel castellum, me, rogo, perducito salvum. » Et ille : « Uxorem, inquit, habens et filiam infantulam, me cum illis tuæ fidei, et liberalitati amodo committo : animam meam animæ tuæ, nobilissime vir atque prudentissime, commendo : et patria et terra mea, si jubes, pro te exibo libenter, duos quos habeo germanos una mecum adducens, et te cum eis, quo malueris deducens. » Quid multa? Cucurrit rusticus et cum suis omnibus festinatius rediit. Imponitur consul rustici asellæ; et infantulæ, rustici filiæ, gerulus efficitur. Plorat infantula, in sinu consulis locata, et gerulum suum assiduis fatigat vagitibus. Tollerat et hoc tædium vir prudens, altiore consilio circumseptus : videlicet ut nihil minus quam consul esse taliter gestatus, talisque gerulus occursantibus viatoribus crederetur. Tali comitatu comes deductus, tandem castellum suum Torvexel ingreditur. Læta fuit satis talium hospitum susceptio. Gaudent cuncti, simul omnes lætantur : exultat uxor, familia tota congratulatur : fit rursus consul, qui fuerat exsul; consolatus a suis, qui ab alienis fuerat desolatus; rursusque jam et consolator suorum, et alienorum desolator futurus. Remuneratur condigna mercede consulis conviator rusticus; et de paupere colono dives decurio efficitur. Liberatus itaque ab exsilio consul, de captivis liberandis, rege videlicet et suis, sollicitus satis et anxius, contendit Antiochiam; et inde Hierosolymam percurrit : debitas liberatori suo laudes inibi persolvens, Christo suas in monte Calvariæ compedes offerens ibidem suspensas, et alias ejusdem ponderis argenteas, pro munere, consecratas adjungens. Tractat cum optimatibus regni de providenda liberatione regis et de accelerando ei succursu, quoscunque prævalet cohortatur. Contrahitur undecunque Christianorum exercitus, et Tripolim undique convenitur, ut inde Carpetam, quo rex cum suis tenebatur clausus, coactis omnibus copiis contendatur, Cruce Dominica a patriarcha et clero Tripolim jam delata. Inde Antiochiam festinat, qui apud Tripolim fuerat congregatus Christi exercitus. Ibique Antiochenorum copiis secum assumptis, Torvexel usque perveniunt. Ubi cum profectionem per Armeniam pararent, tristi rumore subito percelluntur, regem rursus cum ea qua obsessus tenebatur munitione a Balach captum esse audientes. De regis itaque desperantes liberatione, succursum, quem ei ferre satagebant penitus omittunt; et ad incursandum urbem Caliptum, ne inanes redirent, consilium transferunt. Per cujus suburbana vastantes omnia, et quæcunque invenire po-

A

tuerunt diripientes, Ptolomaidam usque remeaverunt, Joscelino consule Antiochiam cum suis redeunte. Transmisso Jordane Hierosolymitæ, regionem monti Galaad et Arabiæ confinem percurrentes, regionis, quibus improvisi advenerant, accolas diripiunt; captivos quamplurimos de utroque sexu, cum ingenti camelorum atque ovium præda Tiberiadam, et inde Hierosolymam redeuntes, secum adducunt, Cruce Dominica in loco suo decenter recollata.

Superest ut jam de rege, et eis qui cum eo clausi remanserant, quomodo eis interim contigerit, explicetur. Cum enim Balach regem, quem Cartapetæ vinctum cum reliquis concaptivis dimiserat, turrem suam, ut supra relatum est, occupasse cognovisset, et Joscelinum consulem evasisse, somnium, quo aliquando viderat a Joscelino sibi oculos erui, secum reputans, anxius nimis et iratus, Cartapetam cum quanto poterat exercitu accurrit, quibuscunque prævalet modis de recuperando prædio suo pertentans Et quidem, primo blande regem alloquitur, de vita et libertate; de salvo etiam usque Edessam seu Antiochiam deductu fidem illi facere, et dare obsides pollicetur, tantum ut suum sibi restituat præsidium. Cui cum rex acquiescere nollet, vel de fide Balach dubius, vel de accelerando sibi per Joscelinum succursu nimis securus, efferatus animo Balach, ad callida, more suo, convertitur machinamenta; rupem, supra quam castrum erat situm, suffodi faciens, et stipitibus validis muri fundamenta suspendi, ac demum illata copiosiore materia ignem immitti : quo fulcimentis omnibus exæsis, rupes repente vasto hiatu subsedit, et una de turribus, muri cedente fundamento, cum horrisono fragore decidens, regem, et omnes qui cum eo erant, stupore simul et terrore nimio concussit. Ita non solum liberationis sed et vitæ rex et sui, omni spe amissa, Balach se cum ea, cui inerant, altiore turre dedidere, nihil nisi supplicium exspectantes. Regi tamen vitam Balach indulsit, et cum eo cuidam nepoti suo et Galerano : eos autem qui regi adjumento fuerant, alios quidem suspendit patibulis; alios decorians vivos, crudele suis spectaculum fecit; reliquis gladio trucidatis. Regem denique de castro ejectum, Carram usque, cum tribus tantum de suis, abduci præcepit. His circa regem ita gestis, anno a Nativitate Salvatoris 1123 dux Veneticorum cum Hierosolymitis, Dominici Natalis solemnitate apud Bethlehem, fidelium more, celebrata, se cum omnibus copiis suis, Tyrum vel Ascalonam, post Epiphaniam, obsessum ire, communi juramento confirmant : Venetici quidem, ex more cum classe sua per mare; Hierosolymitæ vero cum toto tam equestri exercitu quam pedestri a terra id fieri disponentes. Quibus, quia et militia pauca erat, et pecunia rara, patriarcha et clerus pretiosiora Hierosolymitanæ Ecclesiæ oppignorare compulsi sunt ornamenta, militiæ et clientelæ gratia conducendæ. Ita præparatus pecuniis, et ar-

mis instructus diligenter uterque exercitus, convenerunt Ptolomaidæ, et ibi librato diligentius consilio, Tyrum potius adire delegerunt, faciliorem ejus expugnationem fore arbitrantes. Obsidetur itaque civitas et de proximo undique angustatur, quæ divitiarum opulentia et maris præsidio circumfulta, nec dominari consueverat unquam, nec expugnari. Interea Ascalonitæ comperto Christiani exercitus abscessu longiore, solita protervia ebullientes, Hierosolymam accurrunt, urbem se etiam obsidere posse putantes. Quorum de specula adventu præcognito, Franci et Syri, qui ad urbis custodiam fuerant relicti, accurrentibus occurrunt audacter; eorum quoque petulantiam, acri satis certamine excipiunt. Coguntur de propriis corporibus tuendis Sarraceni tractare, qui etiam urbis muros, vacuos defensore, præoccupare se posse frustra præsumpserant. Committitur pugna tribus fere horis acerrima, ex eo potissimum miranda, quod paucissimi pluribus adeo pertinaciter obsisterent in campo, nullius munitionis adjuti præsidio, ut, non dico cedere loco cogi possent, sed etiam in fugam agere confertissimos hostium cuneos prævalerent. Quis non hoc divinæ virtutis opus animadvertat esse, gentem et locum sanctum, a profana impiorum cervicositate, A manifeste defendentis? Ita semel disgregati Ascalonitæ, ultra se non potuerunt in aciem regregare; adeo præcipiti fuga ruentes ut suspicionem fecerint insequentibus, quod forte in præparatas vellent inducere insidias, dum fugiunt se fugantes. Qua vel suspicione vel cautela revocati, dato restandi signo, ad prædam se converterunt diripiendam Christiani, ei cujus gratiæ protectione vicissent, Christo Domino, debita gratiarum vota persolventes. Quibus hoc solum videretur magnum, si in tanto discrimine non perissent; lætabantur se præter spem etiam victores revertisse, ut protectorem et salvatorem suum in omnibus agnoscerent esse Christum. Compulsi sunt hoc ipsum confiteri etiam Ascalonitæ, propria confusione admoniti, victos se stupentes, B et fugatos ab eis, quos, non dico procedere in pugnam, sed nec aperire os audere præsumpserant, et gannire. Quorum, ne quid deesset confusioni, late patentes campos mortuis reliquerunt opertos; alii quamplures ad mortem vulnerati, aut in via semineces ruebant morituri, aut vix sua subire poterant mœnia moribundi. Evasissent plane pauci, nisi persequentes, ut dictum est, insidiarum revocasset suscipio.

Hactenus manuscriptus noster.

INDICES IN OPERA GODEFRIDI.

INDEX

IN HOMILIAS DOMINICALES.

I.

INDEX NOMINUM ET VOCUM BIBLICARUM.

II.

INDEX RERUM ET EXPOSITIONUM MYSTICARUM.

D

E

F

G

H

I

N

O

P

T

U

V

INDEX
IN HOMILIAS FESTIVALES

I.

INDEX NOMINUM ET VOCUM BIBLICARUM.

II.

INDEX RERUM ET EXPOSITIONUM MEMORABILIUM.

D

E

F

INDICES

IN CHRONICON ALDENBURGENSE MAJUS

I.

INDEX GEOGRAPHICUS.

A

II.

INDEX NOMINUM.

ORDO RERUM

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

GODEFRIDUS ABBAS ADMONTENSIS.

FINIS TOMI CENTESIMI SEPTUAGESIMI QUARTI.